ITALIA SACRA

TOMVS VI.

ITALIA SACRA
SIVE
DE EPISCOPIS ITALIAE
ET INSVLARVM
Adiacentium

TOMVS SEXTVS.

Complectens Metropolitanas, earumque Suffraganeas Ecclesias, quæ in Campaniæ Felicis, Aprutij, Hirpinorumque Neapolitani Regni claris Prouincijs recensentur.

AVCTORE FERDINANDO VGHELLO FLORENTINO
Abbate SS. Vincentij, & Anastasij ad Aquas Saluias Ordinis Cistercienfis, & Sacræ Congreg. Indicis Consultore.



ROMAE,
Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ.
MDCLIX.

Superiorum Permissu, & Priuilegio.

S.MO D. N.
ALEXANDRO
SEPTIMO
PONT. OPT. MAX.

FERDINANDVS VGHELLVS F. P.

NEAPOLITANI Regni Ecclesiæ, Beatiss. Pater, quæ Prædecessorum tuorum paterna cura plantatæ, cultæ laboribus, clientela tectæ, atque ex Saracenorum, Schismaticorumq; tyrannide toties vindicatæ, ad summam, quam aspicimus, amplitudinem floruere, Tuæ Sanctitati, tum Martyrum rosis, tum etiam Sanctissimorum lilijs Confessorum, qui illis præfuere, redimitæ, supplices se se offerunt; quippe quæ non modò Sponsam tuam, sed Dominam quoque suam Romanam Ecclesiam singulari studio colant, Teque supremum in terris Christi Vicarium meritò adorent. Et quidem quantos amore tuo, ac peruigili cura fructus sint consecutæ, clarissimè patet. Etenim statim ac vniuersali Ecclesiæ Sanctitas Tua præesse cœpit, vitæ sanctimonia, exemplo, ac virtutum splendore in omnium oculos effuso, illæ, vt taceam nunc de reliquis, faciem mu-

tasse, ac deposito tandem squallore, expulsisque inanibus fucis, primæuam illam temporum pietatem, quasi renascentes, puram, & sinceram denuò exhibere videntur, adeòque iam nihil habent Ecclesiæ hostes, in quo eas possint vel leuitèr accusare; quin sperandum est iam tempus illud appetere, cum omnis tandem iniquitas os oppilet suum. Has igitur humiliter ad Apostolicos pedes tuos desero sexto hoc volumine per summum laborem à me descriptas, atque ità, vt opus materiam omninò superare censeatur. Non enim mihi, Beatiss. Pater, eos placuit imitari, qui aut adeò sunt antiquitatis studiosi, vt antiqua proponentes, recentiora prætermittant, aut recentiora sic tractent, vt veterum penitùs obliuiscantur: sed Euangelicum illum Patremfamilias potiùs sectari, qui, docente Domino, profert de thesauro suo noua, & vetera. Quod quidem ex immenso hoc, non iam meo, sed veriùs Vestro, Romanæ præsertim Vrbis, Ecclesiarumque thesauro præstare omni studio conatus sum, vt gentes, quæ remotas terrarum incolunt partes, non modò prisca Italiæ Sacræ iura, atque Præsulum gesta præclariora, quasi in speculo intueantur, sed præsentis etiam status, atque in ijs summum Sanctitatis Tuæ studium ad maiorem Dei gloriam agnoscere procul dubio possint. Ea verò qualiacunque sint, Tibi Beatiss. Pater, omninò dicari debent, vel ob ipsam rerum scriptarum dignitatem, vel ob meum scribentis erga Sanctitatem Tuam humillimum, & antiquum animi obsequium, quod tanto maiora quotidie suscipit incrementa, quantò magis in dies ab Apostolica mente Tua promanant virtutum documenta, quorum fulgentissimo lumine Vrbs, imò Orbis vniuersus vndequaque nitescit; hoc præcipuè fausto, fortunatoque tempore, quo, non concordibus tantùm, sed exoptatis omnium votis, nouo Diui Thomæ à Villanoua sidere Cælo asserto Sanctorum cultu, ac splendore militantem pariter, ac triumphantem Ecclesiam maximoperè auges. Quod si hoc optatum mihi votum felix, faustumque quandoque contingat, vt hi laborum meorum

cona-

conatus ſapientiſſimo Tuæ Sanctitatis iudicio quoquo pacto probentur, ingens mihi animus fiet ad cætera, quæ ad ōpus perficiendūm deſiderantur volumina, ſub tanti Pontificatus auſpicijs in lucem aliquando proferenda. Quare Clementiſsimum Deum ex animo precor, vt Sanctitatem Tuam, tum Chriſtianæ Reipublicæ gloriæ, cum noſtro bono diutiſsime incolumem, florentemque ſeruet. Romæ Kalendis Nouembribus ipſa Sancti Thomæ à Villanoua Diuorum albo adſcripti ſolemni luce; Salutis vero Anno MDCLVIII.

LECTORI CANDIDO.

IN hac editione ad Dei gloriam, Italicarumque Eccleſiarum augendam cognitionem, & celebritatem prodit Sexti noſtri laboris Volumen, in quo de tribus Neapolitani Regni inclytis prouincijs Felicis nempe Campaniæ, Aprutij, Hirpinorumque cum Metropolitanis, earumque Suffraganeis Eccleſijs, quę in ipſis continentur, accuratam habes narrationem. Ad Tomi calcem addidimus Græcorum vetus Menologium, latinè verſum, auro pretioſius, & nunquam editum; poſt illud fundationes adieci Monaſteriorum S Bartholomæi de Carpineto, & S. Clementis in Inſula Piſcariæ: primum Comes Luidinus, ſecundum Ludouicus II. Imp. in Prouincia Aprutij exædificarunt; in ijs plura ſcitu digniſsima leges. Tu interim, quæ remanent volumina expecta, & noſtrum qualemcumque laborem tua pietate & amore ne aſperneris, Vale.

IN D. ABBATEM
FERDINANDVM
VGHELLVM
ITALIAE SACRAE SCRIPTOREM.

LEONIS ALLATII.

ΕΘΙΖΟΝ ἄνδρες ἐνδεῶς καλῶν πάλαι,
Ὧν ἔχον ἐσθλῶν ἀντιδωρεῖσθαι χάριν,
Τίνειν τ' ἀμοιβὰς τοὺς δράσαντας πλουσίας.
Τῷ καὶ Πέλοψ ἐστέψατο, ἰδ' Ὀλυμπίας
Ἐνέμαν ἕδρας, καὶ Θεῶν τεθνηκόσι
Τιμὰς παρῆψαν. ὠφέλημα δ' αὖ μέγα
Ποῖον ποτ' ἔδρων φασὶν ἐξηργασμένον;
Ὁ μέν τις αὔθις δαίζειν αἰθούσης φλογὸς,
Ὁ δ' αὖ θαλάσσης ἅρμα πομπεύειν πόρους
Δίδαξεν, ἠδὲ κῦμα δημιουργεῖν μέλαν.
Αὐτὰρ σὺ δ' ἐν λαίλαψι νηίων τρόπιν
Περάσασθαι βάλλειν ἐς λιμέν' ἐστηριγμένην.
Ἄλλος ταμόντ' ἄρουραν εἰς αὔλακα, σπόρον
Βαλόντ', ὅτ' ἄσταχυς κομᾷ, γεωπόνων
Δρεπανάεσσιν ἀμᾶν. οἱ δὲ θήκας τηρέειν.
Ἔστιν δ' ὃς ἐς λειμῶνα πολυανθεμον
Μουσῶν ἄγων δίδαξεν ἐν δέλτοις γράφειν
Πράξεις παλαιῶν, ὅσσα τ' ἐμφρόνως νέοι
Τέχναις μαθήμαθ' εὗρον, οἷς ἔστηχ' ὁ νοῦς,
Τὰ δεῖν' ἀπείργων, κηδέων λήθην ἄγων.
Ὤνησις ἔσχε ταῦτα δυσφόρως βροτοῖς
Ὤνησις ἱμέροισιν ἐκμεμιγμένη.
Νῦν δ' ὅτ' αὖ ἄνδρες φρεσὶν λελυμασμένας
Μέγιστ' ὁρῶσιν, ἠδὲ μέμβλεται μικρά.
Τίς τόσον ἐργάζεται χρήσιμος φανείς;
Τίς ὅσσα θυμὸς ἔνδοθ' ἐν σπλάγχνοις μομφῇ
Ἀνδρῶν κατεργάζεται τηλίκον χρεόν;

Ἐξ

Εἷς καὶ μόνος βίβλοισιν οὐδ᾽ ἄθλοις μελῶν
Πάσαισι τέχναις, καὶ σοφῆς εὐμουσίας,
Ὑπερβαλὼν βουλαῖσιν, ἔργοις τ᾽ ἐξόχοις
Ἄλλων ἄριστος πολλὸν Οὔγελλος βροτῶν.
Φέρων προσῆλθε φάρμακον, τῷ καὶ νόσους
Ψυχῆς μελῶν τ᾽ ἀκέσατ᾽, ἐκ δ᾽ ἔτι φθορᾶς
Σώσας, ἐν ἀφθάρτοισιν ἀμπνεῖν βίον,
Ὡς αἱ φίλον πόλισμα, ἀπνόους δίδους.
Ἔκειντ᾽ ἄγνωτες, ἀκλεεῖς, ἀνώνυμοι,
Ἑτέρων ὅσους φροντίδων ἐπιστάσεις,
Ψυχῶν γεγῶτες προστάται, ὧν Θεὸς ξυνὰς
Τελεὰς προσώπους ξυνὶν ἐν λιωμήν,
Ἣν Χριστὸς ἐξέφηνε καββὰς ἐκ Πόλου,
Χριστὸς βροτωθεὶς ἀνδράσιν χριστωνύμοις.
Τοὺς δ᾽ οὐδ᾽ ἐν ὄρφνῃ παννύχῳ τε καὶ μόρου
Πέδαις ἀφύκτοις ἐκπεσόντας ἑρμάτων
Ἀκτῖνι καλῶν καὶ πόνοις ἀθεσφάτοις
Λελασμένους Οὔγελλος ἐν αὐγαῖς θέτο,
Ἔκλυσεν ὤσας, καὶ βιοῦν δωρίσατο,
Βιοῦν ἐν ἀνθρώποισι, κἀρέσθαι κλέος,
Ὑπαί τε γῆς ἐόντας ἀθανάτους τηρεῖν,
Ζωῆς θ᾽ ὁμιλεῖν μάκρης ἀστέρων πρόμους,
Αἴγλην θ᾽ ἄλλων οὐρανοῦ φαιδρὰ πλάκας.
Οὐδ᾽ ἔσκε πλεῖον ᾧ μὲν, ᾧ δ᾽ οὔ, ἀλλὰ δὶς
Πάντεσσιν ἴσα πάντας ἴσως ὤφελεν.
Παγκόσμιον δίδωκας ἀΐσιμος φανεὶς
Οὔγελλ᾽ ὄνειαρ εἰν ἀναγκαίῃ βροτοῖς,
Εὖτ᾽ αὖ διαιτᾷ λαὸν ἰθείᾳ δίκῃ
Νωμῶσα καλῶς σκῆπτρα, τὰ κραίνουσ᾽ ἔχει
Ἔμφρων ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΙΟ προσπολοῦσα φρενί.
Τί δ᾽ ἀντιδοῦναι; καὶ τίς ἀντίτης χάρις
Ζωαρκέων τοσῶνδε τῷ δωρήτῃ
Μενεῖ; ἄλυτος δεσμὸς ἀρραγοῦς πόθου
Ἐν καρδίαις προσῆσαι, ὥστ᾽ αὖ ἥλιος
Γύροις ἑλίσσει δίφρους αὐγάζων πέδον,

Εἰ δ᾽

Εἰ δ' ἰσχὺς ἦεν, οὐκ αὖ ἐν πρὶν, ἐφθόνεε,
Παρθενέτις τέτευχε Μαυσωλῷ τάφον,
Οὐδ' ἔτι ἄλλ' ἔγεντο θάμβος οὐ φατόν.
Ἔσαι τάδ' ἔστ' ἄτιμα, κοὐδενὸς ἄξια.
Ἦν δ' οἱ λαβόντες ἐκτήσωσιν χάριν.
Ἔκπαγλον ἐστι θάμβος ἐσσεῖται βροτοῖς.
Ἐφετὸς, θεοῖς, γέρας τι, συμφυὴς Πέλωρ.

HYACINTHI FERABOSCHI

Latina imitatio.

Solebat olim prisca gens mortalium
Egens bonorum ferre grates munerum,
Vicesque largè reddidit merentibus.
Hinc tot locauit æthere, hinc tot Cælitum
Erexit aras, astra tot fixit polo.
Nam quisque fecit sibi Deos, & mortuis
Dum non adesset quod daret, Cælum dedit.
Sed cur superna in sede terra filios
Posuit vetustas? hunc quod ignes repperit:
Hunc quod maris per dorsa currum flamine
Fecit volantem, quo domauit æquoris
Insanientis impetus, nec horruit
Consi tridentem, Dijs maris mirantibus.
Alter reperto vomere exercuit solum,
Semenque terræ credidit, quod cum nouo
Fænore remisit dum annuit votis Ceres.
Sunt quos equino lympha quæ salit pede
Lustrasse docta rura Phocidos iuuit
Amata laurus, quos Apollini decet.
Horum ob profunda sacra mentis germina
Vocesque clari pectoris, totque artium
Inuenta, viuit fama quam non abstulit
Rogus, nec ætas dente mordet liuido.
Præclara sanè dona, sed quæ non super
Humana scandunt vota, dum necessitas
Artis magistra hanc præstitit solertiam.
Maiora nunc animus cupit, per ardua
Fertur, nec vllo continet se limite,

Nequa-

Nouaque semper æstuat rerum siti,
Tantam quis vnquam expleuerit cupidinem!
Tandem Deorum vir repertus munere,
Qui, vt Phœbus astra luce præstringit sua;
Offecit vnus doctiorum lumini.
Hic est Etruscæ gentis & Latij decus,
Suadæ medulla, flos Virorum Vghellius:
Qui modò medelam corpori, atque animis tulit.
Qui mortuos reduxit Orci ex faucibus,
Fecitque clara luce siderum frui.
Inglorios premebat atra nox viros
Reges sacrorum prouidos Antistites;
Queis colitur Alma Trinitas, & Vnitas,
Quam filius patefecerat linquens polum,
Viri figuram dum Sator virum induit.
Consumpserat iam tempus horum nomina;
Et fata lege vinxerant ahenea.
Quorum misertus calamitatem Vghellius,
Lethes reductos è profundo gurgite
Permisit auris vt fruantur ætheris,
Vitaque functis Manibus vitam dedit
Donec rotabit astra Stellifer polus,
Et Phœbus axe promet aurato diem.
Nec hisce plus, aut alteri tribuit minus,
Sed fulsit æquus solis instar omnibus.
Quacunque terras alluit fluctu Thetis
Sapientiæ fœcunda iecit semina,
Aeuumque claris explicauit paginis:
Dum sceptra terrarum sacra tenet manus,
Mundique habenas mente prouida regit
Qui iura Alexander dat Orbi Maximus.
Quasnam rependet gratias sæclum tibi?
Quod pro tenebris luce donas aurea.
Satis superque digna fit merces amor;
Quem nulla nostro è pectore auferet dies:
Quod si voluntas par adesset viribus,
Nec tu careres Memphios miraculis;
Nec molibus Phidiaca quas struxit manus:
Sed has imagines inanis gloriæ
Deleret ætas longa, grates quas tibi
Orbis tuarum haud immemor laudum refert,
Perennieres ære miratur polus.

IACOBI

IACOBI GADDI PATRITII FLORENTINI

Hendecasyllabi extemporale,

In laudem Tomorum Italiæ Sacræ, quos edidit scriptor sacræ familiæ Cisterciensis Abbas Vghellus.

SI quis per virides agros vagari
Immensæ cupis eruditionis,
Vt flores legat, & liget venustos,
Contexens sibi floridas corollas,
Quæ vincant pretio procul remotis
Gemmas æquoris, æmulas nitentis
Orbis sydoribus, legat verendum, ac
Multiplex Itali volumen Orbis;
Quod luci dedit, ipse dignus astris
Vghellus, calamo disertus Vrbes
Exarans sobolesque, Præsulesque;
Hinc de tot regionibus meretur
Optime egregius, piusque scriptor,
Ornat qui celebrem sodalitatem,
Qua sacro radiat beata sole
Bernardo, hunc sileat colens Camæna
Diui laudibus eloquentis impar.

FACVLTAS REVERENDISSIMI PRAESIDIS
Congregationis S. Bernardi Italiæ Ordinis Cisterciensis.

NOs D. Galganus Cingardus Mediolanensis Abbas S. Petri in Viridario Papiensis Diœcesis, ac Præses Congregationis S. Bernardi in Italia Ord. Cisterciensis, facultatem concedimus, vt Sextum Volumen, quod inscribitur *Italia Sacra, siue de Episcopis Italiæ, &c.* à R. P. D. Ferdinando Vghello SS. Vincentij, & Anastasij ad Aquas Saluias nostræ Congregationis Abbate peruigili labore compositum prælo committatur, si ijs, ad quos spectat, videbitur. In quorum fidem has litteras manu propria subscripsimus, ac nostro solito sigillo firmauimus. Papiæ ex nostro S. Petri Cœnobio Kal. Iulij 1657.

D. Galganus Cingardus Abbas, ac Præses.

Impri-

Imprimatur,
Si videbitur Reuerendissimo P. Magistro Sacri Apostolici Palatij.

M. A. Oddus Episc. Hierep. Vicesg.

APPROBATIO.

Legi accuratè, ita annuente Reuerendiss. Patre Magistro Sacri Palatij Apostolici, Sextum *Italiæ Sacræ* volumen Reuerendiss. D. Ferdinandi Vghelli Ordinis Cisterciensis Abbatis Sanctorum Vincentij & Anastasij ad Aquas Saluias: Opus est sanè egregium ex penetralibus antiquitatis Ecclesiasticæ erutum, ac utilissimo ac eruditissimo iudicio elaboratum, quod auctoris sui multiplicem doctrinam ac eruditionem redolet. Quapropter ab immensa historiarum congerie, variarumque rerum Ecclesiasticarum lucubratione commendo, ac publica luce, & lectione dignissimum censeo, cum omnia sint tuta, cuncta fidei Catholicæ consona, nihil bonis moribus aduersum contineat. Romæ quarto Idus Iulij 1657.

Ioannes Baptista Marus Canonicus S. Angeli in foro Piscium.

Imprimatur.
Fr. Raimundus Capisuccus Ord. Prædicat. Sac. Palatij Apostolici Magister.

PROTESTATIO AVCTORIS.

CVM Sanct. Mem. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij anno 1625. in S. Congregatione S.R. & Vniuersalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui sanctitate, seu Martyrij fama celebres è vita migrarunt, gesta, & miracula, vel reuelationes, seu quæcumque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem sanctissimus die 5. Iunij 1631. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam, bene tamen ea, quæ cadunt super mores, & opinionem cum protestatione in principio, quod ijs nulla adsit authoritas ab Ecclesia Romana, sed fides sit tantum penes auctorem. Huic decreto, eiusque confirmationi, & declarationi obseruantia, & reuerentia qua par est, insistendo, profiteor me haud alio sensu, quicquid hoc Sexto Tomo refero, accipere, aut accipi ab vllo velle, quam quo ea solent, quæ humana dumtaxat auctoritate, non autem diuina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sedis Apostolicæ nituntur, ijs tantummodo exceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.

SYNO-

PRIVILEGIORVM SVMMA
Pro Impressore Camerali, & Vaticano.

CLemens Papa VIII. Diplomatè sanxit ne quis citra voluntatem Dominici Basæ, olim in Typographia Vaticana Impressoris Sacram Bibliam, Concilia generalia, Epistolas decretales, Libros ad Ecclesiasticum munus pertinentes, ac etiam Sanctorum Patrum volumina; Libros etiam cuiuscumque generis, vel nouiter ab ipso edendos, vel nouis additionibus auctos, per decennium ab editione cuiusque voluminis imprimat, vel impressa venalia habeat. Quod priuilegium Paulus Papa V. peculiari Chirographo in fauorem Hieremiæ Guelfi I.V. D. ac Impressoris Cameralis transtulit, indulsitque. Idem Gregorius Papa XV. Literis expeditis ratum, firmumq. haberi voluit quod violatores excommunicationis latæ sententiæ pœna puniuntur. Quod si in terris S. R.E. subiectis id contigerit, confiscatione etiam Librorum, ac quingentorum ducatorum auri solutione mulctabuntur, vt latiùs patet in literis ipsius Gregorij Papæ sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 21. Octobris 1621. Pontificatus sui anno primo. Ac idem Vrbanus Octauus peculiaribus litteris datis apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 23. Maij 1628. Pontificatus sui anno quinto in fauorem Andreæ Brogiotti Impressoris Cameralis, & Vaticani transtulit, indulsitque. Ac iterum Innoc.X. peculiaribus literis datis apud Sanctum Petrum in fauorem Angeli Balladori, pariter Impressoris Cameralis, ac Vaticani confirmauit sub annulo Piscatoris die 1. Martij 1646. Et tandem omnia supradicta priuilegia, & gratias amplè confirmauit, & indulsit Sanctiss. D. N. Alexander VII. in fauorem Zenobij Masotti, nuper Impressoris Cameralis, & Vaticani, datis literis die 12. Iunij 1655. Pontificatus anno primo.

SYNOPSIS ALPHABETICA
ARCHIEPISCOPATVVM ET EPISCOPATVVM

Qui in hoc Sexto Tomo Italiæ Sacræ continentur.

ITALIA

ITALIA SACRA FERD. VGHELLI

Abbatis Ordinis Cistercienfis.

PROVINCIA XIII.

CAMPANIA FELIX,

Vbi de Metropolitanis Ecclesijs Neapolitana, Capuana, & Surrentina, quæ in ipsa continentur accuratè narratur, deque earum Suffraganeis Episcopis.

A REGNVM Neapolitanum ab vrbe metropoli inferius nobis describenda nomen habet, nonnunquam Apuliæ, interdum etiam Siciliæ citra Pharum appellatum, ad discrimen nempe regni Siciliæ vltra Pharum, quæ est ipsamet Siciliæ insula, cùm nonnulli Principes, qui vtrumque regnum Neapolitanum scilicet, & Siculum posse- B derunt, olim vtriusque Siciliæ Reges vocari voluerint. Tanta est huius regni amplitudo, vt dimidiam penè vniuersæ Italiæ partem, quæ ad Orientem vergit, complectatur. Fines verò sunt ab Occasu amnes *Aufidus*, & Truentus; à Septentrione Adriaticum mare, à Meridie Tyrrhenũ, & Siculum: & ab Oriente Mare Ionium. Præter Latij partem integræ octo Italiæ regiones opulentissimæ, & C amœnissimæ ad hoc regnum pertineant, nempe Campania Felix, vulgò *Terra di Lauoro*, Lucania, siue *Basilicata*, Brutia, sine inferior *Calabria*, magna Græcia, seu superior *Calabria*, Salentina, vulgò *terra d'Otranto*, Apulia Peucetia, nunc *terra di Bari*, Apulia Dannia, hodie *Puglia piana*, & Samnitia, siue *Aprutium*. Multi sunt in hoc regno famosi portus, sinuij, montes, vrbesq; quarũ, XX. Archiepiscopali fastigio cohonestantur; CXXV. verò Episcopali dignitate ornatę sunt. Cæterùm cum plures sint scriptores, tum in antiquis, tum in modernis, qui huius nobilissimi regni Historiam Geographicam descripserunt, ad illos libenter lectorem remittemus, contenti ea tantùm libasse, cum de singulis Prouincijs more nostro in hoc sexto, alijsque sequentibus voluminibus vbertim erit instituta narratio. A Campania igitur Felice huius regni principe & metropoli exordium sumemus, & meritò quidem illa primò accurrit, cùm non solum caput regni Neapolis in ea sita sit, omnium non modò Italię regionum, vt Florus

ſcribit; ſed totius terrarum orbis pulcherrima, felicisſima, amœniſſimaque plaga, ſiue etiam antiquitatem ſpectes, ſiue nobilitatem, ſiue res à priſcis Campanis præclarè geſtas, de quibus Romana Hiſtoria ſæpè cum laude meminit, Felicis encomium tulit (quin & feliciſſimæ apud Strabonem) quo cæteris regionibus antecellere videatur, vbertate agri, amœnitate collium, aëris ſalubritate, opportunitate marium, aquarum perennitatibus, vrbium pulchritudine, oppidorum, portuūque munimentis, auri, argenti, ferri, aluminis, ſulphuris, calchanthi, nitri, ſalis, chalcitidis, cæterorumque mineralium venis, equorum, pecudumque gregibus, ſed ingeniorum felicitate terra felicior, quæ ad omnem artem, liberalemque diſciplinam ficta factaque eſſe cenſeatur. Campaniæ beatam amœnitatem omnes ferè ſcriptores varijs laudibus extollunt. Plinius nobilitate eam laudat *lib.2.c.4.* de qua ad gentilitios errores alludens elegāti ingenio cecinit Coſmus Anicius apud Capaccium.

Natura opus gaudentis eſt Campania,
Campania orbis ſol, ocellus & nitor:
At cuius in tutela ea Dea ſit tamen,
Hac vſque nemo nouit, aut hominum, aut Deum.
At nec repertus qui ferat ſententiam,
Ex æquo iniquus quin repente euaſerit,
Tam pulchra cunctos gemma trans-ver ros egit.
Adiudicat Saturnus hanc pater ſibi,
Quod hic Relligio, Lexque, Honos præſidet.
Splendoris ergò, Imperijque Iuppiter,
Iunoque propter impotentias opum.
Ob arma Mars & bellicoſa pectora;
Ob artes Phœbus, Mercurius ob ingenij
Præſtantiam, cui orbis incuruat caput.
Venus, Cupido, vindicant laſciuias.
Sapientiam orta Pallas è capite Iouis.
Fabrilia Mulciber, Minerua lanicium,
Frugem Ceres; ſuccos Liæus nobiles,
Sexcenties quos mille non capiunt lacus.
Neptunus omni laude præſtantes equos,
Siue quæris artes fluctuantis æquoris.
Nihil denique terris datum à Dijs affatim
Quod non vetus Campania aut ferat noua,
Quin eſt ſatietas, quàm voluptas amplior.

Inter duo igitur felix hæc regio flumina Lirim, & Sarnum poſita eſt, & ad Silarum patebat apud antiquos: in longitudine 30. millia paſſuum, in latitudine varijs in locis pater 30. ad centum millia ambiunt, & ſexaginta: dum virgit ad Septentrionem ſit obuia montibus, quibus Hirpini, Samniteſque excluduntur, dum verò ad Meridiem alluitur piſcoſo mari;

A ab oriente Liris fluuius Campanos, Latinoſque diſterminat. Campaniæ à patentibus cāpis, & telluris in quibus ſedet, nomen inditum, quam etiam Terram laboris dixerunt, vel à Liberinis campis, quos Plinius Capuæ vicinos memorat, vel à bonitate, & proprietate agrorum, qui ad culturam maximè ſunt idonei. Caput regionis vrbs ipſa olim Capua fuit, quæ pulcherrima & fluentiſſima rerum vicissitudinem præſeferens, ſui ipſius nobilitatis ceſſit Neapolitanæ vrbi amplitudinem. Campaniam ſic veteres diſtribuebant apud Capaccium, vt vnam partem Auſones, Arunci, Sidicini & Capuani incolerent; aliam Cumani, & Opici; tertiam Nucerini. In prima regione clariſſima, nouemque oppida Si-
B nueſſa, & Vulturnum, quę maritimam illuſtrabant, habuitq; in mediterraneis præter montes Gaurum, Maſſicum, Falernum, agrumque Campi-telluris, Sueſſam, Aruncam, Cales, Caſinum, Theanum Sidicinum, Venafrum, Calatiam, Calliculam, Trebulam, Caſilinum, Siluam Gallinariam, & Acticulam, quæ propè Capuam, ad Pœnum defecerunt. Secunda Linternum oppidum cum flumine; ad mare habuit Cumas, Miſenum, Baias, Sinum Lucrinum, Auernum, Puteolos, Neapolim, Heracleam, & omnia quæ nobiliſſimo illo ſinu, qui Crater dicitur, continentur: intus verò, Atellam, Sueſſulam, Acerram, Veſuuium montem, Nolam, Pompeios; In tertia littorales vrbes vigebant, Stabiæ, Surrentum, Mi-
C neruæ promontorium, & mediterraneæ, Salernum, & Nuceria. Apud Strabonem maritima Campaniæ ora, quæ ad Meridiem vergit in duos ſinus diuiſa eſt. A Sinueſſa verſus reliquam maris oram ſinus eſt vſque ad Miſenum iuſtæ magnitudinis. Inde alius priore multò maior, Craterem nominant, à Miſeno vſque ad Mineruæ promōtorijs duobus in ſinus morem incluſus. Totidem indè planitiem, quam dicit Samnitum, Oſcorumque, montibus, intercluſam. Tyrrhenos ibi præterea plurimùm viguiſſe, qui duodecim ciuitates incoluerunt, Capuam, Cumas, Puteolos, Herculanum, Pompeios, Atellam, Calatiam, Caſertam, Caſilinum, Vulturnum, Sidicinum. Tribus conſtare finibus ſcribit Volaterranus ad Sinueſſam, ad Miſenum, ad Neapolim.
D Polybius ſic deſcribit; *Siquidem oram maritimam incolunt Sueſſani, Cumani, Dicarchitæ, Neapolitani, ad extremum Nucerini.* Addidit in mediterraneis à Septentrione Calatinos, & Calenos, ab Oriente & Meridie Daunos, & Nolanos, in medijs autē campis omnium olim feliciſſimam ciuitatem Capuam, & dum rerum copiam, fertilitatem, & amœnitatem laudat, non tantum Poëtas aſſerit, ſed etiam Deos de ijs locis eſſe loquutos. L. Florus dum nihil mollius illo cælo dicit, nihil vberius ſolo, nihil hoſpitalius mari, ſubdit, Caietæ portum, Miſenum, & tepentes fontibus Baias, tum Lucrinum, & Auernum, maris oſtia: Gaurum præterea, Falernum,

Maſſi-

Massicum, pulcherrimum omnium Vesuuiũ
Aetnei ignis imitatorem, vrbesque ad mare,
Formias, Cumas, Puteolos, Neapolim, Herculaneum, Pompeios, caputque Capuam,
inter tres quondam maximas, addita Roma,
& Carthagine numerata. Setinos, Cæcubosque agros, Falernos, Calenos, Massicos, Gauranos, Surrentinosque montes intercludit Plinius, Laborinos campos, idque voluptatis certamẽ tenuisse scribit Oscos, Græcos, Vmbros,
Tuscos, Campanos: Sauum fluuium, Vulturnum oppidum cum amne, Linternum, Cumas,
Misenum, portum Baianum, Baulos, Puteolos, Phlegræos campos, Neapolim, agrum
Nucerinum, Surrentum cum promontorio
Mineruæ; colonias Capuam, Aquinum, Suessam, Venafrum, Soram, Theanum Sidicinum,
Nolam, Oppida, Abellinum, A iciam, Albam
longam, Acerranos, Alifanos, Atinates, Alatrinates, Anagninos, Atellanos, Asulanos,
Arpinates, Auximates, Auellanos, Alfaternos,
tum Stabias à Sylla deletas, Tauraniam, quæ
in agro quoque Campano interdicit, & morientis Casilini reliquias. Adiecit Capaccius
Insulas Capreas, Aenariam, Prochytam, Pandatariam, Nesidem, Euplaeam, Megarim.
Cæterùm gens Campana æ cupidissima laudis,
eximièque fortis, ac præ cęteris Regni mortalibus in cultu, victuque, pietate, sapientiæque
studijs & omnis humanitatis, atque elegantię
gloria insignis est. Floruit priscis temporibus
ante Romanum Imperium, ac deinceps eo
florente protulit viros in omnibus sæculis
egregia virtute præditos; Græcorũ deinceps,
Normannorum, Sueuorum, Gallorum sensit
dominium: hoc tempore Hispanorum Regũ
sequitur arbitrium, Protege eiusdem Monarchæ toti Regno Neapoli iuta, legesque scribente. His de Campaniæ felicissimæ amœnitate, vrbium numero, hominumque ingenio
delibatis, sed compendiosè, siquidem habuit
illa multos, & illustres scriptores, Antonium
Sanfelicium, Capaccium & Camillum Peregrinum, aliosque eruditos viros. Iam qui nam
in Campaniæ exordio Christi fidem disseminarint, paucis expediam. Christianam in Campaniæ plaga religionem ab Apostolicis inde
temporibus conditam constat: siquidem
Petrus Apostolorum princeps & vas electionis Paulus primi Euangelij lucem in hanc terram intulerunt, & S. Asprenem ad fidem conuersum Petrus Neapoli; Paulus verò sanctũ
Patrobam suæ peregrinationis socium Puteolis ordinauerunt Episcopos. Priscus Capuæ,
Marcus Atinæ, vel ab ipsis Apostolis, vel ab
eorum discipulis cõstituti sunt Episcopi, quod
in exteris Campaniæ ciuitatibus factum fuisse
probabile est. Ab ipsis Apostolicis temporibus ad Imperium Magni Constantini per annus ferè 300. Episcopalium Sedium distinctionem nullam planè habemus, quod non solum
Campaniæ, sed alijs etiam Ecclesijs persecutionum tempore contigisse constat: nam
difficillimis illis Ecclesiæ temporibus cum

A Episcopi liberam Ecclesiarum administrationem non haberent, Ecclesiasticæ iurisdictionis limites ac fines certos præscribere non licebat, aut positos, & constitutos, ritè seruare
per Præsides ipsis non licebat, sicque sancti
illi Episcopi non tam dignitatis & iurisdictionis suæ memores, aut tuendis limitibus addicti, quàm communis animarum omnium salutis solliciti & charitati, quæ nullos fines
agnoscit, anhelantes ex alia in aliam ciuitatẽ,
prout illos vrgebat necessitas, commigrabant,
vt vbicumque fidelibus omnia boni pastoris
officia rependerent. Pace deinde Ecclesiæ
reddita, diœcesum distinctione per Romanos
Pontifices stabilita, quisque suam agnouit Ecclesiam, instituitque ecclesiasticis disciplinis,
B semel plantatam in Campania fidem, multo
Sanctorum Martyrum sanguine purpuratam;
(quod vel vno Nolano cœmeterio abundè
comprobatur) confirmarunt Campani. Nec
minus secundis, quàm aduersis deindè temporibus auita religio constantissimè seruata;
neque enim Gothorum, Græcorumque temporibus Ariana hæresis, nec sub Sarracenis
Mahumetana, insitam populi religionẽ euulsit, quin potius in hoc regno Campani impio
eorum abrogato ritu, Orthodoxam Romanã
retinere fidem. Illud quoque laudatissimum
est Campanis in Apostolicam Sedem pietatis
argumentum, quod se, ac ditiones suas Summo Pontifici vectigales vltro fecerunt. Episcopales verò sedes Campaniæ vetustissimis
C temporibus eidem Summo Pontifici omnes
immediatè parebant; aliquando Patriarchæ
Cõstantinopolitano aliquæ subiectæ fuerunt,
cuius cum tyrannicam auctoritatem excussissent, tandem ad Romanam Sedem redierunt,
à qua tres ex ijs, Neapolitana scilicet, Capuana, & Surrentina ad Metropoliticam dignitatem fuerunt euectæ, tunc suffraganeorum
Episcoporum ordinatio talis facta est. Neapolitana subiectos habuit Acerranum, Isclanũ,
Nolanum, Puteolanum, & Cumarum Episcopos: Capuana hos accepit sibi subditos Præsules, Atinensem, Aesernienfem, Caiacensem,
Caluensem, Carinolensem, Casertanum, Suessanum, Theanum, & Venafrinum: Surrentina
verò Aquensem, seu Vicoaquensem, Lubrensem, seu Massæ Lubrensis, Stabiensem, seu Ca-
D stelli maris. Cæteri verò Episcopatus Campaniæ iussi sunt sub Romana Sede immediatè
subsistere, de quibus in primo nostro tomo
abundè locuti sumus, non tanquam qui in
Latio siti essent, sed tanquam de ijs, qui ad
vnam Romanam Prouinciam viderẽtur spectare, vniusque Romani Pontificis immediatè subesse arbitrio. Fuerunt præterea antiquitus alij Episcopatus in Campania, qui iamdiu
interiere; Atinæ nempè, vulgò *Atino*. Plures
huius Episcopi numerantur in Martyrologio
Romano, ac inter eos *Marcus* à S. Petro ordinatus, & *Fulgentius* successor Marci, martyrque sub Diocletiano, cuius successores infra enarrabimus. Atellæ Ptol. lib. 3. c. 1. vulgò

S. Arpino. Ex eius Epiſcopis *Primus* ſubſcripſit Concilio Romano ſub Hilario, *Felix* tertiæ Synodo Romanæ ſub Symmacho, & *Importunus* legitur apud D. Gregorium Magnũ epiſtola 53 lib. 7. Indict. 2. Caſinæ M. Varroni lib. 6. de lingua Latina, *Caſſino* dicitur, vulgò, Sede Epiſcopali ornatum fuiſſe locum hunc docet Romanum Cõcilium ſub Hilario, cui ſubſcripſit *Caprarius*, & *Seuerus* Romano ſub Felice. Cumæ Ptol. lib. 3. c. 1. vulgò *Cuma*, ex eius Epiſcopis Ade datus ſubſcripſit Concilio Romano ſub Hil , & Miſenas Romano primo ſub Symma . De huius Eccleſiæ Epiſcopis infra. Formie, Diodorus lib. 4. nunc *Mola*, ex cuius Epiſcopis *Martinianus* ſubſcripſit Cõcilio Romano ſub Felice, & Adeodatus primæ Synodo Romanæ ſub Symmacho. Minturnæ, Strabo lib. 5. vulgò *la Scaffa del Garigliano*, teſte Sanfelicio, *Ruſticus* Minturnenſis Epiſcopus ſubſcripſit Concilio Romano primo ſub Symmacho. Miſeni, Virgil. p. Æneid, vulgo *Miſeno*, *Concordius* huius Epiſcopus ſubſcripſit tertiæ Synodo Romanæ ſub Symmacho. Hormiſdas Papa ſcripſit epiſtolam 9. ad *Peregrinum* Epiſcopum Miſeni. Sinueſſæ, vbi anno Chriſti 303. Concilium coactum eſt trecentorum

A Epiſcoporum: cuius acta interiere. Sinueſſę memorantur Epiſcopi, Martyreſque Caſtus, & Secundinus, Caſti acta quædam Caietana ſeruat Eccleſia. Secundini autem geſta omnia, & tempus, quo floruit, genuſque necis ob ſcriptorum penuriam ignorantur. Vulturni, Liuius lib. 25. vulgo *Caſtel di Botorno*, Paſchaſius Vulturni Epiſcopus ſubſcripſit primæ Synodo Romanæ ſub Symmacho. Cæterùm cum Capua olim Campaniæ caput antiquitate cæteris metropolitanis Campaniæ Eccleſijs, Baronio teſte, anteceſſere videatur, primo hic in loco à nobis deſcribenda foret, ſed cum vrbs, olim pulcherrima, florentiſſimaque, vt Capaccius ſcribit, humanarum

B rerum viciſſitudinem præſeferens ſuæ ipſius nobilitatis ceſſerit Neapolitanæ vrbi amplitudinem, conſultò à Neapoli, non ſolum nunc Campaniæ, verum etiam totius regni metropoli, ac principe, hanc noſtram decimam tertiam Prouinciam, more noſtro auſpicabimur, deinde de Capuana, Surrentinaque Eccleſijs, illarũque ſuffraganeis inſtituemus narrationem, & qua pietate, qua religione, floruerint vbique & ſemper Campani, hauriet prudens lector.

NEAPOLIS METROPOLIS.

Cuius ſuffraganei ſunt

Epiſcopatus
- Cumanus, nunc cum ipſa Metropoli vnitus,
- Acerranus,
- Iſchlanus,
- Nolanus,
- Puteolanus.





NEAPOLIS caput vrbinm Campaniæ, ac Regni totins Metropolis, vna eſt ex primarijs Italiæ vrbibus, ſiue antiquitatem, nobilitatemque ſuam, ſiue amœnitatem, pulchritudinem, frequentiam. que, ſine ciuilem geneis cultum & humanitatem ſpectes; ſita enim eſt loco amœniſſimo, nullius rei idoneæ egens, armis, mercibns, viriſque opulenta, latiſſima eins cæli ſolique facies, hyems egelida, æſtas temperata flatibus maris, tanta rerum copia, ciuium, ædificiorumqne elegantia, vt patriæ obliuionem aduenis inducere opinio ſit. Quales Elyſios campos beatorum ſedes antiquitas finxit, talis terræ, vrbiſque facies Neapolis cælo data eſt, vt non immeritò Paradiſus Italiæ, naturæqne miraculum dici poſſit: tantæqne celebritatis, vt non Regno ſolum; ſed Regibus etiam titulum dederit. Lnnam corniculatam refert, ſpatium amplectitur magnum inter mare, colliumqne amœniſſimorum radices; ad Septētrionem, & Orientem magnificè ædificata, è cuius portu Miſenus, Mineruæque A promontoria, celebreſque antiquitus inſulæ Capreæ, Iſchia, & Prochitæ ſereno cęlo conſpicuæ ſnnt. Parua quidem ſuis initijs, in dies opibus aucta, & ædificijs, muriſque fortiſſimis, propugnaculis, caſtelliſque præſertim munita inexpugnabilis eſt. Circuitus olim eius trium, nunc prolato pomœrio, quinque milliarium. Nunc quidem temporis ciuium, & incolarnm nobilitate, magnificentiaqne non minus, quàm ſtructuræ ſumptibus, atque ædificiorum omnis generis ſplēdore celebris. Fidelium intra mœnia & in ſubnrbijs degentium animæ cenſebātnr ſuper quingenta millia. Cælum nullnm eſt mollius, aut clementius in Italia, bis floribus annuè vernat, ager vndecunque fertiliſſimus, & varietate nobi- B lium fructunm, fontium, aqnarumque ſalnbrium copia, necnon naturæ multiplicibus miraculis abundans. Quæ tam præclaræ dotes in cauſa fuere, vt ſemper hæc ciuitas ab Imperatoribus, Regibus, Principibuſque maximis, atque etiam nobilibus ingenijs freqnētata fuerit: quemadmodū & noſtra hac ætate multi reguli, illuſtres atque potentes viri ſua ibidem habeant magnifica palatia, & ſplēdidas ædes, in quibus plerunque anni maiorem partem degant. Quis Neapolim ædificauerit

uerit, non vna est auctorum sententia, maximè omnium, vt Antonius Caracciolus scribit, probabilis, ac celebris est à Calcidensibus Attica ortis, Cumanisque fuisse conditam, Nimirum ab ijs ipsis, qui profecti Calcide Euboeæ Insulæ vrbe primaria, Cumas Campaniæ primi condiderunt, atque inhabitarũt. In hanc conueniunt Liuius lib. 8. Velleius lib. 1. Plinius lib. 3. cap. 5. Strabo lib. 5. de Vrbibus, & Dionysius lib. 5. Silu. Plinius quidem breui compendio id narrat egregiè his verbis. *Littore autem Neapolis Calcidensium, & ipsa Parthenopes à tumulo Sirenis appellata.* Hoc autem ideo dicit, quod Calcidenses, qui Cumas condiderunt, cum eo loco, vbi nunc Neapolis est, Parthenopes sepulchrum reperissent, nomen eius vrbi indiderunt. Sed Cumani, postquam ob loci vbertatẽ, atque amœnitatem maiusque commodum frequentari ciuitas cœpit, veriti, ne Cumæ desererentur, diruendi Parthenopem consilium iniere. Quo facto mox immani pestilentia vexati, oraculo, vt ferunt, admoniti, vrbem restituerunt, eãque Neapolim, hoc est nouam vrbem vocauere. Sunt de eius ædificatione aliorum sententiæ, quas refert Capaccius lib. 1. Neap. hist. omnium tamen vna est opinio, antiquissimã esse, & ante Romana tempora celebrem inter præcipuas vrbes Græcas Italiæ floruisse Pythagorica Philosophia; in hac enim, vt Strabo auctor est, studiorum causa iuuentus, aut ætate confecti seniores, quietis & otij causa plerunque secedere ab vrbe Roma solent, quemadmodum & Silius Italicus de eadem cecinit dicens, esse

Nunc molles vrbi ritus, atque hospita Musis
Otia, & exemptum curis grauioribus annum.

Constat Titum Liuium Patauinum Historicum, Q. Horatium Flaccum, Statium Papinium, Claudium Claudianum poëtas celebres, Annæum Senecam Philosophum, aliosque innumeros, qui ingenio, scriptisque suis præclaris nomen sibi pepererunt immortale, sæpius studiorum causa secessisse. P. Virgilium Maronem Neapoli diu suauissimè vixisse, atque Georgicorum libros ibidem composuisse legimus: & cum Brundusij moreretur, corpus suum eò transferri, ac sepeliri voluisse, vt & veterum poëtarum plura testimonia suffragantur. Seruius commentator illius, altero lapide à Neapoli via Puteolana prope fauces perfossæ per Pausilipum cryptæ monumentum eius fuisse scribit. Locum nunc ostendunt accolæ. Cæterum crescente per Italiam Imperio Romano, quod se facilius submisisset ea ciuitas, cum Campania subigeretur, inter liberas, atque fœderatas est recepta: quæ deinceps in amicitia fideque Populi Romani constanter permansit, vt Liuius alijque plures testantur. Quin etiam afflictis Annibalico

A bello rebus contra Capuam vicinam, & alias perfidas vrbes, illa Romanis adhærere non solum non dubitauit; verùm etiam legatos Romam mittere, & patenas aureas quadraginta pondo, vt idem Linius pulchrè memorat: immo vires, opes, & quicquid à maioribus thesauri relictum, ad Imperij, vrbisque Romæ subsidium in Curia Senatui liberaliter & ingenuè præsentare voluit. Quibus cum actæ sunt gratiæ pro munificentia, curaque, atque vna duntaxat patera, quæ minimi ponderis fuit accepta est. Itaque propter fidem singulorum, atque perpetuam inter ciuitates Italiæ liberas, & fœderatas Neapolis amicissimè semper est habita, cultaque tàm Consulum, quàm Imperatorem tempori-
B bus. Quæ Capua oppressa, atque Præfecturæ iugo grauata plurimum incrementi cepit, feliciterque diutissimè fidei suæ fructu gauisa est. Neapolitanos itaque in fide & amicitia populi Romani, & Imperatorum constantissimè quandiù licuit mansisse ostendunt idem Liuius, Blondus, Sabellicus, & Collenuicius. Coloniam eò deductam vetusta loquũtur epigrammata apud Panuinum. Municipium fuit, sed suis legibus, & magistratibus vtens, nunquam tamen Romana Præfectura. Inclinãte verò Imperij Romani maiestate, Vrbs primùm à Gothis subacta, & à Bellisario occupata fuit; postea à Longobardis: hisque pulsis, sub Græcorum, & Sarracenorum fuit potestate, inde aliquandiu in libertatem asser-
C ta. Tribunis, Ducibusque administrationem sui concessit vsque ad Normannorum in Italiam aduentum, qui Regno potiti sunt, ex quibus alij successerunt, qui nati Reges, & Principes eius dominiũ arripuerunt. Igitur Neapolis Atheniensium Republica, Romanorum municipio, & Colonia, Orientalium Græcorum Imperio: Normannorum, Suecorũ, Germanorum, Gallorum, Hispanorum Regum corona illustris, non tantum Campaniæ Metropolis facta est, sed Regina Campanis, Picentinis, Hirpinis, Lucanis, Brutijs, Calabris, Salentinis, Peucetijs, Samnitibus, Vestinis, Frentanis Daunijs, inter 12 lacus 148. flumina, 1981. oppidis decorata maxima cum felicitate dominatur. Extant Neapoli anti-
D quorum ædificiorum priscæ reliquiæ plures, Epitaphia, statuæ, cippi, columnæ, aræ, marmora sculpturis artificiosis pretiosa. Ager suburbicarius, vicinique colles amœnissimi sunt & iucundissimi, frumenti, vini, venarum, fructuum, herbarum, florum, rerumque omnium ad hominum, animaliumque necessitatem, voluptatem, delitias facientium feracissimi. In agro circunquaque fertili, præsertim littoreo videre est stupenda Principum, nobiliumque Prætoria. Aedes hæc Vrbs, cum Diuorum, tum hominum habet ornatissimas, arces inuictissimas. Aedes sacras diffusè describit Cæsar Eugenius. Academiam habet Neapolis ab Federico II. Imp. institutam, ad quam studiosorum ex toto Regno magnus se

con-

concursus: Imperator, cum institueret, vt florentissimam redderet, decreuisse legitur non solum, ne quis extra Regnum illud studiorum causa proficisceretur, sed etiam, ne in trinialibus Regni scholis maiores disciplinæ traderétur. Restaurarunt eam Reges Robertus sapientissimus, & centum post annis nonnihil per bella collapsam Alphonsus Aragonus. Incredibile sanè est, quantus Nobilium familiarum præter maiorum gentium sit in hac vrbe numerus. Quum enim tota in suas Curias, vel Basilicas (quæ *Seggi* vulgo quoque Principes, Duces, Marchiones, omnesque reliqui ordines ad consultandum de rebus publicis conueniunt) sit distributa, singulis sua adcensetur Nobilitas. Eam refert Massella, & Ammiratus, atq; de origine & fundatione Sediliũ Neapol. nuper antiquarũ patriæ rerum omnium eruditus perscrutator Camillus Tutinus luculentum commentariũ emisit in lucem, de origine omnium tribunalium Nicolaus Topius Theatinus scripsit, edideitque lib. 4. & Petrus Vincentius de Regni Protonotarijs. Ipsam Vrbem delineant Ioannes Pontanus lib. Hist. 6. & alij. De huius Vrbis ædificatione, delicijs, nomenclatura, de vario Neapolitanorum reipublicæ statu, de Græcis, Latinisque Magistratibus, Collegijs, de Ducibus Neapolitanis, qui Græcorum Imperatorum ætate floruerunt, de Neapolitanorum antiqua religione, ludis, de Thermis, Theatro, cuius adhuc ruinæ visuntur; de Gymnasijs, antiquis bellis, lapidibus, monumentis, quæ extant, de adiacentijs, & vbique delitijs, alijsque rebus huius Vrbis scitu dignissimis egregiè, ac luculentissimè scripsit doctus Iulius Cæsar Capaccius: de quibus etiam Antonius Sulmontes, & compendiariè Leander, Scottus, Hund. Merula, Cluerius, alijque viri clarissimi scripsere. Ortu hanc Vrbem suo nobilitarunt Vrbanus VI. Bonifacius IX. Ioannes XXIII. & Paulus IV. Pontifices Maximi, & innumeri alij sago, & toga illustres Heroes. Fuit etiam Neapolitanus Statius Papinius Poëta, item Sennazarus Virgilij æmulus, cuius domus visitur haud procul à Pausylipo, qui ex testamento in Cœnobium vertit, Templumque B. Virgini dicatum. Est ibi eius sepulchrum marmoreum, cum Petri Bembi Card. Epigrammate.

Cæterùm Christiana fides, sedesque Neapolitana, si qua alia in Italia, antiquissima est, atque clarissima: vix enim post annum decimum, quo Christus Dominus subacta morte in cęlum victor ascendit, Petrus Apostolorũ Princeps, lucem Euangelij Neapolitanis annunciauit, & Asprenem virum illustrem, vnà cũ Candida seniore fœmina sanctissima, alijsque, sacro lauacro regeneratum, primum eius Vrbis ordinauit Episcopum salutis anno 44. eoque in loco, vbi nunc B. Petri Templum est, quod hodie S. Petri ad Aram appellant, Missæ sacrificium celebrauit, vt constans traditio est, monumentisque vetustis confirma-

A ta. Paulus deinde electionis vas, anno Domini 59. cum Puteolis appulisset, Neapolim inuisit, vbi cum tribus fidissimis socijs Luca Euangelista, Aristarcho, Tychico, & plerisque alijs alumnis comitatus, Euangelij prædicatione vberes fructus tulit, Neapolitanosque à B. Petro, & Asprene conuersos confirmauit in fide. Extant, nec incerta de hac re etiamnum monumenta, plurimorumque auctorum comprobata sententia, inter quos nouissimus Lorinus in Act. Apost. *Tradunt*, inquit, *Neapolitani, nec huius rei vestigia obscura demõstrant, ad eos etiam Paulum in transitu diuertisse. Probabile id est, ob vicinitatem, & quia Romam Puteolis tendens, modicè illùc defluxisse*. Præterea ad Neapolitanos Paulum ac-B cessisse, ait Antonius Caracciolus, illudque eo euidentius probat, quod solemne fuerit Neapolitanis vrgente aliqua calamitate, Petrum & Paulum veluti suos tutelares Diuos præcipua veneratione, fideque publica inuocare. De Petri:, Paulique Neapolim aduentu, deque fide ab ijs fundata, constabilitaque in hac ipsa Vrbe, vbertim disserit & eruditissimè idem doctus Caracciolus cap. 3. & 4. de sacris Ecclesiæ Neapolitanæ monumentis; Cum quo libet hic diuina ista Empyrei sydera, quæ Neapolitanis oris fausto iubare illuxerunt, breui, sed nitido Matthæi Cariophyli Archiepiscopi Iconensis, eruditissimi certè viri eleganti carmine celebrare.

C *Sole brumalem repetente metam,*
Et renascentem generante lucem
Lucis aduector, Petrus ex Eois
Appulit oris.
Rursus æstiuam repetente metam,
Lucis & plenum iaculante robur,
Affuit lucis sator, ille calos
Qui penetrauit.
Principes Terræ, fidei Parentes
Gentium sacris spolijs onusti
Dum petunt Vrbem, petiere primam
Parthenopæam.
Primus hic Petrus dedit incruentum
Munus: Asprenum dedit & sacrorum
Præsulem, sancto comitante cœtu
Discipulorum.
D *Capit hinc primum populis salutem*
Italis Paulus resonare Iesum,
Perque Campanos spargere nouales
Semina Verbi.
Gnata sic matrem præit ante nata,
Roma post illam, fidei quod altrix
Vna Syrenas ferat, vt salubres
Parthenopæa.

Post Sanctos Apostolos Christi fidem plurimum iteratis conatibus Neapoli extulerunt eorum inuictissimi alumni, in quibus eluxerũt Asprenus, eiusque successores sanctissimi Præsules Epithamitus, Agrippinus, Eustatius, Euphebius, & Marcianus, Sanctus Potitus, qui adhuc puellus ex Sardica vetusta ciui-

tate

A tate Neapolim aduectus, pluribus infidelibus
conuerſis, rem Chriſtianam mirificè adauxit,
ac ſub ſæuiſſima Neronis perſecutione apud
Aſculum Apuliæ palmam ſumpſit martyrij.
Seruat; Neapolis eiuſdem martyris brachium
in Aede eius nomini dicata. Nec parum in-
crementi accepit à Fauſtino & Iouita Brixia-
nis fratribus, qui, teſte Adone, Neapoli mul-
ta & varia tormenta perpeſſi, vincti poſteà,
ac delati in Mediolanenſi agro glorioſum
martyrium conſummarunt. Chriſtianam
etiam pietatem Neapoli fouit adauxitque
ſua præſentia, vt Galeſinus ex Simeone Me-
taphraſte tradit, inclytus martyr Ignatius,
cum illac pertranſiret, Romam ex Antiochia
trahendus ad pœnas pro Chriſto ſuſtinendas
B anno Chriſti 109. Iuſtinum quoque Philoſo-
phum & martyrem Neapolim inuiſiſſe tra-
dunt. Marianus & Ruſus Neapolitani marty-
res in vetuſtis Eccleſię Neapolitanę Litanijs,
& Kalendarijs leguntur, quorum tamen Acta
nunquam comparuerunt. Quanquam S. Ma-
riano Eccleſia antiquitùs dedicata extiterit,
nunc diruta; Nec defuerunt innumeri alij fi-
dei Chriſtianæ eximij cultores, quos inter lon-
gè clariſſimus fuit martyr egregius Sāctus Ia-
nuarius Neapoli natus è gente (vt fertur) Ia-
nuaria, Epiſcopus Beneuentanus, qui ſuo ſan-
guine patriam, Eccleſiamque ſuam mirificè
illuſtrauit: fortaſſe plures alij Neapolitani pro
Chriſto paſſi recenſeri poſſent, niſi frequens
ſcripturarum veterum naufragium, non modò
C Neapoli, verùm etiam toti Campaniæ inter-
ceſſiſſet, quod ſuorum Martyrum notitiam
abſtulit. Deplorat non ſemel Caracciolus
hanc priſcorum monumentorum iacturam,
quæ Neapolitanam vrbem tot, tantiſque ad-
umbrauit ornamentis. Verùm reddita per
Conſtantinum Magnum Eccleſiæ pace, ſoli-
dioris ſtudio pietatis Neapolis, quamuis exi-
gua ciuitas, cæteras Campaniæ æquauit, tunc
paſſim cœpit ſuæ diœceſis protrahere fines,
opes adaugere, templa, cœnobiaq; ædificare,
ac florentibus ſanctis Præſulibus Romanam,
Orthodoxamque fidem vbique & ſemper illi-
batam ſeruare. Primus autem, qui Neapo-
lim, teſte Caracciolo, regijs, atque adeo magni-
ficis augere ædificijs cœperit, fuit è Nor-
D mannorum Dynaſtis Rex Gulielmus II. re
& cognomine Bonus. Is quippe extructis in
Inſula Saluatoris, & ad Capuanam portam
regijs arcibus, atque intra ciuitatis mœnia
D. Auguſtini ſublimi templo, à Carolo II.
poſtmodum aucto, ſucceſſoribus quaſi proten-
ſo digito demonſtrauit, qua via ad veræ ma-
gnificentiæ laudem, gloriamque pertendere
deberet. Et verò Reges Galli, qui ſucceſſere
Normannis, ijſdem exemplis egregiè inſti-
terunt: quippe qui & Carthuſienſibus Bea-
ti Martini Epiſcopi, & Prædicatoribus Dino-
rum Dominici & Petri Martyris, & S. Franci-
ſci Sodalibus, Diui Laurentij, & Carmelitis
Fratribus Deiparæ Virginis Templa ædifica-
runt, atque vt alia complura ſacra ædificia ab

A ijſdem excitata prętercam, Carolus I. & II.
toti Vrbi, ampliſſimoque Clero Archiepiſco-
palem Baſilicam pręcelſa, & ampla mole ſpe-
ctandum extruxerunt. Coluit antiquitus, vt
Patronos Sanctum Ianuarium ſuum inclytū
Martyrem, Diuumque Agrippinum Epiſco-
pum, quibus dicauit Eccleſias, atque Cœno-
bia. Aſprenem deinde primum Antiſtitem,
tertio loco inter Diuos tutelares repoſuit, ad-
didit poſtea Sanctos Epiſcopos Euphœbium,
Seuerum, & Athanaſium cum Agnello Abba-
te ſanctiſſimo, ac ſancta Patritia. Sanctus quo-
que Thomas Aquinas, Angelicus Doctor, Ec-
cleſiæ iubar, Orbis fulgentiſſimum ſidus, Pa-
trię decus, & ornamentum iure merito inter
huius vrbis Patronos octauum ſibi locum
B vindicauit: ijs additi ſunt noſtro hoc ſęculo
B. Andreas Auellinus Clericus Regularis, at-
que S. Franciſcus de Paula Minimorum Pa-
rens, quorum patrocinio Neapolitana Eccle-
ſia, atque vrbs ad miraculum creuit. Diues
eſt Sanctorum lipſanis, templis, ſacellis, cœno-
bijſque nobilitata, Regum, Pontificum, ac
Principum priuilegijs decorata, adeo vt totius
regni primatum antiquiſſimo iure ſibi vindi-
carit. Infiniti propemodum operis eſſet, ſi
nobiliora templa, oratoria, cœnobia, ad amuſ-
ſim deſcribere velimus, cum propemodum
innumera ſint, quæ à Regibus, viriſque cla-
riſſimis eximia munificentia condita fuerunt.
Sola Virgo Deipara, pręcipua Neapolitano-
rum Aduocata, non vno tantùm, ſed viginti
C circiter ſupra centum, quà templis, quà ſa-
cellis magna veneratione Neapoli colitur.
Alias itidem Eccleſias ducentas ferè numera-
re potes, Dei Optimi Maximi, Diuorumque
diuerſorum nominibus appellatas, virorum
Cœnobia ſupra centum, Sanctimonialium
viginti octo, Clericorum Seminaria ſex. Piæ
Domus mulierū 21. Xenodochia decem, Lai-
corum fraternitates ſupra centum recenſen-
tur. Quadraginta Parochiales Eccleſias ci-
uitas tota cum annexis ſuburbijs complecti-
tur, quarum miniſtrorum opera vltra quin-
genta animarum millia curantur. Igitur, vt
ſcribit Caracciolus, adeò auctam ſacris ædifi-
cijs eſſe Neapolim, vt paucas, & fortaſſe nul-
lam in vniuerſo Chriſtiano Orbe ſit reperire
D ciuitatem, quę maiori Eccleſiarum, Mona-
ſteriorum, ędiumque ſacrarum numero ſit
referta. Mirabile eſt opus, Templum Diuę
Clarę cum Parthenone peramplo à Sancia
Hiſpana Roberti Regis coniuge factum, in
eo multa conſpiciuntur ſepulchra Regum,
Reginarum, regiorum liberorum ex illuſtri
Durrachina progenie. Vetuſtiſſimum eſt
S. Pauli olim Caſtoris, & Pollucis Delubrum.
Inſigne S. Dominici fanum, vbi Regum quo-
rundam, Principum, aliorumque virorum
illuſtrium oſſa ſeruantur: ſicuti Olineti Mon-
tis aliis ſacris delubris Principum, Heroum-
que ſpectantur pulcherrima monumenta. Ce-
lebre Xenodochium extat Templo D. Annun-
ciatæ innixum, magnitudine & ſtructura ampli

oppidi

oppidi inſtar, in quo ſupra duo pauperum millia omnis generis orphani, expoſititij, ægroti, ſenes, debiles aluntur, victitanteque. Sed omnium ſtructura, ornatu, titulo & dignitate præſtantiſſima eſt Metropolitana Baſilica Mariæ Virgini Cælo Aſſumptæ dicata, quam, quod ſedes Epiſcopi ſit (vulgus) Græco propemodum vocabulo appellat Epiſcopium. Eam, vt diximus, Carolus Primus Rex poſt mille annos ſupra vetuſtam illam S. Reparatæ Eccleſiam, Stephaniam nuncupatam, & à Conſtantino Magno conditam conſtruere cœpit. Carolus II. filius ita eam adauxit, vt à pleriſque eiuſdem primus ædificator exiſtimetur. Henricus Minutulus Card. Antiſtes magnificentiſſimus foribus, mirificiſque molibus cumulauit, ſicque ampliata, ornata in antiqui Epiſcopij locum, nomenque ſucceſſit. Oliuerius Carafa, Alphonſus Geſualdus, Deciuſque ex eadem gente Carafa Cardinalis, & ob rerum geſtarũ pijſsimi Archipręſules,& poſt ipſos Cardd. Octauius Aquauiua, Franciſcus Boncompagnus, & is, qui nunc ſupereſt Aſcanius Philamarinus varia, nobilique ſtructione, & ornatu ſacro eximiè condecorarunt. In hac præclariſsima Baſilica præter quamplurima variorum Diuorum oſsicula, vndecim integra Sanctorum corpora requieſcunt, Ianuarij ſcilicet, Agrippini, Acutij, Eutychetis, Maximi Leuitæ, Athanaſij, Laurentij, Aſpreni, Reſtitutæ, Ioannis Epiſcopi, & Beati Nicolai Heremitæ. In religioſiſsimo, pulcherrimoque D. Ianuarij Sacrario, Diuorum ſacrę reliquię plurimæ ſeruantur; Caput ipſius Sancti Ianuarij Epiſcopi Beneuentani & martyris; item ſanguis eiuſdem in ampulla cryſtallina conſeruatus, ſed ob ſiccitatem durus & concretus: quæ quidem Ampulla cum producitur in altari, & capiti martyris, choro preces concinente, admouetur, ſanguis ille, ſtupendum! liqueſcere, ac muſti recentis in modum incipit ebullire, quemadmodũ ab omnibus non ſine magna admiratione quotannis ſpectatur. Alia Neapoli alijs in Eccleſijs Sanctorum corpora requieſcunt. Apud Capuccinos Patres in S. Euphebij Eccleſia tres ſunt Sancti Epiſcopi contumulati, Euphebius, Maximus, & Fortunatus. Apud Benedictinos Monachos duo quieſcunt Diui, Soſius & Seuerinus. Ad Forum-vetus in Diui Georgij, Seuerus Epiſcopus. Apud Sancti Saluatoris Agnellus Abbas: & vt ex Actis antiquæ viſitationis conſtat, ſex alij incerti nominis Diui. Apud virgines ſ[illegible] tas in S. Gaudioſi, ipſe Gaudioſus, & Quodvultdeus Epiſcopi. Item Fortunata virgo, & fratres eius Carponius, Euariſtus, & Priuianus martyres. Mitto alios, maximèque eos, (qui plurimi ſanè ſunt) è veteribus ſepulchris Neapolim aduectos. Cęterùm ſacris in illa nobili Metropolitana Baſilica operantium & miniſtrantium ingens eſt numerus & dignitas, ex ijs triginta Canonicorum ſe offert ſa-

A crum Collegium, inter hos Primicerius, primus Diaconus, & Cimeliarcha numerantur: quos penès adſunt viginti duo Hebdomadarij Sacerdotes. Pręter hos alij diuerſorum graduum, atque indutuum admin ſtri. Hos verò Neapolitanæ Eccleſiæ adminiſtros ordinaſſe Coſmam Neapolis Epiſcopũ, poſt redditam Chriſtiano Orbi pacem, ad exaugendũ Baſilicæ Cathedralis ſplendorem, Syluestro Pontifice annuente, & magno Conſtantino Imp. procurante primùm inſtituiſſe ſcribit Ioannes Villanus lib. 1. Hiſt. Neapol. Ex hoc autem honorifico Canonicorum ordine, præter Cimeliarcham, hoc eſt rerum precioſarum cuſtodem, aliquos etiam Presbyteros, atque Diaconos Cardinales nobili titulo fuiſ-

B ſe olim nuncupatos, ex vetuſtis monumentis, & ſepulchris Canonicorum narrat Caracciolus. Ex hoc præclaro Collegio ingentibus priuilegijs cumulato, Epiſcopi, & Archiepiſcopi plurimi, multi S. R. E. Cardinales prodiere, Summi Pontifices tres, nempe Vrbanus VI. Bonifacius IX. & Paulus IV. aſsũpti fuere. Sancta igitur Neapolitana Eccleſia & inſignis vetuſtate, & Antiſtitum ſanctitate, ac dignitate, Romanorum Pontificum atque Imperatorum, Regumque, qui in Neapolitano Regno rerum potiti ſunt, donationibus, ac priuilegijs, amplitudine & potentia inter clariſsimas, & primarias, non modò Campaniæ, ac totius Regni, ſed totius Italiæ ſedes iure merito cenſeri debet. Ve-

C rùm hæc ipſa Eccleſia, quæ initia, quæque incrementa Metropolitici culminis habuerit, inter Neapolitanarum rerum ſcriptores non ſatis conſtat. Sunt qui ſcribant, Archiepiſcopalem huic Eccleſię dignitatem, vel ante tãtem Magni Gregorij Pontificatũ, vel ab ipſomet Gregorio fuiſſe datam, Nam, inquiunt, Gregorius ipſe apud Gratianum cap. 1. de relig. Domibus, vocat Victorem Neapoli Pręſulem *Archiepiſcopum*; Quocirca doctus vir Aubertus Myręus Eccleſ. Polit. lib. 1. cap. 3. aſſerit (vtique huius ad Victorem Epiſtolæ nixus auctoritate) Archiepiſcopatum Neapolitanum à Gregorio Magno fuiſſe inſtitutũ. Idque ſatis probabiliter (inquit Caracciolus) ſibi videbatur affirmare poſſe, qui ſciret non

D multò ante Gregorij Magni ætatem, uempe poſt Lõgobardorum in Italiam irruptionem, Neapolim Duces habere cœpiſſe. Ducis autem dignitati Socia quodammodo erat Archiepiſcopi dignitas: ſed hæc ſimul congeſta, etſi valdè faciunt ad Neapolitanæ vrbis, Eccleſiæque pręſtantiam, atque amplitudinem oſtendendam, nullatenùs tamen euincunt, Neapolim ęuo S. Gregorij fuiſſe prouincię Metropolim. Etenim titulus ille Archiepiſcopi, qui apud Gratiani Codicem, Victori, affigitur, non eſt manu, aut ex ore Gregorij Pontificis; ſed è calamo oſcitantis librarij, diù poſt ſcribentis, procul dubio prodijt. Non enim habetur iſte titulus in Gregorij Epiſtolarum Regeſto, noſtra ętate Romę re-

co-

cognito, & emendatè procuso. Praterea Duces nō necessariò inferebant in Ciuitates, quarum Duces erant, Metropoliticam dignitatem Ecclesiasticam. Exemplo sint Spoletum, Brixia, Tridentum, & Campaniæ propemodum confine, Beneuentum. Quæ quidem alioquin præclaræ vrbes qnanquam Ducatus titulo à Logobardis Principibus cohonestatę fuerint, non eodem tempore factæ sunt Metropoles, sed diù post. Imò nec Brixia, nec Spoletū neque Tridētum id honoris & dignitatis hactenus assecutæ sunt. Alij opinati sunt ex testimonio S. Vualspurgis Neapolim suum habuisse Archiepiscopum anno Christi 750. quo illa floruit Gregorio III. Pōtifice. Hæc enim in Hodæporio S. Vvillibaldi fratris, apud Canisium tom. 4. var. lect. tradit eum, cum Hierosolyma reuersa esset, inuenisse Neapoli Archiepiscopum. *Nauigantes* inquit, *venerunt ad vnam vrbem, quæ vocatur Neapolis. Ibi erant Vvillibaldus, eiusque Comites multos dies. Ibi est sedes Archiepiscopi, & magna dignitas eius illic habetur.* Sed cum subijciat hæc verba; *Et indè venit ad vrbem Capuam, & ille Archiepiscopus misit eum ad aliam vrbem*: consterque Capuam diù post illa tempora ad gradum metropoleos fuisse euectam, hoc est à Ioanne XIII. anno Domini 968. vt Leo Ostiensis lib. 2. Chronic. Casin. cap. 9. & ex eo Baronius to. 10. Annal. asserunt, fatendum omnino est, aut librarij vitio Archiepiscopi vocabulum pro Episcopo vtrobique fuisse scriptum: aut B. Vualspurgem, vtpote in Anglia natam, & rerum Campanarum ignaram existimasse & scripsisse Archiepiscopos, qui erant Episcopi; Alioquin huius dignitatis profectò meminisset, & Chronico suo id Neapolitanæ Ecclesiæ decus adnotasset Ioannes Diaconus, longè Vualspurge posterior, si Neapolis sua ætate habuisset Archiepiscopos. Volunt alij Neapolim honorarium titulum Archiepiscopi habuisse à Constantinopolitano Patriarcha ex Leonis, cognomento Philosophi, Græcorū Imperatoris auctoritate, vt liquet ex dispositione eiusdem Leonis, à Leunclauio edita to. 2. Iuris Græco-Romani, vt Myręus refert, Notit. Episcop. inter Archiepiscopos, Patriarchæ Constantinopolitano, ea ætate subiectos, adnumerari Archiepiscopum Neapolitanum, & post eum Archiepiscopum Messanensem in Sicilia. Hoc factum confirmat Io. Diac. in Chron. in Sergio Episcopo, qui vixit sub Leone Philosopho; sed subdit Ioannes Sergium correptum fuisse à Romano Pōtifice, tituloque honorario Archiepiscopi vltro se abdicasse. Nusquam id dignitatis nomen Archiepiscopi, in publicis tabulis datum Neapolitanis Præsulibus, sed Episcopi tantū reperimus, vsque quo à Romano Pontifice legitimè illud obtinuerunt post annum 968. vt dicemus. Caracciolus tandem putat non ante Ioannis IX. Pontificatum Neapolitanā Ecclesiam fuisse ad Archiepiscopalem Sedem

A euectam, sed ab ipsomet Pontifice Ioanne circa annum salutis 904. eam accepisse dignitatem: id namque tradidisse affirmat Ioannem Monachum illorum temporum auctorem, qui scripsit Auctuarium ad M. S. Chronicon Authberti Abbatis Monasterij S. Vincentij ad fontes Vulturni siti, quod se legisse ait, cum esset Romæ, per paucas horas illi accommodatum à Constantino Abbate Caietano; nil præterea dubitandum habet, quin hoc tempore, eoque Pontifice Ecclesia Neapolitana fuerit ad metropoliticam dignitatem euecta, cum in Catalogo Romanorum Pontificum, quem Ioannes iste Monachus lib. primo præfixit, habeatur de Ioanne IX. *Iste Neapolis, Beneuenti, & Capua Archiepiscopos fecit.* Ego quoque vidi, ac non

B semel perlegi illummet vetustum Codicem apud eundem bon. mem. Abbatem amicum nostrū eruditumq; virum; sed cum in Codice illo sub Paschali II. Papa anno 1100. scriptum Auctuariū repererim à Ioanne Monacho, videtur gratuito calamo, ne dicā oscitantia Monachi irrepsisse errorem, cùm Paschalis Pontificatu, dum Auctuarium illud scriberet, & Chronicon fortasse exscriberet, in iis Ecclesiis præessent Archiepiscopi, non Episcopi, quamobrē Archiepiscopos eos vocauit, credens tunc etiam sub Ioanne IX. Archiepiscopos præfuisse. Longe post Ioannis IX. Pontificatum, Capua sub Ioanne XIII. vt semel diximus, anno 968. exornata est Archiepi-

C scopali dignitate, Beneuentum verò sequenti anno ab eodem Ioanne XIII. Metropolis facta est: & Athanasius huius nominis III. Episcopus Neapolitanus in litteris ad Ioannem Abbatem S. Seuerini scriptis anno 937. non semel se profert Neapolitanum Episcopum, seque in fine ita subscripsit † *Athanasius Sancta Neapolitana Ecclesia Præsul subscripsit.* Idem Athanasius anno 960. 8. Kal. Nouembris, Ind. 4. in diplomate ad fauorem Monasterij SS. Festi, & Desiderij cuso habetur: *assentiente domino Athanasio tertio Dei gratia Sancta Neapolitanæ Ecclesiæ Episcopo.* cui idem Præsul subscripsit. † *Athanasius Episcopus consensi ita, & subscripsi.* Chioccarellus in Catalogo affirmat, hoc Neapolita-

D næ Ecclesiæ accessisse decus anno 962. primumque Archiepiscopum fuisse Nicetam Athanasij in Episcopatu successorem ex quadam nota monumenti cœnobij S. Sebastiani; sed documentum non affert, neque illum authographum esse confirmat, fortasse, qui exscripsit posterioribus sæculis ignarus, titulum ampliauit Archiepiscopi, vel Nicetas græcanici nominis Præsul, Græcus fuerat à Cōstātinopolitano Patriarcha, atque adeo auctoritate Romani, & Basilij Imperatorum Orientis in Neapolitanam Ecclesiā intrusus, more Græcorum, titulum Archiepiscopi sibi vsurpauit. Plerique tandem hoc Ecclesiæ Neapolitanæ accessisse ornamentum putant sub Ioanne Papa XIII. quod mihi valde proba-

bile

bile videtur, quo anno præciſo non affirmauerim. Nam certè conſtat, teſte Baronio, primam omniũ Eccleſiarũ Archiepiſc. dignitate illuſtratam in Neapolit. Regno Capuanã fuiſſe Eccleſiam anno 968. Neque intermiſerim adeſſe ſcriptores qui tradiderunt ante annum ſalutis milleſimum Neapolit. Eccleſiam non habuiſſe Archiepiſcopalem titulum, primumque eius Sedis Archipræſulem fuiſſe Sergium, qui primus eo titulo in publicis monumentis ſubſcriptus reperiatur: de quo ſuperſedeo, tametſi Archiepiſcoporum noſtra ſeries à Sergio poſt annum milleſimum ſuum accipiat certum exordium: quibus ſuffragari tunc cœperunt Cumani, Acerrani, Iſchlani, Puteolani Epiſcopi, quibus deinde acceſsit Nolanus. Sunt qui ſeptem recenſeant, vt Caracciolus obſeruat, Nolanum, nempe Acerranum, Puteolanum, Iſchlanum, Miſenatem, Cumanum, Atelanum, ſiue Auerſanum. Aubertus autem Myræus ex veteri Cod. Prouinciali, ſex numerat, Auerſanum (quem tamen aſteriſco notat, quod exemptus ſit) Nolanũ, Puteolanum, Cumanum, Acerranum, Iſchlanum. Henricus Bacchus, ſiue quis alius auctor Deſcriptionis regni Neapolitani toties euulgatæ pauciores attribuit, videlicet Nolanum, Puteolanum, Acerranum, Pythecuſanum, ſiue Iſchlanum. *Ego vero* (verba ſunt Caraccioli) *diſtinguenda eſſe tempora arbitror, vt hi Scriptores vtcunque conciliẽtur. Antiquitus Neapolitana Eccleſiæ plures Epiſcopi attribuebantur, nunc pauciores. Nam ante quadringẽtos circiter annos, nempe antequam Cumæ, Miſenus, & Baiæ ciuitates, quas ſupra memoraui, in parietinas abyſſent, iterum etiam Ciuitatum Epiſcopos ſibi Suffraganeos, Neapolitanum Archiepiſcopum habuiſſe, ex D. Gregorij Epiſtolis, atque ex veteri codice Prouinciali, videtur colligi poſſe. Poſtea verò quàm ea exciſa ſunt vrbes, auguſta illa, & perampla ditio reſtricta aliquando fuit. Sed quantum multitudinis hominum Prouincia Neapolitana ob iam dictarum ciuitatum clades amiſit, certè non modo par, ſed decuplo etiam maior numerus vrbi Neapoli poſtea acceſſit ciuium, & incolarum. Habeant igitur ſibi Capua decem, & Beneuentum viginti Comprouinciales Epiſcopos: Vna noſtra Neapolis vtrãque exuperat Prouinciam; non ſolùm magnificis ædibus, & maris, terræque delicijs, ſed celebritate etiam, & frequentia populorũ. Nam metropoles illæ ſuis ciuitaculis eminùs poſitis laxè ambiunt, Neapolis autem multas, vt iam dicam, ciuitates, pomœrio ſuo ipſa ambit & claudit; vt quod de Roma dictum eſt à Polemo Sophiſta, de Neapoli* nunc veriſsimè dici poſſit, *Multæ vrbes in iſta vrbe.* Iam verò proſequitur ille, ſec. 12. c. 1. *de præſtantia Eccleſiæ Neapolit. ſi libeat vrbis huius inclytæ excedere mœnibus, & Eccleſiæ Neapolitanæ amplitudinem, quâ Diœceſis latè patet, inſpicere, eius profectò præſtantia, gloriaque magis, ac magis eluceſcet. Quippe quæ quinque & quadraginta oppidis præſidet, veluti ſupra colles, cliuoſque minores mons ſublimis, rutilum attollens caput. Legimus Theodoretum Cyri in Syria bonum, ac doctũ Epiſcopum, vt ditionis, cui præerat, amplitudinem, ac proinde ſuum fructum operæ, & rectionis grauiſſimum onus, Leoni Magno, Romano Pontifici declararet, octingentas* παροικίας *ſe habere ſubiectas: Quam Græcam vocem, alij oppida, aut vicos, alij vt in* Concil. *Aucyran.* Can. 18. *acceperunt, Eccleſias interpretantur. Eiuſmodi videlicet Eccleſias quales hodie Parochiales appellamus. Et* (*quod verum & magnum decus eſt*) *certiorem ille fecit Summum Paſtorem, omnes illas populorum turmas, octingentis oppidis, ſiue parœcijs vix comprehenſas, eſſe Catholicas; hoc eſt Romanæ Religioni addictas, nihilque zizanij, quod Marcio Hæreſiarcha inſperſerat, ijs terris remanſiſſe. At verò, ſi res iuſto iudicio ponderetur, hæc ipſa certè laus Neapolitanæ quoque Diœceſi tribui debet. Compertum quippe eſt ſolam propemodum ciuitatem Neapolim, vtpote, quæ ampliſſimo ſuo gremio, ſexcenta circiter Chriſtianorum millia continet, omnes illas Cyrenſis Diœceſis parœcias, ſi nunc extarent, explere poſſe, & forſitan ſuperare. Quis verò præterea numerando recenſeat, Neapolitanæ vrbis, ac Diœceſis Presbyteros, clericoſque, & religioſorum Virorum, ſacrarumque Virginum capita penè innumera, diuerſis ordinibus, veſtibus, inſtitutiſque diſtincta. Tradunt Neapolitana Diaria Paſſari ad annum* 1494. *in Ferdinandi primi regis exequijs celeberrimè actis, adfuiſſe è Regni Prouincijs accerſitos quinquies mille Monachos, Presbyteros verò, Clericoſque quatuor millia, Abbates circiter mille. Magnum ſanè numerum, & vix credibilem! At verò id & credibile & certum eſt, ſi hoc tempore eiuſmodi funebrem celebritatem fieri contingeret, non fore opus defatigare tabellarios, & è longinquo aduocare eccleſiaſticum cœtum. Vna Neapolis cum ſua Diœceſi totidem extemplò producere poſſet viros religioſos, totidemque Clericos, ac Preſbyteros ſæculares. Quinimmo* (*ſi me non fallit exiſtimatio*) *haud fortaſſe pauciores, quàm illa Thebaidis ciuitas Oxyrynchus, quã XX. M. ſacras virgines, & X. M. Monachos à Rufino Monacho presbytero traditur habuiſſe, lib. 2. de vit. Pat. cap. 5. Vniuersè autem feraciſſima quidem hæc regio eſt, omne genus frugum, ſed nec minùs ferax eſt hominum, ſiue nobiles cenſere velis, ſiue plebeios. Et tamen quaſi paucos pariat, aloſque populares, brachia hinc inde exerit hæc noſtra Syren, quibus prætereuntes, & prænauigantes ad ſe vndique alliciat, & complectatur. Nunquid enim turgida quædam & papillata diceres ubera amœniſſimos illos colles, Pauſilippum, Mergellinen, Antinianum, Conicli, Capimontium. Dicam cum Plinio, Italiam, & tu*

pri-

primis Campaniam collandante lib. 3. cap. 5. A *Quid tota ea vitalis, ac perennis ſalubritatis cæli temperies? Quid fertiles illi campi, aprici colles, innoxij ſaltus, opaca nemora, munifica ſyluarum genera? Quid tot montium afflatus, tanta frugum, & vitium, olearumque fertilitas? Quid verò Pagi, Oppidaque circa Neapolim ſita? Quid fertiliſſimus ager? Quid Neapolitanæ Diœceſis latiſſimi campi placidiſſima littora? Nonne latantis quodam naturæ riſu, delicijſque blandis, & vicinas, & remotas gentes inuitant? vt huc veniant, hic maneant, hic quietè, ac placidè conſeneſcãt?* Hactenùs ille. Nobis verò de Neapolitanæ vrbis ſolo, Eccleſia, Diœceſi, præſtantia, nobilitate, amœnitate, cæteriſque dotibus dicta ſufficiant qui pleniorem eorum cognitionem B cupierit, eundem conſulat Caracciolum, Iulium Cæſarem Engenium in Neapoli ſacra, Capaccium, Antoninm Sanfelicium, cæteroſque qui de hac vrbe diffuſius ac vberius ſcripſere. De Neapolitanis Epiſcopis ſcripſit Ioannes eiuſdem Eccleſiæ Diaconus in Chronico, qui vixit temporibus S. Athanaſij Epiſcopi, cuius præclara geſta narrando, Chronici ſui finem fecit. Petrus Subdiaconus circa annum 1200. continuauit, poſt hunc Ioannes Villanus, & Ioannes Antonius Summontes. De Sanctis Epiſcopis, qui in hac Eccleſia floruerunt, luculenter, & eruditè ſcripſit idem doctus, & parcè laudatus Antonius Caracciolus, Paulus Regius, aliique. Nouiſſimè Bartholomæus Chioccarellus prolixum C Catalogum emiſit in lucem, ſed non ea quidem felicitate, & eruditione, vt Caracciolus fecit. Ab ijs ergo, alijſque auctoribus, ac M.S monumentis hanc noſtram ſeriem protulimus. Porro menſæ Archiepiſcopalis huius Eccleſiæ annuus cenſus ampliſsimus eſt duodec m millium ſcutorum; taxatur verò in libris Cameræ Apoſtolicæ ad florenos bis mille.

NEAPOLITANI EPISCOPI.

I. S. ASPRENVS, ſiue Aſprenas, alijs Aſpren, Neapolitanus ciuis, Romana nobilitate illuſtris, morum integritate, ac patientiæ conſtantia conſpicuus, quippe qui Præturâ Neapoli perfunctus fuerat, & æger in lecto annos 20. egerat, a B. Petro Apoſtolorum Principe cùm Romam contenderet, ſatagente Candida ſeniore vetula honeſtiſſima, quæ Apoſtolum hoſpitio exceperat, ab eoque ad Chriſtum conuerſa, tactu baculi, quo Sanctus ſuſtentabatur, infirmitate curatus eſt, ac ſacro baptiſmate cum Candida initiatus, primus Neapolitanæ Eccleſiæ ordinatus eſt Epiſcopus anno ſalutis 45. Aram non procul ab vrbis mœnijs; vbi ſacrificia Idolis immolari conſueuerant, in qua Apoſtolus primum ſacrum fecerat, dedicauit, cui deinde, extructa Eccleſia S. Petri ad Aram Neapolitani nomen indiderunt; iuxta quam S. Candidã, cum diem ſuum ſanctiſſimè obiiſſet, tumulauit anno Chriſti 78. Oratorium alterum cum cella conſtruxit Aſprenus in honorem Beatiſſimæ virginis Mariæ, quod poſtea S. Mariæ de Principio dixerunt, ibi primùm effigies eiuſdem Deiparæ depicta erat, vbi deinceps Neapolitani in memoriam primi ſui Epiſcopi pomœrium, & domum cum Eccleſia excitarunt, vt ſucceſſores Antiſtites incolerent, D quam Stephaniam nuncuparunt, quæ poſtea maior Eccleſia, & Epiſcopium fuit. Ipſe vero Aſprenas cũ Eccleſiam ſibi creditã Euangelij prædicatione, fidei Chriſtianæ præceptis firmaſſet, multa perpeſſus, ac innumerabiles gentiles ab idolorũ cultu ſacro fonte expiatos Chriſto regeneraſſet, clarus meritis, clarusque miraculis beato fine quieuit 3. Non. Auguſti anno ſal. 79. præſulatus ſui 33. ſepultus in oratorio quod ipſe conſtruxerat, cuius glorioſum corpus ex eo deinde in metropolitanam tranſtulerunt, ſub altari eius nomini cõſecrato honorificè aſſeruatur, vbi hæc verba in marmore leguntur.

HIC

HIC IACET CORPVS S. ASPREN PRIMI EPISCOPI NEAPOLITANÆ CIVITATIS ET CONFESSORIS.

Gesta & acta Asprenis fusè habentur in mm.ss. codicibus vetustissimis in maioris Ecclesiæ thesauri sacello. Extat quoque alia fusior eiusdem historia in Canonicorum archiuio Cathedralis, quam verbatim recitat Ciocearellus in Catalogo; cuius etiam vitam conscripsit Paulus Regius Episcopus Vici Aequensis lib.2. de SS.Regni Neapol.Ferrarius, Antonius Caracciolus de sacris Neapol. Eccles. monumentis cap.6. de quo etiam in Actis S. Candidæ apud eosdem. Cuius etiam meminit Martyrol. Rom. Baronius prim. tom. Annal. ad annum 44. recolit nobilia antiquitatis monumenta, & celebrem memoriam, quæ Neapoli remansit in eo loco, in quo Petrus cum suis Missæ sacrificium celebrauit, de quo etiam Petrus Galesinus, Volaterranus, Guilelmus Eysengrenus in Eccles. Historia. Laudanus in Apologia pro Missa, aliique tum domestici, tum externi auctores de Asprenate plura scripserunt. Sed visum est etiam hic referre Aspreni vitam, quam Alberius quidam Petri Neapolitani Archiepiscopi iussu circa annum 1230. conscripsit, cuius exemplar extat apud me.

De S. Aspren Neapolitano Episcopo Incipit Prologus.

Sanctissimo, ac reuerendissimo Patri Petro Albericus filialis obsequij famulatum. Sanctitatis tuæ religio tanta est, religionis tanta, Pater celebrande, præstantia, vt ei obtemperare nolle sacrilegum sit: eamque vel ad modicum contristare velle, capitis cõmoti sit phrenesis, & cordis vecordia, mentisque dementis, ac furentis insania. Rursumque non meriri se quemque, onusque, quod robore non æquet virium velle subire, quid est aliud cuique, nisi vt oppetat appetere. Et hoc quid? nisi extremæ furore dementiæ insanire? quà igitur euadendi esse poterit exitus? quis erit fugæ? quis exemptioni locus peruisus? Et tuis Pater imperatis non obedire crimen, & cum tu ea imperitas, quæ nostri roboris supergrediuntur vires, obedire eia nostri est casus, ruinæque discrimen. Si igitur non obediero, contumaciæ me stigma depinget; si obediero, cum id, quod alienum est conabor inuadere, præsumptionis offendiculum, ac scandalum temeritatis pes meus per abrupta gradiendo impinget. Hoc igitur modo & obediens esse cogor, & inobediens. Impetra enim Pater sancte instanti importunitate, importunaque instantia; quatenus ea, quæ de sanctæ Neapolitanæ Ecclesiæ Antistite primo, primique & maximi inter duodecim primitiuæ Ecclesiæ Senatores, Simonis videlicet Petri, laterali, & inter intimos aggrega- A to discipulo, sancto scilicet Aspren; quatenus, inquam, ea quæ de hoc sancto viro breuiter, & inculto, corruptoque sermone in tomo chartæ mihi exarata dedisti, stylo diffusiori, atque excultiori prosequi curem. Et vsque adeo tanti Præsulis, seu gesta, seu laudes, seu signa ad Christi laudem, ac Præsulis in Christo honorem protendere & dilatare desudem, vt ad nouem competentia magnitudinia lectiones ea possint sufficere scripta; cum eiusdem Antistitis annua plebs Neapolitana recolendo excolit, & excolendo recolit natalitia. Cogunt itaque imperia tua infantem fari, & perorare mutum. In verba eum diserta, facunda, & expedita exire, cui vix dum, immo cuimuerò cui necdum concessum sit balbutire. Cogitur ad dominationis B tuæ iussum in Ionio mari officium gubernatoris implere, qui in lacu nondum didicit clauum regere. Et qui leui planitiæ morose superambulans naturæ imbecillitate sæpenumero compellitur ruere, per montium abrupta ipso primo impetu petiturum imperitas currere, & verbis expolitia luculentis, & oratoris iubetur dare laudes magnifico Præsuli, cuius expeditissimi, & in summo otio constituti verba, non verba, & litteras illiteratas fabula conspueret, & respueret.

Quoniam igitur, seu in alterum me non delabi foueam prorsus est impossibile, quoniam quoque in manibus est mea optio, in quam præeligam, malimque decidere eam C ad lapsum, casumque meum foueam decreui seligere, quæ suspensior, & stationi confiniot, valeat cadentem suscipere. Tolerabilius esse ratus tanti Patris obediendo mandaris macula notari audaciæ, quam inobediens existendo nefas incurrere contumaciæ.

Aggrediar itaque, Pater sancte, aggrediar ad imperium tuum grandia pusio, diuina homuncio fari, qui vix dum mutio, sine calami instrumento, seu pennæ apicibus pergamena depingere, & sine stylo ceras in litteris exarare, transilire naturam posse vltra posse, ipsum meipsum longè exuperare. Potentia sunt tamen Aspren merita, potentes & Petri preces. Hæc & præstantiora hiaab eius, præ cuius oculis adepti sunt gratiam omnipotenti clementia, & clementi omnipotentia impetrare. D Tuis itaque, Pater oties beatissime, iussionibus obsecundans, eorum, qui declamatoriè in Ecclesia plebem alloqui consueuerunt, nitor exequi morem. Et in sancti Confessoris præconia ea quæ ipse exarata dedisti, stylo alio intermisceus ad nouem quantitatia mediocris Lectionum distinctiones, qualemcumque conabor eructare sermonem. Et quia synonyma laudibus præconijs alludunt, quàm maximè Ioannem illum ore aureum æmulans ad calcem historiæ per synonyma laudes decreui sancti Præsulis texere, & per exornationem illam, quam expolitionem Rhetores nuncupant, quæ pauca admodum sunt, plura extendere.

Incipit vita, & obitus eius.

De Primo Neapolitanæ ciuitatis Antistite locuturi, dilectissimi fratres, vnde exordium congruentius, vndè acutius, vndè commodius nostræ sumemus orationis principium, quàm ab eo, qui de seipso in Euangelio voce veridica protestatur: Ego, inquiens, principium qui & loquor vobis. A principio igitur de principio Domino videlicet Iesu Christo, qui sicut Deus de Deo, lumen de lumine: ita quoque principium de principio fides arguit, astruitque catholica narrationis eius optimum potissimumque fore duxi exordiri principium, vt ab eo Pontificis nostri historia sortiatur, sumatque exordium duci, nec ad finem induci potuit, quod non habuit, sumpsitque exordium. Et in ea petra fundamentum firmitatis stabiliat struenda, ad memoriam, famamque Præsulis torris narrationis, in quo stabiliuit, ac fixit Præsul fidei solidissimæ fundamentum, & totius machinam validissimam actionis. Verbum igitur dilectissimi, quod in principio erat, & apud Deum erat, & Deus erat: sicut sancta fide vestra nullatenùs ambigo, Caro factum est, & habitauit in nobis. Visaque est gloria quasi vnigeniti à Patre plenna gratia, & veritate. Tantaque erga generis nostri naturam amoris intimi flagrauit dilectione, vt eam sui admirabilis, arcanique mysterij Sacramento indueret, eamque sibi, non se illa, non illam se confundendo, sed in eandem se illi, illamque sibi personam viuendo coniungeret, eamque vnus, idemque Emanuel, & Altissimi filius & virgunculæ pignus: haberetque masculi ignaram matrem, & fœminæ nescium patrem. Cumque virginalis vteri claustrum metis coërcitum minimis, se breuissimia angeret, quem Orbis vndique circumfusi ampla immensitas & immensa, nimisque spatiosa amplitudo non caperet. Hisque quo fonte viuo superni, cælestesque spiritus epotantur, stillantis lactis guttas tenues bibere; cibus Angelus reficiens esuriret: summum, æternumque gaudium, summi, æternique parentis ore infantili vagiret: Verbum Altissimi balbutiret: sapientia parenti Deo coëterna sapientia & ætate proficeret: Virtus Dei ex itinere fatigium, lassationemque susciperet. Et quæ ad fatigium non pertigerat librando aëra, fundendo maria, tendendo cælos, fundando terram, fatigaretur. Proh miraculum ingens, ambulando per terram, essetque vnus & idem, licet non ex vno, & ex eadem, qui à quamplurimis visus, videretur à nemine; pateretur non patiens, moreretur non moriens, angustijs correpti, breuissimique oceluses tumuli non clauderetur circumquaque diffusi in immensum producta, & spatiosa latitudine mundi. Peractia igitur, pro quibus venerat peragendis, humanæ salutationis ac reformationis, arcanisque mysterija: qui, iuxta illud Dauidicæ vaticinationis oraculum, à summo fuerat egressus cæli, ad summum est regressus cæli. Ne verò adoptati fratres, amici vnanimes, clientes fidei, selecti discipuli super magistralis corporis subtractione prolixioris tristitiæ, exuberantiori absorberentur mœrore, eam, quam Deus dignatione spontanea, & magistrali, immo paterna beneuolentia fecerat, haudquaquam oblitus, promissionem ab ascensu mirabili, & stupendo diem decimam hora tertia percurrente, à paternæ sedis solio alium eis Paraclitum, alium delegat Consolatorem, cuius viribus roborati, fulti dextera, freti potentia, duodenaria distributione, orbem sibi dispertiuntur quadrifidum.

Petijt igitur Ioannes Asiam, Andreas Achaiam, regionem aliam alius, atque alius aliam.

Simon autem Petrus, Ioannis filius, cui à Præceptore nomen inditum est, post fundatam sanctæ, veræ, diuinæque religionis Ecclesiam Antiochiæ, summum Orbis apicem Romam scilicet petens, fines maturiùs visere properat Europæ. Dum igitur ad Orbis apicem apex Ecclesiæ, dum ad vrbium primam Apostolorum primus tendit ire, dispositionis diuinæ nutu vrbis propè Neapolitanæ mœnia eum contigit pertransire; vbi anhela longi, prolixique lassus, atque defatigatus confectione itineris; dum se in loco (cui ad Aduam incolæ fecere nomen) exhiberet residentem: ecce, disponente Deo, quandam, haud procul mulierculam marcentia iam senij vetustate effœtam, transitum conspicit facientem. Aduocat igitur mulierculam Petrus, quærit aduocatæ vocabulum, sciscitatur præterea, pro more aduentantium, de ciuitatis statu, de ciuium habitu, de forma morum, de qualitatibus animorum. Quæ eis iura, quæ leges, quæ legum cæremoniæ, quæ in Deitatis cultura deuotio, quæ in pietate religio, quis feruoris zelus, quis formidinis metus; quæ disciplinarum scholæ, quæ exercitia. Quàm maiestant ibi Prælati, quàm obsecundantes subditi, si mens eadem, si non voluntas diuersa, si par, idemque consensus plebis, & optimatum viribus magis, an mage consilio, an æquè illis istoque confiderent. Verum ad extremum paternarum traditionum, & vetustatis inolitæ rigidi essent, & inuertibiles defensores. An alicuius nouæ sectæ, si eam ratio inconuincibilis roboraret, proni fierent, ac mollibiles susceptores. Præbetur super his & super huiuscemodi percontatis à muliere conueniens, conducibilisque responsio. Quid pluribus? per verborum diuortia ad Verbum Patris, quod Christus est, digressione congrua Petrus transitum fecit, & vnde, quo delegante, quàm maturè ad vrbem, quid ferat commodi vniuersis, quàm noua, quàm inuisa, quàm inaudita, quàm salubria, quam felicia, quàm postremò cælestia, & diuina temporibus tunc modernis emerserunt, seriatim adaperit. Qualiter homo in ipsis

crea-

creationis ſuæ primordijs obedientiam creatori denegans ſuo, à recto callis tramite, arbitrij liberi voluntate ſpontanea deniarit. Qualiter perdeuiabo in deuia, per mala in peiora, per peiora in peſſima, obcæcatis aciei interioris luminibus ad id vſque temporis, ne momenti quidem intermiſſo atomo oberrarit. Qualiter ad hos erroris humani laqueos exoluendos rerum parens omnium Deus ſapientiam propriam humanandam in fœminam cælitus deſtinarit, quibus mirificentijs, quibus ſignis, quibus operum poſtremò prodigijs ſe eadem Parentis omnium virtus & ſapientia declararit. Quod denique cum ſapientia eadem inter duodecim, quos ſuo lateri aſciuit clientulos dignatione miræ beneuolentiæ in familiariſſimum ſibi, & in duodeni cœtus primum apicem, & ſummum Principem adoptarit. Quod ad extremum largæ munificentiæ, munificæque largitatis, per gratiam ad illius nominis inuocationem ſe ipſum quoque reddiderit patrandorum compotem, valentemque ſignorum. Ad quod dictum cum perueniſſet Petrus; cum, videlicet, patrandis, peragendiſque ſignis ſibi commemoraret ineſſe efficaciam, Vetula haudquaquam paſſa eum vlterius protendere greſſum verbi, rupit ipſa vincula ſilentij, & ait; In hoc vno cæteræ veritatis progreſſa ducatu tenebo certa, credam indubia; ſi eius, quem tantis efferis præconijs, nomine inuocato, doloribus ſolutis in nihilum mihi capitis plenè fuerit ſoſpitas reſtituta. Tunc nil moratus Petrus: In nomine, inquit, Paterni Verbi, quod ardua cælorum tetendit, quodque diffudit aëra, quod terram ſtrauit, quodque produxit maria, quod denique in naturam noſtram, quam ad ſuæ ſimilitudinis ſpeciem, imaginemque plaſmarat, tantæ, tamque incomparabilis flagrauit dilectionis amore, vt eam ſibi copularet, connectens in eiuſdem vnitatem perſonæ. In huius, inquam, nomine imperiali tibi, qui hanc crucias vetulam morbe peſtifer præceptione edico, effuge, euaneſce, diſſoluere, & euacuare in nihilum. Et id ita vt ne perexigui quidem ac minimum te muliebri capite inſediſſe reliquum indicet, ſignetque veſtigium. Illius dans honorem & nomini, & numini, cui eſt cum Patre & viuifico Flamine par virtus, & æquus honor, gloria concors, maieſtas eadem per omnia ſecula ſeculorum. Cumque Chriſticolæ qui ab Antiochenis finibus ad id vſque locorum eius fuerant proſecuti veſtigia, ſolemne illud, ac celebre Chriſtiani cœtus, Amen inſonuiſſent; ecce protinus ſoſpitas ab arce poli volatu perniciori demiſſa, muliebris verticis ingreſſa penetrale languoris peſtem omnem herili iuſſione eliminauit, & in eodem ſibi quietis thronum, ſoliumque pauſationis amœnitate iugi & perpete perſtructura iocunditate locauit. Quid tum? numquid latere poterat mulierem, quod alebatur erga verticem muliebrem? morbi diffugio, & ſoſpitatis acceſſu perſenſo miratur tam repente ſe ſe, tamque ſubitò immutatam, ſeque in temporis atomo, & in palpebræ motu alteram ex altera factam. Dubitare propemodum an ipſa eſſet, quæ in momento abſolutè, perfectèque reſtituta ſaluti morbi immitis manum rigidam perſenſiſſet. Sed quid diutius? credit mulier, & regenerantis liquoris rore perfunditur ſalutari, & in infantulam nudam lactentem cum paruula antiqua dierum & annorum intemerata plurimorum renaſcitur, atque in candeſcentis oloris plumas cornix nigerrima dealbatur. Gaudet ſe carnali origine noctis filiam, ad filiationem diei diuina adoptione, & ſpirituali commeatione tranſijſſe. Gaudet ſe ſe ſolida demiſſis originalibus fætis, commutatione felici ouinæ pellis vela induiſſe. Verum vt eſt amicantium moris amicorum paſſionibus compati, eiſque ſi temporis facultas ſuppeditet, conſulere, & occurrere, dicit mulier Petro, amiciſſimum ſibi quemdam Aſpren nomine violenti languoris fero vngue atrociſſimè perfodi, hominem benignum, pium, modeſtum, ſobrium, & ſi in gentilitate eſſe, vel dici religioſum quomodolibet valeat, religioſum. Præter fidem poſtremò omnium fere, quas prædicabat Petrus virtutum ex commentis ornamentis decorum. Qui ſi in ſe redditæ ſanitatis poſſet experiri miraculum, fidem profectò quam Petrus edoceret, amplecteretur, quique idoneus ſatis aſſertor, defenſor robuſtus, fortis & inuictus roborator, & propugnator exiſteret. Homo vtpotè, cuius lingua in eloquentiæ fluentia inſtar venæ impatienter, & bullientis efflueret: cuiuſque mens in diſciplinarum liberalium campos lata ſe ſe ſpatioſitate, & amplitudine ſpatioſa diffunderet. Tum Petrus: ſi eius, inquit, de quo loqueris, filia, te amici detinet compaſſio aliqua; ſi exhibendæ medelæ, ſi ſalutis ei, ſi reſtituendæ ſanitatis es auida, præceptioni Simonis obſecundans, languentem adi properè, ad eumque perueniens manu prehenſum dextera in hæc verba alloquere. Petrus Ieſu Chriſti in Iudæa crucifixi diſcipulus tibi in eiuſdem nominis potentia delegat, quatenùs ægritudine vaneſcente, ad ſanitatem priſtinam continuò reformatus pleniſſimè, lectum ocyus deſeras: eumque, quo ipſe locum recurſum mei, accurſum tui certus, & indubius operitur, pernicitatis volucris celeritate maturata, aduenias. Dixerat Simon Petrus, obaudit mulier, arripit iter impigra, anhela conficit, perficit velociſſima. Adeſt languenti, loquitur quæ audierat. At quæ vnquam patranda miracula ſuccumbet fides? verba erunt deitatis inualida? Vix imperata Simonis mulier conſummarat, cum ecce ſubito ſanitatis aduentum, morbus atrox perſentiens, miniſtras furias conquieſcere iuſſit, & eam per alteram ingreſſa ianuam, ipſe per alteram egreſſus clandeſtino metu in volucrem transformauit, aufugit. Quid tantis? Surgit homo

mo confestim, oblitus tunicam, solum pallium induit, & calceorum loco alas pedibus indidit. Currebant ergo duo simul, sed quem videndi nunquam visum suæ sospitatis auctorem, ardor vehementior innrebat, & in vsque intima medullarum penetrans stimulus compungebat, magis currebat, & aniles articulos ipsi vim moliens inferre naturæ in cursum adhortando cogebat. Ad Simonem tandem venitur, superficiem humi totius corporis protensa quantitate metitur. Petri vestigiis apprehensis, osculum tenaci labrorum impressione infigitur. Quid deinceps? aperit os suum Petrus, audit Aspres omnia, capit omnia, credit omnia, facit omnia, catechizatur, baptizatur. Atque in breui Christianæ religionis doctrina, omnem vnguem ad extimum informatur. Aspres igitur & actio cœpit & opinio & crescere & augeri in dies. De virtutibus sedulo progredi ad virtutes, de bonis ad potiora, de potioribus dietim conscensum facere ad potissima. Correptiori denique tempore quam cuiquam possit esse credibile, honestate morum, & vniuersitate redditur consummatus virtutũ. Cœpitque per hæc magistri comprædicator, atque cooperator existere, cœpit de visceribus draconis liuidi prædicatione plures indesinenti in Christi, & Ecclesiæ corpus, visceraque traijcere. Cœpit ad inclamationem nominis Saluatoris signa facere, ostentare prodigia, cæcis restituere lumen, mancis manus, claudis consolidare vestigia, sanare languida, fracta redintegrare, confortare debilia. Per hæc & per id genus reliqua, cœpit Aspres Christi, Petri, Ecclesiæ vniuersæ, postremo plenam sibi, vberemque impendio gratiam vendicare.

Conquisita Neapoli Christo Domino populi haud exigua multitudine, Romana Petrus mœnia decernit inuisere, ibidemque & inconuincibili factione verborum, & prodigiosis mirificentijs operum Christi Domini nomen, gloriam, potentiam, declarare. Flagitãti tunc id ipsum magnopere & obnixè, & instantissimè deposcenti Neapolitanæ Ecclesiæ Aspren Petrus dedicat, consecratque in Præsulem. Ad Pontificij Aspres peruectus apicem, cœpit tanto infudentius doctrinæ verbo inuigilare, tanto immunentiùs & instantius prædicationi insistere, quantò se se meminerat ad id, specialiter exercendum officium Præsulatus Cathedram conscẽdisse, atque vsque ad eam, qua morte obijt ægritudinem, Dei verbum, iuxta illud Apostolicum, opportunè, importunè, constantissimè, & instantissimè, indeficiens, atque infatigabilis prædicauit. Obijt autem senex, & plenus dierum, tertio Nonas Augustas. De cætero quantum, qualemque se in Præsulatus Pontificio exhibuerit: quantumque in Pontificis Pontificum omnium oculis huius Pontificis conuersatio sacrosancta placuerit, etsi ora omnium sint elinguia, etsi linguæ omnium

A conticescant, signa quæ in nostris quoque temporibus per eum operari dignatur diuinitas, die lucidius, luce liquidius manifestant.

In hac Neapolitana vrbe vir quidam religiosus, & Deum timens fuerat, & huic coniux religiosa, & ipsa iusta, & timorata nupserat. Eranteque vt in Euangelio dicitur, iusti ambo ante Deum, procedentes in mandatis & iustificationibus Domini sine querela. Et non erat eis filius, sine filia, cum eis substantia non mediocris, & familia afforet non exigua. Flagitabant sancti Præsulis merita prece assidua, pulsabant eius aures voce continua, terebant sedulis gressibus eiusdem B Basilicæ dicata limina. Rogitantes importunè, instanter, constanter, vt eis eius meritis filius concederetur, vel filia. Quid diutius? penetrant sancta eorum vota, penetrant lacrymæ, preces penetrant cælum, & per Aspren porriguntur ad Deum. Demum si magnis licet componere parua, alteri Zachariæ, Elisabeth alteri, alter Ioannes nascitur virtutum luce varia & moribus honestissimis decoratur. Non obliti præmemorati iugales, ea quæ sancto Patre Aspre intercedente adepti celitus fuerant beneficia pro gratiarũ redditione ad Antistitis decus aulã decentissimè construunt, sicut vsq; in hodiernam diem est cernere in ea, quæ dicitur Stephaniæ Basilica.

Quidam erat in hac ipsa vrbe capitis do- C lore vehementi correptus, nimietate grassantis morbi, & impatientia ægritudinis infestantis, neque ipse seu noctes, seu dies vlla tranquillitatis quiete potiebatur, neque cos ea potiri, qui suis inhærebant obsequijs, & qui præ lectulo consistebant languentis, patiebatur, angustiabatur, torquebatur, vociferabatur: nunc supinus, nunc pronus cubabat, nunc in læuum, nunc in latus dextrum voluebatur. Tandem afflatus cælitus, Aspres magni meritorum & gratiæ recordatur: eumque suffragatum iri misero indesinenter sancti nominis iterata sæpiùs inuocatione precatur. Aspres igitur cœpit esse ægrotantis in corde, Aspres in ore, Aspres vocabulum in clamore, Aspres in mediocri, Aspres denique D in silenti voce. Sed nunquid potuit misericors misero, crebra suppliciorum iteratione exposcenti misericordiam defore? nunquid & vrbis, & vrbi pater filiorum, cuipiam valuit se se instantiùs inclamanti deesse? Adit ocyus thronum gloriæ, rogat quaslibet sitienti misero stillari guttulas fontis misericordiæ. Acclinat Christus Dominus aures ad Aspres sui vocem; nec dũ Aspres consummarat exorsa, cum ecce Dominus sospitate accita, imperat vt euolet, & de eius quo Aspres rogaturus accesserat vertice, omnem languoris pestem, omnes sæuientis ægritudinis furias procul effuget. Obtemperat sospitas imperanti, induit pennas, euolat, adest, ægritudinem effugat. Præsulis igitur Basilicam homo è vestigio adijt, atque in ea Dominatori in

Præ-

Præsule, & Præsuli in Dominatore victimam gratiarum libauit.

Item quidam Sergius nomine dolorem ilio per prolixi temporis emensa curricula mirabiliter perpessus, qui die quadam ad almifici Aspres limina orationi insistens, domum est, restituta protinus plenissima sospitate, regressus.

Alius quidam Sergius nomine Caphatina in hac eadem vrbe eas hæmorrhoidum patiebatur angustias, quas difficillimum quidem sit dicere; cæterùm dictas, sic difficilius credulitati ascíscere, cœpit ad plura, & pluriora se vertere epithemata, cataplasmata, & id genus ad eas corporis partes, in quibus sibi languor sedem vendicarat annectere: sed cum sese in omnibus cassio desudare labore concernit, tota se æger fide ad Aspres suffragia expetenda conuertit: sed cum sancti nominis bacchsus morbus nomen seu sexto, seu septimo inclamatum audiuit, tanti tonitruum vocabuli ferre non sustinens, eas, quas longum sederat sedes, mœstus, inuitusque reliquit.

Tanti igitur Patris, tanti Interuentoris, fratres mei, præsentis diei deuotione debita, reuerentia digna annua excolamus merita solemnia, quatenus intercessore eiusdem ad illa cæli festa subuehi mereamur perennia: *præstante Domino Iesu Christo, qui cum Patre & viuifico Flamine viuit, & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

2. EPATHIMITVS Episcopus Neapolitanus, quem Ioannes Diaconus in Chronic. Episcoporum Neap. S. Asprenatis Episcopi eius prædecessoris exempla secutum affirmat, & distributo talentico munere, cum lucro Domino consignasse, eiusque corpus ob sanctitatis meritum ad Ecclesiam Stephaniam translatum.

3. MARO Episcopus tertio loco ponitur ab eodem Ioan. Diacono, cuius corpus pariter ob sanctitatis meritum in Ecclesiam Stephaniam translatum est.


4. PROBVS Episcopus probitate insignis, nomen operibus connectens in Domino quieuit ex eodem Ioan. Diacono. Dies tamen obitus, actaque eius ignorantur.



5. PAVLVS Episcopus, quem mirabilem fuisse in operibus ad Pastoris curam pertinentibus, & in secundis, prosperisque rebus mitem, in aduersis verò prudentem, & post diuturna tempora gaudentem ad Dominum migrasse scribit idem Ioan. Diac. Quot verò annis, supra recensiti quatuor Episcopi Asprenatis successores in Neapolitana sederint Ecclesia, vel quo anno in ea fuerint ordinati Episcopi, non constat; cum nullus, qui nunc extet Historicus, id prodat; vicenos tamen circiter Præsulatus annos ijs quatuor Episcopis distribuere facilè posse existimat Caracciolus in S. Agrippino Pauli successore, quemadmodum Baronius, & post eum Boherius Differt. Arcop. tempora Episcoporum aliquot verisimili annorum spatio metiuntur.


6. S. AGRIPPINVS Neapoli in regione Herculea ortus ad Plateam, siue Aream Fucillensem sextus Neapolitanum gessit Episcopatum, Antonino Pio Romanum imperium tenente circa annum salutis 160. Hanc rexit Ecclesiam plus minus annis decem, vt Caracciolo placet, tanta siquidem sanctitate & pietate, tantaque vigilantia, ac prudentia, vt meritò à primis illis temporibus eius memoria fuerit à fidelibus celebrata; erat enim in pascendis ouibus pastor peruigil; in fouendis pauperibus clemens pater, & magnificus, in corrigendis, & instituendis errantibus sapiens, vt plurimos errantes ad Dominum reuocauerit, auxeritque mirum in modum credentium turbas. Clerum ad Ecclesiasticam disciplinam informauit, vrbem in parœcias distinxit, vt in illis Christi fideles frequentiùs, ac commodiùs instruerentur in fide. Multis aliquando à dæmone expetitus insidijs, ieiunijs & orationibus à se longè repulit. Denique vbi populum verbo & exemplo, assiduisque orationibus eximiè per plures annos instituisset, plenus dierum, clarusque miraculis migrauit ad Dominum 5. Id. Nouembris, in cœmeterio propè vrbis mœnia, cui portæ S. Ianuarij nomen fecere, sepultus est; inde in Basilicam Stephaniam translatus fuit, vt Ioannes Diaconus scribit. Posterioribus verò sæculis in Cathedralem Ecclesiam à Regibus Carolo primo, & secundo

do Andegauenſibus, magnificentiſſimè ædificatam corpus eius tranſuectum eſt,& vna cum reliquiis SS. Martyrum Eutychetis, & Acatij honorificè ſub Ara maxima collocatum. Caput autem eius, theca incluſum argentea, in Capella,quam vocant Theſaurum, decorè aſſeruatur. Eius verò interceſſione & apparitione Neapolis à Sarracenis obſeſſa, Ioanne XIII. Pontifice Max. liberata, defenſaque eſt; quamobrem à Neapolitanis in præcipuum & Tutelarem Diuum vnà cum S. Martyre Ianuario adlectus fuit. Inclaruit autem hic eximius Chriſti confeſſor, non Neapoli tantùm, ſed in aliis etiam vrbibus, & prouinciis: nam Suirenti Picentinorum Eccleſia, extitit monaſterium ab hoc ſancto nuncupatum,cui præfuit S.Abbas Antoninus. Oppida itē nonnulla S. Arpini,hoc eſt Agrippini nomen habent. Inſignis item Eccleſia Neapoli eius nomini dicata eſt, quam Baſiliani Monachi incolunt. De Agrippino Martyrol. Rom. 9. Nouemb. Baronius in notis ad illud. Paulus Regius vitam eius ex monumentis Eccleſiæ Neapolitanæ excerpſit, à quo Ferrarius, aliique nuperrimi ſcriptores. Cęterùm Agrippini Acta,vt doctus ſcribit Caracciolus, penè omnia interierunt, nihilque de eius vita reliquum fuit, niſi antiquum Neapolitanæ Eccleſiæ Lectionarium, & breue elogium, quod Ioannes Diaconus in libello de Neapolitanis Epiſcopis poſteritati tranſmiſit,incerti, ac vetuſti auctoris,vbi narratio miraculorum eius, ex quibus pauca congeſſit. Sed eruditè de ipſo Agrippino in ſuo Neapolitanæ Eccleſiæ ſacrorum monumentorum libro idem Caracciolus.



7. S. EVSTASIVS Agrippino ſucceſſit, ſeptimus Neapolitanus Epiſcopus circa annum Chriſti 180 hanc Eccleſiam præclaris virtutibus exornauit. De quo teſte Caracciolo, præter pauciſſima verba quæ Ioan. Diac. ſcripſit, nihil propemodum habetur, quod edaci ſuperfuerit vetuſtati. *Euſtaſius*, inquit Diaconus, *ſeptimus Epiſcopus Neapolitanus in Altari Dei Genitricis ſemper Virginis Mariæ, quæ dicitur Coſmedin, populis deuotè exequentibus, conditus eſt, atq; tranſlatus*. In hac Baſilica ſacra B. *Euſtaſij* oſſa à Clericis regularibus S. Pauli, quos Berna-

A bitus vocant, vbi olim condita fuerant, reperta ſunt anno Domini 1616. 16. Kal. Decemb, cum vetuſta hac inſcriptione vrnæ in marmore. *Hic requieſcit corpus S. Euſtaſij Confeſſoris*. De huius Baſilicæ nomine,conſtructione, deque in eam Euſtaſij tranſlatione plura commemorat idem Caracciolus. Porrò viget in ea baſilica cultus S. Præſulis à die præſertim 29. Martij, quo eius commemoratio ſolemniter celebratur frequenti piorum cœtu ad ædem accurrente, vt ſepulchrū, quo conditus eſt deuotè venerentur. Soluitur autem illi ea potiſſimum luce, ſolemne officium; quia cum ob temporis vetuſtatem, & ſcriptorum inopiam natalem eius diem ignoremus, ideo 29. Martij, quo etiam Diui
B Euſtaſij Luxouienſis Abbatis Natalitia celebrantur, appoſitè relatum eſt, ea nominis ſimilitudine. Sic aliàs crebrò factum. Sancta Columba Hiſpana virgo & martyr,cuius dies natalis eſt 17. Septembris, diu tamen celebrata eſt prid. Id. Ianuarij, qua item die agitur de ſancta Columba Senonenſi. Antonius Monachus Romanus, quod dies obitus eius neſciretur, collocatus eſt in Martyrologio die 17. Ianuarij, quo magnus Antonius Abbas in Domino cælum obijt. Et ob eandem cauſam Capuæ Epiſcopo Priſco in Romano Martyrologio iunctus eſt Priſcus alter, & cū Ruffo Epiſcopo & mart. Ruffus alter & Carpophorus Martyres, & cum Candida ſeniore Neapolitana, Candida altera iunior
C iuncta eſt. Alia item ſuppetunt exempla quamplurima, ſed hæc lectori ſatis.



D

8. S. EVPHEBIVS, ſeu *Euphemus*, ſeu *Euphimus*, vel *Euphemus*, *Eſrimus* & *Euphamus* ab aliis nuncupatur, vocatur Euphinus in veteri Lectionario,Ioānes Diaconus Euphenum vocat, vetus, m. s. Kalendarium *Ephremus* habet. Vulgo Euphienus, & Euphamius, ſed corruptè. Viſratius, inquit Caracciolus hodie in ſacro eius officio vocabulum eſt, *Euphebius*, & ſic nominatur hic Diuus in Hiſtoria miraculorum, quæ ab eo poſt obitum patrata ſunt,vbi ita habetur. *Hic ſanctiſſimus Chriſti Confeſſor Euphebius poſt multa annorum curricula, &c.* Inter tot autem nuncupationes nulla ſignificatior, quàm Euphebius (etſi Euphemius diſertum, &

eloquentem sonet, vox enim ista castum, splendidum, conspicuum, & formosum Græcè significat. Erat quippè noster hic Præsul florido vultu, & venusta admodum specie, vt de eo Diaconus scripserit. *Pulcher corpore, pulchrior & mente, plebi Dei sanctissimè præfuit, & fideliter ministrauit.* Neque insolens est speciem corporis, vultumque etiam in Episcopo commendari, nam eo nomine S. Epiphanius Episcopus Ticinensis laudatus est à B. Ennadio pag. 361. edit. Paris. *Illud verò*, inquit, *libandum esse non abnuo, quod formositas in illo lucis corporeæ, index animæ fuit: & tantum contra studium illius formæ decus enituit, vt nec forti viro posset oppugnante subuerti. Ridebant genæ, etiam cum animus mœstitudine turpuisset.* Et alia multa Ennodius habet, quæ hoc loco referre non est necesse. Meritò igitur hoc etiam nomine commendatur noster Euphebius, verè Chrysootas, aures pulchritudinis, quod cognomen B. Ioanni Damasceno adhæsisse palam est ex Theophane Histor. Miscell. lib. 22. Cæterum quo tempore Euphebius vixerit, aut Episcopus fuerit, signatè quidem sciri non potest, nulla extante de eius vita, gestisque narratione. Id solum nouimus admodum antiquum fuisse Neapolis Antistitem: nam Ioannes Diaconus octauum Episcopum numerat Epheuum, neque alium deinde habet qui Euphebius, siue Euphemus appelletur. Itaque nonnulli recentiores qui hunc sanctum Præsulem figunt ad annum Christi 717. Constantino summo Pontifice, cum nullus antiquus auctor id tradat, nescio quo fundamento illud afferant, ac proinde puto illum affigi ab eis potius, quàm verè figi ad illud tempus. Ad iam dictam verò æui, quo sanctus Euphebius vixit antiquitatem vtcũque significandam commodè arbitror illum veteres vnà cum sancto *Fortunato* & *Maximo*, Euphebij, longo licet interuallo, in sede Neapolitana successoribus, sepelierunt. Atqui Fortunatus erat sanè Neapolis Episcopus anno Christi 348. Huic quippe, alijsque Catholicis Episcopis oblata fuit epistola quædam Sardicensis, seu veriùs Philippoletani Conciliabuli, vt ex Diuo Hilario refert Baronius to. 8. Annal. ad fin. Maximus verò floruit sanctitate circa annum salutis 359. actusque in exilium est, quod Arrianæ fidei formulæ, in conuentu Ariminensi, nefario vaframento concinnatæ, subscribere noluit. Itaque diu ante hæc tempora vixisse Euphebiũ, & Ioannes Diaconus prodit, & ipsa tumulatio cum Fortunato & Maximo aliquo modo significat; cum nullus Neapolis Episcopus sanctitate clarus inter hos medios intercesserit: Id ipsum autem cernimus interdum antiquitùs factum in quibusdam alijs sanctis Episcopis, vt scilicet tempore & sanctitate proximos vnus sepulturæ locus exciperet. Sic etenim Episcopus Neapolitanus Maro, *ob sanctitatis*, inquit Ioannes Diaconus, *meritum cum Epitimito & Asprenos*: Sic Nostrianus cum Gaudioso, & Quoduultdeo; sic Athanasius cum Laurentio, Neapoli olim sepulti fuisse leguntur. Porro nonnulli recensent Euphebium inter Neapolis Patronos, & Tutelares Diuos sextum, aut septimum; sed reuera tempore considerato, quo vixit, secundus fuit. Cur verò factum, vt variè temporis ordo in sanctis Patronis enumerandis inuerteretur, non est huius loci id exquirere. Interea Philippus Ferrarius lib. de sanctis Italiæ, hunc Diuum, ob id potissimum adscitum à Neapolitanis Patronum narrat, quod Ciuitatem ingenti miraculo à Sarracenorum incursione, ac depopulatione liberauerit. Quod, quia vt dixi, ingens fuit, ex ipsa Historia miraculorũ eius ab Anonymo olim scripta narrabo.

Cum quidam Presbyter, extra Neapolitana mœnia, in sancti Euphebij nomine conditam Ecclesiam sedulè visitaret, & illic quotidiè sacra Missarum solemnia exhiberet, contigit, vt Agarenorum impetus improuisè adueniens, quia intrinsecùs non poterat, extrinsecus vicina quæque vastaret. Quod prædictus audiens presbyter, Nullus, inquit, me terror ab obsequio nostri Patris, & Domini poterit cohibere. Intentus inquam, ad Missarum solemnia, si dignus sum, solito more perficiam. Veruntamen illius virtutis efficaciam, hoc volo probare indicio. Si me sedulè obsequentem, inter iniquorum hostium gladios, & tela poterit custodire. Et hæc dicens, insertam baculo sportulam Ecclesiasticis refertam monilibus, collo tenus gestans, intrepidus iter arripuit. Ad Ecclesiam verò veniens, priusquam ingrederetur, breue ad hunc modum carmen composuit. Præsul amande tui sim tutus numine Templi, En tibi deuotus solitas paro reddere laudes. Et hæc dicens, casula indutus, Missarum solemnia solito constantior inchoauit. Nec dum prece finita, Agarenorum manus illius sacri Templi ædificia vndique circumdedit. Verùm omnipotens Deus, ob meritum sanctissimi Præsulis Euphebij tanta eos cæcitate percussit, vt per Ecclesiæ aditum introspicerent, & sacra mysteria celebrantem presbyterum non viderent. Illis itaque forinsecus vacantibus, presbyter Missarum solemnia cõsummauit. Expletis verò missarum solemnijs, vocem de cęlo dicentem sibi audiuit prædictus presbyter; Ne formides, nec paueas, constãter proprium accipe baculum, & quoscunque obuios habueris, intrepidus percute. Ego enim eos, te aliquo modo feriente, prosternam. Quo firmatus oraculo, baculum, vt sibi fuerat iussum, arripiens extra Ecclesiæ ianuam audacter exiuit, & quos ante fores Ecclesiæ reperit, ictu baculi ferientis, extinxit. Dehinc recto tramite, contra ciuitatis mœnia proficiscens, quoscunque hostium obuios habuit, eiusdem virgæ tactu deleuit. Cæteri verò videntes corpora suorum, sine

telo-

telorum percuſſionibus ſtrata, terroris nimietate fugati, ad claſſes redeunt, ac mucronibus raptim retinacula truncantes nauium velis, remiſque, prout poterant, marina ſulcantes æquora, ad priora remeare moribundi feſtinant. Mira enim Dei clementia, & incomprehenſibilis, quod totius Ciuitatis populus, gladijs & telis armatus, non poſſet præſumere, vnius tantùm inermis presbyteri baculus, ipſo auxiliante, alios in terram ſtrauit, alios in fugam vertit. Prædictus verò presbyter, ad ciuitatem rediens, ſuos conciues ad currendum, & inuſitata videnda miracula hortans, aiebat. Currite Chriſticolæ
B alacriter properate ſecuri. Hoc baculo plures iam credite morte peremptos. Nullus in vrbe metus, voce liberante diuina. Iamque alij furtim fugiendo per æquora currũt. Cumque populus ciuitatis de inaudito miraculo titubaret, nec presbytero talia referenti, credulitatis aſſenſum præberet, Ite, inquit presbyter, & pariter hinc vſque ad Eccleſiam properate, & dum quod dixi, verum eſſe probaueritis, non mihi, ſed conditori omnium Chriſto Domino, & ſanctiſſimo Confeſſori ſuo Euphebio, munera perſoluite laudis: cuius munere fretus, alios hoſtium extinxi, alios in fugam verti. Cumque incredibilis multitudo, per verbum presbyteri, ad hoc ſpectaculum curreret, & plurimorum
C corpora per viam, ſicut presbyter dixerat, extincta videret, veloci curſu ad Ciuitatem rediens, omnipotenti Domino & ſancto Euphebio illius dilectiſſimo Confeſſori, *laudes innumeras referebat*. Hæc Anonymus.

Porro de anno, quo tale miraculum patratũ fuerit, nihil equidem certi ſtatuere poſſum. Conijcio tamen id factum, paulò poſt annum ſalutis 878. Nam poſtquam docibilis Dux Caietanus anno 877. inijt fœdus cum Saracenis, tradiditque eis arcem Gariliani munitiſſimam, quam per quadraginta annos tenuerunt, ij ex ea arce crebrò excurrebant populabundi per Campaniã totam. Leo Oſtien. lib. primo, & ex eo Sigonius, alijque. Ergo antiquiſſima cenſenda eſt Ædes ſacra Euphebio dicata, Ea verò anno 1530. à Vin-
D centio Carafa Archiepiſcopo tradita eſt Religioſiſſimis Patribus Capuccinis, qui tum Neapolim, ductu F. Ludouici Foroſempronienſis, viri ſanctitate conſpicui aduenerant. Non debeo tamen ſilentio præterire, præclaram ſacri corporis Diui Euphebij inuentionem, quæ anno Domini 1589. Sixto V. ſummo Pont. contigit. Nam annuit Deus F. Euangeliſtæ Lupienſis, Euphebiani Monaſterij Vicarij pijs votis, ſummoperè exoptantis, ſacra ſanctorum Lipſana, quæ in ea vetuſta Eccleſia olim tumulata nouerat, reperire, & honeſtiore loco reponere. Itaque die 20. Nouembris, ſub eius Aedis paraſtata, detectum eſt S. Euphebij corpus, lignea capſa concluſum, quam ferrei circuli ambiebant. Caput verò non repererunt; nã id iam antea ſeiun-
A ctum à corpore, translatum in vrbem, ſeruatumque fuerat in Aede Archiepiſcopali. Die autem ſequenti, coram Alexandro Gloriero, Pontificiæ Cameræ Clerico, & Apoſtolico Nuncio, qui ad eam Eccleſiam, vna cum Lælio Brancatio, alijſque nobilibus viris acceſſerat, ibique ſacrum peregerat ſub eadem paraſtata Aræ maximæ proxima, repertа ſunt cum ingenti adſtantium voluptate, atque effoſſa, SS. Fortunati, & Maximi antiquorum Neapolis Epiſcoporum veneranda corpora, cum hac epigraphe. *Hic iacent ſanctorum Maximi & Fortunati corpora. Sub Paulo primo*. Porrò cum vnum ex his Di-
B uis ad ædem Conceptionis Deiparæ Virginis, Cappuccini Patres transferre cuperent, Sixto V. rem omnem deferunt: eumq; exorant, vt transferendi ſacri corporis licentiam impertiret. Pontificem verò reſpondiſſe ferunt, ſe per quietem, à Diuis iam dictis monitum, ne qui per octingentos circiter annos coniuncti quieuiſſent, diſiungi vllatenus permitteret. Itaque ſub Ara eiuſdem Euphebianæ Aedis primaria, tres hi Diui honorificum è pario marmore tumulum habuerunt, ſolẽni ſupplicatione per Religioſum agmen, dum eò inferrentur, ritè, pièque celebrata. Sic habent Acta inuentionis apud Regium. Ex quibus, alijſq; Eccleſiæ Neapolitanæ mo-
C numentis licet colligere, Diui Euphebij corpus primò ſepultum fuiſſe, vt mos antiquus, in Cœmeterio (quod Ioannes Diaconus in Vrſo Epiſcopo tradit) deinde tranſlatum ad Stephaniam Baſilicam, vt idem habet in Epheuo Epiſcopo. Demum in Aedem ſui nominis, vbi nunc cum ſanctis collegis ſuis, Maximo, & Fortunato iacet, fuiſſe tranſuectum.

Porro non ſolũ Neapoli, ſed Capuæ etiam, & Salerni Diui Euphebij nomen, atque annui cultus diem, Breuiaria illarum Eccleſiarum abundè teſtantur. Libet autem ex Salernitano à Romualdo II. Archiepiſcopo, anno ſalutis 1166. edito, Orationem hìc ſubnectere, quam in eius feſto recitare conſueuerant; nam tres de ipſa lectiones, nihil peculiare continent. Ea eſt huiuſmodi.

D ☞ *Deus, qui perennem gloriam ſanctiſſimi Euphebij Confeſſoris tui, atque Pontificis animæ conſtituiſti: tribue quæſumus, eius apud te ita patrocinijs ſubleuari, vt cum eo vitam poſſideamus æternam. Per Dominum noſtrum.* Geſta autem ſancti huius Epiſcopi, & totam eius vitæ ſeriem, tempus nobis, cum ingenti noſtro damno abſtulit. Hæc de Euphebio Caracciolus, de quo Martyrol. Rom. 23. Maij, Paulus Regius vitam ſcripſit, à quo Ferrarius, Chioccarellus, cæterique recentiores.

9. MARCIANVS poſt Euphebium reponitur inter Epiſcopos Neapolitanos; huius non meminit Ioannes Diaconus, eius tamen mentio habetur in antiquis m. s. breuiarijs, alijſque ſacris codicibus, ac Kalen-


dari s

darijs die 30. Octobris. Eius geſta quæ, & quonam tempore floruerit, adhuc incompertum; imò & nomen ipſius aliquando videtur obliuioni traditum. Extat vetus ſacellum huic S. Marciano dicatum ad gradus Cathedralis Eccleſiæ è regione ſacræ turris, in cuius Altari ſācti Marciani Epiſcopi Epiſcopalibus veſtibus induti, ac pallio decorati imago cernitur, eiuſque nomen inſcribitur. S. MARCIANVS, Hic nonnulli deſiderantur Epiſcopi.

10. COSMVS, vel COSMAS Eccleſiam Neapolitanam rexit Conſtantino Magno Imperatore, quem etſi Ioannis Diaconi diligentia præterijt, atque adeo prorſus ignorauit, eius tamen honorifica mentio habetur apud Tabularium Eccleſiæ S. Mariæ de Principio. Verùm Ioannes Villanus in ſua Neapolitana Hiſtoria ponit eo tempore Zonium quendam Epiſcopum Neapolitanum: ſed quia nunquam apparet alibi hic Zonius, eadem facilitate, qua figitur, expungitur. Quod ſi *Zoſimum*, & non Zonium legas, neque id ſubſiſtere poteſt: is enim non Conſtantini Magni temporibus, ſed diu poſtea, nempe ſub Conſtantino Auguſto Conſtantini filio, in Neapolitanam ſedem ſuo malo irrupit. Huius Epiſcopi temporibus Conſtantinus Magnus S. Reſtitutæ virginis & martyris Neapoli Eccleſiam erexit, alias quoque Eccleſias condidiſſe Conſtantinum in ea ciuitate, ferè omnes Neapolitani Scriptores affirmant, quorum tamen ſententiæ de hac re cum ſint variæ, ipſos adire cuique facile erit, vt faciliùs ipſemet iudicium ferat; de quibus agit aliquando Romanum Martyrologium; ac item Anaſtaſius de munificentia Conſtantini: D. Gregorius lib. 8. Epiſt. 24. Ado Viennenſis Aetate 6. Carolus Sigonius lib. 3. de Imper. Occid. Scriptor vitæ S. Athanaſij Epiſcopi Neapolit. Ioannes Diaconus in Catalogo Epiſcoporum Neapol. in Zoſimo. Molan. ad Vſuardi Martyrolog. Petrus Monachus in Chronic. m. s. S. Vincentij de Vulturno. Damaſus verò de Pontif. & Beda de tempore afferunt quidem Conſtantinum Neapoli Eccleſias erexiſſe, non tamen declarant in cuius honorem fuerint erectæ; ſed quod Baſilicam ſanctæ Reſtitutæ ædificauerit, Martyrologium Romanū id luculenter aſſerit. De Eccleſia in honorem SS. Apoſtolorum, deque alijs Eccleſijs in Neapolitana ciuitate à Conſtantino Imperatore ædificatis ſolidè item ſcripſit ſæpe citatus Antonius Caracciolus in ſac. Neapolit. monument. libro, ipſum adi, & plura ſcitu digniſſima leges.

11. CALEPODIVS Neapolitanus Epiſcopus ſubſcripſit Concilio Sardicenſi ſub Iulio I. Papa celebrato anno Chriſti 347. creditur eodem anno defunctus. Hunc ad idem Concilium Legatum miſſum fuiſſe vnà cum Oſio Cordubenſi. Vincentio Capuano, & Innocentio Beneuentano ſcribit Gratianus,

A quod Baron. to. 3. Annal. ad hunc annum non probat Athanaſij auctoritate fretus, qui interfuit, omniaque vidit, ait enim, in eo Legatos fuiſſe Archidamum, atque Philoxenum presbyteros; Attamen Calepodius eidē Synodo interfuit, ac ſubſcripſit, vt eiuſdem Concilij acta teſtantur.



B

12. S. FORTVNATVS poſt Calepodium rexit Neapolitanam Eccleſiam, de quo hæc pauca habet Ioannes Diaconus. *Fortunatus Epiſcopus nonus ſanctiſſimus extitit vita, ſanctiſſimis orationibus die noctuque indeſinenter agens, regna Cælorum, ſicut deſiderauit, adeptus eſt, qui ſepultus foris vrbem, quaſi ad ſtadia quatuor. Deinde poſt longo tempore populi patrocinia eius petentes ab Eccleſia ſui nominis conſecrata transferentes, per manum Pontificis, collocarunt*

C *in Eccleſia Stephania partis dexteræ introducentibus ſurſum, vbi & oratorium in caput Catacumba.* Cęterùm de Fortunato eruditè Caracciolus ſcribit, Beatum Præſulem Fortunatum, iam olim Campaniæ, Italiæque perſpectum, Thraciæ etiam & Illyrico celebrem fecit Conciliabulum illud Arianorum Philippopoli habitum, & poſtea eorumdem veteratorum arte, Concilij Sardicenſis ſpecioſo nomine publicatum. Res ita acta eſt, narrantibus Athanaſio epiſt. ad Solitarium, & Apologia 2. & Socrate lib. 2. cap. 12. Sozomeno, lib. 3. c. 10. & Auguſtino 3. contra Creſcentium c. 34. cùm vigili induſtria, & auctoritate Iulius I. ſummus Pontifex tan-

D dem obtinuiſſet vt Concilium Generale celebraretur Sardices, ſiue Sardicæ Thraciæ vrbe, illuc anno Chriſti 347. conuenerunt trecenti ex Occidente, & 70. ex Oriente Epiſcopi. Quò cum Ariani etiam conueniſſent, tribus ſtipati Comitibus, quorum magna erat dignitas, & auctoritas, & viderent ſe omnino eſſe damnandos: & accuſatores eccleſiaſticè & legitimè adeſſe, ſuamet conſcientia prædamnati, in Concilium ſe dare non ſunt auſi; ſed profugerunt Philippos, ſiue Philippopolim (vtroque enim vocabulo appellata eſt) viciną Sardicæ vrbem. Ibi verò, vel hoc ipſo anno, vel, vt ego vnà cum Binio arbitror, potius anno ſequenti 348. ineunte, ſeorſim cum ſuis Symmyſtis egere conciliabulum: quod vt auctoritatem acciperet

peret, apud longè dissitas regiones, Sardicensis vocabulo cohonestauit; Synodalibus litteris per Orbem sparsis, quæ extant apud Hilarium in fragment. & to. II. Conciliorum par. I. collectionis Binianæ, calumniarum; & mendaciorum plenissimis. De quibus etiam Augustinus loco cit. Ex enim illi communicatione, Donatistas, Schismaticos præcipuè, & alios quosdam Episcopos Catholicos sibi adiungere studuerunt. Ponam hic tãtùm nomina Episcoporum, ad quos ea impijssima epistola directa est, quia inter eos recensitus est noster Episcopus, de quo loquimur, Fortunatus. Mirorque vehementer, quid ipsis in mentem venerit, vt ad Africanos præsertim Episcopos, id Decretum mittentes Fortunatum etiam Episcopum Neapolitanum appellarint. Si diuinare fas est, suspicor id ab eis fraudulenter factum; quod fortè sperarent Fortunatum, qui recens factus esset Episcopus (iam enim Calepodius, qui in Sardicensi Concilio fuerat, eodem anno obijsse intelligendus est) fraudes eorum, vtpotè adeò eminùs positum, minimè cogniturum: atq; adeo fidem ipsis adhibiturum. Sed aliter accidit: nam & in Africa, quanquam Donatistæ eos socios se habere gloriarentur, nihilominus à Catholicis Episcopis sunt explosi; & in Italia à Iulio Papa, & Episcopis alijs Catholicis fraus agnita est, ac detecta: atque Conciliabulū sub falso nomine Sardicensis euulgatum, exsibilatum est. Quin etiam Episcopi Ariani, qui formulam fidei perfido vafsamento composuerũt, damnantes quidem in ea aliquot dogmata Arianorum, sed *consubstantialitatis* nomen in Dei filio non recipientes, à legitimo Concilio Sardicensi ad vnum omnes exauctorati fuerunt, atque damnati. Quare ipsi ad Constantium eorum fautorem, & Ariana labe maculatum confugiunt, commotionesque adeò magnas per totum penè Orientem excitant, vt Sardicensi Concilio necesse fuerit, placando Constantio, legatos ad eos mittere Vincentium Capuæ, & Euphratam Coloniæ Agrippinæ Episcopos. Sed hæc fusiùs narrata reperies apud Baron. to. 3. Annal. ex antiquis Patribus, & Historicis iam dictis.

Redeo ad Fortunatum nostrum, ad quem aliosque Episcopos epistola, siue decretum ab Arianis missum, sic incipit: *Gregorio Alexandriæ Episcopo, Amphioni Nicomediæ Episcopo. Donato Cartaginis Episcopo: Desiderio Campaniæ Episcopo. Maximo Salonarum Dalmatiæ Episcopo. Fortunato Neapolis Campaniæ Episcopo. Eutychio Ariminiadeno Campaniæ Episcopo. Syropheruti & omnibus per Orbem terrarum Consacerdotibus nostris Presbyteris, & Diaconibus omnibus, qui sub cœlo sunt, &c. In Domino æternæ salus*. Hæc pauca satis sit excerpsisse ex illa longissima epistola, siue decreto pseudosynodi Philippensis. Plura si ponerentur, non magis, quàm dicta, notum face-

A rent Fortunatum.

Quamdiù autem post hanc sibi datã Epistolam Fortunatus vixerit, certò statui non potest. Id solummodò scimus, anno Christi 359. Maximum, de quo mox, fuisse Neapolitanum Episcopum. De Fortunati autem sepultura, sic Ioannes Diaconus. *Sepultus est foris vrbem quasi ad stadia quatuor*. Describere videtur his verbis ædem, & cœmeterium B. Ianuarij, propè quod dextrorsùm ædificata olim fuit S. Fortunati Ecclesia, cuius meminerunt Ioannes Diaconus in Seuero Episcopo, & Anonymus scriptor vitæ S. Seueri. Nunc diruta illa est, ibique extructa cernitur domus quædam Angrisanorum, vt tradit Capac. lib. 2. Hist. Neapol. c. 6.

B Recensent autem Fortunatum inter Sanctos antiquissimi Codices, tum Neapolitanæ, tum aliarum quarundam Ecclesiarum; nempe Missale Neapolitanum, Kalendarium vetus, & Breuiarium manuscriptum; item Litaniæ in antiquo Rituali Neapolitano, Kalendarium Ecclesiæ sancti Eligij. Præterea Codex Longobardicus Breuiarij Casinensis num. 196. Kalendariũ præfixum Psalterio cuidam Capuanæ Ecclesiæ apud Michaelem Monachum; Magno autem errore lapsus est Regius, qui Fortunatum hunc præterit, & quæ huic tribuenda sunt, Fortunato II. qui vixit Gregorio I. summo Pontifice, tribuit, cum ille junior à nemine Sanctus sit appellatus, nec Sardicensis Concilij tempus

C illi conueniat. Cæterùm Fortunatus iste senior, & Sanctus, intra Vrbem postmodum à Ioanne Episcopo translatus est in Basilicã Stephaniæ, siue sanctæ Restitutæ, vt tradit Ioannes Diaconus his verbis. *Post longum tempus, populi patrocinia eius petentes ab Ecclesia suo nomini consecrata transferentes per manus Pontificum, collocarunt in Ecclesia Stephania ad partem dexteram intrantium sursum, vbi est Oratorium in capite Catacumbæ.* Aliquot post annis iterum translatum fuit eius corpus à Stephania ad Ecclesiam sancti Euphebij; quam hodie incolunt Patres Capuccini, vbi nunc quiescit, vnà cum SS. Euphebio & Maximo Episcopis: Vide quæ nos, cum de Euphebio ageremus,

D diximus. Celebrabatur olim in Ecclesia Neapolitana S. Fortunatus die 14. Iunij, vt habent duo vetusta Ecclesiæ Neapolitanæ MM. SS. paulò ante laudata.

13. S. MA-



13. S. MAXIMVS catholica fide præſtantiſſimus in Neapolitana Eccleſia Epiſcopus floruit anno ſalutis 359. cuius acta deſiderantur; pauca tamen ab obliuione vindicauit idem Caracciolus, quæ hic verbatim referemus. Poſt infauſtam (inquit) illam ſecundæ Synodi Ariminenſis cataſtrophen, cladem que catholicis Epiſcopis vi ac fraude Arianorum illatam, cum Valens ab hoc Legatos accepiſſet ab Imperatore Conſtantio facultatem eijciendi, vexandiq; eos, qui impijs eius Concilij formulis ſubſcribere recuſarent, exturbato Iam vrbe Liberio Papa, occiſo à Marciani Proconſulis ſatellitibus Gaudentio Arimini Epiſcopo, cæteros omnes, eos etiam, qui iuſtis de cauſis non interfuiſſent Synodo, circumquaque Valens miſſos Legatos aggreſſus eſt; quos inter Maximus Neapolitanus Epiſcopus durum exilium ſubire coactus, in Zoſimum ſibi ab Arianis ſuffectum, contorſit anathema, diuino ſtatim Numine, memorando prodigio illud corroborante. Nam Zoſimo quoties Baſilicam ingrederetur, & ſacra ore protendebatur, tueret, lingua extra os ita protendebatur, vt retrahere illam, aut verba promere non poſſet, niſi Baſilicam, quam inuaſerat egreſſus. Id cum illi ſæpè contigiſſet, ceſſit tandem Epiſcopatui, vt ſibi lingua reſtitueretur. Hæc è Marcellino de ſchiſmate Vrſicini & Damaſi, & ex eo Baronius, alijq; eccleſiaſtici ſcriptores. Porrò ad quem locum miſſus ſit in exiliū S. Maximus, nunquam reperire potui. Conijcio tamen ad Baleares Inſulas eū fuiſſe amandatum. Nam ſi Fl. Dextro Chronico adhibenda eſt fidea, eò ablegati ſunt alij multi Epiſcopi ab Arianis in Ariminenſi Conciliabolo damnati. Obijt autem ſanctiſſimus Chriſti Confeſſor Maximus, in loco exilij, vt apertè tradit Marcellini, & Fauſti epiſtola ſcripta ad Auguſtos de ſchiſmate Vrſicini. Sacrum eius corpus translatum indè Neapolim, primò, vt Ioannes Diaconus tradit, & in Eccleſia eius prædeceſſoris ſancti Fortunati conditum fuit. Indè in Oratorio Baſilicæ Stephaniæ. Denique relatum fuit ad Euphebianam ædem Patrum Capuccinorum, vbi vnà cum SS. Euphebio & Fortunato, ſub Aram maximam honorificè tumulatum iacet. De eo præter Neapolitanæ Eccleſiæ antiqua Kalendaria, tum Patricianæ Litaniæ, quæ poſt eius Monaſterij vetus Martyrologium ſcriptæ habentur, tum etiam Codex m. s. 196. Bibliothecæ Caſſinenſis meminerunt. Feſtiuitas eius olim 2. Iulij agebatur. Cæterum Zoſimus, qui à Ioanne Diacono inter Maximum, & Seuerum reponitur, quia illegitimus ille fuit, & ab Arianis per vim intruſus in Neapolitanam Sedem, lupus ille à legitima ſerie, ſocietateque paſtorum modis omnibus abigendus eſt.



14. S. SEVERVS Neapoli natus, vbi non minus virtute & eruditione, quàm ætate adoleuit, Beato Maximo, Clero & populo more maiorum acclamante in Præſulatu Neapolitano ſucceſſit poſt annum Chriſti 367. Hic diuino cultui impensè deditus, aliquot Neapoli Eccleſias ædificauit, quarum vnam haud lõgè à ciuitate D. Ianuario martyri dicauit, in qua eiuſdem S. Ianuarij corpus è Mercario prope Puteolos loco, Neapolim delatum honorificè recondidit. Aliam verò extra eiuſdem mœnia iuxta S. Fortunatum conſtruxit in cœmeterij crypta, in qua ſepulchrum ſibi parauerat, quam poſtea ex eius nomine Seuerianam vocarunt. Aliam autem in ciuitate ipſa mirabilis artificij erexit, in cuius abſide Saluatorem cum duodecim Apoſtolis muſiuo opere depinxit, ac quatuor Prophetis, pretioſis diſtinctam lapidibus, ac metallis. Duo inſuper condidit monaſteria, alterum nempè S. Martini, alterum verò S. Potiti martyris, quod moniales S. Benedicti incoluere, eoque deſtructo, aliò emigrarunt. Non modo pietate, ſed ſanctitate, ac miraculorum inſignis fuit Seuerus, celeberrimaque facta eſt eius ſanctitas ex mortuo reſuſcitato, ita vt in faſtis eccleſiaſticis id ab eo patratum miraculosè his verbis fuerit conſignatum. *Pridie Kal. Maij Neapoli in Campania, ſancti Seueri Epiſcopi, qui inter alia admiranda, mortuum de ſepulchro excitauit ad tempus, vt mendacem creditorem vidua & pupillorum falſitatis argueret.* Miraculum ita accidiſſe ſcribunt ex eius Actis. Balneator quidam pretium lotionis ab eo, qui lotus fuerat, petijt, quod erat oui vnius. Petit ille tempus ad ſol-

soluendum, impetrat, sed solutionis oblini-scitur & moritur. Creditor asserit, sibi à defuncto deberi solidos aureos centum. Negat vxor debitum. Creditor iudicem interpellat, qui sententiam dicit, vt aut ipsa debitum soluat, aut creditor illam habeat cum filijs suis in suo seruitio. Sed fœmina humano destituta auxilio, diuinum implorat per Seueri intercessionem. Is tintinabulo populum in Ecclesia Saluatoris nostri congregari iubet. Inde ad cryptam deueneruut, vbi sepultus erat prætensus debitor, & in qua sarcophagum sanctus Episcopus struxerat. Funduntur preces. Adiuratur defunctus, exsuscitatur. Negat solidorum debitum, sed oui vnius tantum fatetur. Rursus quiescit. Mendax verò creditor lapidibus certè obrutus fuisset, nisi misericors Episcopus obstitisset. Visitur adhuc sepulchrum, vnde ille excitatus fuit cum sua inscriptione ad posterorum memoriam.

Sepulchrum, vbi sanctus Seuerus amicum, cuius filios, vxoremq; falsò, æreque indebito balneator in ius vocauerat; vt verum diceret ad vitam reuocauit. Paulus Tassus I. V. D. Canonicus Neapolitanus Diui cultor, ne tanti miraculi memoria euerteretur eam piè restituit. Anno Domini M. D. LXXIII.

Hoc certè mirum, & inusitatum miraculum in causa fuit, vt Seuero adiungeretur in encomium *Mortuorum resuscitator*. Cæterum Seuerum inter, & Ambrosium Mediolanensem sanctum Episcopum intercessisse amicitiæ fœdus constat ex eiusdem Ambrosij ad Seuerum epistola 57. lib. 7. vbi laudat Campaniæ amœnitatem. Scripta fuit epistola hæc anno Christi 386. tribus annis antequam sanctus Doctor ad Capuense Concilium concederet, vbi Seuerum probabile est interfuisse, quemadmodum, & Romanæ Synodo secundæ sub Damaso Papa. Is certè per ea tempora fuit Seuerus, vt non solùm Ambrosio, cæterisque Christianis viris notissimus, & laudatissimus fuerit; sed ipsi etiam Symmacho, homini ethnico, & Christianis alioqui infenso, qui Reipublicæ Romanæ anno 391. vna cum Tit. Fabio Consulatum gessit. Id ex epistola Symmachi 51. lib. 7. obseruat Caracciolus, quæ tota est in Seuero laudando. Hic tandem præclarus Antistes multis virtutum præconijs cum Ecclesiæ suæ præfuisset, pluribus pro Christi nomine laboribus egregiè functus, clarusque miraculis migrauit ad Dominum die 30. Apri-

A lis, in cuius obitu affuisse SS. Ianuarium & Agrippinum, quos ille vocauit fratres, addit Anonymus vitæ eius scriptor. Corpus extra vrbem in propria Ecclesia tumulatum ab Vberto Archiepiscopo Neapolitano, deinde post multa sæcula, anno scilicet 1310. ex priuato loco subtus altare conditum fuit, vbi nunc requiescit. Caput eius in sacello maioris Ecclesiæ, quod Thesaurum vocant, auro, argentoque coopertum seruatur. Celebrem fuisse Seueri cultum etiam extra Neapolitanam Diœcesim Caracciolus colligit ex vetusto quodam Kalendario m. s. præfixo psalterio cuidam Capuanæ ciuitatis, in quo legitur. *Pridie Kal. Maij Seueri Episcopi & Confessoris*. Surrenti quoque in eius ho-
B norem fuisse constructam cellam, seu ædiculam sacram colligitur ex Leone Ostiēsi lib. 1. cap. 59. dum ait, Ioannem Ducem 27. Neapolis, eam concessisse Monachis Cassinensibus. Floruit is Dux anno Christi 933. Quo autem tempore Beatus Seuerus creatus sit Episcopus, & quandiu sedem tenuerit, non potest signatè definiri, vt idem scribit Caracciolus. Nam quod Anonymus, & ex eo Ioannes Diaconus in Chronico, & Regius scribunt fuisse totos annos quadraginta sex vsque ad Damasi Pontificatum, id quidem falsum esse euidenter euincitur. Quia eo tempore quod inter Syluestrum abijt, & Damasum præter Seuerum, quatuor figere oporret Episcopos Neapolitanos, non autem so-
C lum Seuerum, vt Diaconus inscitè facit. Constat enim ex ijs, quæ cum de Constantini Magni Neapolim aduentu ageremus, scripsimus Cosmatem tunc fuisse Neapolitanum Episcopum. Calepodius item anno 347. Apostolica Iulij Papæ legatione functus est in Concilio Sardicensi, vna cum Vincentio Capuano, & Ianuario Beneuenti Episcopo. Adrianus Papa in compendio Canon. apud Canis. to. 6. Antiq. Lection. Deinde Fortunatus iam Calepodio successerat, cum ab Arianis Episcopis in Pseudoconcilio Philippopolitano coactis celebrem illā epistolam, de qua nos in Fortunato, accepit. Maximus denique creatus fuit Episcopus Neapolitanus, diu ante Damasi Pontificatum; quippe
D qui eiectus ab Arianis è sede sua fuerat Liberio Pontifice, nempe eo ipso anno 359. quo Ariminense Conciliabulum, catholicos Episcopos vel violenter exagitauit, vel fraude circumuenit. Damasus autem factus est Romanus Pōtifex extremo penè anno 367. Quatuor ergo isti Præsules intra Siluestri, & Damasi Pontificatum figendos esse certum est: Igitur statuendum videtur, Seuerum post annum Christi 395. & fortassis post annum 412 excessisse è viuis; sedisse verò ann. 46. vt Ioannes Diaconus scribit. Nam alioquin non potuisse Seuerum Aedem sancti Martini nomine ædificare, qui obijt eo ipso anno 395. vel 397. vt Gregorius Turonensis lib. 2. miracul. c. 2. & de Gestis Francorum, Hist. lib. 2. c. 14.

c. 14. & ex eo Baronius in notis ad Martyrol. Rom. in prima editione, qui deinde in Annal. Ecclesiast. ex Seueri Sulpicij scriptis affirmat Maximum migrasse ad Dominum anno 402. vtut sit de Martini obitu, incredibile est Martino viuente Ecclesiam, ac Monasterium à Seuero fuisse erecta, quomadmodum incredibile est post Martini obitum, Seuerum diem suum piè obijsse. Hæc de Seuero, cuius Acta Anonymus ille supracitatus conscripsit circa annum Domini 800. vt Caracciolo placet. Nos Acta ipsa ex codice m. s. Longobardico Bibliothecæ Gregorianæ habuimus, quæ hic damus, tametsi correctione aliqua egeant, & ex ijs, quæ supra de Seuero relata sunt corriget Lector.

☞ Domino Illustri, & Fratribus omnibus in Christo salutem. Litteris nobilitatis vestræ iterata vicé sollicitor, vt vobis obitum, vel vitam S. Seueri Sacerdotis, & Pontificis fideliter referam. Facio quidem, quod vos præcipitis: sed timeo, ne non tam efficaciter faciam, quod facere cupio. Tamen quia petere dignati estis, fideliter & sine mendacio faciam. Noui etenim melius esse linguam silentio premere, quam ad peccatum animæ falsa narrare, dicente Scriptura: os, quod mentitur, occidit animam. Et ideo venerationem vestram plurimum quæso, vt imperitiæ meæ veniam dare dignemini; Alioquin, si vobis sermonis mei vilitas cœperit displicere, non mihi, sed vobis rectius imputetis: quia aquâ purissimi fontis à cœnoso riuulo postulastis. Sed hæc breuiter dicta sint. nunc autem veniamus ad ea, quæ vobis, qui vitam, vel obitum eius versibus illustrare disponitis dicendi materiam subministrent.

Explicit Prologus.

Incipit vita, & obitus eius.

☞ SEcretum Regis celare bonū est: opera autē Dei reuelare & confiteri honorificum est; multa enim mirabilia, & signa omnipotens Deus per seruos suos quotidie ostendit, sicut scriptum est: Mirabilis Deus in sanctis suis. Et ad Apostolos promittens, dicit: Qui credit in me, signa, quæ ego facio, & ipse faciet. Rem nouam & inauditam in his temporibus accidit nobis Seuerum Neapolitanæ Sedis Episcopum, sicut & antiquos olim Sanctos, operari mirabilia, quæ per illum ostendere Dominus dignatus est. Nam quadam die iuxta morem homo quidam consuetudinis balneo lauandus ingressus est. Post ablutus aqua, cum recederet custos balnei ouum ab eo pro balneatico petijt, quod vnusquisque balneaticum pro pretio dare consueuerat. Sed ille oblitus ouum adducere minime licuit ei vt liberaret debitum balnei. Cœpit autem eum rogare, dicens cum summa alacritate: Obsecro te, ò carissime amice & compater, sustine me paulisper donec reuertar domum, & libenter ouum, quod dare tibi balneaticum debeo festinanter dirigo tibi. Cui ille, vade in pace, & ne cures talia, tantummodo ouum, quod mihi dare debes, ne moras facias dirigendo. Mox vt domum suam ingressus est, oblitus est dirigere ouum, quod debebat balneario. Factum est autem, vt non post multum tempus homo ille moreretur. Cum autem audisset balneator, quia defunctus esset debitor suus, & ouum ei minimè direxisset, surgens exindè interpellauit Ducē terræ eius super vxorem eius, quod vir eius dare debuisset solidos aureos centū. Tunc illa detestando & iurādo cœpit dicere: non faciat Deus, vt vir meus tibi solidos dare debuisset: cui Dux terræ tale dedit iudicium, vt aut debitum redderet ipsa mulier, aut ipse debitor haberet eam vna cum filijs suis in suo seruitio. Quare illa mœsta consurgens, soluto crine, & scissa veste à capite vsque ad vestigia sua, lacrymis simul cum voce ad Dei famulum Seuerum Episcopum peruenit; Prouoluta pedibus eius, deprecari eum cœpit, dicens: O Pastor sancte, ò qui Apostolorum viam tenes, succurre mihi miseræ viduæ: quia inimicus homo cum fallacia sua oppressit me vna cum filijs meis in ius suum me habere: & dicit mihi, quod vir meus dare ei debuisset aureos centum solidos, quod vir meus dare ei minimè debuit. Esto mihi adiutor ò sanctissime Pontifex Seuere, & sicut sanctissimus Daniel Propheta liberauit Susannam de falso crimine, ita & tu me libera ò sanctissime Pastor, quia iniustè damnata sum à falso inimico meo. Cui beatissimus Christi Confessor, & Episcopus Seuerus ait: viuit Dominus, quia non habeo solidos, nec quamque rem, vnde te eripere potuero? Sed sustine me in crastinum paulisper; facturus est Dominus mirabilia sua. Erat autem crypta extra portam ciuitatis, vbi ipse Christi Dei Confessor Seuerus & Pontifex sibi Sarcophagum sepulturæ futuræ parauerat. Et ipsa mulier ibidem virum suum humatum habebat. Quam vir Domini videns in tanta amaritudine esse mulierem, commotus viscera, quæ semper misericordiæ erat indutus, mox autem nouam consuetudinem suæ ciuitatis demonstrauit. Dedit tintinnabulum clerico suo, vt circuiret ciuitatem inclytam, & ad sonum tintinnabuli cursim omnes cateruati ad Episcopij Ecclesiam Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi conuenirent, vt miraculum, quod facturus erat Dominus per Pontificem suum Seuerum cunctis ostenderet. Cum autem essent omnes valde diluculo agglobati simul in vnum viri ac mulieres, abstulerunt secum Crucem Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, & cum Letania, & psalmo-

dię cantu ab Episcopij Ecclesia vsque extra portam ciuitatis ad memoratam cryptam peruenerunt, vnde superius mentionem fecimus. O quantas lacrymas ibi fundentes, clementiam Dei deprecantes Monachi, & Sacerdotes, Clerici, & laici, mulieres, & infantes, viduæ, & orphani, vt exaudiret Dominus gemitum eorum. Mulier vero illa quæ in amaritudine erat animi constituta, non relinquebat Pontificem: sed proprijs eum vestigijs consequens, & vocem emittebat suam ad cælum, vt de tanto crimine eam Deus liberare dignaretur. Tunc Beatissimus Christi Confessor Seuerus cum videret plebem suam in magno fletu & mœstitia, & voces emittentes ad Cælum, & iniuncta vidua vna cum ipsis tantas lacrymas funderet, motus est & ipse in lacrymis & in fletu magno, conuersus ad Dominum sic exorsus, ait: Domine Iesu Christe fili Dei viui, qui voce tua quatriduanum Lazarum suscitasti, tu resuscita mortuum istum, vt dicat nobis de debito, quo iste homo quærit hanc mulierem suam, si verum sit, an non. Et statim iussit aperire sepulchrum. Cumque iam obtutibus omnes cernerent cadauer, quod in multo tempore iacebat exanime; tunc beatissimus Christi Confessor & Episcopus Seuerus sic exorsus, ait: In nomine Domini Iesu Christi filij Dei viui surge, & sede in tumulo tuo, & dic nobis, si debuisti dare solidos homini, vnde vxorem tuam afflictam tenet vna cum filijs tuis. O admirabilis clementia Dei, qui nec Pontificem suum Dominus in minimo contristare voluit. Qui statim ad vocem vicinam, quasi ex somno surrexit, & cœpit loqui dicens: per Iesum Christum Dominum nostrum, in cuius conspectu astans & exorans die ac nocte non debeo solidos dare nec quicquam aliquid, nisi tantummodo vnum ouum pro ipso balneo, vbi me lauit. Tunc manifestauit ille iniquissimus homo, quod non deberet date ei plus, nisi tantummodo ipsum ouum. Tunc exurgentes omnes in eũ, voluerunt lapidibus obruere: sed beatissimus Christi Confessor Seuerus prohibuit, ne talia fierent; dicens: non licet nobis malum pro malo reddere, sed perhibete bonum. Memores estote, fratres carissimi, quanta & qualia passus est Dominus noster Iesus Christus pro nobis. Tunc beatissimus Christi Confessor conuersus ad defunctum, sic aie: ò homo, vis viuere adhuc in hoc præsenti sæculo? aut deprecabor Deum omnipotentem pro te, vt faciat te inter Sanctos suos æternis gaudijs frui sempiternis. Cui ille respondit: si tibi placet, ò sanctissime Pastor & Pontifex, inter Sanctos consortem me esse gaudiorum concede. Cui Pontifex ait; requiesce in pace securus: nam & ego rogabo Dominum meum Iesum Christum, vt quicquid postulas merear adipisci.

A

B

C

D

Sedit S. Seuerus Episcopus annos 46. menses duos, dies vndecim. Hic fecit basilicas quatuor; Nam & corpus B. Ianuarij Sacerdotis & martyris ipse condiuit manibus suis in Ecclesia foris portã huius ciuit. milliario vno, in qua nunc requiescit vsque in præsentem diem. Et ipsæ basilicæ vnde superius mentionem fecimus vnam foris vrbem iuxta S. Fortunatum, nomini eius consecrauit. Et aliam in ciuitate mirificæ operationis, in cujus abside depinxit ex musiuo Saluatorem cum duodecim Apostolis sedentibus; habẽtibus subtus quatuor prophetas distinctos pretiosis marmorum metallis. Esaias cum oliuæ corona Natiuitatem Christi, & perpetuæ virginitatis Dei genitricis Mariæ designare voluit dicendo: fiat pax. Hieremias per vuarum oblationem virtutem Christi, & gloriam Passionis, & Resurrectionis præfiguratur, cum dicitur: In virtute tua. Daniel spicas gerens Domini annunciat secundum aduentũ, in quo omnes boni & mali colliguntur ad iudicium, propterea dictũ est: Et abundantia. Ezechiel proferens manibus rosas, & lilia, fidelibus regnum cælorum denuntians: vnde scriptum est: In turribus tuis. Etenim in rosis sanguis Martyrum figuratur; in lilijs perseuerantia confessionis exprimitur. Prius ipse foris vrbem iacuit in Ecclesia suo nomini cõsecrata; nunc verò requiescit in ea ipsa Ecclesia Neapoli constituta, quam alij Seuerianam, alij (propter Oratorium ibi factum) S. Gregorium vocant. Et fecit duo Monasteria, S. Martini Christi Confessoris, & aliud Potiti martyris. Fuit autem temporibus Siluestri Papæ, & Constantini Augusti; & perdurauit vsque ad Damasum Papam: transiliens Apostolicos hos Marcum, Iulium, Liberium, & Felicem. Syluester Papa constituit, vt Chrisma ab Episcopo conficeretur, & priuilegium Episcopi, vt baptizatum confirmet, propter hæreticam suasionem. Et hoc constituit, vt baptizatum liniret Presbyter Chrismate leuatũ de aqua, propter occasionem transitus mortis. Beatus Syluester constituit, vt Diacones in Ecclesia Dalmaticis vterentur, & pallia linostina læua eorum tegeretur. Hic constituit, vt sacrificium altaris, non in sericum, nec in pannum tinctum celebrari, nisi tantum in lineum à terreno procreatum; sicut corpus Domini nostri Iesu Christi in Sindone munda sepultum. Sedit S. Siluestri tempore B. Seuerus annos duodecim, & superuixit annos vigintiquatuor. Post Siluestrum Papam sedit Marcus Papa annos duos, menses octo, dies viginti, & post eum Iulius Papa sedit annos quindecim, menses duos, dies sex: fuit autem temporibus Constantini fratris sui, & Constantij filij eius Iouiani Imperatoribus. Et depositus est B. Seuerus, finiuit in Domino tertio Kalendas Maias. Qui Constans Arrianus effectus, Catholicos toto orbe persequitur; cujus etiam fauore fretus Arrius Constantinopolim pergit aduersus Ecclesiam Dei dimicaturus iterum. Diuertens per forum Constan-

stantini ad necessariam causam, viscera eius repente simul cum vita effusa sunt. Liberius Papa sedit annos sex, menses sex, dies quatuor: fuit autem temporibus Constantini filij Constantini vsque ad Constantium. Hic exilio deputatur. Athanasius Alexandriæ Episcopus cum à Constantino quæreretur ad pœnam, honorificè susceptus est. Donatus artis Grammaticæ Scriptor, ac præceptor Hieronymi Romæ insignis habebatur. Beatus Antonius Monachus centesimoquinto ætatis anno in eremo moritur. Ossa Andreæ Apostoli, & Lucæ Euangelistæ Constantinopolim transferuntur. Hilarius Pictauiensis Episcopus, qui pulsus est ab Arrianis in Phrygia fuerat in Galliā redijt. Sed quia hæc ordine breuiter per excessum diximus, ad expositionis ordinē de obitu B. Seueri redeamus.

Igitur S. Seuerus, cum ante triduum quàm de hoc mundo ad cæleste habitaculum vocaretur, cumq; iam de salute eius ab omnibus medicis desperaretur, & sciens se iam profecturum ad Dominum, conuocari iussit cunctum Clerum suum, & iubet sibi ante lectum suum sacra mysteria exhiberi, scilicet vt vna cum sanctis Clericis oblato sacrificio Deo animam suam Domino commēdaret: simul etiam & eos, quos pro disciplina ecclesiastica ex communione sacri mysterij extorres esse præceperat ad pacem pristinam reuocaret. Et cum hæc omnia cum sanctis Clericis læto, atque perfecto ordine celebrasset, subito clara voce interrogare cœpit vbi essēt fratres sui. Tunc vnus ex circumstantibus Vrsus Diaconus nepos eius (qui post eius transitum ipse Episcopus ordinatus est) cum hoc audisset, cogitans quod fratres suos, idest Diaconos quæreret, ait illi: ecce hic sunt fratres tui. Cui ille respondit, dicens, scio, inquit, hi, scio, quia hic fratres mei. Sed ego nunc fratres meos Ianuarium, atque Agrippinum dico, qui mecum sunt modo locuti, & continuo ad me venturos se esse dixerunt. Et bis dictis, extensis ad cælum manibus, hunc psalmum Domino decantauit, dicens: Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet auxilium mihi: auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram. Deinde collecta oratione, siluit. Inter hæc autem, cum iam nox diei successisset, vsque ad mediam noctem corpusculum eius quieti concessit, donec rediente dolore, qui lateri eius nimius inerat. Facta autem die Presbyteris, & Diaconibus, atque omnibus Clericis exemplo Dominico, pacem hæreditariam prædicauit. Transactis autem his, tacitus vsque ad vesperam perdurans, deinde quasi de graui somno excitatus, lucernariæ deuotionis tempus agnoscens, extensis in cælum manibus, lenta licet voce orauit ad Dominum dicens: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælo. Paraui lucernam Christo meo, Domino decantauit. Tum deinde facto aliquandiu silentio, circa ho-

A ram quartam noctis, omnibus qui aderant sollicitè vigilantibus, subitò tam ingens cubiculo eius terræmotus concussus est, vt hi, qui lectulo assistebant, exterriti, atque turbati ad orationem se Domino cuncti iactarent. Nihil tamen scientibus his, qui pro foribus consistebant; neque enim publicus ille, sed priuatus in cubiculo eius fuerat terræmotus. Inter hæc cum vnusquisque tali timore exterritus pro peccatis suis Dominum deprecaretur, ille angelicis suscipiendus manibus debitum Deo spiritum exhalauit; Ipso adiuuante, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto viuit, & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

B Hortaris me Capuane virorum sagacissime, pietatis meritum, quod summa tibi diuinitas per suos Sanctos milites nostris temporibus Georgium scilicet Martyrem, Seuerumque Pontificem, atque Agnellum Confessorem largiri in ipso mortis articulo est dignata, scribere; quatenus posteris memoriā, & legēt bus bona præparemus spei fiduciam. Confiteor nimium hoc aggredi abhorrui, partim propter inscitiā, iaculorumq; inuidiā, partim propter Dei seruos, & eruditissimos vestræ vrbis viros, quibus est cæleste nosse collatum secretum, quorum scientiæ vigor, velut in Orbe lumen refulget. Sed tua vtpote amice, ne obsecratio languida remaneret, elegi magis quàm tibi vni alijs displicere, vt

C amor amplius accresceret, & veritas roboraretur. Et quia tales meruisti adiutores, quos non tua vrbs tantùm in terris posita habere gaudet patronos; verùm cælestis etiam aula Sanctis cum Angelis ret net perpetuos concines; dignum est tibi tuisq; omnibus complicibus eorum salubres lau les sedulo ore perstrepere, vt quemadmodum temporalis vitæ tribuere solatia, ita impartiri æternæ studeant gaudia. Nam quamuis continua nos peccata ne Dei recipiamus præpediant misericordiam, tamen effectos non nos abire eius finit clementia: sed nunc vt mater vbera filijs commodat, nunc abstractis, ne fugantur obnubilat, vt quos parumper linquit vt abiectos, possit habere perfectos. Sed

D quia hæc aliàs, modo eam, quam in te Deus operari dignatus es beneuolentiam, vt hausi auribus à te, exponere aggrediar.

Tempore quo Henricus Theutonicorum Rex, Conradus filius Romam, vt Imperij coronam ab Apostolica Sede sumeret, aduenit, Ioannes Neapolitanorum magister militum, & Campaniæ Dux cum suo exercitu ad Puteolos applicuit, ibique defixis tentorijs, machinamentis, quibus valuit expugnare nisus est. Dum hæc sæpius fierent, accidit, vt die quadam Capuanus, quem in prælio posuimus, inter pugnantium agmina fortis astaret, quem quidam ex oppidanis sagitta appetens grauiter vulnerauit. Hunc sodales deportantes in tentorio collocauere, & vt saggittam abstraherent, insistere cœperunt.

runt. Qui cum multis argutijs desudarent, lignum, in quo spicula adhæserat, abstulere, ferrum verò intus reliquere: nam ferri acies per extremitatem cilij, quæ oculorum angulos detinet, ingressa, ita tempo ris interius loca, ossiumque confodit, vt nullum reperiendi aditum quomodo posset auferri relinqueret. Deinde inito consilio vrbem ad propriam vehiculo reductus est, ibique multis adactis medicaminibus, nullum sospitatis attulere præsidium, sed & ferro in altum secari iussus, sagittæ latentis, via nulla ratione ostensa est. Quid ageret miser? quo se verteret nesciebat: quia quem medicorum certamina fallebant, mortis supplicia deterrebant. Tandem potitus diuino consilio, omissis humanis certaminibus, sanctorum cœpit postulare suffragia: vt quod terreni non possent commodare physici, cælestis regni proceres more condonarent solito, dicente Domino; quia quæ apud homines impossibilia sunt, possibilia sunt apud Deum. Quid multa? ad Basilicam sanctissimi Agnelli deductus, quibus valebat precibus rogitabat, vt sicut multis per orbem languidis subuenisset, ita & sibi in mortis certamine posito subueniret. Aliquantis ibi diebus expletis, domum reuersus est. Item S. Georgij templum ingrediens beatissimi Seueri deposcebat auxilium, & Sanctos, quos pictos in sancta aula conspexerat, obsecrabat: deinde vale dicens omnibus, domum reuertitur, diem præstolabatur extremum. Tandem affuit solita pietas Domini, secundum quod scriptum est: quis Deus magnus, sicut Deus noster: quoniam tu castigas, & saluas, deducis ad inferos, & reducis, & post lacrymationem, & fletum exultationem inducis. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, misericordiam facis. Sed libet modo nobis Capuanum parumper prouocare ad exorandum Dominum, qui dixit: Omnis qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Eia Capua ne amice carissime, incipe modo cum Propheta dicere: exurge quare obdormis Domine, Exurge, & ne repellas nos in finem. Quare faciem tuam auertis, obliuisceris inopiam nostram, & tribulationem nostram: quoniam humiliata est in puluere anima nostra, adhæsit in terra venter noster. Exurge Domine adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum. Certò certius aderit ille, qui suos ad te milites dirigat, per quos & tibi vitæ auxilium præbeat, & mortis obstaculum longius abigat.

Dum quadam nocte prædictus Capuanus somno quiesceret, ecce tres viri apparuerunt ei vestibus dissimiles, sed moribus pares. Primus Pontificali habitu decorus, secundus monastico schemate redactus; tertius militari cingulo pressus: vt etiam à Capuano is æstimaretur, qui eum in prælio percusserat, quem contemplatus condoluit. Putabat enim

A causa cum cognationis aduenisse interius. Ad quem duo superiores talia famina dedere: Ne æstimes Capuane hunc esse militem te, qui perculit telo: sed martyrem esse Georgium, qui tibi sanitatis præsens gaudia pandit. Et nullum de hac clade ab hac hora periculum sustinebis. Interea proprijs se se indicauere nominibus, Agnellus scilicet, & Seuerus; & eius ab aspectu se protinus abstulerunt. Expergefactus homo à somno cœpit secum cogitare, & mente conquirere, quæ vidisset. Et cum multa pertractando reuolueret, eleuata manu sagittæ ingressum tetigit, & quasi aliquam ferri aspredinem sensit. Tunc aduocato filio, ait: Surge, & celerius mihi affer lumen. Quo facto, ex-

B clamans filius ait: ne timeas, pater, quia sagitta est, & si dimittis me paululum incidere, statim abstraham eam. Cui pater: sustine fili, prius ingrediamur sanctissimi Georgij templum, & audito matutinali officio, altare, quo corpus beatissimi Seueri latitat, reperamus, & ibi astantibus clericis, & orantibus, quid Dominus facturus sit videamus. Dum dicta opera essent expleta, missa manu Capuanus, vt vulneris locum tangeret, illico secuta sagitta manum cecidit ante altare sacrum. Cernentes omnes, qui aderant tam sublime miraculum, magnas laudes Deo dedere: qui mundo in malo posito non cessat adhuc per suos Sanctos talia dona præbere. Statim Capuanus, vt eorum mens plus ro-

C boraretur miraculo, quid illi ea nocte ostensum esset, quidue pronunciatum, in medium protulit. Præterea hoc fuit mirabile sentiendum, quia caput in secretiori percussum parte tam diro vulnere, egrediente sagitta, ita consolidatum est, vt nullius humanæ cuperet medicinæ solatium; dicente Beda de socru Simonis curata à Domino; Naturale est febricitantibus, incipiente sanitate lassescere, & ægrotationis sentire molestiam. Verùm sanitas, quæ Domini confertur imperio simul tota redit; Cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen, &c.

Sed neque hoc prætereundum esse videtur, quod temporibus Sergij, & Ioannis ma-

D gistri militum vrbis Parthenope, Dominus per famulum suum Seuerum operari dignatus est: vt dum fama Sanctorum eius passim per mundum se fuderit, obcœcatorum corda facilius inuitentur, & mentes fidelium ad agonizandum amplius accendantur. Fuit quidam vir, Petrus nomine, natione Græcus cognomento Volicaci de Calabriæ Amantea ciuitate; hic in prædicta vrbe Parthenope incolatum habebat iuxta magnam Basilicam sanctissimi Georgij martyris, & Seueri Christi Confessoris. Qui secundum suæ possibilitatis substantiam præbebat Deo in prædicta basilica fideliter munera, precesque fundebat assiduas: nam & altare, quo eius venerandæ reliquiæ recubant, vndique velo circumcinges obtexit. luminaria verò sæpissimè of-

tere-

ferebat. Sed inimicus boni operis non recto intuitu, quæ isdem Petrus circa Domini famulum cernens exhibebat, solitas suas ad artes refugit, quatenus mente eius amaritudinum stimulis incitata, non iam Deo orationes, & luminaria, sed querelas, & iurgia propinaret. Sic quondam Saluatoris discipulum eius illiciendo animum fefellit, vt de cliente traditorem faceret, & Satanæ pellentem dæmonia laqueo implicaret. Sed miser quãuis multos taliarte decipere non desistat, tamē & ipse à multis IESV protegente Domino spretus turpiter sæpe inuenitur, & victus: nam filiam eius paruulam Vrsam nomine, ita immensis doloribus contraxit, vt nec manum ad os ducere, nec extendere alia ratione valeret; quam genitor conspiciens profusus lacrymis, animoque consternatus proprijs eam baiulans vlnis, simulque cum olei vasculo pleno collo illius suspenso ad sacratissimum altare sub quo eius corpus quiescit, cucurrit, atque ibi cum ea proiectus lacrymas deuotissimè fudit, & tali voce Dominum poposcebat Regem.

Tu Deus omnipotens, qui culmina cœlica tangis,
Et numeris elementa ligas, vt frigora flammis
Arida conueniant liquidis, ne purior ignis
Euolet, aut mersas deducant pondera terras.
Qui requies tranquilla pijs es, gloria fessis,
Respice dicta mea, cunctum qui respicis orbem.
Et miserere mei, ne pressus pondere graui,
Hanc perdam prolem, quam pestis sæua reuinxit.
At tu sancte Dei Præsul venerande Seuere,
Qui pietate micas, qui mortis vincula soluis.
Vulnera cerne mea, quæ duriter ensis adurit.
Ignifer, vt laudes possim tibi reddere summas,
Et Domino cuius tu seruus adesse probaris,
Qui tibi concessit vitam donare famellis,
Qui tua munera sancta petunt per sæcula semper.

Talia vir præfatus in pauimento adiacens cùm ore repeteret; misericors Dominus, qui precantium nunquã abijcit preces, nec mundo corde inuocantes destituit se, statim sui per merita famuli adfuit, & nec primitus præfatus vir à pauimento sublatus est, quam ei filia sanitati plenissime sit reddita, & quæ contracta manibus, brachijsque ad eius fuerat adducta tumulum, sine omni mora protinus est patri extensa, & ab omni languore absoluta reddita.

Elysij sedem nobis acquire Seuere.
Antistes, sobrie cordaque nostra foue,
Defunctus fari qui sanctis obtinuisti
Eulogijs, nostra tu quoque corda riga.
Est nobis votum seriatim pangere totum
Quod cuidam cano contigit archiatro.
Rem miram vobis refero, quæ nuper in ista
Facta est Vrbe bona virginis, atque probe.
Vrbis Dux huius dum progressus properasset
Aduersus Comitem, qui sibi restiterat,
Et cum militia condensa cuncta repleret
Arua loci illius, sunt, vbi Puteoli.
Cœpit summoperè castrum confligere contra
Spicula iactando insuper & lapides.
Et cum èam nimiùm machinis affligeret illam,
Vrbiculam paruam, qua Comes intus erat.
Accidit vt subito Capuanis nomine dictis
Ales arundo volans tempore perculeret,
Cuspide mox tracta, heu dira sagitta remansit,
Quam nullo poterant arbitrio trahere.
Omnes plangebant, lugubrique voce gemebant,
Cunctipotens pie Rex, huic modo Christe faue.
Quid multis morer? hunc ad mox vrbe reuocarunt,
Nomineque proprio Parthenope resonant.
Hic Confessorũ cœpit peragrare sepulchra,
Suspicijs nimijs Patro rogans ciuium.
Sed non Agnellus, non præclarus Seuerinus
Curarunt hunc à vulnere letifero.
Non Gaudiosus, Proculus, non Sossius almus
Illi præstarunt quodlibet auxilium.
Non Martinus amans Christum, non hunc Benedictus
Curauit miserum, sed Domini pietas
Reuera potuit, quod nullus medicorum;
Hoc valuit Sanctus, nempe suis precibus.
Pontificem Seuerum dicimus istius vrbis
Cuius soma loco vab requiescit in hoc.
Prebuit & martyr Christi Georgius aptum
Illi præsidium, qui rogitabat opem.
Ex improuiso processit lapsa sagitta.
Ante pedes huius, qui pia vota dabat.
Affines flentes Dominum tunc magnificarunt
Vocibus altisluis, cordibus atque pijs.
Dicentes: non est similis tibi Christe Redemptor
In priscis quisquam, qui queat hoc facere.
Quare dicamus, hæc clara voce canamus,
Carmina melliflua, cantica laudiflua.

Gloria Chriſte Deus tibi ſit per ſaecula cuncta.
Qui hunc inualidum ſic medicando iuuas.
Gloria ſit Patri, Verbo qui cuncta creauit.
Sit ſemper ſancto gloria Spiritui.
Verſificatorem tu protege, ſancte Seuere,
Hunc qui curaſti dando ſibi requiem.
Hos verſus cecinit Ioannes Presbyter archi
Cuius vota Deus compleat altitonus.



15. VRSVS S. Seueri Archidiaconus, ac nepos patruo ſucceſſit circa annum Domini, vt mihi videtur, 412. quatuor annos Neapolitanam Eccleſiam rexit, & fato functus in cœmeterio extra vrbem humatus eſt, teſte Ioanne Diacono, in quo B. Euphebius conditus fuerat, de quo Anonymus in vita Seueri. Vrſus ergo, vt Caracciolus obſeruat, ſucceſſor Seueri fuit, non Vrſicinus ille ſchiſmatis auctor, & Romanae Sedis violentus inuaſor, vt affinitate vocum decepti ſcripſerunt Anaſtaſius, & ex eo Platina in vita Damaſi. Sed Vrſus nepos, quod Ioannes Diaconus, & ex illo antiquior Anonymus iſte tradiderunt: quoſque ſecuti ſunt Baronius, ac Binius. Porrò Vrſicinum illum, ſiue Vrſinum non fuiſſe Epiſcopum Neapoli liquet; tum quod nihil eiuſmodi habeat Marcellinus tractatu de hoc ſchiſmate; alioqui, vt veriſimile eſt, non taciturus hanc honorificam Neapolitanae Sedis dignitatem collatam ſuo Pſeudopontifici (nam & ipſe Vrſicini ſequax fuit) Tum etiam quia legitur hic ipſe Viſicinus poſt ſedatum ſchiſma, quod conflauerat, relegatus in Galliam: Ac praeterea quia idem reperitur negocium faceſſiſſe Siricio, poſt decem & octo annos, hoc eſt poſt obitum Damaſi, vt habetur ex litteris Theodoſij Imperatoris Papiniano Praefecto ſcriptis anno Chriſti 385. quas Baronius recitat. Vnde patet, in quot diſceptationes incurrant, qui Vrſum cum Vrſicino confundunt. Porrò quod Ioan. Diac. ſcribit, Vrſum poſt qua-

A tuor ſolummodo annos Epiſcopatus ſui obijſſe ſub Damaſo, omnino falſum videtur, cum Seuerus Vrſi praedeceſſor poſt annum 396. (melius 412.) exceſſerit è viuis, oportet igitur Vrſum obijſſe lõge poſt Damaſi Pontificatum, anno ſcilicet 416.

16. IOANNES huius nominis primus Neapolitanus euaſit Epiſcopus defuncto Vrſo circa annum Domini 416. Hic, vt Ioannes Diaconus refert, & ex eo alij ſub Seuero Epiſcopo anno 381. Neapoli è fundo Marciano propè Puteolos inclyti martyris Ianuarij corpus tranſtulit, proprijſque manibus ſepeliuit in Baſilica eius nomini dicata, in qua quidem Eccleſia poſt ſuae vitae finem conditus eſt ad dexterã partem prope S. Fortunati tumulum.
B Hunc Neapolitanae Eccleſiae praefuiſſe Siricio, & Anaſtaſio Romanis Pontificibus anno 388. narrat Diaconus, & ex eo aliqui recentiores: hi tamen toto caelo aberraſſe viſi ſunt, cum ea tempeſtate Seuerus Neapolitanam adminiſtrabat Eccleſiam, vt ex ijs, quae in Seuero ſunt relata, clarè habetur: etenim ad Seuerum extat epiſtola Ambroſij anno Chriſti 386. ſcripta, & Seuerus poſt D. Martini obitum Eccleſiam, ac Monaſterium eius nomini Neapoli conſtruxit, Martinus ad caelum euolauit, iuxta Baronij veriorem computum anno reparatae ſalutis 402. Caeterum Ioannes Diaconus, quae de Ioanne vulgo Aquarolio Epiſcopo Neapolitano ſanctiſſimo dicuntur, & quem
C B. Paulinus Epiſcopus Nolanus ad caeleſtia regna vocauit, perperam Ioanni huic primo attribuit, vt intra ſuo loco narrabimus.

17. TIMASIVM Neapolitanum fuiſſe Epiſcopum poſt Ioannem ſcribunt ex Ioanne Diacono. Vixiſſe aiunt anno ſalutis 425. alij anno 477. quem ſediſſe volunt ann. 31. vtcumque ſit, conſtat Timaſium quondam fuiſſe Neapolitanum Epiſcopum. Hac tempeſtate, nempe anno Domini 438. Sanctus Gaudioſus Epiſcopus Bithyniae ex Africa Vvandalicani perſecutionem ſub Genſerico Rege fugiens Neapolim multa Sanctorum Lipſana detulit ſecum. Pretioſum porrò Protomartyris Stephani cruorem à Gaudioſo Neapolim aductum fuiſſe cõſtans eſt
D omnium opinio traditione, & veteribus monumentis roborata: cui ſubſcribit Baronius. Notis ad diem 3. Auguſti. *Fertur*, inquit, *S. Gaudioſus Epiſcopus ampullam citream concreti ſanguinis S. Stephani inde Neapolim Campaniae vrbem fugiens, ſecum aſportaſſe; quae hactenus ibidem in Eccleſia eiuſdem S. Gaudioſi religiosè aſſeruatur: vbi adhuc miraculum perſeuerat, vt ſuper altare ampulla poſita, dum ſacra Miſſarum ſolemnia peraguntur, liqueſcere, velut recens effuſus ſanguis aliquando conſpiciatur.* Primus omnium ad oras occidentales Stephani reliquias detulit Oroſius presbyter Hiſpanus, qui per ea tempora peregrinatus eſt Hieroſolymam. Deperdita poſtmodum eo-

rum

[A] rum memoria Luciano Presbytero diuinitus reuelata fuerunt, vt eiusdem literæ testantur. Neapoli autem alterius Luciani industria, vt scribit Caracciolus, detectus pretiosus cruor anno 1561. cum Altare Gualandæ familiæ dirueretur, in ea S. Gaudiosi Ecclesia, in altera vrnarum sub eo repertarum, phiala erat vitrea, sanguinis, vt videbatur plena: cuiusnam martyris esset, nullo extante scripto, ignorabatur. Tunc Canonicus Neapolitanus Lucianus nomine, qui ad reliquiarum veritatem indagandam cum Archiepiscopo Surrentino, Neapolitano Vicario, alijsque Canonicis aderat, manu phialam apprehendens, non absque interno impulsu exclamare cœpit. *Video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei*. [B] Visusque est sanguis ebullire, & liquescere: quo signo cõpertum est Stephani esse sanguinem, cuius ea fuere verba, dum lapidaretur à Iudæis. Illud autem liquescentiæ miraculum perseuerat adhuc toti ciuitati conspicuum. Aedificauit postea Gaudiosus Neapoli Monasterium in loco olim dicto *Caput trij*, fortè quod ad Septemtrionem is collis positus sit. Putant aliqui Monasteriũ hoc primùm à Gaudioso, postea ab Agnello, deinde à Virginibus inhabitatum fuisse, dictumque Monasterium Gaudiosi à primo eius Fundatore. At quia Ioannes Diac. & Ammiratus in Grimoaldo tertio Duce Beneuenti dicunt à Stephano Episcopo constructum esse Monasterium S. Gaudiosi, ideo rectius putauerim, [C] ait Caracciolus, posse dici monasteriũ quod Gaudiosus ædificauit, & postea Agnellus Abbas Monachorum rexit, non fuisse illud, quod nunc S. Gaudiosi dicitur, sed quod sancti Agnelli. Firmaturque hæc opinio; nam in hoc quidem, non in illo Monialium erat, estque Imago, seu Sacellum S. Mariæ *intercede pro nobis*. Obijt Gaudiosus anno Christi 453. vt Capaccius colligit ex Ind. 6. sepulchro eius scripta, cæteris ob vetustatem penè diminutis characteribus, sepultusque est in cœmeterio subterraneo, super quod nuper Ecclesia S. Mariæ Sanitatis erecta est, vnde postea ad Ecclesiam sui nominis eius pignora translata fuerunt.



18. S. NOSTRIANVS Episcopus cõmorionũ tempore Neapolitanã regebat Ecclesiam anno 414. quandoquidẽ Pelagij tunc, & Iuliani falsa dogmata catholicos in Campania vexabant. Pugnauere aduersus ea Prosper Aquitanus tunc temporis Leonis Pontificis in Campania Legatus, & alij. Sudauit quoque Nostriani diligentia, pro grege suo in Catholica fide seruando: cuius zelus in fratrem quoque emanauit. Ab hoc germano Nostriani, & Horio Presbytero, alijsque Clericis Ecclesiæ Neapolitanæ tentus, & coercitus fuit quidam Florus, qui S. Sosij sibi sanctitatem assumebat. Huius rei meminit Prosper libro de Promissione, & Prædictione cap. 6. de signis Antichristi, *In Italia*, inquit, *quoque nobis apud Campaniam, dum venerabilis, & Apostolico honore nominandus Papa Leo Manichæos subuerteret, & contereret Pelagianos, & maximè Iulianum, ambiens tum quidam Florus nomine, spiritu seductionis arreptus virtutem & meritũ sibi S. Sosij martyris assignans, cum haud procul à Neapolitana ciuitate in subuersionem animarum quadam promitteret, faceretque illicita, à germano venerabilis Nostriani Episcopi, & Nerio Presbytero, simul cum Clericis prædictæ Ecclesiæ ictus & coercitus à præfata prouincia liminibus pulsus est*. Pauca de Nostriano nobis antiquitas reliquit præter hæc, & quæ Ioannes Dia- [D] conus scripsit. *Nostrianus Episcopus XV. sedit annos XVII. Hic fecit Balneum in vrbe, & alia in gyro ædificia, qui vsque hodie Nostriani balneus vocatur, qui bonis operibus agens in Domino requieuit, & sepultus est in Ecclesia Beati Gaudiosi Christi Confessoris foris vrbem euntibus ad sanctum Ianuarium martyrem in porticu sita*. Addit Caracciolus. At post Io. Diaconi ætatem in regionem Nostrianam translatum fuisse corpus eius, & propriè ad Ecclesiam sancti Ianuarij ad Diaconiã ipsa eius retectio Augusto mense anni 1612. Octauio Cardinale Aquauiua Neapolitano Archiepiscopo demonstrauit. Cum autem signarè quo die ipse

ipſe obijſſet ignoretur, ad ſextum decimum Auguſti, quando inuenta ſunt ſacra pignora fixus eſt. Sic Galeſinus 7. Id. Ianuarij teſtatur de SS. Beniamino & Maximo martyribus, quorum cum dies natalis ignoraretur, agi eorum feſtum cœpit eo die, quo inuenta fuere eorum corpora. In Romano quoque Martyrologio feſtum S. Danielis martyris, tertio Ianuarij, fit eo die quo Inuentio eius, vt notat Baronius. Sacra eius oſſa, vt Sanctorum Lipſana venerantur. Eius caput argentea, atque aurea theca recluſum eſt, quod in ea æde aſſeruatur, memoria inibi in altari ſculptis litteris è marmore poſita hæc eſt.

HIC IACET CORPVS S. NOSTRIANI NEAPOLITANI EPISCOPI.

19. FELIX præfuit Eccleſiæ Neapolitanæ anno circiter 451. huius meminit Ioan. Diac. Sedit ann. 9. menſ. 3. dieb. 6.



20. SOTER ad Neapolitanam Sedem peruenit poſt Felicem, interfuit Romano Concilio ſub Hilario Papa anno 467. *Hic*, vt Io. Diac. narrat, *ſedit ann. 21. temporibus nempe Hilarij, Simplicij, atque Felicis Romanorum Pontificum. Erexit quoque in ciuitate Neapolis Baſilicam in honorem ſanctorum Apoſtolorum, in qua plebem Dei laudes ſedulo referre ſecundus poſt S. Seuerum inſtituit, ſepultus in Stephania Eccleſia.* Ex Io. Diac. colligi poſſe videtur, addit Caracciolus cap. 21. de aduentu Conſtantini Magni Neapolim, à Sotere Epiſcopo Baſilicam SS. Apoſtolorum extructam, cum de eo ſcribat. *Hic catholicam Eccleſiam BB. Apoſtolorum in ciuitate conſtituit, & plebem poſt S. Seuerum ſecundus inſtituit.* Sed alius eſt eorum verborum ſenſus, nempe Soterem parœciam illi addidiſſe: eandem enim phraſim vſurpat hic Auctor, cum de parœcijs ſanctæ Mariæ Rotundæ, & ſancti Georgij loquitur, ſcilicet factas eſſe Catho-

A licas. Alioquin quænam alia erit Apoſtolorum Baſilica à Conſtantino Neapoli erecta, niſi iſta ſit? Cum præterea cætera ſint conſona, nimium forum, ſiue platea, quæ hodieque extat, quanquam anguſtior, & facies antiqua Baſilicæ, quæ olim columnata, ad aliarum, quas Conſtantinus Romæ, & alibi excitauit ipſiſſimam formam. Viſebantur illæ paulò ante cinerei coloris longè oppidò, ac ceteres, inter quas duæ cæteris maiores exalbidæ atque ſtriatæ, abſidem vtrinque ſuſtinebant. In quibus erant quoque Conſtantiniani operis indicia haud obſcura, Auguſti ſcilicet illius labri X. & P. characteres, XPICTOY, hoc eſt Chriſti nominis epitome in ambarum ſupremo ſcapo propè periſtylium

B inſculpti. Nam & ex columnæ, quæ conſimili eum his notis A ☧ Ω erectæ ſunt, Conſtantini eiuſdem opus fuiſſe, docet Lipſius lib. 3. de Cruce cap. 16. & ex eo Roſueydus ad Paulini natal. XII. Felic. pag. 865. quamquam non ſim ego neſcius, alios etiam Auguſtos Conſtantinos poſteriores ijs quoque notis vſos, vt palam eſt ex nummis, & obſeruatione Gretſeri to. 3. de Cruce lib. 1. cap. 9. 10. & 11. Attamen nemo ex ijs legitur Neapolim veniſſe, aut ibi ædificia extruxiſſe per ea tēpora, niſi Conſtantinus. Hanc olim fuiſſe Epiſcopium Petrus de Stephano affirmat, eamque primam omnium vigintiduarum Parochiarum, quæ Neapoli ſua ætate erant, colloeat, multoſque id opinari ad-

C iungit: De qua re nihil certi habetur. Non eſt autem prætereundum in hac Eccleſia anno ſalutis 1555. primordia Chriſtianæ pietatis erga puellas de pudicitia ſua periclitantes, quæ nunc in Parthenone Spiritus ſancti exercetur, iacta fuiſſe. Demum vertente anno 1575. Clericis Regularibus Theatinis Eccleſia iſta Sanctorum Apoſtolorum tradita fuit eōceſſu Philippi Caraccioli Marchionis Vici, ad quem ius præſentandi Abbatem ſpectabat. Parœcia in Metropolitanam tranſlata ex Diplomate Pontificio. Semel atque iterum fuit ab ijs in ampliorem formam extructa, donec demum in eam, quæ hodie viſitur amplitudinem, & ornatum, opere mirabili ab ipſis fundamentis

D erecta; idque Iſabellæ Caraffæ Cerciæ olim Duciſſæ munificentia, quod chartula ipſa in loculo plumbeo incluſa, & in primario benedicto lapide appoſita huiuſmodi verbis teſtatur.

Anno

Anno Domini M. DC. XXVI. Indict. IX.
Vrbani Papæ VIII. P.M. Anno IV.
Francisco S. Eustachij S. R. E. Diacono Card. Boncompagno Archiepiscopo Neapolitano, Ferdinando II. Austriaco Imperatore, Philippo IV. Rege. Clerici Regulares antiquam Sanctorum Apostolorum Ecclesiam à Constantino olim extructam, & alias non semel reparatam in ampliorem, & augustiorem formam instaurandam curauerunt: ad id opus piè & liberaliter legata pecunia ab Isabella Carafa Ducissa Cerciæ maioris: Quæ terreno sponso viduata, sua omnia Ecclesiis, & pauperibus, se verò ipsam Mariæ Magdalenæ assumpto nomine, Christo cælesti sponso in sacro Monasterio S. Mariæ de Sapientia æterno connubio dedicauit.

Nouam Basilicam anno 1649. die x. Octobris sollemni pompa consecrauit Ascanius Philamarinus S.R.E. Card. & Archiepiscopus Neapolitanus, ad cuius æternam memoriam lapis marmoreus positus est supra fores Ecclesiæ cum hac inscriptione.

B

Erectum superstitione Fanum
Quod explicata latius Area mutato cultu
Constantinus Magnus SS. Apostolorum memoriæ dedicauit,
Postmodum exutum Aeui senio,
A fundo, atque ad Constantinum magnificentia
à Clericis Regularibus renouatum
Franciscus S. R. E. Card. Boncompagnus
Archiepiscopus Neapolitanus,
Iacto primo lapide fundauit,
Anno M.DC. XXVI. die IV. Nouembris.
Demum continuatæ Purpuræ
Ac magnorum nominum splendore,
Ascanius S. R. E. Card. Philamarinus
Archiepiscopus item Neapolitanus,
Sollemni ritu consecrauit,
Anno M. DC. XLVIIII. die x. Octobris.

De hac pulcherrima, nobilissimaque Basilica legendus etiā Ioseph Silos to. 1. Annal. Clericorum Regularium: & hæc satis de hac Basilica incidenter ad Soterum sint dicta.

21. S. VICTOR Neapolitanæ Ecclesiæ throno nobilitatus dicitur circa annum Domini 486. *Hic Basilicas duas*, vt Ioan. Diac. scribit, *extra ciuitatem ædificauit, vnā S. Stephano ante sanctorum Ianuarij, & Agrippini Basilicam, alteram non procul à porticu eiusdem Basilicæ in honorem S. Euphemiæ martyris dicatas, in qua & ipse postquam Ecclesiam Neapolitanam sanctissimè*

D

annis 11. mens. 10. administrasset conditus est. Huius meminit Eugippius Abbas in epistola ad Pascasium Diaconum de vita, & miraculis S. Seuerini Abbatis Noritorum Apostoli apud Surium 8. Ianuarij: cuius corpus diuinitùs ad castrum Lucullanum propè Neapolim perductum Victor auctoritate Gelasij Papæ intra vrbem in Ecclesia S. Seuerini Episcopi & Confessoris recondidit, vbi postea nobile Benedictini Ord. Cœnobium extructum fuit. Non me latet ab aliquibus nescio quem alterum S. Seuerinum Neapolitanum Episcopum excogitatum, cuius quidem Acta eadem prorsus sunt cum illis, quæ S. Se-

S. Seuerino Episcopo Septempedano attribuuntur; vnde iure merito ab hac serie sanctum illum Seuerinum Neapolitanũ cõfictũ Episcopum expunximus: de quo hæc Ferrarius ad 8. Januar. in Catalogo SS. Italiæ. *S. Seuerinus Episcopus Neapolitanus S. Victorini martyris frater fuit, vt Vsuardus, Ado, Martyrologium Rom. omnesque Martyrol. scriptores tradunt. Is post multarum virtutum perpetrationem plenus sanctitate, vt à supracitatis scriptoribus sancto fine quieuit. Verùm ipse dum essem Neapoli, ac in tabulis Ecclesiæ Neapolitanæ Seuerini Episcopi nomen minimè descriptum cernerem, diligenter sciscitari à Canonicis, alijsque in huiusmodi rebus versatis cœpi, librosque, qui de sanctis Ecclesiæ Neapolitanæ tractãt perlegi: tandem me ad Ecclesiam S. Seuerini contuli, nec quicquam de S. Seuerino Episcopo, qui Neapolitanus fuerit, scire potui. Seuerinus enim, qui à Neapolitanis colitur, cuique Basilica, in qua eius corpus asseruatur, dicata est, non Episcopus, sed Abbas fuit. Ex quo suspicio mentem meam subijt nomen Seuerini Episcopi Neapolitani in Martyrol. alicuius incuria irrepsisse, vt apud Adonem Acta S. Victorini mart. cum Actis S. Victorini Confessoris confunduntur: sic Seuerinum Septempedanum Episcopum, qui S. Seuerini Confessoris germanus fuit per errorem Neapoli attributum fuisse. Quæ de re multa apud Baronium in suis in Martyrol. Rom. notis nonis Septembris, & ad 6. idus Iulij habentur. Quæ autem à me dicta sunt, non vt Martyrol. Rom. improbem, sed potius dubitationem à peritioribus tollendam excitarem accipias velim.* Hæc ille, cui libenter subscribimus, cum Io. Diac. in Chron. & doctus sæpe citatus Antonius Caracciolus, qui de sanctis Neapolitanis Episcopis, cæterisque Diuis Neapolitanis in sacris monumentis Neapoli accuratè scripsit, de illo quem fingunt Neapolitanum Episcopum sanctum Seuerinum altum silentium tenuerunt. Cæterum de S. Victore idem Caracciolus hæc habet. *Victorem quoque præclara, vt par est credere, pro suo grege patrantem, præter historicos aliquos, Kalendaria, Rituali, & breuiaria, memorato tantum Sancti titulo, nulla alia acta nobis exhibent.* Huius memoria habetur in Kalendarijs 8. die Februarij.

22. S. STEPHANVS, Sancto Victori deinde sufficitur circa annum Domini 498. Interfuit Romanæ Synodo, quam Symmachus Papa anno 499. aduersus Laurentium Presbyterum Apostolicæ Sedis inuasorem habuit. Adfuit item alteri Romanæ Synodo anno 502. in qua de obiectis eidem Pontifici criminibus actum est. Hic teste Ioan. Diac. Saluatoris Basilicam, quæ Stephania vocabatur, episcopio iunctam renouauit, in augustioremque formam redegit. Sedit annis 15. mens. 2. temporibus Anastasij, & Symmachi Romanorum Pontificum, & Anastasij Augusti. Hunc nisi S. Patritius Prusiæ Episcopus & martyr, qui Neapoli fuit, anno Christi 499. in Menęis Græcis à Rodero translatis, Sanctissimum appellasset, nemo nostrum, inquit Caracciolus, Sanctum fuisse sciuisset. Cum enim Vesuuius mons apud Neapolim exardesceret, is Stephanus Episcopus eius montis ignis eruptionem sacris precibus extinxit; sic enim ait Patritius. *Quare testamur apud vos (Prutenos) iudicium per ignem à Deo olim peractum iri. Vidi enim Neapoli montem sex millibus passuum ab vrbe distãtem, vallibusque sinuosum, ex quo diuẽnus ille ignis erupit, & velut subiens vnda trecentas vlnas vltra montis verticem elatus terram excussit, & saxa decoxit, quoad Stephanus sanctissimus illa tempestate Pontifex eum supplicatione solemni egressus, numen cæleste deprecatus flammam coercuit, & extinxit.* Tametsi tempus, quo S. Patritius floruerit, non habeatur, & Roderus Patritium sub Tito Imperatore martyrium subijsse affirmet, nullo auctore, nullaque coniectura motus; tamen Stephani Episcopi ætate vixisse fatendum est, cum hoc tempore Vesuuij montis incendium memoretur: etenim Cassiodorus habet lib. 4. variar. epist. 50. Epistolam Theodorici Italiæ Regis annum circiter 500. qua Campanis Vesuuij montis vastatis tributum remitti præcepit.

23. REDVX, siue Rendus variè à plerisque Neapolitanus Episcopus appellatur circa annum Domini 414. quem Io. Diaconus tres annos, dies 24. sedisse testatur. Cuius hortatu idẽ Eugippus Abbas Beati Augustini Hipponensis Episcopi codices magnis laboribus deflorans, vtilissimum librum edidit, quem in duos secans libros Thesaurũ S. Augustini nuncupauit, ac Probæ Romanæ Virgini sacræ dedit, ac Neapolitanæ Ecclesiæ per manus huius Renducis Episcopi obtulit, vt Sigibertus de viris illustribus c. 39. testatur. Dubitat Chioccarellus hunc Reducem non Neapolis Campaniæ fuisse Episcopum, sed Neapolis in Africa; tamen nil obstat, quin Eugippus, qui S. Seuerini discipulus fuerit, & vitã eius conscripserit, Africanus fuerit, vt Redux Præsul dicatur Neapolitanus in Campania Felice: cum Ioan Diac. ingenuè inter huius Ecclesiæ Antistites cõmemoret.

24. S. POMPONIVS ad Neapolitanũ Episcopatum assumptus videtur anno Domini 508. Sedit teste Ioãne Diacono ann 28. dies 10. quod si verum est, sancto fine quieuit miraculis gloriosus anno 536. sepultus in Ecclesia S. Mariæ Maioris ab ipso condita sub altari, vbi liquor, vt vetus traditio fert, scatebat, vtque ex foramine colligitur adhuc extante in arcu, vnde manabat. Crebra per ipsũ edita miracula. cuius festus dies in fastis ecclesiasticis habetur Prid. Id. Maij, de quo Diaconus. *Hic fecit Basilicam intra vrbem Neapolim ad nomen sanctæ Dei Genitricis,*

sem-

ſemperque Virginis Mariæ, quæ dicitur Ecleſia Maioris, grandi opere conſtructam, qui fuit temporibus Hormiſdæ Papæ, & Ioãnis, Felicis & Bonifacij Apoſtolicorum, nec non & Anaſtaſij, & Iuſtini Auguſtorum. Erigendæ huius Baſilicæ occaſio (narrat Caracciolus) ab Iulio Cæſare Eugenio, ex vulgi fama, aſſeritur fuiſſe, Dæmoniaci cuiuſdam ſpectri Pomponij oratione, ac Beatæ Virginis reuelatione expulſio, quod ibi, in porci ſpeciem grunnitu ſuo cunctos terrificando ſe viſendum præbebat. Quaſi quod Deipara monuerit in ſomnis Pomponium, vt quo loci cærulei coloris pannum inueniſſet, ibi ſibi dedicaret, eoque modo ſpectrum illud abactũ fuiſſe. Additque Eugenius, in eiuſce rei memoriam ſpectaculum à ruſticis Neapolitanis, in ſingulos annos datum, vt in maiori Eccleſia, porculam è ſupremo tectorum faſtigio in rapaces inferius aſtantium manus proijcerent, ſimulantes dæmonem proijcere, & conculcare; eaque etiam de cauſa in Turri Campanaria eius Baſilicæ, ad hunc vſq; diem porculam videri exſculptam. Aniles, vt exiſtimo, fabellæ & lepidum inuentum, fouẽdo ludicro illo porculæ ſpectaculo, quod poſtea tanquam ridiculum, Templique venerationi & maieſtati indecens meritò ſublatum fuit. Ego certè miror valde, cur tanti beneficij nulla apud antiquos ſcriptores extet memoria. At neq; in picturis, quæ quandoque hiſtoriæ ſubeũt vicem, Iulianæ noſtræ diabolum appingimus, quem ſub humana effigie ipſa catenauit. Margaritæ draconem, quem trucidauit; Georgio puellam, ſiue veram ſiue figuralem, quam liberauit; & alijs Diuis alia. Poterat ergo antiquitas, & Pomponio porculam ſubijcere, aut ipſi Deiparæ, vt ab alijs hanc eius diſcriminaret figuram. Nec me mouet porcula illa Turri Campanariæ inſculpta; tum quod hæc recentior ſit temporibus Pomponij, neq; alibi id animal inſpiciatur. Tum etiam quod caſu illam ibi affixam putem, ſicut & caſu alia ibi ſunt marmorea fragmenta, vt intuẽti patet. Quod ſi velit quis, ex induſtria, & non caſu ibi fuiſſe inſculptam; Reſpondebo, in odium Iudæorum Neapoli tunc degentium, qui ſuillam carnem abominantur, ibi, hoc eſt, in loco ſacro Chriſtianorum fuiſſe exſculptam. Habeo quidem exempla, quæ profero ex Simone Maiolo de Iudæorum perfidia fol. 814. de ſuis ſtatutis in Templis Vvitembergæ celeberrimæ Saxoniæ vrbis, Magdeburgi, & alibi: in odium ſcilicet Rabbinorum. Huius item Eccleſiæ Dedicatio Romano Pontifici tribuitur, & iure quidem; nam, vt doctè admonet Baron. to.8. ann. 591. & 598. ex epiſtolis Gelaſij, & Gregorij Papæ nulli Epiſcopo licuit Eccleſiam inconſulto Romano Põtifice dedicare. Pomponius autem non facultate ſolum Pontificis ſibi conſuluit, ſed etiam præſentia. Sed cuinam Pontifici tribuenda eſt? Ioanni ſecundo, ait litteratus il-

A le lapis (extat lapis iſte in atrio Eccleſiæ) intolerando certè errore: is enim nunquam legitur Roma diſceſſiſſe, niſi antequam eſſet Pontifex: nempe cũ Diaconus Romanæ Eccleſiæ Conſtantinopolim petijt apocriſarius Papæ, vt notat Manlius de præſtantia Baſilicæ Vatic. Ad hæc vixit Pomponius, vti Io. Diac. aſſerit, *temporibus Hormiſdæ Papæ, & Ioannis, Felicis, & Bonifacij beatorum Apoſtolicorum, nec non & Anaſtaſij, & Iuſtini Imperatorum.* atqui non Ioannes ſecundus, ſed primus ſucceſſit Hormiſdæ: ergo ab hoc dicendum eſt Eccleſiam fuiſſe dedicatam. Tertium etiam Ioannem nullo negocio excludimus: licet enim Neapolim aduenerit, occaſione placandi Narſetis, diu tamen poſt

B Epiſcopi noſtri tempora fuit. Dicata ergo fuit à primo Ioanne circiter Chriſti annum 525. Pontificatus ſui ſecundo, quando ſcilicet Theodorici Regis iuſſu, ipſe coactus Conſtantinopolim petere, Neapoli tranſijt cum Cardinalium, & Epiſcoporum, vt credibile eſt, comitatu, Quibus adiungendi ſunt quatuor illi Senatores, Importunus, Theodorus, Agapitus exconſules, & Agapitus alter Senator & Patricius. Nam de Boetio & Symmacho eius genero, res eſt dubia, cum nonnulli eorum necem à Theodorico perpetratam ponant, dum Ioannes Conſtantinopoli ageret: alij verò dum Rauennæ in carcere detineretur. Hic Ioannes à Rauennate carcere epiſtolam ſcripſit ad Epiſcopos Ita-

C liæ, quæ extat to.2. Conciliorum, & tõ. primo epiſtolarum Pontificalium; ijs contra Theodoricum pro catholicæ fidei defenſione roborandis. Ad Pomponij ætatem eam ſpectare dicendum eſt: cum ſcripta ſit anno Chriſti 526. Pomponius autem ad vſque Iuſtini tempora Præſulatum ſuum deduxit, qui imperauit ab anno 518. vſque ad annum 527. Eum autem vigili cura inſudaſſe gregi ſuo contra Theodoricum Arianum Hexacionitani formando credendum eſt: cum præſertim Theodoricus Neapoli tunc dominaretur, vbi & ſtatua illi erecta erat, quæ poſtea in mortis ſuæ præſagium corruit, teſte Capaccio, fortè ex Procopio, lib. 1. Hiſt. Neapol. fol. 295. Tandem fuiſſe hanc *Baſilicam* in ma-

D gna olim veneratione, ex oblatis ingentis pretij muneribus à Principibus viris colligitur. Quorum intermortua memoria vtcunque reuiuiſcit ex vetuſtis aliquot ſcripturis publica auctoritate exaratis: Dionyſius enim Sarnenſis Iudex & Notarius Apoſtolicus in Actis viſitationis à Nicolao Archiepiſcopo Neapolitano anno Chriſti 1423. ritè celebratis, ſic ſcripſit. *Margarita Neapolis Regina Baſilicæ ſanctæ Mariæ Maioris thuribula aliquot donauit. Rex item Ladiſlaus duo argentea candelabra, & Crucem cum inſerta Crucis ipſius particula, quam inclyta Maria Sueua Federici Auguſti ſoror, ſibi dono dederat. Præterea Ioanna Regina huius nominis ſecunda, atq; N. Ducißa Sueſſæ duas plu-*

uia-

uiales vestes eidem Basilica obtulerũt, singula singulas. Hanc Basilicam incolunt nunc Religiosissimi Patres Clerici minores. Hæc de S. Pomponio Episcopo Caracciolus. Porrò circa tempora, & annos quibus Pomponius vixerit, sederitq; ab ijs, qui de ipso scripserunt, non vno modo proferũtur; Ioannes Diaconus habet illum præfuisse annis 28. diebus 10. temporibus Hormisdæ, Ioannis Felicis, & Bonifacij I. Romanorum Pontificum, & Anastasij, & Iustini Augustorum. Quod si verum est, oportet illum electũ fuisse circa ann. Dom. 508. obijsse verò ann. 536.

25. IOANNES huius nominis secundus sancto Pomponio in Episcopatu successit circa annum Christi 536. Sedit ann. 20. dies 11. Hic, teste Io. Diac. Ecclesiæ Stephaniæ absidem incendio concrematam restituit, vbi & musiuo opere transfigurationem Domini mirifico artificio depingi curauit. Construxit etiam Beato Laurentio martyri Basilicã affabre & maxima arte compactam, stratumque omne, ac pauimentum ex marmorum crustis ad lineam ferè ordinatum parauit, ita vt res esset omnium oculis iucunda, & visu delectabilis.

26. VINCENTIVS, seu Viuentius in demortui Ioannis locum suffectus est circa ann. Dom. 556. tẽporibus Pelagij I. & Ioannis III. Papæ. Sedit annis 23. Hic, vt Ioan. Diac. scribit, splendidissimam Basilicam in honorem S. Ioannis Baptistæ Christi Præcursoris construxit, quam in orbis veluti gyrum peramplis ædificijs exornauit; fecit etiam altare cum columnis & ciborio, & desuper argento ditauit, ac pharos etiam quatuor argenteos & aureos fecit; baptisterium itidem fontis minoris in Cathedrali Ecclesia, & accubitum iuxta positũ magnifico opere depictũ.

27. DEMETRIVS sublectus est Episcopus Neapolitanus circa annũ salutis 580. ad quem scribit S. Gregorius Papa in registro lib. 1. epist. 14 præcepitque vt aliquot ciues in ea vrbe de quibusdam fidei catholicæ capitulis dubitantes, quos Stephanus quidã sequaces habuerat, ipso iam ad catholicam fidem reuerso, ad Ecclesiæ communionem reciperet; separauerant enim se illi à Romana Ecclesia ob sua capitula Theodori Mopsuestriæ Episcopi, Theodoreti Cyrensis, & ibi qui Nestoriani erãt, de quibus Baronius to. 3. Annal. Demetrius deinde ab eodem Gregorio ob grauissima eius facinora ab Episcopatu depositus est anno 591. mense Septemb. Indict. 10. Scribit Gregorius lib. 2. epist. 3. Clero, & nobilibus, ordini & plebi Neapoli consistentibus, vt alium eligerent, virum dignum in Demetrij locum, qui nec antea Episcopus meruerat nominari, vt ex sequenti epistola patet.

Gregorius Clero, & nobilibus, ordini & plebi consistentibus Neapoli.

Quamuis spiritualiũ sincera deuotio filiorũ pro matre Ecclesia, nullius adhor-

A tationis indigeat; ne tamen se neglectam existimet, epistolari debet alloquio prouocari; propter quod dilectionem vestram commonitione paternæ charitatis aggredior, vt profusis lachrymis Redemptori nostro vnanimiter gratias referatis, qui sub tam peruerso doctore vos per auia gradientes, ad iter rectum perduxit, & tam indigni pastoris crimina publicauit. Demetrius siquidem, qui nec ante Episcopus dici meruerat, tantis ac talibus negocijs inuentus est inuolutus, & si secundum suorum qualitatem facinorum iudicium sine misericordia recepisset, diuinis, mundanisque legibus durissima proculdubio fuisset morte plectendus. Sed quia pœnitentiæ reseruatus, sacerdotis honore priuatus

B est, Ecclesiam Dei sine ductore diu vacare non patimur, quia & canonicis regulis est constitutum, vt defuncto, vel sublato pastore diu sacerdotio priuari Ecclesia nõ debeat. Ideoque charitatem vestram scriptis præsentibus admonemus, vt ad eligendum Pontificem, nec mora, nec discordia, quæ consueuit scandala generare, proueniat. Sed talem vobis cum omni sollicitudine personam exquirite, in qua & omnium adunata possit gaudere concordia, & sacris nullo modo canonibus reluctetur, quatenus officium, quod nefandissimus hominum malè gerendo polluerat, quisquis ille per Dei gratiam fuerit ordinatus, ipso quoque suffragante, digna valeat administratione *complere*.

C Interea Gregorius ad Ecclesiæ Neapolitanæ res procurandas destinauit Paulum Nepesinum Episcopũ, vt ex epist. 12. & 20. lib. 2. eiusdẽ Gregorij habetur: cuius egregias animi dotes Neapolitana ciuitas ad eundem Pontificem scribens cõmemorat, exoratque, vt Paulum eorum Episcopum ordinaret, cui Gregorius responsum dedit se velle maturiùs hac in re procedere, si verò Paulum, quem paucis diebus erant experti diligerent, illi obedirent. epist. sexta est lib. 2. sic exscripta.

Gregorius ordini & plebi consistenti Neapoli.

Quale de Paulo fratre, & coepiscopo nostro habeat charitas vestra iudicium,

D directa à vobis relatio patefecit. Quem, quoniam ita estis in paucis diebus experti, vt eum Cardinalem habere desideretis Episcopum, gratulamur. Sed quia summis in rebus citum non oportet esse consilium, & nos quid fiendum sit, matura subindè Christo adiuuante deliberatione disponimus, & vobis melius tractu temporis qualem se exhibeat innotescet. Ideoque filij dilectissimi prædicto viro, si eum verè diligitis obedite, deuotisque ad eum mentibus occursione pacifica conuenite, quatenus ita vos ad alterutrum dilectio mutuæ charitatis astringat, vt inimicus seuiendo circumuolans, in nullo viam nanciscatur ad vestram dissociandum vnanimitatem, qua subrepat. Prætatum quoque Epi-

ſcopum dum fructum animarum, quem deſideramus Deo noſtro, ipſo quoque ſuffragante facere ſenſerimus; quicquid poſt hæc de eius perſona, veſtroque deſiderio cordi noſtro inſpiratio diuina miniſtrauerit, *faciemus*.

Ad Paulum item alia epiſtola ſcripta eſt à Gregorio, quæ 12. eſt lib. 2. qua præcipitur vt aſſiduè verbum Dei prædicaret, inſtrueretque eum Epiſcopali munere. Commendatum ab eo Petrum eius Eccleſiæ Diaconum, tutum ab inuidorum calumnijs apud ſe deinde fore pollicetur Gregorius eadem epiſtola. Cæterùm cum in Caſtro Lucullano prope Neapolim iniuria Paulo illata eſſet; cui ſceleri Clementiæ nobilis matronæ mancipia interfuerunt, Gregorius id grauiter ferens, Scholaſticum Campaniæ Iudicē, qui Romæ tunc reperiebatur, allocutus eſt, vt iniuriam illam acriter vindicaret, & ad Petrum Campaniæ Subdiaconum ſcribens præcepit, epiſt. 1. lib. 2. Ind. 11. vt eam iniuriam vindicandam curaret, ſeruoſque illos è ciuitate deinceps fugientes immorari in Sancti Seuerini monaſterio, vel in alia eiuſdem Caſtri Eccleſia minimè pateretur, & ad Pauli Epiſcopi preces, idem Pontifex Epiphanium Subdiaconum ſuum Neapolim miſit, qui ſimul cum eodem Scholaſtico ſubtili inueſtigatione indagaret à quibus fuiſſet excitata, vel commiſſa ſeditio, & an tantum ſcelus eius Matronæ conſilio, vel ſcientia fuiſſet commiſſum; & in eos qui tanti facinoris authores eſſent, Pontificis nomine peteret vt ſeuera exerceretur vindicta, & ad eundem Paulum conſolatoriam epiſtolam ſcribit, eumque commendat, quod pro æquitatis rectitudine id pertulerit, ac certiorem facit de omnibus, quæ is Gregorius fecerat vt de ea iniuria acris ſumeretur vindicta lib. 2. epiſt. 1. & 2. Ind. 11. Cumque diſſidium inter ciues de eius electione fortaſſe verteretur, ipſeque Paulus ad ſuam ipſius Eccleſiam reuerti inſtaret, vt ex Gregorij litteris lib. 2. epiſt. 35. Ind. 11. ad eundem Paulum ſcribens, & epiſt. 74. ad Petrum Subdiaconum Campaniæ, quem mox referemus, alius electus eſt, nempe Florentius.

A Interea Demetrio malè Eccleſiam Neapolitanam adminiſtrante anno Chriſti 590. Gregorij Magni Papæ anno primo, & Mauritij imper. 7. Candida Iunior nobili proſapia, & inſigni pietate clariſſima, patriam Neapolim ſanctorum operum luce nobilitauit. Fuiſſe ait Caracciolus nobili ſtirpe progenitam, Lectionarium de vita & miraculis eius manifeſtè tradit. Fuiſſe autem ex antiquiſſima, & nobiliſſima familia Brancatia, traditio eſt. Quæ ſi vera eſt, his coniecturis fulciri poteſt. Quod in Eccleſia contigua regioni, in qua cenſendi ſunt habuiſſe domicilia, qui ex ea erant familia, vnde poſtea in proximum ſedile Nidi adſcripti fuere, ſepulta ſit. Quod primum à Candida B ad Cælum translata beneficium mortalibus exhibitum, in Philippum Brancatium paralyſi laborantem fuerit collatum, vt lect. 3. Lectionarij. Quod frequenter ex ea familia Rectores fuerint Eccleſiæ S. Andreæ, in qua ipſa tumulata. Et quod Aloyſius Brancatius anno 1370. domos aliquas coemit ad Eccleſiæ illius bonum, certe pietatis ergò in gentilem ſuam ibi iacentem. Id nupera reſtatur inſcriptio in ſacello eius in Eccleſia S. Angeli ad Sedile Nidi à Raynoldo Cardinale Brancatio circiter annum Domini 1384. erecta, adaucta poſtea noſocomio anno 1426. quæ eſt huiuſmodi. *Sacellum* S. *Candidæ Neapolitanæ ex familia Brancatia*. Quod Sacellum erectum fuit occaſione oſſiculorum C ex eius corpore acceptorum. Fuit Candida coniugata, vixitque præſtanti fide, & pietate, imperante Mauritio. Deceſſit quinquagenaria filio & coniuge ſuperſtitibus prid. non. Septemb. vt Eccleſiaſticæ habent tabulæ anno 590. ſepultaque fuit, vt iam dictum eſt, in Eccleſia S. Andreæ. Inſcriptionem eius habes apud Baron. tom. 9. anno Chriſti 715. occaſione Theodimi Subdiaconi. In qua Eccleſia fuiſſe olim monaſterium ſacrarum virginum aſſerit Eugenius. Sed Ioannes Diaconus, cui innititur, nihil de hac re. Id tantum habet, fuiſſe ibi monaſteriū, quod Cellanona dicebatur. De Monialibus autem nihil expreſſit.

D

✠ *Mors quæ perpetuo cunctos abſorbet hiatu,*
Parcere dum neſcit, ſæpius ipſa fauet.
Felix qui affectus potuit dimittere tutos,
Mortalem moriens non timet ille viam.
Candida præſenti tegitur matrona ſepulchro,
Moribus, ingenioq; & grauitate nitens.
Cui dulcis remanens coniux, natuſque ſuperſtes
Ex fructu mater noſcitur in ſobole.

Hoc precibus ſemper, lachrymoſa hoc voce petebat
Cuius nunc meritum vota ſecuta probant.
Quamuis cuncta domus nunquam ſe flere quieſcat,
Felicem fateor ſic meruiſſe mori.

✠ *Hic requieſcit in pace Candida C. F. quæ vixit Ol. M. Ann. L. die IIII. id. Sept. Imp. D. N. Mauritio PP. Aug. Ann. IIII. P. C. eiuſd. Ann. II. Ind. quarta.*

Liquorem ex Candidæ corpore aliquando manaſſe indicat Lectionarium lect. 3. his verbis. *Igitur poſt multa curricula temporum quidam liquor de eodem marmoreo ſepulchro, in quo corpus eiuſdem Candidæ repoſitum fuerat, exibat, qualem Religioſi Chriſtiani colligentes loca dolentia, vel infirma humanorum corporum, in nomine Domini vngebant, ſanique fiebant à quocunque languore detinebantur.* Crebra autem per eam patrata miracula hiſce verbis complectitur Lection. lect. 6. *Licet cuncta quæ Deus operari dignatus eſt propter merita famulæ ſuæ Candidæ in ſcriptura redigi nequeant, &c.* & in fine. *Hæc & multa alia omnipotens Deus per merita famulæ ſuæ Candidæ dignatus eſt operari, atque puro mentis affectu eum digne petentibus largiri vſque in præſentem diem.* Viget Cãdidæ memoria in Romano Martyrologio vnà cum Sancta Candida Seniore diſcipula Sancti Petri. Et hæc de Candida dicta ſufficiant.

Hoc eodem anno 590. quo Candida iunior ſanctiſſima Deo efflauit animã, Agnellus quoque Abbas Diuus Tutelaris, Neapoli eo in monaſterio, vbi ſanctè vitam tranſegerat, migrauit ad Chriſtum 19. Kal. Ianuarij. Penot. lib. 2. Chronic. Canon. Regul. cap. 29. vult Agnellum ex Canonicorum Regularium Ordine fuiſſe. Bzouius in Hiſt. cum Regio, facit illum Ord. D. Benedicti, à Trithemio forte id hauſerat Regius: Caracciolus verò illum exiſtimat Baſiliani inſtituti Monachum extitiſſe, quod magis veritati conſonum videtur. Deceſſit enim Agnellus anno 590. vt ex eius ſepulchri inſcriptione patet, præfuitque Abbas ei monaſterio, quod à Gaudioſo Bithinienſi Epiſcopo erectum fuerat, qui Neapolim appulit anno 438. deceſſitque anno 453. antequam Benedictus naſceretur. Porrò per ea & poſteriora tempora multa Neapoli vigebant Monaſteria ſub Diui Baſilij Regula; nempe Gazarenſe in plaga maris, SS. Nicandri & Marciani: S. Sebaſtiani: SS. Baſilij & Anaſtaſij Perſæ in regione Amelia: S. Demetrij in regione Albina: S. Spiritus, ſeu Spiridionis: S. Gregorij Armeni in regione Noſtriana, S. Mariæ de Agnone: S. Samonæ: SS. Quirici & Iulittæ, & fortè alia. Nec poteſt dici Monaſterium S. Gaudioſi tam cito ad Benedictinum Ordinem tranſlatum fuiſſe: id enim, vt in alijs quoque ſenſim & ferè poſt Agnelli tempora factum fuit. Porro inſignia eius beneficia erga Ciuitatem Neapolitanam, eiuſque ciues exhibita narrat abundè liber miraculorum eius, qui multorum manibus teritur, ob idque Patroni Neapolitani titulum promeritus creditur. Huius libri Auctor fuit Petrus Neapolitanæ Eccleſiæ Hypodiaconus, qui vixit anno 890. vt ipſemet fatetur, & cauſam exprimit, cur Sancti miracula ſcripſerit, cum in ſe Agnelli virtutem expertus fuiſſet, & proſa & verſu eius miracula concinnauit: Libri exemplar etiã apud nos extat ex codice Card. S. Seuerinæ exſcriptum: quæ autem verſu concinnauit, hic libet referre, vt Demetrij Epiſcopi nequitiã, Agnelli Sanctiſſimi Abbatis compenſet miraculorum gloriæ narratio.

☞ *Huius quoque Sanctiſſimi, ac venerandi Patris Agnelli miraculorum virtutes animaduertens ego Petrus Sanctæ Parthenopenſis Eccleſiæ Hypodiaconus, cum valida oculorum incõmoditate depreſſus eſſem, multaque Sanctorum limina adiendo nullã medelam aſſequi valerem, tanquam indignans animo erexi me contra me ac dicere cœpi:*

Quare miſer lumen cupiendo clarius erras?
Cur tenebris expulſis non cernis commoda Chriſti?

Conuertere itaque ad illius auxilium, qui fecit cælum & terram, qui fecit luminaria magna, qui eſt phos peri photos, hoc eſt lumen de lumine, & ipſe tibi, ſolito per merita B. Agnelli donabit cernere clarè. Tali denique exhortatione roboratus illico illius venerabile adij mauſoleum, ac deinde proſtratus cum precibus flagitare cœpi eius virtutem, dicens:

O nimium felix medicus venerande tonantis
Sedule qui multis beneficia grata miniſtras

Qui

Qui pietate tua afflictorum corda serenas, A
Tu mihi solamen placidum, tu confer opime
Quo tua facta libens mundi per climata cantem,
Et nomen Christi benedicam tempus in omne.
Hae quoque deuotus tota de mente precando
Continuò sensi de luminis peste vigorem,
Ex tunc & cœpi lumen gestare perspicuum.

Hoc itaque beneficio Christi Confessoris gratissimè consecuto, Saluatori omnium B Domino gratias immensas retuli. Cuius rei non immemor, illius sacram memoriam sapiùs visitare studui: insuper etiam pro modulo inertis ingenij sanctarum illius virtutum miracula prosa, atque versibus illustrare curaui, ad honorem & gloriam Domini Nostri Iesu Christi, qui est gloriosus, & admirabilis in omnibus Sanctis suis; faciens signa, & mirabilia viuens & regnans cum Patre in vnitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Laudem Christe tibi persoluat terra, polusque,
Angelicusque Chorus depromat cantica digna: C
Qui pietate tua pretioso sanguine mundum
Purgasti clemens, donando gaudia Cæli.
Morte tua victor quassasti tartara mortis,
Eripiens iustos de tetra fauce draconis,
Aeternas illis tribuisti scandere sedes.
Tuque tuis famulis donasti mira patrare
Demonicas fraudes expellere, vincere pestes,
Soluere captiuos, infirmos reddere saluos,
Ac varios morbos pergas i munere diuo:
Ex quibus ecce suus processit magnus & almus D
Agnellus Sanctus, presago nomine dictus,
Qui te Agnum Christum deuota mente sequendo,
Ac famulando tibi præclarus factus in Orbe
Mira patrans populis illius mira sepulchrum
Qui te collaudant, & reddunt debita laudis,
Teque Deum verum depromunt corpore, corde.
Ergo Deus clemens illius promere factum,
Annue dignanter nobis concede precamur.

Tristegon vberius, decurrat sancta profando
Agnelli sancti miracula celsa canendo.
Quàm bene sancte nites, quàm pulchrè Agnelle beate,
Quàm bene per mundum respergis aromata digna,
Et nitido vernas celso sanctoque nidore
Ad tua templa sacra properat sanctoque triumpho
Pestibus ex varijs latam captare salutem,
Et tibi deuotè grates persoluere dignas.
Inclyta Parthenope tantis redimita trophæis,
Corporis & sancti pretiosi ornata triumphis
Reddere ne cesses laudem per cuncta tonanti.
Ecce tuum sacrum monstrasti sancte sepulchrum.
Per clarum signum infirmæ, per dona salutis
Peruia dum pandis, dum quassas vincla ligati.
Plaude puella diu religata fraude celidri
Agnellus sanctus tibi præbet dona vigoris,
Commonet, atque docet te sequi, spernere callem.
Demonis instinctu religata exurge vigendo;
Ecce salutis opem præbet tibi gratia Christi.
Quo policum regnum scandas, veramque salutem.
Cur religata manes Agarensis nexibus arctis,
Iamque domum repedans caros agnosce parentes
Præuius ecce viam Agnellus tibi peruia pandit.
Quare dolore graui gemitu quassaris amaro:
Gaudia lætitia tibi Christi præbet amicus.
Insuper & vitæ cursum demonstrat adesse
Parthenopeusis ouans, paralytica plaude puella.
Non te namque Deus faciet iam pergere tristem.
Per meritum famuli solito qui gaudia præbet.
Vulneribus sæuis quassatus desine flere
Aeternam vitam tibi Sanctus pandit adesse.
Per numerum nummi monstrans, & tempora vitæ:
Præsul Athanasi quassatus valde dolore
Desine flere diu Agnelli virtute vegetus,
Qui te lætiferum Ianuari sede reportat,
Clauo perfossus me lecti perquire Ioannes,

Parthenope illius requiescunt membra sacrata,
Ipse salutis opem, tibi commodat, ipse vigorem
Virgo sacrata Dei Gaudiosi septa gubernans,
Ora soluta manent, fuerant quæ peste ligata
Improba ne dicas risu, sed sancta profare.
Quare Dei quassas sine causa plasma nefande?
Desine vexare, Agnellus tua facta ligauit
Munere diuino, ne possis lædere iustos.
Vulnere quassatus ne sis iam tristior vltra.
Agnelli precibus te saluum noueris esse.
Redde Redemptori iam lætus cantica laudis,
Quare maligne procax vexas sine lege puellam
Inclyta plasma Dei Agnelli prece læta quiescit,
Cerne tuas vires iam fractus cuspide Christi.
Aures auditum capiunt Leuita Ioannes,
Sed ne vltra Agnellum præsumas carpere magnum.
Ne tua plectra liget vindex, & vltor Olympi.
Ecce dolore graui torqueris virgo sacrata,
Tempora sed vita nescendo, salua quiescis
Quò valeas semper iam Christo reddere laudem.
In tenebris cæcus plorans pro fraude maligna
Ne videas vltra iam fractis tollere quicquam
Ergo Dei famulus te saluans cernere donat.
Tu quoque fur dignè iam pergis claudus & hospes
Alterius hortos violasti, quod malè sanus
Ne fraudem facias: sed iustè viue recepta.
Tu tantos morbos emundas sancte potenter
Neruos elisos solidos, & currere prabes
Omnibus ad te decurrentibus, omnia præstas.
Insaniam capitis demergis ad ima Beate
Vt puer ad laudem Christi decurrit ouanter
Et pia facta libens decantet tempus in omne
Paschalis tristis, qui quaris læta salutis
Iam sanus factus paschalia gaudia captas
Iam famulare Deo tribuit qui tanta benignus
Fretus amore Dei properasti currens ad nunus.

A *Sed modò iam lætus, iam vectus respice sursum,*
Agnelli meritis ornatum conspice cæli.
Ecce Leo tristis paralysi peste grauatus,
Iam lætus properas Agnelli munere septus
Redde Deo laudem, semper qui prospera donat.
Surge puella cito Agnellus tibi commoda confert
Per Crucis auxilium hostem quassauit iniquum.
Iam secura vigens, iam lætior pergere vbique.
Callide pestifere Andreã tu quare ligasti?
Ecclesiæ sobolem noli vexare maligne,
Ecclesiæ gremijs Agnellus reddidit illum.
B *O mulier vario multoque oppressa dolore*
Desine iam flere Agnelli iam farta videre
Gaudia, sed potius gaudēs cælestia Christi.
Haud ego iam Petrus dubito per commoda lucis.
A Domini famulo, cuius miracula sacra
Versibus ac prosis deprompsi famine digno.
Sed tua plura loqui veniam da sancte precamur.
Sit quoque sit finis, sed tua plura loqui.
Plaude beate Pater cælesti munere septus
Plausibus angelicis, plaude beate Pater.
Sit tibi summus honor cælestis gloria perges
C *Sat quia mira patras, sit tibi summus honor.*
Ergo beate nimis precibus deposce Tonantem
Pro gregis offensis, ergo beate nimis,
Funde preces placidas deuote funde precamur:
Noxia pellendo funde preces placidas.
Parthenopes populum defende ab hoste maligno,
Protege, conserua, Parthenopes populum.
Pessimus ille Draco fugiat, nec sæua propinet,
Fraudibus haud noceat pessimus ille draco.
Cœtus & Angelicus cælestia sceptra ministret
D *Signa salutis opem cœtus & Angelicus.*
Intus & exterius tueatur munere Christi,
Gaudeat exultet intus & exterius.
Quo valeant famuli famulari Cunctipotenti
Cantica dando Deo quo valeant famuli.
Gloria Christe tibi, qui patras tanta potenter
Qui bona cuncta facis gloria Christe tibi.

Iacet corpus S. Agnelli in ea Ecclesia eius nomini consecrata sub Aram maximam, quam nunc cum monasterio incolunt Canonici Regulares Congregationis S. Saluatoris ab anno 1517. Nunc ad seriem nostrã redeamus. Demetrius igitur Episcopatu priua-

priuatus à cuncto Clero & populo, Florentius electus Præsul, qui tunc forte erat & Gregorij Subdiaconus, qui humilitate promente eum sibi honorem delatũ recusauit, Neapoli fugiens, Romamque reuersus, lachrymis ante Gregorij pedes effusis electionem euitauit, & onus illud subire renuit, vt ex Gregorij epist. 15. lib. 2. ad Scholasticum Campaniæ Iudicem Decemb. mense, Ind. 11. scripta, in qua præcipit, vt alter eligeretur, & duo vel tres Clerici ad ipsum mitterentur Pontificem, vt alius eligeretur Antistes.

Gregorius Scholastico Iudici Campaniæ.

☞ Dum de Neapolitanæ ciuitatis cura destitutæ Sacerdotis solatio vehementius angeremur: superuenientes præsentium latores, cum decreto in Florentium Subdiaconũ nostrum confecto, aliquid nobis in tanto cogitationum pondere releuationis inuenerat; sed dum præfatus Subdiaconus noster refugiens ciuitatem, ipsam ordinationem suam lachrymabiliter euasisset, quasi ex maiori quadam desperatione nostram cognoscite creuisse mœstitiam. Atque ideo salutantes hortamur Magnitudinem vestram, vt conuocantes priores, vel populum ciuitatis, de electione alterius cogitetis, qui dignus possit cum Christi solatio ad Sacerdotium promoueri. In quo decreto solemniter facto, atque ad hanc vrbem transmisso, ordinatio illic tandem Christo auxiliante proueniat. Sin autem aptam nõ inueniatis in quam possitis consentire personam, saltem tres viros rectos, ac sapientes eligite, quos ad hanc Vrbem Generalitatis vice mittatis, quorum & iudicio plebs tota consentiat. Forsitan huc venientes, præstante Dei misericordia, talem reperient, qui vobis Antistes irreprehensibiliter ordinetur, quatenus destitutæ ciuitati vestræ, nec intrinsecus actuum suorum desit inspector, nec extrinsecus adhibita sollicitudine Sacerdotis hostilibus aditus præstetur insidijs.



28. FORTVNATVS Demetrij successor Romæ pronunciatus est à Gregorio, mẽse Iunij anno 593. qui à Neapolitanis cum

A gaudio susceptus, vt Gregorius suis litteris testatur lib. 2. ep. 61. Ind. 11. quibus etiam Fortunatum monuit, quomodo ea in dignitate conuersari deberet, subditosque suos frequentius admonere, vt partes meliores sequerentur.

Gregorius Fortunato Episcopo Neapolit.

Scripta tuæ charitatis accepimus, quibus nobis indicasti Deo propitio te bene à filijs tuis Neapolitanis ciuibus esse susceptum; de quibus Omnipotenti Deo gratias retulimus. Oportet ergo effectui eorum te tuis moribus compensare, malos coercere, bonis se discretè atque benignissimè relaxare, ad sequendas eos meliores partes frequentius admonere, quatenus & illi paternos in se mo- B *res inuenisse se gaudeant, & tu creditam tibi regiminis causam cooperante Domino studiosius exequaris.* Subscripsit Fortunatus Gregorij Priuilegio pro Monasterio Sãcti Medardi Suessionensis anno 594. 7. Kal. Iunij, Ind. 11. Interfuit etiam Synodo Romæ habitæ à Gregorio die 5. Iulij ann. 595. Ind. 13. Anno 598. defuncto Misenate Episcopo Benenato, Gregorius idem Papa visitationem Misenatis Ecclesiæ cõmisit Fortunato ep. 251. lib. 7. Multæ extant eiusdem Gregorij epistolæ ad Fortunatum in eius registris. Sedit Fortunatus iuxta Io. Diac. Chron. ann. 7. dies 11. Excessit ann. 600. eoq; defuncto, cum de successore substituendo C comitia agerentur, Clerus, populusque in duas partes diuisi, duo etiam ad eam dignitatem sunt vocati, Ioannes scilicet, & Petrus Diaconus: res delata est ad Gregorium, qui cum intellexisset Ioannem incontinentiæ vitio notari; paruulam enim filiam habebat, Petrum verò vsurarum crimine esse pollutũ, ac simplicem esse, & parum aptum ad episcopale onus obeundum, Ioannem reprobauit, ac Petri mores, & habitudinem examinãdam præcepit Clero & Nobilibus ciuibus Neapolitanis, qui cum inuentus fuisset minus habens, neque tanto muneri aptus, non fuit confirmatus. Huius rei literæ Gregorij in c. nec nouum 8. q. 1. canon. priusquam, 1. dist. 28. can. Petrus Diac. 1. dist. 39. D can. de Petro, 1. dist. 47. can. studij 1. dist. 61.

29. PASCASIVS in Neapolitanorum Episcoporum numerum cooptatus est anno 601. Quam verò negligens fuerit Pascasius is in rebus Ecclesiæ suæ administrandis, docet epistola Gregorij ad Antemium Subdiaconũ, præcipiens, vt de ijs Pascasium coram alijs Sacerdotibus, vel quibusdam de filijs suis nobilibus hortaretur, vt suam amplius haud negligeret Ecclesiam, idoneumque ordinaret Vicarium, secus si ageret ad Romanam transmitteretur Sedem. Ad eundem scripserat idem Pontifex Epistolam illam auream num. 29. lib. 9. de pecunia Neapolitanæ Ecclesiæ inter Clerum & pauperes distribuenda.

Gregorius Pascasio Episcopo Neapolitano. Tempore quo fraternitas tua ad episcopatus officium Deo authore prouecta est, constituisse nos recolis, vt ex pecuniis Ecclesiæ vestræ portio Cleri, vel pauperum, quam minimè decessor vester præbuerat, idest quadringenti solidi seorsum ne[illegible] deberent, qui eiusdem Cleri, atque pauperũ erogationi proficerent, quod quia diutius non est differendum, volumus vt secundum distributionem præsentibus scriptis insertã coram Anthemio Subdiacono nostro sine difficultate aliqua fraternitas vestra debeat erogare. Præbendi itaq. sunt Clericis vestris per singulos, sicut prospexeritis simul omnis summa solidi centum: præ acentibus, quos centum viginti sex esse cognouimus, dandi sunt solidi sexaginta tres, ideſt medius solidus per singulos; presbyteris ac diaconibus, & clericis peregrinis, solidi quinquaginta, hominibus honestis ac egenis, quos publicè petere verecundia non permittit, solidi centum quinquaginta, ita vt quilibet eorum ad singulos tremisses, quidam ad binos, quidam ad singulos solidos, vel si visum fuerit, amplius dimittantur. Reliquis vero pauperibus, qui eleemosynã publice petere consueuerunt, solidos triginta sex. Ecce nos quantum, vel quibus dari debeat, distribuimus. Sed quia, sicut præuidimus, non omnibus æqualiter est præbendum, necesse est, vt vna cum prædicto Subdiacono, prout præuideritis, dare singulis debeatis, atque id modis omnibus studeatis, quatenus quod aliter iniuste detinuit, vos deuotè ac celerius impendendo, ad vestram possitis applicare mercedem.

Ex iis epistolæ verbis habes ex redditibus Ecclesiæ Neapolitanæ Clero & pauperibus portionem ab Episcopo reseruari, quod ad quotidianas distributiones spectat, Clero & pauperibus erogabantur. Ex ea quoque epistola colligitur, centum viginti sex clericos tunc maioris Ecclesiæ seruitio addictos, præter presbyteros diaconos, & clericos peregrinos. Sedit Pascasius ann. 14. dies 7. vt Ioan. Diac. scribit, videtur mortalitatem expleuisse anno 615.

30. IOANNES huius nominis secundus electus anno 616. Hic, vt scribit Io. Diac. pulchrum construxit ædificium marmoreis columnis affabrè [illegible], atque nobilibus picturis decoratum, quod Consignatorium albatorum vocabatur, in [illegible] fontes [illegible] maiores, quos Sother Episcopus fecerat, & Ecclesiam Stephaniam, per cuius ianuas [illegible] qui lacrum ba[illegible] re[illegible]pissent [illegible] dextera parte [illegible] Episcopo, [illegible] medio [illegible] offerebant [illegible], & bene[illegible]ione accepta, ordinatim à sinistra parte [illegible]. Sedit verò Ioannes annis 20. mens. 7. diebus 14.

31. CÆSARIVS tiara Neapolitana insignitus est anno 635. Præfuit annis quatuor & diebus 4. ex Ioann. Diac.

32. GRATIOSVM deinde Neapolitani extulerunt ad Sedem anno 638. sedit ann. septem ex eodem Io. Diac.

33. EVSEBIVS electus anno 645. hunc sedisse ait Io. Diac ann. 6 [illegible] tamen annum 649. illum excessisse constat.

34. LEONTIVS vel ipso anno 649 vel paulo ante electus est Neapolit. Antistes, cũ interfuisset eo ipso anno 649. Concilio Lateranensi sub Martino Papa Primo celebrato, cui subscripsit. Hoc eodem tempore vixit Leontius alter, longe diuersus à nostro, Episcopus Neapolitanæ vrbis, Insulæ Cypri, vir quippè doctissimus, quiplura edidit apud Sigeb. Trithem. Sixtum Senen. ac Bellarmin. de Script. Eccles. Leontius verò Neapolitanus, vt Io. Diac. scribit, Crucem Domini auream fecit, pretiosis lapillis intextam, in eaque ligni partem sanctissimæ Crucis reclusit. Sedit autem Leontius annis quatuor.

35. ADEODATVS proximè successit Leontio anno 654. Præfuit anno 18. apud Io. Diac.

36. AGNELLVS II. infula Neapolitana insignitus est anno 672. interfuit Synodo Romanæ ab Agathone Papa celebratæ anno 680. cui subscripsit. Hic, vt narrat Io. Diac. construxit intus Ciuitatem Neapolis Basilicam S. Ianuario Martyri, in cuius honorem Diaconiam eius nomine nuncupatã instituit, ac fratribus Christi cellulas ordinauit, de redditibus Episcopi; perpetuis tẽporibus alimenta continens, ducentorum nempe, & decem tritici modiorum, totidemque vini hornatum per singulos annos, & pro lotione, & cultu vtensilium Ecclesiæ, & fratrum Christi bis in anno saponem, in festo scilicet Natiuitatis, & Resurrectionis Domini elargiri [illegible], mille [illegible] siliquas (monetæ genus) in Natiuitate Domini, totidemque in ipsius Resurrectione tribui. Sedit an. 21. dies 15.

37. IVLIANVM deinde Neapolitani sustulerunt ad sedem anno 694. Sedit iuxta Diac. Chron. [illegible] 7. mens. 3. de [illegible] Caracc[illegible]. Testatur [illegible] se vidisse in pariete [illegible] antequam nouo te[illegible] [illegible], effigiem eius ca[illegible] cum honorifica inscriptione Sancti tituli.

38. S. LAV-



38 S. LAVRENTIVS ad Epiſcopatum vocatus eſt anno Chriſti 702. quem propheticæ ſpiritu fuiſſe ditatum & Epiſcopatum prædixiſſe Sergio, qui poſt eum immediatè ſedit, ſcribit Capaccius lib.1. in Stephano Duce II. his verbis. *Sergij huius dignitas Epiſcopalis, à B. Laurentio Epiſcopo prædeceſſore prædicta fuit.* Vnde id hauſerit Capaccius, ignorat Caracciolus. Sergij enim electio ex voto fuit à Ioanne Magiſtro Militum concepto, dum aduerſus Romualdum Castri Cumani iniuſtum inuaſorem moliretur. De quo ita Ioan. Diac. *Si, Domino annuente, proſpere recepto Caſtro reuenero, poſt deceſſum Pontificis, ſi eo vſque vixero, illum Sergium presbyterum Epiſcopum ordinabo. Quod factum eſt, nam aduerunt, ipſumque Caſtrum receperunt, atque ipſum ſtabilientes, incolumes omnes ſunt reuerſi. Cumque propria morte B. Laurentius Epiſcopus de hac luce ſubtractus fuiſſet, Sergium elegerunt Pontificem, ac prædictum votum completum eſt.* Cum rexiſſet Laurentius Neapolitanã Eccleſiam annos 15. & menſes ſex, ad cœlites tranſmigrauit, ſepultuſque fuit in Oratorio ab eius nomine nuncupato, quod in Aede D. Ianuarij extra mœnia fuiſſe dicitur, indeque & eius imago in pariete depicta videtur, quod fuerit tráſlatus, & ſimul cum Athanaſij ſacris cineribus collocatus, incertum eſt. Aedem S. Laurentij, quæ olim in metropolitana Eccleſia dicitur extitiſſe, huic Laurentio fuiſſe dicatam, aſſerit Engenius qui, vt in tempore quo ſedit hic Epiſcopus hallucinatus eſt, facit enim eum præfuiſſe ſub Ioanne X. circa annum nongenteſimum quartumdecimum, cum obierit diu ante initio Pontificatus Gregorij ſecundi, ita & in Eccleſia eius nominis conditum. Conſtat enim ante tempora Laurentij Epiſcopi fuiſſe Eccleſiam aliquam D. Laurentio Martyri dicatam. Ioannes enim Diac. in Ioanne Mediocri, qui diu ante Laurentiũ noſtrum vixit, ſic ſcribit: *Fecit & Baſilicã B. Laurentij Leuitæ, & Martyris mirifica conſtructione digeſtam, vbi etiam, quaſi ad lineam, omne ſtratum ex marmorum cruſtis ordinatum placabile omnium oculis videtur.* Nec vacilles lector, audito nomine Baſilicæ: confunduntur enim apud Diaconum hæ voces, Baſilica & Cappella. Hanc verò Cappellam eandem puto eſſe, quæ propè Stephaniam poſita, dicta eſt, *S. Laurentij ad Fontes*, vbi Andreas Conſul à Contardo occiſus eſt. Et ex vetuſtis fragmentis Neapolitanis ſe collegiſſe teſtatur Capacc. lib.1. & à Ioanne Diac. in Ioanne Scriba memoratur. Neque Platinæ teſtimonium, cui innititur, Engenio ſuffragatur: ſolum enim aſſerit Innocentium IV. in Eccleſia S. Laurentij ſepultum, Leuitæne an Epiſcopi, minimè diſtinguens. Hæc pauca, inquit Caracciolus, de Laurentio ad nos peruenerũt, deſtitutos ope Codd. antiquorum. Quam monumentorum iacturam Eccleſiæ Neapolitanæ vtinam in vno Laurentio paſſi eſſemus; in alijs etiam Epiſcopis id accidiſſe dolemus & ingemiſcimus.

39 SERGIO deinde Presbytero Epiſcopatus Neapolis delatus ex voto à Ioanne Neapolitanorum Duce. Currebat annus incarnati Verbi 715. cum Gregorius II. Pontifex occupato Cumano oppido per dolum à Romualdo II. Duce Beneuentanorum, Ioannem Ducem impulit, vt illud recuperaret; primum precibus, deinde pretio cum Romualdo Pontifex egit vt oppidum reſtitueret. Quod cum impetrare non potuiſſet, graue in eum anathema contorſit. Vbi verò etiam anathema contemni animaduertit, ad Ioannem confugit, promiſitque ſoluturum ſeptuaginta auri pondo, ſi Cumanum Caſtrum recuperaſſet. Ioannes firma militum parata manu, additis Romanis militibus quos Pontifex miſerat, noctu Neapoli profectus muros obſedit. At quot ibi prælijs confectis, & oppido recuperato, Longobardos, qui præſidio erant, fugauit; trecentos cum ſuo Caſtaldo trucidauit, viuos ad quingentos Neapolim ducit. Miſit Pontifex quod pollicitus Duci fuerat. In ea pugna cum Ioanne fuiſſe Theodinum Subdiaconũ Correctorem Campaniæ, qui Diaconiam S. Andreæ Neapoli regebat, ſcribit Anaſtaſius. Cum enim ad Cumanum oppidum proficiſceretur Ioannes, & ab aliquo Sacerdote benedictionem exoptaret, Sergius ei occurrit, atque orationem obtulit. Quapropter cum reuerteretur, ab eo Epiſcopũ eſſe eligendum curauit (obierat enim Laurentius Epiſcopus) atque promiſſa obſeruauit. A Ducibus aliquando Epiſcopus Neapoli fuiſſe electus ſub hoc Duce cognoſcitur. Stephanum quoque, ac Tiberium Neapolitanos Epiſcopos à populo fuiſſe electos ex eorum Actis infra patebit. De Sergij electione nemo ſcripſit, niſi Io. Diac. in Chronica. *Hic*, ait, *dum ſub habitu adhuc presbyteri degeret, Romuald* *Dux*

Dux Longobardorum pacis fraude simulans, misso exercitu Cumanum Castrum quodam tradente, inuadit. Ad quod cum Ioannes Magister militum cum suis adire festinaret, ad exequendam benedictionem, eiusmitus iste (Sergius) de quo dictum est, Sacerdos inuentus est. Data illico oratione Dux ille prauius votum deuouit dicens. Si Domino annuente prosperè recepturus Castrum aduenero, post decessum Pontificis si adnixero, istum Episcopum ordinabo, quod & factum est, abierunt, ipsumque Castrum intrantes, receperunt, atque stabilienter incolumes sunt omnes reuersi. Cumque propria morte Beatus Laurentius Episcopus de hac luce subtractus fuisset, Sergium elegerunt Pontificem, & prædicentis votum impletum est. Prosequitur deinde Ioan. Diac. de Sergio, *Hic dum à Græcorum Pontifice Archiepiscopatum nancisceretur, ab Antistite Romano correptus, veniam impetrauit. Fuit autem temporibus Gregorij & Zaccharia Papa. necnon Leonis, & alterius Leonis, & Cōstantini eius filij.* Porrò aliquādo Ciuitates Apuliæ atque C[illegible]briæ, eorumque Episcopos Patriarchę Cōstātinopolitano per vim fuisse subiectos benedictionem, & confirmationem ab ijsdē recepisse multi scribunt. Legendus Luitprandus Cremonensis in sua legatione ad Phocam Imp. Constantinopolitanum pro Ottonibus Augustis obitam, qui Patriarchæ Constantinopolitani temerarium ausum in Episcopatibus, Romanis pontificibus obnoxijs, eorumque iuribus occupandis Græcorum Imperatorum fauore, & in Romanos Pontifices odio multa commemorat. Sergius itaque eadem potentia Græcorum Imp. à Patriarcha Constantinopolitano Archiepiscopalem dignitatem accepit, qua vltro se abdicauit à Gregorio Papa correptus, & post[illegible] annos 28. menses 4. dies 4. vt Diac. scribit, Neapolitanam Ecclesiam rexisset, defunctus est circa annū Domini 744. Nec reticendum hic puto, quæ de Theodino illo supra relato scribit Baronius ad annum 755. plurimum enim faciunt ad Ecclesiæ Neapolitanæ notitiam. Quod verò ad Theodinum S.R.E. Subdiaconum, & Correctorem Campaniæ, de quo est facta mentio, pertinet, extat eius sepulchralis inscriptio Neapoli in Ecclesia S. Andreæ ad Nidum dicta, in tabula marmorea ante Altare his verbis exarat[illegible].

Confugientis ad tuum suffragium lætus amplectere ossa putrida tabefacta Apostole sancte, qui ob tui meriti desiderium Aulæ tuæ mœnia mira [illegible] pulchritudine corusc[illegible]

Vt tuis adiutus auxilijs disruptis vinculis inferni hic resurgere caro misera possit, & in die examinationis calcatis facinorosis peccatis gaudia diuina percipiat te interprecante, Martyr Andrea.

Hic in pace membra sunt posita Theodini Subd. & Rect. S. Sed. Apost. & Disp. huius Diac. Beati Andreæ.


Si quis præsumpserit hunc tumulum violare, erit anathematis vinculis innodatus.

Hactenus Theodini Subdiaconi Regionarij, & Rectoris S. Sedis Apostolicæ, & Dispēsatoris Diaconię S. Andreæ Epitaphiū sepulchrale. Ex quibus & illud obseruatione dignum intelligis in locis illis, vbi Romana Ecclesia patrimonia possidebat, constitutas esse Diaconias, sicut in Vrbe, in quibus eleemosynæ a Subdiacono Rectore patrimonij, & dispensatore erogari solerent. Eorum namque ministrorum fuisse munus curam gerere pauperū, ex pluribus S. Gregorij litteris edocemur datis ad Anthemiū Subdiaconum eo tempore Neapoli eodem munere fungentē. In eadem Diaconia sepulta fuit S. Candida Iunior, vt supra diximus.

40 COSMAS secundus Episcopus sublectus est anno 745. sedit ann. 2. mens. 2. dies 6. cuius meminit Io. Diaconus.

41 CALVVS Episcopatum adeptus est anno 747. sedit, vt scribit Io. Diac. annos 12. mens. 4. dies 4. Hic optimus Præsul non procul à Ciuitate Neapolis oratorium in honorem S. Sosij Martyris erexit in tam sublimi loco positum, vt omnia, quæ in circuitu sita erant, vndique cōspici possent. Martyrium subijt Socius eodem die cum Sancto Ianuario, eius autem festum celebratur postridie S. Ianuarij, cuius Diaconus fuerat. Sed in Ecclesia Benedictinorum, vbi sacrum corpus requiescit, die 23. Septembris, quod scilicet eo die translatum sit è loco cædis ad Ecclesiam Misenatem, vt Acta Ianuarij testantur, Translatus est Sosius Neapolim, è Miseno tempio anno Christi 920. & cum corpore Sancti Seuerini reconditus sub ara maxima, vnde Ecclesiæ Sancti Seuerini, & Socij deinde nomen fecere. Fuit olim Romæ Ecclesia S. Sosij ad sinistram Basilicæ S. Petri, vt Panuinus scribit lib. de septem Orbis Ecclesijs cap. 4. At de Sosio alibi.

PAV-



42 PAVLVS Diaconus antea in maxima perturbatione rerum Episcopus Neapolitanus renunciatus est anno 760. Paulo primo Pontifice, cuius amicus erat, & cognitus. Sedit ann. 4. mens. 2. dieb. 6. ac sancto fine quieuit anno 764. sepultus in porticu Ecclesiæ Protomartyris Stephani Acta Præsulis huius breuiter scripsit Ioan. Diac. in Chonic. in hunc modum.

Paulus Episcopus 39. sedit ann. 4. mens. duos, dies sex. Fuit autem temporibus Pauli Papæ. Hic quoque cum Neapolitanæ Ecclesiæ Diaconatus fungeretur officio, Romanam ad Vrbem frequens Legatus adibat, vbi prædictum Papam adhuc Leuiticali infula decoratum cælesti amore conglutinauit sibi amicum, qui cum quodam die vicissim sodalia verterentur colloquia, tanquam adulando, Neapolitanus ait Leuita, Cõcedat Omnipotens, vt te Apostolicum videam, cui mox præfatus Papa respondit, & ego te Episcopum. Quid plura? in breui spatio defuncto Domino Stephano Apostolico, Paulus Diaconus ad prænunciatum sibi honorem eligitur; itaque non multa post moriente ad Dominum Caluo Venerabili Episcopo, & iste Neapolitanam ascendit cathedram, sed propter detestabilem imaginum altereationem, quæ inter Apostolici tramitis auctoritatem, & fœdissimam Constantini Imperatoris Caballini vertebatur amentiam, nouem sunt menses elapsi, in quibus non potuit consecrari, quia tũc Parthenopensis populus potestati Græcorum fauebat; attamen hic cum cuperet prædicto Papæ, quasi amicus de talibus aliquo modo suffragari, clanculò Romam perrexit, qui statim consecratus Episcopus Neapolim est directus; sed propter Græcorum connexionem noluerunt illum recipere sui conciues, inito tamen consilio eum ad Ecclesiam S. Ianuarij Christi Martyris non longius ab vrbe dicatam transmiserunt, in qua duos ferme annos degens plura construxit ædificia, inter quæ fecit triclinium, quod est introeuntibus à parte dextera. Sanè Clerus omnis & populus cunctus canonicè illi, vt vero obtemperabant Pastori, resque omnes Ecclesiæ absque vllius detinebat, & di-

A *sponebat obstaculo. Construxit etiam ibidem marmoreum baptismatis fontem, in quo Paschalibus, alijsque festis omnes occurrentes suos baptizabant filios.*

Interea Neapolitanorum optimates cernentes tam egregiam vrbem languidam esse de tanto Pontifice, vno consilio, vnoque consensu latantes, & gaudentes eum in ipsius Ciuitatis Episcopatum introduxerunt, vbi duobus euolutis annis requieuit in Domino, Dominico namque die Sanctæ Paschæ missarum solemnijs penè completis cunctos osculatus est clericos, & omni populo exhortato, spiritu migrauit ad cælos. Mox eius exequias totus clerus, omnisque sexus ætas vnà cum pueris eadem in nocte B *baptizatis vsque ad Basilicam Sancti Ianuarij deduxerunt, & eodem eius in porticu ante Ecclesiam Sancti Stephani sepelierũt, anno scilicet quadragesimo octauo Cõstantini Imperatoris Caballini, & Leonis Imperatoris filii anno quintodecimo currẽte Indictione.*

Porrò annus quadragesimus quartus Cõstantini Imperatoris, & Leonis filij decimus quintus ætatis eorundem est, non imperij, qui in annum iam inceptum 764. cadit. Constantinus enim Copronymus, qui & Caballinus vocatur, natus est anno 719. cuius audacia, & impietas in euertendis sanctorum simulachris celebris est apud Catholicos scriptores: is post infinita flagitia exquisitissimo cruciatu consumptus C obijt anno 775. cũ imperasset ann. 25. Leo eius filius, cuius etiam fuit imitator, natus est anno 750. Imperauit post patris obitum ann. 4. m. 11. d. 15. spiritum exhalauit anno 780. cum vixisset annis 29. men. 7. diebus 15. Annus igitur Constantini quadragesimus quartus, & Leonis filij eius dicimus quintus à Ioanne Diac. recensitus, Christi fuit 764. quo Paulus Episcopus mortuus est, post cuius obitum irati Dei vindictam in Neapolitanos irruisse scribit Ioannes Diac. in Stephano Pauli successore, ac tanta omnium internecione, vt reliquus quisquam non esset, qui mortuorum sepulturas honestaret. Ait enim. *In eo siquidem anno, quo Paulus Episcopus defunctus* D *est, irato Deo tanta desæuit clades Neapoli, quæ à medicis inguinaria vocatur, vt Patris interitum mors subsequeretur filiorum, & ad sepeliendum rarus superstes inueniretur, vnde & omnes propè clerici eiusdem Episcopi vitam finirent.* Huius teterrimæ luis species hoc ipso anno 1656. dum hæc scriberemus æstiuo tempore, adeò immaniter in hac ipsa florentissima ciuitate grassata est, vt supra trecenta hominum millia è medio sustulerit, inter quos multi viri litteris famosi sunt desiderati: per totum inde Regnum Neapolitanum disseminata, penè totum prostrauit, ipsamque Romam cum alijs nonnullis Italiæ vrbibus inuasit.

STE-

43 STEPHANVS adhuc Laicus in Episcoporum numerum cooptatus est cum esset Dux & Consul Neapolis ann. 764. defuncto Paulo, cumque teterrima lues ferè omnes Neapolitanæ Ecclesiæ Clericos sustulisset, nec esset, qui ad Episcopale onus assumi potuisset: idcirco Neapolitani eligendo nouo Pastori studentes, cum esset Dux Stephanus, & duodecim annos ciuitati præfuisset, vir prudentia & integritate mirabilis, mortua coniuge, illud ei persuadere conati sunt, vt electus iam Episcopus, quamuis laicus, electioni annueret, & Romam proficiscens peteret à Pontifice confirmari. Romanam sedem laicus, & adhuc Consul abijt Stephanus, ac hilariter à Pontifice Maximo susceptus Electorum defectum sanans, Stephanum ibidem tonsum, ac canonica promotione Episcopum consecrauit, & benedictione firmatum ad Ecclesiam suam remisit, in qua honorificè susceptus est. Rem refert Io. Diac. & ex eo alij; scribit enim in Stephani Actis ad ea, quæ paulo ante in Paulo scripserat. *At per hoc omnes Neapolites ad prædictum accedentes Præsulem (Stephanum nempe) magnis postularunt precibus, vt Ecclesiæ prouidus Pastor acceleraret. Quorum petitionibus non renuens, Romanam sedem laicus, & adhuc Consul adijt, nam Parthenopensem Ducatum laudabili quiete duodecim rexit annis. Cum autem Dominus Stephanus Apostolicus tantam populi deuotionē in eum cerneret, tonsum ibidem absque regulari promotione Episcopum cōsecrauit; qui mox ab eo benedictione dimissus suam repedauit ad vrbem, in qua honorificè susceptus est. Sic de diuinis cœpit studere rebus ac si paruulus in eis fuisset educatus, vxor quoque eius illo Consule ex multis obierat annis, &c.* Hunc ex laico in Episcopum fuisse electum Anastasius, & Platina confirmant. Et Stephanus III. Pontifex natione Siculus anno 768. Concilium indixit, in quo Constantini Nepesini Episcopi Romani in schismate 9. acta proponeret, misitque ad Pipinum Regem, de cuius obitu nondum renunciatum fuerat, Legatos, vt Concilio aliquos è clero probaret. Atque ille pietatis æmulus (vt loquitur Nauclerus) duodecim misit Galliæ Episcopos. Et cum accusatus esset Constantinus, quod nullis sacris initiatus ad Episcopatū euectus esset, ostendit maiorum exemplo id factum, nam Sergius Rauennatium, & Stephanus Neapolitanorum Episcopi ex laicis fuerunt electi: Quam imprudentiam Patres, qui Concilio aderant, minimè ferentes, indignati eum expulerunt. In distinctione tamen 61. cap. statuimus, legitur. *Cum ergo quilibet laicus merito suæ perfectionis clericalem vitam transcendit, exemplo B. Nicolai & Seueri, & Ambrosij, eius electio potest rata haberi.* Euphrasiam filiā habuit Stephanus Theophilo Duci in matrimonium collocatam, & Cæsarium filium Ducem, quem sibi collegam cooptauit, & viuens tumulauit anno 787. eiusque elogia marmoreus seruat lapis, quem in Diui Ianuarij positum, Salerni transtulerunt in Ecclesiam S Francisci Carminum acrosticha in exametris, nomen & dignitatem referunt; legitur enim CAESARIVS CONSVL. in eo etiam Stephanus testatur se prius Consulem, dein Episcopum creatum. Cœnotaphium ex Capaccio lib. 1. libet hic referre, à quo alia, quæ de Stephano relata sunt, excerpsimus, ille ex alijs.

Cæsarius Consul teneris sublatus in annis
Hic recubat moriens, va tibi Parthenope!
Aeternum medio gestās in pectore vulnus,
Militibus perijt murus & arma tuis.
Et mea qui hunc genui vos vulnera flete parentes
Qui sobolum cupitis tam bene sorte frui.
Sors mea deterior dulcis in funere nati,
Cuius flāma meum pectus vbique cremat.
Aptus erat cunctis in verbis, promptus in actis,
Consilio solers, fortis ad arma simul.
Rex Roma præcelsa nouo quo sceptra reguntur.
Prætulit hæc nostra ciuibus vrbe suis.
Istius auxilio longæua paterna senectus,
Tuta regebatur, iamque quietus eram.
Virtus, ingenium, pietas, sapientia multa,
Va cui cum genito tot perière bona.
Sic blādus Bardis erat, vt sua fœdera gratis
Seruaret sapiens inuiolata tamen.
Consul, post Præsul, genitor monumenta paraui
Cui fuerat cura condere membra patris.
O mihi non proles tantum, sed Collega fidus
Cui tantos linquis quos suus arsit amor.
Nutritus obses Arichis moderamine sancto
Saluasti patriam permemorande tuam.
Sex quater & binos hic iam transcenderat annos
Cum tamen CHRISTO credidit esse suum.
Vita senis tenuis, post natē sunus acerbum,
Post illum paucis credo diebus eam.
Lux te præcedat CHRISTI charissime fili,
Sancte Ianuari, quod peto posce Deum.
Depositus est XII. Kal. Octob. Imper. nouo Constantino & Irene Aug.
Anno XIII. Ind. XII.

Cæterum Stephanus Episcopatus munus tot laudibus prosequutus est, vt ad omnium Episcoporum bonitatem accesserit. Templa in vrbe condidit, Monasteria ædificauit S Festi præcipuè, quod præterito æuo dirutum monialium S. Marcelli Cœnoblo vnitum fuit. S. Pantaleonis præterea, cuius nullum nunc extat vestigium,

cœ-

cœnobium; item S. Gaudiosi intra vrbis mœnia, in quod ex oppido propè Cumas Vandalis, & Saracenis euerso sanctorum martyrum Fortunatæ, atque eius frarrum Carponij, Euaristi, Prisciani reliquias transtulit, qui Cæsareæ in Palæstina martyrij palmã sub Diocletiano cõsequuti fuerant. Ab eodem circa annũ Domini 773. sanctarum reliquiarum amatore Neapolim Puteolis summa cum solemnitate Eutychetis, & Acutij, quorum corpora translata scribit Raynerius quidam eius temporis scriptor, atque addidit ad Stephaniam fuisse delata ea corpora sanctorum, & condita in asylo integri marmoris, bifidoque sarcophago in imo telluris defosso; Integram affero ex Caracciolo hãc sanctorum Historiam. B *Paucissimis dilatis post mortem martyrum Eutychetis, & Acutij annis, fortè saeculis, Constantinus Caballinus suam cupiens exercere tyrannidem, Romanæ vrbis indigenis crudeliter imperaturus aduenit. Cuius rei gratia, vita pariter, & regno renuncians se viuentem tartareas pœnas pati eiulando clamauit, eodemque tempore Dominus Stephanus Iunior Romanæ Cathedræ residens, offensam Desiderij Longobardorum Regis veritus, Carolum pijssimum Imperatorem adijt; Stephanus verò Neapolitanæ Sedis Antistes inter cætera Ecclesiæ suæ collata ornamenta, non paruo labore studuit præfatorum sanctorum martyrum Eutychetis, & Acutij transferre* C *venerabilia corpora, & vt vrbs, quæ pro innumeris curriculis mentionem temporalis amiserat suæ nouitatis, nitens mœnijs ædificiorum, ac sanctorum corporum reliquijs insignis, horum etiam lætaretur adiuuari præsidijs. Hæc quoque sanctorum corpuscula fauorabili admodum laude prosequentium ciuium, ac mirifica pompa iubilantium clericorum, alterius oblato vertice in Stephania delata gratanter asylum, integri marmoris bifidum intromittuntur sarcophagum, quod penitus ima telluris solo defosso subterranea domus, dolatis artificum manu lapidibus leui pro merito recepit vestigio. Cuius claustri prominens pulchritudine* D *decenti fastigiũ columnis ambitum purpureis sculptarum vario schemate figurarum insignitum argenteum baiulat, quod vulgo ciborium dicitur nitens pyrasterium, sub cuius vmbraculo altare similiter statuit argenteis vndique redimitum tabellis, & quod mundi Saluatoris gratia, & vocabulo simul dedicatum, multorum corporali solamine sanctorum se gaudet esse refertum. Penes autem psallentium Deo agminum sedem quibusdã lapideis cochleis lector scandens argento per girum eiusdem antistitis studio ambiri se cernit analogio; & vt sanctorum corpusculis satis deferret, ædes eadem ignea flamma combusta, præfati Præsulis est reparata industria. Sic hæc supre-*

A *ma magnificentiæ munera, quæ perennis dignitatis excepta reuerentia, sic sanctorum militum labores, ac dona præsentialibus fascibus recompensant, quæ dignis laudibus lingua prædicet? meritò etiam pro humanis obsequijs spiritibus Angelicis, eos, si fas est, dixerim præcellentiores, quibus subtilitate vigentis naturæ proculdubio sunt inferiores. Denique dum ferè vbique terrarum, stupendis extolluntur laudum præconijs, dum altè iugibus potiuntur gaudijs, Angelorum autem dulcis solemnitas solummodò viget in Cælis, sanctorum hominum profectò minores sunt meritis.*

Pro studijs quorum, munuscula dantur
B *bonorum,*
Moribus ardenti, fideique calore calenti.
Supplicibus donis his iungi posse Patronis,
Terrea qui spernis, & celsa pectore cernis,
Dic illis sanctis, dic flagita voce precantis,
Pro meritis dignis, ignoscite quæso malignis
Et veniam detis mihi, quem peccare videtis;
Vt merear sisti vobiscum vernula Christi,
Perfruar vt Cœli modulamine mente fideli:
C *In terra natus, sed ad æthera flamine latus:*
Laudis habebo sonum, vitale recepero donum,
Nullus vbi fletus, sed lætus ad omnia cœtus.

Nec reor immeritò tantum thesaurum Puteolanos accolas perdidisse, & nobilium ædium structuris labefactatis, vrbem penè vacuam profugis colonis permansisse, ablatumque ab ea famulorũ Dei eximium corporaliter patrocinium, præfatam Neapolim sibi vindicasse. Quoniam quidem quos peruersæ non pœnitet actionis, vltio quandoque afficit temporalis, & dignè pœnitentibus aderit etiam præmium mundanæ D *felicitatis, quod promerentibus sanctorum loculis Neapolites adeptus est ciuis. Hoc quadam eximiæ nobilitatis experta est mulier Eruscana nomine, cum nimia capitis, & stomachi laboraret ægritudine, quæ non frustra, veluti multi astruunt, Eruscana est nuncupata à parentibus. Erisis siquidem Dorica locutione aurum dicitur; & quoniam contemplationi supernæ claritatis feruore inhiabat piæ deuotionis, Aurea meruit nuncupari ex ipsius officio actionis. Quam cum intolerabilis capitis dolor somno vndique cerebri latera ambiente, incessanter ambiendo, requiescere nec ad modicum sineret, igneo tandem calore dissolutus humor*

mor vomitus execrabiles, & penè letiferos generauit. Taliter itaque, viribus ferè omnibus destituta, necnon feminina, nihil amplius, quàm de morte (tristibus medicis) cogitans, patrem spiritualem ad se accersiri deprecans, ei qualis, & quantus esset languor seriatim indicat. Qui solito more salubria administrans cœlestium pigmentorum medicamina; Hem inquit de sanctorum Martyrum Eutychetis, & Acutij corporibus, à me tibi exhibitis suscipe deuotè particulas, quas reuerenter reconde, necnon & orationibus, & vigilijs insistas, missarumq; peractis solemnijs capiti imponas, & ab his tui languoris proculdubio desideratam nimis accipies medelam. Cuius exhortationibus credula mulier adimplere quæ iusserat nihil distulit: ac per hoc extemplo quanta foret sanctorum virtus, recepta sanitate, didicit. Vnde nos supplices huiusmodi petamus pura mentis intentione Patronos, vt nos liberent ab omni hostili incursione, quorum meritis prædicta mulier salua facta est à propria ægritudine, opitulante Iesu Christo Saluatore, qui cũ Patre & Spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorũ. Amen.

Stephanum verò digna alia facinora fecisse sui Præsulatus tempore commemorant alij. In maiori, nempe eius, crucem Domini ex auro purissimo fecit admirabili artificio compactam, quod Splandoclaidium, & antipenton vocabatur: erat autem splendidissimè operis genus. Tres etiam calices eiusdem operis ex auro confecit, cum patena aurea, quam in gyro, & medio pretiosis gemmis exornauit, fecit & paria duo mascellarium ex auro mira arte sculpta, in quibus Euangelia in solemnibus festiuitatibus legerentur. Ad Altarium quoque continuationem confecit festiua velamina, sacraque indumenta, quæ auro, ac gemmis decorauit, atque in omnibus suam effigiem nomenque apposuit. Item quoque in eadem maiore Ecclesia immensam absidem, ac duas altissimas turres erexit sub quibus Ecclesiam Sancti Petri mirifico opere extruxit, ante cuius fores sex generalia sanctorũ Patrum Concilia depinxit, ac integrum pauimentum ex lapide connexuit. Ad clericorum etiam victum multos fundos plurimis additis seruis quæsiuit, ac dono dedit. Romam quoque tres direxit Clericos, qui Romanę Curię ritibus, ordine, ac ceremonijs imbuti, & in schola Cantorum Romano more maximè edocti Neapolim reuersi sunt, ex quibus vnum Leonem cognomento Mauritta presbyterum Cardinalem instituit, cęteros verò Casinum in Monasterium S. Benedicti ad Paulum Diaconum virum ea tempestate celeberrimum destinauit, vt secularibus, ac sacris litteris nobiliter instruerentur, à quibus vnus Ioannes appellatus, qui Diaconus dein ordinatus est, eruditissimus effulsit. Mulca alia pręclara gessit Stephanus Episcopus, & postquam sibi in Consulatu Neapolit. post mortem Cæsarij filij Theophilum, siue Theophylactũ generũ Euphrasiæ filiæ suæ maritũ dedit, septuagenarius obijt circa annum Domini 798. cum sedisset teste Diacono ann. 33. mens. 5. dieb. 20. In monasterio S. Ianuarij sepultus est, intus absidem S. Stephani Protomartyris. Hadrianus Papa illius cum laude meminit in epistola 60. ad Carolum Magnum de Morte Constantini Imperatoris, quam integram refert inter Hadriani Epistolas tom. 3. Francorum scriptorum Franciscus Deuchsine. Alia extat apud eundem Adriani Epistola num. 86. ad Carolum de insidijs Græcorũ, vbi Stephani fit mentio; in ea memoratur Campolus Episcopus Caietanus, qui hoc tempore vixit, cuius memoria non habetur in nostra Caietanorum Præsulum serie to. 2. reponendus hic Campolus primo loco ante Leonem. Idem Hadrianus epist. 88. & 92. eundem Carolum certiorem facit, & conqueritur Spatharios duos Græcorum Imperatoris Nuncios Neapolim solemniter, ac cum tubis, & signis, ac magno obsequio fuisse exceptos, atque ibidẽ degentes non desinere cum Stephano Episcopo Neapolitano, ciuibusque Neapolitanis multa pertractare cum optimatibus Beneuentanis in controuersia, quæ tunc vertebatur de Beneuentano Principe eligẽdo, quod Hadriano molestum erat, cum Beneuentum Romanæ Ecclesiæ patrimonium esset. Pauli item honorifica mentio habetur in homelia eius solemnis diei celebrata in honorem S. Agrippini in eiusdem Ecclesia quam meminit Caracciolus, asseritque illam scripsisse Ioannem ipsum Diaconum, qui vitas Episcoporum scripsit. Hic namque (idem infirmus quidam Maurus, qui ope S. Agrippini, ac monitu Ianuarij Martyris sanitatem accepit) *temporibus beatæ recordationis Domini Pauli I. Sanctissimi, & senioris nostri Episcopi, &c.* & paulo post. *Tunc præfatus Pontifex Dominus Paulus cum omni Clero atque magnatibus cum hymnis, & laudibus ad Ecclesiam processit ex more, sacraque mysteria exultantes agere cœperunt, &c.*

44 PAVLVS III. Laicus in Stephani demortui locum constitutus est Episcopus anno 797. à Theophylacto Duce, qui vel auaritia ductus, vel Euphrasiæ coniugis hortationibus, quæ ægrè tulerat Neapolitanum Clerum Stephani Episcopi patris obitu fuisse laceratum, quoniam non ex clero, sed ex laicis Episcopi eligerentur, id quod eius auctoritati plurimum derogabat ipso inuito, Paulum hunc laicum vxore orbatum Episcopum Ciuitatis obtulit, vt Ioannes Diaconus scribit in Episcoporum Chronicis, vbi hæc leguntur. *Defuncto igitur Domino Stephano, Theophylactus*

gener

gener eius Consulatum gerebat Parthenopensem, qui obstinatus auaritia nolebat quempiam ex Clericali officio promouere ad sacrum ordinem, dicens: Nequeo exinde amaricari Euphrasiam meam uxorem. Illa quoque, quasi comperta occasione referebat; Lætati estis de morte genitoris mei, mihi credite, nullus ex vobis ad Episcopatum ascendet. Diuina ista vertentes cœperunt omnes acclamare; Date nobis quem vultis; quia sine Pastore esse non possumus. Tunc illa fœmineis flammis accensa, hunc Paulum popularem, & laicum, licet uxore orbatum comprehendens tradidit illis. Sed cum veniti nemo auderet, illico tonsum electum sibi fecerunt. Non post multos dies ad sedem Romuleam à Domino Apostolico Episcopus est effectus. Reuersus autem Neapolim, ex argento, quod Stephanus prædecessor ei reliquerat, Stephania altare exornauit, aliaque eidem Ecclesiæ ornamenta parauit. Ante maioris Ecclesiæ fores magnum ædificauit horreum, in quo cubiculũ aptauit, erat autem horreum locus destinatus ad custodiam pretiosarum rerũ ad quotidianum vsum deseruientium. Turrim quoque, quæ ante Petri Basilicæ ianuam erat, depinxit, & Altare eiusdem Ecclesiæ consecrauit, & Sanctorum inibi reliquias collocauit, cum Stephanus suus prædecessor morte præuentus illud dedicare non potuisset. Subdit, eandem, quam diximus Euphrasiam religiosissimam fœminam iam viduam Monasterium in regione Albinensi condidisse, quod S. Dei Genitricis ædi coniunxit, in quo à prædicto Episcopo Abbatissa est ordinata. Idem quoque Paulum solemni pompa S. Pauli Apostoli Ecclesiam consecrasse narrat, quam Anthymus Neapolitanorum Consul erexit, insignique decorauit pictura, multaque ei dono dedit, obtulitque seruos, & S. Andreæ Monasterio, quod Cella noua dicitur, quod Romani Pontificis iuris erat, coniunxit, in qua etiam Paulus sacras reliquias reposuit. Idem quoq; Consul cum coniuge sua Sanctorum Quirici, & Iulittæ Monasterium Neapoli construxit, in quo duodecim aptauit cellulas ad hospites, & peregrinos excipiendos, redditibus, de quibus alerentur, constitutis. Eandem Basilicam Paulus dedicauit, atque sanctorum pignora collocauit. Sedit Paulus ann. 20. mens. 4. dieb. 16. excessit anno salutis 817. in Sancti Ianuarij Martyris Basilica sepultus est. Hoc quoque anno 817. vel subsequenti per Siconem Beneuenti Ducem translatum est Neapoli Beneuentum corpus inclyti martyris Ianuarij die 23. Octobris, de qua in Beneuentanis Præsulibus fusiùs.

45 TIBERIVS deinde Pauli III. iam dicti sedem excepit, laudatissimus Præsul anno 818. Hic cum esset Neapolitanæ Ecclesiæ Diaconus Episcopus à Populo acclamatus est. Qui vbi primum ex vrbe Roma redijt, à Paschali Papa consecratus, vt Diaconus scribit, *Altarium Sanctæ Stephaniæ aneis circumcinxit quintanis, hoc est annulis, & multas fecit areas ibidem coronas, e quibus scilicet lucernæ seriatim dispositæ dependerent. Cumque tredecim in pontificali throno annos quietè peregisset, in carceres tandem truditur, & à sede sua deturbatur.* Etenim Neapoli ciuiles discordiæ & aduersantium studia vrgebant, Longobardorumque, ac finitimorum Principum bellis ciuitas vexabatur. Bonus Consul, & Dux Neapolitanæ vrbis effectus est anno 832. vir quippe callidus, impius, sacrilegus, humanorumque sanguinum sitiens, cum summa rerum potiretur, multa aduersus Romanam Ecclesiam, eiusque patrimonij vrbes, & loca detrimenta peregit. Tiberius Episcopus summis viribus, ac toto pectore ei obsistere nõ dubitauit, terreni Principis iram minus, quam cælestis incurrere veritus, assiduè eum obiurgans, atque admonẽs diuinum ei cõminabatur iudicium. Quibus cõmotus Dux eo temeritatis perductus est, vt in carcerem Episcopum coniecerit, alio suffecto in eius locum Episcopo, quem Ioannem Aquarolum vocabant; qui quod sanctissimè viuebat, quodque nihil cum hominibus habere cupiebat, eam dignitatem recusauit. Tiberius quoniam Ioannis operam sibi maximo adiumento futuram in sua calamitate sperabat, vehementer ab eo contendit, vt Episcopatum non renueret, libenter eam dignitatem acciperet; sic enim sperabat irati Ducis sæuitiam sedare, quæ cum cognouisset Ioannes, amici miseriam aliquo pacto subleuaturus, ad opem Tiberio ferendam subijt Episcopatus onus. Ioannis Chronica hæc huiusmodi narrat. *Præfatus igitur Bonus Stephani Ducis necator in eo anno, quo Neapolitanorum Consulatum regere orsus est, contra sanctam Ecclesiam ad cumulum suæ perditionis multa cœpit mala peragere. Cui cum hic idem Antistes (Tiberius) inquantum virium erat, obsistere non dubitauit, eligens terreni, quam cælestis iram incurrere Iudicis, & iugiter examen comminabatur diuinum. Sed ille antiquæ aspidis caudam aurem cordis obusus adhuc, quia spernebat monitum salutis, insuper & funes peccatorum ad suum prolongaret interitum, lictorum verbositates magis attendebat. Quid multis mororè ad vltimũ iniecit in eũ manus & cõprehendit eũ, atq; carceralibus tenebris relegatũ arctè in pane & aqua macerabat.* Et paulo post. *Cum prædictus Bonus Tiberium tenebroso carcere & execrabili fame affligeret, iussit cunctos ter quaterque aggregari clericos, vt illic electum praberet. Hic autem solus, nonnullis conantibus assumere, imò inuadere tandem absens, & contrarius ibat.*

Ad ultimum verò multis affectus conuitijs adductus est ante Bonum Consulem, cui feroci pectore, ore garrulo comminari cœpit. Post paululum furijs actus, iurauit eluum, nisi ipsum facere Electum. At ille clamabat. Præsuli meo viuo, non ero sedis inuasor. Vnde Dux valdè iratus dixit, eundem iugulare Tiberium, & totius Episcopij seruos, possessionesque insiscari. Tum ille undique angustiatus mentem per varia ducebat. Hinc formidans de Præsulis necè, pontificatusque clade, cœleste examen, illinc Apostolicam sententiam, & populi infamationem. Sed ob respectu misericordiæ maluit humanum, quàm diuinum subire detrimentum, ait ad Consulem. Si iureiurando sancire volueris, vt licentiam habeã ingrediendi ad Tiberium Episcopum, & nullatenus eum prodeces ex ipso Episcopio, nec quamlibet maculam facies in corpore eius, licet ad periculum capitis mei, prebebo consensum. Hac illico promissione percepta Electus est sublimatus, &c. Eadem confirmantur in eiusdem Ioannis Aquaroli. Actis. Interea licet in hunc modum illegitimè & coactè Ioannes sublimatus sit, Tiberius non fuit illicò è carcere deductus; etenim Bonus Consul cum per annum, & dimidiũ regnasset, defunctus est anno 834. die 9. Ianuarij 12. Ind. Cui successit Leo filius eius. Hunc Leonem post sex menses socer eius Andreas expulit, & factus est Consul, qui Ioanne deprecante, Tiberium è carceribus eduxit, posuitque eum in cubiculo ante Ecclesiam S. Ioannis, custodia tandem apposita. Ioannes verò tantam quietem, ac humanitatem, tantumque solatium Tiberio assiduo exhibebat obsequio, tum carceribus, cum quoque sic deducto, & in ea custodia posito, vt maior exoptari non potuisset, atque adeo omnia ad Tiberij nutũ disponebat, vt veluti eius Vicarius potius quàm Episcopus eam Ecclesiam moderaretur. Bella deinde inter Andream, & Sicardum Beneuentanum Principẽ, Aduocatio Sarracenorum, & Contradi Andreæ successoris aduentus a Lothario missi, Sichardi occisio, & Andreæ Consulis, & Contradi cum vxore, & familia trucidatio, quæ ab eodem Io. Diac. narrantur, *His peractis, vltimus Tiberij dies aduenit. Qui pridie quam moreretur, residens in Pontificali Cathedra, sic gregem suum alloquitur. Scitis, fratres charissimi, quia peccatorũ mole depressus iusto iudicio hominibus absque misericordia traditus sum. Sed Dominus, qui deducit ad inferos tribulationis, & reducit, quique cum tentatione prouentum faciet ad sustinendum, permisit præsentem filium meum Dominum Ioannem nostram ingredi sedem, quatenus haberem maximæ tribulationis solatium, ideoque nolui vestram latere charitatem; quia de tanta, quam erga me impendit humanitate,*

A *te, etiamsi omnibus membris loquerer, nullatenus debitas illi gratias referre valerem; Tamen quia magis misericordia mea consolationis, quàm præsumptione motus viuo me Episcopatum assumpsit, nulla immineat illi, nec à Romana Sede, nec ab alijs hominibus condemnatio; huius etenim professionis, quam sponte pro illo facio coram Deo, & omnibus potestatis testes vos habere decreui. His dictis de solio surgens se ad lectulum deferri iussit, vbi per duos dies Dominum laudans, ac peccatorum veniam petens, è sæculo migrauit anno 838. Gregorio IV. Romano Pontifice, cum sedisset annos 20. mense vno. dieb. 11. Eius corpus magna veneratione Ioannes in Ecclesia S. Ianuarij sepeliuit.* Hæc ex Diac. qui subdit

B mortuo Tiberio, misisse Sergium (nempè Ducẽ Neapol.) apocrisarios suos ad Apostolicam Sedem pro Ioannis electi intronizatione: & Gregorium Papam non prius eum Pontificali insula decorasse, quam per Ducis iusiurandum, & cunctorum attestationem sibi constitisset Ioannem, non voluntate, aut inuasione, sed necessitate cõpulsum, id onus accepisse pro Tiberio, nec contra Tiberium affectum.

C



46 S. IOANNES *igitur* Aquarolius, & Scriba nũcupatus, legitimè ex Grogorij IV. Romani *Pontificis* voluntate Episcopalem Neapolitanæ Ecclesiæ iniit sedem


D anno 838. Quod sanctus hic *Præsul* (inquit Caracciolus) Aquarolus dictus sit, vel de Aquarolis, forte ex familiæ cognomine, vel habitationis loco id nũcupationis adeptus est: cur vero Scriba sit appellatus dicerem, scribæ publico officio illum functum, pro nota cunctis eius probitate; sed cum Ioannes Diaconus asserat, illum *sic scribere nouisse, vt ex officio cognomen acceperit, & ab omnibus Ioannes Scriba vocaretur,*

&

& codices manu propria vtiles, & plures conscripsisse, quod, & apud Ioannem Ceimiliarcham eius quoque vitæ scriptorem legimus, cogor opinari propriè à scribendi assiduitate, & characterum elegantia, tale illum cognomen fuisse sortitum. Ioannes enim *infimis parentibus procreatus*, vt Diaconus ait, *& qui pauperem cucurrit pueritiam*, necessitate coactus quærendo sibi victui operam dedit, & in virtutum stadio percurrens, tandem Neapolis eo quo supra narrauimus modo Episcopus electus est. Cæterum, qualem se in Episcopatu gesserit, ex Diacono docebimur. *Præfatus Episcopus quantũ, & qualem se exhibebat, nulla carnis lingua poterit enarrare. Nam omnia se faciebat omnibus, vt omnes lucrifaceret; nulli vnquam malum pro malo reddebat; neminem nisi pro suis criminibus increpabat. Quem mærentem non consolatus est? cum quo infirmante, non est infirmatus? sic praerat cunctis, vt ipse magis videretur subiectus. Hic fuit secundum Apostolum Pontifex, vt etiam testimonium foris haberet: non enim nisi pius, nisi iustus, nisi sanctus per omnia dicebatur.* Similia habet Ceimiliarcha, de ornatu Ecclesiæ loquens, *Ad sanctum Chrisma conficiendum, fecit vnam deauratam ampullam, in cuius labijs, nomen suum descripsit. Acquisiuit autem thimiateria ex auro fabrefactis operis: similique labore auream operatus est crucem. Codices vero, manu propria vtiles, & plures descripsit.* De pietate verò in prædecessores suos Episcopos subdit, *Corpora quoque prædecessorum de sepulcbris, in quibus iacuerant, leuauit, & in Ecclesia Stephania sigillatim collocans aptauit, vnicuique arcuatum, ac desuper eorum effigies depinxit.* Cum itaque Ioannes legitimè vndecim annos summa cum laude, ac vitæ sanctimonia Neapolitanam rexisset Ecclesiam, anno salutis 848. die Sabbathi sancti, decimæ indictionis vita functus est: cuius obitum alter Diaconus, alter Ceimiliarcha describit; & ille quidem sic. *Dominus Ioannes Episcopus vir totius sanctitatis sensit sibi diem adesse solutionis, quo sui nominis gratiam susciperet; gaudebat enim quod breui tempori spatio dissolutus finem daret suo certamini, & multò melius esse cum Christo perpetuum. Septem quoque dierum vi infirmitatis detentus, sedulus in oratione excubans, gratias referebat Domino; quibus transactis requieuit in pace.* Hic verò sic. *Ante diem tertium quam de hoc mundo ad Dominum migraret, audientibus cunctis suis clericis qui adstabant, retulit se vidisse Sanctum Paulinum Angelica dignitate vestitum, atque ornatum, totum niueum, totamque sydereum, atque odore roseo redolentem, fauum etiam candidissimum mellis in manu tenentem, ac dicentem sibi. Fratèr Ioannes quid hic facis? solue vincula tædiorum tuorum, & iam veni ad nos. Hæc enim esca, quam in manu teneo, apud nos satis abundat, & cum hoc dixisset, complexus est eum, & immisit in os eius partem faui præfati, cuius dulcedine atque odore ita S. Ioannes concupisse se dixit, vt si sibi in ipsa reuelatione persistere possibile fuisset, ab eius vestigijs nullatenus recessisset: nam excitatus à somno, eadem die in quinta feria, iuxta consuetudinem suam, remuneratis omnibus de familia Clericis, atque pauperibus, sanus Dominicam cœnã celebrauit, videlicet Parasceue, orationi vacauit, Sabbatho autem sexta hora diei ad Ecclesiam lætus processit, ascensoque tribunali populum salutauit, resalutatus autem à populo, orationem dedit. Collecta verò oratione, super altare Beatum spiritum exhalauit.* Explicat ea verba Baronius in notis ad diem 22. Iunij. Sed de *Tribunali* nihil. Tu lector aduerte, inquit idem Caracciolus non iudicialem aliquem locum hic describi, sed eum qui ad concionandum esset aptus. Sicut 2. Machab. 13. dicitur *Lysias tribunal ascendisse*; & plinius in Panegyr. Traiani, tribunal viri cespite extructum dicit. Inde suggestus sacer ex quo ad populũ Præsules verba faciebant, sic est appellatus. Legendus Chrysostomus hom. 19. ad Popul. Anthiochen. & clarius Orat. de B. Philipponio, qui ex causarũ patrono Episcopus factus fuit, quem dicit, *è tribunali ad tribunal fuisse euectum*. Euocatum fuisse Ioannem à B. Paulino ad cælestia regna, vt ex Ceimiliarcha narratum ex Tabulis Ecclesiasticis cõfirmatur, in quibus ad diem vigesimum secundum Iunij habetur. *Neapoli in Campania Sancti Ioannis Episcopi, quem B. Paulinus ad cœlestia regna vocauit.* Idem legitur in Appendice vitæ S. Paulini ab Vranio scriptæ, quæ certè Vranij ipsius esse non potest, cum eius meminerit Paulinus epistola 17. sed recentioris authoris comperitur esse, cum obitum Ioannis nostri narręt, qui vixit multò post Paulini tempora, & Ioanne Diacono antiquioris; quippe cum Diaconus, quæ de hoc Ioanne dicuntur, perperam Ioanni primo Episcopo contigisse dicat. Coniuncta est igitur Anonymi authoris narratio cum Vranio, filo orationis nequaquam interrupto. Lectionarij namque forma, quæ ex vitæ narratione consurgebat, sic requirebat, vt ex pluribus auctoribus lectio tanquam vnius solummodò continuaretur; rarò enim Actorum scriptor, aut Historiæ auctor nominabatur in publicis Ecclesiæ officijs; vnde ob id periere vocabula auctorum, qui sacras Historias, cũctaque eorum gesta scripsere, quorum notitia magno Actorum detrimento interijt. Cur autem Romana Ecclesia in Martyrologio festum huius san-

cti celebret die 22. Iunij, cum conſtet eum deceſſiſſe in die Sabbathi, quod præcedit S. Paſcha, latet Baronium in notis ad hunc diem; creditur tamen, cùm certa dies tranſitus eiuſdem ignoraretur, adſcriptum fuiſſe ad eam diem 22. Iunij, quo celebratur feſtum S. Paulini Epiſcopi Nolani, qui eidem Ioanni apparuit; ſatis enim conſtat ijs, qui in Romano Martyrologio ſunt vel mediocriter verſati, quod cum certa dies obitus alicuius ſancti neſciatur, in eam diem adſcribi qua alicuius Sancti dies celebratur, cum quo is attinentiam, vel affinitatem aliquam etſi leuiſſimam, vel ſolius nominis habuit. At verò veteta eccleſiaſtica Officia eius diem variè indicant; priſcis enim tẽporibus Neapolitana Eccleſia, finitimæque aliquot vrbes eiuſdem Sancti feſtum die prima Aprilis celebrabant, & ex pluribus antiquis m. s. Breuiarijs, & Eccleſiaſticis Officijs deprehenditur, etſi in vno ex ijs die 2. Aprilis, in alio verò die vltimo Martij feſtus dies adnotetur. Hoc quoque addendum in Ioannis laudem, vt ſcribit Caracciolus, ipſum olim inuocatum cum Athanaſio eius diſcipulo, in antiquis litanijs Capuani Monaſterij S. Ioannis Baptiſtæ, quæ extant in m. s. codice orationum litteris Longobardicis exaratæ. Eius corpus, teſte Diacono, vterque ſexus & ætas vſque ad Baſilicam Sancti Ianuarij magna pompa deduxerunt, Indictione decima, currebat tunc annus 848. ex Indictione dicta, ibique ſepelierunt; nunc quieſcit in Eccleſia S. Reſtitutæ in Ara maxima, in qua eius nomen ſcriptum legitur. Eius vitam, vt diximus cõſcripſerunt Ioannes Diaconus in Chronic. & Ioannes Ceimiliaccha, quam dicauit Bernardo Archiepiſcopo; habetur etiam in antiquo eccleſiaſtico Officio Neapolitanæ Eccleſiæ per lectiones diſpoſita; nouiſſimè Cioccarellus, ac doctus Caracciolus in monumẽtis Neapolitanæ Eccleſiæ, ex ijs nos iſta concinnauimus. Meminit Ioannis tunc electi, viuente Tiberio, capitulare Sicardi Principis Beneuentani, quo pacem dedit Ioanni electo Eccleſiæ Neapolitanæ, Andreæ magiſtro militum, & populo illi ſubiecto ab anno 836. 4. menſis Iulij, Indiction. 14. ad annos quinque, extat apud Erchempertum in Hiſt. Longobardorum.

A



B 47. S. ANASTASIVS Sergij Ducis filius, Ioannis alumnus imberbis propemodum adhuc defuncto magiſtro ſucceſſit, anno 849. Baronius in Annal. Eccleſ. habet an. 850. vbi Acta Athanaſij commemorat, ex Ioanne Diacono, & Anonymo, quem Petrum Caſſinenſem vocat. Caracciolus more ſuo erudité ex ijs, eiuſdem res præclarè geſtas contexuit, & nos ex eo ferè verbatim Athanaſij vitam concinnabimus. Patrem habuit hic Sanctus Epiſcopus Sergium Ducem de proſapia procerum, multis apud Cæſares honoribus cumulatum. Matrem Dolam principali & ipſa proſapia ſatam. Quem cũ aluo geſtaret, imitata Samuelis matrem,
C Deo dicauit, vtque faceret magni Alexandrini Athanaſij imitatorem, ſuo voluit nomine appellari. Parentibus fuit turba filiorum; quorum vni, illis adhuc viuentibus, Gregorio nomine, dignitas Magiſtri militũ collata fuit, alter Athanaſius iſte, Stephanus Epiſcopus Surrentinus, & Cæſarius, quem commemorat Erchempertus. Athanaſius ortus dicitur decima Indictione, hoc eſt an. 832. ſeptimus illi florebat annus, cum Clericali militiæ fuit adſcriptus, atque Eccleſiæ Dei Genitricis ſemperque virginis Mariæ, vt eccleſiaſticis imbueretur miniſterijs, traditus. Poſt ſeptem continuos annos vidẽs Ioannes Epiſcopus illum in ſpiritu efferueſcentem, ſeptimum in Neapolitana Eccleſia
D Leuitam ordinauit. *Anno Chriſti* 850. inquit Baronius, melius 849. *creatur Neapolitanus Epiſcopus, qui Romam veniens à Leone Papa IV. conſecratur Id. Martij ante Altare Sancti Gregorij*. Et Petrus; *Expleto igitur in leuiticali officio anno vno, duobuſque menſibus, prædictus vir Ioannes bonæ memoriæ honeſtiſſima vita Præſul, & Deo ſatis charus, diem clauſit extremum. Moxque ab vniuerſo Clero, omnique plebe, ſimulque à Ducibus genitore ſcilicet & germano, cõmuni voto & conſilio electus eſt ad Pontificale decus. Et proficiſcens Romam conſecratus eſt à Venerabili Papa Leone, Idibus Martij, ad Altare S. Gregorij, reuerſuſque à cunctis Ciuibus magno gaudio exceptus eſt*

eſt: eo quod talem meruerit ſuſcipere paſtorem & patrem, qui nutritorem ſuum imitaretur moribus, & factis. Quantarum virtutum in Epiſcopatu fuerit pronus Athanaſius, longo complectitur ſermone Anonymus. Perdius quippe fuiſſe dicitur ab eo, & pernox in oratione; ſtudijs incubuiſſe, Græcarum pariter, & Latinarum litterarū, parentis ac fratris imitatione, vtraſque optimè callentium. Acerrimus fuiſſe ſui corporis hoſtis quod & abſtinentia macerabat, cilicio vexabat, flagris extenuabat, grauique plumbi onere ad ſpiritus obedientiam trahebat. Liberalis in pauperes, quorum ino piæ ſubleuandæ hoſpitalem domum, ſupra gradus atrij maioris Eccleſiæ erexerat. Erga Dei cultum religioſiſſimus, in Eccleſia etiā Sancti Saluatoris Collegium Hebdomadariorum inſtituit. Eccleſiæ Stephaniæ ſacrā ſupellectilem aureis vaſis & argenteis inſtruxit, varijſque Eccleſijs clericos & manſionarios addixit: ac item Monachos in Lucullano palantes ſub Abbatis regimine conclusit; redēptor Captiuorū quoque prædicatur. Cōcludit deniq; Anonymus narrationē ſuā his verbis. *Quo viriliter agonizante tā in diuinis, quàm in mundanis, adeo aucta eſt Ciuitas Neapolitana, vt nulli Eccleſia in Campania inferior in aliquo cerneretur.* Nec illud de eo ſubticet, *quod in Dei timore, orationi tam intentus, & peruigil extitit, vt anachoretis, noſtris verò diebus omnibus ſit præferendus.* Anno ſexageſimo primo ſupra octingenteſimum, qui fuit Nicolai Papæ Quarto celebrata eſt Synodus Lateranenſis in cauſa Ioannis Epiſcopi Rauennatis, cuius abominanda ſcelera narrat Anaſtaſius Bibliothecarius. Neceſſe ergo fuit huic refractario reprimendo Concilium cogere, ad quod accitus fuit Athanaſius. Sciebat quippe Nicolaus inuictum intrepidæ mentis Athanaſij vigorem indefeſſæ, inſuperabilis, flecti, nec dum deijci neſciæ. Et bono quidem fructu fuiſſe eius aduocationem euentus docuit, reſipiſcente refractario Ioanne, vt Anaſtaſius narrat. Athanaſio magnus in eo Concilio fuit honor exhibitus, quod tertio ſignatus ſit loco, ex Petri teſtimonio. Sancti Præſulis, quem cuncti extollebant, vt ſingulare exemplar virtutis, vnus Sergius defuncti Gregorij fratris filius, omni parte vitæ ſuæ deteſtabilis, exuto rubore & reuerētia, perpetuus fuit oſor, & perſecutor. Dabat huic ſanctus ſenex ſalutis monita, ſed ſurdo, imò & refractario, qui, vt vxori ſuæ in Præſulis odium armatæ faueret ſatis quantus quantus fuit, totus in eum exarſit. Ac primum callido vaframento in domum cum fratribus quaſi ad conſilium accitum, Epiſcopalibus inſulis exutum, dulciſſimoque Clericorum ſolatio adempto, teterrimo carceri mancipauit. Indoluit Ciuitas tota ad tam immane facinus, & præcipuè Clerici Latini pariter, & Græci, nec

A non Monachi, inter quos velut ſidus emicabat Antonius, decrepita ætate venerandus, ieiunijs maceratus, fractus viribus, ita vt aliena manu ad incedendum egeret. Sergiū ſic alloquitur. *Dic mihi, omnium contemptor, quid eſt hoc quod feciſti? Hoc ergo pro infando ſcelere noueris non ſolummodo te periturum, cunctumque genus tuum, ſed etiam tota vrbs, quæ Athanaſij adhuc oratione gubernata eſt, fine dubio deſolabitur, paſtore decedente.* Motus fuit aliquantulum Sergius his verbis tertio auditis, ſed non permotus, nihil interea de Epiſcopi ſtatuens libertate. Quare inito conſilio, Sacerdotes decreuerunt denudanda eſſe altaria, & in

B ipſum anathematis fulgur vibrandum. Sergius dimiſit Epiſcopum, dimiſſionis tamen illicò pœnitens, populi intuitus lætitiam, alieno itaque bono maceratus, omnium eum illo prohibuit allocutionem. Videns autem Athanaſius gregem ſuum, amiſſo verbi Dei præcone lamentabundè plorantem, ſponte ſua, ſignato & cum anathemate Eccleſiæ theſauro, Neapoli receſſit, & in Saluatoris inſulam ſeceſſit. Sæuit magis eo receſſu Dux; cumque ab eius pectore omnis exulaſſet religio, vide quid ab Epiſcopo petat, tanquam pacis fœdus. *Si vult vt non eum perſequar, reiecto Clericorum regimine, monaſticum indumentum aſſumat, mihique Eccleſiam ad ordinandum ſponte relinquat. Clericos verò quos ſecum detulit, illicò remittat.* Sed quid ad ipſum vir Dei? *Spon-*

C *ſam, quam Deo donante ſuſcepi, nulli viuenti viuens volenſque relinquam. Nec ordinandi licentiam me ſuperſtite, alicui dabo. Monachiſmum illo viuente non accipiam: ſcortum eſt enim, primam relinquendo coniugem, alteri ſociari. Eos autem, qui me caritatis cauſa ſequuti ſunt, non tradam, nec reijciam. Vnum autem ab illo peto, vt liceat mihi in tuto manere quouſque Dominus duritiam cordis ſui emolliat.* Tantum autem abeſt vt reſipuerit, vt & exercitum Neapolitanorum, ac Sarracenorum coegerit, & nouendiali aggreſſione inſulam obſederit, impediendo Pontificis abſceſſum, ſed fruſtra. Nam Ludouicus Imperator, qui

D tunc Beneuenti morabatur, omnium conſcius, miſſo Marino Amalphiæ Præfecto, ipſum adortus, copias ſuas partim occidit, partim cepit, aut fugauit, & Epiſcopum Beneuentum detulit. Aduentaſſe Marinum cum viginti ſagenis, ait Petrus; ſagenas genus nauium interpretatur Baronius. Deluſus, erepto ſibi Epiſcopo Sergius, Epiſcopij gazophylacium inuadit, theſaurum inter fæcem illam hominum, quorum opera in nefandis ſuis ſceleribus vtebatur, diuiſit; Eccleſias deuaſtat; denique ſacerdotes fugat, atque in ludibrium radit, nudoſque per ciuitatem circunducit. Hæc cum ad Hadriani Papæ notitiam deueniſſet, inquit Petrus, *direxit vnam epiſtolam antefato Iudici, & aliam*

aliam Clero, & populo Neapolitano, mandans vt suum Pontificem omninò reciperet: sin autem, anathematis vinculo innodarentur. Qui iustitiam Apostolicam pro nihilo reputantes, nec Pontificem recepere, nec excommunicationē seruare voluerunt. Post hæc Anastasius Sedis Apostolicæ Bibliothecarius vnà cum Cæsario Abbate ex parte Apostolici, & Imperatoris Neapolim venientes, Ciuitatem anathemate innodauere. Fodicabat pium Athanasij pectus gregis sui cura, anathemate innodati; cumque Surrenti esset cum Stephano fratre, nec à lachrymis, & singultibus momento vllo temperaret, decreuit Romam petere reconciliando Neapolitanos Pontifici. Ibi tentata fuit eius mors, medio veneno, per Sergij emissarios, diuina tamen gratia illæsus dimissus ab Hadriano ad Ludouicum Imperatorem tunc in Sabinis morantem proficiscitur; in medio tamē itinere, vitæ præsenti subtractus, profectus enim, inquit Anonymus, *ad Ciuitatē Neruianam (Verulanam) in qua tertio Kal. Iulij celebrauit diem Apostolorū. Peracta Missa cœpit febribus anhelare, & perfractus ab eadem infirmitate Deo dignus, & charus Athanasius è carnea subtractus est face, & suo Creatori nouissimum reddidit spiritum in Oratorio S. Quirici, quod bissenis millibus à Monasterio S. Benedicti in Cassino distat; idibus Iulij Indict. quinta, regnante Basilio Imperatore Constantinopolitano. Præfatus autem venerabilis vir vixit ante Episcopatum decem & octo annos: in Episcopatu sedit ann. vigintiduos: & in angustijs huius sæculi menses viginti cum vno.* Ergo primus supra quadragesimum annum illi excesserat, cum mortalitatem exuit anno 872. Ad Montem Cassinum delatum eius corpus, flentibus omnibus, sed exultantibus Angelis, conditum fuit in Ecclesia Principis Apostolorum, quæ ab Arechisio Rege constructa est, & iungitur Basilicæ Sancti Benedicti. In narratione miraculorum quæ erat m. s. refertur eius apparitio cuidam cæco ad sepulchrum eius oranti, vbi describitur *crine crispante, statura procerus, vultu Angelicus.* Post quinquennium Neapolim eius pretiosa pignora translata sunt ab Athanasio eius nepote & successore. Cuius trāslationis Acta hic subnectere placuit.

☞ In dicto autem Cassinensi Monasterio erat homo notus multis, præteritis annis cæcus: hic quidem in Ecclesia, vbi sanctissimi viri corpus iacebat, orare consueuerat, qui dum omninò priuatus lumine, per Ecclesiam palpans incederet, deueniretque ad viri Dei sepulchrum, sicut sæpiùs accidit, tenebris inuolutus, labente pede, cecidit super ipsius Sancti sepulchrum, statimq; depulsis tenebris perfectissimè lumen recepit. Quo miraculo vni-

A uersi gaudentes, benedicebant Dominum, qui glorificat sanctos suos. Cumque sanctitatis, & virtutis ipsius fama longè, latèque discurreret, alius Athanasius Neapolitanus Præsul successor huius sancti, secundum verò carnem filius Gregorij Ducis, fratris videlicet ipsius sancti Athanasij, anno quinto post mortem patrui, ac prædecessoris sui, solemnes nuncios cum locello, & alijs necessarijs, Abbati Monasterij, & Conuentui Sancti Benedicti direxit, vt commendatum sancti Præsulis corpus redderent in Ecclesia sedis propriæ collocandum; indecens esse dicentes, vt à propria sede exul sit mortuus, à quo viuus eiectus fuit operante hoste antiquo. Sed

B Abbas, & Monachi primitùs respuerunt. Postea verò petitionem ipsorum iustam cernentes, dixerunt. Dei voluntas fiat, & vestra petitio impleatur: pars tamen corporis sancti remaneat apud nos. At nuncij responderunt. Sicut integer vobis recommendatus est, sic auxiliante Deo habebit ipsum integrum sua sedes. Quiescētibus autem nocte ibidem, ac soporatis fatigatone itineris, apparuit vir sanctus vni de nuncijs principaliori, & vt mos est in scholis, tres ferulas, blandiens illi intulit, monens, vt socios excitaret, atque iniunctum opus vigilantet perficerent. Tunc

C ascenderunt cum cœtu venerabili Monachorū montis Cassini verticem, fodientesque aperuerunt sepulchrum, & inuenerunt viri Dei corpus integrum, quasi tunc fuisset sepultum, nullam habens in vestibus & corpore corruptionem, vt nec capillus de capite, & pilus decidisset de barba: tantisque fragrans odoribus, vt omnes admiratione replerentur, & gaudio, cunctique prostrati certatim Dei laudabant magnalia. Sanum autem & integrum post adstātium deosculationem deuotam, humeris leuantes corpusculum, descenderunt de monte cum turba venerabili sāctorum Monacho-

D rum totius illius sancti collegij, ac clericorum, & sæcularium castrorum, villarumque vicinarum, qui omnes veniebant, & deosculabantur locellū deuotissimè, & sic gaudētes reuertebātur. Dicti itaque nūcij cū corpore recedēres eo die, applicuerunt Atellas, & apud sanctum Elpidium substiterunt. Occurrit autem eis Præsul venerabilis nepos eius, cum Sacerdotum, & Monachorum collegio copioso, luminaribus accensis, & itinere toto psallentibus. Cum peruenirent ad villam quæ dicitur Grummis, obuiauit ei homo vexatus à Dæmone, qui statim liberatus Deo gratias egit. Tota Neapolis Ciuitas populosa, sancto corpori obuiam exijt, seque solo sancto corpori prosternentes cum fletu acclamabant, Patrem, Nutritorem, atque Pastorem pupillorum, atque orphanorum, Tutorem viduarum, atque mœrentium

Con-

Consolatorem. Et post lacrymabiles voces expulso mœrore, Deo gratias agentes, eo quod ipsũ meruerũt habere Aduocatũ propitium ante Deum. Dũ autem ad Ecclesiam sancti Iannarij portaretur, mulier grauissimo capitis dolore detenta, quæ etiam auditum perdiderat à multis temporibus, iuuarique nullatenus valens, caput sub locello inclinans, statim depulso dolore, recuperauit quem à multis perdiderat annis auditum. Multi alij à diuersis infirmitatibus eius interuenientibus meritis sunt curati. Tandem expletis missarum solemnijs depositoq; locello iuxta altare in Oratorio Sancti Confessoris Christi Laurentij, eiusdem sedis Antistitis, iuxta sanctissimi Ioannis Antecessoris, & Nutritoris ipsius antrum diligentissimè cõdiderunt primo Kal. Augusti: Regnante Domino Nostro Iesu Christo, cui est honor, & gloria in sæcula sæculorum. *Amen*.

Ex illa S. Ianuarij Ecclesia deinde S. huius Antistitis ossa in maiorẽ Ecclesiã translata sunt, vbi adhuc summa veneratione colũtur in sacello sancti Saluatoris, vbi hęc legitur inscriptio.

HIC IACET CORPVS SANCTI ATHANASII CONFESSORIS, ET EPISCOPI NEAPOLITANORVM.

Caput verò in Thesauri sacello honorificè custoditur argentea, atque aurea theca inclusum.

Colitur hic sanctus Præsul & alibi, Casini nempè, vbi obijt, & vnde, brachio ibi relicto (quamuis id in Actis translationis eius non reperiatur) huc translatus est. Capuæ quoque celebris erat eius memoria. Legitur in quodã peruetusto Codice m. s. Orationum illius Ecclesiæ in litanijs ipse cum alijs sanctis Episcopis Cõfessoribus inuocatus. Nec poterit, inquit Caracciolus, quis suspicari non istum nostrum, sed Alexandrinum intelligi ibi debere; quoniã nullus ibi Græcus Episcopus recensetur, vt inspicienti constabit. An verò vnus, idemque sit noster Athanasius, & qui Surrentinus Patronus est, affirmat Romeus, negat Capaccius lib. 1. fol. 533. in cuius ego sententiam potius inclino; non quidem ob eam, quam Capaccius affert rationem, nimirum, quod illius anniuersaria celebrentur 6. Kal. Februarij; nostri verò Idibus Quintileis; id enim euenisse censendum est ob Ecclesiæ in eius honorem ibi erectæ ea die fortè dedicationem, vel ob aliud insigne beneficium ea die precibus eius ciuitati collatum, vt plura de his in Ecclesiastica historia passim suppetunt exempla: sed quod videam semper quinque hos Diuos, Renatum, Valerium, Athanasium, Boculum, & Antonium, & in inscriptione illa præcipue in eius Ecclesia apud eũdem

A Capaccium, coniungi, in certum argumentum diuturnioris eorum ibi incolatus, pluriumque in Ciuitate collatorum beneficiorum, quæ de nostro nullo modo antiquorum testimonio probari possunt. Secessit quidem eò, ad Stephanum fratrem Episcopum, sed breui mora, quando incertis sedibus tyrannidem Nepotis fugiens vagabatur. Cæterùm Ioannes Ecclesiæ Neapolitanæ Diaconus Chronico suo de Episcopis Neapolitanis finẽ fecit, Athanasij huius pręclarissima gesta narrãdo. Eiusdem quoque vitam accuratè scripsit Anonymus quidam eius synchronus, quem Petrum Diaconum Cassinensem esse putat Baronius, ex quo multa ipse collegit to. x. B Annal. anno 872. qui certè esse non potest, cum Petrus Cassinensis Diaconus, qui post multa sæcula vixit lib. 4. Chronic. Cassinen. cap. 56. & lib. de viris Illustrib. Monasterij Cassinen. cap. 45. Hymnorum, vitarum, & homeliarum, cæterorumque operum à se conscriptorum catalogum recensens, de hac Athanasij vita nihil dicat. Libet autem nunc pulchram Neapolitanæ Ecclesiæ faciem Athanasio Episcopo, & antequam impij Sergij labefactata esset tyrannide, ex eodem Anonymo, quod Baronius egit, describere. Is itaque narrata ciuitatis structura, munitionibus, ac turribus, subdit. *Nam interdum bonas Præsulum gestat sedes ad instar duorum testamentorum, qui* C *eam gubernant, & reliquum, & capite reguntur artus diuersi*. Subsiste paululum Lector, inquit Caracciolus, nam Codex quo vsus est Baronius, deprauatus videtur. Emẽdo sic ex vetustissimis codicibus m. s. *Nam introrsum bonas Præsulum gestat Sedes*: Facit ea lectio mirificè ad Petri (melius Anonymi) sensum; exteriori enim Neapolis facie, in ædificijs, turribus, mœnibusque patente descripta ad interiora sermonem cõuertit, quasi diceret. Vt quid in exterioribus, inspicienti cuique manifestis immoror? Ad alia stylum conuerto, & interiora, quæ maius illi decus afferunt. *Introrsum bonas gestat Præsulum sedes*, D Cum legis, duos ibi fuisse Præsules, caue ne putes vnius vrbis fuisse duos æquales Episcopos. *Vnus Christus, & vnus Episcopus*. Clamauerunt aliquando Patres in Concilijs; etiam à Baronio id asseritur, dum subdit, quod *duplex populus contineretur in ea, nempè Latinus, & Græcus, qui seorsum suos quisque, sub capite tamen vno, peragerent sacros ritus*. Ac tacite ab Anonymo, siue Petro id innuitur, siue *introrsum*, siue *interdum* legas exemplo *artuum diuersorum sub vno tamen capite rectorum*. Quare verba illa superius adducta, sic dispungenda sunt, *Qui eam gubernat, regit & reliquum*. Hoc est Latinus, qui ciuitatem gubernat, regit & reliquum alterum, scilicet Græcum Episcopum, quasi

Græ-

Græcus vicarius eſſet Latini Epiſcopi, prout de eo videtur loqui Concil. Lateran. ſub Innocentio III. Viget hodie in Archiepiſcopatu Meſſanenſi dignitas Protopapę, qui veluti Archiepiſcopi Subſtitutus Græcis præeſt. Certè Græcanicam fuiſſe Neapolim ex inſcriptionibus, atque vocabulis, dignitatibus, imò, & ſubſcriptionibus obſeruatu facile eſt. Quandoquidem, multoties idiomate quidem Latino ſubſcribebant, charactere tamen Græco, vt habes apud Capacc. lib.1. in Io. Duce XXVII. Qui plura de Græco Clero deſiderat, Capaccium adeat eod. lib. fol.57. Franciſcum Purpuram I. C. Neapolitanum, Epiſcopum Montiſmarani in reſponſo pro Monachis *Baſilianis* in cauſa præcedentiæ cum Monachis Caſſinenſibus, & Eugenium in Eccleſia S. Georgij, & S.Mariæ in Coſmedin. Aliquando autem verè duos Epiſcopos in eadē ciuitate fuiſſe legimus. *Vide* Baronium Notis ad diem primam Februarij, docentem in eadem Antiochia, Ignatium à Petro, Euodium à Paulo fuiſſe ordinatū, ex diſſidio nempe orto inter eos, qui ex circūciſione, & qui ex gentilitate conuerſi erant. Poſtea verò cōuenientibus vtriſque in vnum lapidem angularem coaluerunt, vno tantùm remanente. Vide cum latiùs. Pergit deinde Anonymus, in Eccleſiæ Neapolitanæ laudem; *Reperiuntur planè in ea templa priſco conſtituta ædificio; quoniam non ſolum à Conſtantino pijſſimo Principe Auguſtorum Chriſtianiſſimo, ſed plures ante annos, Chriſtiana ibi religio floruit; ſiquidem Beatiſſimus Petrus Apoſtolorum Princeps, Aſpren ſanctiſſimum inibi ordinauit Epiſcopum.* Quibus verbis innuere videtur auctor etiam ante Conſtantini tempora fuiſſe Neapoli extructas Eccleſias. At obſtat Romanum Breuiarium, vbi de Conſtantino ſic legitur in Syluestri feſtiuitate. *Itaque auctore Syluestro multas Baſilicas ædificauit, quas ſacris imaginibus, donisque, ac muneribus magnificentiſſimis exornauit, facultate etiam data Chriſtianis, quod antea negatum erat, publicè Templa extruendi.* Senſus ergo verborum auctoris hic eſt: excitari Neapolim ad Templorum religioſam extructionem ob anitam fidem, in qua ab ipſo Apoſtolorum Principe firmata fuit. Sequitur: *Iam & Beati illius Agrippini Eccleſia hactenus demonſtratur, qui quintus à ſupradicto Aſpren Epiſcopus ordinatus eſt, quique patronus, & defenſor eſt iſtius Ciuitatis, Beatiſſimumque Ianuarium Chriſti Martyrem poſtea Neapolites meruerunt habere tutorem.* Intellige aliquo protectionis ſigno poſtea demonſtrato. Cum alioquin longè antea conſtet Ianuarij patrocinium. Rurſus: *in qua laici ſimul cū Clericis aſſiduè Græcè, Latinèque communi prece, comptè pſallunt Deo, debitumque perſoluunt iugiter officium.* Hoc Romæ, & alibi factum; ideoque Sabbathum quatuor temporum, dictum eſt Sabbathum duodecim lectionum ab Amalario lib.2. c.1. de pietate erga pauperes. Hæc idem auctor. *In qua etiam indigenæ & inquilini, non circumeundo domos, in peregrinorum habitu, ſtipem publicè expetunt, ſed quo loco commorantur, omnia neceſſaria quæ deſiderantur abundantiſſimè percipiunt. Et iuxta præceptum Dominicum, præfata vrbis accolæ, potius Lazaros quæritant, vt exhibeant largius, affluentiuſque quibus indigent.* Obſignat tandem auctor Neapolitanæ ciuitatis laudes hoc inſigni elogio. *Ciuitas hæc, ciuitas miſericordiæ eſt, & pietatis. hinc inde vallata omni bonitate. Quæ ergo meruit tot, taleſque habere Patronos apud Deum in exorando, meritò huiuſmodi meruit protectione tutari, vt in bonis exuberet operibus, & à cunctis exiſtat aduerſarijs illæſa.* Hactenus Anonymus de Neapolitanæ Eccleſiæ decore: & notis ad illum Caraccioli. Vtinam doctus hic Caracciolus de cæteris Neapolitanis Epiſcopis hiſtoriam texuiſſet, certè is qui nuper eorundem Catalogum conſarcinauit, in innumeros errores prolapſus haud fuiſſet, & nos aliquando cum ipſo opus erit cæcutire, cum aliundè non ſuppeditent monumenta, quæ noſtrum poſſint adiuuare conatum. Deſijt Caracciolus cum Sanctis Epiſcopis, qui ad Anaſtaſij vſque tempora Neapolitanam Eccleſiam ſanctè rexere. Ioannes quoque Diaconus Chronico ſuo de Neapolitanis Epiſcopis finem fecit Athanaſij huius ſanctiſſimi Præſulis geſta præclara narrando. Petrus Neapolitanæ Eccleſiæ Subdiaconus, qui poſt annos ducentos vixit, abſoluit Ioan. Diaconi Chronicon quod imperfectum reperit. Cæterum libet hic annectere ſancti huius Præſulis genealogiam ex varijs monumentis, auctoribuſque concinnatam.

Marinum & Eproxiam nobiles Neapolitanos fuiſſe parentes Gregorij Ducij Neap. & auum, auiamque S. Athanaſij Epiſcopi Neapolitani teſtatur Ioan. Diac. in Chron. Epiſcop. Neapol. in S.Athanaſio.

Sergius dicti Marini, & Eproxiæ pater Athanaſij Dux fuit Neapolitanus, habuitq; vxorem Droſam nomine, ex eodem Ioann. Diacono.

S. Athanaſius Sergij filius ex eius vita.

Stephanus Surrentinus Epiſcopus germanus frater S. Athanaſij ex vita eiuſdem.

Cæſarius eiuſdem S. Athanaſij germanus frater, cuius meminerūt Io. Diac. in S.Ioan. & S.Athanaſio. Ioannes Cemiliarcha in vita S.Ioannis Aquaroli, Carolus Sigonius lib.5. de Regno Italiæ anno 849. obijt in carceribus iuſſu Gregorij Ducis fratris filij, vt in Chron. dicti S.Athanaſij. Habuit quoque S.Athanaſius alios fratres præter ſupradictos, quorum nomina latent. ex cod. Chron. & vita Athanaſij.

Sergius Dux filius prædicti Gregorij Ducis,

cis, huius patruus fuit S. Athanaſius, vt ex A
prædictis auctoribus, & Romano Martyrologio, vxorem habuit, tamen eius nomen ignoratur. Habuit & ſocrum, quæ venenum propinari curauit S. Athanaſio, dum Romæ exul eſſet.

Athanaſius II. malus Neapolitanus Epiſcopus & Dux, Sergij ſupradicti germanus frater, & Athanaſij ſancti nepos, notus eius æui auctoribus, & præcipuè Erchemperto, & Ioanni VIII. Papæ.

Stephanus Epiſcopus Neapolis Athanaſij iunioris germanus frater, & conſanguineus Gregorij Ducis, Athanaſij mali ſucceſſor ex translatione SS. Seuerini, & Soſij habetur,

Gregorius II. Dux Neap. cuius meminit B
Chron. Caſſin. lib.1. cap.55. fuit conſanguineus prædicti Stephani Epiſcopi, vt ſupra eſt dictum, quis autem fuerit filius eiuſdem Gregorij, colligitur ex his quæ Bonitus Eccleſiæ Neapolitanæ Subdiaconus in vita S. Theodori dixit, qui meminit Gregorij Ducis Neapol. qui fuit etiam nepos, & proles, frater ac pater Parthenopenſium Ducum.

Ioannes Dux Neap. anno 915. de quo Sigonius lib.2. de Regno Italiæ, & Capaccius in recenſione Ducum Neapolitanorum.

Gemma filia Athanaſij iunioris Epiſcopi & Ducis, vxor Landulfi filij Athenulfi Capuæ Comitis ex Erchemperto, quorum filia Gemma iunior Cadoli Comitis Burginouii Fouechienſis in Etruria.

Ioannes Dux Neapol. anno 934. cuius C
mentionem facit Chronic. Caſſin. lib.1. c.5.

Ioannes Magiſter militum Neapol. ciuitatis, & Campaniæ Dux anno 1014. ex Actis S. Seueri Neap. Epiſcopi.


Sergius Dux Neap. cuius mentionem facit Chronic. Caſſin. lib.2. c.59. ann.1025. & Carolus Sigonius lib.8. de Regno Italiæ an. 1029. & 1032. Sergius iſte conceſſit priuilegium S. Gregorij Monialiũ Cœnobio. Idem etiam Sergius vnà cum Ioanne Duce & Conſule eius filijs eidem Monaſterio aliud priuilegium aſſeruit anno 1033.

Ioannes Dux & Conſul filius Sergij Ducis ann. 1033.

Sergius Conſul filius Sergij Ducis Neap. & magiſter militum filius quondam Ioannis D
Conſulis & Ducis ann. 1060. ex priuilegio conceſſo Monaſterio S. Gregorij Neapol. Idẽ Sergius Dux Neapol. interfuit conſecrationi Eccleſiæ Caſſin. an. 1072. ex Chron. Caſſin. Idem Sergius Conſul, & Dux & militum Magiſter, & Ioannis Ducis minoris filius anno 1090. eidem Monaſterio S. Gregorij aliud monumentum conceſſit. Idemque Dux & Conſul, & Imperialis Protoſebaſtes, & Ioannes eius filius minoris ætatis similiter Dux anno 1097. ex alio priuilegio eidem Monaſterio conceſſo.

Ioannes Dux filius prædicti Sergij Ducis anno 1090. & 1097. vt ſupradictum eſt.

Sergius vltimus Dux Neapolitanus ex proſapia S. Athanaſij, cuius fit mentio in Chronic. Caſſin. lib.4. cap.99. cuius meminit etiam Abbas Alexander Celeſinus in vita Rogerij lib.2. & Falco Sacri Palatij Scriba in Hiſtoria Beneuentana anno 1137. Quod verò Sergius vltimus fuerit Dux Neap. habetur ex Chron. Caſſin. eodem ſupracitato libro & cap. Nam Rogerio Duci Apuliæ conceditur eodem anno per Anacletum II. Antipapam regia corona cum Capuano Principatu, & Ducatu Neapolitano. Creduntur hi omnes Neapolitani Duces fuiſſe ex proſapia S. Athanaſij Epiſcopi Neapolitani. De quibus fusè agit Capaccius lib. 1. Hiſtor. Neapol.



48. ATHANASIVS Iunior Gregorij Ducis filius, impij Sergij frater, S. Athanaſij Nepos, patruo ſufficitur anno 872. munus conſecrationis accepit à Ioanne Papa VIII. in Eccleſia S. Nazarij Cautiæ agri Capuacij, vt Petrus continuator ſcribit in Chronica, cùm illac Pontifex diuertiſſet, vt Sergij Ducis Neapolitanorum cum Sarracenis inita fœdera, duritiemq; violaret. Vir fuit Athanaſius ſiue ſacris, ſiue ciuilibus rebus, ſiue bonis, ſiue malis agendis dexteritate mirabili, prouidentia, animique fortitudine tanta, vt cum quietam ab initio vitam ducere decreuiſſet, ſibi ipſi potius quam fratri conſulens, cuius vindex à Deo electus videbatur, vt ait Oſtienſis, ipſum Sergium non ſemel admonitum captum excæcauit, & Romam ad Pontificem miſit, vbi & miſerè periit, ipſe verò à Neapolitanis in eiecti fratris locũ Dux ſubrogatur anno ſalutis 877. Laudatus proinde eſt à Ioanne Pontifice epiſtola tunc ad eum ſcripta in hunc modum.

Reuerendiſſimo & Sanctiſſimo Athanaſio Sanctæ Eccleſiæ Neapolitanæ confratri noſtro, &c. Innumeras gratiarum actiones veſtra Deo dilecta agimus almitati, dignisq; Apoſtolico vos ore laudibus, præ cæteris meritò collaudamus. Quoniam, ſecundum Domini vocem dicentis: ſi oculus tuus, vel manus

nus tua ſcandalizatte, erue eum, & proijce à te: fratrem tuum erga Eccleſiam Dei impiè agentem, & circa Dominum non recto itinere gradientem, velut ſecundum Holophernem Sanctis Chriſti Dei noſtri auſu temerario impugnantem, & hereditatem patriam more ſacrilego perſequentem, tanti honoris regimine indignum iudicans, vltionis diuinæ percutere ſæculo ſtuduiſti, nec pepercisti carni tuæ propter Dominum dicentem; Qui diligit patrem, aut matrem, aut fratres plusquam me, non eſt me dignus. In quo nimirum vos Deo per omnia dignos fore cognouimus; quia membrũ corporis ſui multo contagio fœtens, libenter abſcindere, procul[q;] abijcere ſanctitas tua fideli deuotione curauit. Et quia nunc vſque viris ſæcularibus, ſecundum ſe, non ſecundum Deum in vrbe Neapolitana principantibus multa ſcandala, & perturbationes multas, homicidia, & oculorum erutiones, intra eam, & foris peragentibus dignum Deo de his iuſtè iudicante, peractum eſt, vt iniqua iam ceſſet dominatio, finem haberet peccatum, & conſurgeret vir de domo Domini, qui timorem Dei præ oculis habens, regat populum Chriſti in omni iuſtitia & ſanctitate, in omni veritate, & manſuetudine, vt paſtor idoneus, non velut mercenarius deſerat & diſperdat. Et ideo ad ea, quæ veſtræ dignitati, vel honori congrua, & neceſſaria ſunt, perpetua nihilominus ſtabilitate confirmamus, tantum ampliori nũc ſtudio vereque multiplici pro defenſione ſanctæ Dei Eccleſiæ tibi commiſſæ ſtare, & deſudare, quatenus ſalua, ſecuraque conſiſtat, vt procures, his noſtris Apoſtolicis prudentiam veſtrã exhortamur apicibus. Nos namque alijs mãcoſis datis, mille quadringentis vobis dare debemus, quod veſtræ dilectioni, aut initio quadrag.ſimæ, aut in die ſanctæ Reſurrectionis vobis procul dubio dirigemus. Porrò hunc Petrum venerabilem Diaconũ veſtrum, quia eum veſtræ Eccleſiæ, & Ciuitati Neapolitanæ in omnibus fidelem eſſe cognouimus, vobis in omnibus commendamus, vt pro noſtro eum amore benignè ſemper retinere dignemini. Data vt ſupra menſe Nouembris, Indictione vndecima. Hanc eandem epiſtolam recitat Baronius tom. 10. ſubditque non eſſe accuſandum Pontificem, quod indecens Epiſcopo factum laudauerit, quippe, & Moyſes Leuitas laudauit, qui à cæde fratrum, & filiorum reuertebantur. Et Petrus ſpiritu oris ſui Ananiam, & Sapphiram interemit. Zelus præcipuus eſt contra Eccleſiam Dei vexantes. Scripſit etiam idem Pontifex ad Neapolitanos, quod Athanaſio tanquam iuſtiſſime operanti cooperati etiam ipſi fuerint, monens, vt quem Paſtorem elegerant, veneratione amplecterẽtur. Appellatque Sergium hominem peccati, Dei inimicum, populi ſui tyrannum, atque Romanæ Eccleſiæ perduellem. Landulphus Capuanus Epiſcopus Põtificis mo-

A nitu Athanaſium in ea re maxime iuuit. Hæc fuerunt Athanaſij Epiſcopatus primordia, futurus felix, ſi eo ardore animi, quo fratrem Ducem, inimicoſque Romanæ Eccleſiæ inſectatus fuerat, ſemel commiſſas oues pedo correctionis, directioniſque ad paſcua promouiſſet ſalutis: ſed cum eſſet vir ad arma, ad auaritiam, dominandi, proferendique imperij libidinem magis quàm ad diuinum cultum, pacem, pietatemque procliuis, ex Paſtore Tyrannus euaſit, vt non modo cum Sarracenis, magno omnium fideliũ ſcandalo fœdus inierit, quorum viribus dominari, ſuamque auaritiam explere poſſet, ſed etiam collatis cum ipſis ſignis finitimos Dynaſtas promouerit ad arma, ditionemque
B Eccleſiaſticam infeſtam habuit. Non tulit iniuriam Ioannes Pontifex, cum Athanaſius ad Pontificia præcepta, monitaque ſurdas aures præbuiſſet, nec fœdus cum Sarracenis diſſoluere, nec ab hoſtili præda ſe abſtinere voluiſſet, diris eum comminatus eſt pœnis. Extant plures ad eum Ioannis epiſtolæ, quibus eum admonuit, vt fœdus ictũ cũ Sarracenis diſſolueret, alioquin anathemate feriendum comminatus. Quid inſuper? Ipſe Ioannes etiam Neapolim ſe contulit ad hoc agendum, vt reuocaret ſcilicet Athanaſium ab eo inito fęderc; ſed omnia fruſtra, cuius rei gratia vbi in Vrbem redijt, Synodo conuocata, ipſum tradidit anathemati anno 880. atque has litteras mox
C dedit ad Epiſcopos circumpoſitos.

Omnibus Epiſcopis Caietam, Neapolim, Capuam, Berolaſim, Amalphim, Beneuentum, & Salernum colentibus. Quæ & quanta ab Athanaſio Neapolitano Epiſcopo Chriſti Eccleſia patiatur aduerſa optaremus vobis non eſſe dicturos, niſi eſſent ſupra modum grauia. Ecce enim vt ipſi iam maxima ex parte non ignoratis, ad perditionem totius Chriſtianitatis à multis retro temporibus cum filijs Iſmael, & Deo ſcilicet odibilibus Sarracenis pactum faciens, omnem iſtam terram ad nihilum redegit, vt iam non ſit, qui eam prorſus inhabitet. Super quo ſcelere eum ſepiſſimè commonuimus,
D *& corpori noſtro omnimodo non parcentes, vſque Neapolim properauimus, multumque argenti ei contulimus, & rogauimus, vt ab eorum ſe ſocietate diuideret, & tandem aliquando reſipiſcens, tantam peſtem deſeret, qui, vt ita dixerim, importunitatem noſtram, licet fictè, non tolerans, promiſit ſe ita eſſe facturum, & pactum cum Sarracenis habitum ſoluturum, ſub ea duntaxat conditione, vt ſi deinceps hoc malo ſe quoquo modo miſceret, & ſacerdotio eſſet priuatus, & anathemati ſubiaceret. Sed heu pro turpis lucri commodo, quod ab ipſis Sarracenis, de præda eorum partes recipiendo, huius promiſſionis oblitus, noluit adimplere quod multis coram poſitis ſcriptis, & verbis promiſit. Rurſum nobis*

non

non modici argenti adauctis ponderibus, per suos Legatos ei mandauimus, vt si intra trium dierum spatiū cum Sarracenis habitū fœdus non rūperet, aut ea, quæ nobis tergiuersando abstulerat, non transmitteret, nostro iudicio iterum sententiam, quam ipse in se protulit, prorsus exciperet. Sed tam varia iuramenta, quam absolutas promissiones, nos de die in diem delusit, & foris omnibus dissipatis, intus verò per suam calliditatem multis nostris ablatis hactenus, nec cum Sarracenis habitum pactum dissoluit, nec reliqui Dei populi voluit misereri. Quin potius cum ipsis conuersans de ipsis malis in peius creuit, & Dei mandata contemnens sacerdotij etiam sui oblitus non solum illis similis effectus est; sed etiam in multis deterior. Huius rei gratia apud Beatum Petrum Apostolum synodicam sententiam protulimus, & cum omnibus sibi consentientibus, siue fauentibus omni Ecclesiastica communione sub anathematis interpositione priuauimus. Modus autem excommunicationis hic est.

Athanasium Neapolitanum Episcopum sæpissimè admonitionibus, & multis argenti ponderibus datis, vt pactum cum Sarracenis habitum disrumperet, admonuimus. Ille autem idem pactū se omnimodo soluturum, & ab eorum societate separatum esse promittens, sub ea conditione, vt si denuo cum illis quolibet modo fœdus habuisset, omni esset sacerdotali honore priuatus, & anathematizatus. Sed hæc omnia paruipendentem, & ad Christianorum perditionem cum eis pactum habentem, & nos sæpissimè deludentem, & de præda eorum partem recipientem, iudicio, & auctoritate Dei omnipotentis, & Beatorum Apost. Petri, & Pauli simul & nostra, cum omnibus sequacibus suis & omni Ecclesiastica communione priuatus, & quousque se ab ipsis Sarracenis penitus separauerit, velut totius Christianitatis inimicum anathematizamus. Dat. . . mense Aprili, Indict. decima quarta. Subdit ad hæc Baronius. Quid autem Athanasius iste post hæc? Misit Legatum ad Ioannem Pontificem Petrum Diaconum suum, vt absolutionem ab excommunicatione peteret. Sed qui ab ipso delusus sæpe fuisset, nullam ipsi adhibendam fidem putauit, nisi primum Sarracenis ab ipso necatis, vel captis, sic pœnitentiæ suæ certa signa edidisset; tunc tutè absolutionem consequuturus esset; cuius rei gratia Marinum Episcopum, qui ipsi Ioanni in sede successit, ad ipsum misit, his eidem breuioribus datis litteris.

Boni Pastoris eximio informati exemplo, qui venit quærere saluare, quod perierat, tantopere te per deuia errantem abiectis Christi leui iugo, cum infidelibus iugum obscœna cupiditate duce te non dubitantem (quamuis sero ad se percutientem reuerti velle mandasti) alacriter recepimus, & inter cæteros consacerdotes nostros præcipuos honorabilem

A *cupimus retinere, prout ipse nos iam olim fecisse proculdubio reminisceris. Sed quia tua exigente sceleris tanta audacia, sancti Spiritus te à consortio nostro diuini mysterij iure submouimus: nunc secundum preces tuas ex relatione Petri venerabilis Diaconi tui, si modò pactum, quod hactenus cum impijs Agarenis habuisti, manifesta deuotione fregeris, & ab eorum nequissima societate toto conamine te separaueris, atque si præsentibus his missis nostris Marino scilicet reuerendissimo Episcopo, & sanctæ sedis nostræ Arcario, & Sicone egregio viro, maiores Sarracenorum, quanto melius potes, qui nominatim quærimus, cum alijs omnibus cæteris,*
B *& iugulatis alijs, eos nobis direxeris: à vinculo excommunicationis absoluimus, & iuxta præcedentem consuetudinem Episcopale officium reddimus. Eo scilicet modo, vel tenore, vt captis & traditis, vt dictum est Sarracenis, deinceps nullum cum eis vlterius fœdus, quoquo modo inire præsumas. Nam si cum illis pactum aliquod facere tentaueris, in eandem te excommunicationem incurrere sancimus, & auctoritate Dei omnipotentis, ac B. Petri Apostolorum Principis, & nostra omni Episcopali honore priuandum, & perpetuo anathemate damnandum esse decernimus.* Hæc Ioannes papa. quæ sequuta sint, inquit Baronius, ignoramus.

Cæterum quod semel proprius amor, & mala mens transuersum egit, in Athanasio probatum est, qui cum in reprobum sensum se dedisset, vt Erchempertus in Longobardorum Historia scribit, qui res eorūdem gestas ad annum 800. vsque ad 888. descripsit, cum Sarracenis iterum sociatus, mala vndique, ac pessima in omnes patrauit facinora, & donec vixit, noua semper molitus mala, finitimas regiones, populos, vrbes, oppida, eorumque principes & Regulos assidue inquietos habuit, armis, molestijsque lacessitos vexauit. Agarenis, quos aliquando infra Neapolitanæ vrbis portum, ac mœnia collocauit in sui auxilium euocatis, Capuam suæ subijcere potestati exoptans, eos in eam
D vrbem misit, quos Lando eius ciuitatis Comes ferè omnes occidit. Athanasius verò se cernens delusum, dolosè cum Capuanis ac cum Landone ipso pacem iniit, vt tacitius pacis colore eam vrbem inuadere, ac capere posset. Vindemiæ tempore clàm irruens super eos, quamplures ex ciuibus, eiusque vrbis præstantissimis viris cepit, captiuosque deduxit, spolijs, ac maxima præda oneratus in patriam rediit. Ab ipso igitur anno, qui fuit Christi 883. Athanasius crebris suorum militum incursionibus omnia è propinquis vrbibus, atque oppidis circumquaque inuadens, ac deuastans, ad totius Liburiæ dominium aspirabat, eamque suæ subdere potestati cupiens, Sarracenos Agropolitanos clam accersiuit, & Capuam misit, vt eam subiugaret. Verùm Capuanis viriliter resisten-

stentibus, Agareni spe sua frustrati absque præda in castra reuerti coacti sunt. Tunc Athanasius vt concepta spe de Capuana vrbe potiunda non frustraretur, nouis, inauditisque machinis aduersus Capuanos obstructis, Quadragesimæ tempore (anni 885.) quo Christi fideles peccata sua deflere, Deoque veniam petere solent, die Dominico subsequente crepusculo cum Græcis, Agarenis, Neapolitanisque repentè Capuam inuasit, & quamuis trecenti armati eius milites mœnia conscendissent; attamen Deo adiuuante, ea vrbe haud potitus est, cum ferè omnes aggressores gladio perijssent. Tentauit deinceps Athanasius Salernum capere, ac sæpius illud modò per Græcos, modò per Sarracenos aggressus, Guaimario Principe viriliter repugnante metuendus hostis à muris depulsus est. Hæc & alia indigna facinora perpetrasse Athanasium fusiùs narrant idem Erchempertus eius æui scriptor, & posteri nonnulli, quem periurum, fœdifragum, ambitiosum, discordiarum inter proximas vrbes disseminatorem, sanguinis humani sitientem, Pontifici refractarium, Sarracenorum amicum appellant, alijsque multis conuicijs onerant. Habuisse Athanasium filiã nomine Gemmam idem testatur Erchempertus, legitimam, an notham, incertum, hanc Landulpho Athenulphi Capuæ Comitis filio in vxorem dedit, ex quibus Gemma altera nata est, quæ vxor fuit Cadoli Comitis Burginoui de Fusceolo in Etruria. Athanasij tamẽ cum laude meminit Petrus Subdiaconus ille, qui Neapolitanorum Episcoporum Chronicam post Ioannem Diaconũ continuauit, altioris ingenij virum, atque mirabilis prudẽtiæ fuisse testatur. Idem perhibet Petrus alius Neapolitanæ Ecclesiæ Subdiaconus in S. Agnelli miraculorũ libello. Idem Athanasius Græcis, & Latinis litteris optimè excultus fuit; Sanctorum enim Martyrum Arethæ & sociorum passionis Historiam è Græco in Latinum vertit optimo, & eleuato stylo, vt illa ferebat ætas, cuius fragmentum extat in M. S. codice in Monialium S. Ioannis Capuanæ vrbis Cœnobio, in quo inter alia habentur in Prologo. *Quorum* (scilicet Martyrum) *victrices agones, palmasque ego Athanasius Iunior Parthenopensis Ecclesiæ Antistes ad honorem Dei, & gaudium Christianæ religionis ab Æolicis exemplaribus transferre conabor, & quia peregrinum idioma minimè congruit stylo, non verborum folia, sed magis sensus vbertatem carpere studentes, superflua resecamus, & interdum serie commutata ad dilucidandas sententias nonnulla ingerimus nostra, &c.* Horum SS. Martyrum fit mentio in Martyrologio Roman. die 24. Octobris. Author translationis S. Athanasij è Casinensi Cœnobio, de hoc Athanasio loquens ait. *Audiens Athanasius, qui ab eo vt proles, carissimus, dilectus, & nutritus fuerat. & in*

A *honore, locoque eius successerat, filius fratris eius Gregorij Ducis &c.* Trãstulit patrui corpus Athanasij anno 877. Ioannes Diaconus Neapolitanus in Actis SS. Martyrum Eustratij & sociorum, qui iussu Athanasij è Græco in Latinum vertit, vt Baronius in notis ad Martyrol. Rom. 17. Decembris tradit, Athanasij patrui vestigia secutum hunc in modum testatur. *Athanasius iunior Parthenopensis Ecclesiæ Præsul, patrui sui magnifici Præsulis studia secutus impulit me, &c.* Idem habet Guarimpotus in Actis eorundem Sanctorum iussu eiusdem Athanasij è Græco in Latinum versis. Eiusdem etiam imperio translata fuisse Acta S. Febroniæ virginis, & martyris narratur. Porrò in

B Actis S. Agnelli Abbatis, mentio Athanasij satis mirabilis habetur in hæc verba.

Athanasius itaque iunior Episcopus, qui huius ciuitatis Parthenopensis Episcopatum simul & Ducatum tenuit, nimio tenebatur dolore, ex ea scilicet valetudine, quæ Ilium nominatur. Cum cognouisset autem vir vtpote altioris ingenij, quod Dei gratia tanta beneficia per S Agnellum ostenderet, & alia visu, alia auditu cognosceret, ad eius Ecclesiam confidens de Domini pietate humiliter perrexit. Cumque illic tristis nimio dolore iaceret, & Dominum gemitibus exoraret, quatenus meritis & intercessione B. Agnelli à tanto sanaretur dolore. Apparuit eidem Sanctus, & medicinale ferramentum manu

C *tenens, quod ab incisione venarum, quæ græcè flebe nominatur, flebotomus dicitur: percussit eũ in parte lateris, quo dolore torquebatur. & ait, Athanasi surge, & scito quod Deo opitulante, ab isto dolore saluus effectus sis. Statimque ille prædictus exurgens cœpit laudare nomen Domini. Mane autem facto, cuncta quæ fecerat retulit, diligenterque animaduertens, quod visitatione S. Agnelli visitatus esset, rogauit Presbyteri in loci illius Rectorem vt pro eo Dominicã hostiam Domino immolaret. Quo facto, cunctis mirantibus, non paruum lapidem simul cum sanguine fudit. Vnde magis, ac magis glorificauit Dominum, quod quæ Sãctus in reuelatione promiserat, experimento*

D *cognouit. Sanus autem effectus, lætus indè reuersus est: memorque beneficij altare illius holoserico pallio operuit, annisque singulis in eius festiuitate humiliter ad eius properabat Ecclesiam.* Et Petrus Subdiaconus de Athanasio hæc narrat in Chronica. *Cumque tanta locustarum copia Campaniæ regionẽ, ac Neapolitanæ vrbis potissimùm inuasisset: vt ne dum segetes, sed arborum quoque folia, atque hortorũ olera cõsummarent; quamobrem magno incolæ terrore periculum ne fame interirent, vererentur, Athanasium eorum Præsulem adeuntes vt ad Dominum precaretur, & quid facto opus esset, cum consulerent. Athanasius verò consilium cum eis init, vt ieiunijs, atque eleemosynis*

Deum

Deum exorantes, ipſius iram auerterent, & Sancto Iuliano Martyri vnico die Eccleſiã erigerent, & miſſarum ſolemnia inibi celebrarentur, vt alibi contigiſſe ferebatur, quod & factum eſt, atque ita à locuſtarum calamitate mirum in modum fuerunt liberati. Meminit etiam Athanaſij Ioannes Monachus in Chronico Cœnobij S. Vincentij de Vulturno lib. 4. Leo quoque Oſtienſis lib. 1. cap. 45. & alibi. Capaccius eius vitam breuiter ſcripſit in recenſione Neapolitanorum Ducum. *Igitur Athanaſius, ſiue bonis, ſiue malis rebus agendis egregius, tamen audax, & dicendi peritus, bonus pauco temporis ſpatio, malus ſemper, & ſine mente Epiſcopus fuit: oportebat illum iuxta Menandri ſententiam, qui ciuilibus praeſſe volebat, orationiſq; facultatem non inuidioſam, ſed bono affectu temperatam habere. Mali homines fortunati non tolerabiles ſunt, vt Euripides in Aeolo ſcribit; quod Athanaſio quadrat; etenim fortunatiſſimus, & malus, intolerabilis tamen, & fortaſſe adhuc excommunicatus, exoſuſque vitam amiſit circa annũ Domini 895. cum ſediſſet annis 22. menſ. 5. dieb. 2. vt quidam narrant.*



49. STEPHANVS Tertius Gregorij Ducis filius, Athanaſij deceſſoris frater germanus, eo demortuo, Neapolitanæ Eccleſiæ admotus eſt anno 895. Tranſtulit autem Stephanus Neapolim, vt narrant, è Caſtro Lucullano corpus S. Seuerini Abbatis; cum enim Neapolitana vrbs obſideri pertimeſceret ab Africano quodam Rege ingenti Agarenorum claſſe, multas ille Italiæ, ac Regni huius vrbes ſæuiſſimè expugnarat, quãobrem tantus omnes inuaſit timor, vt vnaquæque ciuitas ſuis conſuleret rebus, mœnia reſarciret, & quæque ad bellum neceſſaria eſſent ſollicitè cogitaret. Quod non minori diligentia Gregorius Conſul & Dux Neapolitanus cum Stephano Epiſcopo patruo, ciuibuſque inito conſilio curauit, qui quidẽ Lucullanum Caſtrum demoliendum fore, eius incolis Neapolim tranſmigratis, & ſacra Seuerini pignora illò transferenda decreuerunt, quæ denique Ioannes S. Seuerini Abbas id enixè flagitans, in ſuam transferri Eccleſiam eius ſancti nomine nuncupatam obtinuit, quod ſolemni ritu & incredibili totius populi frequentia, ac lætitia factum eſt die 10. Octobris ann. 920. & à Stephano hoc Epiſcopo ſub eius Eccleſiæ altari honorificè collocatum, vt teſtatur Ioannes Eccleſiæ Sancti Ianuarij Diaconus, qui eius translationis acta ad præfatum Ioannem Abbatem ſincerè conſcripſit, quæ vetuſto charactere membranis exarato in eodem Monaſterio habentur. Eodem quoque anno, ac Præſule corpus S. Soſij, B. Ianuarij martyris, & in paſſione ſocij in Miſeno Campaniæ oppido, non procul à Cumis, à Sarracenis deleto, inter eius oppidi ruinas, annuente Stephano Epiſcopo ſummo labore conquiſitũ prædicti Ioannis Abbatis opera inuentum eſt & Neapolim non minori gaudio, præfato Antiſtite, ac Gregorio Conſule, vniuerſoque populo occurrentibus die 27. Auguſti delatum, in eodem S. Seuerini Sepulchro, & Eccleſia per manus eiuſdem Epiſcopi reconditum eſt, vbi hucuſque aſſeruatur. Hoc epigramma in Sarcophago inſcriptum.

Hic duo ſancta ſimul diuinaque corpora iacent,
Soſius vnanimes, & Seuerinus habent.

Huius autem Sancti Martyris corporis inuentionis, ac translationis Hiſtoriam idem Ioannes Sancti Ianuarij Diaconus, qui interfuit, iuſſu Stephani huius Epiſcopi conſcripſit, ex qua hæc excepta ſunt, ex quibus etiam habetur, hunc eundem Stephanum Epiſcopum fuiſſe germanum fratrem Athanaſij Epiſcopi prædeceſſoris, ex illis nempè verbis, quæ idem Stephanus Epiſcopus ait, cum ab eo Ioannis Abbatis nomine peteretur facultas requirendi corpus S. Soſij, & quando id repertum fuiſſet, illud transferendi Neapolim in Eccleſiam Sancti Seuerini. *Tunc Præſul* (ſcilicet Epiſcopus Neapolit.) *pio ſuſpirans affectu; Annuat*, inquit, *Dominus precibus ſeruorum ſuorum, & aperiat illis theſaurum miſericordiæ ſuæ, quia multi fuerunt, prorſus multi, qui ſe ad illud inueniendum omni ſtudio accinxerunt, ſed occulto Dei iudicio nunquam exinde ad effectum pertingere potuerunt: nam Sicbardus Princeps Longobardorum, poſt innumera mala, quibus vrbes noſtratium afflixit, etiam ad hoc prorupit, vt ſepulchra ſuffoderet, & Sanctorum ex eis corpora ſubleuaret, ſed martyrem hunc, licet alium pro alio reperiſſet, & nomini eius Eccleſiam conſecraſſet, nequaquam inuenire potuit. Poſtmodum quoq; Domnus Athanaſius Epiſcopus ſanctæ memoriæ germanus meus ſum-*

ma probitate margarita inueſtigator extitit, ſed nec ipſi collatum fuit, &c. Caterùm ſubdit Cioccarellus in Catalogo, num Stephanus hie germanus fuerit S. Athanaſij, an verò Athanaſij Secundi, non ſatis conſtat, ſed licet verba illa, ſanctæ memoriæ, ac ſummæ probitatis conueniant potius S. Athanaſio, quam Athanaſio Secundo, vt ex his, quæ ſuperius diximus, conijcitur; attamen habita temporum ratione, videtur fuiſſe Athanaſij Secundi fratris; Sanctus enim Athanaſius germanum fratrem habuit Stephanum A Surrentinum Epiſcopum ad quem Athanaſius is diuertit tempore ſuæ perſecutionis anno 870. & non videtur veriſimile Stephanum illum fuiſſe Epiſcopum Neapolitanum anno 920. Idem auctor putat Stephanum hunc ante adeptum Epiſcopatum coniugatum fuiſſe ex marmorea inſcriptione in ſepulchro Euphemiæ in vetuſtiſſima D. Ioãnis maioris æde; in ea enim habetur, illam coniugem fuiſſe Stephani, ac nurum Gregorij Ducis, ibi hæc leguntur.

Quiſquis ad hæc Sancti feſtinas templa Iohannis,
Obſecro ſubſiſtens carmina cerne mea.
Hic quoque cognoſcis, pereant quod regna potentum,
Prædia, diuitiæque vmbra velut tenuis.
Hic Euphemiæ requieſcunt membra benignæ,
Nurus Gregorij, quæ Ducis alta fuit.
Namque viro iuncta Stephano dum vixit in orbe
Semper amando Deum, ad bona prompta fuit.
Orphanus & pater huius ſolamine vixit,
Triſtis & afflictus commoda ſenſit ouans.
Semper erat vigilans meditando gaudia Chriſti,
Qualiter in Cælo poſſit habere locum.
Tandem poſt multum famulando ritè Tonanti,
Debita perſoluens pergit ad aſtra poli.
Inclyte Præcurſor Domini, & Baptiſta Iohannes
Dicito deuote ſæpe precando Deum;
Chriſte ſalus mundi, atque hominum plaſmator opimus,
Dona Euphemiæ gaudia ſancta tua.
Hæc nos Gregorius Præfectus
& Athanaſius Leuita
triſtis mater Amanda.



50. ATHANASIVM huius nominis tertium in demortui Stephani locum euexe- D runt ad thronum, florebat anno 937. quo ipſe vnà cum Gregorio Duce, ac Conſule Monaſterium S. Seuerini iam ſub Athanaſio iuniore erectum, ac Sanctorum reliquijs Seuerini & Soſij nobilitatum, inuidioſis immobilibus bonis, ac iuribus auxerunt, cuſo diplomate tranſlationem etiam eorundem Sanctorum referente, quod ex ſcripſit Cioccarellus ab exemplari, dignum vt ab omnibus legatur, cuius tenor eſt huiuſmodi.

In nomine Domini Dei Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Imperantibus Dominis Leone, & Alexandro à Deo coronatis magnis Imperatoribus anno trigeſimo, die ſeptimadecima menſis Decemb. Ind. 11. Neapoli:

Sicut in hoc mundo nihil eſſe poteſt bo- num

num, nihilque vtile absque Dei prouidentia, qui dispensat & ordinat omnia prout vult, ita quæquid ad meliorem statum peruenerit, non nisi illius dispositione regitur, illiusque regimine gubernatur. Vnde sollicitè debet vnusquisque cauere, ne per incuriam siue per inuidiam contra id temerè præsumat, quod Domini nutu viderit ad maiora contédere; tamen & si quis inuidia, & tenebris obreptus, teloque iracundiæ succensus aduersari quodammodo contenderit, sciat se non solum cunctis hominibus apparere, verùm etiam quod est grauius, iram Domini velociter incursurum. Ideo nos Athanasius Dei gratia tertius Sanctæ Neapolitanæ Ecclesiæ Præsul, pariterque Gregorius Neapolitanorum Consul & Dux voluntariè profitemur, qualiter Monasterium Sancti Seuerini Christi Confessoris, quod intus hanc ciuitatem nostram in vico Missi constructum est, & ad maiora contendens adiuuante Deo sit longè lateque diffamatum, sic vt propè in toto nominetur mundo, & ob sui reuerentiam celeberrimo diuersarum gentium frequentetur occursu, si enim (quod absit) nos silere voluerimus, ipsi lapides clamabunt, & testimonium suum dabunt quod hominū nequitia celare decertat. Dicendum ergo est, & per huius præcepti seriem posteris commendandū, vt omnia, quæ subtus scribenda sunt firma & stabilita in perpetuum maneant.

Athanasius igitur iunior Episcopus sanctus prædecessor noster tale pręceptū super hoc Monasterio dompno Acculiario venerabili Abbati presbytero emisit, vt omni ibidem industria Monachorum Collegium aggregaret. . . . . quod vir ille Domini adimplere vigilans prope ad quindecim Monachos suo cœpit illic informare proposito. Dehinc cum iam è sæculo se migrare conspiceret, conuocatis omnibus, & sanctis admonitionibus abundanter instructis, vna cum voluntate eorum, Abbatem illis præfecit dompnum Ioannem honorabilem presbyterum, quem ipse à pueritia educarat. Huic itaque præfatus Athanasius Episcopus Sanctus aliud præceptum emittés decreuit vnà cū cunctoClero, & Magnatibus suis, vt nullam regulã, nullumq; censum, neque aliam conditionem in eodem Monasterio Sancti Seuerini aliquando haberet, sed terram sua pecunia emit, vt in perpetuum sicut à religioso magistro eius dompno Accillario inchoatum fuerat, Monachorum illic Congregatio regulariter habitaret. Hic autem venerabilis vir dompnus Ioannes sanctus Abbas mores & vitam magistri sui imitatus, omnes illius fratres sub regulari vita redegit, & largiente Deo, ipsoque Sancto Seuerino suffragante, omnia quæ in rebus & in possessionibus, siue in domibus, vel diuersis cameris ibi parata sunt, per eius industriã acquisita creduntur, cuius etiam & curiositate ita Cœnobiū illud institutum est, vt ex

A diuersis partibus multi ibidem Monachi cōfluerent, & ad vnam vitam, vnamq; concordiam pariter conuersarentur. Illis itaque sanctè, & religiosè viuentibus, & Monasterio ipso propter tantam fratrum concordiã vbique diffamato, Rex impijssimus Africanorum innumerabilem exercitum, armorūque copiosissimum habens apparatum, Tauromenū aduenit, & irascente Deo sub omni celeritate capiens vrbem eandem, non solùm ipsam, sed etiam alia Siciliæ oppida, gladio, igneque consumpsit, deinde transuadato mari, destructoque Castro Regio, reliquas Calabritanas vrbes expugnare fortiter cœpit. Huiusmodi ergo pauore perculsi B nos Gregorius Consul, & cunctus populus noster vnà cum dompno Stephano sanctissimo Episcopo patruo nostro decreuimus, vt Castrum Luculeum, quod valdè habitatoribus diminutum erat, & acceptu aptum, vt destrueretur, metu arrepti, ne fortasse sicut idem crudelissimus Rex minabatur, super nos adueniens, oppidum ipsum facillimè caperetur, eo habito ergo consilio, placuit omnibus, vt corpusculum Sancti Seuerini Christi Confessoris, quod per tot annos in eodem Castello reconditum fuerat, nullibi nisi & in memorati dompni Abbatis Monasterio collocaretur. Destructo igitur Castro ipso, statim dictus Antistes dompnus Stephanus patruus noster cum cuncto clero, & nos pariter cum omni populo venerabilis C Sancti Confessoris corpus assumentes cum cereis, & thymiamatibus vsque ad ipsum Monasterium præfati Abbatis detulimus, & per manus eiusdem dompni Stephani Episcopi Sancti collocatum est in Ecclesia, & altari, quæ erat vocabulo ipsius Sancti dedicata; postea verò cum per eiusdem Abbatis industriam Ecclesia ipsa ad honorem Sancti Seuerini camerato fuisset ædificio refecta, & Monasterium illud ex oblatione fidelium, & concursu multorum magis ac magis creuisset, nos præscripti Athanasius Præsul, & Gregorius Consul cum consensu omnium Clericorum, necnon & parentum nostrorum eidem Monasterio, in quo corpora Sanctorum Seuerini scilicet & Sosij D Martyris collocata erant, obtulimus Monasterium eiusdem Sancti Seuerini de Castro Luculo, vbi prius iacuerat, cum omnibus rebus intus, & foris sibi pertinentibus, cum seruis & ancillis, cumque omni proprietate sua vndecunque, aut quomodocunque pertinere ei viderint, mobile, vel immobile, sine omni censu, vel regula, omnique conditione, vt amodo & perpetuis temporibus in potestate sit prædicti Abbatis, & successorū eius. Insuper & in hoc præcepto firmamus eidem dompno Abbati omnes res, quantas comparatas, vel etiam oblatas, siue quas cū alijs hominibus commutatas habet, nec nō concessiones quantas à nobis, vel à nostris antecessoribus factas habet, vel habiturus fue-

fuerit. Ita quippe vt dum ipſe venerabilis Abbas aduixerit, in eius ſit poteſtate quicquid exinde facere voluerit, poſt tranſitum verò eius, ſit in poteſtate ſucceſſorum illins, eo adiecto tenore, vt nec vendendi, nec cedendi, nec transmutandi, nec per aliquam ſcripturam alienandi habeant licentiam, quod ſi ſecus facere præſumpſerint, ſit inane, & vacuum, & res ipſæ reuertantur in poteſtatem Monaſterij ipſius, vnde fratres alantur. Firmamus etiam & in hoc præcepto, vt quando Abbas ipſius Congregationis vita exiuerit, ille fiat ibi Abbas, quem inter ſe omnis illa elegerit Congregatio, & nullum impedimentum nos aut poſteri noſtri eis facere præſumamus, aut aliquod calciarium, aut præmium quærere per nullum modum, ſed gratis eum ſine omni dilatione permittamus præeſſe: nam & ego Athanaſius Epiſcopus ſanctus, & ad honorem ipſius Confeſſoris vnà cum presbyteris, & diaconibus, & cunctis clericis noſtris largimur, vt tu dompnus Ioannes venerabilis Abbas ſimul & poſteri veſtri licentiam habeatis gloriam in excelſis Deo canere, fontes, & cereum ſanctum benedicere, & nullam controuerſiam à nobis, vel à poſteris noſtris, ſiue à Sancta noſtra Neapolitana Eccleſia habeatis; quod ſi temerario auſu quilibet ex nobis, vel ex poſteris noſtris, vel alius homo paruus, aut magnus, extraneus, vel de genere noſtro cõtra hoc præceptum venire tentauerit, vel ex eis quæ & à nobis ſtatuta ſunt, aliquo modo quicquam diſrumpere præſumpſerit, primum quidem ille ſit exindè cauſam dicturus ante tribunal Chriſti vobiſcum Beatiſſime Seuerine, & Soſſi martyr, & ſit alligatus ſub anathematis vinculis tercentorum & octo Patrum, partemque habeat cum Iuda traditore Domini noſtri Ieſu Chriſti, & cum omnibus impijs, quibus dictum eſt à Domino, Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius, cõponatque vobis, poſteriſque veſtris, ſanctæque veſtræ Congregationi pœnæ nomine auri libras duodecim bizanteas, & hoc præceptum in ſua maneat firmitate; & nos, poſterique noſtri omnia ſupraſcripta in omnibus conſeruare promittimus perenniter. Quod verò præceptum à nobis factum Anaſtaſium primarium Curialem huius Ciuitatis Neapolis ſcribere præcepimus, & nos ſubtus pro ampliori eius firmitate ſubſcripſimus per Indictionem ſupraſcriptam vndecimam.

† *Athanaſius Sancta Neapolitana Eccleſia Præſul ſubſcripſi.*
† *Gregorius Conſul & Dux ſubſcripſi.*

Athanaſij habetur mentio in documento Monaſterij Monialium Sanctorum Marcellini, & Feſti Neapoli, quo Barbaria Abbatiſſa quaſdam terras conceſſit Ioanni Gre-
A gorio, & Annæ germanis fratribus quondã Domini Chriſtophori, Imperante Conſtantino Magno Imp. anno eius 8. Kal. Nouemb. Indict. 4. qui fuit annus Chriſti 960. aſſentiẽte Athanaſio III. Dei gratia Sanctæ Neapolitanæ Eccleſiæ Epiſcopo, cui & ſubſcripſit cum Barbaria Abbatiſſa; eoque Præſule anno circiter 961. ait idem Cioccarellus Ioanne XII. Pontifice, & Romano, & Conſtantino Imperatoribus, cum Neapolitana Ciuitas à Saracenis ex Africa profectis nauali prælio eſſet obſeſſa, ac diuerſis machinis acriter multis diebus oppugnata, eique vrbi humana penitus deeſſent remedia, ciueſq; propè ad interitum redacti, & à Chriſtianæ religionis hoſtibus ſe comprehendi
B cernentes, atque in extrema calamitate poſiti, ad diuinum auxilium, & ad antiquos eius vrbis patronos, Ianuarium nempè & Agrippinum recurrentes, vt ab ethnica feritate eos eriperent, ſupplices exorarent, illuceſcente die, qua Saraceni vrbem capere certò ſperabant, ijque in aurora propius accedentes cum nauibus equidem terribilibus, quæ in medio turres habebant excelſas, atque ij ſagittas, & iacula indeſinenter proijcientes, in proris Inſtrumẽta habentes prominentia, in quibus loricati, & galeati, æquati mœnijs, vrbem inuadere cum ſtrepitu, eorumque more, & vlulatu conglobati, prælium inirent, etiam muris ſcalas ad inuadendum paraſſent, amariſſimis Neapolitani la-
C chrymis ſuum proximum exitium flentes, patronos exorabant, protinus vna ex nauibus, maior nempè & eminentior cæteris cũ omnibus bellicis inſtrumentis, & pugnatoribus in mare demerſa eſt, atque hunc in modum ethnici turpiter confuſi, debilitati ſunt, & quamuis à mane vſque ad ſeptimam horam horridam pugnam inirent, nullum tamen damnum Neapolitani exinde perpeſſi ſunt. Delato etiam illicò Saracenis nuncio, quod Chriſtiani Imperatores nauale prælium aduerſus eos confeſtim paraſſent, vt illos cum ſuis claſſibus comburerent, perterriti ſunt, ac fœderis iure, aurum, & argẽtum à Neapolitanis ciuibus expoſcunt, qui ſtatim, vt ea imminentia pericula euaderet,
D omnia ſacra vaſa, aurea, & argentea maioris Neapolitanæ Eccleſiæ, quorum non modicus erat numerus, hoſtibus pignori dederunt, eo pacto, vt illa ad certũ tempus poſſent redimere, quibus acceptis Saraceni fugam arripientes, in Siciliam, quę Saracenorum tunc erat ſedes, receſſerunt, ſicque ea ciuitas eo terrore liberata eſt. Remanſit tamen Neapolitanis Ciuibus grandis triſtitia, eo quòd ſacris vaſis carentes feſtiua ſolemnia ignobiliter celebrare cogerentur, atque tunc Sancti Ianuarius, & Agrippinus cuidam Neapolitano ciui apparuerunt, pontificalibus veſtimentis induti, eique dicẽtes, pro triſtitia ciuium Siciliam nos pergimus, vt vaſa omnia veſtræ ſedi exinde de-

fera-

ferantur, qua reuelatione exhilarati ciues, A
freti eorum Sanctorum patrocinio mox in Siciliam Legatum cum xenijs, ac pecunia ad ſacra vaſa inde redimenda dirigunt, qui ſtatim ſine impedimento aliquo, ac diſpendio, diuina ope adiuti illa reportarunt, ſicque ea ciuitas de ſummo mœrore ad gaudiũ ſe conuertens, in Domini laudem ſic cecinit.

Gloria Chriſte tibi, Sanctorum gloria celſa,
Qui tam mira facis, famulis, qui tanta miniſtras,
Qui tibi perfectè famulantes ad tua celſa
Regna leuans nimium præclaros eſſe dediſti,
Vt tecum ſemper regnantes commoda præſtent B
Afflictis populis, & gaudia læta miniſtrēt.
Ecce tuo ſancto ſolamine Martyr opimus,
Noſter ouans Martyr Ianuarius, atque Agripinus,
Hoſtes aduerſos mergunt ad tetra profundi,
Corda nefanda ligant, valeant ne ſancta tenere.
Nunc quoque ſic nobis ereptis hoſtibus atris
Vaſa ſacrata ferunt de ſinu peſtis iniqua.

Hæc omnia percepimus ex vita, & actis Sancti Agrippini, quæ Anonymus quidam ſcriptor eius temporis conſcripſit, quæque C characteribus Longobardis exarata penes nos aſſeruantur, in quibus hæc fermè inter alia leguntur, quæ Athanaſij huius noſtri Epiſcopi nomen continent.

His ita hilariter de priſcis temporibus breuiter prælibatis, nunc, opitulante gratia Chriſti, ea, quæ noſtris temporibus geſta ſunt, proſequamur. Regnante igitur Romano, & Cõſtantino Imperatoribus, & reſidente in Sede Beati Petri duodecimo Ioanne Papa, & in hac ciuitate Parthenopenſi, tertio Præſule Athanaſio, & Iohanne Conſule, ac Duce, gens nefanda Agarenorum, ex Africæ partibus adueniens, &c.

Huiuſcemodi Acta S. Agrippini nos neque vidimus, neque alibi legimus apud quempiã; D incerti tamen auctoris narratio miraculorum eius, ſeu Homelia, cuius initium, *Fratres dilectiſſimi*, m.s. extat, vt Caracciolus in Agrippino ſcribit, quæ videtur eſſe eadem cum opuſculo miraculorum, cuius auctor vixit temporibus huius tertij Athanaſij Epiſcopi circa annum ſalutis 961. id ipſe affirmat illis verbis ſupra relatis, *& quæ noſtris temporibus geſta ſunt regnante Romano & Conſtantino Imperatoribus, & reſidente in Sede Beati Petri XII. Ioanne Papa, & in hac ciuitate Parthenopenſi III. Præſule Athanaſio, & Iohanne Conſule, & Duce, &c.* Putat Caracciolus Ioannem Diaconum auctorem Chronici Neapolitanorum ſcripſiſſe etiam

Ital. Sac. Tom. VI.

hiſtoriam miraculorum B. Agrippini. Ceterùm quo anno Athanaſius hic tertius, ex hac vita migrauerit, non conſtat; videtur tamen poſt annum 961. ſupra relatum obijſſe, cui Nicetas ſucceſſit, ille quidem, qui primus Neapolitanus Archiepiſcopus à Cioccarello fuiſſe narratur.



1. NICETAS Neapolitanæ Eccleſiæ adlectus eſt Epiſcopus poſt Athanaſium III. fortaſſe intruſus, primus more Græcorum, & auctoritate Patriarchę Conſtantinopolitani Archiepiſcopi titulum ſibi aſſumpſit, vel certe (quod non auſerim affirmare) à Ioanne XIII Pontifice creatus primus ex Epiſcopo Neapolitanę Eccleſię Archiepiſcopus, poſt annum noſtræ ſalutis 968. vt probabilis ſententia aliquorum fert, vel eo ſcilicet anno, quo idem Ioannes Papa Capuanam Eccleſiã Metropolim conſtituerat. Non ſum neſcius diuerſas in hac re prodijſſe opiniones, quas cum ſemel ſupra retulerimus, iterum retexere ad nauſeam verteretur. De Niceta nil aliud habemus quod proferamus, cum nulla ſuppeditent eius æui monumenta, parumque faciat illud ex Monaſterio S. Sebaſtiani aſſertum à Cioccarello, quod aliquibus commentum videatur: cum ante annum ſalutis milleſimum nemo ex Neapolitanæ Eccleſiæ Præſulibus titulum Archiepiſcopi ſibi legitimè vſurpauerit.

2. N. . . . . . Archiepiſcopus Neapolitanus, cuius nomen ignoratur, præfuit anno circiter 1000. verba ſunt Cioccarelli; *Ad hæc enim fermè tempora reijciendum putamus, quod Neapoli accidiſſe fertur de icone quadam Sancti Saluatoris, quod in marmoreo monumento publicè exhibito ante Sancti Marcellini Monialium Cœnobium habetur, nempè Conſtantinopolitanum Imperatorem dono miſiſſe Archiepiſcopo Neapolitano imaginem Chriſti Seruatoris in tabula affabrè pictam; cùm baiuli, qui eam è naui in proximo maris littore ſuſceptam ad ipſum Archiepiſcopum deferrent, præ nimio labore*

 defeſſi

defessi, super marmorea columnæ truncum, qui ante fores Ecclesiæ Sancti Marcellini iacebat, deponentes, nullo vnquam pacto inde eleuare potuerunt, quod religioni & miraculo est adscriptum. & Deum nolle eam imaginem exindè vlterius deferri: quamobrem in ea Sancti Marcellini Ecclesia est collocata, & ab antiquis temporibus religiosissimè colitur, sic se habet inscriptio.

Ne mireris viator, si columnæ truncus ipse hic locatus fuerim, quum Seruatoris imago ab Imperatore Constantinopolitano Archiepiscopo Neapolitano dono missa fuerit: baiuli onere defessi, super me deposuerunt, quam quum tollerent, nullis viribus eripi potuit. Hoc itaque miraculo eius imago super altare Diui Marcellini diuinitùs collocatur, quod Syluester suis litteris comprobauit, quamplurimas concedens indulgentias.

MCCXXXII.

Quo autem tempore & anno id acciderit, & quis fuerit is Imperator, & quis Archiepiscopus, temporum iniuria ad nos minimè peruenit, nec Syluestri, aliæue testimoniales litteræ id probantes, quarum & inscriptionis memini diutius à nobis perquisitæ in eo cœnobio, nec alibi reperiri potuerunt, quamobrem si vera sunt quæ ad nos tam constans, ac firma traditio transmisit, his ferè temporibus accidisse credendum est; sub Syluestro namque secundo Rom. Pont. qui anno 999. creatus est Pontifex, obijtque anno 1003. nã Syluestro primo aptari minimè potest, tunc enim non Archiepiscopi, sed Episcopi Neapoli præerant, nec illud Sancti Marcellini Cœnobium, aut Ecclesia adhuc fuerat erecta, quæ omnia sub secundo Syluestro facillimè conueniunt. Annum verò 1282. credimus fuisse tempus appositæ inscriptionis.

Scimus tamen iconem illam adhuc ibi seruari, ac magna veneratione à fidelibus coli, & in aliquot vetustis diplomatibus, ac documentis, quæ adhuc in eo Monasterio supersũt, perspeximus antiquis temporibus, Christi fideles eidem cœnobio, bona obtulisse, tum ob suorum peccatorum remissionem, tum etiam ob deuotionem, quam habere dixerunt sacræ imagini vultus Sancti Saluatoris, quæ in illo scuto eius Ecclesiæ asseruabatur.

Eugenius etiam Papa IV. suis litteris Florentiæ datis anno 1445. eidem Ecclesiæ multas concessit indulgentias, in qua Christi Seruatoris imago reposita erat, ait enim se accepisse, ad Ecclesiam Monasterij Monialium Sanctorum Marcellini & Petri Ciuitatis Neapolis imaginem Sancti Saluatoris eò olim delatam, & miraculosè remanentem, honorificè conseruari, ob ipsius figuræ deuotionẽ, eoque ex circumuicinis partibus magnam Christi fidelium multitudinem confluere cõsueuisse, cupiens autem is, vt huiusmodi deuotio feruentiùs pro salute animarum exerceretur, & vt fideles Christi ad eam Ecclesiã eò libentiùs pro tanto miraculo accederent, eam Ecclesiam inuisentibus die 6. Augusti, quo eius imaginis festum celebratur, magnas concessit indulgentias. Hæc ille.



3. SERGIVS Archiepiscopus præfuit Neapolitanæ Ecclesiæ anno 1005. quem volunt fuisse antea Surrentinum Archipræsulem, de quo inquit Cioccarellus; *Eius autem Archiepiscopi mentio habetur in scripturis Monasterij Sancti Sebastiani Monialium huius Ciuitatis Neapolis, in quarum vna continetur, Ioannem Caballum Cæsarei filium, & Annam coniuges habitatores loci, qui Vmbrianum appellatur, famulos Sanctæ Neapolitanæ Ecclesiæ vendidisse pro aureis tarenis quadragintasex Domno Stephano venerabili presbytero, & custodi Ecclesiæ Sancti Seueri, quæ Neapoli in summa platea posita erat, eius Ecclesiæ nomine, terram quandam passuum vigintitrium mẽsuratam ad passum ferreum eiusdem Sanctæ Neapolitanæ Ecclesiæ, cui venditioni Sergius Archiepiscopus Neapolitanus assentitur, cum de venditione terræ Neapolitanæ Ecclesiæ tractaretur, cuius exordium.*

In nomine Dei Saluatoris nostri Iesu Christi. Imperantibus Domino nostro Basilio magno Imperatore anno trigesimo septimo die vigesima octaua mensis Madij, Indictione tertia Neapoli. In fine autem legitur.

† *Sergius Archiepiscopus subscripsi.* †

In

In ſcripturis quoque Monialium cœnobij Sancti Marcellini huius ciuitatis ipſius Archiepiſcopi mentio habetur anno 1006. etenim anno trigeſimo primo Imperij Baſilij, & Conſtantini anno vigeſimo octauo die nona menſis Iulij, Indict. 4. idem Monaſterium Sãctorum Marcellini & Petri concedit terram quandam in emphyteuſim Ioanni Pullaroli cum aſſenſu Sergij Neapolitani Archiepiſcopi. cui conceſſioni idem Sergius ſic ſe ſubſcripſit.

† *Sergius Archiepiſcopus ſubſcripſi.* †

4. GENTILIS Monachus Caſſinas Neapolitanus Archiepiſcopus, poſt Sergium vixiſſe creditur, cuius obitus dies memoratur in Emortuali Caſſinenſis Cœnobij 3. Kal. Iulij. Obijt Gentilis Neapolitanus Archiepiſcopus, & Monachus.

5. IOANNES vixit anno 1033. cuius memoria habetur in diplomate, quod Sergius & Ioannes Neapolitani Duces, Sancti Gregorij Monialium Cœnobio concedunt, cuius exordium eſt.

In nomine Domini Dei Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti Imperante Domino noſtro Romano magno Imperatore anno quinto, die prima menſis Octobris, Indictione ſecunda Neapoli.

Nos Sergius & Ioannes in Dei nomine eminentiſſimi Conſules, & Duces, concedimus, & tradidimus, ſeu firmamus tibi Anna Venerabilis Monacha filia Ioannis, qui vocatur Varuoccia, nunc verò Monachus, ideſt integrum Monaſterium, & cœnobium vocabulo beatiſſimi Gregorij, & Sebaſtiani, atque Domini, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, & Sancti Pantaleonis puellarum Dei, quę iam nos vnà cum conſilio Domini Ioannis Archiepiſcopi Sanctæ Neapolitanæ Eccleſiæ, & de pluribus partibus noſtris, in vnum aggregauimus, & copulauimus, conſtitutum intus hanc Parthenopem, & à Deo protectã Ciuitatem Neapolis, in platea, quæ nominatur Noſtrlana, vnà cum omnibus Eccleſijs, & domibus, & habitationibus, &c.



6. VICTOR inter Neapolitanos Archiepiſcopos, vt idem ſcribit Cioccarellus anno 1043. ad quem, ait, Gregorius Pontifex decretalem ſcripſit epiſtolam, quæ in cap. 1. de religioſis domibus habetur; in qua agitur, in cuius nempe diœceſi, & à quo Epiſcopo ſit Baſilica conſecranda, ab illo videlicet Epiſcopo, qui prius eo in loco Epiſcopalia exercebat munia, & licet Decretalium Compilator Sancto Gregorio I. eam adſcribat epiſtolam; attamen eum errorem lapſum ſuperius probauimus, ac ſic conijcere licet Gregorio VII. qui anno 1073. floruit, vixitque ad annum 1085. adſcribenda eſt, & aptius Gregorio VI. qui vixit anno 1045. Hæc ille.

B 7. SERGIVS II. huius ſedis erat Archiepiſcopus anno 1059. cum Nicolaus II. Romanus Pontifex Beneuenti Synodum habuit, cui ſubſcripſit Sergius in quodã diplomate in ea ad fauorẽ Abbatis S. Vincentij de Vulturno, quod ita recitat Chronic. eiuſdem Monaſterij lib. 5. ad finem.

In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.

Anno Dominicæ Incarnationis MLIX. menſe Auguſto initiante, Indict. 12. currente, Domno quoque venerab. ac reuerendiſſimo Papa Nicolao in ſacroſancta Beati Apoſtolorum Principis Petri Sede, anno primo Pontificatus ſui, præſidente: Quoniam ſcimus humanas mentes concupiſcibilis eſſe C naturæ, nec non obliuiſcibilis, nec ita tenacis memoriæ, vt non egeant recordatione, dignum duximus conſulere concupiſcibili, & prodeſſe obliuiſcibili, quatenus & mera imponatur ambitioni, & locus proprius auferatur obliuioni, ſcriptis videlicet errando hominum acta, vel dicta, ne quandoque aliter procedant, quàm rei veritas dictat; vnde, quæ acta ſunt inter Ioannem venerabilem Abbatem Monaſterij Sancti Vincentij ſuper Vulturni fluminis fontes ſiti, & Albertum Monachum, atque Roffredum Roffredi Comitis filium, huic chartæ tradidimus, quia neutrum eorum à ſubiecta rei veritate deuiare volumus.

D Igitur cum prædictus Domnus Nicolaus Papa apud Beneuentum extra ipſam ciuitatem intra Eccleſiam Beati Petri iuxta fluuiũ Sabbati Synodum celebraret, & cum eo nõnulli Archiepiſcoporum, Abbatum, Monachorum, & totius eccleſiaſtici ordinis, atque laicalis non parua multitudo reſideret. In primis Domnus Humbertus, Boniſacius, Ioannes Cardinales Epiſcopi, Deſiderius Abbas, & presbyter, Ildeprandus Subdiaconus ideſt Cardinales, Voadalricus Beneuentanus, Petrus Amalfitanus, Alfanus Salernit. Sergius Neapolitanus, Ioannes Surrentinus Archiepiſcopi, Hieronymus, Albertus, alijque quamplurimi Epiſcopi, Landulfus Beneuentanus, Princeps Robertus, Petrus, Gerardus Comites, & alij quamplures: aſſurgens Ioannes præfati Monaſterij Abbas conqueſtus eſt ſuper denominatum Albertum Monachum dicens;

dicens; Obsecro, Domini, misericordiam vestram, & omnium qui huic sanctæ Synodo intersunt, vt faciatis mihi iustitiam de Alberto Monacho, qui cellam Sancti Vincentij scilicet, Sanctæ Mariæ in Castanieto Monasterio nostro subripuit, ibique sibi nomen & specimen officij Abbatis vsurpatum, & in præsentia Sanctissimi Papæ Leonis refutatum, ac sub interpositione perpetua anathematis contradictum, testātibus venerabilibus viris Humberto Cardinale, Petro Amalfitano, Voadaltico Beneuentano Archiepiscopis, nunc iterum temerario ausu vsurpauit, & ipsam cellam iam dicto Monasterio violenter contendit; ipso verò Alberto assurgente, ersi per Comitem, cuius vi hoc egerat, defendere nitente, dum multa pars iustitiæ sibi faueret, litteris distinctionis, & constitutionis sæpè dicti, semperque dicendi Beatæ memoriæ Domni Papæ Leonis recitatis, & sacro sigillo munitis, atque testimonio prædictorum venerabilium Archiepiscoporum confirmatis, iudicio totius Synodi est diffinitum, præfatum Albertum debere nomine, & officio malè arrepto priuari, & Monasterium B. Vincentij perpetualiter inuestiri de iam dicta cella, omnibusque suis pertinentijs, quod & factum est. Ipse namque Albertus Monachus dictus Abbas nomen & officium Abbatis, atque cellam per virgam in manu Papæ refutauit, & qui i erat anathematicus, ab omni altaris ministerio depositus, in potestate Abbatis est ad regulam corrigendus datus, Prænominatus iam Roffredus Comes dum vellet sibi ius supraścriptæ cellæ vendicare, relatis litteris Domini iam Papę Leonis annot. . . . nuntiorum Imperatoris Ottonis, testimonioque prædictorum Archiepiscoporum Humberti videlicet, Petri, atque Voadalrici coniuctus, nec non & anathematis mille aureorum mancusorum reus adiudicatus, præfatā cellam in manu Papæ refutauit, seque suosq; hæredes, quod per ea nunquam contra Monasterium B. Vincentij aliquo modo agerent, perpetualiter sub prædicta pœna obligauit. His ita gestis reuerendissimus Papa Ioannem Abbatem S. Vincentij ex eadem S. Mariæ cella in perpetuum restituit. Omnes huius inuestitionis, aut constitutionis violatores cū prænominata pœna perpetuo anathemate obligauit. Quod vt verius videatur, huic paginæ manu propria subscripsit & sub bulla insigniri iussit.

† *Ego Nicolaus S. R. & Apostolicæ Sedis Præsul confirmaui.*

† *Ego Humbertus dictus Episcopus S. Ecclesiæ Syluæ candidæ interfui, cognoui & subscripsi.*

† *Ego Alfanus gratia Dei Salernitanus Archiepiscopus interfui & subscripsi.*

† *Sergius Archiepiscopus Neapolitanus.*

† *Ego Ioannes Archiepiscopus Surrentinus.*

A † *Ego Bonifacius dictus Episcopus S. Ecclesiæ Albanensis interfui.*

† *Ego Gualdaricus Dei gratia Beneuentanus Archiepiscopus interfui.*

† *Ego Petrus gratia Dei S. Amalfitanæ Ecclesiæ Archiepiscopus interfui.*

Hic fortasse est etiam Sergius ille Archiepiscopus, qui præfuit sub Ioanne Consule, & Duce, & magistro militum Neapolitanæ Vrbis, cuius mentio habetur in priuilegio, quod Gulielmus de Prioldo Castri Cumarum dominus dedit Monasterio S. Mariæ ad Cappellam extra Neapolitanæ Ciuitatis mœnia, anno 1134. hunc in modum.

In anno Domini Incarnationis millesimo

B centesimo trigesimo quarto, duodecimo & sexto anno principatus domini secundi Roberti filij secundi Iordani gloriosissimi Principis Capuæ, & Comitis Auersæ. Ego Guglielmus de Prioldo filius quondam Alexandri eiusdem cognominis, qui sum vnus ex Baronibus Auersæ, prouidens vtilitati animę meę, & parentum meorum per admonitionem, quam à te recepi domne Petre venerabilis Abbas Monasterij S. Dei genitricis, eiusque semper virginis Mariæ, quæ dicitur ad Cappellam, & est sita foris Ciuitatem Neapolis, proposui in animo meo habere partem cum iustis, qua de causa pro amore Dei, suæque genitricis semper virginis Marię, nec non & in honorem omnium Sanctorum, & pro re-

C demptione animæ meæ, & parentum meorū, & vt semper maneamus in orationibus præscripti Monasterij, & rectorum & gubernatorum eius, per hoc videlicet scriptum, & in præsentia subscriptorum testium in perpetuū concedo, & confirmo vobis, & suprascripto Monasterio vestro Sanctæ Mariæ ad Cappellam, idest integram Ecclesiam vocabulo Sancti Petri, quæ dicitur ad Pertusum in regione Bargense, quæ esse videtur in territorio Castri nostri Cumarum, cum omnibus eius pertinentijs, quæ ipsi prædictæ Ecclesiæ S. Petri quolibet modo pertinere videtur, & quomodo in supradicto vestro Monasterio obtulit per firmissimam concessionem suam domi-

D nus Ioannes bonæ memoriæ Consul, & Dux, atque magister militum, insimul cum Domino Sergio venerabili Neapolitano Archiepiscopo; ideoque concedo, & confirmo vobis omnes integras terras, possessiones, & tenimenta, quæ ipsa Ecclesia in iam dicta regione Bargense habet, &c.

8. IOANNES II. interfuit consecrationi Ecclesiæ Cassinensis anno 1071. quam in gratiam Desiderij Abbatis solemniter egit Alexander II. Papa. Conuenit cum Alexandro Hildeprandus Romanus Archidiaconus aliique Cardinales, multi præterea ex Romanis proceribus, tum Campaniæ, tum Apuliæ, & Calabriæ Episcopi, qui cum cæteris, qui aliundè conuenerant, ad 43. numerati sunt. Adfuere etiam Riccardus Capuanus, Gisulphus

phus Salernitanus, Landulphus Beneuentanus Princeps, & Sergius Dux Neapolitanus cum Sergio Duce Surrentino. Subſcripſit Ioannes Archiepiſcopus, ac proceribus diplomati, quod eidem Monaſterio indulſit; continet diploma eam ſolemnem dedicationem, inuentionemque SS. Benedicti & Scholaſticæ virginis eius ſororis, ac cenſuras aduerſus eiuſdem Baſilicæ bonorum inuaſores. *Datum in Caſtro, Caſino Kal. Octob.* 1071. *Indict.* 9. Diploma leges in Anonymi Caſſin. Hiſt. apud Caracciolum.

9. L. forte LEO, vel LANDVLPHVS, ſiue LANDVS Neapolitanus, florebat Archiepiſcopus anno 1080. ad quem Gregorius VII. Rom. Pontif. eodem anno, Ind. 3. vt in Epiſtolarum decretalium vol. 3. epiſt. 26. præcepitq; Gregorius in ea epiſt. Neap. Archiepiſcopo, vt Magiſtro militum, & Neapolitanorum Duci ſub anathematis pœna interdicat, ne deinceps Iordano Capuæ Principi, & Auerſæ Comiti periurij, & excommunicationis vinculo innodato auxilium ferat. Ad hunc quoque Archiepiſcopum fortaſſe referendũ eſt, quod Leo Oſtienſis lib. 3. cap. 44. Chron. Caſſin. refert, atque ſub eodem Gregorio VII. contigiſſe narrat, Robertum nempe Guiſcardum Apuliæ Ducem, Salernum, Barium, Calabriam, Cataniam, & Panormum ſuæ ditioni ſubieciſſe, Campaniam inde expugnare aggreſſum eſſe anno 1077. cum Riccardo Capuæ Principe eius fratre vnitum; quamobrẽ à Gregorio VII. anathematis ſententia fuiſſe percuſſum, Ducem autem Beneuentum, Richardum verò Neapolim tunc obſidere cœpiſſe. *Neapolitani verò Principis terrore percuſſi omnipotentem Deum rogabant attentius, quatenus de ſupradicti Principis poteſtate, miſeratione ſua clementiſſima eos eripere dignaretur. Cumque eadem Ciuitas acerrimè expugnaretur, Sanctus Chriſti Martyr Ianuarius cum alijs dealbatis ſæpius videbatur à Principe, & eius exercitu per caſtra armatus diſcurrere; qui æſtimans eum eſſe Archiepiſcopum, mandat, cur contra ordinem ſuum cum lancea ſcutatus ad pugnam procederet, cui reſpondens Archiepiſcopus. ego, vt tu vir illuſtriſſime perſpicis, in lectulo iaceo. Ille armatus quis ſit ipſe videas: nam pro certo ſcias quia Sanctus Ianuarius protegit, ac defendit hanc ciuitatem. Princeps verò eius dictis derogans fidem, ciuitatem oppugnare non deſinebat. In qua obſidione ab excommunicatione ſolutus defunctus eſt, cui ſucceſſit Iordanus filius eius, &c.* Mortuus eſt Robertus anno 1078. & Neapolis ab imminenti periculo liberata. Poſt hunc Archiepiſcopum reponit in catalogo Cioccarellus, quendam fratrem Ligorium Monachum Sãctiſs. Trinitatis de Caua ex Arnoldi Vvuionis ſententia, qui lib. 2. Ligni vitæ cap. 27. hæc teſtatur ex eiuſdem cœnobij tabulis; ſed cũ nil in ijs de Ligorio hocce habeatur, vnde non ſatis miror, cur nouum ex ſuo cerebro faceret Neapolitanum Archiepiſcopum, Ligorio nouo, fictoque Archipræſuli ſubſtituũt aliqui Gratianum quemdam, cui ſcribit Vrbanus II. in can. *extraord.* 35. quæſt. 2. in qua agitur, an matrimonium ſit validum, quod quis contraxit cum ea, cuius cum matre carnalem copulam habuerit; ſed depranati ſunt codices ac pro Gratianopolitano Epiſcopo, legitur *Gratiano Epiſcopo Neapolitano*, vt Franciſcus Iuretus in obſeruationibus ad Iuonis Carnotenſis epiſtolas probat, ex eiuſdem Iuonis teſtimonio, qui ſub Vrbano II. vixit. Iuo in epiſt. 232. dum de eo, de quo in dicto canone *extraordinaria* 35. q. 2. agitur, tractaret, Vrbanum ait Papam ſic reſpondiſſe Hugoni Gratianopolitano Epiſcopo conſulenti. Fuit is S. Hugo Gratianopolitanus creatus Epiſcopus anno 1080. defunctus anno 1132. Kal. Aprilis Epiſcopatus 52. Sanctorum numero adſcriptus ab Innocentio II. anno 1134. de quo Baron. to. 2. Annal. Eccleſ. alijque plurimi.



10. PETRVS reperitur Neapolitanus Archiepiſcopus anno 1094. in diplomate conceſſionis cuiuſdam domus Neapoli poſitæ, pro Monaſterio Monialium S. Marcellini: *In nomine Dei Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti; imperante Domino noſtro Alexio magno Imperatore anno 14. ſed & Ioanne Porphyrogenito magno Imperatore eius filio anno 3. die 17. menſis Septembris Indict. 3. Neap. Petimus à vobis; Dominus Petrus Archiepiſcopus Sanctæ Sedis Neapolitanæ Eccleſiæ, &c.* ſic ſe ſubſcripſit.

† *Petrus Archiepiſcopus ſubſcripſit.*

Habetur quoq; eius memoria anno 1100. in ſcripturis vetuſti cœnobij Sancti Michaelis Archangeli ad Bayanũ ſinum, quod Neapoli in Furcillenſi regione ſitum erat, atque à ſacris virginibus incolebatur, quodq; annis præteritis cum Sancti Gregorij Monialium Monaſterio fuit vnitum, eius enim Cœnobij Sancti Archangeli Moniales permutant terrã quandam cum Congregatione Sanctæ Reſti-

tutæ

tutæ maioris Ecclesiæ Neapolitanæ, cui rei idem Petrus assentitur, vt ex litteris dictæ permutationis, quibus hic noster Archiepiscopus, ac Sergius Consul, & Dux, & Protosebastes, atque Canonici Cathedralis Ecclesiæ subscripserunt, apparet; quarum exordium est.

In nomine Domini Dei Saluatoris nostri Iesu Christi, Imperante Domino nostro Alexio magno Imperatore, anno nono decimo, sed & Ioanne Porphyrogenito magno Imperatore eius filio anno. . . . . die vigesima quinta mensis Iunij, Indictione octaua Neapoli, Certum est nos cunctas Cōgregationes Sacerdotum, & Clericorum salutiferæ . . . . . Congregationis Ecclesiæ Sanctæ Restitutæ de intus Episcopio Sanctæ Neapolitanæ Ecclesiæ à præsenti die promptissima voluntate commutauimus & tradidimus vobis, Domina Gemma venerabilis Abbatissa Monasterij Beatissimi Michaelis Archangeli, quod nominatur ad Bayanū, sinum, beatarum ancillarum Dei, regionis Furcillēsis, nos autem vnà cum cuncta nostra Congregatione Monacharum nostri Sancti, & venerabilis *Monasterij, &c.* In fine autem hæc legitur subscriptio.

† *Petrus Archiepiscopus subscripsi.*
† *Sergius Consul, & Dux, & Protoseba-stos subscripsi.*
† *Aligernus indignus Sacerdos & Primicerius Sanctæ Sedis Neapolitanæ Ecclesiæ subscripsi.*
† *Petrus Archidiaconus* S. *Neapolit. Ecclesiæ subscripsi.*
† *Ioannes Diaconus S. Neapolit. Ecclesiæ subscripsi.*
† *Sergius Subdiaconus S. Neapolit. Ecclesiæ subscripsi.*
† *Stephanus Subdiaconus S. Neap. Ecclesiæ subscripsi.*
† *Marinus Subdiaconus S. Neap. Ecclesiæ subscripsi.*

Petro Archipræsule sedente ferunt huius vrbis scriptores Neapoli ad Cœlum euolasse Sanctum Peregrinum, qui cum esset Regis Scotiæ filius, relicta sæculi pompa, in peregrini habitu, mutatoque nomine totum ferè orbem peragrauit, quamobrem cum Romæ sacra loca inuisisset, montem Garganum, mox Neapolim adijt Sanctum Ianuarium veneraturus; vbi cum aliquot temporis spatium in sanctis operibus apud eius Ecclesiam permansisset piè, ac sanctè in Domino requieuit, ac miraculis coruscauit, sepultus ea in Ecclesia, quam ex Sancti nomine Peregrinam dixerūt. Verùm obsolescente eius memoria, Ecclesia vetustate corruit sua, obruitque Peregrini sanctum corpus, & inglorius per aliquot iacuit sæcula, donec sub Carolo III. Rege anno

A 1383. dum Neapolis funesta lue laboraret, Peregrinus cuidam deuoto viro apparuit, eumque admonuit, eius precibus à Deo impetraturus, vt ab ea peste libera esset vrbs, si corpus eius, restituta Ecclesia, decentiori in loco collocaretur. Quod cum bonus ille vir Regi & Archiepiscopo retulisset, ex omniū voto Ecclesia à fundamentis reædificata est, & inuentum Peregrini corpus in ea decentiùs recondiderunt. Sunt qui scribant Sanctum hunc Peregrinum Malcomi III. Scotorum Regis ex Diua Margarita Regina filium fuisse illum, qui Edimundus vocatus, se diuinarum rerum contemplationi in solitudine cœnobij pœnitùs addixit, dein sub Peregrini

B nomine, ac veste sacra christiana loca inuisit, ac Neapoli obijt. Edimundi meminit Ioan. Lesleus Rossensis Episcopus in historia Scotorum lib. 6. nil tamen de eius peregrinatione & obitu habet. Peregrini vitam scripsit Lupus de Speis regius Consiliarius, cuius tamen annus, diesq; obitus ignoratur, tametsi ad Petri Præsulatum referantur.

11. GREGORIVS Neapolitanæ Ecclesiæ Archiepiscopatum gessit anno 1116. Eius mentionem facit Paschalis II. Romanus Pōtifex in diplomate, quo Monasterium Sancti Archangeli ad Morsisam Neapoli positum, eiusdem Gregorij precibus sub Apostolicæ Sedis protectionem, & tutelam suscipit, quod in Sancti Dominici Neapolis Ordinis Prædicatorum cœnobio asseruatur. Sic autem se

C habet diploma.

Paschalis Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Gregorio Abbati Monasterij Sācti Archangeli, quod de Morsisa dicitur, intra Ciuitatem Neapolitanam, eiusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatenus & deuotionis sinceritas notabiliter enitescat, & vtilitas postulata vires indubitanter assumat. Quia igitur dilectio tua ad Sedis Apostolicæ portum confugiens, eius tuitionem deuotione debita perquisiuit, nos per interuentum venerabilis fratris nostri Gregorij Neapolitani Antistitis, supplicationi tuæ clementer

D annuimus, & Beati Archangeli Monasteriū, cui Deo auctore præsides, sub tutelam Apostolicæ Sedis excipimus, per præsentis igitur priuilegij paginam Apostolica auctoritate statuimus, vt quæcunque prædia, quæcunque possessiones, idem Cœnobium in præsenti 9. Indictione legitimè possidet, & quæcunque in futurum concessione Pontificum, liberalitate Principum, oblatione fidelium, vel alijs iustis modis poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneāt. Decernimus ergo vt nulli omninò hominum liceat idem Monasterium temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel oblatas retinere, vel iustè datas suis vsibus vendicare, minuere, vel temerarijs vexationibus fatiga-

tigare; sed omnia integra conseruentur eorũ, pro quorum sustentatione, & gubernatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura, salua Neapolitani Antistitis canonica reuerentia, cui tamen Monasterium ipsum grauare omninò non liceat, nec exactiones inserre, aut consuetudines aliquas, quæ Fratrum quieti noceant, irrogare. Si quis igitur in futurum Archiepiscopus, aut Episcopus, Imperator, aut Rex, Dux, aut Princeps, Magister militum, Comes, Vicecomes, Iudex, Castaldus, aut Ecclesiastica qualibet, secularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentauerit, secundo, tertioue commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, & sanguine Dei Domini, & Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem Monasterio iusta seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen Amen Amen.

† Ego Paschalis Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Datum Albæ per manum Iohannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diac. Card. ac Bibliothecarij, 3. Id. Aprilis, Indict. 9. Incarnationis Dominicæ anno M.C.XVI. Pontificatus autem Dom. Paschalis II. Papæ anno xvij.

12. MARINVS interfuit consecrationi Gelasij II. Romani Pontificis Caietæ celebratæ anno 1118. vt Pandulphus Pisanus narrat. Anno 1136 cum Rainulpho Comite, & Philippo de Acerra it obuiam Lothario Imperatori. Excitatus tunc fuerat Lotharius ab Innocentio aduersus Rogerium Regem, qui Beneuentum, omnesque ferè Apuliæ ciuitates, & loca, vt scribit Falco Beneuent. in Chron. occupauerat, suæque subiecerat potestati, ipsamque Neapolim, stricta obsidione vexabat, quam post multa bellorum discrimina cepit. Anno verò 1139. Marinus Rogerium Neapolim primò ineuntem vnà cum Clero excepit honorificè, vt idem tradit Falco in hæc verba.

Archiepiscopus itaque Neapolitanus Marinus nomine, Clerum omnem ciuitatis congregari præcepit, simul & ciues, & aduentũ Regis eis annuncians hortatur, vt honestè & lætitia multa eum suscipiant. Ciues igitur simul cum militibus ciuitatis foris Portam Capuanam exierunt in campum, quem Neapolim dicunt, & Regem ipsum cum honore & diligentia multa, vltra quam credi potest amplexati sunt, & sic vsque ad prædictam Portam Capuanam perductus est. Continuò Presbyteri, & ciuitatis Clerus ad eandem Portam obuiam exiuit, & cum hymnis, & laudibus ad astra leuatis ciuitatem introdu-

A *xerunt. Quatuor illicò viri nobiles habenas equi & pedes Regis ipsius tenẽtes, alij quatuor vsque ad Episcopium Ciuitatis Regem illum introduxerunt. Frequentiam verò populi per plateam incedentis, & mulieres, viduas, coniugatas, & virgines per fenestras existentes, lector si aspiceres, miratus affirmares Imperatorem, aut Regem alium siue Principem tali sub honore, & gaudio nunquam ciuitatem Nea. olim ingressum fuisse. Quid multa? Rex ipse tali, & tanto honore ditatus ad Episcopium descendit, & in Camera Archiepiscopi hospitatur, die verò altera adueniente, totam intrinsecus ciuitatem, & foris Rex ipse equitauit, & palatia, & ædificia circumspexit, &c.*

B Interfuit etiam Marinus generalibus Comitijs, siue, vt vocant, Parlamento, quod Rogerius idem Rex Capuæ celebrauit, ad quod Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Comites, & Barones Regni Rex idem asciuit, quorum consilio, quæ ad Regni regimen pertinerent, moderaretur, multasq; graues dissensiones, ac lites inter Episcopum Auersanum, & Abbatem S. Laurentij, quæ præ bellorum turbine, ac rerum vicissitudine emerserant, composuit, quibus omnibus Marinus hic interfuit, vt ex hoc diplomate quod habetur in archiuio cœnobij Sancti Laurentij de Auersa, cui Marinus subscripsit clarè perspicitur.

In nomine Dei æterni, & Saluatoris no-
C *stri Iesu Christi. Rogerius diuina fauente clementia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ.*

Regiæ maiestatis est, atque clementiæ iustitiam poscentibus . . . . vel iudicio, vel competenti concordia terminare. Cùm igitur apud Capuam Curiam teneremus, nobiscum residentibus dilectissimis filijs. . . . . VV. Principe, nec non Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, & alijs Baronibus quampluribus, ante nostram venere præsentiam Iohannes Auersanus Episcopus, & Gualterius Abbas Sancti Laurentij de Auersa ad inuicem de piscatione Patriç, & portibus & plateatico altercantes; Dicebat enim Abbas pisca-
D tionem eiusdem lacus, quartæ videlicet, & sexti. . . . . & plateaticum ad ius sui Monasterij pertinere, per concessionem factam à Iordano filio Riccardi I. Normannorum Principis Capuæ. Vnde etiam priuilegia ostendit duo, quorum vnum fecerat idem Iordanus Princeps, alterum verò continebat concordiam, quæ fuerat facta ante præsẽtiam Rogerij beatæ memoriæ Ducis Apuliæ, & Riccardi II. Principis, quæ coram nobis lecta sunt. Affirmabat præterea Monasterium suum ea omnia tenuisse vique ad tempus illud Matthæi Abbatis, quando translatus in Barum Archiepiscopus est effectus, & tunc Auersanam Ecclesiam. . . . . . . Monasterio abstulisse. Et contra-

rium

A rium Episcopus asserebat prædictum lacum, & piscationem integram iuris esse suæ Ecclesiæ donatione & priuilegio primi prædicti Riccardi Principis, cuius etiam priuilegij exemplar ostendit, & illos duos dies, quos Abbas querebat habere supradictum Iordanum Principem ab Auersana Ecclesia in feudum suscepisse, & idem indè singulis annis pro censu libras ceræ sexaginta reddidisse; de proprietate autem prædicti lacus affirmabat Ecclesiam suam, & illud priuilegium, & alia Principum priuilegia habuisse, & apud eundem Abbatem à prædecessore suo Iohanne Episcopo cum quibusdam alijs rebus Ecclesiæ deposita fuisse, quæ idem Episcopus querebat sibi reddi, sed Abbas planè negabat depositum. B Quæ cum ante nostræ serenitatis præsentiam diligenter, & rationabiliter ventilarentur, suggerente prudentissimo viro Rogerio Panormitano Electo, placuit vtrique parti, nos etiam super hoc deprecati, hãc litem potius concordia, quàm iudicio terminari. Electis itaque ab vtraque parte quatuor discretis, ac religiosis personis, Episcopis scilicet Iohanne Capuacensi, & Petro Alifano, & Abbatibus Rainaldo Casinensi, Petro Venusino, iniunximus, vt concordiam illam tractarent, rationibus vtrinque diligenter inspectis. Quorum studio, ac diligentia nostra regali auctoritate interposita præfata lis consensu & voluntate vtriusque partis taliter decisa est. Abbas dimisit Auersanæ Ecclesiæ & Episcopo plateaticum castri Focis C quietumque, quod eadem Ecclesia habet secus patriam, consensu fratrum ibidem assistentium: Episcopus verò consensu suorum Canonicorum, qui præsentes aderant, dimisit Monasterio, & eidem Abbati d . . . . illos duos in hebdomada quietos, & portus omnes, & pisces Principis & Castaldionum, sicut in suis priuilegijs continebatur, Vnde, ne in posterum super eadem causa lis aliqua emergat, hoc . . . . . vtrique parti fieri decreuimus, præcipientes vt firmiter inuiolabiliter tam ab his, qui præsentes sunt, quàm à futuris teneatur & obseruetur. Si quis autem hoc nostrum regale præceptum violare præsumpserit, sciat se compositurum nostro Palatio auri vncias centum. Ad prædictæ verò concordiæ iudicium & inuiolabile D firmamentum, duo priuilegia scribi, & nostra bulla insigniri præcepimus, quorum vnum Episcopo, alterum verò Abbati dari iussimus.

† *Marinus Archiepiscopus Neapolit.*
† *Stephanus Abbas Thelesinus.*
† *Goffridus Comes Catacensis Auellini.*
† *Rogerius filius Boni iustificator curialis.*
† *Iohannes Ciuitatensis Episcopus.*
† *Raul electus Teanensis.*
† *Robertus Comes Cupersani.*
† *Robertus Suessanus Episcopus.*
† *Robertus electus Teatinus.*
† *Manuel Ammiratus.*
† *Rao Raerij filius.*
† *Iohannes Cumanus Episcopus.*
† *Goffridus Comes Tri-arici.*
† *Palco Abbas Cauensis.*
† *Riccardus de Aquila Comes.*
† *Michael de Renta.*

Datum Capuæ anno Incarnationis Dominicæ *M.C. quadragesimo IIII. mense Nouembris, Indict. 7 anno verò Rogerij gloriosissimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ tertio decimo, feliciter, Amen.*

Signum Rogerij Dei gratia Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ.

Dein cum Capuæ conuentus esset dimissus, Marinus Regem ipsum Salernũ, & quocunq; euntem secutus est; comperimus enim eum subscripsisse priuilegijs ab eodem Rege concessis, & præsertim diplomati, quod idem Rex dedit Petro venerabili Abbati S. Mariæ ad Cappellam de Neapoli, sub datum Salerni anno 1144. mense Nouembris, in quo idem Rex sub regia protectione cœnobium illud recipit, & confirmat ei omnia bona, quæ possidet, ac priuilegia hactenus ei indulta, tum ex dono, & concessione Ducum, Principum, & Comitum, Magistrorum militum, Baronum, militumque, tum quoque alterius cuiuscumque, & præsertim diplomata, quæ Adenulfus quondam Comes Puteoli, & Gulielmus de Frioldo olim Cumarum Castri Dominus eidem Monasterio cõcesserant, cui subscripserunt tam Marinus Archiepiscopus, quàm alij Prelati, ac insignes viri; qui Salerni in Curia Regis tunc fortè reperiebantur. Integrum diploma ita exscriptum fuit, illud do integrum domus.

In nomine Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi. Rogerius diuina fouente clementia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ.

Quem regiæ serenitatis decet prouidentia fructuosæ & suauis dulcedinis attendere merita supplicantium, & iustis precibus subiectorum adesse, tanto potissimum ad sacrosanctas Ecclesias & Monasteria Deo dicata tenetur pietatis oculos inclinare, quanto dominantium dominanti gratissimo residet, cum eis assensus in suæ pietatis operibus adhibeatur. Attendentes igitur sinceram & præcipuã donationis fidem quam tu Petrus venerabilis Abbas S. Mariæ de Cappellis fidelis & deuotus noster erga nostræ serenitatis maiestatem habere dignosceris, Considerantes etiam ipsius Monasterij tui religionẽ, intuitu superni regis, & pro remedio animarum carissimorum quondam parentum nostrorum, & pro gloria nostra atque salute ipsum Monasterium tuum S. Mariæ de Cappellis cum vniuersis bonis suis quæ iustè possidere

ſidere dignoſcitur, ſub noſtra protectione recepimus, & ea ſpiritali volumus noſtri patrocinij gratia confoueri, de affluentia quidē pietatis noſtræ concedimus tibi, & ipſi Monaſterio tuo in perpetuum confirmamus omnia priuilegia & inſtrumenta, nec non omnes poſſeſſiones, libertates & alia tenimenta quæ tam dono & conceſſione Ducum, Principū, & Comitum, Magiſtrorum militum, Baronū, Militum, vel oblationes quorumcunque fidelium ipſum Monaſterium in præſentiarum iuſte poſſidet, vel inantea iuſto titulo poterit adipiſci. Concedimus etiam & confirmamus iam dicto Monaſterio hortum qui vocatur de Iubenullo iuxta continentiam oblationis, quam per chartam Adenulphus quondam Comes Puteoli ei fecit. Præterea concedimus tibi prænominato Abbati & ipſi Monaſterio tuo, & confirmamus caſtrum deſtructū vbi eſt Eccleſia quæ vocatur Sancti Petri ad Pertuſum cum coſta, ſcapulis, & montibus, & planicijs cum palude & aquis dulcibus piſcatione maris. . . . . . & terminos & loca denominata prout contineri videtur in priuilegio Guillelmi, quod de Piroldo ſupraſcripto Monaſterio fecit & aſſignauit. . . . . Quatenus nullus ſit qui iam dictum Monaſterium in omnibus poſſeſſionibus, libertatibus, & alijs tenimentis ſuis temere perturbare præſumat . . . . . . noſtro temerarius obuiator extiterit noſtræ maieſtatis indignationem incurrit. Ad huius ergo protectionis, conceſſionis, & confirmationis noſtræ memoriam inuiolabile firmamentum præſens inde priuilegium ſcribi, & maieſtatis noſtræ ſigillo iuſſimus communiri.


† *Marinus Archiepiſcopus Neapolitanus.*
† *Iohannes Quitatenſis Epiſc.*
† *Robertus Sueſſanus Epiſc.*
† *Iohannes Cumanus Epiſc.*
† *Falco Abbas Cauenſis.*
† *Stephanus Abbas Thelenenſis.*
† *Robertus Comes Cuperſani.*
† *Michael Amirantus.*
† *Michael de Tarento.*
† *Rogerius filius Boni iuſtificator Curialis.*
† *Rao Raceberij filius.*
† *Goffridus Comes Tricarici.*
† *Aymon de Argencia.*

Data Salerni anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo quadrageſimo quarto menſis Nouembris Ind. ſeptima, anno vero Rogerij glorioſiſſimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, principatus Capuæ tertiodecimo feliciter. Amen.

His fermè temporibus circa annum Domini 1150. Neapolitana Cathedralis Eccleſia ſummis, atque incredibilibus ſumptibus, illuſtriumque architectorum, atque artificum manibus erecta fuit, & ſculptis marmoreis

A ſtatuis, & iconibus affabrè factis exornata; vt teſtatur Georgius Vaſarus in vita pictorū ac ſculptorum prima parte in vita Arnolfi de Lapo Florentini Architecti. At dolemus ex iis ædificijs & rebus nihil nunc in ea maiori Eccleſia, ne veſtigium quidem ſupereſſe.

Hæc de Marino Cioccarellus. Circa annum Domini 1168. cùm Eccleſia Neapolitana vacaſſet, an per obitum Marini, incertū, ad eam dignitatem vocatus eſt Petrus ille Bleſenſis ſui ſæculi vir longè clariſſimus, quā cùm renuiſſet recipere, cauſam reddit in epiſt. 72. ad S. amicum ſuum, *Recolo*, inquit, *quantas inſidias æmulorum in Palatio Regis Siculi Guillelmi II. quandoque expertus ſum, qui cum multipliciter me à Regis latere ſtu-*
B *duiſſent, & non poſſent euellere, prius ad vnum Epiſcopatum, & alterum demum ad Neapolitanam Metropolim poſtulari, & ſolemniter eligi me fecerunt. Ego autem ad hoc nullo pacto potui fraudis artificio inclinari, ſciebam enim, quod ad hoc, & circa hoc tota eorum verſutia verſabatur, vt ab aulica conuerſatione remotus aperta perſecutione obruerer, &c.* Et in alia epiſtola ad Nepotem ſuum E. Priorem de Monaſteriolo apertius rem narrat. *Tu verò*, ait, *frequenter ex ipſius Papa, qui nunc ſedet, ac plerisque Cardinalibus eius, qui in diebus meis legatione functi ſunt, fratres etiam mei, & Abbatis Sancti Dionyſij, aliorumque magnatum, qui in terra ſunt, relatione cognoſcere po-*
C *tuiſti, quod cum in Sicilia eſſem ſigillarius & Doctor Regis Guilielmi II. tunc pueri, atque poſt Reginam & Panormitanum Electum, diſpoſitio Regni ſatis ad meum penderet arbitrium, quidam mei æmuli machinantes me à familiaritate Regis excludere, procurauerunt, vt Eccleſia Neapolitana me in Archiepiſcopum eligeret, ac per maiores Capituli ordinati nem meam communi decreto & voto vnanimi poſtularet. Vocatus autem non iui rogatus, & tractus multipliciter non conſenſi. Epiſcopatus quoque Roffenſis bis mihi oblatus eſt, oblatumque renui, & honorem ex onere metiens, motus ambitioſos ad ſobrii mediocritatis terminos limitaui, &c.* De Petro Bleſenſi videndi Poſſeuinus tom. 3. Apparatus ſacri, Baronius tom. 12. eius vitam, geſtaque recen-
D ſuit, vbi de Neapolitano Archiepiſcopatu, quem ipſe renuit, præſertim agit, & cum ipſo alij.



13. SERGIVS II. generis nobilitate, & virtute præclarus electus eſt Archiepiſcopus Neapolitanus ab Alexandro III. anno 1175. Hic enim anno ſui Archiepiſcopatus ſecundo, menſe Maij, anno 1177. aſſentiente eius Capitulo Benincaſæ Abbati Cauenſis Cœnobij, & Monachis, exemptiones & immunitates Eccleſiarum quarundam, quas idẽ Monaſterium Neapoli obtinebat ab omni Epiſcopali iure perpetuò liberauit, ac confirmauit, vt ex diplomate plumbeo obſignato ſigno in eiuſdem Monaſterij tabulario ſeruato habetur, cuius tenor eſt huiuſmodi.

Sergius Dei gratia Neapolitanus Archiepiſcopus dilecto in Christo Benincaſa eadem gratia Cauenſi Abbati, & Fratribus eiuſdem Monaſterij, eorumque ſucceſſoribus in perpetuum.

Ad Pontificatus noſtri honorem, & ſollicitudinem, non proprijs meritis, ſed ſolius diuinæ gratiæ munificentia euocati, tantò mouemur ſacris, & venerabilibus locis diligentiori pietatis, & caritatis intuitu prouidere, religioſorumque virorum In his, quæ ſecũdum Deum poſſumus & debemus aſſenſum iuſtis precibus & poſtulationibus adhibere, quantò ipſi à mundi huius ſollicitudinibus ſegregati cura & ſtudio cautiori in locis eiſdem, Dei omnipotentis laudibus, & obſequijs dignoſcuntur inſiſtere, & propenſitis & ſollicitiùs pro omnium animarum vtilitate, & æterna ſalute inuigilare. Eapropter cariſſime, ac dilecte plurimum in Christo frater Benincaſa, præfati Monaſterij venerabilis Abbas diuini amoris contemplatione inducti, & tam ob laudabilem eiuſdem Monaſterij, cui Deo auctore præeſtis, quàm veſtram, & fratrum veſtrorum religionem & honeſtatem, veſtris dignis petitionibus aures duximus inclinandas. Communi ergo conſenſu, vobis & ſucceſſoribus veſtris in Eccleſijs Sancti Archangeli, quæ poſita eſt ſub muro Ciuitatis foris porta de illis Monachis, & Sancti Gregorij de Regionario Monaſterij. . . . . . . veſtri cum ſuis Eccleſijs & Sanctæ Mariæ, quæ conſtructa eſt in regione Portenouẽſis iuxta toccum de illis Accapa-

A cis, alijs omnibus Eccleſijs vobis pertinentibus, quas Cauenſe Monaſterium in Ciuitate Neapolitana habere dignoſcitur, omnem libertatem, videlicet, vt ab omni iure Epiſcopali ſint liberæ, tam in ſpiritualibus, quàm in ſecularibus, quatenus abſque omni contradictione noſtra, noſtrorum ſucceſſorum, ſeu qualibet exactione iuris Epiſcopalis omni in perpetuum gaudeat libertate. Concedimus etiam eiſdem Eccleſijs omnia, quæ conceſſione Pontificum, liberalitate Regum, Ducum, Principum, Comitum, & Baronum, vel oblatione quorumlibet fidelium nunc in præſentiarum poſſident, aut in futurum poterunt adipiſci, liberè & abſolutè poſſidere. Prætaxata etiam diuinæ caritatis pietate, at-
B que liberalitate cõcedimus ipſis præfatis Eccleſijs, vt Criſma, Oleum ſanctum, conſecrationes ipſarum Eccleſiarum, ſuorumque altarium, ordinationes Monachorum, vel Clericorum, quando in ipſis Eccleſijs deſeruire videbuntur, à nobis & à noſtris ſucceſſoribus; ſi gratis & abſq; prauitate dare voluerint, recipiatis, aliquando liceat vobis à quocunque catholico Epiſcopo hæc omnia liberè, & abſolutè recipere. Concedimus quoque prædictæ Eccleſiæ Sancti Archangeli parochiam, quæ continetur in inſtrumento diffinitionis, quæ diffinitio facta eſt inter Eccleſiam Sancti Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, quæ nominatur *in carte*, & præfatam Eccleſiam Sancti
C Archangeli tempore bonæ memoriç Abbatis Marini, baptiſterium, cœmiterium, proceſſiones, vt quicũque in eadem Eccleſia ſibi ſepulturam elegerint, liberè eos recipere poſſitis; & quicunque Monachi, vel Clerici in ipſis Eccleſijs morabuntur, per nos, ſiue per noſtros ſucceſſores, ac per noſtrum Capitulũ minimè conſtringantur. Si quis autem huius noſtri priuilegij temerator, vt præuaricator extiterit, & huic noſtræ conceſſioni contraire præſumpſerit, excommunicationis vinculo innodatus inferni tormenta horribilia perpetuò ſortiatur. Qui vero quod concedimus, & ſtatuimus obſeruauerit, orationum ac beneficiorum omnium, quæ in prænominato Monaſterio fiunt particeps fiat, & æter-
D næ beatitudinis gaudijs, ac requie perfruatur. Amen.

Huius autem conceſſionis ſeriem ſcribere mandauimus Nicolao Notario noſtro, & noſtri typarij ſigillo plumbeo inſigniri fecimus. *Anno ab Incarnatione Domini Noſtri Ieſu Christi 1177. menſe Maij, Indictione decima, noſtri verò Archiepiſcopatus anno ſecundo.*

† *Ego Sergius Neapolitanus Archiepiſcopus ſubſcripſi.*

† *Ego Ioannes Archipresb. & Cimiliarcha S. Neap. Eccl. ſubſcripſi.*

† *Ego . . . . Presbyter Cardinatis Sanctæ Neapolitanæ Eccleſiæ ſubſcripſi.*

† *Ego*

† *Ego Ioannes Presb. Card. S. Neap. Eccl. subscripsi.*

† *Ego Sergius Subdiac. S. Neap. Ecclesiæ subscripsi.*

† *Ego Gregorius Diaconus S. Neap. Eccl. subscripsi.*

† *Ego Marinus Diaconus S. Neap. Eccles. subscripsi.*

† *Ego Sergius Diaconus S. Neap. Ecclesiæ subscripsi.*

† *Ego Gregorius Subdiac. S. Neap. Eccles. subscripsi.*

† *Ego Cæsarius Subdiac. S. Neap. Ecclesiæ subscripsi.*

Anno 1179. interfuit Sergius Lateranensi Concilio ab Alexandro III. celebrato vnà cũ suis suffraganeis Bernardo Nolano, Bartholomæo Acerrano, & Petro Isclano.

Eodem anno 1179. habetur quoque Sergij mentio in Monasterij Monialium S. Sebastiani monumentis, vbi diploma legitur eo anno scriptum regnante Guilielmo Siciliæ & Italiæ Rege, regnorum eius anno 14. Indict. 13. in quo Alfanus Capuanus Archiepiscopus cũ Neapoli hortum possideret, qui iuris erat eiusdem Monasterij, & sibi per Ecclesiam Neapolitanam, eiusque Archiepiscopum in feudum fuerat concessus, hortum illum locat, conceditque ad meliorandum Ioanni Caracciolo filio quondam Riccardi, consentiente Sergio Archiepiscopo. Diplomatis initium ita se habet.

In nomine Domini nostri Iesu Christi:

Petis à nobis Alfane Dei gratia humilis Archiepiscope Sanctæ Sedis Capuanæ Ecclesiæ. Nos autem per absolutionem, & subscriptionem Domini Sergij Dei gratia venerabilis Archiepiscopi Sanctæ Sedis Neapolitanæ Ecclesiæ, vt demus tibi Domino Ioanni cognomine Caracciolo filio quondam Riccardi, &c. subscribitur autem sic.

† *Sergius Archiepiscopus subscripsit.*

† *Ego Alfanus Dei gratia Capuanus Archiepiscopus.*

Fit mentio Sergij in documento Cœnobij SS. Marcellini & Festi Neapolis in sententia lata ad fauorem Monialium eiusdem Monasterij die 10. Martij, Indict. 14. anno scilicet 1181. Interea Sergius Archiepiscopus anno 1183. considerans multos suæ diœcesis clericos præ beneficiorum paruitate in maxima egestate vitam finire, Capitulo assentiente, constituit, vt Clerici omnes beneficiati totius eius diœcesis à Kalendis Martij vsque ad Kalendas Nouembris e vita decedẽtes liberam haberent testandi facultatem de omnibus fructibus eorum beneficij, quos vsque ad Kalendas Nouembris fuissent percepturi, decedentes verò à Kalendis Nouembris vsque ad Kalendas Martij liberam haberent disponendi facultatem de medietate fructuum sequentis anni, reliquam verò medietatem successores beneficiati haberent, atque expressè prohibuit, ne quis sub prætextu dominij, aut consuetudinis Ciuitatis Neapolis aliquid à quolibet clerico de prouentibus beneficij pro quarta parte acciperet, intestatis verò decedentibus, ex fructibus prædictis, præscriptis temporibus distribuendis, debita prius eiusdem clerici exolui, reliqui verò pro anima eius clerici, vno aut altero ex ipsius consanguineis interuenientibus distribui præcipit, vt ex hoc eius diplomate eiusdem Archiepiscopi, & Capituli subscriptionibus roborato clarè inspicitur.

In nomine Dei æterni, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Regnante Domino nostro Vuilielmo Dei gratia Siciliæ & Italiæ magnifico Rege, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo octuagesimo tertio, die vigesima secunda mensis Madij 1. Indictionis.

Nos Sergius Dei gratia Neapolitanus Archiepiscopus, Attendentes casum humanæ conditionis, quod multos Clericorum, tam nostræ maioris Ecclesiæ, quàm totius parochiæ ipsius propriæ, pro paruitate beneficiorum in suprema egestate vitam finire, vnà cum Capitulo Ecclesiæ nostræ, pro salute animarum prædecessorum nostrorum & nostra, nostrorumque successorum à præsenti die stabilimus, & præsentis paginæ perpetua firmitudine roboramus, tam in nostra maiori Ecclesia Neapolitana, quam in cæteris Ecclesijs propriæ parochiæ nostræ ciuitatis inuiolabili censemus sanctione perpetua obseruandum, vt quicunque clericorum, tam nostræ maioris Ecclesiæ, quam totius propriæ parochiæ ipsius humanæ naturæ debitum soluturus à Kalendis Martij vsque ad Kal. Nouembris de hac luce migrauerit, liberam habeat facultatem iudicandi, & dimittendi vbi & cui voluerit totum prouentum beneficij sui, quod antea siue in ciuitate, siue extra ciuitatem Neapolitanã in propria parochia nostra, tam æstatis, quam vindemiæ, & tam de maiori nostra Ecclesia, quam de alijs Ecclesijs, & etiam de congregationibus, siue in terris, siue in domibus, & in quibuscunque alijs iustè aliquid aliquo modo vsque ad Kal. Nouembris fuerat habiturus, & quicunque à Kalend. Nouembris vsque ad Kalẽdas Martij moriturus vitam finiuerit, liberam habeat similiter potestatem iudicandi, & dimittendi cui vult, & vbi vult medietatem prouentus illius anni sequentis totius beneficij sui, tam de Ecclesijs, quàm de congregationibus, & de alijs etiam omnibus sicut prædictum est, & aliam medietatem habeat quicunque sibi canonicè successor extiterit, à fine verò anni defuncti omnia in vsum successoris cedant. Præterea protestatione firmissima statuimus, & irreuocabili munimine prohibemus, vt de prouentu beneficij cuiuscunque nemini liceat pro quarta parte, seu pro quarta, vt vulgo dicitur, nec sub obtentu aliquo domi-

nij, vel consuetudinis ciuitatis aliquid accipere. Si quis autem pertinax, aut indeuotus hanc nostræ institutionis paginam, siue in parte, siue in toto, per se vel per submissam personam præsumpserit violare, vel contraire, auctoritate Dei omnipotentis, & Beatæ Mariæ semper Virginis, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & B. Ianuarij, & Agrippini, quorum patrocinio communimur, & aliorum Sanctorum, quorum reliquiæ in prædicta nostra Ecclesia continentur, & nostra anathema, maranatha, & cum Iuda proditore, & Nerone perennem habeat portionem; Qui autem huiusmodi obseruator extiterit, diuinæ benedictionis præsidio potiatur, & æternæ beatitudinis præmia inter Sanctorum collegia consequatur. Vt autem hoc firmius habeatur, signo confirmauimus, & sigillo nostro fecimus insigniri. Facta Neapoli anno, die & Indictione prætaxatis perpetuò valitura. Hoc adhuc ex communi consilio, & voluntate duximus inserendum, & perenni robore confirmandum, vt si quis clericorum, tam maioris Ecclesiæ nostræ, quàm totius propriæ parochiæ nostræ decesserit intestatus in statutis temporibus, vt supra dicitur, de prouentu beneficij sui, sicut est superius ordinatum, si super eum manifestum, & certum debitum apparuerit, prius soluatur, reliquum denique si quid est residuum, partium defuncti intestati cum vno, vel duobus de propinquioribus suis, qui sibi in vita sua plus placuerint per notitiam Capituli nostræ Ecclesiæ pro anima eius distribuant. Si quis autem contra hoc sciens venerit, nisi monitus resipiscat, prædicto sit anathemate innodatus. Hoc quoque sub dicto anno, & die & Indictione additum sit perpetuo munimine confirmatum, atque approbatum.

Sergius Archiepiscopus Neapolitanus.

† *Ego Ioannes Archipresb. & Cimiliarcha Sanctæ Sedis Neapolitanæ Eccles. subscripsi.*

† *Ego Vuilelmus Presbyter Card. S. Sedis Neap. Eccl. subscripsi.*

† *Ego Iohannes Presb. Card. S. Sedis Neap. Ecclesiæ subscripsi.*

† *Ego Iohannes Presb. Card. S. Sedis Neap. Eccles. subscripsi.*

† *Ego Marinus Neapol. Eccles. Diaconus subscripsi.*

† *Ego Matthæus Neapol. Eccles. Diaconus subscripsi.*

† *Ego Sergius Neapol. Ecclesiæ Diaconus subscripsi.*

† *Ego Richardus Neapol. Eccl. Diaconus subscripsi.*

† *Ego Iohannes Neapol. Ecclesiæ Subdiaconus.*

† *Ego PP. Neapolitanæ Eccles. Subdiac. subscripsi.*

† *Ego Ioannes Subdiac. Neapol. Ecclesiæ subscripsi.*

† *Ego Iohannes Neapol. Ecclesiæ Subdiac. subscripsi.*

† *Ego Iohannes Neapol. Ecclesiæ Subdiac. subscripsi.*

† *Ego Sergius Neapolit. Eccles. Subdiac. subscripsi.*

† *Ego Donadeus Neap. Eccl. Subdiaconus subscripsi.*

Hanc Constitutionē Alexander IV. Rom. Pontifex suis litteris confirmauit sub Datum Neapoli 10. Kal. Iunij anno 1255. Pontificatus eius anno primo, precibus Neapolitani Archiepiscopi Sergij successoris, Capituli, & Cleri Ciuitatis, & Diœcesis Neapolitanæ.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili Fratri Archiepiscopo, & dilectis filijs Capitulo & Clero Ciuitatis, & Diœcesis Neapolit. salutem & Apostolicam benedictionem.

Prouenit ex deuotione nostræ mentis, vt petitionibus vestris fauorabiliter animaduertentes gratiam, quam præsertim suadet honestas, vobis liberaliter faciamus. Sanè prout à vobis ex parte vestra petitio continebat, quod bonæ memoriæ Neapolitanus Archiepiscopus prædecessor tuus frater Archiepiscope de consensu Capituli fecit statutum, vt vnusquisque Canonicus, vel Clericus maioris & aliarum Ecclesiarum ciuitatis, & diœcesis Neapolitanæ à Kalen. Martij, & infra Kal. Nouembris diem extremū claudens, beneficiorum suorum dictarum Ecclesiarum ciuitatis, & diœcesis prouentus, quos erat ab eisdem Kal. Martij vsque ad præfatas Nouembris Kal. ex ipsis beneficijs prouentus posset iudicare & dimittere cui vellet, & hoc idem illi liceret de medietate prouentuum beneficiorum ipsorum, qui à Kalen. Nouembris vsque ad Kal. Martij rebus eximeretur humanis, successor eius habeat reliqua prouentuum. Idem præterea inhibuit prædecessor, vt si quis sub quouis obtentu dominij ab aliquo prædictorum ratione quartæ partis prouentuum beneficiorū suorum, quæ quarta vulgariter dicitur, quicquam præsumat accipere, vel etiam extorquere, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri. Nos igitur quod in hac parte prouidè factum est, ratum habētes, & gratum, id vestris supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc præsumpserit, indignationem omnipotētis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Neapoli 10. Kal. Iunij, Pontif. nostri anno primo.


Anno 1187. Sergius die 8. Maij Basilicam S. Gregorij de Regionario Neapoli positam, quæ

quæ Canenſis cœnobij iuris erat, vnà cum Puteolano & Cumano Epiſcopis ſolemniter conſecrauit, multaſque cōceſſit indulgentias, ac Sanctorum reliquias inibi recondidit, de quibus omnibus teſtimoniales litteras, ac diploma idem Archiepiſcopus dedit, quod in eiuſdem Cauenſis Monaſterij archiuio aſſeruatur, plumbeo ſigillo roboratum, hunc in modum.

Ea, quæ pro Chriſtianæ religionis, & diuini cultus veneratione fiunt, ne in recidiuam obliuionem valeant deuenire, dignum eſt & honeſtum litteris commendari; Idcircò nos Sergius Dei clementia Neapolitani Archiepiſcopatus humilis miniſter, Chriſti fidelibus notum facimus vniuerſis, nos octauo die reſtantis menſis Madij Cauenſem Eccleſiam in honorem Beati Gregorij conſtructam intra mœnia Neapolis, vnà cum venerabilibus noſtris Puteolano, & Cumano Epiſcopis ſolemniter conſecraſſe, in qua pariter conuenientes, ſtatuimus in perpetuum, vt quicunque annuatim in anniuerſario prædictæ conſecrationis ad eandem Eccleſiam viſitādam vſque in octauam diem acceſſerit, tres annos de criminalibus, de quibus verè confeſſi fuerint, & tres partes venialium, & omnes negligentias, ita tamen vt ſi ad memoriam redierint, orationum faciant ſuffragijs ſe iuuari, auctoritate Dei omnipotentis & Beatæ Mariæ ſemper virginis, & Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Beati Ianuarij Patroni noſtri, & Beati Gregorij, & Sanctorum omnium, quorum ibi reliquiæ recōditæ perhibentur ſibi miſericorditer nouerint relaxata. Hæc autem relaxatio, & prædictæ remiſſionis condonatio celebrata eſt anno Domini cæ Incarnationis 1187. menſe prædicto quintæ Indictionis, præſidente Sanctæ Romanæ Eccleſię Domino Vrbano Papa III. & regnante domino noſtro illuſtri & magnifico Rege Vvlielmo, nec non eiuſdem Cauenſis Eccleſiæ exiſtente Abbate Domino Benencaſa. Ad huius autem cognitionis perpetuam memoriā, quæ præfata ſunt, per manus Marini Clerici Eccleſiæ noſtræ in ſcripto redigi iuſſimus & ſigillo noſtro appoſito fecimus inſigniri feliciter. *Amen*.

Prædictæ Eccleſiæ altare maius dedicatum eſt in honorem Sanctæ Trinitatis, Sancti Gregorij, S. Laurentij, S. Nicolaï, & S. Thomæ Martyris, & ſunt in eo recondita reliquiæ Sāctorum, ſcilicet Soſij, Petri Exorciſtæ, Nerei, & Achillei, Dalmaticæ S. Petri Apoſtoli, de velo S. Cæciliæ, S. Athanaſij Neapolitani Epiſcopi. De neruis S. Ianuarij, De cinere Sancti Laurentij, Sanctorum Audifacis, & Abacuck, S. Gregorij Nazianzeni, S. Nicolai Epiſcopi, S. Stephani Protomartyris, & S. Thomæ Martyris. & altare minus dedicatum eſt in honorem Sanctæ Mariæ virginis, Beatorū Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſunt in eo reconditæ reliquiæ SS. Ioannis, & Abbaciri, S. Victoriæ Martyris, & S. Pauli Epiſcopi.

Vltima Sergij memoria fit in regię Cameræ Summariæ Ritibus, in priuilegio illo Amalphitanis à Neapolit. ciuibus indulto, quod incipit. *Nos Aliernus Cuſonus, Conſules, Comeſtabuli, & vniuerſus populus egregiæ Ciuitatis Neapolis, &c.* vbi in fine legitur. *Actum Neapoli per Maurum Clericum Sanctæ Neapolitanæ Eccleſiæ, & notarium Domini Sergij venerabilis Neapolitani Archiepiſcopi anno 1190. die 9. menſis Maij 8. Ind.* Integrum hocce monumentum leges apud Capaccium lib. 1. Hiſtor. Neapolit. fol. 173. Hæc ille.



14. ANSELMVS geſtorum gloria, & propria virtute clarus ſucceſſit Sergio circa annum Domini 1192. Anſelmi mentio habetur in actis Sanctæ Patritiæ, cuius ſacra lipſana Neapoli in Eccleſia eius nominis aſſeruātur, dum de miraculis agitur, quæ in ea Eccleſia, atque eius tumulo à Deo per B. Patritiam ea ætate circiter annum 1192. geſta ſunt, ſic legitur. *Tempore igitur Henrici Romani Imperatoris, qui Regnum ſibi Siciliæ nitebatur ſubijcere, reſidente in vrbe Roma Cæleſtino III. & Anſelmo Archiepiſcopo Cathedram Parthenopenſem tenente, nec non Melegrita Sāctæ Patritiæ cœnobium gubernante, puer quidam, &c.* Item anno 1212. in eodem miraculorum libello, Anſelmi fit mentio. Ad ipſum plures decretales extant Innocentij III. Epiſtolæ, quarum aliquæ ſacris canonibus ſunt inſertæ. Ad eundem verò Innocentium aliquando Anſelmus orator fuit Conſtantiæ Siciliæ Reginæ Federici II. Imp. matris quondam Henrici VI. Imp. vxoris. Cognita Anſelmi prudentia, vitæque integritate Innocentius III. illum ad varia obeunda munia vocauit, & inter multos viros egregios, ad Regnum Siciliæ; puerumq; Regem Federicum rectè inſtituendum Cincium S. Laurentij in Lucina Presb. Cardin. Apoſtolicæ Sedis Legatum, & hunc Anſelmū

Neapolitanum, & Angelum Tarentinum Archiepiscopos cum Iacobo Marescallo suo, & Odone de Palumbaria, viros, quorum fidem expertus fuerat, delegit, quorum etiam consilio & prudentia Marcoualdus Imperij Siniscallus, Dux Rauennæ & Romandiolæ, Marchio Anconæ, & Molisij, qui se pueri Regis baiulum esse iactabat, Insulamque Siciliæ cum Sarracenorum exercitu aggressus fuerat, victus, fugatusque est, de qua insigni victoria, deque ijs, quæ in ea gesta fuerant, Anselmus, qui omnibus interfuit, per epistolam certiorem reddidit Innocentium; eam leges in eiusdem Pontificis vita, quam nuper euulgauit Franciscus Bosquetus Narbonensis cũ eiusdem Pontificis Epistolarum registro. De controuersia Anselmi cum Episcopo Auersano, quem suffraganeum Ecclesiæ suæ existimabat, habetur in eiusdem Innocentij epistolis lib. 1. vide tom. 1. nostrum de Auersanis Episcopis iure inter Romanæ Ecclesiæ immediatè subiectis, vbi retulimus Callisti II. exemptionis diploma, quod deinceps alij Romani Pontifices post Innocentium asseruerunt, & in Registris Apostolicis passim obseruauimus, Auersanos Episcopos vsque ad hæc nostra tempora solum tanquam exemptos, Romanorum Pontificum veneratos esse arbitrium. Anno 1203. die 26. Februarij, Anselmo Archipræsule ossa S. Iulianæ Nicomediensis Virginis, & Martyris, ac Sancti Maximi Leuitæ Cumani inclyti Christi athletæ ex Cumana ciuitate sub Leone vltimo Cumano Episcopo Neapolim translata sunt, Iulianæ quidem ad Monasterium S. Mariæ Domnæ Aromatæ Sanctimonialium tunc Cisterciensis Ordinis, Maximi verò in Cathedrali Ecclesia religiosissimè recondita sunt. Translationis historiam scripsit Petrus Subdiaconus Neapolitanę Ecclesiæ. Capaccius lib. 2. hist. Neapol. nonnulla de hac translatione tradit, nouissimè à Caracciolo de eadem, deque Actis eorundem Sanctorum eruditissima instituitur narratio cap. 16. & 18. de sacris monumentis Neapolitanæ Ecclesiæ. De Iuliana Baronius in notis ad 16. Febr. Menologium Græcorum iussu Basilij Macedonis Imperatoris anno cõscriptum, quod extat m. s. in Biblioth. Vatic. quodque Petrus Archudius in Latinum vertit. Certamen huius S. Iulianæ Nicomediensis refert ad 21. Decembris in hæc verba. *Iuliana Martyr Maximiliano Imperatore Nicomediæ locupletibus nata parentibus desponsata fuit Eleusio viro patritio, adornabat igitur sponsus nuptias, cum Iuliana negauit se velle, nisi vrbis Præfecturam adipisceretur, quam cum ille assecutus esset, illa, nisi, inquit, Christianus fiat, me nunquam ducet vxorem. Quamobrem pater mœstus cepit sollicitare filiam, vt à Christo desisceret, & nuberet, quam in fide permanentem tradidit sponso & Præfecto, vt ex legibus quæstiori adhiberetur. Præfectus igitur totum Virginis sublimè pendentis per capillos corpus depecsit, cutē*

A *capiti detrahit, & in ignem conijcit; demùm cum multis alijs eius causa Christianis obtruncat.* & obiter hæc de sancta Iuliana. Porro Cœnobium illud, & Ecclesia Sanctæ Mariæ Domnæ Aromatum, vbi Iulianæ corpus fuit reconditum, aliquando denominatum inuenio S. Mariæ de Petreio de Cõstantinopoli, aliquando de Domna Romita. Verumtum sanè Sanctimonialium Cœnobium Ord. S. Basilij, deindè transijt ad Ord. Cisterciensem, forte Præsule Anselmo; cũ Moniales Petrei Cœnobij eiusdē Ord. in Græcia exædificati Neapolim transmigrassent, in eo suisse receptæ. In registro Caroli II. Regis habetur. *Conuentus S. Mariæ de Constantinopoli, ac Monialibus eiusdem Cõuentus Or-*
B *dinis Cistercienfis Neapol. commorantibus Rex Carolus confirmat donationem eisdem factam à Rege Carolo patre domorum regiarum sitarum in platea Nidi, vbi consistunt suum Monasterium.* Et in registro Roberti Regis. *Anno 1334. Monasterium Monialium Ecclesiæ S. Mariæ de Petreio de Constantinopoli Ord. Cistercensium regulæ Sancti Benedicti, &c.* & sub Ioanna II. anno 1419. *Plures Moniales Ecclesiæ S. Mariæ dominarum de Romania de Neapol. Ord. Cisterciensis, &c.* Floruit in hoc Cœnobio vita, & moribus ac Sãctimonia illustris Beatrix Aragonia regia stirpe nata, cuius venerabile corpus incorruptũ adhuc perseuerat: hæc anno Domini 1300. Cœnobium & Ecclesiam in-
C staurauit. Circa verò annum salutis 1460. Cistercienses huius Monasterij Sanctimoniales ad habitum nigrorum S. Benedicti, priore relicto instituto transierunt, quod adhuc retinent. Sed ad Anselmum redeamus, vnde digressi sumus. Is anno 1213. cum gratum, speciale mq; affectum gereret erga Ceimiliarcham, Clericosque Congregationis S. Saluatoris maioris Neapolitanæ Ecclesiæ, qui diminis officijs eiusdem Ecclesiæ iugiter incumbebant, eos eorumque successores, perpetuò ab omnibus collectis eximit, statuitque, vt tunc tantummodo collectis contribuerent, cum cæteri, tam maioris Ecclesiæ, quàm totius Cleri ad contributionem earundem personaliter compellerentur. vt ex eius litteris totius Capituli subscriptione munitis, quę
D sic se habent.

Anselmus miseratione diuina Neapolitanus Archiepiscopus dilectis in Domino filijs Aegidio Cimiliarchæ, & Clericis Congregationis Saluatoris in perpetuum.

Piæ postulatio voluntatis, effectu debet prosequente compleri, quatenus & deuotionis sinceritas, & vtilitas postulata vires indubitanter assumat. Cum ergo dilecte, & carissime in Domino fili Aegidi Cimiliarcha Neapolitanæ Ecclesiæ, tu & socij tui Clerici Congregationis Saluatoris humiliter, & frequenter supplicaueritis nobis, vt intuitu obsequiorum, quæ iugiter, ac studiosiùs impendebatis Neapolitanæ Ecclesiæ circa celebrationem

tionem diuinorum officiorum, prouidere debremus pauperi Cōgregationi veſtræ Saluatoris, videlicet ſuper grauaminibus, & damnis, quæ occaſione collectarum ſubſtinuerat, & frequentiùs ſuſtinebat. Nos tam ad ſupplicem poſtulationem veſtram, quàm & ad preces Capituli pro vobis nobis attentè porrectas, ſupplicationes veſtras tandem de ipſius Capituli conſilio benignè ſuper præmiſſis duximus admittendas; vnde nos volentes vobis & poſteris veſtris, qui diuinis officijs & eccleſiaſticis obſequijs Neapolitanæ Eccleſiæ iugiter inſudatis, ſuper hoc gratiam facere ſpecialem, authoritate præſentiū dictam Congregationem veſtram Saluatoris ab omni collecta eximimus, & amodò cenſemus eſſe immunem, ſtatuentes vt & vos fratres dictæ Cōgregationis Saluatoris tunc ſolum collectis faciendis teneamini conferre, quando & alij Clerici, tam noſtræ maioris Eccleſiæ, quàm & omnes alij de ciuitate ad cōtributum collectarum, quæ inciderint perſonaliter vocabuntur. Vt autem hoc noſtræ liberalitatis priuilegium vobis, & Congregationi veſtrę indultum futuris, perpetuiſque temporibus inuiolabiliter obſeruetur, ipſum noſtro patrocinio duximus roborandum, inhibentes, vt nulli omninò hominum liceat contra hoc noſtræ liberalitatis ſtatutum venire, vel ipſum auſu temerariò infringere, ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Dei omnipotentis, & B. Ianuarij Pontificis, & Martyris, & excommunicationem noſtram ſe nouerit incurſurum. Cæterum ad huius ſtatuti noſtri perpetuam firmitatem, hanc paginam inde fieri, & noſtro ſigillo iuſſimus communiri.

Actum milleſimo ducenteſimo tertio decimo anno Dominicæ Incarnationis, menſe Ianuarij, Indict. ſecunda.

† *Anſelmus Archiepiſcopus.*
† *Ego Dauferius Archiprimicerius Eccl. Neap. ſubſcripſi.*
† *Ego Pand. Archipresbyter Card. Eccl. Neap. ſubſcripſi.*
† *Ego Sen. Presbyter Eccleſiæ Neapolit. ſubſcripſi.*
† *Ego Lucas Presbyter Eccleſiæ Neapolit. ſubſcripſi.*
† *Ego Matthæus Presb. & Card Eccleſiæ Neap. ſubſ.*
† *Ego Maurus Presbyter & Cardinalis ſubſcripſi.*
† *Ego Donadeus Presb. ſubſ.*
† *Ego Aeg. Subdiac. ſubſ.*
† *Ego Bartholomæus Subdiac. ſubſ.*
† *Ego Sergius Sanſon. ſubſ.*
† *Ego Ioannes Subdiac. ſubſ.*
† *Ego Ioannes Eccleſiæ Neap. Archidiac. ſubſcripſi.*
† *Ego Bartholomæus Eccleſ. Neap. Diac. ſubſcripſi.*
† *Ego Ioannes . . . . . Diaconus ſubſcripſi.*
† *Ego Ioannes Neap. . . . . Diaconus ſubſcripſi.*
† *Ego G G. Eccleſiæ Neapolit. Diaconus ſubſcripſi.*
† *Ego Sergius Subdiac. ſubſ.*
† *Ego Donnus Subdiac. ſubſ.*
† *Ego Thomas Subdiac. ſubſ.*
† *Ego Petrus Subdiac. ſubſ.*
† *Ego Iacobus Subdiac. ſubſ.*

Hoc priuilegium impertiuit magiſter Aegidius de Arlano Cimeliarcha.

Eas Anſelmi litteras Gregorius Papa IX. Apoſtolica auctoritate roborauit ſub datum Reate 2. Kal. Iunij anno 1235. Pontificatus ſui octauo.

Ipſe verò Anſelmus optimus Præſul obijt anno 1215. die 21. Iunij, cuius anniuerſarium notatur eadem die in Emortuali Monialium Sanctæ Patriciæ, ſub quo fortaſſe Anſelmo Cumana Cathedralis, deſtructa ea ciuitate, Neapolitanæ Eccleſiæ cum ſuis bonis, iuribuſque vnita fuit, de qua alibi dictum. Defuncto Anſelmo Clericalis Senatus, quendam P. Subdiaconum, ac Notarium Apoſtolicum in Archiepiſcopum elegit, qui cum electioni ſuæ liberè nuncium renūiſſet, Honorius III. Pontifex Capitulo Neapolitano ſcripſit, mandauitque, vt reiteratis ſuffragijs alterum eligerent ſibi Archipræſulem, Litteræ datæ ſunt 7. Id. Ianuarij anno Pontificatus primo, qui fuit Chriſti 1216. in Regiſt. Vatic. extant fol. 33. anni 1. eiuſdem Honorij. Hunc, quem notauit Honorius littera P. perperam vocat Cioccarellus magiſtrum Thomam ex Panuinio, & Ciaccone.



15. PETRVM, quem vocant de Surrento, & aliqui ſcribunt de Serſalibus familia

lia nobili, & vetuſta natum, anno 1216. euocatunt ad Neapolitanam Eccleſiam, eius in Regiſtris Vaticanis non extat electio; tamen ad ipſum electū ſcribit Honorius III. 2. Kal. Auguſti anno 1. Pontiſ. ſalutis verò 1216. fol. 139. & Epiſtola 179. ann. 2. 6. Kal. Decembris contra quendam Caſertanum electum, vt de ijs, quæ illi obijciebantur diligenter ſe informaret, Apoſtolicamque Sedem certiorem faceret. Is electus cum conſenſu ſui Capituli, immunitates & exemptiones ab Anſelmo prædeceſſore ſuo Cimeliarchæ & Congregationi S. Saluatoris aſſertas confirmauit, vt ex eius diplomate liquet. Dat. Neapoli anno 1217. menſe Septemb. Indict. 6. cuius initiū. *Petrus Dei gratia Neapolitanus electus dilectis in Domino filijs Cimiliarchæ & fratribus Congregationis S. Saluatoris in perpetuum, &c.* in fine ſubſcribitur. *Ego Petrus Neapolitanus electus*. Quas etiam immunitates firmanit anno 1238. die 3. Ianuarij nouo cuſo diplomate. Ad eum ſcripſit Gregorius IX. decretalem Epiſtolam in cap. fin. de ſeruis non ordinandis. Anno 1231. Fratres Prædicatores Neapoli recepit exhortatus ab eodem Gregorio, ijs ad ipſum, Capitulumq; datis epiſtolis.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Venerabili Fratri Archiepiſcopo, & dilectis filijs Capitulo Neapolitano ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Quoniam creſcit diei malitia, & pericula temporis inualeſcunt; attēdens Euangelicus ille Pater familias, quod meſſis erat multa, operarij autem pauci, in meſſem ſuam operarios adhuc mittens in hac quaſi hora vndecima dilectos filios Fratres Ordinis Prędicatorum, velut nouos vinitores ſuæ vineæ ſuſcitauit, qui nō ſua, ſed quæ ſunt Ieſu Chriſti quærentes, tam contra profligandas hæreſes, quàm peſtes alias mortiferas extirpandas ſe dedicarunt euangelizationi verbi Dei in abiectione voluntariæ paupertatis. Nos igitur eorum pium & ſanctum propoſitum, ac miniſterium tam neceſſarium fauore beneuolo proſequētes, vniuerſitati veſtræ ipſos affectuosè duximus commendandos, per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus eos ad officium prædicandi, ad quod ſunt ſpecialiter deputati, benignè recipiatis, ac populos vobis commiſſos, vt ex ore ipſorum ſemen Verbi Dei deuotè ſuſcipiant, ſedulò commonentes, ob reuerentiam Apoſtolicæ Sedis & noſtram, liberaliter eis in ſuis neceſſitatibus aſſiſtatis. Ad hæc cum in Ciuitate Neapolitana locum aptum non habeant, in quo ſuorum offerant Domino vitulos labiorum, deuotionem veſtram rogamus, & exhortamur in Domino in remiſſionem vobis veſtrorum peccaminum iniungentes, quatenus in ciuitate ipſa locum eis ad hoc aptum prouideatis abſque iuris præiudicio alieni, ita quod ex hoc propitiationem diuinam faciliùs mereamini, & nos deuotionem veſtram poſſimus meritò commendare. *Datum Reate 14. Kal. Nouembris Pontiſ. noſtri anno quinto.*

Idem Pontifex alias litteras eiuſdem argumenti ſcripſit ad Populum Neapolitanum, quæ ſic habent.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Dilectis filijs Populo Neapolitano ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Quoniam creſcit diei malitia, & periculoſa tempora inualeſcunt; attendens Euangelicus ille pater familias, quod meſſis erat multa, operarij autem pauci, operarios adhuc mittens in hac quaſi hora vndecima dilectos filios Fratres Ordinis Prædicatorū, velut nouos vinitores ſuæ vineę ſuſcitauit, qui non ſua, ſed quæ ſunt Ieſu Chriſti quærētes tam contra profligandas hæreſes, quàm peſtes alias mortiferas extirpandas ſe dedicarunt euangelizationi verbi Dei in abiectione voluntariæ paupertatis. Nos igitur eorum pium, & ſanctum propoſitum, ac miniſteriū tam neceſſarium fauore beneuolo proſequentes, vniuerſitati veſtræ ipſos effectuosè duximus commendandos, per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus prædictis fratribus vobis ſeminantibus verbum Dei prędicationem eorum audientes, benignè ac deuotè ſuſcipientes, tanquam bona & fructifera terra pro vitiorum tribulis incipiatis virtutū ſegetem germinare & dicti fratres ſuſcepti miniſterij curſum feliciter conſūmando optatum reportent ſui laboris fructum, & finem, ſalutem videlicet animarum. *Datum Reate 13. Kal. Nouemb. Pontiſ. noſtri anno quinto.*

Petrus verò ijs Pōtificis litteris acceptis, eos honorificè excepit, atque Gaufrido de Caſtilione Mediolanenſi S.R.E. Cardinali, & Apoſtolicæ Sedis in Siciliæ regno Legato, id Petrum maximè hortante, dedit eis Petrus Eccleſiam Sancti Archangeli ad Morfiſam, cum inſigni ac peramplo adiacenti Monaſterio, quod Monachi è Diui Benedicti familia incolebant, qui libenter eum locum fratribus Prædicatoribus ceſſerunt, cum alia perampla Monaſteria Neapoli haberent; ſicque Monachi Monaſterium illud in manibus Petri Archiepiſcopi reſignarunt, is, Capitulo aſſentiente, Fratribus Prædicatoribus in perpetuum conceſſit habendum, quod adhuc retinent, & ex eorum inſtitutoris nomine Sancti Dominici Eccleſiā, ac cœnobium appellarunt, litteræ autem Petri Archiepiſcopi hæ ſunt.

Petrus miſeratione diuina humilis Neapolitanus Archiepiſcopus, dilecto in Chriſto filio Fratri Thomæ, ac vniuerſis Fratribus de Ordine Prædicatorum Neapoli perpetuò moraturis, ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus.

Recta regere ſatagentes, vt faciliùs aſpera conuertere poſſimus in plana, & diri-

ne

gere indirecta zelo domus Domini, cui ratione Pontificij ministramus viros electos à Domino secundum cor suum, & tanquam candelabra in domo Domini stabilitos ad habẽdam mansionem nobiscum, non rogati, nec etiam requisitis, eò debemus libentiùs inuitare, quò plurimum expedit euangelizare tanto populo verbum Dei, nec ipsi debent ad hoc se difficiles exhibere, ne talenta eis cõmissa Domino referant gratiosa, cum de talento sibi credito teneatur quilibet reddere rationem. Sanè etenim, sicut dolentes referimus, & referendo dolemus, insurrexerũt vulpeculæ caudas habentes ad inuicem colligatas ad Philistinorũ segetes depopulãdas, & demoliendam vineam Domini manifestè, dum hæretici qui tanquam lupi latrauerant inter agnos, per hamos sub esca latentes, per prædicationes suas videlicet, apertè nituntur ad prauitatem eorum adducere seductibiles animas Electorum. Cum igitur semper assumere soleant neglecta incendia vires, & antequam hæreticæ labis morbus tanquam fermentum se diffusius diffundendo ciuitatem Neapolitanam inficiat, quę solet vocari Parthenope, idest virgo, tanto sit celeri studio succurrendum, quanto in huiusmodi maximũ vertitur periculum animarum, suffulti auctoritate litterarum Domini Papæ, ac venerabilis Patris Domini Giffredi tit. S. Marci Presbyteri Cardinalis, viri dexteræ nobis assistentis à dextris, qui dextera diuina in Ecclesia Dei, velut Cedrus Libani altitudine contemplationis erectus virtutum odore suauis pro substentatione domus Domini, ad concedendum Fratribus Prædicatoribus in Neapoli perpetuam mansionem, diligentiùs nos induxit, & efficaciter excitauit, vt exindè iuuentus fidelium, sicut aquila renouetur, confortetur fides, & perfidia confundatur, cũ consensu Capituli nostri, & etiam dilectorũ filiorum Marci Abbatis, & Monachorum Monasterij Sancti Archangeli ad Morfisa de Neapoli, qui omnẽ ius, quod in eodem Monasterio competebat eisdem, in nostris manibus sine conditione qualibet resignarunt, & de consensu patronorum eiusdem Monasterij, præsentibus eodem Domino Cardinale, & venerabilibus Dominis Barensi Archiepiscopo, Magistro Ægidio Domini Papę Cappellano, Magistro Petro de Gregorio Basilicæ Beati Petri Principis Apostolorum Canonico, & quampluribus alijs, canonicè, liberè, & absolutè inuestimus te Fratrem Thomam, tam pro parte tua, quàm omnium aliorum Fratrum Ordinis Prædicatorum de ipso Monasterio, domibus, seu mansionibus omnibus, & hortis eiusdem, cum palatio magno & domibus, quę sunt extra Monasteriũ, videlicet illas, quæ sunt ante ipsam Ecclesiã Sancti Archangeli, & ante ipsum claustrum à parte Orientis, sicut protenditur vsque ad viam publicam, & sicut murus vltimus à parte meridiana ipsius claustri protenditur in directum, vsque ad viam publicam & possessionem exinde tradimus corporalem ad habendum, habitandum, ædificandum, reædificandum, & faciendum ex eis quicquid videbitur expedire, ita quod Abbas, & Monachi, vel aliquis alius nullam habeat potestatem in Monasterio, domibus, seu mãsionibus & hortis eisdem. Porrò reseruamus Abbati prædicto, vt in festiuitatibus Neapolitanæ Ecclesiæ inter alios Abbates recipiatur, & honoretur, ita tamen, quod nec re, nec nomine in iam dictis Monasterio, domibus, & hortis traditis Fratribus nominatis sibi possit in posterum iuris aliquid vendicare; quod si fortè iam dicti Fratres in Ciuitate Neapolitana manere noluerint, & voluntariè se omninò absentauerint, tunc Monasterium ipsum tam cum domibus, seu mansionibus ædificatis, vel ædificandis, hortis etiam & alijs possessionibus suis in statum pristinum restituatur. Ad hæc excommunicamus omnes contra statutum nostrum & ordinationes huiusmodi temerè venientes. Ad cuius rei memoriam & omnium fratrum cautelam, & perpetuam firmitatem præsens scriptura eis exindè per manus dilecti filij Petri dicti Papę publici Curiæ nostræ Notarij, qui omnibus ijs interfuit scribi fecimus, & tam subscriptionis nostræ, & sigilli, quam signi eiusdem Notarij, & subscriptionum Abbatis, & Capituli prædictorum munimine roborari.

Actum Neapoli Anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo primo, mensis Nouembris die primo, Indictione quinta. Ego Petrus dictus Papa Curiæ Domini Petri venerabilis Neapolitani Archiepiscopi publicus Notarius omnibus suprascriptis interfui, hoc instrumentum exindè ad mandatum eiusdem Domini Archiepiscopi scripsi, in publicam formam redegi, & proprio signo signaui, loco, anno, mense, die & indictione prætitulatis.

- † *Petrus Archiepiscopus.*
- † *Ego Auferius Archiprimicerius Eccles. Neap. subscripsi.*
- † *Ego Iacobus Presbyter Cardinalis subscripsi.*
- † *Ego Maurus Eccles. Neap. Presb. Card. subscripsi.*
- † *Ego Aegidius Cimiliarca subs.*
- † *Ego Cæsarius Card. Ecclesiæ Neapolit. subscripsi.*
- † *Ego Petrus Presbyter Cardinalis subscripsi.*
- † *Ego Marinus Casulla Subdiac. Ecclesiæ Neap. subs.*
- † *Ego Bartholomæus Eccles. Neap. Diac. subscripsi.*
- † *Ego Ioannes Neapolit. Eccles. Diaconus subscripsi.*
- † *Ego Matthæus de Duc. Eccles. Neap. humilis Diaconus subscripsi.*

† *Ego*

† *Ego Petrus Marius Ecclesiæ Neapolit. Diaconus.*
† *Ego Ioannes Ecclesiæ Neapol. Diaconus subscripsi.*
† *Ego Vulielmus Capice Diaconus subscripsi.*
† *Ego G. Sconditus subscripsi.*
† *Ego Iacobus de Matthæo Subdiaconus subscripsi.*

Pendet sigillum ceræ rubeæ cum serico rubeo, & effigie Episcopi in Pontificalibus, cum hac inscriptione,
Petrus Neapolitanus Archiepiscopus.

Alias etiam litteras idem Petrus dedit eisdem fratribus anno 1246. in hunc modum.

Petrus miseratione diuina humilis Neapolitanus Archiepiscopus, Dilectis in Christo filijs Conuentui Fratrum Prædicatorum Sancti Dominici in Neapoli, salutem in Domino sempiternam.

Iustis petentium desiderijs facilem nos conuenit præbere assensum, & vota, quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter, charissimi in Domino filij, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, donationem, seu concessionem à Fratre Ioanne Brâcazio quôdam Rectore Hospitalis S. Archâgeli de Morfisis de quodam horto ipsius hospitalis, cuius fines inferiùs designantur, cum C consensu & voluntate omnium patronorum hospitalis eiusdem vobis factam, ratam habentes, & firmam, eam vobis præsentis scripti patrocinio perpetuò confirmamus, & de speciali gratia quicquid iuris habemus in ipso, vobis duximus concedendum, fines quoque supradicti horti sunt ij, ab vna parte est hortus Ecclesiæ S. Dionysij, ab alia parte est Ecclesia vestra S. Dominici, ab alia parte sunt horti nobilis viri Sergij Scunditi, & nobilis mulieris Melegaytæ vxoris quondam Liguori Arcamoni, ab alia parte est hortus dictæ Ecclesiæ vestræ. Vt autem de ijs non possit in posterum dubitari, præsens scriptû per manus subscripti Notarij Bartholomæi de Magdalon, exinde fieri fecimus, nostri sigilli & eiusdem Notarij signi munimine roboratum. D

Actum Neapoli anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, die vigesimo quinto mensis Aprilis 4. Indict. Ego qui supra Bartholomæus de Magdalon, Ecclesiæ Neapolitanæ Clericus, & publicus Notarius de mandato ipsius Domini Archiepiscopi hoc scriptum scripsi, & in publicam formam, redegi & meo signo signaui.

Nulla adest subscriptio, nec dicti Archiepiscopi, nec Capituli, vel Canonicorum; verum dumtaxat pendet ex canapo sigillum cereum ex cera nempe rubea, cum effigie

A Episcopi Pontificalibus induti cum his litteris circumcirca sigillum.
Petrus Neapolitanus Archiepiscopus.

Hoc in Cœnobio deinde S. Dominici habitum sumpsit Angelicus Doctor S. Thomas de Aquino Ecclesiæ lumen & ornamentum, ex quo etiam alij viri præclarissimi prodiere. Ad eundem etiam Petrum scripsit Federicus II. Imper. & Siciliæ Rex die 11. Maij 1239. monuitque illum, vt secunda die postquam Capuam aduenisset, illuc se conferret, atque priuilegiû ab Henrico Imp. eius patre Ecclesiæ Neapolitanæ concessum, secum deferret, examinandum. Cæterùm Petrus Ecclesiam sibi concreditam non parum pijs operibus illustrauit, turrim etenim campanariam maioB ris Basilicæ è lenigatis marmoribus elaboratam erexit anno Domini 1233. vt vetus nuper inuenta inscriptio testatur.

Hanc petram Petrus Præsul ædificauit,
Quam Christus petram Petro Simoni similauit.
Surrentinatus, præsulque Neapolitanus
Mille ter vndenis annis, Dominique ducentis
Decantent turbæ Surrentinatus in vrbe
Vrbis P. sanè Prælatus Vergiliana
Quem Dominus elegit, feliciter hoc opus egit.

Item.

C *Annis viuentis Domini iam mille ducentis*
Ter denis ternis, si scripta legens benè cernis,
Intitulat gesta currens indictio sexta
Tunc anni Domini terdeni mille ducenti
Terni, cum cœpit opus hoc feliciter egit.
P. de Surrento tunc Præsul Neapolitanus,
Si benè scripta leges indictio sexta currebat.

Petrus quoque hic noster se admodum præbuit religiosum, ac pium erga sanctos, & præsertim eos, quorum pignora Neapoli asseruabantur, aut quorum solemnis in sua Ecclesia memoria haberetur, quò totum eius D animum conuertisse visus est; quandoquidê eorum gesta diligentissimè ex vetustis monumentis deprompta soluta oratione conscribi curauit, quorum adhuc aliquot Longobardo charactere in mêbranis scripta supersunt, inter quæ Sancti Aspren Neapolitani Episcopi vita, quam eius iussu Albericus quidam exarauit, vt eius præfatio docet, quæ incipiunt.

Sanctissimo, ac reuerentissimo Patri Petro Albericus filialis obsequij famulatum, &c. Extant Sanctæ Iulianæ virginis, ac martyris gesta in antiquis codicibus manuscriptis, è Græco in Latinum conuersa à Petro quodam huic nostro Petro Archiepiscopo directa, vt eius præfatio indicat, quæ sic incipiût.

Egre-

A *Egregio Patri Domino Petro S. Parthenopenſis Eccleſiæ optimo Paſtori, Petrus.*

Baronius etiam in addit. ad Martyrol. die 16. Febr. ait haberi Acta eiuſdem Sanctæ Fortunatæ in veteri m. s. codice, ex Græco in Latinum reddita à Petro quodam, qui ea ad Petrum Neapolitanum Archiepiſcopum direxit, vt eius præfatio docet.

Sancti etiam Chriſtophori Martyris geſta ab eodem Petro ipſius Archiepiſcopi mandato ſunt recenſita, vt hi verſus, qui inibi in fine leguntur, ſignificant.

Parthenopenſis apex Præſul per cuncta beate
Nectare ſaluifico redimitus munere diuo,
B *Petre, Petri meritis, qui te ſacrauit in vrbe,*
Sume tui Petri famulatum, mente benigna,
Quod patrauit ouans ad veſtri nominis odas,
De Chriſtophori laude, magnique triumphis
Martyris eximij pro Chriſti lege patratis, &c.

Sancti inſuper Georgij martyris acta ab eodem Petro repeti iuſſit, vt ex verſibus, qui in eorum calce referuntur, deprehendimus, hunc in modum.

C *Hæc tibi geſta dedit, Georgi martyr opime,*
Petrus, amore tuo ſentes pellendo malignas,
Præſulis egregij Petri præcepta ſecutus;
Iam pretioſa nitet tua paſſio, pugna, triumphi.

Et poſt nonnulla ſequitur idem auctor,

Sume pater patriæ præſul, per cuncta benigne
Petre, tui Petri famulatu quæſo libenter,
Quod tua ſancta mihi præcepit iuſſio ſari,
Scilicet vt tenebras Georgij martyris almi,
Famine pellendo luculentum dogma miniſtrem, &c.

D Idem quoq; Petrus illuſtre martyrium Sanctorum Quirici, & Iulittæ conſcripſit, atque huic noſtro Petro Archiepiſcopo, tunc fortè Eccleſiæ Neapolitanæ Diacono obtulit, vt ex eius præfatione perſpicitur, in qua habetur.


Horum itaque Sanctorum Patrum ſtudio motus ego Petrus veſtro animatus nectare, Parthenopenſis Eccleſiæ Leuita Petre, inquiſiuimus diligenter, &c.

In fine verò eorundem actorum multi leguntur verſus, quorum exordium eſt.

Suſcipe Petre libens Leuites celſa trophæa
Sanctorum, ſupplex Petrus quæ præbet amore.

Subſequente verò anno 1234. Fratres Minores Neapoli recipiuntur, tradita Eccleſia S. Laurentij ad Cœnobium exædificandum, quod ſub Carolo II. perfectum fuit ampliſſima qua nunc viſitur forma. Petrus verò optimè de Eccleſia Neapolitana meritus anno 1251. creditur defunctus ex electione Bernardini Succeſſoris in regeſtro Vatic. Innocentij IV. recenſita.

Hoc ipſo anno, quo Petrus Archiepiſcopus mortuus eſt, mortem oppetijt etiam Federicus II. Imp. quo etiam anno Idibus Decembris Innocentius IV. Neapolitanis conceſſa per Apoſtolicam Sedem priuilegia renouauit, collaudatis egregijs erga Apoſtolicã Sedem illorum operibus, ac ita ipſis flagitantibus ſanxit, vt nulli impoſterum Principi, ac Regi, ſed tantùm Romano Pontifici ſubeſſent, ac magiſtratus ſibi præficiendi libera facultate potirentur, modo tamen Eccleſiaſticæ libertatis cuſtos, Romanæque Eccleſiæ addictus eſſet. Diploma integrum leges apud Odericum Raynoldum tom. 13. Annal. Eccl. ad hunc annum.



16. M. BERNARDVM, vel Bernardinum Caracciolũ Rubeum de Neapoli Subdiaconum Apoſtolicum, & Decanum Pœnitentiariæ Apoſtolicæ electum Neapolitanum Archiepiſcopum commendat Neapolitano Capitulo Innocentius IV. anno Pontificatus ſui 9. die 4. Id. Ian. anno à Chriſti natiuitate 1252. vt in epiſt. 84. fol. 24. regiſtri Vatic. an. 9. Innocentij. Hic eſt ille Bernardus, ſeu Bernardinus Caracciolus Rubeus nobilitate generis & propria virtute vir longè clariſſimus, qui eximiè agendo tantam apud Innocentium Pontificem collegit gratiam, vt ab ipſo patriæ Sacerdotium obtinuerit, & ad trepida eccleſiaſtica negocia adhibitus ſit, adhucque electus Apoſtolicæ Sedis Legatus ad Pãnoniæ, Boemiæque Reges pro ſedandis diſſidijs inter eos deſtinaretur anno 1254. vt ex epi-

A epistola eiusdem Pontificis ad ipsum scripta habetur ex secreto Vat. regest. epist. 4. fol. 16. quam recitat Vvadingus noster to. 2. Annal. Minor. quæ sic incipit. *Electo Neapolitano Apostolicæ Sedis Legato. Venerabilis frater noster Zagabrien. Episcop. &c.*

Datum Anagniæ 3. Id. Iulij. anno 12. Eodem anno idem Innocentius defuncto Conrado Rege, ad possessionem Regni capessendam venit Neapolim, exceptus in Neapolitano Episcopio, ibique die 13. Decembris eiusdem anni diem suum clausit extremum, in Cathedrali sepultus, cui post multos annos Humbertus Archiepiscopus marmoreũ sepulchrum erexit, & inscriptionem leoninis versibus apposuit, quam habes apud Ciacconem. Conclaue in eodem Episcopio habitũ die 21. Decembris: salutatus est Summus Ecclesiæ Pontifex Alexander IV. coronatus in eadem Cathedrali die 13. Ianuarij ann. 1255. Die verò 15. eiusdem mensis Diui Dominici Ecclesiam consecrauit, vt testatur marmorea inscriptio ad parietes eiusdem Ecclesiæ posita.

Anno Domini M.CCLV. mense Ianuarij in Dominica de Nuptijs, consecrata est Ecclesia ista à Domino Alexandro Papa IV. ad honorem Dei, & Beati Dominici institutoris Ordinis Fratrum Prædicatorum in præsentia Cardinalium Episcoporum consistentium: qui omnibus verè pænitentibus, & confessis in anniuersario die dedicationis ipsis deuotionis causa annuatim venientibus vnum annum, & quadraginta dies de iniuncta sibi pœnitentia relaxauit. Pontificatus eius anno primo.

C Hoc eodem anno die 23. Maij, verba sunt Cioccarelli [dum Alexander Neapoli resideret in Bernardi, ac Neapolitani Capituli gratiam suo diplomate priuilegium, quod Sergius olim Neapolitanus Archipræsul Clericis Neapolitanis indulserat, benignè confirmauit. Anno vero 1261. vt in suis Diarijs Matthæus Spinellus è Iuuenatio scriptum reliquit, cum Neapolitana Ciuitas ab Vrbano IV. sacris esset interdicta, eò quod Manfredo Neapolitanorum Regi pareret, qui armorum vi Regis titulo, ac diademate assumpto, à Romana Sede non inuestitus, propria authoritate Regno hoc potiebatur, quamobrem ab eo Pontifice iussus est, vt Neapolitanum Regnum Romanæ Ecclesiæ dimitteret, & exinde discederet, is autem parere noluit, ac proinde acre bellum ab eo Pontifice eidem Regi inferri parabatur; Archiepiscopus verò Neapolitanus, non fracti pectoris, pro Romani Pontificis obedientia, eius Regis potentiam, atque indignationem haud veritus, ecclesiasticum interdictum seruauit, atque ab omnibus seruari præcepit, & neminem sacra conficere, nec sacris interesse patiebatur. Quamobrem Neapolitana vrbs tres viros nobiles ad eundem Regem in Apulis tũc cum exercitu consistentem, oratores misit, illum exorantes, vt Romanæ Ecclesiæ colla submitteret, & à Romano Pontifice pacem obtineret; erat enim ciuitas sacris interdicta, & Archiepiscopus missas celebrari prohibebat, nec etiam bellum, nec interdictum illud amplius ferre poterant; Rex verò Oratoribus respondit, id bellum non esse suæ culpæ adscribendum, sed Pontificis, qui è suo Regno illum eijcere vellet, seque Neapolim missurum tercentum Saracenos, qui ad missas per vim celebrandas presbyteros, ac fratres compellerent, cogerentque, eos verò qui missas recitare renuerent, ad triremes mitterent; At Oratores audacter ac verbis apertis Regi dixerunt, ne illos mitteret, ciuitas enim Neapolis Saracenos excipere, & hospitari nullo pacto volebat, eorum barbaros mores odentes, ac pertæsi, de quo Rex D grauiter turbatus est, ac ira succensus, nec tamen Saracenos misit. Hæc ille.

Subsequente verò anno 1262. Bernardus post annum decimum sui Archiepiscopatus, vir quippè laudatissimus, omnibus gratus, eximia nominis sui fama decessit tertio nonas Octobris in sacello familiæ suæ maioris Basilicæ sepultus, marmoreo, sublimique tumulo cum hac inscriptione.

Hic

Hic iacet corpus venerabilis in Christo Patris Domini Domini nostri Berardini Caraccioli Rubei de Neapoli Dei gratia Archiepiscopi Neapolis, & vtriusque Iuris Doctoris, ac Medicinæ scientiæ periti, qui obijt Anno Domini MCCLXII. tertio nonas Octobris.

Ioannes Caracciolus Rubeus nepos fieri fecit.



17. DELPHINVS quidam electus Neapolitanus creditur statim post Caraccioli obitum ann. 1263. cuius electionem non habemus in registris Vaticanis, memoratur tamen in diplomate Ayglerij successoris, quod in Archiuio fratrum Eremitarum Cœnobij S. Augustini Neapoli asseruatur, cuius C tenor talis est.

Ayglerius miseratione Diuina Neapolitanus Archiepiscopus.

Licet in bonis actibus misericordiæ opera existant præcipua; tamen ea potius renitent, quæ circa religiosas personas, & religiosa loca vberiùs exercentur. Hinc est igitur, quod cum religiosi viri Fratres Ordinis Sancti Augustini de consensu venerabilis viri Domini Dalphinatis Neapolitani Electi prædecessoris nostri, & Capituli Neapolitani in Ciuitate Neapolitana Ecclesiam S. Vincentij, quæ olim fuit Monasterium Monialium sine iure cimiterij fuerint assecuti, in qua habitarent, & Deo cultu deseruirent perpetuo in eadem, nec liceret eis huc- D usque vti prædicti loci cimiterio, etiam propria sponsione à quondam Fratre Thomasio Priore Pronìnciali eorum pro parte Ordinis tempore prædictæ concessionis exacta. Nos attendentes nunc, quod prædicti fratres propter religiosæ conuersationis fructum sunt amplius honorandi, permitrimus cum consensu & consilio Capituli nostri Neapolitani fratri N. Priori dicti loci & Fratribus prædictis in prædicto suo loco Neapolitano morantibus, & eorum successoribus nomine Ordinis Sancti Augustini in perpetuum, vt non obstante exceptione prædicti cimiterij, tempore eiusdem concessionis per prædictũ prædecessorem, & Capitulum nostrum facta, & prædicta promissione eorum eisdem exhibita, & sine eorum conniuentia nequaquam cimiterio vterentur, amodò valeant liberè, & legitimè vti cimiterio in loco prædicto, salua Ecclesiarum, à quibus defunctorum corpora assumuntur canonica portione. Vt B autem præsens indulgentia nostra robur obtineat firmitatis præsens priuilegium eisdem fratribus nomine Ordinis supradicti per manus Stephani de Sancto Georgio clerici, & publici Ecclesiæ Neapolitanæ Notarij scribi fecimus suo signo signatum, sigillo nostro munitum, subscriptionibus nostra, & prædicti nostri Neapolitani Capituli roboratum. *Actum Neapoli anno Natiuitatis Dominicæ millesimo ducentesimo septuagesimo, die Iouis vicesimo quarto mensis Aprilis tertiadecima Indictionis. Et ego Stephanus de S. Georgio clericus & publicus Ecclesiæ Neapolitanæ notarius prædictis rogatus interfui, & de mandato prædictorum Dominorum Archiepiscopi, & Capituli præsens exinde scriptum scripsi, & nostro consueto signo signaui.*

- † *Ego Ayglerius Neapolit. Archiepiscopus subsripsi.*
- † *Ego Riccardus Eccles. Neap. Archiprimicerius subscripsi.*
- † *Ego Simon Eccles. Neapol. Archipresb. Card. subscripsi.*
- † *Ego Simon Eccles. Neap. presbyt. Card. subscripsi.*
- † *Ego Simon Eccles. Neap. presbyt. Card. subscripsi.*
- † *Ego Petrus Cimeliarcha subscripsi.*
- † *Ego Lucas Eccles. Neapolit. Diaconus subscripsi.*
- † *Ego Ioannes Eccles. Neapolit. Diaconus subscripsi.*
- † *Ego Petrus Eccles. Neapolit. Diaconus subscripsi.*
- † *Ego Bartholomæus Eccles. Neapol. Diaconus subscripsi.*
- † *Ego Thomas Eccles. Neapolit. Diaconus subscripsi.*
- † *Ego Bartholomæus Eccles. Neapol. Diac. subscripsi.*
- † *Ego Thomas Subdiac. subscripsi.*
- † *Ego Petrus Subdiac. subs.*
- † *Ego Presbyter Bartholomæus Subdiac. subscripsi.*

† *Ego Rogerius Subdiac. ſubſ.*
† *Ego Presbyter Siſtus Subdiaconus ſubſcripſi.*
† *Ego Presbyter Ioannes Subdiaconus ſubſcripſi.*
† *Ego Petrus Presbyt. Subdiac. ſubſ.*
† *Ego Beneuenutus Subdiac. ſubſcripſi.*
† *Ego Petrus Subdiac. ſubſcripſi.*
† *Ego Petrus Subdiac. ſubſcripſi.*
† *Ego Landulphus Subdiac. ſubſcripſi.*
† *Ego Iacobus Subdiac. ſubſcripſi.*
† *Ego Bartholomaus Subdiac. ſubſ.*
† *Ego Marcus Presbyter Subdiaconus ſubſcripſi.*
† *Ego Ioannes Subdiac. ſubſcripſi.*
† *Ego Landulphus Subdiac. ſubſcripſi.*
Ego Thomas Subdiac. ſubſcripſi.

Fit etiam mentio eiuſdem Archiepiſcopi Electi in antiquis Anniuerſariorũ libris Monaſterij S. Patriciæ, in quibus die 8. Februarij ſic legitur. *Dominicus Dalſinas Electus Neapolit.*

Ferunt poſt Delphinum ab Clemente IV. electum fuiſſe Neapolitanum Archiepiſcopũ Sanctum Thomam Aquinatem anno 1265. ſed pro ſua humilitate dignitatem illam vltrò ei oblatam modeſtè reſpuiſſe: at regiſt. Vatic. Clementis de hac re altum ſilentium tenuit, fortaſſe ſub Vrbano IV. id contigiſſe oportet, vt quidam ſcribunt, defuncto Caracciolo.



18. AYGLERIVS patria Burgundus, nobilibuſque ortus parentibus ex Abbate Monaſterij Athanaſienſis Lugdunenſis Diœceſis Ordinis S. Benedicti Neapolitanæ Sedi regendæ admotus eſt à Clemente IV. Pontifice 4. Kal. Nouembr. ann. 1265. Pontif. ſui 1. id clare habemus ex litteris eiuſdem Pontificis ad ipſum Ayglerium Neapolitanum electum, quæ extant in Regeſt. Vatican. ann. 1. epiſt. 137. fol. 101. Hic autem Ayglerius, vt generis nobilitate, & monachali diſciplina fulgens, ita virtutum omnium inſignis in Ar-

A chiepiſcopatus dignitate conſtitutus, ad deceſſorum ſuorum glorioſa geſta, quibus de Neapolitana Eccleſia fuerat benemeriti, maiora etiam incrementa ſuperaddere conſtituit; toto enim 17. annorum, quo præfuit tempore, plura iura iam deperdita ſumma induſtria, & indefeſſo labore recuperauit, aliaque noua decora acquiſiuit, regnantibus Carolo I. & II. Andegauenſibus, vt paſſim in regis Archiuij monumentis de ijs mentio habetur: eo namque Archipræſule Carolus ab Vrbano IV. in Regnum vtriuſque Siciliæ accitus, deinde Clemente IV. ſedente anno 1266. die Epiphaniæ Romæ in Lateranenſi Baſilica vnà cum vxore Beatrice in Regem
B vtriuſque Siciliæ coronatus, deinde victo, occiſoque Manfredo Regnum totum ſuæ ſubiecit poteſtati, exultante Ayglerio, qui cum contra Manfredum pro Carolo, Neapolitanos ciues prouocaſſet, gratiam Caroli promeruit, & multa à grato Rege priuilegia & immunitates obtinuit. Hunc idem Carolus Rex anno 1274. vnà cum Abbate Caſſinenſi (erat hic Bernardus Ayglerij germanus frater) oratorem miſit ad Gregorium X. vt ſcribit Corius in hiſtoria Mediolanenſi, eodemque anno ad Lugdunenſe Concilium mandato Regis proficiſcitur, vbi interfuit ſub eodem Pōtifice. Eidem Ayglerio, & Capitulo Neapolitano ſcripſit Clemens IV. non. Ianuarij, Pontif. 2. de translationis feſtiuitate D. Martyris Ianuarij, quæ prius agebatur 19. Septembris, vt in poſterum 8. Idus Maij cele-
C braretur indulſit, epiſt. eſt 121. fol. 102. eiuſdem regeſt. Vatic. anno 1269. Sede Romana vacante confirmauit ex ſui Capituli conſenſu donationem quandam domorum, quas patroni Eccleſiæ S. Archangeli Fratribus Ordinis Prædicatorum pro eorum Cœnobij ampliatione dono dederant. Confirmationis documentum eſt huiuſmodi ab exemplari, quod in Cœnobio Sancti Dominici Neapolis aſſeruatur.

Vniuerſis præſens litteras inſpecturis. Ayglerius miſeratione diuina Sancta Neapolitana Eccleſiæ humilis Archiepiſcopus ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus.

Olim piæ memoriæ Dominus Petrus Neapolitanus Archiepiſcopus anteceſſor
D noſter ſolerti volens diligentia procurare ſalutem gregis ſibi commiſſi, vnà cum conſenſu ſui Capituli Monaſterium S. Archangeli, quod dicitur de Illa-morfiza, de conſenſu patronorum eiuſdem Monaſterij cum domibus, & curte, & horto, quę fuerant infra portam præſcripti Monaſterij cum palatio magno, & quibuſdam alijs domibus, quæ fuerant extra Monaſterium prædictum, donauit, conceſſit, obtulit dilectis in Domino Fratribus Ordinis Prædicatorum ad faciendum ibidem Eccleſiã, & officinas ſuis vſibus opportunas, in quibus poſſent deuotam Domino reddere famulatum, & ſaluti prędictæ ſeruenti ſtudio vacare. Reliqua verò bona eiuſdẽ Mona-

Monaſterij cum domibus, hortis, cellarijs, cellis, & omnibus terris, fundis, & quibuslibet tenimentis ad ipſum Monaſterium ſpectantibus conſtauit in vnum, vt ex ijs, & in ijs bonis hoſpitale vnum fieret ad opus pauperum perpetuis temporibus permanſurum, factumque eſt, prout idem antecessor piè ac religosè de bonis huiuſmodi ordinauit, ſtatuens vt Hoſpitalarius, qui pro tempore in hoſpitali eſſet eodem, nullam habeat poteſtatem, vel licentiam aliquo pacto, vel modo, aut ingenio aliquid vendere, donare, vel infiduciare, aut alienare de poſſeſſionibus hoſpitalis prædicti, & ſi ſecus faceret, vacuum maneret, & res, ſeu poſſeſſio qualitercunque alienata, gratis ad hoſpitale rediret prædictũ. Et ſi quis in . . . . . . temerario auſu contra ordinationem eiuſdem Archiepiſcopi facere præſumeret, eſſet anathematis vinculis adſtrictus, ſicut nobis conſtitit per facti euidentiam, & inſtrumentum publicum per manum Ioannis Scriniarij inde confectũ. Verùm cum ijdem Fratres Prædicatores in Monaſterio prædicto, & Eccleſia ad honōrē B. Dominici Confeſſoris conſtructa, officinas ſufficientes nō habeant ibidem, patroni omnes hoſpitalis prædicti, & Sancti Archangeli, qui appellatur de illis Scirrufi, domos quaſdã iuxta ipſos fratres ſitas habentes ab vna parte curtem communem, qua itur ad domos Domini Philippi de Acerris, & iuxta ipſam curtem, Eccleſiam S. Saluatoris de illis Caralulis ad ipſum hoſpitale de iure ſpectantes; quæ domus ex ordinatione antecesſoris eiuſdem hoſpitalis ſunt applicatæ prædicto fratri Iacobo Vicario fratri Eufrenonis Prioris cōuentus eorundem fratrum ipſius Eccleſiæ Sancti Dominici, & ipſius Conuentus fratribus, & Eccleſiæ Sancti Dominici tanquam benemeritis, & quia multa bona hoſpitali contulerunt eidem, & poſſunt inſuturum cōferre, concesſerunt, dederunt, & liberaliter obtulerunt ab ipſis perpetuis temporibus poſſidendas, & vt de ipſis faciant prout ipſis placebit, & videbitur expedire, ſecundum quod nobis pleniſſimè conſtat ex inſtrumento manu Petri Grucialma publici Ciuitatis Neapolitanæ annalis Notarij, quod oculis noſtris aſpeximus, plenè vidimus contineri. Nos verò diligentiùs attendentes, quod per eoſdem fratres cura nobis gregis commiſſi ſollicitè procuratur, vtileſque adiutores noſtri exiſtunt, quorum ad hoc feruenter aſpicitur affectio, vt per eorum miniſterium ſalus proueniat animarum, de conſenſu, & voluntate Capituli noſtri, petitionibus eorundem Fratrum Prædicatorum grato concurrentes aſſenſu, quicquid ab ipſis patronis in hac parte geſtum eſt & factum, ex certa ſcientia approbamus, ratum habemus, & auctoritate ordinaria confirmamus ipſis Priori & Fratribus præſens ſcriptum ad cautelam & futurorum memoriam concedimus, & ſigilli noſtri munimine, & ſubſcriptionibus manus clericorum eiuſdem Capituli roboratum.

Datum Neapoli 6. Idus Iunij anno Domini MCC.LXIX. Indictione 12. Apoſtolica Sede vacante.

† *Ego Ayglerius Neapolit. Archiepiſcopus ſubſcripſi.*
† *Ego Riccardus Eccl. Neap. Archiprimicerius ſubſcripſi.*
† *Ego Simon Eccl. Neap. Archipresbyter ſubſcripſi.*
† *Ego Simon Eccl. Neapolit. Presb. Card. ſubſcripſi.*
† *Ego. . . . . Eccl. Neapol. Card. ſubſcripſi.*
† *Ego. . . . Eccleſiæ Neap. Card. ſubſcripſi.*
† *Ego Petrus Presb & Cimellarcha Neap. Eccleſ. ſubſcripſi.*
† *Ego Lucas Eccleſiæ Neapolit. Diaconus ſubſcripſi.*
† *Ego Philippus Eccleſiæ Neap. Diaconus ſubſcripſi.*
† *Ego Petrus Eccleſ. Neapolit. Diaconus ſubſcripſi.*
† *Ego Thomaſius Eccleſ. Neapolit. Diac. ſubſcripſi.*
† *Ego Bartholomæus Sichimar Eccleſiæ Neap. Diaconus ſubſ.*
† *Ego Presbyter Bartholomæus Subdiac. ſubſcripſi.*
† *Ego Rogerius Subdiac. ſubſcripſi.*
† *Ego Petrus Subdiac. ſubſ.*
† *Ego Presb. Ioannes ſubſ.*
† *Ego Beneuenutus Subdiac. ſubſ.*
† *Ego Petrus Subdiac. ſubſ.*
† *Ego Landulphus Subdiac. ſubſ.*
† *Ego Thomaſius Subdiac. ſubſ.*
† *Ego Presbyter Leonardus Subdiaconus ſubſcripſi.*
† *Ego Iacobus Subdiac. ſubſ.*
† *Ego Ioannes Subdiac. ſubſ.*
† *Ego Bartholomæus Subdiac. ſubſ.*
† *Ego Presbyter Marcus ſubſ.*
† *Ego Sergius Subdiac. ſubſ.*

Pendet ſigillum è cera rubea, in quo adeſt effigies Epiſcopi Pontificalibus induti, nempe cum planeta ſacerdotali, mitra, & baculo paſtorali cum litteris circumcirca.

Ayglerius Archiepiſcopus Neap.

Ayglerius tandem meritis, laudibuſque grauis deceſſit Neapoli anno Domini 1281. 8. Id. Nouembris, humatus in Cathedrali. Humbertus de Moote aureo poſt aliquot annos eius ſucceſſor nobilem tumulum marmoribus, & muſiuo opere decoratum erexit, iſque verſibus exornauit.

Ayglerius Præſul Parthenopenſis, & exul
A mundi pœna, paradiſi guſtat amœna,
Natio Burgunda generoſi ſanguinis vnda,
Genuit ecce virum virtutum munere mirum,

Clauditur hac tumba nitens velut alba columba.
Quem tumulauit ita Humbertus Metropolita.
Anno milleno tercentum, ter quoque quino,
Præteri is membris, bis ter de menſe Nouembris.

Eius obitus dies in veteri emortuali Caſſinenſis Cœnobij ita notatur. 8. *Idus Nouembris obijt Ayglerius Archiepiſcopus Neapolitanus & Monachus.* Capitulum verò Neapolitanæ Eccleſiæ ſingulis annis anniuerſarium eiuſdem celebrare cõſueuit in die obitus 6. Nouembris. ita in Anniuerſariorum libro legitur, *die 6. Nouembris depoſitio Domini Archiepiſcopi Ayglerij.* quod benè concordat. Vacauit Sedes Neapolitana poſt Ayglerij mortem aliquot annos. Qua tempeſtate Siculi contra Carolum Regem, Galloſq; coniurationem habuerunt. Dicta die ad expleudã rem, vt cum primum Veſperarum Nola exaudiretur, vbique Galli, nullo ſexus, ætatis, ordiniſque diſcrimine facto ad internecionem tota Inſula cederentur. Qua in re ita ſancitum eſt ab hoſtibus, vt mulieres à Gallis cõpreſſæ & prægnantes, ne vlla inſenſi generis proles ſupereſſet, necatæ traderentur. Hinc Veſperarum Sicularum prouerbium manauit. Accidit Gallis clades anno Chriſti 1281. Caroli Regni 49. fer. 2. Paſchatis, rerum nõuarum initio à Panormitanis facto. Carolus autem audita Siculorum defectione & ſæuitia cum magnis copijs in Siciliam traijciens, primò Meſſanam Vrbem obſidet, quam certè per deditionem tandem accepiſſet, niſi Galli, vltionis cupidi deleturos ſe vrbem minati fuiſſent. Tum verò Petrus Arago tantos motus expectans, & ea de re certior factus, è Sardinia propè in Siciliam cum ingenti claſſe Panormum profectus, ingenti totius Inſulæ concurſu Rex Siciliæ ſalutatur. Inde cum Carolus maritimis, terreſtribuſque copijs ita venienti inſiſteret, vt acriùs non poſſet ex vtraque parte pugnari, Rex Arago præſens periculum noua arte diſcuſſit, Carolo ad equeſtre paucorum certamen Burdegalæ prouocato, eluſoque. Ad hæc Rogerius Doria Claſſis Hiſpaniæ Præfectus Carolum Claudum Caroli Regis filium iuuenem improbum haud procul Neapoli ad certamen elicuit, eumque naualì prælio victum cœpit; prinſquam pater, qui haud longè aberat cum Regia claſſe adeſſet. Captiuus igitur in Siciliam abductus primum Arci Metagyphoniæ Meſſanenſi, tum Cephaleditanæ Mamertinorum detinetur. Quod verò Siculi eius vitæ grauiſſimis, & frequentiſſimis inſidijs imminerent, Conſtantia Regina, & Aragonis vxor ſanguinarijs eorum manibus ſubductum in Aragoniã clàm tranſmiſit. Vbi cum in vinculis Barcinonæ haberetur, Carolus pater ætate, luctu, tædio rerũ aduerſarum, dum Calabrorum, Apulorum,

A Lucanorum, Picentinorumque vrbes ad cõfirmandos animos circuit, morbo correptus deceſſit anno 1284. ætatis ſuæ 56. cui ſucceſſit Carolus idem filius eius adhuc captiuus. Corpus Neapolim delatum in Cathedrali à ſe exædificari cœpta conditum fuit cum hoc Epitaphio.

Conditur hac parua Carolus Rex primus in vrna
Parthenopis, Galli ſanguinis altus honos;
Cui ſceptrum & vitam ſors abſtulit inuida, quando
Illius famam perdere non potuit.

B Præterito ſæculo Caroli & alterius Caroli eius Nepotis Pannoniæ Regis & Clementiæ eiuſdem vxoris tumulis è priori loco ſupra maiores fores Eccleſiæ translatis, aliud cõmune appoſitum fuit cœnotaphium hiſce verbis conſcriptum.

Carolo I. Andegauenſi Templi huius extructori, Carolo Martello Hungariæ Regi, & Clementiæ eius vxori Rodulphi Caſ. F. Ne Regis Neapolitani, eiuſque nepotis, & Auſtriaci ſanguinis Reginæ debito ſine honore iacerent oſſa, Henricus Guſmanus Oliuarenſium Comes Philippi III. Auſtriaci regis in hoc Regno Viceſgerens Pietatis ergo poſuit, Anno Domini MDIC.



19. PHILIPPVS Minutulus Neapolitanus Canonicus haud vulgari Iuris vtriuſque ſcientia

ſcientia & eruditione ornatus, quem moderatio animi, nobilitaſque generis eximiè cōmendabat; quamobrem Caroli I. Regis charus, fuit ſanctioris conclauis, atque domeſticus declaratus. Orator fuit vnà cum Andrea de Capua ad cenſum ſoluendum Sedi Apoſtolicæ Viterbij in peruigilio Apoſtolorum Petri & Pauli, pro ipſo Carolo Rege anno 1271. in Tuſcia deinde cum Piſanis conuentiones inijt, quas idem Rex ſuis litteris confirmauit 4. Iulij 1272. quibus muneribus cumulatiſſimè etiam ſub Carolo II. tunc Salerni Principe, functus, Neapolitano Archiepiſcopatu exornatus eſt circa annum Domini 1285. Melphię Conuentui celebrato à Roberto Atrebatenſi Comite, atque Carolo Martello Caroli II. Regis primogenito, Regni pro eodem Vicarius interfuit cum Prælatis, ac proceribus anno 1288. Hoc eodem anno, eodemque Archipræſule conciliati inter ſe Reges Aragoniæ, & Siciliæ adhortante Nicolao IV. Summo Pontifice, opera verò Eduardi Anglorum Regis, pacem certis conditionibus inierunt, quibus legibus Carolus dimiſſus in Gallias primùm acceſſit, deinde in Italiam profectus ad Pontificem Nicolaum IV. acceſſit, à quo honorificè ſuſceptus Regni confirmatione obtenta, Reatæ in Cathedrali die Pentecoſtes, vtriuſque Regni diadema Pontificis manibus ſuſcepit Kal. Iunij beneficiario iure, cum in Pontificis verba iuraſſet vtriuſque Siciliæ Rex appellatus anno 1289. Cæterùm Philippi frequens mentio eſt in regijs regiſtris, quibus plures prænotantur gratiæ à Carolo eidem Archipræſuli, regioque Conſiliario, & Eccleſiæ Neapolitanæ elargitæ.

Eo etiam Præſule idem Carolus Rex Maiorem Neapolitanam Eccleſiam in honorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ Aſſumptæ cœpit magnificètius reædificare in eam, quæ hactenus conſpicitur formā: ampliſſimę conſtitutioni non defuerunt Philippi ſollicitudo, ac Neapolitanorum Ciuiū pietas. Hanc auguſtiſſimam Baſilicam abſoluit deinde Robertus Rex. Sunt qui ſcribant Carolum I. illam primùm cœpiſſe ædificare, Carolum II. proſequutū patris voluntatem, ferè abſolutā reliquiſſe, abſoluiſſe verò Robertū: vt vt fuerit, in Carolum II. ac Philippum Archipræſulem huius auguſtiſſimę molitionis gloriam refundunt Regij Archiuij monumenta. Hoc ferè tempore, anno ſcilicet 1294. Cœleſtinus Papa V. poſt ſuam coronationem, rogatu Caroli Regis Neapolim acceſſit, in Arce noua cum Rege habitauit, cuius precibus menſe Septēbri duodecim patres legit viros doctrina, & vitæ integritate præſtantes, & cum cogitaret Pontificatui cedere, iuſſu Regis intimata fuit ſolemnis ſupplicatio à clero, populoque Neapolitanis; cœtui princeps erat Philippus Archiepiſcopus, à quo humiliter, gemebunda, altaq; voce rogatur Pontifex, ne ſe abdicet dignitate. Cœleſtinus verò per vnum ex Epiſcopis, qui tunc aſſiſtebant, reſponſum dedit, id facturum, quod Deus diſpoſuiſſet: tandem Papatui renunciauit die 13. Decembris eiuſdem anni: ibidem in eius locum Bonifacius VIII. renunciatus eſt Pontifex 25. Decembris, reuoluente deinde anno Philippus conuentionem inijt cum Carolo Rege circa decimas Neapolitano Archiepiſcopo, eiuſque Eccleſiæ debitas; ac modum illas exigendi, quæ per multos annos ſeruata fuit, tunc Rex attento Eccleſiæ Neapolitanæ iure, tum quoque deuotione, fide & obſeruantia ei à Philippo Archiepiſcopo aſſiduè præſtita, & quā tunc exhibere non deſinebat, per ſuum diploma perpetuò eidem, eiuſque ſucceſſoribus Archiepiſcopis, vt decimæ à Regibus ſingulis annis exſoluerentur indulſit. Scriptum eſt diploma Neap. die 24. Nouemb. 1296. Indict. 10. Vixit Philippus II. maxima integritatis fama, quippè cui pietas, diuinique cultus amor, & in Regem egregia fidelitas maximè cordi eſſet. Neapoli mortem oppetijt 24. Octobris anno 1301. & in Cathedrali gentilitio ſacello conditus, in nobili marmoreo tumulo hoc affixo epitaphio.

Magnanimus, conſtans, prudens, famaque ſerenus;
Philippus Præſul morum dulcedine plenus,
Minutulus, patriæ decus, flos alta propago,
Hic ſilet, hic tegitur, iacet hic probitatis imago.


Meminit Philippi huius Neapolitani Archiepiſcopi Ioannes Boccacius eius æui ſcriptor in Decamerone dieta ſecunda in quinta fabula de Andreuccio quodam Peruſino, fuiſſe, ait, ſepultum Philippum cum pretioſis ornamentis, atque annulo, cui chriſolithus appoſitus erat valoris vltra quingentorum florenorum auri, atque à latronibus eius ſechrum fuiſſe violatum, ornamentis & anulo indè ſubreptis.



20. Fr. IACOBVS Viterbienſis Ordin. Ere-

Eremitarum S. Auguſtini, ſacrarum literarũ ab acri, profundoq; ingenio Speculatiuus Doctor appellatus ex Archiepiſc. Beneuentano ad hanc Neapolitanam Eccleſiam, poſtulante Carolo II. Rege à Bonifacio VIII. translatus anno 1302. 2. Id. Nouemb. Philippo immediatè ſucceſſit, quam Eccleſiam per ſex ipſos annos prudentiſſimè, ac ſanctiſſimè adminiſtrauit, uſque diuinum incorruptè dixit, ſcriptis ſuis, ac ſanctimonia vitæ clarus ex hac mortali vita deceſſit anno 1308. ad cuius preces Carolus Rex priuilegia, ac iura omnia à ſuis prædeceſſoribus Eccleſiæ Neapolitanæ elargita benignè aſſeruit anno 1306. die 25. Maij. Meminit præter alios Herreta in Alphabeto Auguſtiniano, vbi eius monumẽta poſteris relicta recenſet: Aloyſius verò B Taurellus Doctus amicus noſter inter Beatos Auguſtinianos Fratres Iacobum commemorat lib. de viris ſanctitate Illuſt. Ordin. Eremitarum S. Auguſtini Centuria 2. cap. 50. De quo adiectum epigramma ſcripſit Nicephorus Sebaſtus Meliſſenus eiuſdem Ordinis nobilis alumnus, eruditusque Poeta, ſummæ beneuolentiæ vinculo nobis coniunctus.

Diceris Antiſtes, magnus Speculator in aulis,
Diuina hæc merito nomina ſcripta docent.
Lucta erit hinc ingens, magnum certamen, an iſti ab
Inſula, an à libris gloria tanta venit?
Sed componamus; dum libros Patria laudat,
Virtutes celebrat Parthenope alma tuas.



21. HVMBERTVS, ſeu VMBERTVS, ſiue IMBERTVS, ſic in diuerſis monumentis legitur, paternum genus ex antiqua in Burgundia Monte aureorum gente duxit, ex Gallijs Neapolim venit, Caroli I. Regis tẽporibus, eoque regnante varia cum laude prudentiæ ſubiuit munera. Sub Carolo II.

A Conſiliarius Regius fuit. Abbas quoque Eccleſiæ S. Mariæ Furcellenſis ad Plateam, & Canonicus Neapolitanæ Eccleſiæ: vertebatur annus Domini 1308. cum defuncto Iacobo, Humbertus omnium Canonicorum conſentientibus calculis Neapolitanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus electus eſt, Pontificatum iniit à Clemente V. confirmatus 16. Kalen. Aprilis eiuſdem anni, vt in regiſt. Vatic. eiuſdem Pontificis legitur epiſt. 285. fol. 53. Sequenti deinde anno 1309. Moritur Carolus Rex Neapoli ætatis ſuæ 60. morienti piè adfuit bonus Humbertus, ac in Cathedrali iuſta perſoluit, cuius corpus in Prouinciam, vt teſtamento mandauerat, delatum, ſepelitur Aquis Sextijs in Monaſterio Monialium B Nazareth, quod fundauerat & dotauerat; inſigni pietate Princeps, Religionis amãtiſſimus, Monaſteriorum & Templorum fundationibus, & ædificijs addictiſſimus. Robertus Dux Calabriæ eius filius Auenionem profectus vtriuſque Siciliæ Rex à Clemente V. coronatus eſt, cui fidei Sacramentum præſtitit. Humbertus verò Præſul ſummo ingenio, multa morum elegantia, & maxima pietate fuit inſignis, erga virorum Illuſtrium, Sanctorumque memoriam pius & gratus, quippe qui Innocentij IV. Romani Pontificis corpus obſcuro in loco, & tanto viro parum digno humatum in marmoreo ſublimi ſepulchro in maiori Eccleſia collocauit, leoninis quoque verſibus cœnotaphium appoC ſuit. Aygleri j conciuis, ac anteceſſoris ſui oſſa tranſtulit in nobile è marmoribus muſiuo opere cõpactum ſepulchrũ in ſacello D. Pauli eiuſdem Cathedralis recondidit, addidit inſcriptionem ſupra relatam. Lipſana quoque S. Seueri Neapolitani Epiſcopi in S. Georgij Martyris Baſilica ferè obſcura iacentia, in eiuſdem Eccleſiæ illuſtriorem locum, maius nempe Altare intus marmoream arcam collocauit, in eaque etiam pulcherrimam vmbellam è leuigatis marmoribus quatuor ſuffultam columnis, quatuor etiam Euangeliſtarum ſimulacris aptauit, ſolemnique pompa tranſtulit anno 1310. ſequenti appoſito epigrammate in marmore inciſo.

D
Poſt annos Domini bis quinos mille treſcentos
Dum ſedet Antiſtes pius hac Humbertus in Vrbe
Huius Eccleſia Petrus Barenſis habetur
Rector, agit vernam menſis dum Martius auram
Præſulis eſt ſancti translatio facta Seueri.

Fuit Humbertus diuini cultus amantiſſimus, ad quem ſummopere augendũ, quaſdã pias conſtitutiones confecit, perpetuò in maiori Eccleſia ſeruandas, poſtquam eiuſdẽ Eccleſiæ conſtructio, iam indè inchoata, abſoluta eſſet, quo in opere multum ex ſuo ære contulit, multumq; auri pondus à Carolo II.

Ro-

Robertoque filio Regibus liberaliter accepit, pluribusque donis eam Ecclesiam cumulauit, hæc habentur regiæ litteræ eorundem Regum, ad ipsum Humbertum apud reg. Regist. Anno 1318. idem Robertus Rex Auenionem ad Apostolicam Sedem profectus, Humbertum, euius prudentia, in rebus Regni administrãdis nota erat, Consiliarium dedit Carolo Duci Calabriæ primogenito suo, quem Vicariũ suum in Regni administratione constituerat, vt assiduè ad omnia regni negocia eidem Hũbertus more suo prudentissimè operam suam nanaret, vt ex litteris Roberti habetur ijs verbis conceptis.

A

Robertus &c. Venerabili in Christo Patri Domino Humberto Dei gratia Archiepiscopo Neapolitano, dilecto Consiliario, & familiari suo gratiam, &c.

B

Sinceritatis vestræ probata constãtia, & dona gratuita, quibus vos diuina bonitas insigniuit, merentur & exigunt, vt de persona vestra specialiter confidamus. Sanè attendentes instanter salutis ac dore præuio ad Romanam Curiam pro nostris arduis negotijs & expressis opportunè prouidemus, quod apud Carolum primogenitum nostrum Ducem Calabriæ & in Regno nostro Siciliæ Vicarium generalem remaneatis consiliarius specialis, deuotionem vestram requirentes, & hortantes, expressè nihilominus iniungentes, vt tam circa ministrandã iustitiã, quàm circa alia, quæ ad bonum statum Regni nostri Siciliæ, nostrosque honores, & commoda decenter pertinere noscuntur assistatis eidem, assiduè vestris discretis consilijs, & informationibus fructuosis.

C

Datum Neapoli per Bartholomæum de Capua militem, &c. anno Domini 1318. die penultimo Iunij prima Indictionis, regnorũ nostrorum anno decimo.

Hac ferè tempestate Humberto Archiepiscopo, & Angelo Viterbiensi Episcopo à Ioanne XXII. Pontifice commissa est inquisitio vitæ & miraculorum, ac processus formandi S. Thomæ Aquinatis in albũ Sanctorũ adscribendi: vbi cum Humbertus pro Sancto laboraret in acutissimam febrim incidit, adeo, vt de eius salute desperaretur: imploravit Aquinatis auxilium, meruit à Deo liberari, cœptumque munus prosequutus ad Põtificem Acta transmisit, quibus deinde Thomas Sanctorum numero adscriptus est ab eodem. Sedit hic bonus Pastor annis 12. Finis vitæ eius 3. Iulij 1320. corpus defertur in Cathedralem publico funere celebrato, ibi conditum est in Sacello ab ipso exædificato: Clerus benemeriti Archipræsulis tumulum & memoriam excitarunt in marmore.

D

Anno Domini MCCCXX. Indict. iij. die xiij. Iulij Obijt Dominus Humbertus de Monte aureo natione Burgundus, Venerabilis Neapolitanus Archiepiscopus, qui sedit annis xij. mensibus xij. diebus xxviij. cuius anima requiescat in pace. Amen.



22. M. MATTHÆVS Philamarinus, parentes eius clari generis, Iacobus pater, Mariotta Caracciola, vir doctrina, ingenio & multa rerum experientia celebris, quippe qui sub Carolo II. Robertoque Regibus ad Clementem V. Pontificem nuper electum, ad Galliæ Regem, & in Liguria functus est legationibus præclarissimè; inter Regios Consiliarios ascitus, magnæ Curiæ Appellationũ Iudex, sigilli regij custos, studij Neapolitani regens aliquando fuit, magnis item Sacerdotijs cohonestatus, Archiepiscopus diù antea à Barensi sacro Senatu postulatus, tandem in demortui Humberti locum à Capitulo Neapolitanus Archipræsul adlectus est, mortalitatem expleuit antequam munus consecrationis acciperet, circa annum Domini 1322. an confirmatus à Pontifice, incertum: habemus tamen illum electum in litteris Roberti Regis datis anno 1325. quæ extant in eisdẽ Regis regesto signato F. fol. 16. in hunc modum.

Robertus, &c.

Tenore præsentium notum facimus vniuersis, quod vacantibus pridem, dum nunc proximè abessemus de Regno, per obitum Venerabilis Patris Matthæi Filimarini de Neapoli Electi Neapolitani, Ecclesijs Sã-

cti Anelli, Sancti Siluestri, SS. Cosmæ & Damiani, & Sancti Seuerini Piczuli in Ciuitate Neapolis positis, in quibus nobis, seu nostræ Curiæ ius competit patronatus. *Karolus* Dux Calabriæ primogenitus noster carissimus, & Vicarius generalis, Nicolaum *Pignatellum* clericum filium *Pandulfi Pignatelli* de Neapoli militis deuoti nostri Rectorem in eisdē Ecclesijs Capiculo maioris Neapolitanæ Ecclesiæ tunc pastore vacante. infra debita tempora præsentauit, requirens Dux idem præfatum Capitulum per suas litteras speciales, vt eundem Clericum Rectorem institueret in Ecclesijs prælibatis, propter quod pro parte Nicolai antedicti nobis fuit supplicatum, humiliter præsentationem factam per Ducem præfatum confirmare pro abundantiori cautela de innata nobis clementia dignaremur. Nos itaque cum processibus primogeniti nostri.

Desunt nonnulla, deinde sequitur, *ratificamus*.

Harum litterarum data dies ex præcedentibus omninò censenda est 8. Aprilis 1325. Indict. 8. Sed ad eundem Matthæum Filimarinum Canonicum Neapolitanum scribit Benedictus Papa XI. Dat. Later. 7. Kal. Decemb. Pontif. sui anno 1. in regest. Vatic. epist. 149. Nuper tanti *Præsulis* memoriam excitauit Ascanius Filamarinus S.R.E. Card. Archiepiscopus Neapolitanus eius gentilis in Neapolitana Ecclesia Pario marmore sic proloquente.

Memoriæ
Matthæi Philamarini
Iacobi, & Mariottæ Caracciolæ filij
Archiepiscopi Neapolitani
Summis honoribus apud Reges Carolum & Robertum
Amplissimisque legationibus
Ad Clementem V. P. M. aliosque
Principes
Magna cum fide, ac prudentia functi.
Ascanius Philamarinus
S. R. E. Cardinalis
Archiepiscopus Neapolitanus
Posuit; Anno MDCXLII.
Qui cum maiorum suorum ossa
In SS. Apostolorum ædem
transtulit
Antiquo familiæ sepulchri solo
ad sacrarum reliquiarum
S. Ianuarij
amplificandum concesso
Antistitis de hoc templo
optimè meriti
cineres ab eius gremio
haud remouendos putauit.
Obijt Anno MCCCXXIII.
Ætatis suæ LXI.



23. M. BERTVLDVS, seu BERTOLDVS Vrsinus, de filijs Vrsi, Romanæ nobilitatis clarissimæ *Humberto* immediatè successit confirmatus 7. Id. Nouemb. anno 1322. à Ioanne XXII. Pontif. anno 7. vt in regist. Vatic. epist. 1027. legitur.

Erat tunc Bertoldus Montis Falisci Præpositus, ac S. Nicolai Barensis Prior, Roberto, & Carolo Regibus à consilijs propter probitatem, ac prudentiam carissimus, quem idem Robertus Consiliariū, ac directorem Caroli Calabriæ Ducis filij sui ad regia peragenda negocia, eo absente constituit vnà cum eius fratre Ponzello Vrsino. Memoratur adhuc electus anno 1324. 16. Aprilis in litteris Caroli. Sequenti verò munus consecrationis accepit: id docent litteræ Roberti ad Vrbis Vicarios, in quibus Bertuldus Archiepiscopus Neap. asseritur.

Robertus Dei gratia Rex Ierusalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ, Prouinciæ & Forcalquerij, ac Pedimontis Comes, Almæ Vrbis Senator per Sanctam Romanam Ecclesiam constitutus, Vicarijs suis in ipsa vrbe præsentibus, & futuris, fidelibus sui gratiam suam, & bonam voluntatem.

Certa suadente causa volumus, & fidelitati vestræ præsentium tenore mandamus, quatenus familiares venerabilis in Christo Patris Bertuldi de filijs Vrsi de Vrbe Neapolitani Archiepiscopi, dilecti consiliarij, familiaris & fidelis nostri in vrbe prædicta degentis, homines quidem bonæ famæ, conuersatio-

A fationis, & vitæ, quorum nomina & cognomina vobis in scriptis sub sigillo suo tradi volumus pro cautela, prætextu portationis armorum prohibitorum, quæ successiuè detulerint, dummodo illa pro cautela ipsorum, & nullius offensa deferant, nec abutantur eisdem, in personis, vel rebus eorum, durante Maiestatis nostræ beneplacito, & quandiù armis non abutuntur huiusmodi, nullatenus molestetis, præsentibus, præmisso beneplacito nostro durante iam dicto modo efficaciter valituris.

Data Neapoli anno Domini 1325. *die primo Februarij* 8. *Ind. regnorum nostrorum anno* 16.

B Bertoldus Romæ eo ipso annò 1325. vel initio sequentis decessit, Romanæ Ecclesiæ in ca Vrbe Præsidens, vbi in Patrum sepulchro conditus iacet. De eius in vrbe excessu, ac dignitate Romanæ Ecclesiæ Præsidentis habetur mentio in litteris Ioannis XXII. ad Anibaldum successorem. Primo Bertuldi Pôtificatus anno obijt Maria Caroli II. quondã Regis vxor, quæ vetustum Cœnobium, & Ecclesiam S. Mariæ de Domna Regina Ord. S. Benedicti restituit, eiusque auctoritate, suppresso Monastico Ordine, Moniales Sanctę Claræ in eo sunt intromissæ. Iacet Maria in nobili tumulo marmoreo, vbi legentibus prostat hæc inscriptio.

Hic requiescit sanctæ memoriæ Excellentissima Domina Domina Maria Dei gratia Hierusalem, Siciliæ, Vnghariæque Regina, magnifici Principis quõdam Stephani gratia Regis Vnghariæ, ac relicta claræ memoriæ inclyti Principis Domini Caroli II. & mater Serenissimi Principis, & D. Roberti eadem Gratia Dei dictorum Regnorum Hierusalem, Siciliæ Regum illustrium, quæ Obijt anno Dom. M.CCC.XXIII. Ind. vj. die xxv. mensis Martij, cuius anima requiescat in pace. Amen.



24. ANIBALDVS de Ceccano Henricus Campanus ex Archidiacono Atrebatẽsi, S. Theologiæ eximius Doctor, Bertudo defuncto immediatè successit, ad hanc dignitatem vocatus à Ioanne XXII. anno 1326. 9. Kal. Maij, Pontif. 10. ita in Reg. Vatic. epist. 1374. Vertente verò anno 1327. ob eximias eius animi dotes ab eodem Pontifice Episcopus Cardinalis Tusculanus creatus est, eodemq; anno Neapolitano Sacerdotio se abdicauit. Fuit Anibaldus nobilitate generis multis, clarisque legationibus eloquentia, ac eruditionẽ vir fanè percelebris: vitas, Beatorum Petri & Pauli Christi Apostolorum doctissimis commentarijs heroico versu conscripsit, teste Guilelmo Exsemgreinco, quorum meminit Posseuinus Apparatus sacri tom. 1. Eius præ-
C claros labores pro Romana Ecclesia obitos Odericus Raynoldus in Eccles. Annal. to. 14. Ciacconus & alij recensent. Obijt mense Iulio anno 1350. 16. Kal. Aug. in Campania; legatione Neapolitana. Cadauer Romam relatum, pompa solemni ad S. Petri Basilicam sepultum est.



D

25. IOANNES Vrsinus Romanus, Neapollonis Vrsini magni Regni Logothetæ ac Protonotarij viri clarissimi germanus frater,

cxi-

eximiæ doctrinæ & laudibus præſtās ad Neapolitanum Sacerdotium aſſumptus à Ioanne XXII. anno 1328. Hic autem, vt Cioccarelli in Catal. verbis vtar, [vbi primùm pontificatum iniit, nihil quod boni paſtoris munus decet prætermiſit; etenim ad cleri, omniumq; ſibi commiſſarum motum reformationem, atque abuſus, qui paulatim irrepſerant, tollendos, ſexaginta quatuor Synodales conſtitutiones cum Capituli aſſenſu & voto edidit, in quibus aliquot eius prædeceſſorum ſtatutis, ac conſtitutionibus confirmatis, & pluribus à ſe additis, omnes alias, tam ab ipſo, quàm à prædeceſſoribus editas, eo in volumine non inſertas, caſſas ac irritas fecit, firmis tamen ſtatutis, & conſtitutionibus per eum, ſeu eius Vicarios ordinatis inter Vaſſallos Neapolitanæ Eccleſiæ, cuius exordium. *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Beatæ virginis glorioſæ matris eius, Beatæ Catharinæ Martyris, & B. Ianuarij, totiuſque cœleſtis Curiæ Amen. Nos Ioannes Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Neapolitanus, ſuſcepti paſtoralis regiminis cura ſollicitat ſic vtilitatibus ſubiectorum, in illis partibus, quæ animarum ſaluti conſulunt, &c.*

Eæ conſtitutiones excuſæ leguntur. Omnes item cæremonias, conſuetudines & ſolemnitates Eccleſiæ ſuæ ſeruari ſolitas in ſcriptis redigi curauit, reformauit, & obſeruari iuſſit eodem anno 1337. Cumque ſua ab Eccleſia per diuturnum temporis ſpatium, rebus ſic exigentibus abfuiſſet, reuerſus multa reperit innouata; quapropter vti bonus paſtor ad illa benè conſtituenda mentem conuertens, atque comperiens Capitulum ſuæ Eccleſiæ cum tam oneroſa Canonicorū multitudine ſe grauatum conſpiceret, ſicut ipſi dicebant, vt præter confuſionem, quæ ex ſuperflua & inutili multitudine, plerumque oriri aſſolet, redditus etiam minimè ſuppeterent, adeo vt ij non abſque penuria vitam ducere potuiſſent, atque eam ob cauſam Canonicos ſeſe ſtricto ſacramento obſtrinxiſſe, nulli in futurum Canonicorum creationi aſſentiri, nec electum admittendum ab eis fore, adeo quod Canonicorum numerus ita diminutus eſſet, partim ad maiorem dignitatem aſſumptis, partim vero defunctis, & alio modo deficientibus, vt pauci eſſent, quique ad eius Eccleſiæ ſeruitium minimè ſufficerēt, quod quidem Ioannes Archiepiſcopus tandiū in remotis agens ignorauerat, cumque Neapolim reuerſus alios Canonicos in vacantium locum cum Capituli conſenſu, vt ſolitum fuerat, creare vellet, Capitulum aſſentiri recuſauit in periurij reatum incurrere inſimulans, quamobrem non parua inter Archiepiſcopum, & Capitulum altercatio exorta eſt; habito tandem conuentionis iucundæ, cum eodem Capitulo tractatu, & adhibito inſignium ſacræ Theologiæ, ac legum Doctorum, atque virorum eruditorum voto,

A in eam tandem conuentionem deuentum eſt, vt Canonicorum numerus nullo vnquam futuro tempore quadragenatium excederet, optimè enim, & commodè ex facultatibus, quas Canonici in communi obtinebant, ſuſtentari poterant. Declaratum eſt etiam eorūdem Canonicorum collationem ad Archiepiſcopum vnà cum Capitulo ex more ſpectare, reſeruatis Canonicatibus, qui præbendati vocantur, quorum ordinatio ex immemorabili tempore Archiepiſcopo dumtaxat pertinere noſcitur, vt ex eius conuentionis tabulis Neapoli die 10. Decembris 1343. rogatus per Martinum Marſiam de Alareo clericum Apoſtolica auctoritate Notarium, atque ipſius Archiepiſcopi, omniumque Ca-

B nonicorum ſubſcriptionibus roboratis, quæ penès Capitulum aſſeruantur, perſpicitur. Eoque Præſule Ioannes XXII. Pontifex ſpeciali affectu Eccleſiam Neapolitanam proſequens anno 1332. pannum quendam aureum Sancti Ianuarij præcipui Ciuitatis patroni geſtis affabrè inſignitum eidem Archiepiſcopo, & eius Capitulo dono miſit, præcipiens, in eadem Eccleſia piè perpetuò aſſeruari, vt nobis eiuſdem Pontificis diplomata ſignificant, hunc in modum,

Ioannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Venerabili Fratri Archiepiſcopo, & dilectis filijs Capitulo Neapolitano.

C Eccleſiam Neapolitanam, ad quam dilectionis, & deuotionis ſpecialis affectū gerimus, honorare volentes, quendam pannum aureum imaginibus Beati Ianuarij Martyris, cuius corpus in eadem requieſcit Eccleſia hiſtoriatum decenter, vt accepimus, de pecunia noſtra emptum, quem dilectus filius magiſter Raymundus de Salgis Canonicus Pariſienſis Cappellanus noſter tunc in partibus illis Apoſtolicæ Sedis Nuncius, penes dilectos filios Mercatores Societatis Bonaccurſorum de Florentia, commorantes Neapoli, quouſque nos de illo aliter ordinaremus depoſuit conſeruandum, memoratæ Neapolitanæ Eccleſiæ ob diuinam & eiuſdē

D Sancti reuerentiam, pro decore & ornatu ipſius Eccleſiæ damus & concedimus de gratia ſpeciali. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus pānum ipſum, quem per alias litteras mercatoribus prædictis ditectas vobis, per eos aſſignari mandamus, ſuſcipientes deuotè, illum ordinetis & diſponatis in eadem Eccleſia pro ornatu & decore huiuſmodi perpetuo conſeruandum.

Datum Auinioni 15. Kal. Septembr. Pontific. noſtri anno 18.

Eiſdem Mercatoribus.

Cum quendam pannum aureum imaginibus Beati Ianuarij Martyris hiſtoriatum, quem dilectus filius magiſter Raymun-

mundus de Salgis Canonicus Parisiensis A Cappellanus noster penes vos deposuit conseruandum Ecclesiæ Neapolitanę, pro decore, ac ornatu ipsius ob diuinam, & ipsius Sancti reuerentiam dederimus, & concesserimus, de gratia speciali, discretioni vestræ præsentium tenore mandamus, quatenus venerabili fratri nostro Archiepiscopo, & dilectis filijs Capitulo Neapolitano dictum pannū pro ornatu & decore huiusmodi perpetuò conseruandum in eadem Ecclesia studeatis celeriter assignare: facientes super eadem assignatione confici publicum instrumētum, seriem præsentium continens, illud fideliter nobis transmissuri.

Datum vt supra. Hæc ille.

Fuisse Ioannem Archiepiscopum à Benedicto XII. Pontifice anno 1334. eius Pontificatus primo constitutum vrbis Vicarium, scribit Franciscus Bosquetus in Romanorū Pontificum Historia in notis ad vitam eiusdem Pontificis: quo anno Sancia Regina Roberti Regis vxor Monasterium S. Mariæ Magdalenæ Neapoli condidit pro mulieribus pœnitentibus, quæ relictis mundi illecebris, ad meliorem frugem anhelarent; in quo centum sexaginta sex vnum votum Religiosorum more in manibus Ioannis Archiepiscopi solemne emiserunt. Locum ex voto religiosissimæ Reginæ ab ordinaria iurisdictione idem exemit Ioannes: cura eiusdem Monasterij perpetuò tradita est Fratribus Ord. Minorum. De eius templi constructione inscriptio marmorea in turri Campanaria posita.

Illustris, clarus Robertus Rex Siculorum,
Sancia Regina praelucens cardine morum,
Cleri consortes virtutum munere fortes
Virginis hoc Clara Templum struxere beata,
Postea dotarunt, donis multisque bearunt.
Viuant contente Domine, Fratresque Minores.
Sancta cum vita virtutibus & redimita.
Anno milleno centeno ter sociato
Deno, fundare Templum cœpere Magistri.

Anno vero 1330. Ioannes XXII. Pontifex perpetuam cōcessit indulgentiam idem templum visitantibus, vt ex altera ibidem inscriptione conscripta legitur.

Anno milleno terdeno consociato,
Et trecenteno, quo Christus nos reparauit,
Eleuses cunctas concessit Papa Ioannes.
Virginis huic Clara Templo virtute colendo.
Obtinuit mundo toto quas Ordo Minorum.
Si vos Sanctorum cupitis vitamque piorum.
Hoc ô credentes, veniatis ad hos reuerentes,
Dicite quod gentes hoc credant quasi legentes.

Solemnissima pompa templum hoc consecratū fuit anno 1340. à Præsulibus aliquot, assistente Rege, pluribusque Principibus, ac Dynastis, de qua ibidem duæ aliæ leguntur inscriptiones ad rei futuram memoriam.

Anno sub Domini milleno Virgine nati,
Et trecenteno coniuncto cum quadrageno.
Octauo cursu currens indictio stabat.
Prælati multi sacrarunt hic numerati
G. Pius hoc sacrat Brundisi Metropolita,
Ro. Bari Præsul, B. sacrat & ipse Tranensis,
B *I. dedit Amalfa dignum, dat Contia Petrum*
Po. maris Castrum Vicus I. G. datque Miletum,
G. Boianum, murum fert N. venerandum.

In alia inscriptione.

Rex, & Regina stant hic multis sociati
Vngariæ Regis generosa stirpe creatus
Conspicit Andreas Calabrorum Dux veneratus,
Dux pia Dux magna consort huic Ioanna
Neptis regalis sociat soror ipsa Maria,
Illustris Princeps Robertus & ipse Tarenti,
C *Hoc Dux Duracij Karolus spectat reuerendus*
Suntque duo Fratres Ludouicus & ipse Robertus.

In hoc regio templo idem Robertus Rex cum Regina Sancia vxore sua conditus iacet: in eoque tumulata fuit Ioanna I. Regina, alijque ex regia gente, quorum inscriptiones recensuit Engenius in sua Neapoli sacra. De hoc templo, ac cœnobij fundatione legendus Vadingus tom. 3. Annal. Minor. Hoc tēpore Benedictus idem Papa XII. præcepit Roberto Regi, vt fidelitatis iuramentum, ac ligium homagium Apostolicæ Sedis nomine præstaret Bertrando Ebredunensi Archiepi-
D scopo Apostolico Nuncio, & Ioanni Archiepiscopo, quod fecit Rex, eo scilicet modo, quo Carolus I. auus eius iurauerat, vt Bzouius scribit 14. to Annal. Eccles. ad annum 1335. *Eo quoque Præsule anno 1340. cum Armenus quidam Neapolim appulisset, quem fratrem Apostolum appellabant, qui nec iuxta Romanæ Ecclesiæ ritum sanctum baptisma susceperat, nec Catholicæ Ecclesiæ vnitate fideliter sociatus Nicopolitani Archiepiscopi titulum indignè sibi vsurpauerat, Latinos clericos ordinare audebat, altaria, atque Ecclesias cōsecrare, sanctum* Chrisma *conficere, Latinorumque fontes inungere, ne dum Ecclesiam scindebat; verùm etiam simplicium virorū animos erroribus implebat, quamobrem Be-*

nedictus XXII. Ioanni Archiepiscopo præcepit, vt illico eum capere, & sub fida custodia ad ipsum Auenionem transmitteret. Hæc Bzouius ex litteris Benedicti ad Ioannem eūdem 14. tom. ad annum 1340. Per eadem tempora ex Ioannis Archiepiscopi assensu cœptum est ædificari Cœnobium & Ecclesia S. Ioannis de Carbonara Ord. Eremitarum Sancti Augustini, ex quo viri Sanctimonia vitæ, & doctrina illustres prodiere. Hic iacent ossa Beati Christiani Franchi vnius ex assiduis huius Ecclesiæ fundatoribus, primus Carbonariæ Congregationis Generalis Vicarius, qui sub Ladislao Rege mira sanctitate floruit. Interfuit deinde Ioannes solemni coronationi Ioannę I. Reginæ Neapoli celebratæ in S. Claræ Aede die 30. Augusti 1344. per Americū S.R.E. Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum, assistentibus cum Ioanne compluribus Regni Prælatis ac proceribus, militibusque innumeris. Robertus enim Rex Carolum vnicum filium susceperat, vulgo Sineterra dictum, sed ex Maria Valesia coniuge Ioannam primogenitam & Mariam. Carolus filius Patri prædecessit. Robertus Ioānam testamento fecit hæredem, quam iussit nubere Andreæ filio Humberti Nepotis Caroli Martelli Regis Pannonię, mense Septembri anno 1333. Dehinc paulò ante mortem, quæ anno 1344. accidit, Ioannæ, Andreæque nuptias peregit, cum per annos trigintaquinque Regnum produxisset, sepultus in sua Neapoli in Ecclesia Sanctæ Claræ cum hoc elogio.

Aspice Robertum Regem virtute refertum.

Hic iurisdictionis & iuris studiosus, quo die Carolum filium vnicum maximæ spei adolescentem, vnicamque spem regni amisit, nullo luctu, qui acerbissimus erat, potuit debilitari, quin eo die regni negotia explicauerit, edixerit, lites audierit, atque diremerit, vt testis est, & ait ille qui aderat doctissimus illius temporis Petrarcha.
Hunc denique Regem doctissimum, & humanissimum tradit historia.

A Porrò Carolus Robertus filius iacet in eadem Ecclesia propè patrem, cum hoc epitaphio.

Hic iacet Illustris Dominus Carolus Primogenitus Serenissimi Domini nostri Domini Roberti Dei gratia Hierusalem, & Siciliæ Regis inclyti Dux Calabriæ, & præfati Domini nostri Regis Vicarius Generalis, qui iustitiæ præcipuus zelator, & cultor, ac reipublicæ strenuus defensor, obijt autem Neapol. Catholicè receptis Sacrosanctæ Ecclesiæ omnibus Sacramentis Anno Domini MCCCXXVIII. Indict. xij. anno ætatis xxx. regnante feliciter præfato Domino nostro Rege Regnorum eius anno xx.

B

C Ioannes verò Archipræsul plurimum gratia apud eandem Ioannam Reginam valuit, cuius beneficio aucta est Archiepiscopalis iurisdictio, ac priuilegijs exornata: multorum quoque inuidorum, inimicorumque suorū in se aliquando sensit aculeos; quin etiam parum abfuit, vt ab ipsis in meridiana luce occideretur: etenim anno 1355. cum è Sancti Seuerini cœnobij Ord. Sancti Benedicti digressus, & domum rediret in vestibulo fere templi S. Stephani propè Cathedralem à Philippo & Vitello, atque Ioanne Raynaldi de Minutulis inhumaniter appressus, equo proiectus in terram, lapidibus, ac ferro vulneratus, vix viuus euasit, à quibusdam in eius auxilium prolapsis adiutus, occiso ex eius famulis vno, D desęuientium inimicorum iram elusit, ita vt per aliquot deinde annos Ecclesiæ suæ habenas rexerit. Hoc execrabile facinus cum audiuisset Clemens VI. Summus Pontifex, ita excanduit, vt facinorosos auctores diris deuouerit, eorumque bona publicauerit & omnibus dignitatibus priuauerit, atq; ad futuram rei memoriā hoc cusit diploma, quod exscripsit ex Vatic. reg. Bzouius in Eccles. Annal. to. 14.

Ad futuram rei memoriam.

☞ Solent peruersæ mentes in superbiam erigi, quoties pro qualitate criminum pœnas meritas non senserunt, & quantum erga eas iudicantis fuit pia magis auctoritas,

tantùm

tantum ipsæ factæ sunt ad flagitia proniores: A obrepit enim quasi morbus iniquitas, & sicut ille cum factus fuerit, ex negligentia chronicus, salutarem vim refugit pigmentorum, sic ista nisi rigore fuerit sævientis repressa iustitiæ, contemnit leges, abijcit canones, despicit Sanctiones. Oportet ergo Præsidentem esse sollicitum, vt in virga iustitiæ peruersorū compescat audaciam, insolentium licentiam frænet, ac allidat molimina iniquorum, sicque animaduersione digna quæque flagitia recompenset, quod reus criminis habeat in pœna, quod doleat, & peccandi licentiam neglecta correctio in alios non deriuet. Nam quò in facinorosos, & malos sæuitur iustè, rigidiùs, eò bonorum quieti prouidetur tutiùs, eò securitati consulitur vtilius innocentium. B Dudum siquidem cum fama publica ad nostrum perduxisset auditum, & id esset ita notorium, quod tergiuersatione aliqua occultari non posset, quod cum venerabilis frater noster Ioannes Archiepiscopus Neapolitanus de Monasterio Sancti Seuerini Neapolitan. Ord. Sancti Benedicti ordinario sibi iure subiecto, in quo dilecto filio Abbati & Conuentui dicti Monasterij officium visitationis impenderat, ad suum ostium remearet, nobiles viri Philippus Minutulus dictus Pallotta, & Vrsillus Minutulus milites, ac Ioannes Raynaldi Minutulus Domicellus Neapolitanus temerata iustitiæ regula, æquitatis iure corrupto, lege modestiæ violata, reuerentia calcata paterna, & dominij timore contempto, C associatis sibi quibusdam eorum in hac parte complicibus, & insidijs præparatis, propè Ecclesiam S. Stephani Neapolitan. in eundē Archiepiscopum patrem & pastorem animarum suarum temerè irruerant, & iniectis in eum manibus violentis, ipsum de equo, cui tunc insedebat, turpiter præcipitantes, ad terram crebris in eum ictibus ensium, & cōcussionibus lapidum, velut reum multorum criminum grauiter vulnerarant, & vno interempto nequiter, ac percussis atrociter quibusdam alijs familiaribus dicti Archiepiscopi, qui tantæ præsumptionis, & temeritatis ignari immuniti armis, & zelo fidelitatis armati, defensioni eiusdem Archiepiscopi pro viribus D insistebant, ipsum quoque Archiepiscopum interficere conabantur, & procul dubio interfecissent eundem, nisi ad clamorem circūstantium concurrentes vndique populi se ministris Sathanæ obiecissent. Nos tantum facinus, tantumque fidelium scandalum, ac tātam vniuersalis Ecclesiæ contumeliam, nolentes sub nocinæ conniuentiæ pallio relinquere incorruptam, præfatos milites & Domicellum auctoritate Apostolica peremptorie citandos duximus per publicæ citationis edictum, modum citationis huiusmodi ex certis causis rationabiliter eligentes, vt die secunda huius mensis proxima præterita hora Consistoriali, quam eis pro peremptorio termino duximus assignandam, comparerent personaliter in Consistorio coram Nobis visuri, & audituri declarationem, & promulgationem, ac inflictionem pœnarum per nos contra eos auctore Domino faciendas, apertè prædicētes eisdem, quod siue in huiusmodi termino comparerent, siue non, nos contra ipsos ad declarationem, promulgationem, & inflictionem pœnarum huiusmodi procederemus, prout iustitia suaderet, tanti exigerent atrocitas criminis, ac nobis expediens videretur, prout in nostris litteris inde confectis hæc & alia plenius continentur: ac deinde adueniēte huiusmodi termino, & in eo præfatis militibus, & Domicello pro se, vel alio, qui eorum absentiam legitimis excusationibus excusaret, non curantibus comparere, nos ipsos reputauimus prout erant, exigente iustitia contumaces; sed volentes clementer agere cum eisdem, ipsos vsque ad hanc diem, & horam de benignitate Sedis Apostolicæ duximus expectandos. Cum autem ipsi, vt tantę culpæ reatum redderent contumacia grauiorem, adhuc non curauerint, nec curent comparere per se, vel alium, qui legitimis excusationibus absentiam excusaret, vel excuset eorum, Nos, milites & Domicellū prędictos principales auctores huiusmodi abominabilis sceleris, & eos insuper, qui illud committi, seu fieri mādauerunt, aut habuerunt ratū factum ab alijs, vel in eo facientium socij extiterunt, aut in eis in illo dederunt consiliū, auxilium vel fauorem, seu scienter defensarunt, eosdem excommunicationis vinculo innodatos, & anathematis mucrone percussos: à feudis insuper, locationibus, officijs, & beneficijs spiritualibus, siue temporalibus, quæ ipsi ab Ecclesijs Neapolitan. obtinent, hoc ipso cecidisse, illaque ad eandem Ecclesiam reuersa liberè, ipsorum quoque filios per masculinam lineam descendentes vsque ad secundam generationem, omni spe dispensationis adempta, redditos ipso facto inhabiles, ad beneficia ecclesiastica in ciuitate, & diœcesi Neapolit. obtinenda. Terras quoque ipsorum, dum tamen vnam dietam non contineant vsque ad condignam satisfactionem eorum ecclesiastico interdicto subiecta fore prout sunt, ipsosque sacrilegos Infamiæ notam incurrisse, & auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, ac insuper ipsos omnibus & singulis possessionibus, & bonis olim de mensa Archiepiscopalis Ecclesiæ Neapolitan. existentibus, vel ad ipsam, seu alias Ecclesias pertinentibus quocunque modo, quocunque titulo, occasione, vel causa detineantur, teneantur, aut possideantur ab eis, & iure si quod eis competit in eisdem, eadem auctoritate priuamus, & volumus, quod ad Ecclesias ipsas liberè reuertantur. Filios prætereà ipsorum per masculinam lineam descendentes vsque ad secundam generationem omni protinus spe dispensationis adempta inhabilitamus & inhabiles reddimus ad quæcunque beneficia ecclesiastica vbilibet obtinenda.

A Ciuitates quoque, nec non Caſtra, Villas, Terras, & alia quæcunque loca, in quibus ipſos, vel eorum aliquos, aut aliquem publicè morari contigerit, & eoſdem ab illis expellendi facultas eis fuerit, ipſorum, vel aliquorum, aut alicuius ipſorum in eis durante præſentia, & per quatuor dies poſt diſceſſum eorum abinde interdicto eccleſiaſtico volumus ſubiacere. Illos præterea, qui ſcienter malefactores eoſdem, aut aliquos, vel aliquẽ eorum receptauerint, vel qui in præmiſſis, aut eorum aliquo eis dederint conſilium, auxiliũ, vel fauorem, etiamſi pontificali, aut quauis alia eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate, excommunicationis ſententia innodamus: Non obſtantibus quibuſcunque conſtitutionibus, priuilegijs, indultis, & B litteris Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſsè vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcunque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diuiſim à dicta Sede indultum exiſtat, quod excommunicari, vel interdici non poſſint per litteras Apoſtolicas, quæ plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi, nec non locis, ordinibus, proprijs nominibus, & cognominibus, ac dignitatibus eorum non fecerint mẽtionem. Abſolutionem autem omnium, & ſingulorum, qui huiuſmodi ſententias incurrerunt, vel incurrerint, ac ſuſpenſionem ſententiarum ipſarum, Romano dumtaxat Pontifici reſeruamus. Nulli ergo, &c.

Actum, & datum Auinion. in Palatio Apoſtolico 2. Idus Octobris anno 3.

Ad hunc quoque Archiepiſcopum referẽdum videtur, quod Matthæus Palmerius Florentinus ait in vita Nicolai Acciaioli Florẽtini huius Siciliæ Regni magni Seneſcalli, inquit enim, *Ludouicum è Duratio Siciliæ Regem virum Ioannæ I. Reginæ, Oratores Auenionem deſtinaſſe ad Innocentium Sextum Rom. Pontif. Archiepiſcopum Neapolitanum (cuius nomen non exprimit) & Nicolaum illum Acciaiolum, ex quo aliqui parum Regis amici, & eidem Pontifici valde grati, aſſiduè vacabant, eundem Regem calumniis proſequi apud eundem Pontificem, inter alia* D *dicentes, quod Rex idem poſſidens Siciliæ Regnum ex Sede Apoſtolicæ conceſſione videbatur parum eandem Sedem curare ac eam paruipendere, cenſum non ſoluendo, quem ſingulis annis eidem Sedi pendere tenebatur, ij verò Oratores Auenione ab eo Pontifice, & ab omnibus valde honorificè excepti ſunt.*

Ioannis frequens mentio eſt in regiſtris, tum Vaticanis, tum regijs Neap. ad annum vſque 1358. quo creditur ex hac vita diſceſſiſſe 8. Nouembris die, quæ in lib. anniuerſariorum maioris Eccleſiæ ſic inſcribitur.

Die 8. Nouemb. depoſitio D. Archiepiſcopi Ioannis de Vrſinis. Hic anno 1353. fecit, quod valde vtile fuit, inuentarium, ſeu regiſtrum bonorum Eccleſiarum omnium Ciuitatis Neapolis, eiuſque Diœceſis, in quo iura & redditus, priuilegia, ac fundationes, quo nempe tẽpore, & à quibus eæ fuerant erectæ recenſebantur. Eius tamen laborioſiſſimi operis volumen deſideratur.



26. BERTRANDVS de Meyshoneſio Gallus nobilis generis, ſcientia, ac longo rerum vſu magnæ celebritatis vir, ad Neapolitanam Sedem aſcendit poſt Ioannem anno 1359. memoratur in lib. ſolut. Prælat. die prima Iulij ſub corrupto vocabulo Ynardi. Hic C in mortis articulo, vt Bzouius ſcribit, facultatẽ habuit ab Innocentio VI. abſoluendi Ludouicum Regem Neap. diris innodatum ob nõ ſolutum Romanæ Eccleſiæ cenſum. Interfuit generali Conuentui, coram Rege, totiuſq; Regni Proceribus celebrato die 5. Apr. 1361. in quo ad Clerum, & Prælatos orationem habuit luculentiſſimam ad Barones & Principes, orauit Neapoleo Vrſinus Regni Logotheta. Fato functus eſt anno 1362. die 30. Octobris, ſepultus in maiori Eccleſia, tumbaque marmorea in Sacello D. Aſprenatis, trãſlatus poſtea prope altare ſummum cum vena 1370. dum Bernardus ſucceſſor Sacellum Petro de Toceo Martinæ Comiti conceſſiſſet. Ad tumulum legitur inſcriptio.

D *Hic iacet corpus Reuerendi in Chriſto Patris & Domini Domini Bertrandi de Meyshoneſio Dei gratia Archiepiſcopi Neapolitani, qui obijt anno Domini MCCCLXII. die xxx. Octob. primæ Indict. cuius anima requieſcat in pace. Amen.*

27. PE-



27. PETRVM de Gratia Gallum Viennensem Archiepiscopum Vrbanus V. Pontifex ad hanc Ecclesiam transtulit die 5. Iulij 1363. & post annos duos iterum illum ad Ebredunensem in Galliam transtulit Sedem. Is ille Petrus est Ebredunensis Archiepiscopus, quem Gregorius XI. anno 1375. purpura exornauit ad titulum S. Marci, mox S. Mariæ Transtyberim. Fundis interfuit creationi Clementis VII. Antipapæ. Auenione decessit 1389. cum eiusdem Pseudopontificis partes consectaretur. Hunc Ciacconius cõfundit cum alio Petro de Saracenaco, qui vulgo Viuariensis dictus est, ab eodem Clemente Cardinalis creatus tit. S. Laurentij in Lucina, defunctus Auenione Episcopus Sabinensis 1390. quem Petrum de Bernia, etiam idem nuncupat Ciacconius; & nos ab eius errore hallucinati, eundem Ebredunensem cum hoc Viuariensi in nostra Sabinensium Episcoporum serie tom. 1. confudimus, cum reuera noster hic Petrus de Gratia Archiepiscopus antea Viennensis, postea Neapolitanus à Gregorio II. in numerum Cardinalium cooptatus, diuersus sit à Petro de Saracenaco seu de Bernia Clemẽtis VII. Cardinale. Cæterum Petro tunc Archiepiscopo Neapolitano Regina Ioanna solui mãdauit decimas Ecclesiæ Cathedralis debitas die 6. Octobr. 1363. Sequenti, eadem Regina omnia priuilegia ab antecessoribus suis Regibus, Ecclesiæ & Archiepiscopis Neapolitanis indulta liberaliter confirmauit. Eidem quoque Petro multa grauia munia ab Vrbano V. fuisse commissa habetur ex literis ad eum missis, præcipuè vt de electionibus Prælatorum Regni sollicitus inquireret, & inuestigaret, quæ contra sacrorum Canonum sanctiones, Romanæque Ecclesiæ iura celebratæ censebantur, ac de ijs certiorem redderet Apostolicam Sedem, virosq; qua doctrina, qua vitæ sanctimonia illustres, & nomenclaturã diligẽter trãsmitteret vt ex ea, quibus vacantes Ecclesias tutè committi possent edoceretur, vt Bzouius scribit. Petri memoria habetur in Neapolitanis monumẽtis ad annum vsque 1365. quousque ad Ebredunensem Ecclesiam translatus est.



28. BERNARDVS de Bosquetto Gallus patria Caturcensis ex Canonico Burdegalensis Ecclesiæ, & Papæ Cappellanus infula Neapolitana insignitus est ab Vrbano V. die 9. Septemb. 1365. vt in Reg. Vatic. Memoratur in chartula cõsecrationis Ecclesiæ Sancti Martini de Neapoli Ord. Carthusiani, quæ solemni ritu celebrata est 26. Febr. 1368. à Guillelmo de Agrifolio Card. Legato, cui interfuit Bernardus. Ecclesiam & hocce Cœnobium cõdidit Carolus Calabriæ Dux Ioannæ Reginę genitor, amplissimis redditibus ab eodem Carolo, & Ioanna locupletatum. Bernardus vero eodem anno 28. Septemb. ab Vrbano Presbyter Cardinalis tit. XII. Apostolorum creatus est, quo die se Neapolitano Sacerdotio exonerauit. Mortuus est Auenione die 9. Aprilis 1371. ibique sepultus Gregorio XI. sedente. Meminit Bernardi pręter alios Franciscus Bosquettus Narbonensis in sua Pontificum Romanorum Historia, vbi habet Bernardum hunc patria fuisse Caturcensem.



29. BERNARDVS, alijs Bertrandus Gallus, patria Ruthenus ex Caturcensi ciuitate oriundus, vtriusque Iuris consultissimus, cũ esset Archidiaconus de Vallibus in Caturcẽsi

Ecclesia, & Apostolici Palatij causarum Auditor Bosquetto successit, ad hanc Sedem vocatus ab Vrbano V. die 2. Octob. 1368. Eius iussu Ioannes quidam Maioris Ecclesiæ Cimeliarcha vitam conscripsit S. Ioannis cognomento Aquarolî Neapolitani Episcopi, vt idẽ tradit in proœmio ad ipsum Bernardum. Hic eximius Præsul sub Vrbano V. & Gregorio XI. Summis Pôtificibus Apostolicus Nuncius fuit in vtriusque Siciliæ Regno, atque optimi Ecclesiastici partes adimpleuit. Prælatos Clericosq; ad priores seruandos mores compulit. Diui Basilij Ordinem vetustate sua laborantem, ad pristinum Monasticum splendorem pietatemque traduxit, ipsum quoque Trinacriæ Regem, Ioannamq; Neapolis Reginam ad suppetias contra Turcos ferendas impulit. In Cathed. Neapol. Hebdomadariorũ congregationẽ S. Saluatoris, iam diu institutam priuilegijs, ac redditibus auxit. Coluit quam quimaxime Diuam Brigittam Suecorum Principem, tunc peregrino habitu Neapoli agentem, quæ ad ipsum de B. Virginis Dei Genitricis Mariæ reuelatione Neapoli habita scripsit, vt ipsa lib. 7. cap. 12. suarum reuelationum testatur: quo tempore cũ Carolus Brigittæ filius Neapoli mortalitatem explesset, Bernardus eidem in Cathedrali iusta persoluit, eundem funerauit, assistentibus cum matre pijssima, Ioanna Regina ac Curiæ proceribus. Collegium Ruthenense in Cadurcensi ciuitate fundauit, de quo Guillelmus Croius in Episcoporum Cadurcensiũ Hist. in Rogerio de Castro nouo Episcopo hęc habet. *Ruthenensis Collegij originem ad Bernardum de Ruthena Caturco oriundum Archiepiscopum Neapolitanum refero, anno quippe 1371. Auenione in Bernardi Cardinalis decessoris* (erat hic Cardinalis de Bosquetto) *adibus 17. Kal. Maij* (vt fundationis tabulæ ferunt) *donatione inter viuos bonis cedit*. Idem narrat Claudius Freydam Frométeus Parisiensis in Epistolis ad Guillelmum Benedictum Caturcensem. Generalem tamen Academiam Caturci in patria fundasse Joannem XII. anno 1333. scribit cum alijs Cassaneus. Interea Bernardus in Cathedrali Neapol. chori subsellia fieri fecit permagnifice, vbi eius gentilitia spectabantur, sbarra siquidem, seu balteus vbi treramuli, seu circuli insculpti erant, quæ ferunt esse insignia nobilis familiæ de Treghi in Gallia. Fortasse ex hac gente fuit hic noster Bernardus, qui anno 1377. veluti Apostolicæ Sedis Legatus, Gregorij XI. nomine fidelitatis iuramentum à Ioanna Regina recepit. Sequenti vero anno Gregorio Romæ defuncto cum inter Vrbanum VI. Papam, & Pseudo-Pontificem Clementem VII. æstuasset teterrimum schisma, Bernardus, quod Gallus esset, & Reginæ à secretis Antipapæ partes fouit, eundemque Fundis adorauit. Quamobrem Vrbanus iuste commotus, Ioannam vtriusque Siciliæ Regno priuauit, illudq; Carolo de Duracio, quẽ

A hostem Reginæ infensissimum nouerat, beneficiario iure concessit, Bernardum vero tamquam Schismaticum diris deuouit, & Archiepiscopatus honore spoliauit, eique successorem dedit Ludouicum Bozutum nobilem virum Neapolitanum Caroli amicum. Interea Carolus magno cum exercitu Regni possessionem conatur inuadere, Ioanna vero, vt Gallos milites euocaret, Ludouicum Ducem Andegauensem Ioannis Francorum Regis filium, & post eius mortem alterum Ludouicum eiusdem filium, Comitatus sui & Regni hæredes instituit anno 1380. die 30. Iulij in Castro Nouo ab hoste obsessa. Ioanna obsidione premitur, Ludouicus vt illam liberaret cum exercitu in Italiã traiecit, & in Apulia habet cum militibus obuium Duraciensẽ.
B Pugnatur vndiq; sed Ludouicus impar, eiusq; exercitus viribus inferior, dum inclinat, graui vulnere sauciatus è prælio vix euasit. Ioãna omni spe & auxilio destituta, dum in dies magis obsidione premeretur, salutem pacta sui deditionem, & ciuitatis suæ fecit Duraciensi. Is salutis promissæ immemor Ioannam laqueo interemptam, eo vbi Andreas Ioannæ maritus fuerat interfectus loco suspendi iussit anno 1382. Regni 39. Mariam vero Ioannæ sororem, quæ Comiti Artesiensi nupserat capite truncat. Et hæc finis stirpis Roberti, cuius Regnum ad Ducem Andium tamquã ad hæredem Reginæ Ioannæ iure delatum est hereditario. Ioannæ cadauer Neapolim
C relatum in Ecclesia S. Claræ prope Carolum Illustrem Ducem Calabriæ patrem suum absque pompa humatum, addita ad tumulum inscriptione Car. Duracij iussu, hisce verbis concepta.

Inclyta Parthenopes iacet hic Regina Ioanna
Prima, prius felix, mox miseranda nimis.
Quam Carolo genitam, mulctauit Carolus alter
D *Qua morte illa virum sustulit ante suum.*
M. CCC. LXXXII. xxij. Maij v. Indict.

Cæterum Bernardus in tanta rerum cõfusione, qua prorsus sæculis multis acrior nulla fuit, præualente Duracio exulare in Gallia coactus est, & Ecclesiam vacuam æmulo relinquere, Auenione creditur apud Clementem obijsse circa annum Domini 1389. die 20. Octobris, qua die eius anniuersarium in Cathedrali habebatur. Præsul sanè dignissimus, & æquiori fortuna dignus, nisi in ea misera-

rabi-

tabilis Schismatis tempora incidisset, vnde plerumque fiebat, vt vna eademque Ecclesia sub duobus Pastoribus inter se litigantibus, Magno Reipublicæ Christianæ scandalo laboraret.



30. THOMAS Ammanatus Hetruscus patria Pistoriensis nobili familia natus, parentes habuit Donatum & Lippam Riccardam. Vir fuit peritia legum insignis, & rerum experientia clarus, quippe qui in Romana aula pene ab adolescentia nutritus, sub Vrbano V. & Gregorio XI. Pontificibus varia munia egregie obiuit, & in Germania ad Carolum IV. Imperatorem eiusdem Gregorij Apostolicus Nuncius fuit; eoque demortuo inconsultè partes Clementis Antipapæ contra Vrbanum VI. Papam amplexatus, cum ipso Auenionē concessit, à quo post obitum Bernardi ex Auditore sacri Palatij Neapolitanus electus est Archiepiscopus anno 1380. cum iam Episcopus Nimociensis esset; soluitque pro Neapolitano Sacerdotio solitum subsidiū die 17. Feb. eiusdem anni; In Britanniā deinde pro eodem Clemente functus est Legatione, à quo anno 1385. inter Cardinales cooptatus est ad titulum S. Praxedis die 12. Iulij qui nec Neapolim vidit, nec eius Ecclesiæ possessionem iniuit, nomen Archiepiscopi retinuit ad annum vsque 1388. & dignitatem libere in manibus Clementis remisit. Auenione decessit die 6. Decembris 1396. sub Benedicti XIII. Pseudo Pontificis obedientia, cuius creationi interfuerat. Fratrem germanum habuit Bonifacium celeberrimum Iurisconsultum ab eodem Benedicto XIII. Diaconū Card. S. Adriani creatum anno 1397. sub quo obijt. De Ammanata familia legendus Ammiratus libro de familijs Florentinis.

31. GVLIELMVS, patria & familia cius ignorantur, per cessionem Thomæ Neapolitanam Ecclesiam inuasit, ad eam dignitatem vocatus à Clemente VII. anno 1388. quo tunc electus die 6. Maij soluere promisit solitum seruitium in Obligat. libro, vbi mentio Thomæ decessoris. Hic auctoritate Ludonici Ducis Andegauensis, Neapolitanæ Ecclesiæ possessionem inijt, expulso per summā iniuriam legitimo Archipræsule, quam substinuit tantum, quantum idem Ludouicus iura Regni tetinuit. Neapoli erat anno 1390. die 3. Decembris quo die Canonici Cathedralis quasdam contributiones ipsis ab Archiepiscopis debitas Guillelmo liberaliter, ob paupertatē remiserunt, vt loquitur documentum *Die 3. Decemb. 139 o. Ind. 14. Clementis VII. Pontif. anno 13.* vbi in fine legitur, *Acta fuerunt hæc Neapoli in hospitio habitationis dicti Domini Archiepiscopi sito in platea Nidi, in quo idem Dominus Archiepiscopus propter necessitatem & defectum sui Palatij Archiepiscopalis ad præsens habitat.* Et ex alio documento, die 24. Nouemb. sequentis anni Iacobus Capite Cimiliarcha & Gerardus de Pesula Diaconus Neapolitanæ Ecclesiæ, Guillelmi Archiepiscopi Vicarij cōfirmant Abbatissam Sanctorum Marcellini & Petri de Neapoli Ordin. S. Benedicti nuper electam. Guillelmi mentio reperitur vsque ad annum 1394. in Neapol. monumentis in obedientia Antipapæ degentis, quid deinde de ipso actum sit, vel quo anno locoue excesserit incompertum est.



32. NICOLAVS de Paganis summo loco natus Thomæ Regni Cambellani sub Carolo III. filius, Benfij frater eodem munere functi sub Ladislao Rege, tum & ipse regij officij Mocealli, regnante Ludouico; cuius etiā germanus frater se extitit Galeottus egregius miles eiusdem Ludouici compater, atcis S. Hermi Præfectus, qui apud eundem maxima valuit existimatione; cuius meritis Nicolaus ex Abbate Commendatario Sanctorū Seuerini & Sosij à Benedicto XIII. Pseudo-Pontifice in locum Guillelmi subfectus est Archiepiscopus, cuius Vicarius vna cum Ca-

Capitulo, quendam Maioris Eccleſiæ Cap-
pellanum per hebdomadarios præſentatũ au-
ctoritate Nicolai confirmanit anno 1399.
Franciſcus, ait documentum, *Marognus de
Neapoli Iuris Canonici peritus. Sedis Apoſto-
lica Capellanus, Canonicus Neapolitanus,
Domini Nicolai miſeratione diuina electi
Neapolitani in ſpiritualibus, & temporalibus
Vicarius Generalis, &c. Datum & actum
Neapoli in Archiepiſcopali Palatio ſub anno
à natiuitate Domini 1399. die 15. menſis Ia-
nuarij 7. Ind. Pontificatus Sanctiſſimi in
Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Be-
nedicti diuina prouidentia Papa XIII. an-
no* 4. Pendet è documenti pagina ſigillum
ceræ rubeæ, cum effigie S. Iannarij, & inſi-
B gnijs gentis Paganæ. Interea Nicolaus ne à
legitimo Pontifice Bonifacio IX. depelle-
retur ab Eccleſia Neapolitana Ladislai gra-
tiam ſibi conciliauit, ad cuius fauorem con-
fugit. Rex vt familiæ quæ in Regno præpo-
tens & illuſtris erat, & Galeotto Nicolai fra-
tri gratificaretur, cuius opera indigebat, re-
gijs literis eius manu ſignatis Nicolaum ſub
Regia ſua protectione ſuſcepit, ac ſe Bonifa-
cio commendaturũ ſpopõdit, vt libere, & ca-
nonice Neapolitanam poſſet adminiſtrare
Eccleſiam. Exemplar Regis literarum ha-
betur in Regio regeſtro Ladislai in hunc
modum.

Ladislaus Rex, &c.

Tenore præſentium notum facimus vni-
uerſis earum ſeriem inſpecturis, tam præ-
C ſentibus quam futuris, quod nouiter inter alia
per virum nobilem Galeottum Paganum de
Nuceria militem Regni Siciliæ, Mareſcallum
noſtrique Hoſpitij Seneſcallum & fidelem
dilectum à nobis ſuppliciter poſtulata, Ga-
leottus idem à nobis poſtulauit, petijt, vt pro-
mitteremus curare, & facere eum effectu,
quod Dominus noſter Summus Pontifex da-
ret & conferret Archiepiſcopatum Neapoli-
tanũ Vener. viro Nicolao Pagano fratri dicti
Galeotti, Archiepiſcopatum ipſum præſentia-
liter tenenti, & poſſidenti, & pro eo impetra-
re, & obtinere Apoſtolicas litteras, ſiue bul-
las, & illarum impetratione durante manu-
tenere dictum Nicolaum in poſſeſſione, & in
iuriſdictione, ac reali perceptione fructuum
Archiepiſcopatus eiuſdem, & quod nulla ra-
D tione, ſeu cauſa poſſit amoueri, vel ſuſpendi à
poſſeſſione prædicta, & quod donec reciperet
integrè fructus dicti Archiepiſcopatus face-
remus eidem concedi in commendam Abba-
tiam Monaſterij S. Seuerini de Neapoli, cum
perceptione fructuum Monaſterij prælibati,
cuius quidem Galeotti poſtulationibus ſicut
ſubſequitur annuentes contentamur manute-
nere dictum Nicolaum eiuſdem Galeotti fra-
trem in poſſeſſione dicti Archiepiſcopatus,
ac curare, & facere eum affectu quod dictus
Dominus noſter Papa concedat dictum Ar-
chiepiſcopatum Neapolitanum modo prædi-
cto, operando ſemper in prædictis totũ poſſe

A noſtrum, credimus enim indubiè, & ſumus
quaſi certi, quod in prædictis & maioribus
dictus Dominus noſter Papa annuet votis no-
ſtris. Has noſtras litteras magno noſtro pẽ-
denti ſigillo munitas eidem Galeotto in præ-
miſſorum teſtimonium concedentes. Datũ
Neapoli in abſentia Logothetæ, & Protho-
notarij Regni noſtri Siciliæ, eiuſque locumte-
nentis per virum nobilem Gurellum Auriliã
de Neapoli legum Doctorem, magnæ no-
ſtræ Curiæ Magiſtrum Rationalem Locum-
tenentem, Magni Camerarij Siciliæ Regni
Conſiliarium, & fidelem noſtrum dilectum
Anno Domini 1399. die 9. Iulij Ind. 7 Regno-
rum noſtrorum anno 13. *Ladislaus Rex*.

Cæterum poſt hæc quid de Nicolao actũ ſit
B non habemus, neque in monumentis Regijs,
nec Romanis vlla deinceps reperitur men-
tio. Quanquam hi tres ſupranotati Archie-
piſcopi, Thomas ſcilicet Ammanatus, Guil-
lelmus, ac Nicolaus iſte Paganus haud legi-
timi vocandi ſint huius Eccleſiæ Antiſtites,
erant tamen recenſendi, vt illius temporis
ſchiſma, & ſtatus Eccleſiæ huius memorarẽ-
tur, ac legitimi à ſchiſmaticis ſecernerẽn-
tur. De Pagana familia ſcripſit Scipio Maz-
zella, Ælius Marcheſius, & Carolus Burellus
doctus amicus noſter Clericus Regularis Mi-
nimorum, nuper ex contagioſa lue Neapoli
defunctus in vindice Neapolitanæ nobilita-
tis libro.

C




D

33. LVDOVICVS BEZVTVS Nea-
pol. nobilitatis clariſſimæ ex ſæculari Abbate
ab Vrbano VI. in priuati Bernardi locum le-
gitimus Neapolitanæ Eccleſiæ adlectus eſt
Archiepiſcopus anno 1378. poſſeſſionem ade-
ptus varia fortuna quinque omnino annis eã
dignitatem geſſit, quippe qui in eam temporũ
calamitatem incidit, vt aliquando pro ſua di-
gnitate ſeruanda capitis etiam periculum
ſubierit, nec libere Eccleſiæ adminiſtratio-
nem inire potuerit, niſi fugato Neapoli Cle-
mente Antipapa Reginaque Ioanna, tunc ex
populi propenſione illam regendam ſuſcepit.

Verum

Verùm paulo post cum Ioanna ciuitatem recuperasset suam, Ludouicus Regiæ maiestatis reus factus Ecclesiam, sua, suorumq; bona amisit, ac diu profugus apud amicos latitauit, quousque inuentus carcere inclusus, apud Nolanum cœmeterium militibus custodiendus traditur: sed à Nicolao Vrsino Nolæ Comite adiutus, custodia elapsus fugam arripuit, & Romam ad Vrbanum Pontificem incolumis se recepit anno 1379. quo, vt Corius scribit, Mediolanum missus auctoritate Pontificis Galeatio Vicecomiti indulsit, vt Catharinam Bernabonis Mediolanensium Principis filiam cōsobrinam suam in vxorem ducere posset: huius delegationis socium habuit Antonium Salutium Mediolani Archiepiscopum. Tandiu ab Ecclesia sua exul fuit, quandiu Ioanna Regina regno & vita à Carolo Duracio priuata est, tunc Ludouicus postliminio restitutus pauper & senex ad paucos annos pacificè concreditam administrauit Ecclesiam. Mortuus est die 25. Maij 1383. sepultus in Cathedrali in gentilium suorum sacello, vbi olim exstabat memoria. Hic Hebdomadariorū Congregationi S. Saluatoris in subsidium contulit Ecclesias de Mundulis, & S. Praxedis cum earum iuribus & pertinentijs anno 1381. die 6. Nouembris, cuius etiā fit mētio in reg. Reginę Margaritæ die 14. Nouembr. quo Ioannellus Bezutus Miles, Ludouici bonæ memoriæ Archiepiscopi nepos, eiusdem hęreditatem alieno ęre obnoxiam abhorruit. Eo quoque anno quo Ludouicus obiit, Carolus III. Rex instāte Neapolitano populo, teterrimum illum iugulauit abusum, gladiatorum scilicet ludorum, quo nobiles viri, ciues, ac plebei in campo Carbonario festiuis diebus immanissimè inter se dimicabant, adeo vt eorum manus tœdissimè humano cruore maderent, ac plerumque sibi inuicem vitam adimerent: quamobrem Rex sceleratum campum, vt in pium vsum conuerteretur populo benignè donauerit, vbi Ecclesiam ædificarunt, quam Sanctam Mariam de pietate dixerunt. Extat huiusce rei Caroli documentum 25. Iunij Ind. 6. eiusdē anni, datum, per manus Gentilis de Morilinis de Sulmona leg. Doct. Locumtenentis Prothonotarij Regni Siciliæ, in quo præter alia hæc cōmemorantur. *Homines diuites & incola nobiles & plebes ciuitatis eiusdem anno quolibet per vices & tempora, diebus Dominicis, & festis quibus vacandum erat diuinis laudibus, conuenientes ad inuicem ad excitādum vires armatas eorum cum ensibus, gladijs, contis, fustibus, omni amicitia postposita ad plausum nō solum & famam omnium, ac si inimici capitales existerent, quo ueces hominū, percussiones lethales, emissiones oculorum, & cicatrices deturpantes hominum corpora, nec sedari aliquando potuit huiusmodi nefandus abusus ad mandata Serenissimorum Principum nostrorū Hierusalem & Sicilia Regum, excommunicatione Apostolica exinde factas, &c.* Paulo post subdit. *Quod Religiosos & Clericos quorum cura est vacare officijs, & orationibus insistere, igitur id demum traxerat, & ad spectandum dictum ludum, &c. Deus ex alto prospiciens & considerans terram datam fore filijs hominum, nō ad effundendum sanguinem, in æternum supplicium, scilicet labore, sic inspirauit mentes ipsorum ciuium animosque mutauit in melius, vt quod olim mandatis regijs repelli non potuit. Deo inspirante motu proprio tolleretur, & conuerteretur in opus pium, quod erat ad strages ciuium deputatum, &c.* Campum prædictum sceleratum sollemni pompa, spectante Rege, populoque Bartholomæus Episcopus Isclanus Neapolitanæ Ecclesiæ Vicarius benedixit, primumque lapidem posuit Ecclesiæ construendæ, cui adiecerunt nouum pauperum Xenodochium, quod nunc Magno D. Annunciatæ vnitum est. Porro nefandi abusus, disertis verbis meminit Petrarca testis oculatus. *Quid autem*, inquit, *miri est quid per vmbram mortis nullo teste petulantius audeat cum luce media inspectātibus Regibus ac populo infamis ille gladiatorius ludus in vrbe Italia celebretur barbarica feritate? vbi more pecudum sanguis humanus funditur, & sæpe plaudentibus insanorū cuneis, sub oculis miserorum parentum infelices filij iugulantur, iuguloque gladium cunctantius excepisse, infamia summa est; quasi pro Republica, aut pro æterna vita præmijs certetur? Illuc ego pridem ignarus omnium ductus sum ad locum vrbi congruum, quem Carbonariam vocant, non indigno vocabulo, vbi scilicet ad mortis in eundem conuentos fabros denigrat tantorum scelerum officina. Aderat Regina, & Andreas Regulus, &c.* Huius quoque meminit Paris de Puteo cap. 4. lib. 1. de re militari, siue de singulari certamine: *Erat*, ait, *priscis temporibus in Vrbe Roma cāpus gladiatorius Martius appellatus omnibus securus ad pugnam, & in nobilissima Ciuitate Neapolis plena militibus, armisque Florentissima alter campus pugnatorius appellatus Carbonaria, in quo quisque suas offensas & iniurias vindicabat impune:* de quo etiam Baldus mentionem facit in l. Athletas ff. de ijs, qui notantur infamia. Sed de his satis, ad nostram seriem stylum dirigamus.



B 34. NICOLAVS Zanaſius Cremonenſis Iuriſprudentiæ doctrina, tum probitate vitæ, & longa in Romana Curia experientia vir longe clariſſimus, cum eſſet Epiſcopus Brixienſis ab Vrbano VI. Pontifice miſſus eſt Neapolim, vt à Carolo III. Rege iuramẽtum fidelitatis pro Romana Eccleſia ſuſciperet, quod feliciter peregit Kal. Maij 1381. & Regiam gratiam promeruit, tum & Beneuentano Archiepiſcopatu donatus eſt 1382. & poſt annos duos defuncto Ludouico ad hãc Neapolitanam Eccleſiam translatus eſt. Quinque omnino annis integra fama virtutis in ea dignitate vixit, quandoque varia aſperaque fortuna exagitatus, cũ defuncto Carolo Rege, Ladislaũ filium veneratus in Ludouici Andegauẽſis manus incidit, qui illũ à ſua Eccleſia exulare compulit anno 1387. In patriã Cremonam ſe recepit, in qua ex animi mœrore diem ſuum obijt 25. Augusti 1389. ſepultus in Cathedralis ſacello Corporis Chriſti cum ijs carminibus in marmore exaratis.

Quem cernis Nicolaus erat de Zanaſiorum
Stirpe ſatus, Doctor canonis egregius.
Iuſtitiæ ſpeculum, decus, & lux alma Cremonæ,
Corde humilis, patiens, officioſus erat.
Seruijt Eccleſiæ Romanæ tempore longo
Præſulibus gratus, Cardinibuſque ſuis.
D *Hunc tres Pontificem dignis ſucceſſibus Vrbes*
Promeruere ſuum, mirificumque Patrem.
Brixia prima, ſequens Beneuentum, tertia Regni,
Et caput, & ſedes, inclyta Parthenope.
Cumque vocante Deo meritis maturus, & annis
Optaret iungi cœtibus Angelicis.
Annis octuaginta nouem, cum mille trecentis
Præteritis, ex quo Virgo Deum genuit,
Auguſta qui na vicena, luce ſepulcro
Depoſuit corpus Regna ſuperna petens,

A Meminit Nicolai Conſtantius lib. 8 hiſt. Neapolit. Ioannes Baptiſta Carafa alijque, quem male Guindacium appellant corrupto cognomine Zanaſij in Guindaccio, cum ſatis conſtet Zanaſium ſucceſſiſſe Bezuto, Zanaſio Minutulum.



35. HENRICVS Minutulus nobiliſſima gente natus Neapoli ſucceſſit Zanaſio anno ſalutis 1389. eodemque anno à Bonifacio IX. S. R. E. Presbyt. Card. ad titulum S. Anaſtaſiæ creatus, Archiepiſcopi venerandam imaginem abſens fere ſemper annis plus minus decem ſuſtinuit, quam libere in manibus Bonifacij dimiſit anno 1400. Epiſcopus Card. Tuſculanus adlectus. Hic pulcherrimam marmoream portam Cathedralis erigi curauit 1407. quam Abbas Barboſus de Piperno inſignis eius æui ſculptor cælauit, opus ſane mirandum ſtatuis, artificio, porphyreticis columnis exornatum, vbi Henrici marmoreum ſimulacrum flexis genibus ante Beatam Virginem Deiparam conſpicitur cum inſcriptione.

Nullius in longum & ſine ſchemate tempus honoris
Porta fuit rutilans, ſum ianua plena decoris
Me meus, & ſacra quondam Minutulus Aula,
Excoluit proprijs Henricus ſumptibus huius
Præſul Apoſtolica, nunc conſtans cardo columna
Cui precor incolumem vitam poſt fata perennem.
Hoc opus exactum mille currentibus annis,
Quo quater centum ſeptem Verbum caro factum eſt.

Conſtruxit idem Henricus in eadem Cathedrali Sacellum Sanctiſſimæ Triadi dicatũ; altare

altare quoque in Sacello Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, à maioribus suis condito, erexit, ac redditibus locupletauit. Archiepiscopale Palatium Cathedrali attignum maiori successorum commodo exædificauit. Interfuit Comitijs Innocentij VII. Gregorij XII. & Alexandri V. in Concilio Pisano, in quo Henricus dimissa Tusculana Ecclesia, Sabinensis euasit Episcopus, Petrus Gerardi Tusculanam retinuit, ne iterum pertinacia, rabiesque schismatis deseuiret, de qua re vide quæ diximus tom. 1. in Serie Tusculanorum, Sabinorumque Episcoporum. Sub Ioanne XXIII. in Æmilia functus est legatione. Excessit Bononiæ die 17. Iunij 1412. cadauer eius Neapolim delatum, in Cathedralis suorum gentilium Sacello conditum fuit, in nobili marmoreo tumulo sine inscriptione. Eius meminit, fortasse cum liuore, Garimbertus lib. 6. cap. 5. Hippolytus Marracciusamicus noster doctus & eruditus, nec semel, sed parce laudatus Minutulum inter Marianos purpuratos, hoc est Beatissimæ Virginis Mariæ obsequentissimos annumerauit in sua Purpura Mariana.



36. IORDANVS Vrsinus Romanus Ioannis Comitis Taliacotij ex Bartholomæa Spinella de Iuuenatio filia Nicoli Magni Regni Cancellarij, natus Caroli Comitis, & Francisci Vrbis Præfecti germanus frater ex Canonico Capuano eligitur Neapolitanus Archiepiscopus à Bonifacio IX. anno 1400. Magnę auctoritatis fuit apud Ladislaum Regem à quo sequenti anno satis vtile, satisque honorificum pro Ecclesiæ suæ vassallis retulit priuilegium hisce verbis conceptum, quod ab exemplari exhibeo ex Regio regest. Neap.

Ladislaus Dei gratia Rex Vngariæ, Ierusalem, & Siciliæ.

Magistro Iustiniano Regni nostri Siciliæ eiusque Locumtenenti, & Iudicibus magnæ Curiæ Cōsiliarijs, & vice gerentibus nostris & iustitiarijs Prouinciæ Terræ laboris &
A *Comitatus Molisij, Capitaneis quoque ciuitatis nostræ Neapolis suique districtus, cæterisque nostris officialibus ad quos spectat, & spectare poterit quocumque titulo ac denominatione notentur per dictum Regem nostrum Siciliæ constitutis præsentibus & futuris fidelibus nostris dilectis gratiam, &c.*

Moti nouiter amabilibus precibus pro parte Reuerendi Patris Archiepiscopi Neapolitani Consiliarij, & fidelis nostri dilecti pro hominibus Casalis Afragolæ suis, & eius maioris Ecclesiæ Neapolitanæ vassallis, nostrisque fidelibus dilectis nostro culmini nouiter interiectis qui ob paternū zelum, quem ad nos gessit, & gerit, ne dum pro se,
B sed pro dictis hominibus ipsius Casalis Afragolæ dicti Archiepiscopi, & præfatæ maioris Ecclesiæ Neapolitanæ vassallis, qui certis nostris fidelibus & personis, alijs tenentur, vt asserunt in diuersis pecuniarum & rerum aliarum quantitatibus, ac censibus, & redditibus alijs, sicut in instrumentis, & cautalis alijs factis exinde ponitur contineri, & moratinam dilationem annorum quatuor ex in antea numerandorum quibus durantibus ad restituendum eorum creditoribus debita pecuniaria, & realia, ac census & redditus, in quibus tenentur eisdem, quotum quidem creditorum nomina & cognomina, ac quantitates debitorum, censuum, & reddituum prædictorum in præsentibus haberi volumus
C pro expressis realiter vel personaliter compelli nequeant, tenore præsentium concedimus de scientia certa nostra. Ideo volumus, & fidelitati vestræ de dicta certa nostra scientia, harum serie mandamus expresse quatenus forma præsentis nostræ moratoriæ dilationis, & gratiæ per vos diligenter attenta, illam vos, & vestrum quilibet præsentes vid. ac futuri iam dictis hominibus dicti Casalis Afragolæ eiusdem Archiepiscopi, & dictæ suæ maioris Ecclesiæ Neapolitanæ vassallis, ac cuilibet & singulis eorumdem iam dicto durante quadriennio seruatis efficaciter, & faciatis ab alijs quantum in vobis fuerit, tenaciter & inuiolabiliter seruari, dictosque homines in generali, vel speciali, ad dandum, sol-
D uendum, restituendum, & assignandum iam dictis eorum venditoribus, iam dicta pecunia & realia, ac census & redditus prædictos in quibus eis, vt præfertur, tenentur ad instantiam dictorum creditorum eorum, alterius, vel aliorum ex eis compellere, molestare, vel impellere in personis, rebus, ac bonis eorum supradicto durante quatriennio nullatenus præsumatis, neque compelli, molestari, vel impeti ab alijs quomodolibet permittatis, nihilque contrarium faciatis sicut habetis gratiam nostram caram, quinimo reuocetis, & reuocari faciatis protsus irritum quicquid vos, aut alium, vel alios vestrum aduersus dictos homines, alium, vel alios ipsorum res, & bona similiter eorumdem fieri, vel atten-

tari

tari propter ea contingeret in poſterum contra præſentium ſeriem & tenorem iam dictis inſtrumentis, & cautelis de dictis confectis pœnarum obligationibus, & pro periurij ſacramentorum præſtationibus, renunciationibus, & clauſulis alijs roboratis, & ſignãter de non impetrandis litteris moratoriæ dilationis, ſeudationis bonorum in ſolutum, vel alijs reſcriptis contrarijs, ipſiſque impetratis non vti, non obſtantibus quoquo modo. Præſentes autem litteras poſt opportunam inſpectionem earum pro cautela reſtitui volumus præſentanti, dicto durante quatriennio efficaciter valituras, quas magno noſtro pendenti ſigillo iuſſimus communiri.

Datum Neapoli in abſentia Logothetæ, &c. per virum nobilem Donatum de Aretio legū Doctorem, &c. Anno Dom. 1401. die 10. Feb. 9. Ind. Regnorum noſtrorum anno 14.

Anno 1405. Iordanus Archiepiſcopus pro ſua eximia virtute ab Innocentio VII. honore purpuræ exornatus eſt titulo S. Martini in Montibus, pauloque poſt ſuæ Eccleſiæ nuncium remiſit; longo deinde temporis ſpatio vixit, varijs functus legationibus, obijt ad balnea Patriolana in Senenſi ditione, cum eſſet Epiſcopus Card. Sabinus die 29. Maij 1449. Romam delatus apud Baſilicam Vaticanam in ſacello quod erexerat conditus fuit. De quo in primo noſtro tomo in Epiſcopis Sabinenſibus egimus, vbi male enarrauimus illum Romæ exceſſiſſe; cum ſatis cõſtet apud Patriolana balnea illum vitam finijſſe.

37. IOANNES huius nominis II. Iordano ſucceſſit, cuius mentio in oblig. Prælat. libro extat die 3. Iunij 1407. quo anno die 25. Aprilis commiſerat reparationem Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Schola Græca Abbati Pandono Pappanugæ de Neapoli eiuſdem Eccleſiæ Rectori, de quo in monumentis extat mentio vſque ad annum 1409. Sed cum habeatur Gregorius XII. Neapolitanæ Eccleſiæ Generalem Vicarium conſtituiſſe Nicolaum Theanenſem Epiſcopum, anno 1411. opus eſt aſſerere Ioannem Archiepiſcopum, tanquam Ioannis XXIII. aſſeclam fuiſſe deturbatū de ſede, vel eo ipſo anno obijſſe, vel ante annum 1415. cum Iacobus qui proxime ſucceſſit in actis Conſiſtor. Ioannis Pont. aſſeratur tranſlatus ad Neapolitanam Eccleſiam per obitum Ioannis.



38. IACOBVS Rubeus Parmenſis ex Comitibus Sancti Secundi olim Epiſcopus Veronenſis, mox Lunenſis, tandem Neapolitanā Sedem adeptus eſt Conſtantiæ per obitum Ioannis prid. Non. Maij 1415. ad eam dignitatem vocatus à Ioanne XXIII. Duobus annis abſens ſedit. Parmæ defunctus anno 1418. in Cathedrali ſepulchrum accepit, vbi legitur Epitaphium, quod leges in primo noſtro tomo in Catalogo Lunenſium Epiſcoporum. Vide etiam quæ de ipſo ſcripſimus tomo 5. in Epiſcopis Veronenſibus. Eius meminit S. Antoninus in 3. p. Chronic. ſeſſ. 22. c. 38. & 44. Corius Hiſt. Mediol. p. 4. Abbas Panormit. cap. 1. de litis conteſtatione, Sanſouinus & alij.



39. NICOLAVS de Diano nobili, & præpotenti familia Theani natus, Iacobi germanus frater, qui Ladiſlai Regis Cābellanus fuit, & charus, cuius fauore ad Neapolitanæ Eccleſiæ ſedem cœpit ſibi aperire viam, ac paulatim anhelare. Erat tunc temporis Nicolaus iſte Theanenſis patriæ Epiſcopus, prudens, & longa experientia in politicis rebus verſatus quando Ioannis prædeceſſoris ſiue mors accidit, ſiue exauctoratio, quamobrem

cum

cum Ladislao Rege ita se gessit, vt à Gregorio XII. anno 1411. delectus fuerit Neapolitanæ Ecclesiæ in temporalibus, & spiritualibus Generalis Vicarius & administrator, cũ spe tamen futuræ successionis. Defuncto Ladislao, Ioanna II. fratri successit, quæ spẽ, & Vicariatum eidem protogauit, eundemque suum à Concilijs fecit, præcipuaque Regni negocia demandauit. Igitur Archiepiscopi Neapolitani inane per aliquot annos sibi nomen vsurpauit, primumque lapidem benedixit ac posuit Ecclesiæ S. Mariæ de Monte Oliueto, quam Gurellus Aurilia Regni Logotheta & Protonotarius cœpit ædificare anno 1411. vna cum nobili Cœnobio pro Oliueranæ Cõgregationis Monachis, quod inuidiosis opibus cumulauit, vbi & sepultus iacet. Nicolaus verò Ioannam Reginam cũ Iacobo Marciæ Comite matrimonio copulauit. Hebdomadarijs in Cathedrali choro sepulchrum concessit, Ecclesiamq; S. Ioannis in Maianella villa ijsdem dono dedit. Canonicis mortuos sepeliendi in Ecclesia S. Restitutæ consuetudinem confirmauit, & alia plura egit dum Vicarius esset. Interea defuncto Ioanne, eiusque successore Iacobo Rubeo Martinus V. Pontifex, vt vel scintillam schismatis in totum deleret, vel Ioannæ Reginæ desiderium expleret, & Nicolaum gratificaret, illum ad Neapolitanam thiaram legitime prouexit die 7. Kal. Febru. 1418. suscepti muneris partes per decem & septem annos eximiè adimpleuit. A Regina Ioanna, quæ olim Ladislaus Rex Iordano Vrsino ad fauorem Neapolitanæ Ecclesiæ concesserat, cuso nouo diplomate confirmauit 24. Aprilis 1420.

Anno 1423. Nicolaus summa diligentia omnes suæ Diœcesis Ecclesias perlustrauit, quarum fundationes, redditus, bona, iura, priuilegiaque accurata indagatione in libro ad perpetuam memoriam describi fecit. Clerum reformauit, constitutiones edidit, atque ea omnia egit quæ bonũ Pastorem decere viderentur. Infirmus & lecto decumbens testamentum condidit 3. Iunij 1435. Iacobum suum fratrem, Honuphrium & Marium ex altero fratre nepotes hæredes fecit, executorem Gasparem de Diano Archiepiscopum Consanum etiam suum ex fratre nepotem constituit. Post paucos dies mortem obijt conditus in Cathedralis sacello quod cum Gaspare exædificauerat vbi posteri memoriam excitarunt.

Priscum Dianorum Sacellum
ab religiosissimis vrbis huius Archiepiscopis Nicolao & Gaspare
de Dianis constructum
Ferdinandus Quadra
Hippolytæ ex clarissima familia
postremæ materno sanguine nepos restauratum exornauit.

Eodem anno quo Nicolaus esse desijt, ex hac vita decessit Ioanna Regina die 2. Febr. sepulta in Ecclesia Diuæ Annunciatæ, humili quidem loco, cuius memoriam renouarunt hoc nostro æuo in hunc modum.

Ioannæ II. Vngariæ, Hierusalem, Siciliæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Seruiæ, Galatiæ, Lodomeriæ, Romaniæ, Bulgariæque Reginæ, Prouinciæ, & Forchalquerij & Pedemontis Comitissæ Anno Domini M. CCCCXXXV. die II. Febr. Regijs ossibus & memoriæ
Sepulchrum, quod ipsa moriens humi delegerat inanes in funere pompas exosa
Reginæ
Pietatem secuti & meritorum inimmemores Oeconomi restituendum & exornandum curarunt, munificẽtius posituri si licuisset.
Anno Domini M. DC. VI.
Mense Maij.

Ioannę successit Alphonsus Rex adoptatus & Regni hæres institutus. Post vero Nicolai obitum per annos circiter tres vacua fuit Neapolitana Ecclesia, quam Iacobus de Adria ab Eugenio IV. constitutus administrauit. Cæterum longe diuersus fuit à nostro Nicolao Archiepiscopo Nicolaus alter de Diano à Ladislao Rege Vrbis Senator effectus cui anno 1413. idem Rex successorem dedit Iohannottum de Tortis militem ex Regio regest. vbi sæpe mentio Nicolai Archiepiscopi.



40. GASPAR de Diano Iacobi Celani Comitis,& Lętitiæ de Monte Agnano filius, Nicolai ſuperioris ex fratre nepos, legum peritia, eruditione, & morum candore tunc Archiepiſcopus Conſanus, antea Theanenſis Antiſtes, patruo in hac Eccleſia ſucceſſit 7. Kal. Martij 1438. ſequenti Florentino Concilio interſuit ſub Eugenio IV. integroque deinde anno Perusij Rector fuit, vbi vix annum peregit, cùm Neapolim regreſſus die 26. Feb. 1443. Alphonſum I. Regem triumphali more in eam ciuitatem ingredientem, toto Clero & populo geſtiente, cum Sanctorum Tutelarium ſacris lipſanis lætus excepit, ab eodem Rege ſanctioris Conſilij Præſes inſtitutus eſt: in maximis trepidiſque inde negocijs cum laude verſatus, nam profuit ſuæ Eccleſię iura ſeruando, quam cum annis duodecim ſanctè adminiſtraſſet Neapoli deceſſit die 29. Aprilis 1450. iacet in Cathedrali prope Patruum Nicolaum. Eius conſtitutiones curiæ Archiepiſcopalis commodo editæ ſunt. Eo quoque Præſule Fratres S. Mariæ de Mercede Neapoli recepti ſunt, quibus Eccleſiam S. Mariæ de Pace Alphonſus Rex conceſſit, cum Cœnobio à ſe condito: Sed ij hoc tempore ſuum habent Monaſterium apud Eccleſiam S. Vrſulæ.



41. RAYNALDVS Piſcicellus Neapo-

A litanus vir ſolers, & mitiſſimi ingenij, qui gentis ſuæ nobiliſſimæ ſplendorem litterarū cultura & morum honeſtate cum purpura exornauit. Is ex Canonico Metropolitanæ Eccleſiæ, & Protonotario Apoſtolico ſublectus eſt patriæ Archiepiſcopus à Nicolao V. anno 1451. 4. Id. Martij; qui cum præclaras animi dotes, inque agendis, expediendiſque conſilijs dexteritatem haberet, illum Alphōſus Rex ſuum Conſiliarium effecit, & ad Caliſtum III nouum Pontificem cum ſelectiſſimis Præſulibus, illuſtribuſque viris Oratorē legauit anno 1455. vt Hieronymus Zurita narrat. Anno ſequenti Neapolim digreſſus, ex ingenti immaniq; terręmotu propriæ Cathedralis ruinam proprijs vſurpauit oculis,
B impulitque ſuo exemplo tum ciues, tum Regem ipſum ad nouam templi molitionem, quæ nunc egregia, & munificentiſſima proſtat mortalibus. Hac tempeſtate ijs ferè diebus conſternata ciuitas, ex Raynaldi promotione ad purpuram non parum exhilarata eſt, & Archipręſulis ſui emeritæ dignitatis nuncium lætabunda excepit: Caliſtus enim Pontifex ex meritorum virtute tum ex Alphonſi Regis commendatione illum ad titulum Diuæ Cæciliæ Presbyterum Cardinalem creauit 15. Decembris 1456. ſcripto ſequenti diplomate.

Caliſtus ſeruus ſeruorum Dei. Venerabili
C *fratri Raynaldo Archiepiſcopo Neapolitano, in S.R.E. Cardinalem aſſumpto, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

Etſi à ſummo rerum omnium Conditore, cuius inæſtimabili prouidentia cuncta miro ordine diſponuntur ad exequendū Pontificalibus miniſterijs debitum diſpenſatores in domo ſua licet inſufficientibus meritis conſtituti pro vniuerſarum nobis Eccleſiarum, inſignium potiſſimè Cathedralium & Metropolis honore fulgentium incremētis, felicibus indefeſſis ſtudijs nos deceat eſſe intentos, ſolerti tamen vigilantia curare debemus, vt vniuerſalis Eccleſia, multitudo
D membris compoſita diſtinctis, non ſolum varijs decoretur titulis dignitatum, ſed præcellentibus viris in partem ſollicitudinis paſtoralis aſſumptis, ne ipſorum vileſcat auctoritas, aut collata dignitas ſit oneri potius, quā honori, congrua prouiſionis remedia tribuātur. Cum itaque hodie nos propter grandia virtutum dona, quibus perſonam tuam largiter Dominus inſigniuit, ad Cardinalatus dignitatem pariter & honorem in noſtro Cōſiſtorio publico de fratrum noſtrorum conſilio & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine duximus aſſumendum, & in S. R. E. Cardinalē nominandum ac etiam publicandum. Nos qui pro tui Cardinalatus titulo Eccleſiam S. Cęciliæ regionis Trāſtyberis almæ Vrbis tibi in proximo aſſignare intendimus, ne ab ali-

qui-

quibus in dubium reuocari contingat, ac pręterea per tuũ desuper spontaneum secuturum assensum à vinculo quo Neapolitanæ Ecclesiæ, cui præsidere dignosceris, te voluerimus, seu volumus absoluere. Ad ambiguitatem huiusmodi submouendam, motu proprio, non ad tuam, vel alterius personæ nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & voluntate, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus nostræ intentionis fuisse, & esse per assumptionem, nominationem, & publicationem, nec non tituli assignationem huiusmodi à vinculo antedicto nequaquam voluisse, aut velle absoluere, nec propterea Neapolitanam Ecclesiam vacasse, siue quoquo modo vacare, quinimo prouisionem & præfectionem de persona tua eidem Neapolitanæ Ecclesiæ factas in suo pristino robore immutatas vsquequaque persistere; & nihilominus pro cautelæ suffragio potioris ob tua excellentia merita, & multiplicia gratiarum munera, quibus experientia teste eandem personam tuam nouimus insignitam, & vt expensarum onera, quæ te iugiter subire oportet iuxta susceptæ dignitatis exigentiam commodius supportare valeas, paterna attentione prouidere volentes, sperantes quoque quod tu, qui eidem Neapolitanæ Ecclesiæ hactenus laudabiliter præfuisti, etiam in Cardinalatus honore constitutus illam valeas vlterius, auctore Domino, salubriter regere, ac feliciter gubernare, ipsiusque iura & bona tueri pariter, & augere. Motu, potestate & auctoritate similibus statuimus & ordinamus, ac tibi præsentium tenore concedimus, & te iam vt etiam postquam assumptioni, nominationi & publicationi prædictis tuum vr præfertur præbueris assensum, & memoratam Ecclesiam S.Cęciliæ in titulum tibi assignandam huiusmodi susceperis, cum illa etiam Cardinalis existens, Ecclesiam Neapolitanã prædictam pariter retinere, nec non Cardinalis, & Archiepiscopus Neapolitanus existere, & Cardinalatus officio, & pastoris dignitate pollere, & etiam fungi, easdemque Neapolitanæ & S. Cęciliæ Ecclesias pariter possidere, & illis quoad vixeris libere, liciteque præesse possis, & valeas ex certa scientia dispensamus, itaque ab eodem vinculo quo prædictæ Neapolitanæ Ecclesiæ teneris astrictus nequaquam absolui possis, aut debeas, nisi ad id tuus expressus accedat assensus & quemadmodũ ante assumptionem, & nominationẽ huiusmodi poteras & debebas Neapolitanæ Ecclesiæ antedictæ curam & administrationem in spiritualibus, & temporalibus gerere, & exercere, ita & in posterum quoad vitam duxeris in humanis tam illius, quam & Monasterium S Petri ad Aram extra muros Neapolitanos Ord. S.Augustini, quod ex cõcessione Sedis Apostolicæ obtines commendatum curam, regimen, & administrationem gerere, illudque vt præmittitur com-

A mendatum vna cum S.Cęciliæ, & Neapolitanæ Ecclesiæ præfatis similiter quo ad vixeris retinere libere, & licitè valeas, nec non Venerabiles fratres nostri vniuersi suffraganei, & dilecti filij Capitulum, Vassali quoque & subditi Neapolitanæ Ecclesiæ memoratæ, Clerus insuper, & Populus Ciuitatis, & Diœcesis Neapolitanæ tibi tanquã vero eorũ Archiepiscopo, Antistiti, & Pastori obedientiã, & reuerentiam congruentes, nec non Vassalli, & subditi consueta iura, & seruitia ab eis tibi debita exhibere teneantur. Decernentes ex nunc irritum & inane, quicquid in contrariũ per quoscumque quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, Non
B obstantibus præmissis, ac fel. record. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, & alijs Apostolicis constitutionibus, nec non dictæ Ecclesiæ Neapolitanæ iuramento confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alias roboratis, statutis, & consuetudinibus cæterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum declarationis, statuti, ordinationis, concessionis, dispensationis, constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Dei omnipotentis, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo
C *quinquagesimo sexto, quintodecimo Kal. Ianuarij Pontificatus nostri anno secundo.*

Cæterum Raynaldus Romam suscepturus Cardinalatus sui insignia mense Martio profectus, benigne susceptus galerum accepit, sacroque Collegio totique Aulæ adeo in pretio fuit, vt aliquando futurum Ecclesiæ vniuersalis ornamentum præsagiretur, sed prępostera mors intercessit communibus votis: vix enim quattuor menses in Vrbe exegerat cũ auersa valetudine cœpit paulatim deficere, ac incuria potius Medicorũ, quam aëris grauitate, vt Æneas Syluius scribit in Epistola ad Card. de Cusa, fato functus est die 13. Iulij 1457. Corpus sequenti anno Neapolim delatum
D in Cathedrali conditum fuit marmoreo tumulo iuxta maioris altaris gradus cum hac inscriptione.

Raynaldus Piscicellus primò Pontificio Iuri operam dedit, mox Archiepiscopus Neapolitanus, deinde Cardinalis euasit, in vtroq; perhumaniter versatus, mirifice obseruabatur. Decessit anno ætatis suæ XLIII. & hic clauditur. Anno MCCCCLVIII.



42. IACOBVS Theobaldeſcus Romanus Epiſcopus Ferretranus, S. R. E. Presb. Card. S. Anaſtaſiæ, die 3. Aug. 1458. electus eſt Archiepiſcopus Neapolitanus, qui neque poſſeſſionem iniјt, ſed poſt menſes tres liberè ſe abdicauit, vt in Actis Conſiſt. legitur. Vide quæ de ipſo ſcripſimus in Epiſcopis Ferretranis tom. 2.



43. Oliuerius Carrafa Neapolitanus, Frãciſci ex Comitibus Madalunis filius; puer elegantis ingenij, & ad bonas artes à natura formati, litteris imbuendus traditur, breui tempore in omni ferè doctrinę genere clarus emicuit. Iuuenis à Raynaldo Piſcicello tunc Archiepiſcopo petiturus exemplum, clericalem vitam amplexus, Metropolitanæ Eccleſiæ ordinatus eſt Canonicus, & in virum prudentem & virtutum omnium amatorem inſignem euaſit. His nominibus clarus, charuſq; omnibus, ac præcipuè Alphonſo Regi eſſe cœpit, cuius placito, ac communi voto à Pio II. Pontifice patriæ Archipræſul eligitur die 18. Nouemb. 1458. infuliſque pontificalibus inſignitus eſt manibus Leonis Epiſcopi Nolani ſuffraganei, iunctis ad id miniſterij Benedicto Dragonarienſi, & Dominico Acerrarũ

A Epiſcopis in æde Turris octauæ Ianuario menſe 1459. Nullum in Epiſcopali onus fuit, quod non paribus humeris, ſumma cum pietatis, decoris, prudentiæque laude ſubierit. Nullus fere homo, nullus Princeps quibus eius pietas morumq; candor cordi non eſſet, erat, qui Oliuerium optimũ Antiſtitẽ nullus non amaret, non ſuſpiceret; ſummè eum dilexit Alphonſus, eiuſque filius Ferdinandus Reges, qui illum ſacri regij Conſilij Præſidem delegit. Paulus II. Pontifex vt toti Eccleſiæ, ac Ferdinando Regi gratificaretur, eundem vocauit ad purpuram anno 1467. 14. Kalen. Octob. vulgo appellatus eſt Cardinalis Neapolitanus. Vrbem ingreſſus die 3. Decemb.
B rubeo pileo ac titulo SS. Marcellini & Petri Inſignitus in Eccleſia S. Marci, publico in cõſiſtorio eadie à Paulo ibidem habito. Purpuram cum ingenti cognitione, rerumq; peritia, & morum puritate adeo cumulauit, vt omnium Pontificum amorem, & exiſtimationẽ promeruerit. Illum Sixtus IV. ad Ferdinandũ Legatũ miſit, mox cõtra Turcas Põtificiæ Claſſi triremium cum poteſtate Legati præfecit: cum Neapolim appuliſſet anno 1470. in æde S. Mariæ Incoronatæ, Beatricẽ Aragoneam Ferdinandi filiam Matthiæ Comiti Pannonię regis deſpõſatam ſolemni ritu coronauit; bellicos deinde motus Ferdinandũ inter & Pontificem exortos, magno Italiæ bono feliciter ſedauit. Sub Innocentio VIII. Alexandro VI. Iulioq; II. Pontificibus mul-
C tos pro Eccleſia exanthlauit labores, à quibus ingentibus gratijs & ampliſſimis ſacerdotijs ditatus eſt: Cõmendatas enim habuit aliquando Ariminenſem, Teatinam, & Caiacenſem Eccleſias, ac Montis Virginis, aliaſque nobiles Abbatias, quibus ſuffultus redditibus par omnibus regius animus acceſſit, ſiquidem Neapoli ſua in Cathedrali potiſſimũ præter ſacras veſtes, argenteaque vaſa alioqui ad diuinum cultum ornamento, ſacellũ conſtruxit, quod ſubcorpum vulgo appellat, opus inſigne ac pene regium, & admiratione digniſſimum, candidis marmoribus, varijſq; ſculpturis à Thoma Maluico Nouocomenſi celebri ſculptori elaboratum, ac marmoreis columnis ſubnixum, ad quod per ianuas duas & marmoreos gradus deſcenditur, duabus
D æneis portis appoſitis, in eo ſepulchrum ſibi viuens poſuit, illudque ampliſſimo cenſu dotauit, ſuæque familię obnoxium fecit, vt duodecim Sacerdotes, cum duobus clericis & ſacriſta ad diuina peragenda alerentur. Tredecim item altaria conſtruxit, maximum in honorem S. Ianuarij Martyris diuique Tutelaris vbi corpus eius ſacrum è Monaſterio Montis Virginis anno 1497. Neapolim tranſlatum, reconditum eſt, ad cuius pedes Oliuerij, ſepulchrum genuflexi integra marmorea ſtatua conſpicitur, leguntur in eo ſacello ſequentes inſcriptiones.

Currite, qui cupitis Cœlestis præmia vitæ,
Et castas huc ferte preces, hac Ianua Cœli,
Pandit iter cœtis Deus hic, lacrymisque precantum
Mitis adest, qui martyrio, precibusque beati
Ianuarij totam commisso crimine ab omni
Parthenopem nutu, ac præsenti numine purgat;
Currite vim patitur diuini Regia Regni.

Alia ad læuam.

Oliuerius Carafa Episcopus Ostiensis S. R. E. Card. Neap. D. Ianuario Martyri, Pontificique Neap. Patrono Sarchophagũ hoc dedicauit: Sacellumq; marmoribus miro opere construxit, ornauitque, additis ei Sacerdotibus, qui quotidie Deo sacrificent, quibus dotem perpetui prouentus constituit. Iuspatronatus Sacelli gentilitium esse voluit. In primis Dei honorem ac laudem Sanctorum quæsiuit. Fauete animis, & Auctori Deo preces fundite. Anno sal. M.D.VI.

Iconem quoque Deiparæ Assumptæ in altari summo Cathedrali fieri curauit per Petrum Perusinum celebratissimum pictorem, vbi eius genuina imago spectatur. Palatium Archiepiscopale vetustate iam fatiscens in meliorem, ampliorem que formam restituit, & exornauit. Erexit quoque Nosocomium pro peste infestis in Monasterio S. Iannarij Benedictini Ordinis haud longe à mœnijs, quod ex auctoritate Summi Pontificis in pium vsũ, ac ciuitatis pernecessarium opus, commutauit, suppressa tamen commenda. In æde S. Dominici gentilium suorum sacellum ornauit, vbi extat Sanctissimi Crucifixi imago quæ Sancto Thomæ Aquinati responsum dedit, *bene scripsisti de me Thoma*: ibi visitur quoque nobile sepulchrum Francisci Carrafæ Oliuerij genitoris, cum inscriptione.

Par vitæ
Religiosus exitus
Francisco Carapha Equit.
Neap. insigni
Christianæ religion. obseruantiss.
qui summa omnium mortalium
beneuolentia ac veneratione
ætatis annum agens
LXXXIII. obijt
Senij numquam questus.
Oliuerius Card. Neap. Parenti
opt. P.

Romæ etiam Oliuerij pietas refulsit: apud Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Pace à fundamẽtis cœnobium condidit, pro Canonicis Regularibus Lateranensibus, quorum erat Protector, quibus etiam moriens suam bibliothecam, vineamque extra portam Flaminiam positam legauit. In Ecclesia S. Mariæ super Mineruam extruxit Sacellum Diui Thomæ Aquinatis, & eximijs picturis à Philippo Lippo Florentino artis peritissimo expressis nobilitauit. In S. Laurentij Ecclesia extra muros posita, cuius Cœnobij Ordinis, tunc S. Benedicti vetustissimi, commendatarius erat, deauratum laqueare fecit. In Ecclesia Aracœlitana laterales partes extruxit. Plura in Vrbe alia visuntur Oliuerij sacra, profanaque monumenta. Sed piam suam liberalitatem, ne dum erga sacra loca, religiosasq; ædes: verumetiam in viros doctos transfudit, nullus enim fuit non Romæ tantum, ac in Italia, sed in vniuerso fere Christiano Orbe litterarum scientia ac doctrina insignis vir, aut discendi desiderio adolescens, qui Oliuerij beneficium, liberalitatemque non sit expertus: testes sunt illustres viri omnium scientiarum genere doctissimi, qui eius regiam prope in litteratos munificentiam non deprędicauerint. Felinus Sanderus Ferrariensis celebris Iurisconsultus, sua iuris Canonici commentaria Oliuerio dedicauit, vbi ad cœlum eius extollit munificentiam virtutemque. Baptista Mantuanus illustris Poeta libros tres de calamitatibus temporum heroico carmine conscriptos, & syluarum librum de pacata Italia eidem nuncupauit. Augustinus Niphus de calamitatum causis. Aelius Marchesius Laertij de vitis Philosophorum, quem emendauerat: Petrus Feltus medicinæ artis Doctor, quæstionem de Fato: Cardinalis Caietanus commentaria in lib. Aristotelis de anima: Ioan. Franciscus Picus Mirandulanus, Pici Comitis patrui sui disputationes aduersus Astrologos, & alij viri clarissimi permulti, Oliuerio sua opera nuncuparunt. Garimbertus lib. 1. cap. 11. de religione, & cultu diuino, præclara Oliuerij facinora recenset. Cæterum Oliuerius cum per annos 26. Neapolitanam Ecclesiam incorruptè sancteque administrasset, reclamantibus populis, applaudente Innocentio VIII. Pontifice (erat enim Romanæ Curiæ, totiusque Ecclesiæ negotijs

gotijs pernecessarius) eo munere se abdicauit, cum regressu tamen, ad fauorem Alexandri fratris sui, qui cum è viuis excessisset anno 1503. iterum Oliuerius munus obiuit, donec in Bernardinum, mox in Ioannem Vincentium ex fratre nepotes transferendam curasset anno 1505. reliquum inde quod superfuit vitæ tempus Romæ sanctè vixit Episcopus Card. Ostiensis Collegij Decanus, quã dignitatem optauerat ex Sabinẽsi anno 1503. per assumptionem Iulij II. ad Pontificatum. Demum omnibus ordinibus futurus luctus die 20. Ianuarij 1511. mortem Romæ obijt; cadauer eius Neapolim delatum Cathedrale templum, sacellumque ab ipso extructum, tumulusque paratus excepit. In Episcopatu Ostiensi successorem habuit Raphaelem **B** Card. Riarium: hoc lectorem meum monitum velim, cum in nostra Ostiensium Episcoporum serie tom. 1. Oliuerij obliti essemus, post Iulianum Roboreum, Raphaelem Riarium reposuimus anno 1503. qui eam post Oliuerij obitum optauit Ecclesiam. Reponendus est igitur in ea serie Oliuerius, post Iulianum Roboreum, qui ad Sedem Petri ascendit sub nomine Iulij II.



D 44. ALEXANDRVM Carrafam Oliuerij germanũ fratrem ad Archiepiscopalem curã fratris abdicatio vocauit, collatum munus ab Innocentio VIII. fauorabili scripto idem firmauit Pontifex anno 1484. 12. Kal. Octobris Neapolim ingressus est 22. Decemb. tanta omnium letitia, vt suis illum humeris populus ad Cathedralem deportare velle videretur. Neque illorũ spes ille fefellit, siquidẽ concreditam sibi Ecclesiam summo amore, eximioque conatu administrauit. Statim namq; vt suũ munus adimplere cœpit, maioris Ecclesię fornicem, seu testudinem ferè collabentẽ restituit, hac proloquente inscriptione.

Mentem sanctam spontaneam, honorem Deo, patriæ liberationem. Alexander

A *Carrafa Archiepiscopus Neapolitanus fecit. MCCCCLXXXIV.*

Vt ab humanis decedantium in ciuitate, ac diœcesi sua, pijs, vltimisque voluntatibus consuleretur, & satisfieret, insignes viros doctrina, & religione præstantes adlegit, eosque peculiares iudices constituit. Prolapsos aliquantisper ex Oliuerij absentia Cleri mores castigauit, atque correxit. Diœcesim lustrauit, eaque omnia egit, quæ boni Pastoris esse viderentur. Anno 1494. Neapolim transtulit corpus Sancti Ianuarij Martyris è Monasterio Montis Virginis, cuius historiam Bernardinus Siculus, qui & ipse illi interfuit, fideli calamo, rudi tamen carmine conscripsit, ex quo Caracciolus in hist. eiusdem **B** Sancti cap. 20. §. 15. Incidit hæc translatio in decimam septimam Ianuarij anni 1494. vt Afflictus testatur in Constit. Regni, incipiente *Terminum vitæ* tit. de homicid. num. 47. & in eam quæ incipit. *Si quis aliquem* tit. de spoliat. homin. num. 5. vbi & de officio in eius honorem à se composito meminit. Ad quem diem figebatur olim etiam in Tabulis Neapolitanæ Ecclesiæ: quanquam & prima quoque translatio celebraretur prima Dominica mensis Maij. Ex quibus postea tabulis abrasa est.

Eodem anno 1494. die 25. Ianuarij obierat Rex Ferdinandus primus, cui successerat Alphonsus II. eius filius, qui cum eadem die ad maiorem Ecclesiam processisset à Princi- **C** pibus regni associatus, ab Alexandro, vna cũ Clero benignè ad gradus ædis exceptus ante altare maximum illum benedixit, ac Regem acclamauit, die vero 31. eiusdem regia pompa Ferdinandi cadauer ad sepulchrum elatũ, Alphonsus filius velato capite, pedester, ac mœstus inter Cusentinum, Alexandrumque Archiepiscopos funus prosequutus est: Alexander iusta persoluit, funebri oratione defunctum Regem laudauit eximius doctusque vir Franciscus Puccius Patritius Florentinus. Paulo post Alexander ab eodem Alphonso Orator missus est cũ Aloysio Aragoneo Hieraci Marchione nepote, Petro Gueuara Potentiæ Comite, Antonio de Alexandro Neapolitano, & Aloysio de Paladinis Militibus, **D** ad Alexandrum VI. Pontificem, vt Regi cẽsum remitteret, quod cum à Pontifice consentiente sacro Senatu obtinuissent, Neapolim regressi sunt cum Pontificio diplomate, & Alphonsi solemni coronationi interfuerunt, quã peregit Ioannes Cardin. Borgia die 21. Maij. Ineunte vero anno 1495. die 21. Februar. Carolus VIII. Francorum Rex Regnum Neapol. suo subiugauit imperio, cui Alexander inclyti Martyris Ianuarij sacrum caput, eiusque sanguinem ampulla inclusum exosculanda tradidit; posita vero ampulla in eiusdem S. corporis conspectu, sanguis, qui veluti lapis in ea congelatus erat, statim ante Regis, Procerumque oculos ebullire cœpit: obstupuit Rex, Gallique proceres admirati sunt: stupen-

pendum miraculum Gallus quidam Gallica lingua conſcripſit edidítque anno 1516. in libro cui titulus *Le miroir hiſtorial de France*. Sequenti anno 1496. ea facilitate qua Carolus Regnum adeptus fuerat, amiſit, ac Ferdinandus II. qui Alphonſo patri ſucceſſerat, illud recepit, ſtatimque defunctus eſt, & Federicus Aragoneus Altemuræ Princeps eius patruus, Rex acclamatus die 7. Octob. in Cathedrali ab Alexandro Archipræſule benedictus ac Rex ſalutatus, eiuſdem coronationi interfuit die 10. Aug. ſequentis anni, quam in Cathedrali peregit Cæſar Card. Borgia Alexandri Pontificis à Latere Legatus. Per annos omnino viginti duos, difficillimis temporibus Alexander Neapolitanam rexit Eccleſiam, poſt quos Romæ huic vitæ finem fecit anno 1503. die vltima Iulij. Corpus Neapolim delatum anno 1508. in Cathedrali ſacelloque S. Iannarij conditum eſt, menſe Octob. eiuſque funeralia tum Romæ, tum Neapoli magna pompa ſunt celebrata. Alexandro ab humanis erepto, Neapolitana Eccleſia per regreſſum ad Oliuerium Card. fratrem rediit, quam deinceps in Bernardinũ nepotem transferendam curauit.



45. BERNARDINVS Carrafa Oliuerij, & Alexandri ex fratre nepos, Miles Hieroſolymitanus, eiuſdemque Ord. Neapolis Prior Epiſcopus Theatinus, & Patriarcha Alexandrinus, ex Patrui ceſſione Neapolitanus Archiepiſcopus deſignatus eſt à Iulio II. Pontifice. Mortuus eſt Neapoli antequam poſſeſſionem iniiſſet menſe Maio 1505. ſepultus in Eccleſia S. Dominici, nobili marmoreo tumulo hoc Elogio illuſtrato.

Oſſibus & memoriæ Bernardini Carrafæ
Epiſcopi & Comitis Theatini,
Patriarchæ Alexandrini
Poſitum
HieronymusCarrafa fratri vnanimi cum lachrymis fecit.
Vixit ann. XXXIV.
Morte iudicante ſatis cum vixiſſet diu, cui nihil ad vllam vel prudentiæ, vel litterarum laudem addi vlterius poſſet: contra grauiter conquerente fortuna, ereptam ſibi facultatem ampliſſimi honoris, quem iam apparauerat illi deferendum.
Fato functus eſt Anno ſalutis Chriſtianæ M. D. V.



46. VINCENTIVS Carrafa Hectoris Ruborum Comitis filius ex Epiſcopo Ariminenſi, & Patrui Oliuerij ceſſione ſubiectus eſt Neapolitanus Archiepiſcopus die vltima Maij 1505. Diu Romę moram traxit antequã ſuam adiret ſponſam, interfuitque Lateranẽſi Concilio ſub Iulio, & Leone X. Pontificibus, quorum aſſiſtens fuit. Anno ſui Archipræſulatus decimo tertio, ſalutis vero 1518. omnibus curis abdicatis, quibus Romæ detinebatur, bona Leonis venia, ad ſuam ſe contulit Eccleſiam. Dum autem ſolemni pompa ingreſſurus eſſet, magna lis intercesſit, inter Capuanæ aliarumq; ſediliũ proceres, ad quos nempe ius deferendi vmbellæ baculos in eo ſolemni Archiepiſcopi ingreſſu ſpectaret, cum iam quatuor & quadraginta annos fluxiſſent, quibus nullus nouus Præſul in eam verbẽ ingreſſus fuiſſet: quamobrem Vincentius quatuor dies Auerſæ moram traxit, donec Raymundus Cardona Prorex ex ſententia collateralis conſilij, ius illud ad Capuanæ ſeſſionis ciues ſpectare declarauit. Primum itaque Vincentius Neapolim ingreſſus, à populo lætante exceptus eſt die 12. Iunij 1518. in cuius ſolemnijs Alphonſus Zamarius epigramma cecinit, cuius initium, *Ad nos ve-*

nisti Pater ò celeberrime Patrum, integrum A legitur in lib. sacr. carminum quem Clementi VII. inscripsit. Vincentius vero cum summa pietate gregem sibi concreditum instituere cœpisset, collapsos aliquantulum ex absentia sua Cleri mores correxisset, omnibus curis intentus post annos duos à Leone X. Romam euocatur, eoq; defuncto, à sacri Collegij Cardinalibus, dum interregnum illud duraret, Leoninæ regionis Gubernator, & Conclauis custos adlectus est. Sub Clemente VII. vrbē frænauit, alijsque functus muneribus, promeritam à grato Pontifice purpuram retulit sub titulo S. Pudentianæ die 17. Maij 1527. dum à Borbonij militibus vrbs miserè depopularetur; auctus deinde Anglonensi, & Anagnino Sacerdotijs, sed cū summè gratus & per- B necessarius esset eidem Pontifici, ne ex sui absentia Neapolitana Ecclesia periclitaretur, coadiutorem sibi obtinuit cum spe futuræ successionis, electique nomine Franciscum fratris filium die 12. Ianuarij 1530. simulque absens ipse, præsens ille Neapolitanam rexerunt Ecclesiam, quandiu Vincentius in viuis fuit. Obtinuit quoque ab eodem Clemente vt sacellum S. Ianuarij Cathedralis ab Oliuerio Card. patruo exædificatum ius esset perpetuū suæ familiæ, & descendentium, vbi ad nutum instituere possent sacellanos decē, Sacristam, ac Clericos duos minoris gentium, cumque eius indulti litteræ sequuta Pōtificis morte haud expeditæ fuissent, à Paulo III. successore benignè eas accepit anno 1534. quibus multa recensentur ac scitu dignissima de inclyto Martyre, ac Pateno, einsq; trans- C latione è Monasterio Montis Virginis Neapolim patrui temporibus celebrata.

Anno 1537. idem Paulus Pontifex, deprecante Vincentio, Canonicis Metropolitanæ potestatem fecit, nullo festiuitatum præscripto tempore, violaceis cappis vtendi, cum striatis albis indusijs superhumeralibus, ac breuibus palliolis, more Canonicorum Vaticanæ Basilicæ, quem ritum deinde alij Pontifices comprobarunt. Pius Quintus ita priuilegium ampliauit vt nō modo violaceas cappas deferrent, sed etiam attribuit vt in Ecclesiæ solemnijs albis thiaris, & pedo vterentur, cusodiplomate 4. Non. Martij 1571. Canonici ad Pauli memoriam hanc in S. Re- D stitutæ Ecclesia inscriptionem posuerunt.

Paulus III. Pont. Max. in
sacrorum pompis ac cæremonijs,
huiusce maioris templi Canoni-
cis ianthinis cappis, & rocchettis,
vt Romæ in Diui Petri assolent,
exornari concessit, quod in di-
plomate clarius datur intueri,
procurante Vincentio Carrafa
Card. Neapol. ab Incarnatione
Dominica M. D. XXXVII.
viij. idus Martij.


Ita apud Paulum Card. Vincentius gratiosus fuit, ita eidem omnibusque eius integritas, fidei constantia, rectitudinis zelus, clara prudentia, ac longa consummataque in Vrbe experientia nota erat, vt cum ille Busseti ad colloquium habendum cum Carolo V. Imp. Roma progressurus esset, totius vrbis administrationem Vincentio sub Legati titulo demandauerit, pauloque post Neapoli, vbi laxādi animi gratia appulerat, è viuis eximitur Episcopus Card. Prænestinus mense Septēb. 1540. sepultus in Cathedrali sacelloq. D. Ianuarij. Illum ob clementiam morumque candorem, munificentiamque summis laudibus extulerunt Iacobus Præfectus Siculus in suis Canticis de verbo Dei, Petrus Grauina Neapol. atque Ianus Anysetèn. illustres Poetæ, alijque viri clarissimi, cum eius generis, aliosque eruditos, doctosque homines summe coluerit, docta siquidem illi eruditaque familia fuit, in qua enituere Ioannes Ancharisinus Macerata senex lepidissimus, Cosmas Iacomellus, Basilius, Lucas Gauricus Episcopus Ciuitatensis illustris Astrologus, Ianus Paulus Thysius Iurisconsultus, Sempronius Amaranthus non minus Philosophus, quam Orator. Fabius Vmber Apollinis, Musarūque comes, Franchinus ad vnguem Vates, qui eius aulam summe illustrarunt.



47. FRANCISCVS Carrafa filius Antonij Ruborum Comitis, Vincentij Cardin. nepos, iam diu hoc est anno 1530. Neapolitanus Archiepiscopus adlectus, patruo demortuo successit anno 1540. ætatis suæ 38. suum statim Generalem Vicarium instituit Leonardum de Magistris Episcopum, Ecclesias omnes suæ Diœcesis cum illo lustrauit; Insulam Nisidem, veterum scriptorum memoria

ria illuſtrem,& Eccleſiæ Neapolitanæ obnoxiam, Petro Vrſacceo, annuo cenſu præſcripto, conceſſit anno 1544. eodemque anno Romæ defunctus eſt 30. Iulij,nulla relicta in Eccleſia pietatis ſuæ memoria, præter auorum, patruorumque ſuorum imagines ſummo honore viſendas. Habuit quoque Generalem Vicarium dum hanc Eccleſiam ſimul cum Vincentio moderaretur,Donatum Strineum Epiſcopum Inerinę, qui iacet in Eccleſia S.Mariæ de Gratia in ſepulchro ſibi parato, vbi hæc inſcriptio.

Vt corpus in eius æde ſeruetur cui animum ſe dicauit, Donatus Strineus Pontificij iuris profeſſor Inerinæ Præſul, vbi Eccleſiæ ſuæ ann. xxx. præfuiſſet, & ex his xxvj. in Parthenopeo Vicariatu peregiſſet. Annum LXXXVI. agens conditorium hoc ſibi P. Anno M.D.XXXIV.



48. RAYNVTIVS Farneſius Pauli III. nepos, Petri Aloyſij Parmæ Ducis filius, Alexandri Farneſij Card. frater, magnæ indolis adoleſcens ætatis ſuæ annorum quindecim à patruo electus eſt Archiepiſcopus Neapolitanus anno 1544. dum Patauij litteris operã daret; datus illi eſt ad Pontificalia exercenda Fabius Epiſcopus Biſignanenſis; in temporalibus vero Galeatius Florimontius Epiſcopus Aquinas, qui etiam in ſpiritualibus operam ſuam nauauit. Voluente vero anno die 17. Septembris Raynutius Diac. Card. S.Luciæ in Silice creatus eſt. Eccleſiam Neapolitanam nunquã adijt, quam poſt annos quinque à ſua adminiſtratione electus

A Archiepiſc. Rauennas libere ceſſit, nec eius alia in hac Eccleſia memoria extat, niſi organa in Cathedrali magnificè elaborata,miræq; pulchritudinis,ac venuſtatis, in cuius foribus picta eſt Chriſti Saluatoris natiuitas cum Paſtoribus,ac Dauid Rege Pſalterium percutiẽte, exterius vero ſeptem Neapolitanæ Vrbis Protectores tunc exiſtentes viſuntur, opus Georgij Vaſatij Aretini celebris pictoris; vt idem Vaſarius vol 2. par.3. Vitæ Pictorum. Quo Præſule Neapoli ad cœlum euolauit B.Caietanus Thienus Clericorum Regulariũ Fundator & Pater, 7. id Sextil.1547. cuius ſacrum corpus iacet in Cœmeterio S. Pauli, vna cum corpore B. Ioannis de Marinone vt inciſum epigramma proloquitur.

B

Vos Venetum tellus genuit, Caietane, Ioannes
Hæc habuit Pauli vos domus alma Patres.
Per virtus, terris celebres cæloque Beatos
Reddidit, ergo eadem vos bene condit humus.

Cæterum Raynutius fuit Epiſcopus Bononienſis, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Maior Pœnitentiarius, varijs legationibus celebris, ſacri Senatus deliciæ & ornamentũ in ipſo ætatis flore extinctus Parmæ Epiſcopus Card.Sabinenſis die 28. Octob.1565. de quo egimus in Archiepiſcopis Bononienſibus atque Rauennatenſibus.

C



D

49. IOANNES PETRVS Carafa Epiſcopus Card. Sabinus à Paulo III. die 9. Nouemb.1549 hanc eandem patriam Eccleſiam obtinuit. Præfuit huic Eccleſiæ ad annum vſque 1555. cum ex Epiſcopo Oſtienſi, Sacrique Collegij Decanus die 22. Aprilis ſub nomine Pauli IV. ad ſupremam Petri Cathedrã aſcendere meruit. Pontifex quidem Orthodoxæ Religionis acerrimus vindex, ſingularis

ris virtutis, & ingentis animi, morum & innocentia vitæ ſummus, quem nominaſſe ſufficiat, cum, quis fuerit, & quæ præclarę vbiq; & ſemper præclara geſſerit, nemo ex alienis ſcriptis ignoret. Cæterum Ioannes Petrus abſens Neapolitanam Eccleſiam adminiſtrauit, quippe qui Romæ grauioribus negocijs detentus, nedum Neapoli poſſe ſufficere videretur. Vſus eſt pro Generali Vicario Scipione Rebiba Siculo Epiſcopo, ille idem qui ſub Iulio III. euaſit S. R. E. Cardinalis, ne quid detrimenti ex abſentia paſtoris viduata Eccleſia pateretur. Locupletauit tamen Cathedralis ſacrarium, pretioſo ſacrorum veſtium cultu, adeoque eam dilexit, vt Pontifex mox renunciatus, illam veluti dilectiſſimam per Iulium Paueſium Epiſcopum Sancti Leonis, virum egregium ex Ord. Prædicatorum, Vicarium ſuum, aliquot annos feliciter rexerit; de quo in Theatinis Epiſcopis redibit ſermo.



50. ALPHONSVS Carraſa Pauli IV. nepos, Antonij Montis belli Marchionis filius, ſingularis ingenij, & optimæ indolis adoleſcens ſeptem & decem annos natus, à Paulo electus vt Antonio parenti rem gratã faceret, tum quia futurum ſperabat, vt quemadmodũ morum candore, ita doctrina, prudentia, pietate Oliuerij Carrafæ gentis memorandi Purpurati virtutes referret, Diaconus Cardinalis creatus die 15. Martij 1557. pauloque poſt, die ſcilicet 9. Aprilis Neapolitanus renunciatus eſt Archiepiſcopus, ad cuius Eccleſiæ adminiſtrationem donec ille adoleſceret, atque abſens Apoſtolicæ Cameræ Præſes eſſet, Iulium eundem Paueſium tunc Epiſcopum Veſtanum admouit. Interea dum Paueſius pro Alphonſo Neapolitanas ſacras res perbelle gubernaret, ille ex animi virtute, ita patruo complacuit, vt cum Paulus anno 1559. omnes fratrum filios, ac præſertim Antonium Alphonſi genitorem, omnibus di-

A gnitatibus priuaſſet, egiſſetq; in exilium, hunc innocentiſſimum iuuenem, apud ſe retinuit; iuſſu tamen, ne cum genitore, affinibuſque communicaret, neque pro ipſis aliquid expoſceret. Nec multo poſt è viuis ſublato Paulo, ſenſit & ipſe aduerſantis fortunæ ſtimulos: Siquidem Pius IV. qui Paulo ſucceſſerat, cum Carolum Cardinalem Carrafam, cæteroſq; Pauli nepotes conieciſſet in carcerem, Alphonſum in Adrianam molem cuſtodiendum mandauit. Subijt igitur per aliquot menſes ſqualorem carceris, quem cum ſola innocentia excuſſiſſet, multatus tamen fuit magna pecuniæ ſumma, vt in Vrbe ſibi vita vti liceret, eo quod mortuo Paulo, ex eius cubiculo aliqua bona ſubripuiſſet, cæteris
B Carrafis capite plexis, Carolus Cardinalis laqueo fracto gutture, miſerè, indignaque morte interijt. Cæterum cum Alphonſus deinde Pium Pontificem expeteret benignum, facultatem obtinuit ſuam adeundi Eccleſiã; itaque Neapolim progreſſus, ſummo honore excipitur die 28. Nouembris 1562. poſt tres annos ex animi mœrore deceſſit die 24. Auguſti ætatis ſuæ anno 25. & ſpem, quam de præclariſſimo iuuene Paulus, cæteriq; mortalium conceperant, mors importuna ademit. In Cathedrali humatus eſt; cui deinde Pius V. Pontifex cum hac plena decoris inſcriptione pulcherrimũ defuncto ſepulchrum erexit.

C *Alphonſo Carrafæ S. R. E. Card. Archiepiſcopo Neapolitano, adoleſcenti non minus virtute ſua quam maiorum ſplendore claro, patrui Pauli IV. Pont. Max. religionem, integritatemque referenti, ea ſapientia prædito, vt in ſecundis rebus ſummam eius temperantiam, in aduerſis miram conſtantiam*
D *omnes laudauerint*
Pius V. Pont. Max. P.
Vixit ann. XXV. D. XV.
Obijt MDLXV. IV. Kal. Septembris.

51. MA-



51. MARIVS Carrafa Federici Sanlucien-sium Marchionis filius, Abbas S. Angeli de Auersa, ob suam probitatem fidemque domi forisque clarus à Pio IV. ad Patriæ Archiepiscopalem Sedem sublegitur die 26. Nouembris 1565. inijt possessionem per procuratorem Ferdinandum fratrem germanum Marchionem, regium à latere, & status consiliarium die 6. Decembr. In ea dignitate ad decem annos superstes fuit. Erat Marius ijs probitatis dotibus ornatus, quæ omnium viderentur promereri posse amorem & gratiam; quippe qui clementia, doctrina, pietate, morum affabilitate, munificentiaque maximè claruit. Synodum Diœcesanam cum laude coegit, clericales mores reddidit emendatiores, auctorque fuit vt in Cathedrali Ecclesia à Canonicis diuinum pensum quotidie in choro persolueretur, cum antea ex praua consuetudine, nec horis diuinis, nec cõuentualibus missis adesse solerent, quorum numerum quadragenarium, auctoritate Gregorij XIII. ad triginta redoxit, vt decentius, ac feruentius diuinis adesse possent. Monialium Cœnobia ad communem viuendi formamq; traduxit. Seminarium quoq; Clericorum ad normam Tridentini Cõcilij fundauit, attributis redditibus, vt ibidem quinquaginta Clerici diuino cultui subseruituri alerentur. Nec defuit in religioso Antistite pietas in pauperes, in pupillos, viduasq; charitas, quorum necessitatibus temporalia remedia adhibenda largè curauit: Archiepiscopale palatium in meliorem formam reduxit, cõstructo in eo Sacello, in sui suorumq; successorum cõmodum mirificè exornato. Decessit optimus vir Neapoli die 11. Septembris 1576. in S. Athanasij Episcopi Sacello; cuius cineres multos post annos Decius Carrafa Card. successor, in sepulchro quod sibi viuens parauerat marmoreo loculo inclusit, eiusq; memoriã reuocauit ad posteros.

A



52. PAVLVM deinde Cardinalem Aretium Clericorum Regularium alumnum, doctum, morum benignitate, profusa misericordia, profunda humilitate, charitate feruenti, alijsq; admirandis sanctitatis luminibus laudatissimum, Placentinum Episcopum Gregorius XIII. Pont. Max. ad Neapolitanam vel reluctantem transtulit Ecclesiam, die 6. Nouemb. 1576. Neapolim honesto comitatu, solemni tamen ritu ingressus est mense Decembri: eius Ecclesiæ administrationem admirabili quodam ardore animi, ac prudentia aggressus est. Nihil illi antiquius (vt Sylos scribit) quam Cleri mores, ac disciplinam inuestigare; eorumque vitia rescindere, si quæ irrepserant: vt ab eo in reliquum vulgus exempla, ac leges manarent. Lustrare accuratè Templa voluit, vt cæremonijs, nitorique sacrorum consuleret. Iustitiam in primis religiosissimè administrari, vt ab Ecclesiasticis decet curauit. Auaritiam, conniuentiam præsentissimas fori pestes mirum quo zelo est aggressus! Quo moras praecideret, cuncta ad se negotia deferri iussit. Ipse pro iudicij atque eruditionis præstantia iugulabat statim causas: non infimæ sortis homines aditu excludebantur, obuius, opportunusque singulari benignitate omnibus. Planè nihil sanctius, nihil diligentius, aut ardentius eo statim initio videri potuit. Qui vero incredibilem eius contentionem, studiumque temperandæ Neapolitanæ Ecclesiæ adiuuabant, excellentis cuiusdam doctrinæ ac probitatis adminiculi erant; quorum Placentiæ perspectam sedulitatem, atque integritatem habuerat, hos Neapolim transferendos curauit, inter quos fuere viri tres, qui postea admoti & ipsi regendis infulis fuere: nempe Gaspar Silingardus, eius Vicarius, spectatæ prudentiæ, ac iuris vtriusque consultissimus, Episcopus primum Ripatransonus, mox Mutinensis; Ioseph Marchardus, qui Vicarias item partes Placentiæ obtinerat Marianæ postea in Corsica Insula Episcopus: & Comes Hieronymus Bentiuolus Montisfaliscorum Episcopus: Accessit par hominum præstantissimorum, Ioannes Baptista Eugubinus ex Eremitarum Diui Augustini Ordine,

dine, eius Theologus, qui eam doctrinarum & prudentiæ famam collegerat, vt ad supremum sui Ordinis Magistratum præpositus, vna cum aliis duobus à Gregorio XIII. Pontifice nominatus fuerit, & Nicolaus Marconus, Diui Petri olim Pœnitentiarius. Neque prætermittendus Alexander Borla è Diui Philippi Nerij cœtu integerrimæ vitæ cõpertæque virtutis sacerdos, quem cum Placentiæ tum Neapoli curare præfecturam domus Aretius voluit; vt qui & regere singulari diligentia rem domesticam, & temperare mores domesticorum insigni exemplo sciret. Viros præterea Neapoli reperit laudatissimos, quorum nauitas præ magno quidem adiumento gerendis rebus fuit: inter quos numerantur Paulus Tassus, & Paulus Baldinus, eius tum Ecclesiæ Canonici, qui & postea Episcopi, hic Surrentinus, ille Lancianensis. Vsus item suorum Clericorum Regularium operas, quorum fidem, ac studia cum magnifaceret, credere illis momenta rerum, eorumque adhibere in negotijs explicandis consilia, curasque videbatur, vt facile etiam Placentiæ non pœniteret. Et quidem cum alia alijs permitteret, Iosephum Barbutum, sacerdotem eiusdem Ordinis absolutissimæ virtutis, quem Placentino Collegio, quod ipse excitauerat, educandæ, formandæque adolescentiæ admouerat, impetrata maiorum facultate, idem hic mouere saxum iussit. Enimuero instituerat Marius Carrafa Archiepiscopus è Neapolitana iuuentute Seminarium, vt imbuti bonis artibus, ac moribus adolescentes ad eius Ecclesiæ cultum, curamque subcrescerent. Quod vbi Collegiũ lustrat Card. Aretius, labefactatam lapsamq; omnino Rectorum vitio disciplinam aduertit: cumque ea de re cum viris prudentissimis sæpius, atque accuratè consuluisset, id instaurandæ communi rei remedium opportunum fore duxit, vt quando præ laxiori viuendi licentia dimitterentur iuuenes illi omnes, noui inducerentur; fundato penè iterum Collegio. Regendæ nouæ soboli, positæ olim apud Placentinos laudatissimæ operæ experientia, poscitur à Cardinali Aretio Borbula; probauitque statim Præfecti pietatem, institutionem, industriam alia adolescentum educatio, ac vita. Interim coniectari liceat, quam bene Ecclesiæ Neapolitanæ esset, quã Cardinalis Aretius non modo sua prudentia, exemplisque virtutum, verum etiam adscita egregia administratorum, quos modo memorauimus, ope, ac virtute procurabat. Præsul itaque fide, sapientia, sanctimonia vitæ, cæterarumque virtutum claritudine memorabilis, & ab ipsis infantiæ rudimentis mira Dei gratia præditus, Neapolitanam sibi concreditam Ecclesiam magna cum ædificatione rexit decem & octo mensium spatio, iuuans pauperes eleemosynis, religiosos patrocinio, omnes exemplo. Neapoli quieuit in pace die 17. septima mensis Iunij, ætatis anno septimo supra sexagesimum, salutis vero 1578. tanto omnium ordinum mœrore, quod in eo munere exiguum adeo tempus explesset, vt propemodum inconsolabilis videretur. Sepultus vt testamento cauerat, in communi Clericorum suorum Regularium ossuario in Ecclesia S. Pauli, vbi primum religionis habitum induerat, absque vlla inscriptione. Quo postea è loco cum laxari Ecclesiam illã, mutariq; cœmeterium contigisset, translatus in Crucifixi sacellum fuit, ad læuam templi partem, iterumque anno 1624. quo inquieti præclara eius virtus, ac sanctimonia, Decij Cardinalis Carrafæ Archiepiscopi Neapolitani nutu cœpit, in altera reconditus ædicula fuit, vt decentius iacerent pij Manes. Anno 1644. corpus venerabilis serui Dei inuentum in aliud sacellum S. Mariæ de Puritate, decentiorem nempe in locum translatum, in tabula marmorea, huiusmodi de eo insculpsere epitaphium.

Venerabili memoriæ
Pauli de Aretio
Clericorum Regularium lumini,
& columini,
Quem virum ob eximiam morum
sanctitatem,
Omnigenam virtutem, spectatamque doctrinam,
Carolus Quintus Imperator Consiliarium,
Vrbis Neapolis ad Philippum
Regem Legatum, Summi
vero Pontifices
Placentiæ Episcopum, Neapolis
Archiepiscopum S. R. E.
Cardinalem
Inuitum licet & modis omnibus
reluctantem creauerunt.
Eius nunc quod mortale fuit
Lapis tegit, spiritu Cælo recepto.
xv. Kal. Iulij anno redempti
Orbis MDLXXVIII.
ætatis LXVII.

Sanctissimi Archipræsulis vitæ innocentiã insignemque pietatem fusè descripsit inter alios idem Ioseph Sylos tom. 1. Annal. Clericorum tom. 1. ac nuper vitam eiusdem euulgauit eiusdem instituti Clericis, de quo etiã

egimus

egimus in Epiſcopis Placentinis tom. 2. Sacræ Italiæ noſtræ, eiuſque virtutes delibauimus, ſuper pro eius beatificatione iuſſu Romani Pontificis proceſſus ſunt celebrati.



536. ANNIBAL de Capua nobili inter Neapolitanos & illuſtri ortus ſanguine, filius Vincentij Termulanorum Ducis, per multos dignitatis & munerum gradus ad patriæ ſedem aſcendit. Vix enim annos pubertatis egreſſus, Patauiū profectus legali ſcientiæ operam dedit, mox Papiam, vbi lauream accepit, euaſitque celebris Iuriſcōſultus. Romam progreſſus inter Vtriuſque Signaturæ Referendarios interque aulicos honorarios Gregor XIII. Pontifex eū recepit, digniorīq; C deinceps munere Nuncij apud nuper electū Imperatorem Rodulphum I I. functus, de imperio adepto Pontificis nomine congratulaturus in Germaniam traiecit, inde cum tamquam vir probus, & in agendis præclara prudentia exornatus inclaruiſſet, ad Venetam Rempublicam ordinarij Nuncij nomine legationem obiuit: quamobrem tantum gratiæ apud Gregorium acquiſiuit, vt illum ne quidem cogitantem Neapolitanum Archiepiſcopum dixerit die 11. Aug. 1578. Eius Eccleſiæ iniit poſſeſſionem per Iulium Cæſarem de Capua Cōcharū Principem die 4. Octob. Romæ à Pontifice benigne exceptus, ſacris perunctus Neapolim progreſſus ſumma omnium Ordinum gratulatione, ſolemni ritu eam D in vrbem ingreſſus eſt die 22. Februarij 1579. quippe qui iam diu oſtenderat ſe plane viru, qui publico bono natus eſſet. Vt autem munus ſuum cœpiſſet agere, Diœceſim totam per ſe diligentiſſimè perluſtrauit, de redditibus, beneficijs priuilegijs, iuribuſque omnium Eccleſiarum, piorumque locorum exacta, ac diligenti indagine exquirens, quorum acta multis voluminibus obſignauit, maioriſque Eccleſiæ tabulario incluſit, magno quidem ſuorum ſucceſſorum commodo, ac fructu ibidem aſſeruantur. Auctor fuit Congregationis caſuum conſcientiæ, quæ ſemel in hebdomada à Parochis, cæteriſq; Presbyteris à cōfeſſionibus in Cathedrali Eccleſia habetur.

A Interea dum Neapoli boni Paſtoris operam ſuā præſtaret, Sixtus V. Pontifex qui demortuo Gregorio ſucceſſerat, Annibalem in Poloniam ad Regem Stephanum Batorium ſuum Nuncium cum poteſtate Legati declarauit, dū illuc proficiſceretur, vix Germaniæ fines ingreſſus, Stephanum Regem obijſſe accepit, eoq; in loco expectato Pōtificis mādato ad regni comitia iuſſu eiuſdem properauit, proceres exorauit vt Catholicum Principem ad Regnū extollerēt, pro qua re ad eoſdem luculentam eruditamq; habuit orationem, quæ typis deinde mandata eſt. Verum inter proceres magna exorta contentio, alij Maximilianum Auſtriacum, alij Sigiſmūdum Sueciæ Regem vocarunt ad Regnum, B vnde ſurſum deorſum miſerè Regnum exagitarunt, quod, capto Maximiliano, Sigiſmundo ceſſit: pax deinde laureata conſecuta eſt, cum Hippolytus Aldobrandinus magni nominis Cardinalis Legatus à Latere in Poloniam traieciſſet; tunc Maximilianus è captiuitate dimiſſus eſt, abrenunciato Regni iure. Annibal vero Ordinarius Nuncius per tres omnino annos apud Sigiſmundum, ſemel & ſæpius de rebus grauiſſimis probatus, regiam promeritus eſt gratiam. Romam reuocatus à Gregorio XIV. Sixti ſucceſſore purpura exornandus, ni Gregorij præpropera mors interceſſiſſet. Diues igitur meritis, pauper & pene alieno ære oppreſſus, diſperſerat enim in ea legatione magnam pecuniæ ſumC mam, vt eximiè ac permagnificè ſuam Pontificiſque dignitatem ſuſtinere poſſet, ad ſuā regreſſus Eccleſiām, quod reliquum vitæ fuit, in ſanctis operibus conſumpſiſſe viſus eſt, effuditque aureos amplius mille in conſtructione Veſtiarij in ipſo Sacrario Maioris Eccleſiæ, vt ſacra aurea, & argentea vaſa, cæteraq; ad diuinum cultum neceſſaria ornamenta tutius cuſtodirentur, cum paulo ante noctu à furibus, effracto ſacrario fere omnia ſacra vaſa, aurea, argenteaq; ac veſtes ſublata fuiſſent, & præſertim ea, quæ Paulus I V. Pontifex ei Eccleſiæ dono dederat, nec vnquā recuperari, aut ſceleris auctores inueſtigari potuerint. Abolētum vetuſtate ſua Epigramma olim ad D Innocentij IV. Papæ tumulum, in Cathedrali ſepulti, Annibal in Sanctiſſimi Pōtificis memoriam reſtituit, aliudque ſuperaddidit quod legitur apud Alphonſum Ciacconem. Neapoli fato ceſſit die 2. Septembris 1595. incōſolabile ſui deſiderium relinquens: ſepultuſq; eſt in eo Sacrarij ſacello Cathedralis in tumulo à ſe magnifice excitato, cum hoc epitaphio.

Annibal de Capua Archiepiſcopus Neapolitanus
Sarto Templo, ſacroque Veſtiario conſtituto,
Sacellum hoc in Sacerdotum ad ſacra parantium vſum erexit;
Vbi ſepulchrum ſibi parari voluit,
Vt in huius beneficij gratiam, quorum ſudauit commodis
Eorum tum viuens, tum mortuus pijs precibus adiuuetur.
Anno ſalut. M.D.XXCIIX. menſ. Decemb.
Obijt Anno Dom. MDLXXXXV. in Sabbato IV. Nonas Sept.



54. ALPHONSVS Card. Geſualdus Neapolitanus ex illuſtriſſima Principum Venuſii familia natus, omnium virtutũ cumulo, florentibus, Eccleſiaſticiſque negocijs longe mirabilis, cum eſſet iam Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, ſacrique Senatus Princeps à Clemente VIII. Archiepiſcopus Neapolitanus renunciatus eſt die 25. Februar. 1596. ſolemni ingreſſu Neapolim aduenien̄s, omnium Ordinum profuſa lætitia exceptus eſt die 2. Aprilis. Septem annis præfuit, profuitq; cum eximiè Eccleſiaſticam diſciplinam propagaſſet, nouas in ſuburbijs inſtituit Parochias, cum veteres non ſufficerent. Libertatem Eccleſiaſticam vbique, & ſemper egregiè vindicauit: ſuæque iuriſdictioni Procitam Inſulam adiecit, iam diu ab Abbate S. Michaelis Archangeli eius Inſulę primario Ord. S. Benedicti Commendatario, ex prædeceſſorum Alphonſi incuria occupatã: erat tunc tẽporis eius Abbatię perpetuus Abbas Rober-

A tus Card. Bellarminus, cum quo modeſtiſſime litem in Romana Curia exagitauit: amicabili tamen propenſione vterque in Camillum Cardinalem Burgheſium, qui paulo poſt Paulus V. Pontifex fuit, permittente Clemente VIII. tranſegit: is pro Geſualdo, proque Neapolitana Eccleſia adiudicauit: quamobrem Clemens per ſuum diploma declarauit eam Inſulam ipſamq; Abbatiã Diœceſis fore Neapolitanæ, atque adeo Neapolitano Archiepiſcopo obnoxiam, vt ex diplomate videre eſt, in hunc modum eſxcripto.

Clemens Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Ex Apoſtolicæ prouiſionis debet prouenire ſubſidio, vt ſua vnicuique, præſertim Cathedralibus, & Metropolitanis Eccleſijs abſque contentioſæ litis amfractibus, quãtum fieri poteſt, iura conſeruentur. B Primùm ſiquidem cum à nonnullis in dubium reuocatum fuerit, num Inſula Procidæ nuncupata & Parochialis Eccleſia Abbatia nuncupata Sancti Michaelis Archangeli, olim Monaſterium Ordinis Sancti Benedicti in eadem Inſula exiſtens, & de Diœceſi Neapolitana eſſet, teneanturque Abbates, ſeu Commendatarij ab Archiepiſcopo acerſiti ad Synodũ Diœceſanam accedere, ac obedientiam eidem Archiepiſcopo, vt proprio Diœceſano quotannis præſtare, eumque in proprium Ordinarium recognoſcere, liceret etiam eidem Archiepiſcopo dictam Eccleſiam viſitare, aliaque Epiſcopalia iura in dicta Eccleſia, & illios Presbyteros, & Clericos exercere, C Venerabilis frater noſter Alphonſus Epiſcopus Oſtienſis Geſualdus ex conceſſione, & diſpẽſatione Apoſtolica Archiepiſcopus Neapolitanus, & dilectus filius noſter Robertus tituli Sanctæ Mariæ in Via Bellarminus nuncupatus, qui ex ſimili conceſſione, & diſpenſatione parochialem Eccleſiam prædictam in commendam ad ſui vitam obtinet, S. R. E. Cardinalis, Cupientes controuerſiam huiuſmodi abſque ſtrepitu iudiciali pro iuſtitia terminari, nobis humiliter ſupplicari fecerunt, vt in præmiſſis dè opportuno remedio prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Quare vniuerſum hoc negotium nos dilecto etiam filio noſtro Camillo tituli Sanctorum Ioannis & Pauli Cardinali Burgheſio D nuncupato de eorundem etiam Alphonſi, & Roberti Cardinalium conſenſu demandauimus, eique iniunximus, vt partibus hinc indè auditis, & viſis ijs, quæ coram eo afferrẽtur, de omnibus nobiscum voto ſuo relationem faceret. Cum autem Camillus Cardinalis prædictus, viſis pluribus documentis, & authenticis ſcripturis, necnon etiam Cancellariæ, & Cameræ noſtræ Apoſtolicæ antiquis taxarum libris, & ſupplicationum, ſeu bullarum regeſtris, & alijs, quæ partes ipſæ pro cauſæ conſtitutione, ſuorumque iurium defenſione ex bono, & æquo extraiudicialiter, tam in voce, quam in ſcriptis deducere

cere voluerunt, diligenter & maturè considetatis nobis retulerunt, Ecclesiam ipsam Neapolitanam bonum ius fouere. Etsi Robertus ipse Cardinalis huic voto, & sententiæ acquiescere omnino intendit, prout acquiescere vult, & acquieuit. Volentes nihilominus nos pro pastorali cura omnem litium, discordiarum, & controuersiarum, quæ desuper in futurum inter alios Abbates, & Archiepiscopos forsan oriri possent, occasionem amputare, & iudicantes ita pro felici directione, & regimine dictæ Parochialis Ecclesiæ, ac populi & Cleri, curæque animarum incolarum dictæ Insulæ expedire, vt de præmissis perpetuum documentum apparere possit. Harum serie declaramus, & quatenus opus sit, omnes huiusmodi lites & controuersias extinguentes de nouo perpetuò statuimus, ordinamus, ac mandamus dictam Insulam de Procida, & vniuersum illius populum, & Clerum, & Parochialem Ecclesiam prædictam, & de dicta Diœcesi Neapolitana existere, non autē nullius Diœcesis esse pretendi posse, aut debere, Abbatesq; dictæ Ecclesiæ pro tēpore existentes, seu illius Commendatarios per se ipsos, aut si legitimè impediti fuerint, vel fortè Cardinales, aut Episcopi sint, per procuratores suos quotannis ad præstandum obedietiam Archiepiscopo Neapolitano pro tempore existenti in die translationis Sancti Ianuarij Episcopi & Martyris dictę Ecclesiæ Neapolitanæ præcipui Patroni, proue alij Abbates, Archipresbyteri & Rectores Parochia- C lium Ecclesiarum dictæ Ciuitati & Diœcesi Neapolitanæ facere consueuerunt, obligatos esse, nec non vocatos ad Synodum Diœcesanam accedere debere, neque sub prætextu nullius Diœcesis posse, aut potuisse vicinam aliquam Diœcesim pro dicta Synodo eligere. Quinimò eundem Archiepiscopum, vti proprium loci Diœcesanum in omnibus, & singulis actibus, & functionibus, tam spiritualibus, quàm temporalibus recognoscere, eiq; subesse debere. Ipsi verò Archiepiscopo visitationem, correctionem, ac omnimodam superioritatem, & iurisdictionem, tam spiritualem, quàm temporalem in Ecclesiam, Presbyteros, & Clericos tam ratione curæ animarum, & administrationis Sacramento- D rum, quæ inibi exercentur, quàm vti in personas eius ordinaria iurisdictione subiectas, & suppositas competijsse & competere; laicos etiam qui clericali charactere insigniri, ac clericos, qui ex minoribus ad sacros, aut ex sacris ad presbytetatus ordines promoueri voluerint, ab eodem Neapolitano Archiepiscopo ordinari & promoueri, sed dimissoriales litteras ab eo obtinere debere, subditosq; omnes legibus iurisdictionali, & Diœcesanæ Neapolitanæ Ecclesiæ subesse omninò debere, omniaque alia & singula Archiepiscopo in eos exercere licere, quæ sacri Canones, & Concilia, præsertim Tridentinum, Diœcesano in suos subditos competere statuerunt, &

A ordinarunt. Quia verò in eadem Ecclesia Parochiali ex nonnullis causis animum nostrum dignè mouentibus vnam perpetuam Vicariam in titulum beneficij Ecclesiastici vni perpetuo Vicario eiusdem Ecclesiæ, qui curam animarum parochianorum illius exercere debeat, conferendam erigere intendimus, aut forsan etiam ereximus, curam ipsam à Rectore Abbate nuncupato dictæ Ecclesiæ omninò abdicantes, harum serie pariter declaramus, ac perpetuò statuimus, vt iuxta nostri motus proprij super erectione dictę Vicariæ tenorem & vigore litterarum desuper expediendarum ad eandem Vicariam, dum pro tempore vacauerit, præsentatio personæ idoneæ in ea ad præsentationem huiusmodi iuxta formam Concilij Tri- B dentini per Archiepiscopum Neapolitanum loci ordinarium instituenda ad eiusdem Ecclesiæ Rectorem, seu perpetuum Commendatarium, etiam pro tempore existentem, cessantibus reseruationibus, & affectionibus Apostolicis, etiam hac prima vice spectare debeat, teneaturque taliter pronisus ad dictam obedientiam quotannis præstandam, & ad ea omnia, erga Archiepiscopum Neapolitanū præstandum, quæ omnes alij Curati eiusdem Diœcesis vti proprio Episcopo, & ordinario præstare de iure debent, & consueuerunt. Volumus autem, vt tam prædictus Robertus Cardinalis, quam futuri Abbates seu Commendatarij pro tempore, mitræ, & baculi vsu, ac populo solemniter benedicendi facultate in dicta Ecclesia, tam vigore antiquorum priuilegiorum, eidem Abbatiæ concessorum, si quæ habeat, quàm vigore præsentium nostrarum litterarum, & concessionis, liberè vti possit, & valeat, sicque per quoscūque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam causarū Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate vbique iudicari, ac diffiniri debere, necnon irritum & inane decernimus, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non statutis, & consuetudinibus iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque indultis, exemptionibus, & litteris Apostolicis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis legibus, & decretis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus eorum tenore præsentibus pro expressis habere illis aliàs in suo robore permāsuris, hac vice dūtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 6. Septembris 1600. Pontificatus nostri anno nono.

Hunc igitur in modum eius Insulæ Iurisdi-

ctio ad Neapolitanum Archiepiscopum redijt, quod non parum decoris eidem contulit, & Gesualdo rei benè peractæ æternam peperit laudem. Meminere huius Insulæ antiqui Scriptores, & S. Gregor. in reg. lib. 7. epist. 70. ad Mauritium Neapolitanæ Vrbis Militum Magistrum. Cæterùm Gesualdus Neapolitanam Cathedralem, & Archiepiscopale Palatium ædificiorũ fabricis auxit, atq; exornauit, vt vix; vllus annus præterijt, quo Ecclesiã hanc dono aliquo non insigniuerit; Nec incongruum hîc existimo singillatim recensere, quos eidem suæ pietatis testes donauerit; cãdelabra magna argentea quatuor pro maximo altari pulcherrima librarum octuaginta quinque; Cruc fixi imaginem argenteam deauratam librarum tredecim; Calices duos argenteos ex auro potissimo decoratos librarum q inque; Pixidem magnam argenteam deauratam librarum trium; Thuribulum argenteum deauratum cum nauicula eiusdem operis librarum quinque; Scyphum argenteum cum aspersorio pro lustrali aqua; Pacẽ quoque argenteam; Crucem paruam argenteam, cum hasta similiter argentea, qua ille vtebatur, Capitulo dono dedit: aliamque sibi fieri fecit maioris valoris, insignisque pulchritudinis Venetijs elaboratam, quam deinde in suorum successorum vsum Ecclesiæ donauit; Culcitram magnam Neapolitanorum procerum more ex serico, & auro contextam elargitus est; Globum etiam, quem ecclesiastici formale, seu pectorale vocant, ex preciosissimis margaritis ac gemmis exornatam donauit. Multa quoque sacerdotalia indumenta preciosa dedit; Ciborium, siue testudinem summi altaris, quæ vasta est & immẽsa, tum latitudine, tum altitudine, quam vetustate ex parte ruinosam ingenti sumptu restaurauit, pulcherrimisq; picturis manu Ioãnis Balduccij pictoris Florentini eius æui celebris exornauit. Tandem Gesualdus boni pastoris fungẽs officio morte interemptus obijt die 24. Febr. 1603. Magno omnium luctu funus eius curatum est in Cathedrali, vbi in nobili marmoreo tumulo è regione sepulchri Antonij Cardinalis Carrafæ, sepultus, nulla adhuc ibi proloquente inscriptione. Cessauit ab eius obitu Neapolitana Sedes tribus diebus, & annis duobus. De Gesualdo pauca egimus primo tom. in Episcopis Ostiensibus, redibit tamen de eo sermo in Archiepiscoporum Compsanorum serie tom. 7. cuius Ecclesiæ aliquando fuerat Archipræsul.



55. OCTAVIVS Aquauiua Aragonius natus Neapoli ex Ioanne Hieronymo Hadrienſium Duce, germanos fratres habuit, Iulium Pij V. Cardinalem, Rodulphum è Societate Iesu Christi Martyrem, & Horatium ex Monacho Cisterciensi Episcopum Caiacensem, Patruos verò Ioannem Vincentium, qui sub Paulo III. euasit ad purpurã, & Claudium, qui Societatis Iesu Generalis Præpositus fuit. Hic nobilis Heros, nobilior tamen virtute, & prudentia inclaruit, qui antequam purpura cohonestaretur, Perusijs ad summã vtriusque Iuris prudentiam, & in vtraque lingua ad eximiam eruditionem, eloquentiãque peruenit. Cumque ad Romanam Curiã se contulisset, post prima Palatina munera sub Sixto V. Pontifice Vtriusque Signaturæ Referendarius, & Patrimonij Prolegatus fuit, vnde cum virtutum fama apud Gregor. XIV. inclaruisset, ab ipso ex Pontificia domus magno Præfecto, sacri Senatus purpurã tulit cumulatissimam anno 1591. designatusque est Campaniæ & Maritimæ Legatus sub Clemente VIII. ex Diac. S. Georgij ad velũ aureum, Presbyter Card. euasit ad titulum S. Mariæ de Populo; & Auenionensi Legatione condecoratus est, in qua obeunda per sex omnino annos, difficillimis tamen temporibus egregiè versatus, illud ibi potissimũ patrasse scribunt, quod Henricus Magnus Quartus Francorum, Nauarrorumque Rex eius suasione & impulsu Catholicam amplexus fuisset Religionem, Romanæque Ecclesiæ reconciliatus, à Clemente diris absolutus, diu Christiano Orbi, & Galliæ Regno exoptatam tranquillitatem peperisset. Romam regressus ad ardua semper quæque negocia admotus, magnæ fuit apud omnes existimationis. In Comitijs agitandis vbi creandi Summi Pontifices forent, ita, aiunt, Octauiũ consilijs mirabilem, ac ingenii versatilem fuisse, vt eius dexteritate, & eloquentia aliquot ex Patribus prouectos fuisse ad Petri Sedem, in quibus LEO XI. Medices fuit gratissimus Pontifex, à quo Octauius declaratus est Neapolitanus Archiepiscopus eo ipso die suæ exaltationis, hoc est prima Aprilis 1605. Sed cũ Leo-

Leonem, qui vix trium hebdomadarum Pōtificatum gessit, mors importuna compulisset ad rogum, à *Paulo V.* successiuè confirmationem accepit die 31. Augusti Neapolim solemni pompa 27. Nouemb. eiusdem anni ingressus, summa cum incorrupti animi laude Ecclesiam Neapolitanam annis septem administrauit. Excoluit eximia liberalitate Christi pauperes, in quibus alendis, virginibus sublenandis, pijsque locis reparandis sūmam octuaginta mille aureorum dispersisse narratur. Nec suæ oblitus Cathedralis, vt in illam etiam adiecerit cum aurea, argenteaque vasa, cum amplissimi, & ecclesiastici cultus ornamenta maiora donauerit, Cathedralis Canonicos, Hebdomadariosque mira beneuolentia prosecutus, illis suppressi Monialiū Cœnobij S. Angeli redditus attribuendos curauit: istis verò pro maiori Ecclesiæ decore cappis violaceis vtendi potestatem obtinuit à *Paulo V.* Cœnobium S. Mariæ de Gratia Ord. Minorum de Obseruantia in Herculano suæ Diœcesis oppido iam ædificari cœptū absoluit, & exornauit: alterumque eiusdem sexto ab vrbe Hadria lapide in territorio Abbatiæ S. Mariæ de Perpetuano, cuius erat Cōmendatarius, à fundamentis erexit. Moriens omnem suam suppellectilem preciosam Monti Pietatis in pauperum vsum legauit, quamobrem eius loci Præfecti in sacra eorū æde ad futuram liberalissimi Archipræsulis memoriam, sequentem marmoream inscriptionem posuerunt.

Octauio
Aquauiuo Aragonio Card.
Archiep. Neap.
Ob legatam Monti Pietatis suppellectilem aureorum millibus XX.
Præstitumque etiam post obitum
pascendi gregis munus,
Quem consilio, doctrina, opibus
strenuè aluerat.
Præfecti documento posteris PP.
A. S. MDCXVII.

Finis vitæ eius dies 15. Decembris 1612. corpus defertur in Cathedralem, publico funere celebratum, curante supremos defuncti honores Francisco Marchione Aquauiuæ nepote, conditum est, miserando omnium Cleri, Ciuiumque luctu inter chronum marmoreum ac suggestū in marmoreo tumulo humi posito, vbi legitur hoc epitaphium æneis characteribus inscriptum.

Octauio Aquauiuo Aragonio Card. Archiepisc. Neap. Pur*pura & litterar. max. Græcar. ornamento maiorum decora adepto, quæ fuerunt è Repub. Christiana in Pontificijs præcipuè Comitijs, atque in Auenionensi legatione cum arderet Prou. Ciuilib. discordijs, arderent bello Galliæ, strenue cuncta executo, in omni vita singularem magni consilij, excelsi animi laudem promerito.* D. *Franciscus Aquauiuus Marchio Aquauiuæ, &* D. *Iosia nepote* Duce *Hadriorum XI. Pronep. P. obijt Anno salut. M.DC.XII. natus annos LII.*

Porrò pius Archipræsul præter ea, quæ viuens pretiosa indumenta Cathedrali dono dederat, moriens etiam duo candelabra argentea, vas aquiminarium ex argento, calicē magnum ex auro purissimo conflatum, Crucifixum paruum argenteum, scyphum item argenteum, sacras vestes holosericas permultas, aliaque ecclesiastica indumenta, culcitram magnam ex tela aurea duplici contextam liberalissimè legauit. Reliquit etiam posteris sui ingenij, aliqua monumenta, inter alia, D. Thomæ Aquinatis summam in compendium redactam, quam duobus voluminibus per conclusiones propria manu cōscripsit; fuit enim Theologiæ, & in Sanctorū Patrum libris studiosus, & egregiè versatus.



56. DECIVS Carrafa, Marij antepredecessori sui ex fratre nepos, nobilissimæ indolis

dolis Iuuenis, omnibusque virtutibus exor- A
natus à patruo ecclesiasticæ militiæ adscri-
ptus est. Sub Clemente VIII. Vtriusque Si-
gnaturæ Referendarius fuit, missusque ab ipso
in Lusitaniam Nuncius anno 1598. reuocatus
ad Vrbem in demortui Card. Aquauiuæ locũ
destinatus est Archiepiscopus Neapolitanus
anno 1605. sed antequam ad examen prodijs-
set Clemens vniuersæ carnis viam ingressus,
successorem habuit Leonem XI. à Deo magis
ostensum, quàm datum, qui in ipso suæ exal-
tationis die, vt semel diximus, Neapolitanam
Ecclesiam in Aquauiuum Cardinalem exora-
tus transfudit, quam Paulus V. post paucos
dies Leonis successor eidem Cardinali adfir-
mauit; Decius verò oleum tunc & operam
perdidit. Admiratus tamen Paulus Decij B
modestiam, & temperantiam, illum Dama-
scenum Archiepiscopum adlegit, & in Belgiũ
ad Albertum Archiducem misit Apostolicum
Nuncium, mox in Hispaniam ad Philippum
Regem: quo in munere cum versaretur, à
Paulo Presb. Card. creatus est die 17. Augusti
1611. titulum habuit SS. Ioannis & Pauli.
Insecutoque anno 1613. die 7. Ianuarij defun-
cto Card. Aquauiua renunciatur Neapolita-
nus Archiepiscopus, quam Ecclesiam, nisi
Pontificis accessisset imperium, haud erat ac-
cepturus. Ecclesiam igitur sibi concreditam
præsens administraturus, illò perrexit, solem-
ni ritu ingressus est die 8. Maij 1614. Cum C
laude hanc ille administrauit annis tredecim,
conatusq; est quam qui maximè eius pristinũ
decorem retinere, Synodos Diœcesanas fre-
quenter habuit, Diœcesim perlustrauit, Cleri
mores composuit, eaque omnia peregit, quę
bonum Pastorem decere viderentur. Palatiũ
Archiepiscopale auxit, atque multa peram-
pla & commoda domicilia Archiepiscoporũ
vsui profutura parauit, & inter alia perambu-
latoriam aulam amplissimam, ac pulcher-
rimam erexit, & exornauit. Odeum iuxta
veterum morem in medio Cathedralis, è nu-
ceis lignis affabrè cælatis fecit, è posteriori
parte marmorea eidem ornamenta adiecit,
vbi Diuorum Neapolitanæ Vrbis Tutelariũ
marmorea simulacra collocauit, ijsque adnu- D
merauit statuas SS. Maximini Cumani Mar-
tyris, & Caroli Card. Borromei nuper in Sã-
ctorum numerum adscripti, cuius præcor-
diorũ partem à Federico Card. Borromeo do-
no acceptam argentea theca inclusa reposuit
in Thesauri sacello. Baptisterium quoque
Cathedralis è Pario marmore mirificè elabo-
ratum concinnauit, gradus, per quos ad ipsũ
ascenditur, vermiculatis marmoribus illu-
striores reddidit. Laqueare, siue interiorem
partem tecti eiusdem Ecclesiæ, deauratum,
& magnis, nobilibusque iconibus insignium
artificum confectis extruxit, ex quo non
parum Ecclesiæ accessit ornamenti, vbi in-
criptum.

Decius Cardinalis Carrafa de-
sponsatam sibi Ecclesiam nu-
ptiali laquearium ornamento
contexit, Anno M.DC.XXI.

Sacrario aureos sex mille dono dedit, ex
quorum redditibus eius Ecclesiæ cultus niti-
dior, splendidiorque reddi posset, & fierent
sacræ vestes, & Sacerdotalia indumenta. Sã-
ctos aliquot Neapolitanæ vrbis, quorum
memoria ab hominibus multis abhinc secu-
lis ferè exciderat, in Ephemeridibus Nea-
politanis, in Diœcesana Synodo anno 1619.
notari iussit, quorum festa celebrari manda-
uit. Demum summæ vigilantiæ, prudentiæ,
ac iustitiæ præclarus Antistes mortalitatem
expleuit die 24. Ianuarij 1626. Sepultus in
Choro Cathedralis, tumuloque, quem viuẽs
sibi parauerat, in quẽ & Marij patrui cineres
transtulerat, hac apposita inscriptione.

D. O. M.
Mario Carrafæ
Neapolitanæ Ecclesiæ splendori
Decius S. R. E. Cardinalis
Carrafa
Vt duos Archiepiscopos dignitate
affines familia, vnanimes amore
Vnus lapis ad resurrectionis
gloriam expectandam con-
tumularet, Gratitu-
dinis defuncto
mortis sibi memoriæ
Monumentum viuens condidit:
Anno Domini M.DC.XVI.



57. FRANCISCVS Boncompagnus ex
Ducibus Soræ Gregorij XIII. pronepos De-
cio

cio Cardinali laudatissimo successit, è Fani Fortunæ Sacerdotio translatus die 2. Martij 1616. exceptus omnium ordinum gratulatione, quippe quem præiuerat iam virtutis fama, ac pares amplissimæ dignitati, ac muneri eius animi partes euulgauerat. Erat enim inculpatæ vitæ Præsul, & in omnium scientiarum genere versatus, Græcis, ac Latinis litteris eruditus, egregiusque venerandæ antiquitatis amator. Per quindecim omnino annos consultissimè Neapolitanam rexit Ecclesiam, in eoque munere obeundo vitam penè peregit angelicam, & viuum modestiæ exemplar se præbuit: continentia fuit insignis, munificentia in pauperes nulli secundus, inter quos Neapoli supra octuaginta ducatorum millia expendisse fama est. In animarum salute procuranda totus fuit, adeout frequenter damnatos ad supplicium ad pœnas Deo hominibusque meritas, debitasque humiliter persoluendas maximo miserorum fructu, & omniũ admiratione per seipsum ad patibulum vsque hortatus sit. Reparatę salutis anno 1633. cũ Vesuuius Mons ingentes flammarum globos euomeret, vltimum Neapolitanæ Vrbis exterminium minitans, publicam supplicationẽ edixit, in qua ipse adhibitis Ciuitatis Patronorum, & Tutelarium exuuijs, nudis pedibus & profusis lachrymis incessit, & è conspectu eiusdem Montis largita benedictione, meritis gloriosissimi Martyris Ianuarij, & intercessione, cuius sacra pignora gestabat, flammas, nè vltro progrederentur, continuit, sicque pius Pastor diuinam indignationem à populo auertit. Demum, cum ex testamento omnem suam suppellectilem Romano Collegio Germanorum pia liberalitate reliquisset, plenus gloria, magnum sui apud omnes desiderium relinquens, diem suum clausit extremũ 9. Decembris 1641. mœrentibus populis, quos ad vitæ pascua ducebat, elatus est ad tumulum in S. Mariæ ad Cappellam iuxta Aram summam, quam ipse recenter construxerat, cum esset eiusdem Ecclesiæ & Cœnobij perpetuus Commendatarius, vbi, & adiecto cœnotaphio posteris commendatus.

D. O. M.

Franciscus tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum S. R. E. Presb. Card. Boncompagnus Archiepiscopus Neapolit. Gregorij XIII. nepos, ex Ducibus Soræ cum viuens mortem meditaretur, hoc loco sepulchrum sibi fieri iussit & fideles, vt pro se Deum orent in Christo oratos voluit. Obijt ann. sal. MDCXLI.

Mense Nouembris ætatis suæ. XLVI.

Quibus etiam addere visũ est sequens epicediũ, quod querula veluti pręfica de tanto Principe, eique optimè caro Mag. Fr. Nicephorus Sebastus Melissenus Ord. Eremitarũ S.Augustini accinuit, quod sic sonat.

Esse Bonum Socium viuum Vrbs Parthenopea
Academia, inopes, Relligioque dorent.
At postquam è viuis Te furtim subtrahit ille
Desinit esse alijs, desinis esse Tibi.
Quin Socius malus et nos linquens, Academia
Lugent, mœret inops, Relligioque dolet.
Ergo Tibi antiqua vt reddi cognomina possint,
Sis Bonus vsque Comes, & rege Pastor oues.



58. ASCANIVS ex gente Philamarina Neapoli non minus feudorum titulis, quàm vetusta nobilitate ex Græca, & Byzantina inclyta natus, & in omnium virtutum genere educatus, Romanam peruenit ad Aulam, vbi morum commendatione, & ingenua nobilitate sua, gratiam summorum virorũ promeruit, & Ladislao Card. Aquino consanguineo suo, & Mapheo Card. Barberino charus fuit, qui deinde Pontifex Max. creatus Vrbanus VIII. dictus est, à quo inter Cubicularios intimos accitus, mox Francisci Card. Barberini Nepotis Aulæ Præfectus, Vaticanæ Basilicæ Canonicus adlectus est, quibus alijsque muneribus egregiè perfunctus, vnica die purpuram, & Neapolitanam Ecclesiam ab humanissimo Pontifice tulit 16. Decembris 1641. Collati Sacerdotij inije possessionem die prima Ianuarij sequentis anni per Ianuarium germanum fratrem Episcopum Caluensem, Neapolim inde profectus, sine

pompa, & fastu modestissimè in eam ciuitatem ingressus est die 30. Maij; commissum sibi gregem vbique & semper cum laude prudentiæ, zelo iustitiæ, & morum puritate administrauit., hactenusque inculpatè regit, quem purpuratum Principem, dignissimum Archipræsulem qui norit, fateatur necesse est, non solum prudentia, sed etiam animi fortitudine, in augendo Diuino cultu, cæterisque ecclesiasticis virtutibus ornatum esse, & verè immortalitatis amatorē ex cognominis sui explicatione, quam ex Greco fonte deprōpsit Vrbanus VIII. Pontifex, existimandum esse docet. Pia & permagnifica ædificia ab eo excitata; etenim Archiepiscopale palatium vetustate sua laborans penè à fundamentis reædificauit, sacrarium supellectili sacra ditauit. Pulcherrimum, visendumque sacellum in Sanctorum Apostolorum Ecclesia D. Virginis Annunciatæ dicata substruxit: in quo maiorum suorum è Cathedrali templo translata ossa recondidit, ac sibi, Scipioni fratri, posterisque suis monumentum posuit. Huiusce rei index in ipso Sacelli pariete extat in marmore, hisce verbis exaratus.

Vetustum Philamarinæ gentis
monumentum
è Sancti Georgij maioris
Anno MCCIIC. translatum
In Pontificalis Templi Aediculam
sub Sancti Nicolai,
A Ioanne Philamarino dicatam
& post CCCX. annum sacrario
reliquiarum S. Ianuarij
aliorumque Sanctorum Tutelarium
pro vrbis dignitate reficiendo
pijssune concessam;
Ascanius Philamarinus
S. R. E. Cardinalis
Archiepiscopus Neapolitanus
Pro se, suisque
Hic instaurandum curauit.

Altera inscriptio ibidem sic habet.

Vt verè Philamarinæ familiæ
nomen
vna cum immortalitate perennet,
In hac Sanctorum Apostolorum
Aedis parte columnis,
sigillis,
picturisque musiuis à se exornatæ, vbi conditorium
Ascanius item Philamarinus
S. R. E. Cardinalis,
Archiepiscopus Neapolitanus
translatis è Pontificali Basilica
maiorum suorū ossibus; construxit
sibi, & Scipioni Philamarino
fratri in Regno Generali militiæ
Vicario, posterisque suis, mortis
memor, viuens sepulchrum posuit. Anno MDCLVII.

In Cathedrali verò, quam anno 1644. die 24. Aprilis solemni ritu sacrauit, eorundem maiorum suorum egregia facta in marmoreis & ornatissimis tabulis perennari mandauit, vt posteri illorum exemplo excitati impellerentur ad virtutes. Cæterum Ascanius ingentis animi Præsul in illa rerum conspiratione, ac tumultu Neapolitanæ plebis mulsit insolentiam, ac penè conculcatum regiæ maiestatis nomen, posthabito suæ vitæ periculo, mirabili dexteritate constabiliuit, ac veluti pius Pastor aberrantes fœdissimè oues, ad pascua reduxit salutis, ecclesiasticamque disciplinam eo tumultu penè prostratam restituit, eiusdemque libertatem pertinacissimè coluit. Interea cæteras eius animi dotes, egregiaque facinora sileamus, ne viuentis Cardinalis modestiam onerare velle videamur. Adhuc enim superest venerabilis senex, cui par est longam vitam precari, à quo omnes felicem, faustumque progressum expectant.

ACER-

ACERRANI EPISCOPI.

A



ACERRARVM Ciuitas antiquissima est Campaniæ Felicis haud longè à Metropoli Neapoli,Comitatus titulo nobilis, quam Clanius amnis præterluit, cuius frequens inundatio eam pene absorpsit. Latet eius origo, eius tamen meminerunt Horatius, Virgilius, Liuiusque lib. 8. *Acerrani, ait, Romani facti: lege à Papyrio Pratore lata, qua Ciuitas fine suffragio data est.* Annibalis insidijs Senatus eius in puteum proijcitur. Hic Clanius æquus à Virgilio dicitur; etenim aqua haud magna, stagnans, & ferè palustris, quæ quandoque officit regioni; quamobrem insalubris est aëris, atque adeò angustis præfigitur cancellis, vt tantùm ad mille quingenta mortalium capita nutriat. Quis eidem Euangelij lucem primus asportauerit, non constat; creditur tamen Apostolorum temporibus illam accepisse. Cathedralis antiquæ structuræ Sãcto Michaeli Archangelo dicata, decentique ornatu instructa est. Tribus dignitatibus nobilitatur, quarum prima est Archipresbyterarus cum quindecim Canonicis, alijsq; Presbyteris, & Clericis minoris Ordinis. Destituitur tamen præbenda Theologali, atque pœnitentiali. Animarum cura in Cathedrali exercetur. In Ciuitate vnum tantùm Carmelitarum Monasterium. Non ibi est Seminarium, non Mons pietatis, neque Xenodochia. Episcopalis iurisdictio, seu Diœcesis haud vltra muros Ciuitatis extenditur, vbi Episcopalis domus propè Cathedralem. Acerranus Episcopatus antiquissimus est.

Concordius enim eius Episcopus sub Symmacho Papa anno 499. Romanæ Synodo interfuit. Suffraganeus deinde Neapolitani Archiepiscopi factus, ad regiam Catholicæ Maiestatis præsentationem ex Clementis VII. auctoritate Census huius Ecclesiæ sunt ad duo millia quingenta scutata pondere illius prouinciæ. Taxa illius in libris FisciApostoli 100. flor. Episcopi,qui aliquando hanc Ecclesiam administrarunt, sequẽtes sunt, quos ex diuersis monumentis expiscati sumus.



B

1. CONCORDIVS Episcopus Acerræ, huius mentio in Cõcilio Romano primo sub Symmacho celebrato anno 499. post hunc per multa sæcula desiderantur huius Sedis Episcopi.

2. BARTHOLOMÆVS, primus est Acerrarum Episcopus, cuius deinde post annum sexcentesimum septuagesimum nonum extat memoria. Is anno 1179. Lateranensi Concilio sub Alexandro III. interfuit.

3. ROMANVM huius Ecclesiæ Episcopum hoc sæculo vixisse credunt, memoratur in Emorruali Cœnobij S. Patritij Neap. mens. August.

C

4. THEODINVS Monachus Cassinas iussu Manfredi Tarentini Principis ante annum 1263. in hãc Ecclesiam intruditur apud Arnol. Vuion. lib. 1. ligni vitæ cap. 8. Idem Theodinus ab eodem Manfredo Cassinensis Abbas nominatus, eo in munere contra Vrbani IV. Pont. voluntatem se gessit, munusque confirmationis, & benedictionis ab Troiano Episcopo accepit: quamobrem Vrbanus illum de Sede eiecit, & Bernardum Ayglerium Lirinensis Monasterij Abbatem, Cassinensi præfecit Cœnobio,iustoque iudicio Dei factum, vt ambitiosus Theodinus de Acerrano Episcopatu simul & Cassinensi Abbatia eiectus fuerit. De Bernardi substitutione extat in regest. Vatic. eiusdem Vrbani ad eundem scriptum diploma.

D *Dilecto filio Bernardo Abbati Monasterij Cassinensis salutem & Apostolicam benedictionem.*

Præ fulgore dignitatis immensæ, qua Confessor almus gratia Benedictus & nomine Monasterium Cassinense multipliciter illustrauit,locus ipse veluti dilectus à Domino, sicut multa redditur veneratione colẽdus, sic amplis meruit manuteneri fauoribus, & specialiter Sedis Apostolicæ præsidio confoueri. Hic est enim verè locus insignis, huius Almi signis præfulgidis insignitus, cuius Sidereus ordo per Orbem latè diffusus præeminentia claritatis irradians, inibi fundamenta suscepit, & vt maioris præexcellentiæ gloria locus ille fulgeret, post corruptibilis vitæ

tæ decursum idem Sanctus spiritualiter ad superna vocatns, ibidem corporaliter in Domino requiescit, Dignè igitur ad eundem locum aciem nostræ considerationis extendimus, dignè doloris acerbitate torquemur, quod in illo damnabiliter alieni filij debaccantur, nec indignè agimus, quod circa ipsum Pastoralis officij debitum exequentes insistimus, vt ab eo miseria viduitatis exclusa reparetur vtilis sponsi ministerio floribus status eius. Sanè dicto Monasterio Pastoris regimine destituto maior pars Connentus ipsius Monasterij de mandato Manfredi quondam Principis Tarent. persecutoris Ecclesię manifesti Theodinum, qui se gerebat pro electo in Episcopū Acerranum, olim ipsius Monasterij Monachum, & infirmarium, spreta generali prohibitione facta per Sedem Apostolicam, quod nullum Capitulum, vel Conuentus absque mādato Sedis eiusdem in Regno Siciliæ procederet ad electionem aliquam celebrandā, in Abbatem prędicti Monasterij nominauit, cuius nominationis prætextu memoratus Theodinus ad eundem Manfredum accedēs, fidelitatis sibi præstito iuramento, administrationi dicti Monasterij irreuerenter se ingessit, recipiendo inter alia fidelitatem à Vassallis eiusdem, & illis imponendo collectas, & alia exercendo, quæ ad Abbatis administrationem pertinere noscuntur, publicè in dictę Sedis contemptum, & animæ suæ periculum exercendo. Nos autem videntes dicti Monasterij per hoc offuscari decorē, & nequientes tantum ipsius dispendium, & ignominiā tolerare, nominationem huiusmodi non sine multiplici nominantium temeritate præsumptam cassauimus, cassam & irritam pronunciauimus, ac decreuimus nullius existere firmitatis. Et quia dicebatur, quod Ven. frater noster Episcopus Troianus personaliter ad eundem Theodinum accesserit, confirmationis, & benedictionis munus auctoritate nostra impensurus eidem, nos si quid per eundem Episcopum factum erat in hac parte, vel alterius fieri contingeret, cassauimus similiter, & decreuimus aliquatenus non valere; Cupientes autem vt ipsum Monasteriū statum prosperum diuina clementia cooperante resumat, & interponentes Apostolicæ sollicitudinis studiū, ne per vacationem diuturnam incurrat in spiritualiter & temporaliter detrimentum; sperantes quoque quod per tuæ circunspectionis industriam, cum habearis vir scientia præditus, morum honestate decorus, consilij maturitate præclarus, & sollicitudine circunspectus, Monasterium ipsum releuetur à noxijs, & vtiliter auctore Domino proficiat in vtrisque, te à vinculo, quo tenebaris Monasterio Lirinen. cuius præeras regimini, penitus absoluentes ad prædictum Monasterium Cassinense te duximus de Potestatis Apostolicæ plenitudine transferendū, teque ipsi Monasterio Cassinensi de fratrum nostrorum consilio in Abbatem præfecimus, & Pastorem; Ideoque discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus deuotè suscipiens, sic curā dicti Monasterij Cassinensis laudabiliter gerere studeas, quod tibi per vitæ meritum, & alijs proficias per exemplum. Nosque personam tuam præcipui fauoris gratia prosequi non immeritò teneamur.

Datum apud Vrbem veterem 4. Kalend. Aprilis Pontificatus nostri anno secundo.

5. THOMAS Episcopus Acerrarum anno 1286. 16. Kal. Decemb. cū Romæ esset, cum alijs pluribus Episcopis indulgentiam elargitus est Ecclesiæ S. Aniani Astensis: integrum monumentum retulimus suprà to. 4. in Catalogo Astensium Episcoporum. Nec quidquam aliud de Thoma inuenire potuimus.

6. GENTILIS Episcopus Acerrarum obijt 2. Nouemb. in veteri Menologio Montis Cassini, annus quo excessit, quoue floruerit, ignoratur.

7. GVILLELMVS vixit anno 1319. ex regio regest. Neap.

8. Fr. IOANNES Ordinis Minorum Acerrarum Episcopus translatus est ad Balneoregiensem Ecclesiam à Clemente VI. anno 1342. 10. Kal. Ianuarij, vt in regest. Vatic. epist. 93. fol. 94. in ea dignitate vixit ad annū vsque 1348.

9. Fr. MATTHÆVS de Castro Petri eiusdem Ord. Minorum Episcopus Balneoregiensis, translatus & ipse est ad hanc Acerrarum Ecclesiam eodem anno 1342. ac die, quo Ioannes ad Balneoregiensem transitum fecerat, ex eodem Vat. regest. mortem obijt anno 1344.

10. Fr. HENRICVS de monte, Siculus Ord. Prædicatorum insignis Academiæ Parisinæ Doctor, Acerrarum deligitur Episcopus, successitque Mattheo ann. 1344. 5. Kal. Iunij ex eodem reg. Vatic. ep. 13. fol. 8. ann. 3. Pontificatus Clementis VI. obijt sub eodem anno 1348.

11. RAYNERIVS ex Cantore Cathedralis fit Episcopus ab eodem Clemente anno 1348. 6. Kal. Nouemb. cuius electio habetur in eodem regest. Vatic. ep. 33. fol. 35. ann. 7. Pontif.

12. FEDERICVS antecessor Ioannis vixit extremis diebus Innocentij VI.

13. IOANNES florebat sub Vrbano V. anno 1363. & Bonifacio IX. anno 1394 eius mentio in lib. de diuersis formis eiusdem Pōtificis. Eodem anno vel defunctus est. vel ad aliam dignitatem translatus. Coadiutorem habuit fratrem Nicolaum de Neapoli Ord. Minorum, qui ob frugem vitæ melioris coadiutoriæ officiū in manibus Bonifacij Pontificis liberè dimisit, & ad Ordinem suum redijt, commendatus ob eodem Pontifice Ministro Prouincialis Terræ Laboris eiusdem Ordinis litteris sub datum Romæ apud S. Petrum 12. Octobris ann. 5. quo anno, & die

Ioan-

A Ioannes adhuc Acerranam Ecclesiam regebat.

14. THOMÆ electo Acerrarum Episcopo indulget Bonifacius IX. anno 1394. vt à quocunq; maluerit Catholico Episcopo munus consecrationis acciperet, in eodem lib. tũ & in alio de obligat. Prælat. fol. 57. nouem omninò annos hanc rexit Ecclesiam, defunctusque est anno 1403.

15. ANGELVS de Concilio Canonicus Neapolitanus hanc eandem obtinuit Ecclesiam 3. Kal. Aug. ann. 1403. diù illam administrauit, defunctus sub Martino V. ex eodem lib.

16. PHILIPPVS huius Ecclesiæ Præsul die 20. Iunij 1419. obtulit sacro Senatui solitum pium seruitium, vt in lib. oblig. habetur.
B fato functus est sub Eugenio IV. ann. 1434.

17. Fr. NICOLAVS de Vrbino Ord. Præd. vir litteris & prudentia illustris euasit Acerrarum Episcopus anno 1434. 8. Id. Sept. successitque Philippo, videtur defunctus anno 1439.

18. NICOLAVS Descarius Nicolao successit ann. 1439. 20. Septemb. Sedit ann. 12. & libens volens nuncium remisit ann. 1451.

19. BELTRANDVS Canonicus Neapolitanus electus per dimissionem Nicolai, nonis Aprilis 1451. sequenti anno mortalitatem expleuit.

20. LEO, qui & Leoncinus Curtesius
C Ciuis, & Archidiaconus Surrentinus à Nicolao V. electus est Episcopus 6. non. Octob. 1452. interfuit coronationi Alphonsi Regis anno 1494. die 2. Iunij; in patria decessit, quinto supra quadragesimum sui Præsulatus anno, iacet in Ecclesia Sancti Francisci, hac breui inscriptione.

Hic requiescunt cineres, & memoria

Illustr. & Reuerendiss. Leonis Cortesij

Episcopi Acerrensis Surrentini.

D 21. Fr. ROBERTVS de Noe, vel de Nola Apulus Ord. Præd. nobilis Alumnus, vir doctrina & pietate clarus ex Episcopo Minerbino ad hanc Sedem translatus ab Alexandro VI. anno 1497. die 15. Maij. Præfuit huic Ecclesiæ annis septem, factusque est Archiepiscopus Pariensis 15. Aprilis 1504. vt ex Actis Consist. liquet.

22. NICOLAVS de Noe suffectus est ei anno 1504. die 15. Aprilis obijt ann. 1511.

23. VINCENTIVS de Corbis Ciuis & Canonicus Sarnensis sublectus est die 22. Augusti 1511. mortuus autem est antequam integrum annum suæ dignitatis explesset.

24. Fr. IOANNES de Vico ad eam dignitatem prouectus est die 23. Iulij 1512. interfuit Lateran. Concilio sub Leone X. obijt anno 1526.

25. CAROLVS de Arcostis nobilis Ferrariensis, Vaticanæ Basilicæ Canonicus, & Vicarius, sublectus est Episcopus Acerrarum cum retentione Canonicatus & Vicariatus die 28. Ianuarij 1527. è viuis exemptus est anno 1537.



26. IOANNES PETRVS Card. Carrafa electus Commendatarius huius Ecclesiæ die 16. Iulij 1535. post annos quatuor illam resignauit; qui deinde Summus Ecclesiæ Pôtifex creatus Pauli IV. sibi nomen assumpsit.

27. IO. PAVLVS de Pisis, de Titijs dicitur in Actis Consist. Vtriusque Signaturæ Referendarius, præficitur in Episcopum die 21. Aprilis anno 1539. Sedit annis 16. obijtq; anno 1554. Defuncto Io. Paulo, designatus est Episcopus Acerrarum Paulus Riccardus Auersanus, qui ante consecrationem Romæ diem obijt, sepultusq; est in Ecclesia Sanctorum Apostolorum, eo in loco, vbi hactenus in marmore extat hoc epitaphium.

D. O. M.

Paulo Riccardo

Auersano Acerranorum Episcopo

Designato

Vixit an. LI. D. VIII.

Fuluius fratris


filius

Patruo optimo

B. M. fecit

An. sal. MDLIIII.

27. IO.



28. IO. FRANCISCVS Sanseuérinus Neapol. genere, & virtute illustris electus est Episcopus die 6. Iulij anno 1555. Decessit verò anno 1560.

29. IO. FABRITIVS Sanseuerinus Neapol. successit die 14. Febr. 1560. Interfuit Tridentino Concilio, translatusque est post annos octo ad Triuentinam Ecclesiam.

30. IOANNES Vasquez Vrtado Hispanus ex præsentatione Philippi Hispaniarum Regis euasit Acerrarum Præsul die 23. Iulij 1568. fato autem cessit 1571.



31. SCIPIO Salernitanus Patritius Neapolitanus, germanus frater Thomæ regiæ Cancellariæ Regentis, Episcopus declaratus est die 16. Iulij 1571. Neapoli. Inter mortales esse desijt anno 1581. Sepultusque est in Ecclesia S. Mariæ Gratiarum in Sacello suæ prænobilis familiæ Salernitanæ, in quo & Thomas deinde defunctus communè habuit sepulchrum cum Scipione fratre, hoc insculpto epitaphio.

Thomæ cognomento, & generis splendore Salernitano, Patritio Neapolitano ex clarissimo causarum patrono à Philippo II. Austriaco prudẽtia summa rei Præsidenti, eiusdemque Principis ad Ferdinandum August. de Barensi Ducatu controuersia Legato, Magistratuum in Regno Siciliæ & Censori, & Ordinatori sacri Regij Consilij summo Præsidi Prologotheta, ac supremo à latere Consiliario creato, sui tempore Ordinis facilè Principi, pluraq; longè merito, quam adepto, hic cum fratre Scipione, Acerrarum Pont. quiescenti Pompeius Regius Consiliarius, cæterique fratres modicum lapidem pro loci angustia, mole dignissimo PP. Anno Domini MDLXXXIII.



32. MARCELLVS Maiorana Neapolitanus Clericus regularis Theatinus ex Episcopo Cotronensi ad hanc Ecclesiam translatus die 13. Nouemb. 1581. Sanctissimè, vt vixerat Neapoli extremum diem clausit anno 1586, sepultusque est in Cœmeterio D. Pauli apud suos Regulares Clericos, vt testamento cauerat. Fuit Maioranus humanarum diuinarumque rerum litteratura, itemque ecclesiasticorum rituum peritia clarus, sed vitæ puritate, & in administrandis Ecclesijs zelo illustris, quibus præstantissimi Antistitis partes egregiè impleuit. Legendus Ioseph Silos p. 1. Hist. Cleric. Regul.

33. IOAN-



33. IOANNES BAPTISTA DE TVFO Patritius Auersanus eiusdem Clericorũ Regularium instituti nobilis alumnus, Maiorano successit die 17. Aug. 1587. Ecclesiam insigni cum animi solertia, zeloque administrauit, nihil prætermisit omninò, quo rem animatum benè gereret, exornaretque traditam sibi sponsam, non modo ciuium, & Cleri moribus, sed externo etiã cultu. Acerrenses curas diu rexit, demũ se se exolui onere curauit die 23. Iunij 1603. inter assistentes Præsules à Clemente VIII. cooptatus. Vixit deindè ad annum 1623. obijtque Neapoli 13. Iunij sepultus est in D. Pauli Cœmeterio. Historiam suorum Regularium Clericorum non sine laude scripsit. De viro hoc præstantissimo plura sparsim commemorat idem Silos 1. & 2. par. hist. suæ. Duos germanos fratres habuit Ioannes Baptista, eiusdemque Regularium Clericorum Religionis alumnos, Vincentium Vritanum, & Siluestrum Motulanum Episcopos, vt mirum sanè tunc fuerit, quod nunquã postea contigit, vt Silos scribit, tres omnino eiusdem sanguinis, eiusdemque Ordinis germanitate coniunctos eodem simul tempore, eodem in Regno Neapolitano, ab eadem Regum Austriacorum munificentia Episcopale munus, ac fasces administrasse.



32. IOANNES Gorrea Hispanus genere, patria Cæsaraugustanus, ex Canonico Neapolitano ad hanc Sedem euehitur die 23. Iunij 1603. mortem obijt anno 1606.



35. VINCENTIVS Paganus clericus regularis Theatinus euasit Episcopus Acerrarum die 20. Nouembris 1606. de quo Silos. fuit nobili genere Neapolitanus Pyrrhi Pagani Cæsarei Iuris consultissimi, atque à regijs Neapoli consilijs filius. Is florente admodum æuo, (verba sunt Iosephi Silos) ac ingenio studiorum ciuilium spatia emensus, adeptusque publicam cum plausu lauream, periclitari forensem eloquentiam, fortunamque cogitabat, ac grassari per vestigia, atque imitamenta patris ad gloriam. Verùm spirante meliori aura, aliò flectenda velificatio fuit, complexusque est religionis portũ, antequam iactari pelago, æstuque negociorũ inciperet. Nomen in Paulina domo professus est, ostenditque singulari quodam in virtutum exercitio ardore, ac studio, quàm prudenter, religioseque id consilij comperuisset. Cursum cum philosophiæ, tum sacræ Theologiæ instituit, absoluitque: cumque frui pacata quadam animi quiete, ac religiosa consuetudine videretur raptus ad Ecclesiã Acerrarum est, infulamque deferente Philippo Hispaniarum Rege III. effecitque patris reuerentia, qui filium præpostero quodam affectu ea insignitum dignitate cupiebat, vt acceptaret. Verùm quo animi sensu susceptum semel Institutum dimiserit, commonstrauit post annos non admodum multos, cum elato iam Patre, restitui postliminio pristinæ disciplinę curauit. Id enim natura comparauimus, vt eo redeat statim animus, vnde auulsus suis ingratijs, ac vi fuerat. Romam igitur eo consilio accessit Paganus, vt abiecto Episcopali munere, ac dignitate, receptum à Pontifice impetraret, cumque non translatitio id quidem, sed quam efficacissimè, ac semel & iterum & tertio efflagitasset, flecti Pauli Quinti animus nunquam potuit, ijsque potissimum verbis vota Pontifex cludebat. Relinquet homo patrem & matrem, quæ est religio, & adhærebit vxori suæ, quæ est Ecclesia. Accepta hac vicaria numinis voce bonus Antistes extra religionis septa ita vixit,

vt

vt religiosi officij partes egregiè tenuerit. Externa in primis specie modestiam eximiã ac Theatinum planè cultum repræsentabat. Frugalissimus, ac propior nostro Instituto eius victus ratio, accedebantque paupcribus ea parsimoniæ compendia. Quod quidem grauioris Cæli inclementia Acerrarum Ciuitatem affiet, cauent suæ incolumitati Episcopi Neapolitano domicilio. Is verò ita Neapoli commorabatur, vt cum persæpe oues suas coram inspiceret, præsentiam diligentiore quodam studio ac sedulitate compensaret. Deuexa iam ætate defunctus piè est inter nostratum officia, ac certa spe gloriæ. Successit, in Acerrensi eo Sacerdotio Antistes Mansuetus è Bernabitis eloquentia, ac eruditione cum paucis spectatus, qui dicere solitus erat, quicquid inibi commodi, aut cultus reperisset, à Pagano extitisse, vt qui Ecclesiam & ornauerat & censu auxerat. Cæterum defuncto Vincentio, designatus est huius Ecclesiæ Antistes Fr. Gundisaluus Paceeco Hispanus patria Ciuitatensis Ord. Eremitarum S. Augustini Philippi IV. Hispaniarum Regis concionator, qui ante quã ab Vrbano VIII. confirmaretur, Bruxellis obijt 1641. cum esset Card. Infantis à sacris confessionibus.

36. MANSVETVS Merottus Mediolanensis Clericus Regularis S. Pauli, quos Bernabitas vocant, egregius verbi Dei concionator, Infantis Margaritæ à Sabaudia à sacris confessionibus, in cuius gratiam ad hanc Infulam a Catholico Rege Philippo IV. præsentatus, successit Pagano die 13. Iulij 1644. dum Vrbanus VIII. Pontifex propemodum luctaretur cum morte. Viuit eximius Præsul omni honore dignissimus.

CVMANI in Campania EPISCOPI.



CVMÆ Campaniæ Felicis ciuitas ad mare iuxta Puteolos sita est. Si originem eius inquiramus, inquit Caracciolus, paulo ante Parthenopen ab Hyppocle Cumæo, & Megasthene A. Calcidense ædificata est anno orbis conditi M. M. M. IV. A Troia excisa CXXX. quæ certè primordia, si valde antiqua sint; ne & quaquã tamen eam vrbem ideo παλαιότατον Strabo vocat lib. 5. quod omnibus Italicis Siculis, Græcisque colonijs deductis, vt Capaccius censet, antiquitate antecelleret. Nam in promptu asserunt plures Italiæ vrbes Cumis antiquiores. Vt Cimmerum Cumis ipsis propinquum Campaniæ oppidũ, quod Sibyllæ Cumanæ, ad quam Aeneas diuertit, fuisse patriam, Varro tradit; atque adeo multo vetustius Cumis, quæ à Troiæ excidio & Æneæ ab ea discessu anno CI. vt dudum dictum est, extructæ sunt. Præterea, antiquior est Sibaris ab Achiuis ædificata: qui paulo post Troiæ excidium, vi tempestatis eò fuerunt appulsi. Steph. de Vrbibus. B Item Caieta, quæ ab Aeneæ nutrice nomen sumpsit. Sol. & Virgil. Tum Sulmo à Sosimo Aeneæ comite. Ouid. 4. Fast. Nec non Lauinium Albanorum Metropolis à Lauinia Aeneæ vxore dictum, conditumque ab Aeneæ socijs. Dionis Antiq. 1. Denique Laurentum multo ante Aeneam ac Troianum excidium à Pico Rege conditum memorat Priscian. Idque patet ex Liuio, Solino, & Dionysio: qui referunt Aeneam in agro Laurenti posuisse castra. Omnes itaque vrbes istæ, seu oppida, vel ante tempora Troiani excidij, vel paulo post extructa, palam est, multo antiquius Cumis Campaniæ habuisse principium. Adhuc tamen ob huius vrbis antiquitatem factũ est, vt ea Romæ subdita non fuerit, nisi postquã Imper. fermè totum orbem subiugarunt, hinc C Tarquinius Superbus Roma pulsus, Cumas se recepit, vtpote in liberam, ac tutam Ciuitatem, ibique rel quum vitæ suæ tempus exegit. De huius ciuitatis ædificatione, nomine, progressu, religione fusè agit Capaccius lib. 2. Hist. Neapol. Haud satis constat, quis eidem protulerit Euangelij lucem, potest tamen ex coniectura deduci sub Apostolorum temporibus, cum cæteris finitimis ciuitatibus didicisse sacra Christiana, nec prorsus absimile videtur Caracciolo, qui dixerit Paulum Apostolum, cum Puteolis fuit, Cumas etiam proximam, & celebrem ciuitatem, fidei Christianæ rudimentis instituisse. Certè vrbem secundo Christi sæculo, Iustinus Presbyter & D Martyr inuisit antiquũ Sybillini oraculi antrum, Templum; aliaque vetustatis vestigia admiratus. Sanè vero quædam Christianæ religionis præludia Cumis emicuisse videntur, cum ibi Sibylla, tam discertè partum æterni Regis è Virgine, & fælicia Christi sæcula sit vaticinata. Cæterum si vera essent, quæ vulgi dictis narrat Stephanus Viuandus Pighius in Hercule Prodicio, & ex Poetarum dictis, maxima esset Cumanæ Ciuitatis dignitas. *Haret*, inquit, *adhuc opinio nunc temporis apud Campanos, & vulgus imperitum, ab Auerno, vel inferis, isthac Christum Seruatorem nostrum, morte per mortem domi-*

ta,


ta, retulisse spolia opima, Sanctorumque Patrum animas ex infernis carceribus extractas per montem Auerno, & nouo monti vicinum traduxisse, qui propterea Christi mons nunc etiam appellatur. Suffragantur huic opinioni veteres item Poëtæ quidam de balneis Puteolanis scribentes, vt Alcademus.

Est locus effregit quo portas Christus Auerni,
Et Sanctos traxit lucidus inde Patres.

Itèm Eustasius quidam.

Est locus australis, quo portam Christus Auerni
Fregit, & eduxit mortuus inde suos.

Sed fabulosa sunt ista. Aliunde itaque Cumanæ Ecclesiæ antiquitas inuestiganda est. Eam certe arguunt Episcopi Maxentius, qui Diocletiano Imperatore, & Caio Pontifice, eam rexisse legitur in Actis S.Maximi Leuitæ. Et Adeodatus in Concilio Romano sub Hilario Papa celebrato subscribens cum Sotere Neapolitano, atque Tiberio Capuano Episcopis: ac præterea S.Iulianæ Virginis sacrum corpus, ab vsque Nicomedia, nõ multo post eius martyrium, quod anno Christi 290. contigit, eò translatum. Talis quippe eam potissimam vrbem sacrorum lipsanorum translatio fuisse iam tum Christianis ipsam refertam, non obscurè significant. Primis igitur temporibus Christiana religio Cumis disseminata est, institutaque in ea Episcopalis dignitas. Constat vero Gregorio Magno ad clauum sedente, Ecclesiam Comanam Misenati propinquæ aliquando vnitam fuisse, quarum tamen deinceps, post Benenatum Misenatis & Cumanæ Præsulem, coniunctarum Ecclesiarum Episcopos ad posteritatis memoriam non transisse: sed haud diù coniunctio hæc perdurauit. S.quidem in Concilio sub Agathone Papa anno 680. celebrato, Petrus Cumanæ, & Agnellus Misenatis Ecclesiarum subscripserunt Episcopi. Quoniã vero anno 1207. Cumana hæc ciuitas propter inhabitantium maliciam diruta, Sanctorumque Lipsana Iulianæ Virginis & Maximi Leuitæ diuorum tutelarium, è Cathedrali Maximo dicata Neapolim translata fuerunt, eius Ecclesia Neapolitanæ cum omnibus suis iuribus perpetuo fuit vnita, vt ex Actis Caroli Primi Regis habetur: Is singulis annis Neapolitano Archipræsuli exolui iussit ann. 1277. omnes fructuũ decimas, quas Reges ex agro Cumano excipiebant, & ad Cumanam olim Ecclesiam spectabant. Sunt qui scribant Cumanam Ecclesiam Auersanæ vnitam fuisse, quemadmodum & proximam Atellanã quondam Cathedralem, Clerum in proximo insigni Iuliani oppido eiusdem diœcesis translatum esse: eum hactenus in Auersana Ecclesia; tres Primicerij recenseantur, inter quos Cumanus habetur, & Clerus Iuliani, Cumanus nuncupetur ex veterum traditione. Sed Regia registra, ac monumenta Neapolitanæ Ecclesiæ clarè ostendunt, eam Ecclesiam nõ Auersanæ, sed Neapolitanæ vnitam esse, & obnoxiam: atque in bonorũ inuentarijs Regum iussu conscriptis eum Alexander Carrafa Archiepiscopus præesset, hæc legantur. *Idem tenet Archiepiscopus in Cumis Ecclesiã Cumanam cum infrascriptis iuribus, & possessionibus, &c.* Quicquid autem sit de vnione Cumanæ Ecclesiæ, Clericorumque suorũ, certe constat Cumanam eandem Ecclesiam, Neapolitanæ suffraganeam fuisse ex libro, qui Prouinciale omnium Ecclesiarum inscribitur: quod confirmat Antonius Demochares lib.3.cap.15. de sacrificio Missæ. Porro Cumani Episcopi, quorum memoria ad posteros demum data est, hi pauci sunt qui sequuntur, ex Capaccio.



1. MAXENTIVS Primus qui occurrat ex Cumanis Episcopis, vixit sub Diocletiani immanissima Christianorum persecutione, anno 298. de quo mentio in Actis Sancti Maximi Leuitæ, & Martyris Cumani, qui post exilium, vngulas, ardentes lampadas aliaque tormenta tolerata, capite pro Christi fide truncatus volauit ad cœlum. Incidit fortissimi huius Christi athletæ passio anno 298. vt in ipsis Actis licet colligere, in quibus legitur. *Passus est Beatissimus Martyr 3. Kal. Octob. post cuius obitum quindecim ferè post annos Christianorum infestatio mansit. Tum vbi pax Christi Ecclesiæ restituta est, apparuit idem Martyr, &c.* Hæc quippe verba signant annum Christi 312. quo videlicet Maximinus in Oriente bellis, & morbi cladibus consternatus, desijt Christianos vexare: Euseb.lib.9. cap.7. Et in Occidente Constantinus, deuicto Maxentio, edicta promulgauit pro Christianis, & bonorum ipsorum restitutione. Euseb.lib.10.cap.1. Socrates lib.1. c.1. Sozomen. Eutrop. & alij. Habetur in ijsdẽ Martyris Actis, Maxentium huic Episcopum Cumanum, qui ob persecutionis rabiem la-

titabat, dum Maximus in carcere detinebatur, per visum admonitum ad carceris fores accurrisse, & ducentos fere ibi detentos, Christo regenerasse. Cætera Maxentij acta desiderantur.

2. ADEODATVS Episcopus Cumanus interfuit Concilio sub Hilario Papa anno salutis 465 cum Sotere Neapolitano, & Tiberio Capuano Episcopis.

3. MISENVS, siue Mensenus Cumanus Episcopus ann. Christi 483. cum Vitale Treuentino in Piceno Episcopo, & Felice Ecclesiæ Romanæ defensore à Papa Felice Constantinopolim legatus missus reuocatus ad vrbem in Concilio apud Sanctum Petrum conuocato ex omnium Patrum sententia communione Apostolica, & Sacerdotio priuatus est, quod Constantinopolim missus præuaricatorem se constituisset mandatorum Sedis Apostolicæ in communicando cum Acacio, post multorum annorum pœnitentiam, veniã sui erroris petens, anathematizato Acacio an. sal. 495. Mense Martio à Gelasio Papa super hoc, Romæ conuocata Synodo quinquaginta Episcoporum, ex omnium consensu Misenus absolutus, fuit est restitutus Sedi, cum iam antea Vitalis ipsius in legatione, & præuaricatione socius irreconciliatus Ecclesiæ mortuus esset. Huius Synodi acta Baronius refert, ex Bibliotheca Vaticana. Interfuit deinde Misenus Concilio Romano sub Symmacho Papa anno 499. & 501. quibus etiam interfuit, & subscripsit Concordius Misenatis Episcopus. Misenus demum è viuis excessit anno 511. vt in marmorea inscriptione, quæ extat Puteolis in Episcopali Palatio eò è ruinis Cumanæ vrbis translata, ita legitur.

HIC REQVIESCIT IN PACE
MISENVS
EPISCOPVS . . . .
P. M. M. II. XXVI. DEPOS. III. ID.
IANVAR.
FL. FELICIS V. C. ET SEDIT ANN. . .
M. X. D. VI.

Florij Felicis consulatus incidit in annum Christi 511. iuxta veriorem computum, quo ex hac vita Misenus migrauit.

4. LIBERIVS Cumanus Episcopus mortuus est Gregorio Magno sedente anno 592. tunc Cumanam Ecclesiam idem S. Pontifex Benenato Misenatis his verbis commẽdauit: *Quoniam Cumana Ecclesia Liberius quondam Antistes de hac luce migrasse cognoscitur; prætérea visitationis destituta Ecclesia Fraternitati tuæ operam solemniter delegamus, &c.* illud etiam adijciens epist. 19. lib. 2. vt nullum de alia Ecclesia eligi permittat ibi Episcopum, nisi forte inter Cumanos Clericos vllus esset, quem ad Episcopatus onera euehi posse sibi persuaderet. Ne prætereà laico cuipiam eam dignitatem æmulari per-

A mitteret. Hoc eodem anno Cumana Ecclesia, cum Misenati ab eodem Pontifice vnita fuit, vt patet ex epist. 31. Indict. 10. lib. 2. ad eundem Benenatum, quem vtrarumque Ecclesiarum constituit Episcopum: sed parum vnio hæc perdurauit, vt non semel diximus.

5. BARBATVS Cumanus Episcopus adest Concilio Romano sub Martino I. Papa ann. 647.

6. PETRVS eiusdem Ecclesiæ Præsul subscripsit Epistolæ Agathonis Papæ ad Constantinopolitanum Concilium anno 680.

7. IOANNES Cumanus Præsul anno 920. cuius mentio in translatione corporis S. Sosij Martyris è Miseno Neapolim facta,
B quam Ioannes Diaconus conscripsit; post hunc plures desiderantur Episcopi.

8. IOANNES huius nominis secundus, Cumanæ Ecclesiæ Episcopus anno 1134. & sexto Principatus secundi Roberti filij secundi Iordania gloriosissimi Principis (sic in diplomate) Capuę, & Comitia Auersæ subscribit, Ioannes Cumanus Episcopus. Illud autem erat huiusmodi: *Gulielmus de Pirolo filius quandam Alexandri eiusdem cognominis, qui sum, vnus ex Baronibus ciuitatis Auersa, pro anima eiusdem, & parentum suorum concedit, confirmat Domino Petro Venerabili Abbati Monasterij, quod dicitur ad Capellam, quæ est sita foris Ciuitate Neapolis, integram Ecclesiam vocabulo S. Petri,*
C *quæ dicitur ad Pertusum, regione Bugente, quæ esse videtur in territorio Castri Cumani Episcopi.* Idem Ioannes anno 1141. cum consilio Cleri, & populi eiusdem ciuitatis concedit & confirmat Rogerio Abbati Monasterij S. Mariæ de Positano, Ecclesiam Sancti Martini in agro Cumano, petitque ab eo, vt nummos aliquot singulis annis soluat, & inter alia, vt in S. Martini natali, & in Cœna Domini presbyterum ad officium diuinum perficiendum mittat. Donationem exhibemus ab exemplari quod extat apud nos:

In nomine Domini nostri Iesu Christi Dei æterni. Anno ab Incarnatione eiusdem Redemptoris M. C. XLI. Indictione quarta, & sexto anno quo Dominus Rogerius
D *Magnificus Rex Siciliæ acquisiuit principatum Capuæ, & Comitatum Auersæ.* Ego secundus Iohannes Dei gratia Sanctæ Cumanæ Sedis Episcopus vna cum communi cõsilio Cleri & populi nostræ Ciuitatis per ammonitionem quam à te Domino Rogerio Venerabili Abbate Monasterij Sanctæ Dei Genitricis Mariæ de Pasitano, & Beati Viti Christi martyris, audiui, proposui, & in animo meo habere partem cum iustis. Idcirco pro redẽptione animæ meæ, & pro animabus omnium defunctorum, & vt semper maneamus in orationibus eiusdem Monasterij & Rectorum & gubernatorum, & per hoc videlicet scriptum in perpetuum concedo & confirmo canonicè in eodem Monasterio integram

Ec-

Ecclesiam Sancti Martini, quæ est sita in mōte qui dicitur ad Pertusum cum omnibus suis pertinentijs, quæ in his scriptis finibus atque diuisionibus declarantur, & finiuntur à parte orientis est finis terra Starcie S. Petri ad pertuso sicut exfinat viam quę pergit ad casam Mesanam, & in alijs locis, & qualiter vadit per capite de ipsis terris de casa Mesanę, quę vobis confirmamus & per ipsam viam quæ dicitur de mercato, qui pergit ad mare mortuum, & vsque ad illum arcum antiquum qui est in pede de illa caua qui descendit insuper scripto loco mare mortuum, vbi in capite de prædicta caua est fictus vnus terminus marmoreus niger qui exfinat inter terras quę vobis confirmamus, & terra Sancti Archangeli de Misena, & qualiter descendit ab ipso termino pro ipsa caua quę dicitur riuus de Forcella vsque in mare, & ab alio latere parte Septemtrionis finiuntur in terra Dominica incipiens à Staphilo & vt descendit directum in caueam inferiorem quę est à parte occidentis, & descendit per ipsam caueam vsque in mare, & incipiens iterum à præscripto Staphilo ducit ad aliud latus quod est à parte Orientis iuxta quandam antiquam griptam reuertens desuper vsque in caueam quę dicitur de Cantatore, vbi est aliud vnus terminus fixus qui exfinat inter terras quę vobis confirmamus & terra cū scapulis Dominica & qualiter descēdit pro ipsa caua quę riuus est vsq; ad pedes fine terrę S. Petri ad Pertuso. Item alias duas terras de terra in pede de monte S. Martini, quarum vna subtus via est & altera super eandem viam, & finiuntur in prænominato loco casa Mesana, hanc inquam totā terram per præscriptos fines insimul cum suis prædictis coherentijs, Ego prefatus Secundus Iohannes Cumanus Episcopus ita firmiter cum prenotata Ecclesia S. Martini confirmo vobis in dicto dominio Rogerio Abbati tuisque posteris illam vt ab hac die in antea & omni tempore tu iam dictę Domine Rogeri Abbatis tuis successores libera & absoluta à me & à meis successoribus eam habeatis & teneatis possideatis & fruamini ipsam præfatam Ecclesiam cum tota memorata terra cū tenimentis suis ad opus prænominati vestri Monasterij S. Mariæ absque vlla contrarietate in perpetuū, & per hanc confirmationem in vnoquoque anno nobis reddatis pro incensu in Assumptione Sanctę Dei Genetricis tarenos bonos triginta, & in natale S. Martini prandium vnum, & in secundo die lunę sacræ Quadragesimæ cœnam vnam sine omni amaritudine & in S. Martini & cœna Domini nobis mittere debetis presbyterum vnum ad officium Dei perficiendum, nos vero nostrisque successoribus debemus antestare & defendere vobis prædicto Domino Rogerio Abbas vestrisque posteris omni tempore prægtatam Ecclesiam S. Martini & totam prædictā terram cum omnibus mobilibus & immobilibus suis cōtra omnes homines qui inde vo-

A bis & posteris tuis & prænominato vestro Monasterio calupniam intulerint aut auferre aut inquietare temptauerint, & non sit nobis vel nostris posteris licitum per nos vel per aliquam submissam personam iam dictam Ecclesiam cum totam supradictam terram vobis vestrisq; successoribus auferre, vel aliquid ex ea minuere, excepto prænominato incenso quod nobis iuste reddere debetis, vt superius dictum est. Quod si quis huius nostræ concessionis & confirmationis paginę cōtemptorum aut violatorum in aliquo esse præsumpserit, illa persona sit sub anathemate maledictionis vinculo allegata à Patre & Filio & Spiritu sancto, & portio eius sit in die iudicij cum diabolo & Angelis eius. In-
B super libras decem auri purissimi persoluat medietatem Curiæ regis, & medietatem tibi memorato Domino Rogerio Abbati tuisque successoribus, solutaque pœna librarum auri hoc scriptum cum omnibus quę continet firmum munitum atque inuiolabile maneat in perpetuum, & vt in futurum posteris sit firmum & notum ac perpetuum propria manu subiacenti signo crucis signaui, & subscriptos nostros fratres vt subscriberentur rogaui.

De hoc etiam recordamur quod quando prædictum prandium & cœnam prænominatam nobis feceritis cū nostris Clericis & hominibus in iam dictam Ecclesiam S. Martini comedere debeamus.

C *Signum crucis manus prænotati Secundi Iohannis † Cumani Episcopi.*

† *Ego Marcus Presbyter & Canonicus S. Maximi consensi & subscripsi.*

† *Ego Matthæus Presbyter & Canonicus eiusdem Ecclesiæ consensi & subscr.*

† *Ego Petrus Presb. interfui & subscr.*

Ego Guillelmus Clericus & Notarius commanens in Auersana Ciuitate 10. Kal. Iunij rogatus à præfato D. Iohanne Cumano Episcopo hanc cartulam confirmationis manu propria scripsi.

9. LEO postremus existimatur Cumanę Ecclesiæ Episcopus, propterea quod eius ætate anno scilicet 1207. Kal. Martij destru-
D cta est Ciuitas Cumana, vt dictum est ex Actis S. Maximi, præsidente in Cathedra Neapolitana Anselmo Archiepiscopo, qui cum Leone & duobus Canonicis Presbyteris Cardinalibus sacra Iulianę Virginis & Martyris lipsana proprijs humeris Neapolim detulit, ac recondidit in Ecclesia S. Mariæ Domnę aromatæ. Translata item sunt è diruta Cathedrali S. Maximi Leuciæ & Martyris ossa, & Ecclesia Cumana, Neapolitanæ vnita est. Cuius Diœc. ob loci propinquitatem, Puteolanus Episcopus habet, Clerum Cumanum in oppidū Iuliani translatum, Primiceratus dignitatem in Auersana Cathedrali collocatā vulgus existimat. Et hæc pauca de Cumana Ecclesia, deque eius Episcopis dicta sufficiāt.

ISCLANENSES EPISCOPI.



AENARIA paruæ, celebrisq; Insula gentis Dauolæ Marchionatus; & Episcopali titulo clara, in sinu Puteolano haud amplius sex millibus ab Neapoli distat, à statione nauium Æneæ sic dicta apud Plinium lib. t. Hæc item Inarimæ & Pithecusa nunc Ischia, ab Oppido conxendicis imaginem præferente, vel vt placet Volaterano à Græca voce, quæ fortitudinem significat, Ischia dicta Oppidũ vbi Episcopus residet sic describit Pontanus lib. 2. de bello Neapolit. *Iscla oppidum editio in monte situm, mari olim vndique cingebatur; nunc mole iacta, satis longo tractu insulæ coniungitur. Mons ipse breui admodum à Prochyta freto dirimitur. Inde circum adesit rupibus ab meridie, occasuque mari sinuatur, stationemque efficit, qua parte post ipsam molem insula procuruato in sinum mari abluitur. Statio ipsa ab euris, notisque malè omninò tuta à fluctibus. Ad ipsum autem oppidum accessus est per accliuis maximaque è parte saxo caso, atque excauata rupe manufactus. Munitiones igitur ita erectæ sunt, vt tormentis eneis & offensitari nauium statio, & oppidi porta, finitimaque illi quassari ades possint.* Septem ferè stadia, inquit Capaccius, scopulum ex viua silice ambiunt; ascensum per cuniculum difficillimo vallo ferreis portis, militumq; Italorum (& ferè Ciuium) præsidio custodito, quod Regis arcibus videtur nouum, Isclanorum præcipuum erga Reges fidei testimonium. Locus firmior ab Alphonso Primo Rege Aragoneo fossa, muro, tormentis est factus. Arcis præfectus Vasti Marchio, necis, & vitæ in ciues habet potestatem. Omnes Ciues à fiscalibus functionibus sunt alieni. Vicos habet Panaam, Fontanam, Testaceum, Barunum, Campagnanum, Casanizzolam, Laceum, Foreum, qui maior ad octo millia capita continet, & munitior multis turribus in Occidentali plaga, situ, fructuum, vinorumq; copia, & aprico cœlo cæteris Insulis loci præstantior. Hãc aliqui laudem tribuunt Montano, & Scopulis, qui D. Andreæ dicuntur. Hinc Romam

ad loca mediterranea vina asportantur. Ciues, vel quod ignis nimium sanguinem excitet, vel quod Insulanorum mores sectantur, procliues sunt ad iniurias. Et quamuis vt plurimum egestate laborent, nobiles tamen multæ familiæ numerantur. Tota Insula pomaria, & nemora, dipictaque prata cernũtur, Carduorum memorabilis copia, qui cineres gignũt, Caryophyllorum syluæ, phasianorum, aliarumque auium aucupia, quadrupedium venationes, aurifodinæ, de quibus fortasse Strabo loquutus est, nigra arena, quæ magnetem trahit. Ferri venæ in altissimis rupibus, quæ in Insulam aditum prohibent. Vndecim tota Insula frigidæ aquæ fontes, quos frigidos appello, si trigintaquinque calidos, & medicos proposuero. Lacus etiam erumpit. Græcum vinum, quod ex eius agro promitur, laudabile. Latinum etiam non contemnendum. Ligna quoque pauperibus laribus idonea mittit. Cætera huius Insulæ spectabilia, scituque digna idem Capaccius scribit. In Insulæ Oppido, quod Ischiam Ciuitatem vocant, maior Basilica siue Episcoplum est decentis & antiquæ structuræ atque ornatus pro loci conditione Beatissimæ Virginis Assumptę dicata, in qua Canonici 13. numerantur, ex quibus tres dignitate eminent, Primiceratus prima dignitas post Pontificalem, Archidiaconatus, & Archipresbyteratus; plures sunt Clerici beneficiati, Vnum extat intra Ciuitatem Monialium Cœnobiũ Diuæ Claræ & tres Parochiales Ecclesiæ, in ipsa Cathedrali, prima per Archipresbyterum exercetur, S. Blasij, & S. Mariæ de Libera, in suburbijs vna est Parochialis Ecclesia sub titulo Sancti Spiritus. Templa sunt Trinitati, D. Nicolao, D. Anunciatæ & D. Mariæ Turrium à Turra familia ædificatum, & D. Stephano dicata. Aedes S. Mariæ Hortidonici à loco in quo sita est, quam Constantia Caretta instaurauit via amplificata. A Scopuli radicibus stadij ferè longitudinis pons ad suburbium pertinet, quod Celsa dicitur, in quo cœnobium D. Mariæ Scalæ, vbi ex Augustiniana familia fratres commorantur. Aedes quoq; D. Marię Gratiarum, quam Franciscani incolunt, & D. Dominici. Duo Sanctorum corpora habere se affirmant, S. Restitutæ, & Oliuæ, vel Olinatæ. Condiderat autem in Aenaria templum Restitutæ Licinia nobilis matrona, dum anno 257. 14. Kalend. Iunias Restituta Cypriani Episcopi discipula in Panizano eius patria martyrij palmam consequuta in hanc Insulam est aducta. Sed de Restitutæ corpore, deque templo à Magno Constantino Imperatore Neapoli extructo eruditè scribit Antonius Caracciolus in monumentis sacris Ecclesię Neapolitanę, sitne corpus eius Neapoli nunc, an verò in hac Aenaria Insula; concludit Beatæ Restitutæ corpus primò in Aenariam diuino nutu delatum, & à Lucina honorificè conditum, postea ex ea Insula Neapolim translatum fuisse, sub

Altari

Altari eius Aedis olim reconditum. Caeterum lucem Euangelij iis temporibus, quibus & Neapolis hanc accepisse fatendum videtur, tum ex vicinitate loci, tum ex patrum traditione, tametsi ad annum salutis quoque 257. nullum vestigium appareat. Episcopatus verò Isclanus, qui huius Insulae fines haud excedit,& animas continet quindecim millia, antiquus est inter recentiores, Neapolitano Metropolitae obnoxius. In actis Regum Neapolitanorum anno 1303. Episcopo Isclano conceduntur decimae solitae, licet introitus fuerint diminuti ob incendium, quo Insula è terrenis visceribus naturę secreto vastata est; anno enim 1302. conflagrasse Insulam duobus continuis mensibus scribit Collenuccius. Hodiè fructus Episcopalis mensae ad ducatos illarum partium M. ascendit, taxatur verò in libris Fisci Apostolici ad flor. 50. Habet Episcopus temporalem iurisdictionem ciuilem dumtaxat in nonnullas laicorum familias. At Catalogus Isclanorum Praesulum, tum ex paucis illius Ecclesiae scripturis, tum ex Romanis monumentis collectus, sequens est.

1. PETRVS Isclanus Episcopus in Cōcilio Lateranensi sub Alexandro III. celebrato anno 1179. post Sergium Neapolitanum suum Metropolitanum subscripsit.

2. AMENIVS anno 1206. cuius mentio in monumentis eiusdem Ecclesiae. Post hunc plures desiderantur Episcopi, fortasse hoc sedente Praesule obijt Antonius Bulgaro, in cuius tumulo in crypta Cathedralis haec pauca leguntur verba.

Hic iacet corpus nobilis Presbyteri Antonij Bulgaro de Iscla, qui obijt anno Domini M.CCI. Filijque nobilis Marini Bulgari, cuius anima requiescat in pace. Amen.

3. SALVVS vixit anno 1305. cui decimas concessit Carolus II. Rex, quo tempore Insula ferè tota à terraemotu vastata est.

4. Fr. PETRVS, Ordo & patria ignoratur, Isclanus fuit Episcopus anno 1306. Saluo successit, quo Praesule obijt Felix Beatrix Isclae Comitissa, iacet in marmoreo tumulo opere musiuo exornato in Cathedrali, vbi hoc extat epitaphium.

Dux iacet hoc Felix tumulo vocitata Beatrix
Cum nato Domino Isclano, Comiteque Marino
Qui legit hoc me... um sciat & sub marmore Petrum.
Natum Felicis Genti dictae Beatricis
Hoc fieri iussit Felix Comitissa Beatrix
Tempore sub Petri, qui Sedem tunc retinebat
Pro quibus oretis mortis, qui iura tenebat.

5. GVILLELMVS diu Isclanę Ecclesię Episcopus fuit. Obijt sub Clemente VI. anno 1348. ex reg. Vat. Eo Praesule in Cathedrali humatus est Ioannes Assaneus Insulae Viczanę Dominus, habetque ex marmore inscriptionem.

Hic iacet nobilis vir Dominus Ioannes Assanneus de Iscla quōdam Insulae Viclanae Dominus, qui obijt anno Dom. MCCCXL. die prima Aprilis, cuius anima requiescat in pace. Amen.

Fortè etiam Guillelmo tunc sedente defunctus est Petrus Bonomane Insulanae Ecclesiae Archidiaconus, cuius tumulus visitur in Cathedrali cum epitaphio hocce.

Hic iacet Dominus Petrus Bonomane Archidiaconus Insulanus, cuius anima requiescat in pace, floruit in hoc mundo centum, & tribus annis, qui obijt anno Domini M.CCC.XXXI. mensis Martij XXV. XIIII. Indict.

Et propè hunc tumulum altera legitur inscriptio ex marmore, penè exesa.

Hic iacet Petruccius Bonomane Archidiaconus Iscla, cuius anima requiescat in pace. .

. . . .

6. THOMAS, vel Thomasius ex Canonico Marsicensis Ecclesiae immediatè Guillelmo successit 11. Kal. Ianuarij anno 1348. ad hanc dignitatem vocatus à Clemente VI. anno septimo sui Pontificatus, cuius electio extat in regest. Vatic. ep. 215. fol. 101.

7. IACOBVS Isclanus Episcopus translatus est ad Martoranensem Ecclesiam in Calabria anno 1359. ex regest. Vatic.



8. Fr. BARTHOLOMÆVS de Buſularijs Papienſis, Ord. Eremitarum S. Auguſtini proximè poſt Iacobum hanc ſuſcepit regendam Eccleſiam 11. Kal. Aprilis 1359. ex reg. Vatic. Innocentij VI. à quo ob præclaras animi dotes, & doctrinæ excellentiam gratijs & priuilegijs nobilitatus fuerat. Parentem habuit, & fortaſſe fratrem germanum Iacobũ Buſularium Ord. Prædicatorum virum præcipua ſanctitate clarum, cui nomen Beati fecere, quem in Eccleſia Sancti Dominici in ſuburbijs Iſclanenſibus marmoreo ſepulchro tumulauerat, vbi eiuſdem Beati effigies ſpectatur, librum apertum in manibus habens, in quo hæc verba inſculpta. *Liber excuſatorius de geſtis, per eum de tota vita ſua*: In fronte tumuli hæc. *Beatus frater Iacobus Buſularius nuncupatus ſub iſto altari MCCCC.LXXX. die xvj. Auguſti fuit trãſlatus. Per annos xiij. à Ioanne Galeacio Mediolanenſe, martyrium carceris pro veritate ſuſcepit. Papiam, Alexandriam de omni malo ad omne bonum reduxit, omnes dignitates abhorruit, & nunquam propriam habui:. Deo gratias. Amen.* Ad dexteram tumuli inſignia ſculpta ſunt Buſulariæ gentis, Leo nempe, ſub quo tria lilia. Ad ſiniſtram Crux magna, Ciuitatis Papienſis ſymbolum, in medio hæc verba. C. *Communitatis Papiæ*. Bartholomæus verò cum benè per annos omnino triginta hanc rexiſſet Eccleſiã ex hoc mortali ergaſtulo ereptus anno 1389. Sepeliri voluit iuxta eiuſdem Beati tumulũ, quod nunc eidem ſuperpoſitum cernitur, cum hoc epitaphio.

✠ *In hoc Cænocoperio reconditus fuit Bartholomæus Lombardus de Papia de Puſularijs Epiſcopus Iſclanus M. CCCLXXXIX. die IIII. menſis Decembris.*

9. PAVLVS Strina de Caprea Inſula Epiſcopus fuit Iſclanenſis anno 1392. quo

A quo Præſule Iſchiæ obijt Ioannes Coſta Procidæ Dominus, iacet in nobili, pulcherrimoque marmoreo tumulo in Cathedrali, hoc epitaphium habet.

Hic iacet corpus viri magnifici Ioannis Coſtæ de Iſcia militis Bothontini & cætera, Inſulæ Procidæ Domini, qui obijt Yſclæ Anno Dom. M.CCC.XXCVIII. die IIII. Auguſti V. Ind. cuius anima requieſcat in pace. Amen.

B

Hac tempeſtate ædificatum fuit ſacellum Diuæ Catharinæ in Cathedrali à Berneſe Taliaricio nobili viro, vt proloquitur lapis. *Hæc Capella ædificata, & dotata per nobilem virum quondam Berneſe Taliaricium*, vbi iacet corpus Antonij eiuſdem ſamiliæ cũ hac inſcriptione.

Hic iacet corpus nobilis viri Antonij Talerici dicti Imbriaci, & filiorum ſuorum qui obijt
C *Anno Domini M.C.C.C.C. die menſis . . . quorum animæ requieſcant in pace. Amen.*

Quo anno obijt Ciccus Magnocria Canonicus Cathedralis, iacet in eadem Cathedrali in Sacello Diuæ Annunciatæ.

Hic iacet corpus Venerabilis viri Cicci Magnocriæ de Iſcla Canonici, qui obijt anno Dom. M.C.C.C.C. cuius anima requieſcat in pace. Amen.

D

A



10. BALTASSAR Coſta Card. Neap. Ille idem qui poſtea Ioannes XXIII. Papa fuit, aliquando hanc habuit commendatam Eccleſiam.

11. ANDREAS electus Iſclanenſis à Gregorio XII. cui indulſit, vt à quocunque maluiſſet Catholico Epiſcopo munus acciperet conſecrationis, vt in lib. de præbendis legitur ſub eodem Pontifice.

12. Fr. NICOLAVS Beneuentanus Iſclanenſis Epiſcopus defunctus eſt ſub Martino V. anno 1418.



13. LAVRENTIVS de Riccis nobilis Florentinus, antea Epiſcopus Anconitanus, poſtea Senogallienſis, ad hanc Iſclanā tranſlatus 4. Id. Ianuarij 1419. quam rexit ſeptē, & decem annis, iterumque translatus ad Rauellenſem anno 1436. Conſule quæ de ipſo ſcripſimus in Epiſcopis Anconitanis tom. 1. & in Senogallienſibus tom. 2.

14. Fr. IOANNES Siculus Ord. Eremitarum S. Auguſtini Theologiæ Magiſter fit Epiſcopus Iſclanus 4. Kal. Aprilis 1436. Præfuit annis 19. mortem obijt anno 1453. de quo hæc pauca Acta Conſiſtorialia.



B 15. MICHAEL Coſal Hiſpanus Monachus, & Abbas S. Mariæ de Rota Ord. Ciſtercienſis Cæſarauguſtanæ Diœceſis, vir egregijs moribus, prudentia & doctrina longè clariſſimus, Alphonſi Primi Regis Neapol. in paucis carus, intimuſque conſiliarius, in cuius gratia Nicolaus V. illum ad hunc Epiſcopatum promouit 5. Kal. Iulij ann. 1453. in eaq; poſtquam plures eximiè egiſſet annos defunctus eſt anno 1464.

16. IOANNES de Cico Peruſinus hanc candem Sedem tenuit anno 1464. cuius etiā mentio anno 1479. in monumentis eiuſdem Eccleſiæ.

17. BERNARDINVS de Leis Romanus Lateranæ Baſilicæ Canonicus euaſit Epiſcopus Iſclanus anno 1503. trāslatus ad Caſtrenſem Eccleſiam in Tuſcia die 8. Ianuarij
C 1504. die verò eiuſdem menſis 16. ne dum conſecratus ſit Epiſcopus Lauellinus, deinde 23. Februarij eiuſdem anni Callienſem accepit Eccleſiam, ita vt plus minus menſe, quatuor titulis diuerſarum Eccleſiarum condecoratus fuerit: de quo vide illarum Eccleſiarum Præſulum ſeriem in primo, ſecundoue noſtris tomis.

18. DONATVS Serinens electus Epiſcopus Caſtrenſis, permutatione facta cum Bernardino Iſclanus declaratus eſt Præſul die 8. Ianuarij 1504. de quo Acta Conſiſt.

19. Fr. AVGVSTINVS Falmenia Gephanenſis Salernitanæ Diœceſis Ord Seruorū ex Epiſcopo Caprenſis Inſulæ die 24. Aprilis
D à Clemente VIII. translatus eſt ad Eccleſiā hanc Iſclanenſem. Doctus erat vir, & egregius verbi Dei concionator ſcripſit, teſte Poſſeuino, complura opuſcula carminibus concinnata in laudem Virginis Mariæ. Sub Paulo III. in Regno Neapol. decimarum collector. Tredecim annis laudabili, egregiaque virtute Iſclanum rexit Sacerdotium, obijtque ſub eodem Paulo anno 1548.

 20. FRAN-



20. FRANCISCVS Guttieres Hispanus Palentinus patria, splendidis ortus natalibus, electus die 24. Septembris 1548. obijt anno 1554.

21. VIRGILIVS Rosarius Spoletanus Canonicus S. Mariæ Rotundæ de Vrbe ad hunc Episcopatum promotus est die 27. Augusti 1554. indè factus Archiepiscopus Sipõtinus, creatusque est S. R. E. Presb. Card. & Adriensis Episcopus, hanc habuit commendatam deinde Ecclesiam ad mortem vsque, quæ incidit in annum 1560. de quo vide Sipõtinorum, Adriensiumque Episcoporum Catalogos in primo & 6. hoc nostræ Italiæ sacræ tom.

22. PHILIPPVS Gerius Pistoriensis successit Rosario die 16. Ianuarij 1560. clarus fuit in Tridentino Concilio, inde translatus est ad Assisiensem Ecclesiam 1564. de quo ibi.

23. INNICVS Card. Auolus factus cõmendatarius Isclanus ann. 1564. quam Ecclesiam dimisit anno sequenti.

24. FABIVS Polueronus Neapolitanus suffectus est die 8. Iunij 1565. Excessit circa ann. 1590.

25. INNICVS Auolos Canonicus Regularis Lateranensis electus est Episcopus Isclanus die 29. Ianuarij 1590. supra septem & triginta octo annos hanc rexit Ecclesiam.

26. FRANCISCVS Tontolus Sipontinus Congregationis Sumaschæ Procurator Generalis. S Officij in Vrbe Theologus qualificator, Indicisque Congregationis Consultor ab Vrbano VIII. adlectus est huius Ecclesiæ Episcopus die 15. Ianuarij 1638. viuit adhuc Episcopale onus vrget cum dignitate.

A

NOLANI EPISCOPI.



B NOLA Picentinorum Vrbs antiquissima à Vesnnio quinque millia passuum, à Neapoli duodecim in Ortus hibernum abest, eodem in agro, eisdemque sedibus iacet, quibus olim condita extiterat, non flumine, non mari septa, cuius campi, teste Liuio, nec lapides vllos habent, neque flumine irrigantur, nomen retinens vetustum, Romanorum quondam Colonia, & municipium, quam sic patefaciunt lapides apud Capaccium.

IMP. CÆS. C. VALERIO
DIOCLETIANO
PIO. FEL. AVG. COL. FEL.
C AVG. NOLA.

& alius

L. LICINIO. L. F. SER. VALENTI
PATRONO
MVNICIPI CVRAT. NOLANORVM
S. P. Q. NOLANVS. D.D.

Hoc tempore haud iustam magnitudinem excedit, longè ab illa dispar, quam olim Romani suæ fortunæ sociam habuerunt. Testes eius magnitudinis sunt templorum, Amphitheatrorũ, murorumq; ruinæ, & veterum inscriptionum fragmenta, quæ multis in locis pagorum & ciuitatis eruta passim iacent, & quæ Nolanæ amplitudinis claritatem ostentant, cum nullam, inquit Capaccius, Campaniæ vrbem antiquis monumentis ditiorem
D inspiciamus. A Tyris conditam fuisse scribit Solinus, Leander à Gepidis, Trogus inter Colonias Calcidensium commemorat, idemque Silius lib. 12.

Hinc ad Calcidicam transfert citus agmina Nolam
Campo Nola sedet crebris circundata in orbem
Turribus, & excelso facilem tutatur adiri
Planitiem vallo. &c.

Et Iustinus lib. 20. *Iam Phalisci Iapygis, Nolani, &c. nonne Calcidensiũ coloni sunt?* Hic Augustus Cesar mortuus est ætatis suæ 76. vbi & Pater eius, eidemq; Tiberius Imp. templum condidit & dedicauit. De eius origine & incremento familiis, rebusq; conspicuis pulchrum scripsit opusculum Ambrosius Leo: Eius meminere Ptolomeus, Diodorus, Strabo, Polybius, alijque veteres Scriptores. quam amicam Romæ dicit D. Paulinus in S. Felicis Natalis tertio. Sed maximè eam commendat eum agens de concursu populorum ad tumulum S. Felicis, sic loquitur.

Vrbes innumeras vna miramur in Vrbe.
O felix Felice tuo tibi Præsule Nola,
Inclyta ciue sacro cælesti firma patrono
Posque ipsam titulos Romam sortita secundos.

Quod si Maurorum, Vuandalorumque aliquando iniuria interierit; nihil tamen aliarũ finitimarum Ciuitatum in Campania cedit. Illam varijs ædificijs illustrarunt Nicola, Pyrrhus, Raymũdus, cæterique ex Vrsina Romanorum nobilissima familia Nolani Comites, quandiu eam sunt dominati, nunc Regia Ciuitas est, vbique & semper Catholicis Regibus fidelissima: ex ea viri toga, & sago illustres prodierunt, quorum meminit idem Ambrosius Leo. Fidem Christi iam indè ab Apostolorum temporibus amplexa est, vel ab ipso Petro Apostolorum Principe, vel ab eius discipulis, dum in Campania prouincia, finitimisque ciuitatibus Euangelium dissiminarent, quamuis altiores radices egerit Felice Secundo Nolanorum Apostolo, inuicto Martyre, Sanctoque Episcopo prædicãte, cuius Sancti corpus in crypta Cathedralis honorificè conditum iacet, tanquam Patroni, Diuique tutelaris veneratur. Primi illi Christi fideles S. Petro Apostolo in grati animi monumentum Ecclesiam in eius honorem haud longè à mœnibus condiderunt, cuius adhuc vestigia extant. Basilicam vero Cathedralem cœperunt ædificare eo in loco, vbi S. Felix primus eorum Episcopus post cõsummatũ martyrium sepultus fuit, hanc non semel sucẽsam ac vetustate fatiscentem à fundamentis magnificè, ac piè Raymundus, & Vrsus Vrsini Nolanorum Comites reædificarunt, quam post multos annos miserabili casu collapsam Fabritius Gallus æterna dignus memoria Episcopus restituit, forma, & amplitudine pro loci cõditione & populi numero, instrumentisq; ad sacrorũ maiestatem necessarijs instruxit, Beatissimæque Virgini Assumptæ, Stephano antea Protomartyri, antiquioribus temporibus, Virgini, Felici, & Paulino dicatam consecrauit. Sacris in ea ministrant Canonici 20. ex iis dignitate quatuor eminent, Archidiaconus, Thesaurarius, & Cantor, plures Cappellani, alij minorum

A gentium Clerici diuinum opus perurgent. In ea præter S. Felicis Episcopi, aliorumque eiusdem Sanctorum successorum sacras exuuias, plures Sanctorum reliquiæ decentissimè asseruantur, è quibus summo honore habetur Crux illa preciosa ex frustulis compacta Sacratissimæ Crucis, in qua Saluator noster pependit, quam Melania nobilissima Virgo ex dono Ioannis Hierosolymorum Episcopi S. Paulino detulit, vt ipsemet testatur ad Seuerum. *Quod bonum,* inquit, *nobis benedicta Melania à Ierusalem munere S. inde Episcopi Ioannis attulit.* & alibi in epigrammate.

B *Hic pietas, hic alma fides, hic gloria Christi,*
Hic est martyribus Crux sociata tuis.
Nam Crucis è ligno magnum breuis hastula pignus,
Totaque in exiguo segmine vis Crucis est.
Hoc Melaniæ delatum munere donum
Summum Ierosolyma venit ab vrbe bonum.
Sancta Deo geminum velant altaria honorem
Cum Cruce Apostolicos quæ sociant cineres.
Quàm benè iunguntur ligno Crucis ossa piorum,
Pro Cruce vt occisis in Cruce sit requies.

C Ex Basilica S. Felicis Confessoris in Nolano Cœmeterio, vbi Paulinus eum tot Sanctorum reliquijs collocauerat, in Cathedralem ad maiorem Vrbis decorem hæc Crux translata est. Præclara effecta est Nola, tum sacrarum rerum religione, tum Sanctorum Martyrum cruore, vt ferè totus ager sanguine redundet. Quamobrem meritò idem Paulinus tertio S. Felicis Natali scripsit.

Tu quoque post Vrbem titulos sortita secundos,
Nam prius imperio tantùm, & victricibus armis,
Nunc & Apostolicis terrarum, & prima sepulchris.

D Mille passuum Nola, inquit Capaccius, Cœmeterium distat (corruptoque vocabulo Cemitinum pagum appellant) in quo profectò Martyrum thesaurus reconditur. Ibi Tyrannorum Præsides incoluisse, ibi tot Christianorum sanguinem effusum memoria hominum proditum est. Supplicij locum ostẽrant carceres obscuri, & tetri locorum ambages, columnæ, quibus innoxij fortasse fideles illigabantur, puteusque marmoreo lapide opertus, quem sanguine adhuc esse repletũ, multorum miraculorum testimonio, plerique affirmant. Vndique templum venerandam

dam

dam redolet antiquitatem, vndique lapides, A vrnæ, sepulchra in admirationem adducunt, multaque indè aliò translata Sanctorum corpora fuisse credere. Sunt etiam lapidea fragmenta, quorum alij meminere. Hanc D. Felicis Cœmeterij basilicam Paulinus magnificentius extruxit, quam olim Damasus Papa exædificauerat, illamque Sanctorum Martyrum reliquijs Vitalis, Agricolæ, Proculi, Euphemiæ & Nazarij ornauit, quas dũ Mediolani esset, à Beatissimo Ambrosio Episcopo acceperat, vt ipsemet testatur.

Hic socij virtute fide, virtute corona,
Martyrio Agricola, & Proculo, Vitalis adhærens, B
Et qua Calcidicis Euphemia Martyr in oris,
Hic est Nazarius Martyr, quem munere fido
Nobilis Ambrosij substrata mente recepi,
Culmina Felicis dignatur & ipse cohospes.


In eadem Basilica requiescenne Sanctorum Episcoporum corpora Felicis & Paulini Iuniorum, & Aureliani, Sanctorumq; Martyrum Reparati Diaconi, & Faustilli, Eutychij & Acacij Ciuium Nolanorum, qui cum S. Ianuario Puteolis pro Christo sanguinem fuderunt, quorum acta desiderantur. Fortè etiam ibi requiescuot corpora Sanctorum Martyrum Felicis longe diuersi ab huius nominis alio, cum Iulia & Iocunda, quorum meminit C Martyrolog. Rom. 27. Iulij. Hunc locum celeberrimũ hoc honore decorauit Franciscus Albertinus Archidiaconus, & Cœmeterij Præfectus.

Siste gradum, quamuis properes, en siste viator,
Te rogat pietas, relligioque loci.
Ingredere, & cineri manibus da lilia plenis,
Quemque Augustinus, Paulinus, Bedaque libris
Concelebrant flexo tu venerare genu.
Ingredere, at mundo corde, & simul excute plantas D
Sanctorum quando corpora mille premas.

Franciscus Albert. Archidiac. & Cœmit. Præp. ne transiens tam sacra loca nõ honorasses, hoc volebam nescius ne esses. Vale viator.

Cæterùm Nola templa habet Diuæ Mariæ Annunciatæ, Sancti Ioannis Baptistæ, S. Saluatoris, S. Spiritus, S. Paulini, S. Felicis, S. Claræ, S. Francisci. In maiori Basilica sacellum est subterraneum, nec non in Basilica Apostolorum ad multos pedes depressa in humum. Sacellum etiam infernum D. Felici subterraneum spectatur. Cœnobium Sancti Francisci, atque Claræ, & Collegium Virginum cõdidit Nicolaus Vrsinus Pyrrhi pater, vrbis Nolanæ restaurator egregius. Raymundus Vrsinus Salerni Princeps, & Nolæ Comes extra vrbem, Cœnobium S. Angeli de Parco pro fratribus Ord. Minorum obseruantium extruxit. Cumulat autem, vel tuetur eam Nolæ felicitatem Societatis Iesu nuper conditum Collegium, quòd illic Nolana iuuentus ad sanctiores mores, disciplinasque præclariores instituatur. Parochiales Ecclesiæ intra ciuitatem & extra multæ numerantur; plures verò laicorum Fraternitates, Seminarium puerorum optimè institutum, nec desunt hospitalia pro peregrinis, & ægrotis, aliaque pia loca, & oratoria. Diœcesis Nolana satis ampla est, pagos, & villas permultas continens. Episcopalem dignitatem Nolæ fuisse institutam ab ipsis Apostolorum temporibus ex eo arbitrantur, quod tunc têporis in ea ad quinquaginta millia alerentur mortales, & proprium haberêt flaminem ad sacra profanis Idolis peragenda: vorauit tamen priscorum Episcoporum memoriam inuidiosa vetustas. Felix primus occurrit ex ijs, qui ad posteros perennarunt, qui suo sanguine anno Christi 259. Nolanam sacrauit Ecclesiam, post hunc qui successerunt, duodecim Sancti recensentur Episcopi, quibus preclarissimo decori habetur Paulinus Pastor egregius. Nolanus Præsul à prima fundatione inter EpiscoposCampaniæ numeratus est, Romano Pontifici subiectus, donec Salernitano primùm, mox Neapolitano Archiepiscopo paulo ante Alexandri III. Pontificatum iussus est subiugari, hodieque vnam Neapolitanam Metropolim immediatè reueretur, & colit. Illum in Nolana vrbe proprios habuisse vassallos habemus ex regio regest. Neapolitano Caroli II. Illustris Regis ad annum 1301. Satis diues Episcopalis mensa, cuius census in lib. Cameræ Apostolicæ taxatur ad florenos 400. Cæterum qua consuetudine quolibet anno Nolani suum venerari Antistitem consueuerint, idem Ambrosius Leo descripsit, lib. 3. cap. 11. quæ cum scitu dignissima sint, & lepida, antequam Nolanorum Episcoporum seriem enarrare incipiamus, libuit hic attexere. [*Antiquus* (inquit) *mos Nolæ increbuit is; Septimo enim quoque Kal. Maias omnes Sacerdotes, Episcopales, quos presbyteros vocant, tam qui in vrbe, quam qui in conterminis oppidis immorãtur, ad vrbem, Episcopumque se conferunt. Verumtamen non licet Clericis vrbem intrare, nisi coronatis, atque ordine canentibus cum plurimis tibicinibus. Cantus sunt Dei, ac Sãctorum hymni, corolla verò contexta sunt è rosis, floribusque citreis, ali fune, si quos pulcherrimos ea dies producere solet, manu quoque ferentibus fasciculos rosarum affabrè contextos, ac aptè distinctos: eo itaque modo honorati Sacerdotes vrbem, templumque Episcopi ingrediuntur, singula verò turma eorum à fin-*

à singulis oppidis aduentantes. Deindè vbi omnes in choro congregati sunt, singulatim vocantur ad Episcopum. Is verò tum sedet in solio quodam alto, quod situm est sub parua testudine; testudo autem hæc inter maiorem cellam, atque minorem lauam erecta est à duabus columellis, atque pariete tribus arcubus paruis interiacentibus, sustētatur quoque per solia atque imagines quasdam fastigiatur. Sed hoc solium, quod in Cella maiore esse deberet, expositum est eo pacto, quo dictum est. Vocatur igitur Sacerdos de ordine, ac turma sua solus ab æde ad Cellam, & à Choro ad Episcopum accedit coronatus, atque floribus redimitus, deindè solium ascendit, ac genuflexo, extractaque capiti corolla Episcopum veneratur. corollamque, ac fasciculos florum omnes illi largitur, & exosculata Præsulis manu accedit ad suos; atque eodem modo cæterorum singuli vocati accedunt, floridaque munuscula ferentes donant. Episcopus verò vbi pluscula corollæ fuerint collectæ, dono eas mittit ad primarias vrbis matronas. Populus enim omnis ad hunc veluti triumphū spectandum collectus est. Inter hosce verò Sacerdotes vnus à Stabijs mittitur, qui agnum baiulo portante conducit, agnus est magnus, candidusque, atque cum cornibus auratis, quem ille dono ad Præsulem ducit: vt alij serta, rosasque largiantur: facto itaque eo pacto censu Sacerdotum, communi omnium eorum cantu sacræ rogationes finiuntur, domumque cuncti suam hilares reuertuntur. Ea res, atque Clericorum quasi census vsum basilicæ antiquum, auctoritatemque ostendit. Prætor enim tum in cella alto loco sedens iura dicebat populo collecto in æde Nolanorum quoque antiquum imperium in circumposita oppida, quod superius monstratum est, testatur. Quin etiam cæremonias quasdam Iouis indicare videntur, quas Nolæ in templo eius cōtermini populi quotannis factitabant; in quibus agnus albus cum auratis cornibus à Stabianis mactabatur; auratum enim agnum Ioui mactari cecinit Apollonius Rhodius in Secundo Argonauticorum ab ijs, quibus in profugiendo Iuppiter præfuisset. Proindè videre licet quoque ex ijs Nolanum Episcopium non modò templum, atque celeberrimum Iouis extitisse, sed etiam Iouis Profugij, atque Fœdericij. Stabianosque aliquando profugisse ad Nolanos, atque Nolanis deditos fœdus deditionis percussisse. Nam apud Homerum 3. Iliados à Menelao, Græcisque Ducibus Ioui mactatur agnus albus: qui Seruatores fœderum iuuaret, malè contra puniret eorum transgressores, atque ruptores. Rosarum autem, atque florum serta, fasciculi & glomi lætitiam, ac hilaritatem vbique testari volunt; flores enim sunt veluti gaudia, ac lætitia stirpium: sunt enim apertiones pulcherrimæ, atque gratissimæ. At verò qui ad dominum, Præsulemque suum veneraturi accedunt, omnes primum benignos, hilares, lætosque esse, atque gaudia animi præferre decet: quamobrem ad illud maximum iudicium Paridis legitur ipsa Venus non solum Gratijs redimita, sed etiam rosas manu ferēs: ob quas tam læta, grataque visa est Iudici: vt pro rosis palmam reportarit. Seueritas contra, atque tristitia, & superciliorum corrugatio, item vacuæ manus, & inhonoratum caput quandam animi auersionem, atque detentationem ostendit & arguit, quæ res quamplurimum ab officio venerationis reputatur aliena. Hæc Leo. Sed & nolæ, quæ minores campanæ dicuntur, à Nola nomen accepisse innuit Durandus in Rationali. Campanæ sunt vasa ænea in Nola ciuitate Campaniæ primò inuenta: maiora itaque vasa campanę à Campania regione: minora verò Nolæ à Nola ciuitate dicuntur. Porrò huius Ecclesiæ Præsulum seriem, quam hic subiectā modo damus ex varijs scripturis, auctoribusque eruimus, pleniorem daturi, si nobis monumenta suppeditassent.



1. S. FELIX senior Nolanus, eiusdemq; Ciuitatis primus Episcopus. Hic à decimo quinto suæ ætatis anno miraculorum gloria claruit, suaque prædicatione quamplures ad fidem conuertit. Sed illud in primis mirabile visum est, cum tentus ab Archelao vrbis Nolanæ Præfecto, ductus ad Apollinis templū, vt Idolis sacrificaret, solo Crucis signo templum cum Idolis deiecit, euoluitque in terræ voraginem, quamobrem Archelaus ad Christi fidem traductus, sacro ab ipso fonte regeneratus est, totamque ferè Nolam, tum Felix Euangelio imbuit, & à fidelibus Episcopus acclamatus est circa annum salutis 254. ætatis cum esset annorum 23. Sedit plus minus annis quinque, & in persecutione Valeriani Imp. sub Marciano Præside varijs exagitatus supplicijs cum alijs triginta socijs capite truncatus palmam sumpsit martyrij die 15. Nouemb. anno 259. cuius corpus Elpidius Presbyter natione Græcus in profundo puteo abscondit, supra quo post redditam pacem Ecclesiæ Nolani ædiculam exædificarunt, quā deinde cum in Cathedralem excitassent, sub crypta eiusdē, in loco, quo nunc summa veneratione colitur recondiderunt, à quo sacra-

to

to corpore manna emanare dicunt. Eius Acta confusa videntur à Petro de Natalibus, cum actis alterius Felicis: longè etiam hic alius ab illo Felice, cui in Pincis nomen fecere, quem Paulinus tot Natalibus celebrauit, cuius solemne festum intercurrit decimaquarta die Ianuarij. Quatuor alij Felices sanctitate conspicui Nolæ floruerunt, Felix nãque, qui cum Iulia, & Iocunda martyr euolauit ad Cœlum die 27. Iulij; Felix confessor alius Tabalocensis Episcopus in Africa, qui Nolæ in Diocletiani, & Maximiani Imper. persecutione passus est die 16. Ianuarij. & Felix alter iunior Episcopus depositus 6. Idus Febr. de quibus infra. De Felice verò primo agunt Beda, Ado, Vsuardus & Roman. Martyrolog.

2. S. CALIONIVS Successit Felici, qui pro Christo sanguinem fudit, cuius tamen acta non habemus: extat in oppido, seu Terra Marignanellæ Nolanæ Diœcesis Ecclesia S. Calionio dedicata.

3. S. AVRELIANVS immediatè Calionio successit, eximiæ sanctitatis Antistes, pro Christo martyrio coronatur post suæ præfecturæ annos 38. vt in vetusto lapide Nolani Cœmeterij legebatur:

† DPS SANCT. MAR.
DNI AVRELIANI. EPISC.
IN PACE P. † M. LXXX.
SEDIT ANN. XXXVIII.

4. S. MAXIMVS prædecessoris Aureliani sanctimoniam vitæ propius æmulatus est, ac is ille fuit, qui in Diocletiani, & Maximiani persecutione vna cum S. Felice Presbytero fideles constabiliuit in fide, sed recrudescente persecutione annis grauatus, cùm se persecutorum tormenta ferre posse desperaret, in solitudinem secessit, quem S. Felix Presbyter eius discipulus varijs incommodis attritum examini similem inuenit, eundemque vua miraculose inuenta refocillauit, & humeris sublatum fœminæ cuidam sanctæ commendauit. Mitescente inde persecutione, ad Episcopatum suum rediens gregi suo bene pascendo aliquandiù operam dedit, donec ætate grauis 7. Id. Feb. ad cœlestem gloriam euolauit; in Cœmeterio Nolano sepultus. De quo agit S. Paulinus in Natali S. Felicis quarto & quinto. Beda etiam pluribus in vita eiusdem S. Felicis. & Marcellus presbyter, de quo item Martyrol. Rom. 15. Ianuarij, festus tamen dies Nolæ agitur 7. Febr.

5. S. QVINTVS Maximi discipulus eo defuncto à Nolanis Episcopus eligitur, qui S. Felicem presbyterum postulabant, ille vt Quintum seniorem eligerent, humiliter persuasit. Hinc Paulinus in quinto Natali Felicis.

Functus erat, longum perfunctus Episcopus aeuum
Maximus; & munus doctus pastoris agebat,
Felicis nomen totum balabat ouile,
Quem Cõfessoris redimibat adorea Christo;
Quemque salutiferum spondebat lingua magistrum,
Vitaque doctrinæ concors; sed vt hoc quoque palmam
Iustitiæ ferret, meritum sublime quieto
Corde premens, velut indignus, non audet honore
Crescere, testaturque seni magè debita Quinto;
Quod prior ille gradum socij meruisset honoris
Presbyter; hac septem distabat summa diebus
Ergo sub hoc etiam Felix antistite vixit
Presbyter & creuit meritis, qui crescere Sede
Noluit: ipse illum tanquam minor omnia Quintus
Obseruabat, & os linguam Felicis habebat.
Ille gregem officio; Felix sermone regebat.

Floruit Quintus florente Felice circa annum Domini 320. & post multos labores in pace quieuit, in Montis Virginis Ecclesia, teste Capaccio, consecratione inter alias reliquias S. Quinti Nolani Episcopi Lipsana adfuere, eodemque quoque ferè tempore S. Felix ad Cœlum euolauit, sepultusque est propè Nolam in amœno agro ad quingentos ab ea vrbe passus, quem in Pincis appellabant, cuius eximia miracula tam quæ viuens patrauit, quàm quibus post mortem visus est claruisse S. Paulinus conscripsit carmine, celebrans eundem decem & quinque Natalibus, ex quibus Beda soluta oratione eiusdem vitã descripsit. Vix credi potest, inquit Baronius in notis ad Martyrol. Rom. 14. Ianuarij (superat enim humanum captum) quot Deus per S. Felicem miracula sit operatus: ideo etiam increbuit fama virtutum eius, vt ab extremis orbis finibus ad sacrum eius sepulchrum fideles supplices aduentarent. Obstupuit hoc ipsum S. Augustinus epist. 137. qui & de eodem agit lib. de cura agenda pro Mort. c. 16. Item S. Damasus in carmine, quod de eo scripsit, vota persoluens

Corpore, mente, animo, pariter quoque nomine Felix
Sanctorum numero Christi sacrate triumphis
Qui ad te sollicite venientibus omnia præstas,
Nec quemquam pateris tristem repedare viantem:
Te duce seruatus mortis quod vincula rupit,
Hostibus extinctis, fuerat qui falsa loquutis
Versi-

Versibus hic Damasus supplex tibi vota
rependo.

Construxit Damasus Aediculam in honorem S. Felicis, vbi Sancti corpus venerandum quiescebat, in qua hactenus hæc vetustissima verba prostant legentibus *Septimo die stante mense Maij dedicatio erit huius Sanctæ Ecclesiæ. Beatus Damasus PP. construxit, & ædificauit ad honorem Dei, & beatissimi Felicis Conf.* Quantus verò, qualisque ex omnibus Orbis partibus ad sacri Felicis sepulchrum occursus fuerit pulchrè describit Sanctus Paulinus hisce carminibus.

Alma dies magnis celebratur cœtibus, ora
Gaudent terrarum, & ridere videtur apertis
Aethra polis: vernum spirare silentibus aura
Flatibus, & latum plaga cingere lactea Cœlum,
Nec modus est populis coeuntibus agmine denso.
Nec requies properant in lucem à nocte, diemque
Expectare piget, votis auidis mora noctis
Rumpitur, & noctem flammis funalia vincunt.
Stipatam multis vnam iuuat vrbibus vrbem
Cernere, totque vno compulsa examina voto.
Lucani coeunt populi, coit Appula pubes,
Et Calabri & iuncti, quos adluit æstus vterque
Qui læua & dextera Latium circumsonat vnda.
Et quà bis terna Campania læta per vrbes
Ceu proprijs gaudet festis, quos mœnibus amplis
Diues habet Capua, & quos pulchra Neapolis, & quos
Gauirus alit læta exercent qui Massica, quisque
Vfentem, Farnumque bibunt qui sicca Tadagri
Quique colunt vigui felicia culta Galesi.
Quos Atina potens, quos mater Aricia mittit,
Ipsaque cœlestum sacris procerum monimentis
Roma Petro, Pauloque potens rarescere gaudet
Huius honore Dei, portaque ex ore Capena
Millia profundens ad amica mœnia Nolæ
Dimittit duodena decem per millia denso
Agmine confertis longe latet Appia turbis,
Nec minus ex alia populis regione profectis
Aspera montosa carpuntur strata latina
Quos Præneste altum, quos fertile pascit Aquinum,
Quosque suburbanis vetus Ardea mittit aboris,
Quique vrbem liquere Cales, geminumque Teanum
Quam grauis Auruncus, vel quam colit Appulus asper
Hac ab oliuifero concurrit turba Venafro,
Oppida Samnites duri montana relinquunt
Vicit iter durum pietas, amor omnia Christi
Vincit, & alma fides, animisque, letisque rigentes
Suadet acerba pati, simul aspera ponere corda.
Vna dies cunctos vocat, vna & Nola receptat
Votaque plena suis spatiosaque limina cunctis
Credas innumeris vt mœnia dilatauit
Hospitibus, sic Nola assurgit imagine Romæ.

Atque in eandem sententiam aliquam multis locis eadem forma repetens.

6. S. PATRITIVM hac tempestate Nolanis ius diuinum dixisse scribunt nonnulli, cuius solemnem memoriam agit Nolana Ecclesia 17. Iunij, ea ipsa die, qua S. Patritius Episcopus Hybernorum Apostolus memoratur in Rom. Martyrol. cuius res gestas scribit Probus Hybernus. Longè tamen diuersus est Patritius Nolanus ab Hyberno apud Ferrarium, nisi forte gratis appositus sit Patritius inter Nolanos Antistites in Diptycis, & cōfusus cum Hyberno præcipua deuotione & ea in vrbe celebratus.



7. S. PAVLINVS Nolanorum decus & gloria, ex magno Senatore maior Monachus, inde maximus planè Episcopus euasit, doctrina & moribus adeo admirandis præstans, adeo illustris vt inter illius æui clarissima lumina iam videatur posse connumerari. Patria illi Roma fuit, Anicianum, & Consulare genus. Ortus est Anno Christi 353. in Aquitania, seu Burdegalæ, vbi domum habuit, vt disertè Antonius, & Vranius tradunt, seu Hebromagi, vt alijs videtur ad amnem Garumnæ. Decium Ausonium Gallum poeticis inde & orato-

oratorijs virtutibus inclytū habuit magistrū, quem siue oratoria, siue poetica facultate adæquauit, vel superauit. In flore iuuentæ Romæ ad agendas in foris causas aliquandiù vixit, vbi & ordinarium consulatum gessit. Vxorem duxit Tharesiam locupletem, sapientem, ac religiosam fœminam, ex qua Compluti in Hispania vnicum sustulit filium sub octauum ab ortu diem raptum: pia vxoris hortatione, & exemplo, cooperante Spiritus sancti gratia Burdegalæ à S. Delphino eius vrbis Episcopo sacro baptismate expiatus est anno ætatis suæ 42. Secundo in Hispaniam cum vxore ad ponenda vitæ Monasticæ rudimenta profectus Barcinonæ per subitam vim raptus, sacratus est Sacerdos à Lampadio Episcopo die natali Domini, biennio fermè post baptismum. Parum tamen probauit Siricius Pontifex repentinam Paulini cōsecrationem, ne laici homines, aut etiā Neophyti raptim in Sacerdotes consecrarētur, vt Baronius ad annum 394. obseruat, cū quidem eo dignior omni venia Paulinus esset, quod nihil per contumaciam commisisset, sed inflammatæ vim multitudinis declinare non potuisset. Ab Anastasio Papa deinde adamatur, à quo ad Natalem Apostolorum Romā veniente humanissimè non semel excipitur. S.Martino Turonensi in paucis charus fuit, à quo oculorum infirmitate curatus est. Nolę statim, vbi & opima latifundia possidebat cū casta vxore ad obsequium perpetuò S. Felici patrono suo præstandū, quem tot Natalibus celebrauit, ibi triginta quinque omninò annis qua pietate, qua deuotione, ac vitæ puritate cum vxore Monasticam propè vitam gessit, adeò vt ad eum venerandum, visendumque ex diuersis mundi partibus viri illustres confluerent. Semel atque iterum Sanctum Nicetam Daciæ Episcopum excepit hospitio, & prosecutus est ejus reditum carmine, mirisq; laudibus celebrauit. Quidquid enim facultatum, & pretiosa vxoris habuit in egenos cōsilio Christi dispersit, dedit pauperibus, & Aediculam D. Felici suo olim ex voto à Beato Damaso Papa excitatam extructo nobili templo celebriorem reddidit, & apud Fundos eidem Diuo Tutelari aliud condidit magnificentissimum. Interea dum se totum in obsequium Felicis daret, vitamque traduceret sanctissimam, inuitus Nolanus creatur Episcopus, & quemadmodum per vim apud Barcinonem ordinatus fuerat Presbyter, ita Nolæ simul vt primum decessit Antistes, communi studio, & ardore ciuium in Episcopalem Sedem adactus est: quo autem tempore, planè non constat; creditur tamen ab aliquibus incidisse in annum 400. à nostra salute. Sedit verò ann. 31. Quantæ deinde existimationis fuerit Paulinus ob egregiam eius sanctitatē, doctrinamque, satis apparet ex Epistola Honorij Imperatoris rogantis Paulinū, vt adesse dignaretur indictæ Synodo causa schismatis Eulalij aduersus Bonifacium Papam, quam

A recitat Baronius ad annum 419. Quanti autē hunc fecerit S.Augustinus, eius ad ipsum scriptæ Epistolæ declarant, & liber ad ipsum scriptus de cura agenda pro mortuis. De primordijs eius complura scripsit; Antonius Gallus, qui eum humanioribus litteris erudiuit. De eius migratione de Senatu ad Eremū, agit S.Ambrosius ad Sabinū epist. 30. & Hieronymus epist. 13. de eodem S.Gregorius lib. 3. Dialog. c.1. & 2. S.Prosper de viris illust. contemporaneis eius. Venantius Fortunatus in vita S.Martini lib. 2. Seuerus in Dial. Greg. Turon. de gloria Confess. c. 107. S. Eulog. in Mart. Donum ad Floram, & alij recentiores. Nouissimè Acta eius cōcinnarunt Frōtonus Ducæus, & Herisbertus Rusueydus

B ad calcem operum eiusdem. Eius obitum scripsit Vranius ipsi Paulino optimè notus, recitat eam Vranij inscriptionem Surius to. 3. die 22. Iunij, qua Paulinus sancto fine quieuit anno humanæ salutis 431. suæ ætatis 77. Porrò memoria eius sacris Romanæ Ecclesiæ Fastis cum præclaro elogio indita est in hæc verba. *Apud Nolam Campaniæ urbem Natalis Beati Paulini Episcopi & Cōfessoris, qui ex nobilissimo & opulentissimo factus est pro Christo pauper & humilis: & cui nihil supererat, se ipsum pro redimendo viduæ filio, quem Vuandali, Campania deuastata captiuum in Africam abduxerant, in seruitutem dedit.* Acta sunt hæc anno 427. iuxta Baronij supputationem, antea iam Episcopus à

C Gothis Campaniam deuastantibus anno 414. pro Christo, prout redimendis captiuis penè se ipsum vendidit. Claruit autem Paulinus non solum eruditione, & copiosa vitæ Sanctitate, sed etiam potētia aduersus dæmones. Reliquit post se nobilissimi ingenij monumēta, licet attingere nunquam voluerit interpretationem diuinæ Scripturæ, non quidem inopia doctrinæ (ait Baronius) vel tenuitate ingenij; sed potius admiranda animi summissione, quæ plura vnà cum notis eruditissimis in lucem emisit idem Frontonus Ducæus, & Rusueydus. Corpus S.Paulini primò translatum est Beneuentum, deinde Romam anno 1000. sub Othone III. Imp. in Ecclesia S.Adalberti in Insula Licaonica, quam hodie

D S. Bartholomæi templum appellant, honorificè asseruatur: In cuius laudes Venantius Fortunatus effudit hæc carmina.

Qui pater illustris Paulini gesta beabat
Floruit Italia quo post Antistite Nola
Quo regio Campana sedet rectore supremo
Diues agris, opulens famulis, locuples & aceruis,
Vir censu vastus, lare celsus, & ore rotundus,
Ditior ipse fide, pro Christo fit sibi pauper
Et dedit innumeros redimentes crimina nummos;

Cuius

Cuius sparsa solo migrauit ad astra facultas.
Fecit & in Cali pignus ascendere Terras.
Ergo Euangelicum Paulino implente relatum
Martinus monitat cunctis talem esse sequendum
Tramite difficili, potuit qui pergere diues. A

8. S. DEODATVS Paulini discipulus, cum Presbyter esset eximia excelluit sanctitate, & dono prophetiæ, valuitque contra dæmones. Imperatoris tunc temporis filiam obsessam inuocato Christi nomine liberauit; quamobrem gratiam eiusdem promeruit, & diuitias cum respuisset, in patriam reuersus est, pauloque post demortuo Paulino, vnanimi Cleri, & populi consensu in Nolana Ecclesia successit anno 431. numeraturque octauus Nolanus Antistes ex his, quorum extat memoria. Sanctè pieque præfuit ann. 30. fatoq; cessit, cum octuagesimum ageret annū 5. Kal. Iulij, vt scribit Ferratius, cuius sanctitas pluribus probata est miraculis. Eius sacrum Corpus in Basilica maiori Nolani Cœmeterij intulerunt, quod post annos plurimos sub Sichardo Principe Beneuentum translatum dicitur, apud auream portam honorificè cōditum miraculis claruit, in quibus illud narratur, quod cum Ecclesia incendio concremaretur, æditu ad S.Deodati tumulū orante, ignis mirabiliter ad columbæ apparitionē extinctus est. Nolani hucusque tumulum eiusdem ostentant ea in maiori Basilica, vbi prius conditus fuerat, vná cum elogio, non integrum; videtur tamen alterius Adeodati Nolanæ Ecclesiæ Archipresbyteri esse, elogij verba, quæ extant, sunt hæc. B C

Adeodatus indignus Archipresbyter San. . . . Nol. Eccl. requiescit hic dilectus à Dō. & hominibus in Sacerdotium, erat enim in sermone verax, in iudicio iustus, in commisso fidelis, omnia in se habuit, quæ Christus amauit, fidem, caritatem, & cætera, dulcis, & benè suadus in verbis suis semper, aduxit munera copiosa quando ingressus est in San. Felicem tempore quo nullus fuit pretior illo. S.Sacerdos vixit cunctis diebus vitæ suæ ante ordinationem. . . . D

In hac eadem Basilica propè Adeodatum hunc Archipresbyterum, iacet Vranius ille Presbyter S.Paulini familiaris, qui transitū eiusdem scripsit, fortasse viuente Deodato Episcopo, defunctus breui hac inscriptione humatus.

DEP. VRANI PRESB. XI. KAL. IANVARIAS.



9. IOANNES Talaya Patriarcha Alexandrinus iussu Zenonis Imp. à Sede expulsus anno 482. Antiochiā primùm ad Galendionem Patriarcham, deinde verò se Romam contulit ad Liberium Papam, quem legitimum Iudicem appellauerat; Felix autem Liberij successor cum vidisset res adeo in Oriente esse turbatas, vt nulla penitus spes Ioannem in suā Sedem Alexandrinā restitui posse, eundem Antistitem confessorem Nolanæ nobili præfecit Ecclesiæ anno 484. in qua plurimos residens annos in pace defunctus, vt Liberatus Diaconus Cartaginensis refert in Breuiario causæ Nestorianorum, & Eutychianorum cap. 18. ex quo Baronius ad hunc annum.


10. S. RVFFVS Nolanæ Ecclesiæ Præsul; tempus tamen quo floruit, & Acta eius ignorantur.

11. SIRENVS Episcopus Nolanus interfuit Rom.Conc.sub Symmacho Papa celebrato ann. 499. 502. & 503.

12. S. LAVRENTIVS inter Sanctos Præsules huius Ecclesiæ recensetur in Diptycis Nolanis, quo tempore vixerit, incertum.

13. S. FELIX Iunior Nolanus Præsul sepultus in Cœmeterio Nolano, ad cuius tumulum hæc verba leguntur.

DEP. SANC. FELICIS EPISC. V. ID. FBRS. POS. CONS. FAVS. FL. V. C.



14. S. PAVLINVS Iunior Episcopus Nolanus doctrina, sanctimoniaque vitæ fuit insignis, successit in Episcopatu Felici Iuniori. Scripsit S. Martini Turonensis vitam carminibus expressam, quam quinque libris distinxit, & sextum addidit de miraculis eiusdē, vt Gregorius Turonensis narrat. Is etiam, vt scribit Baronius ex Venantio Fortunato, quemadmodum senior Paulinus oculorum sanitatem receperat, & ipse perunctus oleo ex lampade, quæ ante imaginem eiusdem Sā-cti ardebat, sanitatem accepit. Sanctè vt vixerat, decessit, depositusque est in Nolano Cœmeterio in marmoreo tumulo, vbi adhuc hæc verba prostant legentibus.

DEP. S. PAVLINI IVNIORIS EP. IIII. ID. SEPTB. FL. DIOSCORO VIC. CONS.

Circa hæc tempora vixit S. Reparatus Diaconus, & Martyr, in maiore Basilica repositus anno 513. vbi hæc verba legnntur in lapide.

DEP. SANCTI MARTYRIS REPARATI DIACONI AN. DXIII. KAL. NOVEMB. XII. IN PACE. RAS. NIVI.

15. LEO huius nominis primus, morū candore, & sanctimonia clarus successit Paulino, cuius meminit Baron. ad ann. 535. quo in Oriente Agapeti Papæ fuit legatus ad Ecclesiasticas res penè collapsas restituendas. Socios habuit in legatione Sanctos Sabinum Cannusinum, Arterium, Salernitanum, Rusticum Fesulanum, Epiphanium Asculanum Theophanem, & Pelagium Diacon. S. Romanæ Ecclesiæ, qui omnes subscripti reperiuntur in Concilio Cōstantinopolitano sub Mēna Patriarcha contra Anthemium, Seuerum, Petrum, & Zoam hæreticos, & deinceps anno 536. Leoni inscripsit vitam S. Felicis Presbyteri Marcellus Presbyter Nolanus. Mortuus est Nolæ, iacet in celebri Cœmeterio tumuloque lapideo, vbi pauca hæc leguntur verba.

LEO PRIMVS CREDO RESVRGERE.

A 16. LVPENVM post Leonem Ecclesiā Nolanam rexisse tradunt Nolanæ Diptycæ, Cœmeterium exornauit hac addita inscriptione.

Hoc quod cernitis discite quod Lupenus Episcopus compsit, & ornauit in hac Ecclesia, amore Dei & Sanctorum Felicis, & Paulini, Rufi, Laurentij & Patritij.

Lupenus Episcopus fieri precepit.

B 17. BASILIVS.

18. LEO II.

19. THEODOSIVS iacet in Cœmeterio Nolano, ad cuius tumulum hæc extat inscriptio.

DEP. THEODOSII EPISCOPI DIE VII. IDVS DECEMBRIS FAVSTO IVNIORE VIC. CONS.

20. GAVDENTIVS Nolanus Episcopus vixit Gregorij Magni temporibus, ad quē scripsit Epistolas 13. & 14. & 26. lib. Dial. Indict. 13. anno Christi 595.

C 21. DAMASVS floruit anno 670.

22. AVRELIVS in Concilio Romano sub Agathone Papa fuit anno 679. cui & subscripsit.

23. LEO III. is qui in Ecclesia Sanctorum Martyrum plurima ornamenta contulit, in eaque in marmore legitur.

Leo III, Episcopus fecit.

24. BERNARDVS.

25. PETRVS.

26. IOANNES.

27. LANDO.

28. IACOBVS florebat anno 843. post hunc plures desiderantur Episcopi.

D



29. SAXO vir celebris sub Vrbano II. Abbatiæ Sanctissimæ Trinitatis Cauensis, & S. Pe-

S. Petro eiusdem Abbati donauit Ecclesias S. Georgij,& Leontij in Territorio Nolano, & Ecclesiam Sanctæ Trinitatis Castelli Cicalæ, cum immunitatibus suis, quas leges in priuilegio infra in Bartholomæo recensendo. Hic etiam anno 1093. concessit Abbati Sancti Laurentij de Auersa Ecclesias S. Mariæ Domicellæ, S. Saluatoris de Valle, ac S. Ianuarij in Sylua.

30. GVILLELMVS Episcopus Nolanus assentiente Clero anno 1105. Ecclesiam S. Paulini Monasterio S. Seuerini concessit. Testis fuit donationi Iordani Capuani Principis Ecclesiæ Puteolanæ peractæ anno 1121. in mense Maij Indict. 14.

Placuit hic recensere Guillelmi documentum quo ille anno 1123. Ecclesiam S. Michaelis Archangeli in loco Striano suæ ditionis sitam, eiusque bona & iura perpetuo vniuit ac concessit Monachis Sanctorum Sosij & Seuerini de Neapoli, vt decentius ac sanctius ab ipsis custodiretur. Exemplar extat apud nos ex Archiuio eiusdem Cœnobij ita excerptum.

Ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi Anno millesimo centesimo vigesimo tertio. Et die septima decima mensis Nouembris Indict. secunda.

Nos Gulielmus Domini gratia Episcopus Sanctæ Sedis Nolanæ Ecclesiæ, nos autem vna cum cunctas congregationes Sacerdotum,& Clericorum ipsius nostri Episcopij, per hanc cartulam damus & tradidimus, seu concedimus vobis cunctas cōgregationes Monachorum Monasterij Sanctorum Seuerini & Sosij, vbi eorū venerabilia quiescunt corpora de Ciuitate Neapolis, & per vos in ipso sancto & venerabili vestro Monasterio præsentibus & futuris in sempiternum. Idest integra Ecclesia nostra vocabulo Sanctissimi Michaelis Archangeli, quæ constructa est in loco qui nominatur Striano vna cum cellis,& habitationibus eius, & cum omnibus rebus & substantijs, atque possessionibus ipsius ritè & legaliter pertinentibus, aut pertinentes fuerint per quodlibet modum cum omnibus eius pertinentibus. Hæc autem supra scripta integra Ecclesia quę superius vobis & per vos in suprascripto Monasterio concedimus & tradidimus cum omnibus eius pertinentibus, vt superius legitur. Ab hac die deinceps à nobis vobis, & per vos in ipso Monasterio sit data, & tradita in vestra vestrisque posteris & de sancto vestro Monasterio sint potestate illas tenendi & dominandi, seu officiandi, & officiare faciendi, & ibidem conciones facere & habere, seu ordinare debeatis. Et ibidem omnibus vestris & curtesanis habere debeatis, quantas & quales vobis vestrisque posteris placuerit. Item & ibidem bestiæ & peculias & porci & pecora habere debeatis qualiter & quomodo vobis & posteris vestris placuerit absque omni nostra nostrisq; posteris,& de supradicto nostro Episcopio, vel de alia quauis persona qualibet contrarietate, vel requisitione, vnde nulla nos, vel posteris nostris, vel suprascripto nostro Episcopio, vel ordinati, & omnibus nostris, vobis vestrisque posteris ad suprascripto vestro Monasterio, & ad ipsa nostra obedientia exinde non quęramus, aut tollemus in perpetuum, tātummodo in omni tempore vos & posteris vestris & suprascripto vestro Monasterio nobis nostrisq; successoribus in ipso nostro Episcopio dare debeatis per omni anno in festiuitate Sancti Andreæ. idest auri tarinos tres de Amalfi dirioti & patititi absque omni contradictione nihil plus in perpetuum. Etiam & omnia quæ omni tempore vos & posteris vestris de suprascripta Ecclesia & de ipsa obedientia, & de ipsis omnibus & curtesanis, quæ ibidem habueritis & de frugibus eiusdem Ecclesiæ, & de omnibus eius pertinentibus habueritis per quouis modo in vestra vestrisq; posteris & de suprascripto Monasterio sine potestate faciendi exinde omnia quæ volueritis absque omni nostro nostrisque posteris qualibet contrarietate. Insuper omni tempore nos & posteri nostri, & suprascripto nostro Episcopio, vobis vestrisque posteris & ad ipso vestro Monasterio exinde in omnibus illud defendere debeamus ab omnes homines omnisque personas. Quia ita nobis bonę voluntatis complacuit atque stetit. Si quis autem potens, vel impotens homo secularis, aut Sacerdotalis ordine contra hanc cartulam venire præsumpserit, & ea in quacumque parte irrita, vel vacua facere voluerit per quouis modum, aut si qualiscumque persona de introitibus ipsius Ecclesiæ absconso habuerit & illud non reddiderit & quod illud scierit & annuerit, & illud non dixerit, sub anathematis vinculo sit obligatus, ac trecentorum decē, & octo Beatorum veniat eis maledictio, fiat eis sicut Dathan & Abiron quos viuos absorbuit terra, partemque habeat cum Anna, & Caypha, & cum Iuda traditore Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, & cum omnibus Hæreticis & Schismaticis tenebrosa parte possideat. Insuper componat vobis vestrisque posteris, & in ipso vestro Monasterio auri libras decem Bisanteis. Hæc cartula de omnia qualiter continet sit firma in perpetuum scripta actu Nolanæ.

† *Ego Guilielmus Episcopus Nolanus.*
† *Ego Ioannes Diaconus.*
† *Ego Iacob. . . . .*

Post hæc peracta à Guillelmo nullam aliā de eo habemus memoriam, nec quo anno decessit.

31. BARTHOLOMÆVS Nolanus Episcopus dum ad clauum Salernitanæ Ecclesiæ sederet Guilelmus, Salerni positus coram suo Metropolitano, ac Rogerio Nuscano Episcopo, cum omnia, quæ prædecessor suus

Saxo B. Petro Cauensi Abbati asseruerat, iterum confirmauit, & restituit B. Fulconi eiusdem Cœnobij Abbati, regnante Rogerio Italiæ & Siciliæ Rege anno 13. regni eius, salutis verò 1143. vt leges in sequenti documento ab exemplari, quod asseruatur in Cauensi Archiuio in Armario primo littera E. n. 59.

In nomine Domini Dei æterni, & Saluatoris nostri Iesu Christi Anno ab Incarnatione eius millesimo centesimo quadragesimo tertio, & tertiodecimo anno Regni Domini nostri Rogerij Siciliæ & Italiæ gloriosissimi Regis mense Decembris 7. Indict.

Dum coram præsentia Domini Guillelmi Dei gratia Venerabilis Salerni Archie-B piscopi essem ego Bartholomæus eadem gratia Nolanus Episcopus, & de Canonicis ipsius nostri Episcopij adesset Iacob Diaconus, & Alexius Presbyter, & Marinus Subdiaconus, illic etiam Dominus Rogerius Nuscanus Episcopus adesset, & de Clero ipsius Episcopi magister Tristaynus, & Guaimarius clericus & Abbas, & Romoaldus Clericus, qui dicitur Guarna, & de Laicis etiam Alphanus, & Ciossus fratres mei, & Petrus genitor prædicti Romoaldi filius quondam Romoaldi Comitis, qui dictus est Grassua, & Landenolfus miles & Malfridus miles, qui dicitur Russus, alijque complures idonei homines in eadem præsentia pro parte Monasterij Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, quod constructum est fo-C ris Salernitanam Ciuitatem in loco Mitiliano, in quo Dominus Falco Dei gratia Venerabilis Abbas præest, affuerunt Arboreus Prior, & Marinus Vestararius ipsius Monasterij, & quoniam pars prædicti Monasterij aduersus nostram Ecclesiam querelam mouerat de Ecclesia SS. Martyrum Georgij, & Leontij, quæ constructa est in Territorio Nolano, vbi Adarci dicitur, & de Ecclesia S. Trinitatis constructa foras, & iuxta munitionem Castelli, quod Cicala dicitur, quæ ipsi Ecclesiæ S. Georgij subiecta est, & de omnibus rebus, & pertinentijs ipsarum Ecclesiarum, quibus videlicet Ecclesijs & rebus earum à parte ipsius Monasterij ostensa fuerant duo priuilegia, vnum, in quo cõtinebatur, quod Do-D minus Saxo quondam Nolanus Episcopus consilio Cleri ipsius nostri Episcopij canonicè, & legitimè dederat, atque tradiderat Domino Petro eiusdem Monasterij Venerabili Abbati pro parte ipsius Monasterij prædictas ambas Ecclesias ipsas, tunc dirutas existentes cum omnibus rebus earum. Alterum verò Priuilegium, quo continebatur, quia . . . . Dominus Iordanus quondam Capuanus Princeps confirmauerat in ipso Monasterio easdem suprascriptas Ecclesias cum omnibus rebus earum & erant ambo ipsa priuilegia legitimè confecta, & subscriptione testium, & sigillis solemniter roborata, pro qua videlicet traditione ab ipso Saxone Nolano

A Episcopo facta, ipse Dominus Petrus Abbas quasi loco census tradiderat ipsi Nolano Episcopo pro parte ipsius Episcopij in perpetuũ habendum vnum sedium de Molino, quod ipsi Monasterio pertinebat, in fluuio, qui dicitur Dragoncellus, & vbi propriè, *alla foce* dicitur, velut in ipso priuilegio continetur. Cõtra quam videlicet querelam nullam in nostris Arinarijs, vel apud nostram Ecclesiam partis nostræ defensionẽ reperire potuimus. Quapropter amore pacis, & odio litis, consilio etiam & arbitrio prædicti Domini Archiepiscopi, aliorum prudentum, & religiosorũ virorum vtriusque partis familiarium, prædictam querelam & litem tali transactione, & conuentione sedauimus. Prædictas igitur B Ecclesias cum ipsis rebus, & pertinentijs earum per librum in manibus prædictorũ Prioris & Vestararij vice prædicti Monasterij eas recipientium tradidimus, remisimus, & confirmauimus consilio & consensu nostrorum Canonicorum ad habendum & faciendum exinde ipse Dominus Abbas, & successores eius, & pars ipsius Monasterij semper quod voluerint, omni nostra, & successorum nostrorum, & partis ipsius nostri Episcopij requisitione, ac contradictione remota. Detracto tamen vsufructu rerum ipsarum Ecclesiarum, quem prædictus Dominus Abbas precibus nostris Guilielmo Canonico ipsius Nolani Episcopij, dum ipse Guilielmus Canonicus in ipso Episcopio extiterit, dare se obliga-C uit. Corpus verò prædictæ Ecclesiæ Sanctorũ Georgij & Leontij cum Cellis, & Cœmeterio eius & tantum de Terra ipsius Ecclesiæ propè ipsam Ecclesiam, vbi hortus conuenienter fieri possit, pars ipsius Monasterij sibi retineat, nullo in eis à prædicto Guilielmo Canonico fructu habendo, extincto tamen vsufructu, & ad suam proprietatem consolidato, scilicet ad partem ipsius Monasterij reuerso, pars Monasterij prædictum sedium de Molino, vel aliud sedium de Molino in prædicto fluuio partibus ipsius Nolani Episcopij dare se obligauit habendum quasi loco census pars ipsius Nolani Episcopij perpetualiter, vt prædictum est, Prædictus verò Guilielmus Clericus quandiu vsufructuarius extiterit vnoquoque anno In Octauis Pentecosten D cum in ipso Monasterio festum SS. Trinitatis celebratur, visitet ipsum Monasterium, & pro cognitione deferat partibus ipsius Monasterij vnam libram de cera; quod si alterutra pars contra prædicta pacta venire tentauerit, & ea vel ex integro, vel ex parte remouere, aut contradicere præsumpserit, centum aureorum regalium numero pœnæ nomine parti læsæ teneatur. Omnibus etiam prædictis pactis in suo statu firmiter permansuris, quæ videlicet pacta prædictus Dominus Abbas testimonio subscribendorum testium ratihabitione confirmauit, Textũ verò huius conuentionis & diffinitionis te Ioannem Notarium, & Aduocatum eius interfuisti, in præ-

præsentia Ioannis, & Ioannis Salernitanorū Iudicum scribere rogauimus, & eosdem Iudices vtraque pars nostrum similiter rogauimus adnotare.

✝ *Ego qui supra Bartholomæus Nolanus Episcopus.*
✝ *Ego Gualderius* Diaconus.
✝ *Ego Iacob Diaconus.*
✝ *Signum Crucis propriæ manus supradicti Alexij Presb. &* Canonici.
✝ *Signum Crucis propria manus supradicti Marini* Canonici.
✝ *Ego qui supra Ioannes Iudex.*
✝ *Ego qui supra Ioannes Iudex.*

32. BERNARDVS interfuit Lateranensi Concilio sub Alexandro III. anno 1179. celebrato, quo subscripsit post Sergium Neapolitanum, tunc Metropolitanum suum. Putarim sub hoc Episcopo, vel paulo ante, Nolanam Ecclesiam à Salernitana Metropoli ad Neapolitanam traductam fuisse, præcise vero à quo Pontifice, quoque tempore fuerit hæc facta mutatio, incompertum habeo, fortasse sub Eugenio III. sub quo nonnullæ aliæ Italiæ Ecclesiæ ad inuicem fuerunt vnitæ, aliæ alijs suffraganeæ Archiepiscopis attributæ sunt. Porrò clarè constat ad Bartholomæū vsque Nolanos Episcopos Salernitanæ Ecclesiæ obnoxios fuisse.



33. RVFFINVS, vt Ciacconius scribit olim Nolanus Episcopus, mox ad Ecclesiam Ariminensem translatus à Clemente III. vocatus est ad purpuram anno 1190. ad titulū S. Praxedis, de quo nil aliud habemus. At in Canonizatione S. Io. Gualberti anno 1194. per Cœlestinum III. celebrata inter alios Episcopos qui solemnitati adfuerunt, recensetur Episcopus Nolanus, Puteolanus & Ariminēsis tunc electus.

34. Fr. PETRVS post Ruffinum recēsetur in diptycis huius Ecclesiæ, ordo tamē, tempus, & patria reticetur.

35. M. PERRONVS Notarius Federici Imperatoris electus est Nolanus Episcopus ab vna parte Capituli, alia verò Petrum Milonem elegit, ambo ad Apostolicam Sedē appellarunt, tunc Honorius III. scripsit Archiepiscopo Neapolitano, ac præcipiendo mandauit, vt lite pendente ad ordinationem prædicti Perronis nequaquam procederet, vt in reg. Vatic. Dat. Reate 3. Non. Septemb. ann. 10. salutis 1225. eodem in reg. 31. fol. 82. alia extat epistola ad Casertanum Episcopum super eandem electionem.

36. ELIGIVS fuit Episcopus Nolanus, tempus non habemus.

37. IOANNES Episcopus Anglonensis translatus est ad hanc Nolanam Ecclesiam per Barensem Archiepiscopum ab Alexandro IV. nō fuit confirmatus, cùm interfuisset cōsecrationi Tancredi Tarentini in Regem Siciliæ, cuius causa iussu Clementis IV. per Albanensem Episcopum exagitata est; tandē à Gregorio X. confirmatus est anno 1274. ex reg. Vatic. 5. Kal. Septemb. ann. 3. epist. 20. fol. 136. obijt anno primo Nicolai IV. salut. verò 1288. ex eodem reg.



38. FRANCISCVS Fontana olim Archiepiscopus Messanensis, defuncto Ioanne, Episcoparus Nolani factus est administrator, deinde sub Bonifacio VIII. euasit Archiepiscopus Mediolanensis anno 1296. Vide to. 4. nostrum in Archiepiscopis Mediolanensibus.

39. PETRVS Gerra Capuanus Archiepiscopus administrationem huius Ecclesię accepit ab eodem Bonifacio anno 1296. eamque exacto biennio remisit, hic fuit deinde Archiepiscopus Montis regalis.

40. LANDO Episcopus Suanensis in Tuscia, ad hanc eandem Nolanam Ecclesiam translatus est iubente Bonifacio VIII. anno 1298. 10. Kal. Maij, vt in reg. Vatic. ep. 150. fol. 131. ann. Pont. 4.

41. IACOBVS, cuius mentio extat in reg. regio Neapol. ann. 1311. obijt verò anno 1328. ex reg. Vatic.

42. PE-

42. PETRVS Episcopus Venafranus per obitum Iacobi translatus est ad Nolanã Ecclesiam à Ioanne XXII. anno 1328. 5. Id. Septemb. ann. Pontif. 13. ex reg. Vatic. epist. 89. excessit ex hac vita anno 1331.

43. NICOLAVS successit Petro ann. 1331. memoratur die 14. eiusdem anni in oblig. lib. mortem obijt anno 1340. ex regest. Vatic.

44. LIGO de Vrbeueteri Canonicus Rhemensis, & Papæ Benedicti XII. Cappellanus in demortui Nicolai locum electus est Nolanæ Ecclesiæ Episcopus 8. Id. Nouemb. anno 1340. Præfuit annis 9. cuius electio extat in reg. Vatic. eiusdem Pontificis ep. 379. anni 6.

45. NICOLAVS de Oserio nobilis Rauellensis Canonicus Neapolitanus a Clemente VI. Nolanæ Ecclesiæ præficitur, defuncto Lıgo, anno 1349. 14. Kal. Febr. vt in reg. Vatic. ep. 149. fol. 94. p. 1. lib. 4. ann. 7. defunctus est Auenione, antequam munus consecrationis reciperet.

46. FRANCISCVS Rufulo Neapolitanus, origine Rauellensis in suæ primoribus Ciuitatis meritò numerandus, ex Canonico Neapolitano, ac Papæ Cappellano delectus est Nolanus Episcopus anno 1349. 8. Kal. Iunij in reg. Vatic. ep. 2. fol. 11. p. 1. lib. 3. ann. 8. Clementis VI. Præfuit annis 21. mortuusq; est Neapoli in patria anno 1370. sepultusq; est in Ecclesia Sancti Dominici cum hac inscriptione.

HIC IACET REVERENDVS PATER, ET DOMINVS, DOMINVS FRANCISCVS RVFVLVS DE NEAPOLI, LEGVM DOCTOR, DEI GRATIA EPISCOPVS NOLANVS, QVI OBIIT ANNO DOMINI MCCCLXX. DIE 5. IVNII V. IND.

47. FRANCISCVS Scaccanus de Nola ex Canonico Cathedralis electus est patriæ Episcopus ab Vrbano V. anno 1370. 11. Kal. Iulij: vir egregijs moribus, & legum peritia clarus, Bonifacij IX. in Regno Siciliæ Apostolicus Nuncius, & Spoliorum collector, ac Referendarius, eiusdemque aliquando in Vrbe in spiritualibus Vicarius fuit, Cathedralem vetustate fatiscentem noua molitione cœpit exædificare, Testis fuit testamento Nicolai de Vrsinis Comitis Nolani anno 1399. 14. Febr. triginta omninò ann. cum laude prudentiæ præfuit, fatoque functus est 1400. iacet in Cathedrali nobili, pulchroque tumulo cum hoc epitaphio.

Hic iacet corpus Reuerendi in Christo Patris & Domini Domini Francisci Scaccani de Nola, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Nolani, vtriusque Iuris professoris, Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Bonifacij Papæ Noni Referendarij, ac in eadem Vrbe eiusque suburbijs, districtu, in spiritualibus Vicarij generalis, qui obijt anno Dom. MCCCC. die xv. mensis Iulij, viij. Indictionis in Ciuitate Nola, cuius anima requiescat in pace. Amen.



48. FLAMENGVS, vetusta, ac nobilissima Minutula familia natus ex Canonico Neapolitano, defunctoque Francisco electus est Nolanus Episcopus anno 1400. 7. Kalen. Aug. Interfuit Constantiensi Concilio, testis fuit testamento Landulphi Card. Maramaldi 1415. 10. Octob. Præfuit annis omnino duobus, & quadraginta, constat illum obijsse anno 1442. in Actis Consistorialibus, de quo nihil occurrit ampliori dignum memoria.

49. LEO de Simeone ex Archidiacono adiectus est coadiutor Flamengi ab Eugenio IV. cum spe futuræ successionis anno 1438. cui successit anno 1442. vltima die Aprilis. Anno verò Leonis Præsulatus tertio extra mœnia Vrbis Nolæ, Raymundus Vrsinus Salerni Princeps, & Nolæ Comes Cœnobiũ pro Minoritis fratribus extruxit, quod non

sine

ſine diuini numinis ope factũ narrat doctus Vvadingus to.5. Annal.Minor.inditumq; nomen S. Angeli. Raymundus, inquit, *Vrſinus Salerni Princeps & Nolæ Comes cum extra hanc Vrbem Eccleſiam S. Laurentij collabētem reficere, & Conuentum adijcere Minorum ſummo tentaſſet conatu, magna ſua, aliorumque admiratione videbat noctu deſtrui, quod interdiu conſtruebatur. Piorum Virorum imploratis precibus, rogauit Dominum, vt dignaretur propalare quid hoc vellet portento? Et ecce latomi, dum ſaxum ingens ex lapidicina exſcindunt, pulcherrimum Angelum ex ære fuſum, pretioſum annulum manu tenentem inter duos ſibi inuicem confibulatos lapides conſpiciunt. Hinc indicatum eſt locum hunc à Deo delectum ſacræ ædi conſtruendæ. Nulla interpoſita mora huc curam & operam omnem Raymundus conuertit, & elegantiſsimum fabricauit Cœnobium, rebuſque omnibus neceſſarijs inſtruxit. Angeli ſimulacrum, à quo domus nuncupatur, repoſuit in ſacrario, & ſibi, humile poſuit in pauimento ſepulchrum.* Iacet hic B. Reginaldus laicus, miraculis in vita, & poſt mortem clarus. Porrò inſcriptio ad Raymundi ſepulchrum talis eſt.

Hic iacet Illuſtris Dominus Raymundus de Vrſinis Nolanus, & Palatinus, ac Sarni Comes, Princeps Salerni, Dux Amalfi, & Reg. quondam Siciliæ Magiſter Iuſtitiarius, & vxor Leonora regali proſapia de domo Aragonia. Qui obijt anno Domini MCCCC.LIX.

Viginti ſeptem annos Leo ſibi creditam Eccleſiam rexit, mortalitatem expleuit anno 1469. cuius marmoreum ſepulchrum ſpectatur in Cathedrali cum hac inſcriptione.

Hic iacet corpus Domini Leonis Epiſcopi Nolani, qui obijt anno Dom. MCCCC.LXVIIII. XV. menſis Iulij, cuius anima requieſcat in pace. Sedit annis XXX.

50. IOANNES Antonius Boccarellus antea Epiſcopus Aſculanus in Apulia ad Nolanam Eccleſiam translatus eſt 5. Id. Augusti anno 1469. obijtque anno 1475. qui nouæ Cathedralis prima præſtruxit fundamenta adiuuante Vrſo Vrſino Nolæ Principe.



51. ORLANDVS Vrſinus Romanus eruditione ac legali ſcientia non minus, quàm generis nobilitate illuſtris adlectus eſt Epiſcopus Nolanus anno 1475. 17. Kal. Iunij. Romanæ Vrbis Studiorum Rector erat anno 1499. vbi deceſſit anno 1505. pietatis, religionis, & liberalitatis in omnes præclara opinione relicta. Anno ſuperiori ab obitu Orlandi Nolæ deceſſerat Helena de Comitibus Nicolai Vrſini Nolæ Comitis vxor, in clauſtro Sancti Franciſci ſepulta cum hoc epitaphio.

Nicolaus Vrſinus Nolæ, Petilianique Comes, dilectæ coniugis Helenæ Conte hic voluit corpus humari, & pro eius anima ſemel in hebdomada Miſſam, ſemel in anno anniuerſarium celebrari, ob quæ Conuentui huic in Palmarum planitie telluris iugeros quinquaginta donauit, FiaſcoNolam gubernante, qui vtique carus illud, & id fieri curauit. Anno Domini MCCCCCIIII. VI. Id. Iunias.

52. IOANNES FRANCISCVS Brunus Apoſtolicus Protonotarius ſucceſſit Orlando 4. Iulij 1505. interfuit Lateranenſi Cōcilio, is cum annis 41. Nolanam Eccleſiam rexiſſet, ſibi Coadiutorem aſciuit cum ſpe futuræ ſucceſſionis anno 1546. Antonium Scarampum, pauloque poſt annum ætat. ſuæ 100. capularis ſenex mortalitatem expleuit.

53. ANTONIVS Scarampus Pedemōtanus ex Cannellæ Comitibus Rector Eccleſiæ S. Mariæ de Monte Papienſis Diœceſis electus eſt Coadiutor Bruni die 20. Augusti 1546. eidemque ſucceſſit Præſul digniſſimus,

tres

tres & viginti annos Nolanam Ecclesiam administrauit, quam ad formam Tridentini Concilij, quo assederat, traduxit, erexitque Clericorum Seminarium, aliaque boni Pastoris opera gessit, translatusque deinde est ad Laudensem Ecclesiã anno 1569. die 11. mensis Martij. Vide quæ de eo scripsimus in Præsulibus Laudensibus tom. 4.



54. PHILIPPVS Spinula Iannensis Episcopus Bisiniani ad hanc Nolanam Ecclesiam translatus est die 11. Martij 1569. Singulari pietate huius Ecclesiæ curam perursit ad sex & decem annos, à Gregorio XIII. Presbyt. Card. ad tit. S. Sabinæ creatus ann. 1583. die 13. Decembr. quo Nolana Cathedralis miserabile casu corruit, quam deinceps Fabritius Gallus Philippi successor à fundamẽtis cœpit reædificare. Onus remisit Philippus Card. ann. 1589. Romæ decessit an. 1593. de quo vide Bisinianensium Episcoporum nostram seriem tom. 1.



55. FABRITIVS Gallus Neapolitanus ex resignatione Card. Spinulæ Nolanus euasit Episcopus Kal. Iulij ann. 1585. Hic vbi primum ad Episcopatum ascendit, nil antiquius habuit, quàm Clericorum mores corrigere, pietatem in omnes, charitatem in pauperes profundere, collapsam Cathedralẽ reædificare, inque pristinum dignitatis splendorem restituere, Sanctorum lipsana exornare, Ecclesiasticam libertatem vbique & semper acerrimè propugnare, Canonicos ampliori dignitate ornare, Diœcesim plurimis Collegiatis Ecclesijs insignire, Camaldulensem Eremum instituere, Virginum Templa, Pietatis Montes, Xenodochia à nobilibus Nolanis instituta retinere, solertia augere ritibus, amplificare deuotione: quamobrem tanta Præsulis huius bonitas, vndè ingens Ecclesiæ suæ fructus emanauit, digna est, vt cum priscis illis Sanctis Episcopis, qui Nolanam Ecclesiam sanctè administrarunt, rectè comparetur. Synodum vnam satis celebrem sui Præsulatus anno 5. habuit, edиditque vnà cũ antecessorum suorum breuem seriem, Fratres Minimos recepit ad viam, quæ in Apuliam ducit, iuxta Cœmeterium Martyrum, & S. Felicis Presbyteri latebras memorabile, cõditum illis cœnobium est, & Ecclesia sub nomine, & tutela Diui Francisci Paulani, quẽ ciues Nolani peculiari cultu venerantur. Cæterum Fabritius Clero, populo, omnibusque ordinibus charus, post annum nonum supra vigesimum Episcopatus sui Nolæ ex hac vita discessit 6. die Nouembris 1614. sepultusque est in sacello S. Stephani Cathedralis Sacrarij ab ipso condito, & ab Alexandro Gallo eius nepote, qui nuper Episcopus Stabiensis fuit exornato, vbi in subiecto elogio patrui virtutes & acta enarrauit.

D. O. M.
Fabritio Gallo Neap. Nolanorum Episcopo
Pauli V. Pont. Max. familiaris assistens
Ecclesiasticæ libertatis acerrimo defensori
Templo repentino olim casu subuerso
in splendidiorem formã restituto
Aedificijs, ac redditibus auctis
Diœcesana Synodo
vigilanter edita Ecclesiæ senatu
ipso curante pontificijs insignibus decorato
Vrbe inundatione aquæ bis afflicta
ab extremo vindicata interitu
cunctis parentem lugentibus
Alexander Gallus I. C. Iacobi
filius sacellum SS. Reliquijs ornatum à patruo pientissimo cæptum cõsummauit, posuit, dicauitq; Ann. MDCXV. Vixit an.
LXIX. M. IIII. D. XXI.
Sedit An. XXIX. M. IIII. D. IV.

Supra

Supra verò maiores Cathedralis fores ex marmore hæc leguntur verba.

FABRITIVS GALLVS NEAPOL.
NOLAN. PONT.
COLLAPSVM ACCEPERAT ÆRE
SVO, ET PVBLICO
MAGNIFICENTIVS RESTITVIT.
A. D. M. D. XCIIII.

56. IOANNES BAPTISTA Lancellottus Romanus, Horatij Lancellotti germanus frater, à Paulo V. Nolanum Episcopatũ obtinuit 26. Ianuarij anno 1615. Dominica in Palmis solemni ritu ingressus plura nouæ Cathedrali adiecit ornamenta: multa etiam tam ad splendorem, quam ad pietatem incitamenta, in sacrorum officiorum administrationem idem instituit, ædificijs quoq; varijs, & picturis Episcopale palatium exornauit. Haud procul à Nola, vbi carceres, & fornax erant, quibus Sancti Martyres, vel crudeli maceratione, vel igne probabantur, vt de S. Ianuario Neapolit. inclyto Martyre, & Beneuent. Episcopo legitur, qui in ea fornace probatus, illæsusque euaserat, ædiculam olim à fidelibus ibi excitatam anno 1631. Vesuuij Montis cineribus penè oppressam, cooperante Lancellotto, Canonicorum Capitulum summa pietate restituit, & memoriam addidit in marmore ad fidelium augendam deuotionem hisce conscriptis verbis:

Aediculam videns Viator
venerare.
Hic est ille carcer, quem Beatus
Ianuarius decorauit;
Hæc est illa fornax, quæ eundem
citra noxam accepit, ve-
getiorem emisit
Vtrumque locum Orbi vniuerso
celebrem
Inter præcipuas Vrbis Nolæ
reliquias
Temporis iniuria deformatum.
Ob repressum iterum hoc anno
M.D.C.XXXI. Vesuuij
seuientis furorem.
Ioanne Baptista Lancellotto
Pontifice
Capitulum Nolanum restituit.

Præfuit exinde Lancellottus ann. 45. obijt hoc anno 1656. iacet in Cathedrali.



57. FRANCISCVS Gonzaga Mantuanus Clericus Theatinus Episcopus Geruntinensis, & Cariacensis ad hanc Sedem translatus hoc eodem anno 1657. die 19. Nouembris.

PVTEOLANI EPISCOPI.



PVTEOLI vetus Campaniæ Felicis olim frequens, & celebris Ciuitas apud Sinũ, qui Puteolanus dicitur inter Sinuessam, & Neapolim, à quo in Occasum æstiuum, ad VIII. M. P. recta via dissidet, sita est supra collem prope Liternum, Acheruntiamque paludem. De huius Vrbis origine, & nomine diuersi diuersa sensere. A Samijs conditum vult Eusebius eo tempore, quo Tarquinij à Bruto sunt expulsi; A Cumanis alij existimarunt ædificatam, alij nouæ & fabulosæ arridentes opinioni, à Diceo Neptuni, vel Herculis filio suum habuisse principium arbitrantur. Pausanias bis eius meminit, primum in Messenijs, deinde in Archadicis, Tyrrhenorum oppidũ appellat, eius tamen conditoris mentionem nullam facit. Initio Dicearchiam dictam, nimirum ab administratione iustitiæ, sanctissimoque imperio. Plinius, Strabo, Silius, Appianus, & Philostratus auctores sunt.

Empo-

Emporium Cumanorum Puteolos fuisse, po-
steaque colonis Romanis admodum frequē-
tes redditos, & nomen à puteorum multitu-
dine accepisse, vel vt alijs placuit, à putore,
quem hic passim aquæ calidæ vi sulphuris
emittunt; quapropter nonnullis etiam Phle-
gra vocatus sit Cumanus ager Strabo memo-
riæ prodidit. A Liuio Puteolorum mentio
sæpissimè fit, præsertim autem, vbi colonos
eos deduxisse Fabium Max. Vrbemque mu-
niuisse, neque multò post Annio Consule re-
ferente decretum à Senatu, colonos in quin-
que marinas, & inter eas Puteolos mitti nar-
rat. Alibi etiam Annibalem ad Auernum,
prætextu sacrificij profectum, sed animo ca-
piendi Puteolos. Alio denique Romanorum
coloniam factam scribit. Recentiori æuo ab
Augusto fuisse coloniam deductam vult Frō-
tinus: Cicero oratione pro M. Cœlio muni-
cipium appellat, & quasi pusillam Romam,
vocat epist 2. lib. 5. ad Atticum, antiquā rem-
publicam, & Præfecturam aliquando extitis-
se lapides confirmant, quos leges apud Ca-
paccium.

Sunt qui nouam hanc Vrbem dicant, & vetus
Oppidum Puteolos non hoc in colle positoa
fuisse, sed aliquanto remotiore loco; vbi
ingentes adhuc ædificiorum ruinæ supersunt,
sed haud quaquam hanc recentem, sed ipsam
Vrbem antiquam esse demonstrant, non mo-
do situ eius præsente, quod propinqua littori,
portuique sit; sed etiam reliquijs pontis ab
huius collis radicibus olim incipientis, & ex
vetusto templo Vrbis medio à Calsurnio L.
F. in honorem Augusti condito, Ioui conse-
crato, quod Christi deindè fideles D. Procu-
lo dicarunt, quanquam multo quondam,
ampliore, quam nunc sit, minime negare,
possumus. Neptuni templi ruinæ adhuc Pu-
teolis vigent, cuius Cicerò meminit Acad. 4.
Serapidis & Honoris religionem coluisse Pu-
teolanos, ijsdem Aedem statuisse lapis nobi-
lissimus declarat, quem refert Capaccius.
Oppidum enim à Romanis auctum, ornatum,
multisque locis restitutum, cum Imperij ma-
iestas esset declinata, Barbarorum sæpius in
Italiam illuuione collapsum & solo æquatum
est, restitutum deinde in eam, quæ nunc extat
formā à Neapolitanis Principibus, Regibus-
que. Antiquarum verò rerum monumenta
Puteolis, vt idem Capaccius narrat, eam ha-
bent admirationem, quam, quæ Romæ sunt
reliquæ, quæ maximum animo & oculis affe-
runt stuporem. Hinc templa, portus, Aca-
demiæ, theatra, amphiteatra, statuæ, inscri-
ptiones, thermæ, & alia memorabilia, quarū
pleraque supersunt vestigia animi Romani
magnitudinem, Imperatorum in eis locis cō-
suetudines maximam rerum memoriam præ-
ferunt. At verò quæ in ijs locis, aut ignes,
aut thermæ, aut montes obijciunt, omnem,
superare admirationem facilè videntur. De
hac Ciuitate eiusque origine, nomine, digni-
tate, rebusque memorabilibus, religione,

A Virisque illustribus ita commemorauit lucu-
lentissimo, eruditoque libro supra citatus Iu-
lius Cæsar Capaccius, vt nil prorsus deside-
rari posse videatur. Cæterum Christianitatis
exordium, Puteolanorum delitias, præclara-
que monumenta, visum est mirum in mo-
dum cumulasse; Siquidem in primis Cam-
paniæ Felicis Ciuitatibus vna fuit, quæ Pa-
trobas Pauli Apostoli discipulo prædicante,
lucem Euangelij aspexit, primusque deinde,
satagente Apostolorum Principe Petro idem
Patrobas Episcopus cōsecratus, Puteolanam
instituit Ecclesiam, illamque optimis legi-
bus rexit. Templum Augusto dicatum a
Christianis D. Proculo Martyri, Puteolanæ
Ecclesiæ Diacono sacrum, & maior Basilica
B constitutum est sub Diocletiano. Proculi
ibidem seruatur corpus. Vrbis Patronum,
Puteolani maximo cultu venerantur. Hunc
antea cum Eutychete, & Acutio Ciues trans-
tulerant in Prætorium Faludij ad Triuium,
quod S. Stephani coniungitur ædi, vbi mar-
tyrio sunt coronati. D. Celsi, Petri Apostoli
discipuli in eodem templo Lipsana colunt ex
traditione. Volunt ibidem esse corpus S. Ni-
ceæ Proculi matris, de qua Petrus de Natali-
bus in Catalogo, cum etiam corpus Patro-
bæ. Arthemas nobili genere natus est Pu-
teolis, martyrio coronatus 7. Kal. Febr. sub
persecutione Decij; ibidem passi sunt pro
Christo Onesimus, Erasmus, cum socijs. Il-
lud quoque eorū decori accessit, quod haud
procul Puteolis ad forum Vulcani Ianuarius
C gloriosissimus Neapolitanus Ciuis, Episco-
pusque Beneuentanus cum socijs, capitis ab-
scissione nobilem tulit palmam martyrij, cu-
ius corpus in Metropolitana Ecclesia Nea-
poli venerantur. Aedes ibidem à Napolita-
nis Puteolis est condita anno 1574. vbi ædi-
cula prius erat, cum marmoreo Ianuarij ca-
pite. In ea commorantur Sacerdotes Cap-
puccini. Neapolitani, vt sui iuris ædem esse
significarent, hoc in marmore scripserunt.

Diuo Ianuario
Diocletiani scelere obtruncato
Ne quod sacri corporis sanguine
madu erat solum sine honore
D *diutius remaneret, Nea-*
politana Ciuitas P. P.
Aere P. F.
M D L X X X.

In altari hæc leguntur.

LOCVS DECOLLATIONIS S. IANVA-
RII ET SOCIORVM EIVS.

Sed de Ianuario alibi redibit sermo: ad
maiorem Basilicam redeamus, quam dixi-
mus

mus expurgato templo Calfurniano, in Cathedralem erectam, Diuoque Proculo consecratam fuisse, hanc vetustate propè deformatam, ac ruinosam Martinus de Leone & Cardenas dignissimus Episcopus nobili architectonicæ artis schemate nuper à fundamentis construxit, Sanctique Proculi, & Ianuarij titulo insigniuit, vt inscriptus lapis proloquitur.

D. O. M.
Retenta ad memoriam vetustatis
Externa duntaxat Templi Calphurniani facie
Explicataque ad formam sacræ Aedis
Inaugurata olim Diuo *Proculo*
Tutelari ara Templum hoc
A fundamentis excitauit, concinnauit, & consecrauit.
D.*Frat. Martinus de Leon, & Cardenas*
Hispanus ex sacra Eremitarum religione D.*Augustini*
Episcopus Puteolanus inter Papæ assistentes, & regius Consiliarius cooptatus.
Anno salutis humani generis.
M.D.C.XXXIV.

Hæc in exteriori parte supra fores: alia verò de eiusdem Ecclesiæ consecratione in interiori parte legitur inscriptio.

Anno Dom. *M.D.C.XXXIV.*
die xxx. mensis Aprilis
Ego D. *Fr. Martinus de Leon, & Cardenas*
Hispanus ex sacra Eremitarum religione D. *Augustini*
Episcopus Puteolanus inter Papæ assistentes, & regius
Consiliarius cooptatus consecraui
Ecclesiam hanc,
Quam à fundamentis erexi, & altare maius in honorem
Sanctorum Martyrum Proculi
Diac. *& Ianuarij Episc.*
A *Tutelarium, & Reliquias SS.*
M.M. Ianuarij, Festi, Sosij,
Desiderij, Sociorum eius, S. Celsi
Episcopi Puteolani
SS. M.M. Constantij, Maximi,
Iuuentij, Pastoris,
Theophyti, Tertulliani, Vitelliani, & triginta militum
M. M. in eo inclusi: & singulis
Christi fidelibus
Hodie vnum annum, & in die
B *Anniuersario*
Consecrationis ipsam visitantibus quadraginta dies de
vera indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concessi.

In hac Basilica tres dignitatum gradus ad maiorem Dei cultum sunt, Decanatus, Archidiaconatus, & Cantoratus, Canonicatus duodecim. Theologalis præbenda: nouem item Cappellani Beneficiati, alijque Clerici cum Præfecto Sacrarij, Magister musices, qui quotidie Diuinum pensum perurgent. Seminarium Clericorum in ipso Episcopali Pala-
C tio ibi institutum est, vbi Clerici aluntur. Nec desunt in Ciuitate Xenodochia ad subleuandam egenorum inopiam. Plures olim in ea Ciuitate erant Parochiales Ecclesiæ, hodie duæ tantùm numerantur. Cathedralis ipsa, altera in suburbijs propè mare in Ecclesia S. Mariæ Gratiarum. Monialium Cœnobia duo, quibus adnumerari possunt sex virorum Monasteria, partim intra, partim extra Ciuitatem exædificata, Iesu Mariæ scilicet, Ord. Prædicatorum, S. Catharinæ, Ord. Conuentualium, S. Iacobi Carmelitarum, S. Francisci Ord. Minorum, alterumque districtioris obseruantiæ eiusdem Ord. Monachorum Montis Virginis apud S. Andream, & Cappuccinorum ad Diui Ianuarij, pluraque alia ibi-
D dem pia loca, & laicorum fraternitates visuntur, quæ Puteolanorum Populorum pietatem videntur augere. Puteolanus Episcopus Neapolitano Archiepiscopo ab immemorabili subest, haud amplæ Diœcesi ius dicit, in qua ad nouem millia mortalium capita censentur, si sex millia, quæ intra mœnia Puteolana accenseantur. Redditus Episcopatus tria millia scutatorum illarum partium dicuntur explere in libris fisci Apostolici, eius taxa florenos 133. non excedit. De dignitate & antiquitate Ecclesiæ Puteolanæ scripsit Opusculũ Sebastianus Monachus Oliuetanus ad Ioannem Matthæum Castaldium Episcopum Puteolanum, quod non vidimus, nec typis editum est. Insignis quidem Eccle-

ſia eſt numeroſo iam Martyrum ſanguine decorata, Summorum Pontificum, Regumque varijs muneribus, priuilegijſque fuit donata, Euerſis enim Miſenatis, Cumaniſque Eccleſijs, quarũ Clerus & Capitula in Auerſanam Eccleſiam ſe tranſtulerunt, in qua tres hodie Primicerij numerantur, cenſus earum Neapolitanæ Eccleſiæ attributus; Eccleſiaſtica verò Eccleſiarum iuriſdictio Puteolano Antiſtiti obuenit; non ſolum namque in illis ius ſuum tuetur, ſed in locis etiam ſori ſcriptæ, ſubcauæ, & planuræ, quæ in temporalibus Neapolitanæ Ciuitati ſubduntur, in ſpiritualibus Puteolanę Eccleſiæ ſubiecta ſunt, hodieque ad portas Ciuitatis Neapolitanæ ſuam iuriſdictionem extendit. Puteolanorũ Præſulum ſeries ſequens eſt ex varijs monumentis collecta.



15. PATROBAM vnum ex ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis, imò & Pauli diſcipulum, cuius meminit in Epiſtola ad Romanos, ſatagente Petro Apoſtolorum Principe Hieroſolymis poſt Iudaicam perſecutionem, diſperſionemq; Chriſti diſcipulorum per vniuerſas orbis terrarum partes, ordinatũ Epiſcopum, Puteolis nutu diuino appuliſſe, eaque in vrbe, tunc florentiſſima, Euangelium diſſeminaſſe, eiuſdem primum Præſulem inſtitutum fuiſſe, vetus, conſtanſque traditio narrat. Porrò de eo pauca loquuntur monumẽta, quæ, vt Baronius ſcribit, à primis Chriſti fidelibus geſta ſunt, ſcriptorum inopia, vel ſcripturarum naufragio remanſerunt ſilentio ſepulta. Igitur Patrobas primus Puteolanorum Epiſcopus aſſiduo labore, fideique feruoris prædicatione accenſus, fidem, ſedemq; Epiſcopalem Puteolis conſtabiliuit, cumque per annos multos moleſtias multas, & incommoda pro Chriſti nomine à Gentilibus fortiter pertuliſſet, infinitos propemodum ad Euangelij lucem adduxiſſet, ſanctè quieuit in Domino 4. Nouembris poſt annum 59. ſalutis, vt exiſtimare poſſumus; etenim cum Paulus Apoſtolus è Hieroſolymis Romam captiuus duceretur è Rhegio ſoluens, Puteo-

A los delatus, inuentis ibi fratribus, vt Acta Apoſt. 28. teſtantur, apud eos dies ſeptem rogatus manſit, tunc temporis aiunt Patrobã illorum fratrum (hoc enim vocabulo Chriſtiani appellabantur) Epiſcopum fuiſſe; In templo nunc maximo depicta hiſtoria eſt, vbi S. Paulus à Patroba Epiſcopo, alijſque fratribus benignè inter amplexus cernitur receptus, poſt hunc annum apparet Patrobam obijſſe, quo vero anno præcisè, incertum. Patrobæ meminit Hippolytus Martyr lib. de Septuaginta Chriſti diſcipulis, ex quo Baronius in notis ad Martyrol. Rom. qui illum Puteolanorum Epiſcopum fuiſſe affirmat. Patrobæ Puteolani Epiſcopi item meminit Menologium Græcorum vetuſtiſſimum iuſſu

B Baſilij Iunioris Imp. Cõſtantinopolitani ante annum ſalutis 977. in membranaceis pulcherrimis characteribus conſcriptum, extat in Bibliotheca Vatic. cuius verſio Petri Archudij Corcyrenſis penes me erat, quam dono dedimus amico noſtro erudito viro Ioan. Baptiſtæ Mari Canonico S. Angeli in foro Piſcium, vt ſuis notis ea aliquando in lucem proferat. de Patroba ita ſe habet: *Pridie nonas Nouembris. Eodem die certamen Sanctorum Apoſtolorum de numero ſeptuaginta Patrobæ, Hermæ, Lini, Gaij, & Philologi. Patrobas, Hermas, Linus, Gaius, & Philologus ex ſeptuaginta diſcipulorum numero fuere. Patrobas, cuius mentionẽ in ſuis Epiſtolis Paulus Apoſtolus facit, Epiſcopus Puteolanorum*

C *te inſigniuit; Hermas autem, &c.* Chronicon Alexandrin. pag. 507. inter LXXII. Chriſti diſcipulos recenſet Patrobam, eidemq; vigeſimum primum locum attribuit. *multos ad Chriſti fidem traductos baptiſma-* Nicephorus Calliſtus in Hiſtoria, Galleſinus in Martyrologio, Molanus in additionibus ad Viuardum, Ferrarius alijque Patrobæ meminerũt, faciuntque Puteolanorum Epiſcopum. At Dorotheus in Synopſi, cuius fides à Baronio, Bellarminoque Card. tanquam fabulis plena improbatur, Patrobam Epiſcopum Neapolitanum fuiſſe ſcriptum reliquit, ex quo aliqui recentiores, qui de Epiſcopis Neapolitanis ſcripſerunt, ſed eorum opinio non cohæret cum tempore Aſprenis obitus, is à D. Petro primus ordinatus Epiſcopus ad

D Cœlum euolauit anno Chriſti 70. quo anno S. Celſus Patrobæ ſucceſſor ab eodem Apoſtolorum Principe iam diu Puteolanæ Eccleſiæ cõſtitutus Epiſcopus fuerat, ac felici greſſu illam regebat Eccleſiam: tametſi illud obſtare non poſſe, inquit, Caracciolus cap. 8. Sacrorum monumentorum Neapol. Eccleſ. lib. quod Patrobas Puteolanus, Neapolitanus fuerit Epiſcopus, & ambas ſimul rexerit Eccleſias, cum plurima prorſus ſuppetant ſimillima antiquorum Pontificum exempla, qui multarum Ciuitatum Epiſcopi, in ijs tamen omnibus ritè coluntur: ob id nimirum (vt ſæpè olim contigit) quod vnus, idemq; Epiſcopus, Apoſtolico more, complurium Ciuitatum.

ratum, imò & prouinciarum Ecclesias, primis illis Christi sæculis, fundauerit, instituerit, rexerit; hic vnus Martialis Christi discipulus non solum Lemouicensis, sed etiam vt Baronius ad 30. Iunij, & Guilielmus Centen. P. adnotant, Pictauiensis, Engolismensis, Burdegalensis, Bituricensis, Sanctonensis, Viennensis, Aniciensis, Rutenensis, & Mimatensis Ecclesiarum fuit Episcopus, atque in ijs hoc etiam tempore solemni officio celebratur. Sic Maternus Petri discipulus, & Treuirensium, & Tungrorum, & Coloniensium, & aliorum finitimorum populorum fuit simul Doctor, & Præsul. Martyrol. Rom. 14. Septemb. Sic Sitius & Iuuentius, non Ticinensem solummodò, sed & Vicentinam, aliarumque Ciuitatum vicinarum fundarunt, atque instituerunt Ecclesias. Addo Romulum, qui Fesulanam, Florentinam, Volaterranam, Bergomatem, & Brixiensem constituit Ecclesias, & Prodocimus Patauinam, Vicentinam, aliasque fundauit Sedes: nec desunt huiusmodi exempla in sacra Historia. Cæterum de Patroba, præter suspectæ fidei Dorotheum, nullum habemus veterem auctorem, qui asserat illum Neapolitanum fuisse Antistitem. Peulorum illum astruit Petrus de Natalibus; sed cum nulla sit Ciuitas hoc nomine nuncupata, nescio vndè id hauserit. Demochases lib. 2. de diuino Missæ sacrificio cap. 18. ait, S. Patrobam Neopotiolanum fuisse Episcopum institutum, de quo aliqui *Neapolitanum* legerunt, melius pro Neopotiolano Puteolanum dixisset. Puteolani, Patrobæ corpus in eorum Cathedrali asseruari affirmant, Baronius verò 4. Nouemb. illud Romæ in Basilica S. Mariæ Maioris conseruari scribit, sed in ea Basilica nulla mentio extat; imò in vetustis monumentis eiusdem, nec verbum quidem de Patroba, fortassis pro Epaphra Collossensi Episcopo, cuius sacra lipsana sub altari maiori in ea Basilica iacent. Patroba scripsit ad 4. Nouemb.

2. S. CELSVS S. Patrobæ alumnus defuncto magistro successit, secundus ab Apostolorum Principe Petro Puteolis ordinatus Episcopus circa annum Domini 60. Habet traditio, hunc fidei opus à B. Patroba Puteolis inceptum summo labore absoluisse, ac semel ab illo plantatam Christi fidem sua prædicatione efficaci constabilisse, populumque ferè totum, eliminatis Idolis, ad veri Dei cultum traduxisse, & post multos exantlatos labores ad Cœlum euolasse circa annum Domini 80. die 5. Nouemb. quo ipso die auctoritate Pij, ac Sixti V. Summorum Pontificũ celebratur festum, ac veluti Patronus veneratur, cuius sacrum corpus in Ecclesia ab ipso condita, vbi nunc Moniales S. Francisci degunt creditur asseruari. Eius meminit Ferrarius in Catalog. ad hunc diem; vbi habet extare in Puteolano Territorio Ecclesiam, quæ S. Petrilli de Quarto dicitur, quod in ea à S. Petro Celsus Episcopus consecratus fue-

A rit; sed magis arridet opinio illa, qua censetur Romæ Celsum ab Apostolo consecratum fuisse, post Patrobæ excessum, ac Puteolos missum, vbi & in pace quieuisse.

3. IOANNES, quem sanctitate clarũ fuisse diptycæ Puteolanæ Ecclesiæ commemorant, tempus, quo ille floruerit, neque acta recensentur.

4. FLORENTIVS Episcopus suis exigentibus demeritis ab Episcopatu depositus post decimum quintum à sua damnatione eam Ecclesiam inuasit, vt meminit Epistola Gratiani, & Valentin. Imper. ad Aquilinum Vicarium Ordinarium, apud Baronium to. 4. ad ann. 381. num. 3. *Et Florentius*, inquit, *Puteolanus post damnationem, quam recto*
B *iudicio conuictus accepit, mansuetudinem nostram inquietare conatus, dignum tulit in progressione responsum; post decimum quintum annum Ecclesiam, de qua extrusus fuerat, rursus contaminare conatur, congressiones illicitas facere molitur, egentemque consilij multitudinem perditi animi persuasione deprauat, nostrorum videlicet Iudicum socordia fretus, qui priuata gratia Imperialia præcepta condonant, & religionem, quam nos iure veneramur, quam fortasse ipsi negligunt, inquietare patienter accipiunt*; hæc de Florentio, cætera desiderantur.

5. THEODORVM numerant diptycæ Puteolanæ inter eius Vrbis Episcopos, cum potius Misenantem Episcopum plerique ar-
C bitrati sunt. Sepulchralis tamen lapis Puteolis est ab indoctis viris, vt testatur Capaccius, ad forum appositus, ferè exesus, vbi hæc inscriptio.

HIC REQVIESCIT S. THEODORVS
EPISCOPVS
QVI DEPOSITVS EST III. ID.
MAIAS CONS.
THEODOSII XV. ET VALEN-
TINIANI IIII.

D



6. IVLIANVS Puteolanus Episcopus floruit Leonis I. Papæ temporibus, dignusq; habitus est vt ab eodem Legatus mitteretur ad

ad Ephesinam Synodum, vt ex Martini Scoti Chronica narrat Baronius to. 6. ad annũ 449. num. 36. *Cum igitur, ait Sanctus Leo, nec reprimere Theodosium ab cogendo cõcilio valuisset Episcoporum, neque vt in Italia ageretur, persuadere potuisset; tamen ne fidei causa dispendium aliquod pateretur, quam sciret appeti studijs summa potentia fautorũ Eutychetis eundem Imperatorem præcipitem abducentium, salubre illud in primis consilium inijt, vt è Latere Legatos mitteret Ephesum ad Concilium, eisdemque daret ad Flauianum Episcopum Constantinopolitanum Epistolam, qua non ipse solum, sed vniuersa Synodus, quid de Verbi Incarnatione sentiendum esset, ex sententia Euangelica veritatis acciperet, vt sic tanquam fixa anchora, fides Catholica haud abriperetur à furentibus factiosorum fluctibus discordia spiritibus agitatis; sed inconcussa solida firmitate subsisteret. Qui autem in re tanta obeunda sunt directi Legati, eorum hæc sunt nomina; Iulianus Episcopus Puteolanus, Renatus presbyt. Cardinalis tituli S. Clementis, atque Hilarius S. R. E. Diaconus Cardinalis.* Hæc tantum de Iuliano viro doctissimo, ac dignissimo habemus, cætera eius acta vetusta vorauit antiquitas.

7. STEPHANVS huius Sedis Episcopus, cuius suasu Petrus descripsit, vitam S. Arthemæ Martyris Puteolani, qui pro Christo palmam sumpsit martyrij die 25. Ianuarij: cuius acta communicauit mecum Martinus de Leon dignissimus olim Puteolanus Episcopus ex vetustissimo hœdino codice litteris Lõgobardicis exscripta, quæ cum adhuc inedita sint, hic curiosis exponimus.

Passio S. Arthemæ Puteolani Martyris.

Venerabili Patri, & Sanctæ Puteolanæ Ecclesiæ Inclyto Præsuli Domno Stephano. Petrus. Glorificando itaque, & venerando Reliquias Sanctorum Martyrum, quia Beati Arthemæ gloriosi Martyris sacratissimum corpus in Diœcesi vestri Episcopij requiescit, præcipuisque miraculis coruscando, plebem fidelium mirabiliter inuitare nõ desinit, nec tamen eius passio incomposita edita relegi præualet, studiosè suggerere curastis, vt sicut Beatus Ambrosius S. Agnetis gesta, & Venerabilis Dominus Aupertus Sãctæ Fortunatæ passionem clarificare studuerunt; ita & nos illorum studium imitantes, illius passionem de inculto eloquio transferentes ecclesiastico dogmati tradere curaremus, quatenus ad honorem Domini, & ipsius præfati Martyris Arthemæ gloriam sacratissima illius plebs amplius lætificatur, & tantò deuotissimè ad eius sollemnia properet, quanto illum cognouerit gloriosum ac triumphale martyrium pro Christi amore mirabiliter suscepisse. Quapropter egregie Pastor secundũ diuinum edictum dicens melius est obedire quam sacrificare, ecce vestræ Paternitati libentissimè parere curantes, & inuictissimum illius agonem, & triumphale martyrium mirificè declarare curauimus.

Ergo benigne Pater, quia claro dogmate fulges
Martyrium sacrum, præfati Martyris almi
Sume sagax placidè, grates referendo tonanti,
Atque sacra plebi studiosè tradere cura,
Gaudeat vt semper de vestro dogmate sacro
Ac Domino Christo laudem decantet ouanter.

Passio S. Arthemæ.

Magnificentia Maiestatis Domini Iesu Christi inter gloriosa, & admiranda magnalia, quæ mirabiliter operari dignata est, quatenus electos suos in amore sanctæ suæ religionis optimè radicaret, ac tormentorum pœnas eos disceret non timere, non solummodo viros integra ætate pollentes, sed pueros, ac puellas in tenera ætate degentes per gratiam Sancti Spiritus ita confirmare dignatus est ad prudentiam responsionis, ad tolerantiam passionis, vt ante præsides, ac tyrannos intrepidi adstarent, Sanctæque Trinitatis fidem deuotissimè prædicarent. Ex quorum sancta, & admiranda societate existens venerabilis, & sacratissimus puer Dei Arthemas, dum adhuc indolis, hoc est iuuenilis ætatis annos gereret, inclyta prosapia exortus, ex ciuitate scilicet Puteolana, secundũ nominis sui præsagium; nam Arthemas Atticè, Latinè autem ars, siue ratio interpretatur, in arte sanctæ rationis per Dei gratiam mirificè exaltatus, & à parentibus Christianis litterarum studijs Christicola traditus fuisset, mirum in modũ cœpit inter coætaneos, & condiscipulos nectarea quadam & admirabili conuersatione fulgere, adeo vt non illum tanquam collegam atque condiscipulum, sed vt dilectissimum complectatur germanum. Quid plura? dum Cathigeta illius secundum morem magisterij per isagogam, idest introductionem ad sæcularium litterarum dogmata illum introducere cœpisset, ille nihilominus diuina gratia illustrante, præcedere illum in sensu, atq; sermonis acumine sagacissimè cœpit, ex quo inæstimabili, ac stupendo ingenio valdè attonitus, idem præceptor eius, non cœlesti, & diuinæ gratiæ hoc tribuere studuit, qui omnia quæcunque voluit, facit, sed heu, proh dolor! simulachrorum, atque Idolorum virtutibus condonauit, proinde in eadem admiratione potius puerulos eius discipulos illi ad docendum tradidit, videlicet, animaduertere cupiens, si tanta gratia continuata, aut fortuito accidenti studio in eo fulgeret.

Tunc Deus Omnipotens totius lucis origo,
Lumine de cuius radiantur corda bonorum;

Non

Nō voluit tenebris retineri lumina tanta,
Sed clarè & dignè, qualis, quantusque vigeret
Talia patrando monstrauit munere diuo.

Igitur vt prædictum est, dum puer iste Domini Arthemas dogmata litterarum condiscipulis traderet, inter cætera eis Sanctæ Trinitatis mysteria mirabiliter inserebat, scilicet qualiter Dominus Christus filius Dei omnipotentis pro mundi salute, ex sacra Virgine nasci dignatus est, & per mysterium Sanctæ Crucis diabolicam destruxerit potestatem. De Sapientiæ autem studio suadebat, dicens; Discite ò pueri doctrinam, discite sancta, percipite auribus legem veræ Sapientiæ Dei omnipotentis, de qua Propheta canit, Initium Sapientiæ timor Domini, intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio eius maner in seculum seculi, si hoc ita est, & verè quia ita est, toto mentis amore eius præcepta sequamur, eius disciplinam percipiamus, qui fecit Cœlum & Terram, Mare, atque Angelicam potestatem, qui corda omnium nouit, & omnes sapientes sapienter sua exuperat potestate.

Quisquis in hoc fidit, sapienti culmine pollet.
Terrenos sapiens, sapientes conteret omnes:
Hanc quoque Sophiam nemo contemnat amator
Qui polisiam quærit, cum Christo viuere vitam.

Hæc & similia dum puer Domini Arthemas condiscipulis intimaret, illosq; ad amorem cœlestis Sapientiæ accenderet, tandem & amici hoc explorantes, & cognoscentes inflammari admodum, præceptori eius nunciauerunt, dicentes; O disciplinæ pater, magnæque Sapientiæ indagator, ò sacrorum numinum cultor, atque defensor prouide, ne forte pro doctrina praua discipulorū accrescat magna iniuria sacrorum Deorum; Ecce enim Arthemas discipulus ille vester, quem pueris ad docendum studiosè posuisti, non illius sapientiam, sed iniquitatem, non Deorum religionem, sed Christicolarū doctrinam ministrat. Credere non dubites; nam vera experta profamur; Vide ergo, ne per incuriam negligentiæ pericliteur puritas famosę vestrę sagacitatis, dum præsidi huius prouinciæ talia per te non fuerint nunciata. Territus ad hæc illius Ethnicus Cathigeta aduocans illū his verbis eum arguere cœpit. O Arthema studiose, fidelisque auditor, quæ est ista fama pessima, quæ nostras percutit aures, quæue doctrina vana nostra præcordia farsit; nostris ergo monitis prudenter aurem accommoda, scilicet, vt studium inchoatæ sapientiæ niteat, & dignitas nobilitatis tuæ non obstupescat: scimus equidem, te & nobilitate fulgere, & acumine prudentiæ optimè pollere: ergo audita horrida, quæ de te audiuimus, deleantur, & deuotio nostri præceptoris, quam in te habuimus, optime declaretur. Ad hæc B. Arthemas respondit. Scriptum est enim, ô sagacissime Cathigeta, priusquam interroges, ne vituperes, & cum interrogaueris, corripe iustè: Ergo secundum hanc sententiam seriatim enucleare stude, quæ à nobis ineptè prolata esse dicuntur, & tunc demum, si ita est, aut profitendo approbamus, & retinemus si bona sunt, aut negando repellimus, & refellere curamus, si mala esse videntur. Tunc præceptor incœpit infamiam eius exponere, dicens; Relatum siquidem nobis est, quod discipulis, quos tibi ad erudiendum doctrinæ dogmata tradidimus, non illis sapientiam Deorum nostrorum, quam totus mundus colit, & veneratur, sed impiam religionem Christicolarum studuisti propinare, quæ abominabilis esse videtur, vera ne sunt hæc, an maledicorum compositione prolata? Beatus Arthemas dixit. Flagito, præceptor, quod nobis edisseras, quæ te scire non ambigimus, quatenus ad indagationem tuæ inquisitionis recto tramite peruenire possimus, sensus est enim prior in homine, qui doctrinam percipit omnem!, an philosophia, & litterarum doctrina conclusus ad . . . . :

Deficit pagina in originalibus.

Nos enim talia in præsenti, quæ possumus ministrantes, in futuro enim Tartarus excipiat ille, vbi nulla requies, sed semper fletus amarus.

Hæc vbi dicta dedit Præses crudelis iniquus, cōsentientibus cunctis, iussit pueris, qui olim discipuli S. Martyris Arthemæ fuerant, quod cum gladijs, qui ab officio scribendi graffij nuncupantur, græco eloquio, illum crudeliter trucidarent. Hanc ergo sententiam definitam cum martyr Domini agnouisset; quia non terrena, sed cœlestia exoptabat, oculis, ac manibus in cœlum erectis hanc orationem fudit ad Dominum.

O Rex omnipotens, Sanctorum vita beata!
Qui pugnare iubes, & præstas vincere semper,
Quique in te confidentibus gaudia largiris æterna.

Laudo & benedico nomen tuum, quoniā tu Domine adiuuisti me, & cōsolatus es me, & tribuisti mihi cum triumpho victoriæ cōsūmare, quod te donante inchoare potui, deprecor ergo supplex, quod mittas Angelum Sanctum, qui in pace tua suscipiat spiritum meum, quia iam tempus instat vt veniam, & videam desiderabilem tuam gloriam.

Hæc cum dixisset Martyr per cuncta beatus.

Mox perforatus gladijs sanctum Dominó reddidit spiritum, expleto namque glorioso martyrio, vt ostenderet Dominus angelica illi gaudia tribuisse, multosque per eum ad suam gratiam esse vocandos, videntibus cunctis à splendidissimis Sanctis Angelis anima illius suscepta, ad Cœlum cum gloria magna delata est. Hanc rem mirabilem, & Inopinatam, dum Ethnicus populus cerneret, plurimi ex diuina gratia compuncti ad Sanctam Christianam Religionem deuota mente conuersi sunt laudantes, & benedicentes gloriosũ, & admirabile nomen Domini Iesu Christi. Igitur quia in tanto martyre magnã reuerentiam, sanctamq; habebant deuotionem, eiusq; se precibus gubernari cupiebant, nocturnis horis sanctum illius corpusculum colligentes in loco illo, qui ab accolis Campana dicitur, religiosè cõdere studuerunt, qui distat à præfata vrbe Puteolana, quasi stadijs viginti quatuor, & à Ciuitate Parthenope miliarijs nouẽ. Ad cuius Sancti patrocinia plurimi conuenientes, Sanctumque Martyrem Domini deprecantes, & varijs periculis infirmitatis, beatissimam sospitatem consequi meruerunt. Passus est autem Beatissimus Martyr Domini Arthemas pro amore, & defensione Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis vigesima quinta die mens. Ianuarij. Regnante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Beatissimi Arthemæ huius Martyris non meminit Martyrol. Rom. non Ferrarius, nec aliquis alius, quod sciuerim. Codex in quo eius Acta exscripta sunt, extabat apud V. C Bartholomæũ Chioccarellum Neapolitanũ. Quo tempore autem Stephanus Episcopus vixerit, non constat.

8. CLAVDIVS sub Hilario Papa interfuit Romano Concilio anno 471.

9. AVCVPIVS, cuius mentio extat in Romano Concilio sub Symmacho Papa celebrato anno 501.

10. S. ZOZIMVS, de quo in vetusto Martyrologio Monialium Sancti Ioannis de Capua.

11. GAVDIOSVS subscripsit Synodo Constantinopolitanæ sub Agathone Pontifice anno 680. Post hunc spatio quadringentorum annorum plurium desiderantur Episcoporum nomina.

12. LEO Puteolanus Episcopus vixit circa ann. Dom. 1030. Hic dimissa Episcopali infula ad eremum confugit, de quo Sanctus Petrus Damianus Epistola 10. lib. 3.



13. DONATVS in eadem Sede floruit anno 1119. Hic aliquot iura & Ecclesias sui Episcopatus à Roberto Capuæ Principe recuperauit, qui pro sua in Diuum Proculum pietate, Donato Episcopo, eiusque successoribus in perpetuum ea omnia restituit, quæ aliquãdo ab eiusdem Diui tutelaris Cathedrali Ecclesia ablata fuerant, hac tamen conditione, vt tam ipse Donatus, quam successores eius quolibet anno feria scilicet quarta in capite ieiunij, & quinta Cœnæ Domini Ecclesiam S Nicolai ad absolutionem peragendam adire tenerentur, quemadmodũ Puteolani Episcopi facere consueuerant. Quamobrem Robertus huius confirmationis documentum scripsit, suoq; sigillo firmauit, quod modò subijcicmus ab exemplari Puteolanæ Ecclesiæ.

In nomine Saluatoris Dei Aeterni Robertus Capuanus Princeps Donato Puteolano Episcopo, suisq; successoribus in perpetuum.

Principalis libertas Christi Ecclesijs, earumque Rectoribus suffragari, necessitatibus communicare, & suis rebus, & possessionibus subuenire debemus, vt eleemosynis, & muneribus fideliũ ditati, inspectoribus earum possint absq; sollicitudine, orationibus, & ministerijs spiritualibus insistere. Nos igitur Robertus Capuanorum Dei gratia Princeps hoc facere cupiens dignum duximus Ecclesiæ S Proculi Puteolano Episcopo, venerabilique eiusdem Ecclesiæ Præsuli Donato, ac eius successoribus cõsensu & precibus Raynaldi de Caiuano fidelis nostri, assensu quoque & voluntate Domini Alexandri de Peroleo dilectissimi consanguinei nostri Ecclesiam S. Nicolai sitam in Castro nostro de Serra reddere & confirmare in perpetuum cum collis, hortis, & cum omni iure decimarum, alijsque rationibus, & iustitijs eius, & cum omnibus Terris sibi generaliter pertinentibus; hæc autem tenimenta ipsa Ecclesia S. Nicolai principaliter possidet ex parte quanti tenet quoddam territorium terræ, qualiter extenditur, & sella ipsius Castri nostri, quod dicitur Serra in parte occidẽtali per verticẽ, & eius d. montis, & descendit per quandam

viam

viam propè quasd. fabricas antiquas dirutas; in partem Septemtrionalem versus quartum, & qualiter venit ipsam viam reuoluendo vsq; ad piscinalem ei pertinentem, qui & in parte Orientali propè terram Ecclesiæ S. Petri iuris ipsius Episcopi, & vsque in viam publicam, quæ venit à Campana in quartum, & viam Silicem de Serra, & qualiter quoque ascendit vsque in prædictum Castrum nostrum. de alio verò latere ex parte Campanæ in parte Occidentali tenet præfata Ecclesia S. Nicolai, qualiter descendit ab ipso Castro nostro vsque ad piscinalem antiquum, & vsque in montem, qui dicitur Serrus in parte Occidentali, in parte verò Meridiana habet fines magnas duas petras eiusdem terratum, Episcopatus, quæ extenduntur vsque ad verticem prædicti montis, & circa in parte Occidentis, & vsque ad Silicem in parte Orientis, & sunt ipsæ duæ pezzæ terrarum per mensuram sine Silua montis, modij terrarum centum & nouem, tenet etiam dicta Ecclesia S Nicolai aliud tenimentū ex parte Campanæ, quod Bursas vocatur vsque in planitiem Campanæ, vbi fines habent terras quorundam militum, & seruientium nostrorum ex parte meridiei, & qualiter reuoluitur per planitiem eiusdem montis, vbi sunt domunculæ, & fabricæ antiquæ iuxta prædictam viam de Serra, quæ descendit in quarto per ipsam Silicem ex parte Orientali, sub pede eiusdem Montis Burri; habet quoque ipsa Ecclesia S. Nicolai quādam terram in loco, qui dicitur Comara secus terram ipsius Episcopi vndique terminata ex prædictis terris, & ex terra præfata per mensuram modij nouem. Hanc quidem præfatam Ecclesiam de Serra S. Nicolai cum omnibus supradictis terris, & possessionibus, iurisdictionibus & cæt. sponte reddimus, & confirmamus Puteolano Episcopatui, & eius Venerabili Antistiti Donato, suisque successoribus, &c. Verum quia Puteolanus Episcopus annuatim ex consuetudine veniebat in quarta feria capitejeiunij, & in quinta ante Pascha; scilicet in Cœna Domini ad prædictam Ecclesiam S. Nicolai, volumus, petimus, atque statuimus, quatenus venerabilis Episcopus & successores eius amodò in antea debeant in singulis annis in prædictis duobus diebus, ad Ecclesiam S. Nicolai venire ad faciendam absolutionem, sicut eius antecessores facere consueuerunt. Quod si quis in futuro cōtra hanc nostram redditionis, & confirmationis paginam venire, vel infringere tentauerit, excommunicationi iam dicti Episcopatus subiaceat, insuper libram auri persoluat, medietatem nostro sacro Palatio, & medietatem dicto Episcopo, eiusque præsidentibus Episcopis; hæc autem pagina firma, munita & inuiolabilis maneat in perpetuum, & vt verius credatur, & cautius obseruetur, &c. manu propria subiacenti signo eam subscripsimus, & nostro sigillo iussimus signari in Anno Incarnationis Dominicæ 1119. Indict. 12. scripta à Roberto Ecclesiæ Auersanæ Archidiacono præcepto Domini Roberti Principis. Anno deinde 1121. idem Donatus Episcopus à Iordano Capuæ Principe obtinuit, vt sibi, successoribusq; suis Ecclesia S. Angeli sita in crista montis suæ ditionis cum omnibus iuribus & pertinentijs suis sibi & successoribus eius restitueretur; cuius restitutionis chartæ testes interfuerunt Octodonus Secūdus Capuæ Archiepiscopus, Robertus Auersanus, & Guillelmus Nolanus Episcopi cum Mattheo Abbate S. Laurentij de Auersa. Charta exscripta est ab exemplari eiusdem Tabularij Puteolanæ Ecclesiæ.

In nomine Domini Saluatoris Iordanus Capuanus Princeps Donato Episcopo Puteolano salutem. Iesu Christi misericordia præstabilis, filijs Sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ nostris fidelibus.

Quoniam ob salutem animarum gloriosæ memor. scil. Roberti filij Principis aui, ac Iordani patris nostri, nec non & Secundi Riccardi, quàm etiam Roberti Principum introscriptorum, & ob statum nostri Principatus, consilio quoque & interuentu Domini Octodonis Secundi Dei gratia Capuæ Archiepiscopi, nec non Domini Roberti Auersani Episcopi, ac Domini Guglielmi Nolani Episcopi, & Domini Matthæi sola Domini clementia Abb. S. Laurentij Auersani Monasterij, in Ecclesia S Proculi Puteolani Episcopatus, in qua Dominus Donatus Dei gratia Venerabilis Episcopus præesse dignoscitur, per hoc videlicet principale scriptū in perpetuum damus, reddimus, concedimus, & confirmamus, & insuper quietè dimittimus Ecclesiam S. Angeli sitam in crista montis cū vniuersis terris suis colendis, & cum pascuis, & cum omnibus eius vijs in eis intrandi, & exeundi, sicut prædicta Ecclesia nunc possidet, & dominatur excepta silua, de qua cum potestate habeat assiduè iuxta rationem ista Ecclesia S. Proculi, & præfatus Dominus Donatus Ven. Episcopus, suique successores accipiant de lignaminibus, & quodlibet ob remedium animarum prædictorum Principum & meæ super Altare S. Proculi Martyris per librum obtulit, & sicut præfatus Matthæus Abb. in prædicto Capitulo eiusdem Monasterij datum, & concessum habet per quoddam scriptum per eundem Matthæum Abbatem, & per plures alios confratres eiusdem Monasterij, probatum, & sigillo prædicti Monasterij sigillatum, vna cum omnibus inferioribus, & superioribus suis, & cum omnibus suis pertinentijs; Nos prænominatus Secundus Iordanus Dei gratia Capuanorum Princeps in præfata Ecclesia S. Proculi Puteolani, in qua præfatus Dominus Donatus Venerabilis Episcopus præest, per hoc videlicet principale scriptum in perpetuum damus, reddimus, & confirmamus, ac possessionem, & potestatem, ac dominationem prædictæ Ecclesiæ

S. Pro-

S. Proculi, & prænominati Domini Episcopi suisque successoribus faciendi ex indè legaliter quicquid eis placuerit, remota omni inquietudine, contrarietate, & molestia omniũ Principum successorum nostrorum, & Viceprincipum, Comitum, vel Vicecomitum, Iudicum, Scultariorum, Gastaldeorum, aliorũque omnium mortaliũ personæ. Quod si quis huius nostræ concessionis, atque confirmationis paginæ corrector, aut violator extiterit, aut contra principale scriptum agere tentauerit, viginti libras auri purissimi persoluat, medietatem dictæ Ecclesiæ S. Proculi, & Domino Donato Venerabili Episcopo, suisq; successoribus, & medietatem nostro sacro Palatio, & soluta pœna librarum, hoc principale scriptum, qualiter continet, firmum, munitum, atque inuiolabile permaneat in perpetuum, & vt hoc principale scriptum ab omnibus firmius consideretur, & diligentius seruetur, manu propria subscribens illud corroborauimus, & nostro sigillo illud insigniri iussimus ex successione nostræ præfatæ potestatis. *Scripsi ego Philippus Palatinus Vice. in anno Dominica Incarnationis 1121. secundo anno principatus præfati Domini Iordani gloriosi Principis. Datum in Capuano Palatio in mense Martio, Indict. 14.*

14. MAVRI Puteolani Episcopi memoriam ad posteros perennauit Ricchardi Capuani Principis priuilegium, seu donatio, vel confirmatio decimarum Ecclesiæ Cathedralis ann. 1135. concessarum tam in auro, quã in argento, alijsque omnibus, quæ ipsi Castro Puteolano soluebantur; huiusmodi autem donationis tenor ita se habet ex eodem tabulario.

In nomine Domini Sanctissimi Iesu Christi. Amen.

Notum sit omnibus filijs Sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ, quoniam nos Secundus Riccardus Capuanus Princeps proles bo. me. Domini Iordani magnifici Principis ob salutem, & remedium animæ eius, ac ob statum nostri Principatus in Ecclesia Dei, & Beati Proculi Leuitæ & Martyris Christi cõstructa in Castro Puteolano, cui Dominus Maurus venerabilis Episcopus præest, damus, tradimus, concedimus, & confirmamus per hoc videlicet principale scriptum in perpetuam decimationem de auro, & argento, & alijs omnibus quæ capiuntur pro nostro iure à seruiẽtibus nostris, in Castro nostro Puteolano; excepto de venatione, ita vt si præfatus Dominus Maurus Episcopus & successores sui volunt habere hominem illorum in vnoquoque decimo die cum seruiente nostro ad recipiendã decimationem suã, sit ibi, & percipiat eam, sin autem potestatem habeant recipiendi fiducias à seruiente nostro, vt iustitiam suã non deneget, neque defraudet eis, & si tempore glandium, & per vnumquemque annum ipse præfatus Venerabilis Episcopus Maurus, & successores eius post potestatem & licentiam habeant mittendi in nostro bosco quatuor homines ad colligendum glãdem octo dies, ad proprietatem dictæ Ecclesiæ & memorati Episcopi, & successorum eius: hæc omnia vt supra præfati sumus Nos præfatus Secundus Riccardus Capuanus Princeps in iam memoratæ Ecclesiæ Dei, & Beati Proculi Martyris Christi per hoc principale scriptum in perpetuum damus, concedimus, tradimus, & confirmamus ad possessionem & potestatem, & dominationem iam dictæ Ecclesiæ, & præfati Domini Episcopi Mauri, & omnium successorum eius, & faciendã exinde vtilitatem præscriptæ Ecclesiæ remota omni inquietudine, & contrarietate & molestia omnium Principum successorum nostrorum, vel Viceprincipum, Comitum, vel Vicecomitum, Iudicum, Scultariorũ, Gastaldeorum, aliorumque omnium mortalium, & si quis, &c. *Ex concessione præfata Serenissimæ potestatis scripsi ego Ruriacus Palatinus Iudex in Anno Dominica Incarnationis 1135. Anno Principatus præfati Domini Secundi Ricciardi 20. &c.*

15. IOANNES viuebat anno 1153.

16. M. Puteolanus Episcopus interfuit consecrationi Ecclesiæ S. Gregorij Neapolis Vrbano III. sedente anno 1187. & canonizationi S. Io. Gualberti an. 1194. die 1. Octob.

17. RICCARDVS Puteolanus fuit Præsul anno 1237.

18. MATTHÆVS sub Gregorio X. obijt circa an. Dom. 1274.

19. ANGELVS successit Matthæo 1275. cui Carolus I. Rex decimas attribuit auri vnciarum duodecim, quas in timptoria Iudaicæ Neap. annis singulis percipere solitus erat, nec non decimas in portu Baiarum, & Sulphurariæ, &c. vt in regest. reg. Dat. Neap. 20. Decembris Indict. 4. eius mentio in monumentis Carthusiæ Capreorum ann. 1277. & 1279.

20. FRANCISCVS successor Angeli 1282.

21. ANGELVS II. anno 1284.

22. IOANNES Britus consecratur Neapoli Episc. Puteolanus die 14. Aprilis 1288. qua die ipse cum pluribus alijs Regni Prælatis, & Domino Cancellario, cum Rege Carolo comedit.

23. FRANCISCVS II. cuius mentio anno 1304. quo è viuis sublatus est.

24. NI-




24. NICOLAVS Sconditus sepultus in Choro Cathedralis Ecclesiæ anno 1308. habet ad tumulum hoc epitaphium.

. . . . Iacet corpus Reu.
Domini Domini Nicolai Sconditi Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episc. Puteolani, qui obijt
A.D. MCCC.VIII.
mense Septembri.

25. IOANNES anno 1309.

26. Fr. GVILLELMVS de Sallone Ord Minorum Sanctæ Reginæ à sacris cõfessionibus diù tenuit hanc Puteolanam Ecclesiam, ex qua translatus fuit ad Auersanũ Episcopatum à Ioanne XXII. anno sal. 1324. Kal. Iunij ex regest. Vatic. eiusdem Pontificis epist. 1547. ann. 8. de quo etiam Vvadingus Annal. Minor.

27. Fr. PAVLINVS ex eodèm Minorũ ordine Guillelmo immediatè successit eodẽ anno 1324. 12. Kal. Iulij, ex eod. regest. Vatic. reperitur hanc rexisse Ecclesiam ad annum vsque 1344. quo è viuis exemptus est.



28. LANDVLPHVS Neapolitanæ Ecclesiæ Cimiliarcha, defuncto Paulino ad hanc Sedem promotus est à Clemente VI. anno

1344. 3. Non. Iulij ex regest. Vatic. epist. 58
A fol. 37. anni 3. eiusdem Pontificis. Ferunt Landulphum hunc fuisse ex vetusta, ac nobilissima familia Capicia Latra, de qua legendus Burellus in notis ad Aelium Marthesiũ de nobilibus familijs Neapolitanis.

29. ALOYSIVS. anno 1377. memoratur in notis Puteolanis ad me missis, de quo tamen in regest. Vatic. nulla extat mentio.

30. FRANCISCVS reperitur huius Ecclesiæ Episcopus anno 1380. vsque ad annum 1390. an hic legitimus fuerit Episcopus, vel à Clemente VII. Pseudopontifice intrusus, incompertum est; quandoquidem hoc infelici schismatis tempore, duo, aliquando etiam tres miserè vexabant vnam, eandem-
B que Ecclesiam.

31. PETRVS 1387. in ijsdem notis tãtùm reperitur inter Puteolanos Episcopos. Hic fuit intrusus à Clemente VII. Antipapa ex lib. oblig. sub eodem.

32. NICOLAVS sedit anno 1389. de quo in libris oblig. Prælat. sub Bonifacio IX. clara extat memoria.

33. FRANCISCVS Puteolanus Episcopus sub Bonifacio IX. Lusitaniæ, & Algarbij Spoliorum Collector, & Apostolicus Nuncius fuit anno 1491. in ijsdem libris memoratur.

34. PHILIPPVS electus à Bonifacio IX. recognouit die 18. Aprilis 1495. pro Frãcisco prædecessore suo, & Nicolao ante prædecessore vt in ijsdem libris legitur. Hanc sedem administrauit annis tribus, translatusq; est ad
C Marsorum Episcopatũ ab eodem, anno 1398. 2. Non. Nouemb.

35. LVDOVICVS promotus anno 1399. Desijt anno 1401. ex eodem libro.

36. SIMEON à Lopa Neapol. Malphitanus Episcopus ad hanc Ecclesiam translatus anno 1401. eodem anno defunctus.

37. THOMAS Torrellus Canonicus Neap. successit Simeoni anno 1401. Kal. Iulij Sedit vsque ad an. 1405.

D



38. THOMAS Brancaccius Neapolit. electus Episcopus Puteolanus, antequam mu-

nus

nus consecrationis accepisset, translatus est ad Tricaricensem Ecclesiam anno 1405. deinde ob egregia merita, nataliumque præstātiam sub Ioanne XXIII. euasit Presbyter Card. ad titulum SS. Ioannis & Pauli. A

39. LAVRENTIVS de Gilotto Troianus, Episcopus Vestanus, huc translatus anno 1405. 3. Kal. Octob. Præfuit laudabiliter ann. 29. fato cessit anno 1434. Huic Ioanna II. Regina decimas confirmauit, quas antecessores sui habuerant in Ciuitate Neapoli super redditibus Gabellæ Timptoriæ anno 1421. pro quibus soluendis scripsit, deditque litteras huius tenoris.


Ioanna II. Regina, &c. B

Magnifico Commissario Regni nostri Siciliæ, eiusque Gubernatoribus, & Præsidentibus Cameræ nostræ summariæ Consiliarijs secretis quoque & Principatibus Terræ laboris, nec non emptoribus, & quibuscunq; Præceptoribus Iurium, redditiuum & prouētuum gabellæ Timptoriæ Ciuitatis nostræ Neapol. gabelloris, seu Credenzerijs fidelibus nostris præsentibus, & futuris dilectis, gratiā & bonam voluntatem. Significamus vobis, quod sicut Nobis plenè constat, maior Puteolana Ecclesia, & Puteolani Episcopi, qui præteritis temporibus dictæ Ecclesiæ præfuerunt ex concessione Catholicorum Principū Siciliæ Regum Illustrium prædecessorum nostrorum memoriæ recolendæ consueuerunt annis singulis habere & percipere vncias duodecim de Carolenis argenti ponderis generalis pro decima ipsi maiori Puteolanæ Ecclesiæ debita super redditibus, & prouentibus gabellæ Timptoriæ ipsius Ciuitatis nostræ Neapolis, & à certo similiter tempore habuerunt percipere, & perceperunt ad literas Illustris quondam Ioannæ, olim Hierusalem & Siciliæ Reginæ, dum dicti Regni nostri Siciliæ administratione legitimè fungebatur super iuribus gabellæ prædictę in excambium ipsi Ecclesiæ singulis annis debitæ, & percipi consuetæ per Præsules dictæ Ecclesiæ, qui per Episcopum fuerunt in ead. super quibusdam arbustatis nostris demanijs Curiæ nostræ sitis in pertinentijs nostrę Puteolanę concessis ab olim per dictam Reginam tunc viuentem regali nostro Hospitali S. Mariæ de Vipergulis, aliam vnciam vnam, & tarenos sex in Carolenis prædictis, ad quam quantitatem dictæ decima ascendere ponebatur, quas quidem ambas decimas ad summam vnciarum tredecim, & tarenos sex ascendere dicta maior Ecclesia Puteolana, & eius Præsules prædicti, & signanter R. P. L. præsens Puteolanus Episcopus, orator & fidelis noster dilectus à certis præteritis retro temporibus super iuribus prædictis percipere, &c. Nos vero, &c. anno Domini 1421. primo die mens. Iunij 14. Indict. regnorum nostrorum anno septimo. C D

40. MATTHÆVS Custlas, seu Didicus, vel Dominicus Tropeiensis, eligitur Episcopus Puteolanus in demortui Laurentij locum ab Eugenio IV. die 5. Aprilis 1434. obijt nondum exacto anno à sui præfectura.

41. Fr. LAVRENTIVS de Neapoli Ordinis Minorum alumnus ex electo Episcopo Rauellensi, euasit Præsul Puteolanus 12. Kal. Martij anno 1435. Duodecim omninò annos cum laude prudentiæ hanc rexit Ecclesiam, deinde ad Tricaricensem translatus est anno 1447. 3. Kal. Aprilis, vbi extrema clausit. Errat Iulius Cæsar Capaccius, ex quo Herrera in Alphabeto Augustiniano, cū asserit hunc fuisse ex Ordine Eremitarū S. Augustini, etenim Acta Cōsistorialia Eugenij IV. illum assumptum ad Puteolanam Ecclesiam ex Ordine Fratrum Minorum rotundè tradunt. Vvadingus tom. 5. Annal. Minor. ex regest. Vatic. electionis diploma affert ijs verbis exscriptum.

Dilecto filio Laurentio de Neapoli electo Puteolano. Ritè siquidem Ecclesiarum vtilitati, &c. Dudum siquidem bon. mem. Dominico Episcopo Puteolano, regimini Puteolan. Ecclesiæ præsidente, Nos cupientes, &c. Postmodum verò prædicta Ecclesia per obitū ipsius Episcopi qui extra Roman. &c. vacante, &c. Dudum à te Ordinis Fratrum Minorum, Datum, &c. Roma apud S. Petrum anno, &c. Datum 12. Kal. Martij anno quarto. De quo etiam idem eod. to. ad ann. 1447. dum eius translationem ad Tricaricensem Ecclesiam recenset.



42. LVDOVICVS de Constantio filius Alexandri, magna generis claritate, audacia, ac genitoris potētia suffultus, Puteolani Episcopatus, indulgente Alphonso Rege, ac superstite Laurentio Episcopo inuasit administrationem, quam cum per annos quinque tenuisset, à Nicolao V. Papa post translationem Laurentij ad Tricaricensem, legitimus declaratus est Puteolanus Præsul pridie Kal. Iulij anno 1447. cum prius, hoc est mense elapso Iunij, omnium delictorum veniam ab eodem Pontifice liberaliter recepisset, vt in ab-

absolutionis literis plenius continetur, quas A
hic exhibemus ab exemplari.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilecto filio Ludouico Cõstantio Clerico Puteolano salutem & Apostolicam benedictionem.

Solet Apostolicæ Sedis clementia recurrentibus ad eam cum humilitate filijs post excessum benignè consulere, & dum id suppliciter postulant, suæ benignitatis gremium aperire. Cum itaque sicut pro parte tua nobis exhibita petitio cõtinebat, tu olim dum Venerabilis Fr. noster Laurentius Episcopus Tricaricensis verus, & legitimus Puteolanus Episcopus tunc existeret, laicali potentia fultus, & nulla concessione seu facultate canonica tibi desuper suffragante de B
regimine, & administratione bonorum ad mensam Episcopalem Puteolorum spectantium per quinquennium, & vltra, citra tamẽ sex annos te ingesseris, ac fructus, redditus, & prouentus interim ex illis prouenientes perceperis, & ad statum tuum tunc tenendum conuerteris, licet de facto. Nos volentes te aliàs apud nos de vita, & morum honestate, alijsque probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, fauore prosequi gratioso, de fratrum nostrorũ consilio, auctoritate Apostolica, omnem inhabilitatis, & infamiæ maculam, siue notam per te quomodolibet præmissorum contractã occasione; Tenore præsentiũ penitus abolemus, necnõ omnes & singulos fructus, reddi- C
tus & prouentus per te malè perceptos, prædicto tibi plenariè remittimus, & donamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ abolitionis, remissionis, & donationis infringere, vel ei ausu temerario cõtraire. Si quis autem hoc attentare præsũpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurũ. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo. pridie Kal. Iunij. Pontificatus nostri anno primo.*

Cæterum Ludouicus Pontifex fuit nõ diu eodem quippè anno, vel obijt, vel ad aliam D
dignitatem translatus est.


43. ANGELVS de Constantio Puteolanus; patriæ Sede potitus est eodem anno 1447. sub ipsomet Pontifice Nicolao, vt Acta indicant Consistorialia.

44. LAVRENTIVS sub Paulo II. vixit anno 1465.

45. THOMAS Carafa Neapolit. anno 1470. obijt 1473.



46. PYRRHVS de Azzia nobilis Capuanus electus à Sixto IV. anno 1473. 5. Kalen. Octobris excessit anno 1493. fuitque vir egregiè doctus & probus.



47. IACOBVS Vrsinus Romanus electus anno 1493. die 2. Decembris, incertum an obierit ante consecrationem, vel cesserit aut ad aliam dignitatem fuerit translatus, tãtum eius electio habetur in Actis Consistorialibus.

48. ANTONIVS Iconia Licciensis ab Alexandro VI. pronunciatus est Episcopus Puteolanus ex regio Cappellano & Episcopo Vgentino die 7. Martij 1494. vir omnium virtutum genere amicissimus, sic & nepos ipsius Angelus Episcopus Castrensis, hanc cum eximiè annis viginti rexisset Ecclesiam, sortis munus impleuit anno sal. 1515. corpus eius cum honore condigno conditum est in Cathedrali cum hocce epitaphio.

Antonius Iaconia Liccensis Episc. Puteol. maiorque reginalis Cappellanus LXX. annis cum omni vitæ integritate vixit, suam pontificiam dignitatem xx. ann. officiosè gessit, vitæ munere defunctus MDXIV. Christi. Anno vero III. Sanctiss. Papæ Leonis con-

conditur: tamen hic sibi tumulum vbi suos insignes virtutum titulos etiam post funera seruat. Omnes hic in Christo legentes valete, & pro eo semper Iesum orate.



49. BERNARDVS Tarlatus de diuitijs Card. Bibiena hanc habuit commendatam Ecclesiam die 19. Martij 1514. quam eodem anno die 6. Iulij cum regressu resignauit, annuente Leone X. Pontifice.

50. SIMON de Vernaculis adlectus est Episcopus die 6. Iulij 1514. Obijt 1537.



51. CAROLVS Borromæus Mediolanensis, Comitis Ludouici, & Mariæ Blanchæ Longhignani filius, doctrina, vitæ munditia, ac rerum experientia clarus, Caroli V. Imp. magnus Cubicularius & Consiliarius ex Episcopo Vgentino translatus est ad Puteolanam hanc Ecclesiam die 6. Iulij 1537. floruit in hac dignitate plus minus annis tribus, mortuusque est vir eximius anno 1540 cuius faustum nomen hæreditauit magnus ille Sanctus Carolus Card. Borromæus Patriæ Archiepiscopus.

A



B

52. BERNARDINVS Castellarius alias *della Barba* Casalensis Episcopus ex delectu & nominatione Philippi II. Hispaniarum Regis Puteolanam accepit Ecclesiam die 20. Aug. 1540. quam cum rexisset ann. 2. liberè eam dimisit reuersus ad priorem Casalēsem suam sponsam, de quo ibi.

53. IO. MATTHÆVS Castaldus Neapolitanus germanus frater Ioannis Baptistæ Marchionis Cassani, Comitisque Platinæ, militari scientia, rebus strenuè gestis supra fidem celebratissimi, ex Monacho Oliuetanæ Congregationis in gratiam fratris à Philippo II. Rege postulatus, euasit Episcopus Puteolanus die 15. Februarij 1542. cum dispensatio-

C

ne super defectu Natalium, quibus patiebatur, eam Ecclesiam quatuor & quadraginta annos strenuè, ac summa sui nominis fama administrauit. Neapoli nonagenario maior mortalitatem expleuit anno salutis 1585. sepultus in Ædibus Oliuetanorū, vbi prius monasticum sumpserat habitum. Hic Cathedrale templum igne, ac terremotu penè collapsum restituit, vt docet inscriptio ad parietes posita, hisceque verbis exarata in marmore.

Templum Ioui à Calphurnio F. prius, deinde D. Proculo dedicatum, tum mirabili terræmotu, ac

D

memorabili incēdio penè collapsū Ann. D. M D.XXXXVIII. Ioannes Matthæus Castaldus Puteolanus Antistes instaurauit.

54. LEO




54. LEONARDVS Vairus Beneuent. Canonicus Regul. Later. doctrina & morum probitate insignis, præficitur in locum prædefuncti Castaldi die 7. Ianuarij anno 1587. in ea Ecclesia administrãda magnum eidem ornamentum fuit; indefessè enim per annos 16. in vinea Domini laborauit, ac sanctè vt vixerat requieuit in pace anno 1603. Iacet in Cathedrali; ad cuius excitandam piam memoriam Martinus de Leon dignissimus successor hoc ei Cœnotaphium posuit.

D. O. M.

Leonardo Vairo
Lateranen. Ecclesiæ Roma *Vicario*
Episc. Puteolano Benemerentissimo
Pastoralis muneris laudibus insigniter ornato
Præclara, sed senescente ad nos delato, fama
Ne immortalitate dignis sua desit vita cineribus
Ne desint exempla posteris,
præmia virtuti
Hunc ei
Hunc fratris Episc. tumulum
D. Franc. Martinus de Leon,
& Cardenas
Hispanus ex sacra Eremitarum religione D. Augustini
Episcopus Puteolanus, inter Papæ Assistentes
Regios Consiliarios cooptatus
Anno salutis humani generis
MDCXXXIV.



55. HIERONYMVS Bernardus de Quiros Hispanus Monachus Cisterciẽsis Ordinis, magni & curiosi ingenij vir, antea Episcopus Stabiensis, seu Castri maris ad hanc Puteolanam Ecclesiam translatus est die 3. Augusti 1604. Sedit incorrupta fama annis vndecim, Romæ morbo correptus excessit anno 1615. corpus eius post plurimos annos Puteolos relatum in Cathedrali reconditum est anno 1639.



56. Fr. LAVRENTIVS Mongioius Galatinus, aliàs de S. Petro Ordin. Minorum districtioris obseruãntiæ, olim Episcopus Minerbinus, inde Archiepiscopus Lancianẽsis, ad hanc Puteolanam Ecclesiam translatus die 27. Nouembris 1617. Præfuit plus minus annis 13. & aduersantis fortunæ aliquando expertus aculeos, Romæque in Mole Adriana quæ illi obijciebantur à multis, purgare coactus est. Obijt anno 1630.



57. Fr. MARTINVS de Leon, & Cardenas Hispanus, in Betica Prouincia nobili genere natus Ordinis Eremitarum S. Augustini insignis Theologus ex Episcopo Triuĕtino ad Puteolanam Ecclesiam trāslatus die 7. Aprilis 1631. solemni ritu Puteolos ingressus die 28. Iunij eiusdem anni. Hic innocentis vitæ, animique candoris fuisse narratur, tantæque liberalitatis in omnes, præcipuè in egenos, & in Ecclesiam sibi creditam ampliandam, exornandamque, vt in hoc genere mira de eo, nunquam desitura fama traducenda sit ad posteros; Statim enim vt ad clauum sedere cœpisset, Cathedrale Templū vetustate fatiscens à fundamentis noua & ampla molitione, coloratis, cælatisque marmoribus inchoauit, perfecit, sacrauit, ac magnificentius exornauit, sacraue nobili & insigni supellectile adauxit, condidit nouum sacrarium, in eoque suorum Antecessorum seriem, quam exquisita indagatione expiscatus est, pictura expressit. Episcopale Palatiū, censusque Episcopales mensæ auxit. Aream perangustam ad Templi decorem ampliauit, ibique perennem aquarum fontem adduxit, vias aperuit, totamque ferè ciuitatem pulchriorem reddidit; vnde ciuiū amorem promeruit. Nec minoris curæ fuit Martino Ecclesiasticus decor, quam ciuitatis cultus; namque illustrata cum ciuitate Diœcesi, Synodoque celebrata, latisque salutaribus legibus, Clerum ad puriores mores, populumque ad pietatem adeò breui tempore optimè institutos habuit, ac si recens viderentur in fide ecclesiasticisque disciplinis florere. Pauperibus, pijsq; locis tanquam indulgentissimus Pater, patrimonium, sumptusque ecclesiasticos suos deuexabat. Supra septem & decem annos in hac dignitate floruit, tantoque omnium amore, vt vocatus die 22. Augusti 1650. ad Panormitanam Ecclesiam omnibus mœrorem attulerit, quem deliniuisse visum est marmoreum dignissimi Præsulis simulachrum super columnam positum in Foro, eximioque hoc elogio ad basim sculptum, quod hic libet exscribere, cum in eo referantur res ab ipso præclarè gestæ, & grata Puteolanorum recenseatur memoria.

Illustrissimi, Excellentissimi, & Reuerendissimi Domini D. FR. MARTINI DE LEON, & CARDENAS *Ex Sacra Eremitarum Sancti Augustini familia, meritissimi Panormitani Archiepiscopi, Summi Pontificis Assistentis in Regno Neapolitano ab arcanis Consilijs Regis nostri Catholici, & eiusdem denuo in hoc Siciliæ Regno* LOCVMTENENTIS, ET GENERALIS CAPITANEI, *è pario marmore simulachrum quod fidelissima Ciuitas Puteolana eidem Excellentissimo Domino Præsuli sui munificentissimo, & Patri amantissimo media in Platea nuper erexit, in cuius Basi elogium hoc ad memoriam sempiternam insculpsit.*

D. O. M.

Ne mirere hospes
Augustum hoc è spirante marmore
simulachrum:
Aureum meretur, aureis hic moribus Heros,
Qui verè auream Puteolis reuexit ætatem;
Si tamen Orbi clarus, ignotus tibi,
Sacrorum cernis decus Antistitum,
Inclytam regnatricis Hispaniæ prolem,
Philippi IV. à latere Status Consiliarium
Summi Pontificis Episcopum Assistentem,
Catanensis primum, tum Zamorensis,
Mox Ecclesiæ Panormitanæ
Designatum Antistitem,
Demum
MARTINVM cernis
DE LEON, ET CARDENAS,
Virum spontè nomine gloriosum,
Tantaque insignem authoritate,
Vt in hoc Orbis angulo positus
Suo obsecundantem nutui
Totum propè flexerit Orbem.
Hactenus externa commendaui;
Verùm ad insitas æstimandas animi dotes
Sat pro virtutum compendio vna sit charitas.
Qua
Totum tuendo gregi præsulatum deuouit.

Et

Et sanè amantissimum Praesulem
Praeesse puduisset, nisi omnibus profuisset.
Hinc voluit egenis adeò esse consultum,
Vt redditus substantia largitioni deesset,
Verè MARTINVS in pauperum subsidia
Non dimidiata, sed tota clamyde spoliatus.
Hinc tale in eo perfugium miseri habuere,
Quo non modò ex periculorum angustijs,
E carceribus, laqueis, à Turcarum barbarie,
Sed vel è mortis faucibus exilirent innocui.
Praeterea quatenus in Ciuitate ornanda?
Quantus fuit in Ciuium commodis
procurandis?
Sub cuius quidem singularissimo patrocinio
Militia gradus, magistratus honores,
Episcopales quoque infulas Ciues obtinuere.
Porrò quam gloriosè desudauit in publicis?
Quot Regios Ciuitati fauores conciliauit?
Quanta eam tributi parte exonerauit?
Quam strenuè praesidia militum prohibuit,
Ni foret sumptu exhausta Ciuitas publico?
Carissimus quidem patriae parens
Studiosè fouebat, ac si generasset filios;
At noua exornatae iam vrbis facies?
At ipsa incolarum frequentia maior?
Quid aedificij, quid nobilium fontium,
Et vtilitas publica, & hilaritas?
Quid additus platearum ornatus?
Quid vrbs tota.
E ruinis emersa speciosior?
Nonne MARTINVM instauratorem suum agnoscit?
Proh Deum!
Parietes ipsi, ipsius tecta vrbis
Secundum eum fundatorem,
PATROBAM alterum,
Si loqui possent, viua voce consalutarent.
Ast vna pro cunctis, velut tacita loquitur,
Operosa Cathedralis Templi structura,
Quae his à fundamentis erecta
Cum solum Calpurnianam faciem
Ad illustrem antiquitatis pompam retineat:
Magnificentia operis,
Amplitudine molis,
Ornatuque aucta pretioso.
Velut aurea domus
In angustissima quam cernis forma collucet.
Sed fuerit ingens Puteolorum felicitas
Ad illustrandam opportunius vrbem
MARTINVM Praesulem è Coelo sortiri;
Longe maior fuit gloria
Sub Martino Praesule triumphasse
Caetera ergo decora sileat Puteolana Ciuitas,
Sileat clara vetusta originis incunabula;
Non autem quod Apostolica hic Ecclesia
Totius Italiae prima
A D. Patroba ex LXXII. Christi discipulis fundata,
Pauli eloquio, Petri praesentia confirmata.
Ingentique fuerit Martyrum cruore dotata;
Sed sileat, quod olim nobilis Dicaearchia,
Et merito parua Roma à Cicerone dicta,
Quod regnatricis iustitiae principatus,
Lectissimaque fuerit Imperatorum sedes.

Sileat cuncta, id vnum iactet illustrius;
Quod mirum, DVCE MARTINO,
Constantissima erga REGEM nostrum
HISPANVM fide
Popularium seditionum motibus immota
Restitit, pugnandoque restituit rem,
Erexitque pro tropheo titulum
Quo & à Neapolitanis tunc Proregibus.
ET A SERENISSIMO D. D. IOANNE
AVSTRIACO
Tam claris vocibus, quam patentibus litteris
Fuit Puteolana ciuitas salutata
Corona vniuersae fidelitatis.
Discant tamen posteri quo meriti iure;
Tanti quippe momenti fuisset
Puteolorum gentem inuictam non habuisse
Ac portu Baiani, arcisque praesidio caruisse
Ac interclusa penitus fuisse commercia,
Prohibitosque vectigalium commeatus,
Quibus Neapolitanae arces hinc alebantur,
Et vnica spes victoriae sic fouebatur.
Iure igitur optimo Puteolana ciuitas
Sollicitè clauum moderante MARTINO,
Non modo seditionum fluctibus incolumis,
Sed tenax fluctuantis Regni anchora fuit.
At quo animi ardore,
Qua fide pugnatum?
Certè tot magnanimos vidisset Leones
A LEONE Duce inflammatos ad praelium,
Spirare minas, lacessere hostem,
Malle mortuos seruare mordicus fidem,
Quam viuere perpetua ignominia famosos:
Ipsis in puerorum vultibus acer furor,
Bellicus in mulierum animis vigor
Bellica instrumenta gloriosè tractantium.
Vnaque fuit, & nobilium, & vulgarium
Ciuium
Generosa in armis fidelibus conspiratio,
Quod vno omnes fidelitatis amore flagrabāt,
Vnaque AVSTRIACI NOMINIS gloria
ferebantur.
At quam certam non auspicarentur
victoriam,
Si meliori fato,
MARTINVM habebant pro Marte propitium?
Et quibus vnquā poterat nutare tumultibus
Vrbis inuicta
CARDINE *fundata tam firmo?*
Vni
Qui haec praestitit
Praesuli meritissimo,
In difficillimis rebus moderatori faustissimo,
Verè patriae parenti amantissimo,
Vna omnium, gratissimorum ciuium
voluntate
Vt expressum marmore,
Sic insculptum cordibus
Simulachrum hoc
Puteolana Ciuitas erexit
Sui Praesulatus Anno xx. Domini
M. DC. L.

Cæterum Martinus hoc anno 1655. mense Nouembr. Panormi in senectute bona, omniumque bonorum luctu quieuit in pace, relinquens posteris gratam sui memoriam in gratia & benedictione, cadauer depositum in Metropolitana. Diù antea sepulchrum ex pario marmore sibi parauerat in Cathedrali Puteolana, cum inscriptione, quam hic exhibemus.

A

D. O. M.

Ne imparatum mors inopina
raperet
Vitam meditatione rexit mortis.
Mortem spe hebetauit immortalis vitæ.
Fatique nec negligens, nec metuens.
Se tumulo pridem.
Sibi tumulum nuper parauit.
D. Frater Martinus de Leon, & Cardenas
Hispanus, ex Sacra Eremitarum religione D. Augustini,
Episcopus Puteolanus, inter Papæ Assistentes,
Et Regios Consiliarios cooptatus.
Anno salutis humanæ.
MDCXXXIV.

B

58. Fr. IOANNES Baptista Capagna Ord. Minorum Districtioris Obseruantiæ, olim emeritus Generalis, in Hispania tunc Episcopus Dertusensis post Martinum translatus est ad hanc Puteolanam Ecclesiam die 22. Septembris 1653.

CAPVA.

CAPVANA METROPOLIS

Cuius Suffraganei sunt

Episcopi.
- Atinen. suppresus.
- Aesernien.
- Caiacen.
- Caluen.
- Carilonen.
- Casertanen.
- Suessanen.
- Theanen.
- Venofrinen.



ANTIQVA Capua Italicorum olim Vrbium pulcherrima, ac præstantissima felicissimo in agro, ipsoque Italiæ meditullio posita erat ad radices Tifati Montis à Vulturno fluuio tribus M. P. dissitas, ita vt non modò ex situs opportunitate, soli vbertate, amœnitateq; Felicis Campaniæ caput, & Metropolis, sed omnibus gentibus, bellorum præcipuè diuturnitate, & Romani Imperij æmulatione fuerit admirabilis. Difficile est valde tempus ad amussim inuestigare, quo Capua suum exordium & nomen desumpsisse videatur, quod ipsum haud mirum debet videri, cum aliæ vetustæ Ciuitates suam ipsarum originem referre solebant in multorum rationes. Cato & Sempronius ab Oscis conditam volunt. Halicarnasseus ab Aenea cæterisque Troianis ædificatam, & à Capy appellatam. Isidorus Siluio Capy Albanorum Regi tribuit. Liuius à Capy Samnitum Duce dictam existimat, vel à

A Falcone, sub cuius augurio à Tuscis condita est; qui prisca Tuscorum lingua Capys dicebatur, vt ait Seruius. Virgilius à Capy Aeneæ commilitone, qui eam condidit, dictam mauult lib. 10. *Capys huic nomen Campana dicitur vrbis*. Cuius sententiæ subscribunt Lucanus, Silius, & Suetonius in Cæsare Dictatore. Vrbis huius originem, & nomenclaturam ad Capym conditorem referens, in cuius sepulchro aeneam tabulam inuentam tradit, quæ Cæsari necem denunciabat. Strabo inde dictam existimat, quod esset duodecim Campaniæ vrbium caput, hoc est quod ipsa duodecim reliquis vndecim præesset. Plinius lib. 3. cap. 5. Capua inquit, ab vndecimo
B Campo dicta, qua ratione Maro-Campanam vrbem vocat, & Tullius, Liuiusque frequenter eius ciues, & incolas Campanos nominare videntur à Camporum vberrimorum cultu. Eam eodem teste Strabone primi Opici, & Ausones tenuere, dein Osci Tuscorum gens, à quibus Osca dicta. Hos eiecere Cumani, posteaque ijsdem pulsis, Etrusci eam ampliatam caput vndecim vrbium aliarum instituere, Vulturnumque Etruscorum dixere à vi-

cino Vulturno flumine, vt Liuius testatur. A Itaque ex ijs omnibus, mihi arridet illorum sententia, qui Etruscos Capuæ conditores fuisse affirmant, & à Campestri agro, vel à campo, Campanam, siue Capuam appellatã volunt. Sed vt veres sit, constat antiquissimã ciuitatem fuisse Capuam, opibus, superbia, armisque potentem, ita vt ausa sit Romanæ gloriæ aliquando inuidere, tametsi quandoq; Campani, eiusque ciues à Samnitibus magnis cladibus affecti se se Populo Romano dederint, nec multò post cùm defecissent, agri parte mulctati sunt, magnis deinde seditionibus conflictati Præfectos accepere, & leges à Lucio Furio Prætore. Capuam M. Cicero luxus infamia notans luxuriç & superbiç domiciliũ esse ait in Oratione de lege Agraria B cõtra Rullum, in & oratione post reditum in Senatu testatur Campanos semper superbos fuisse bonitate agrorũ. & fructuũ magnitudine, vrbisq; salubritate, & pulchritudine. Ex eadem copia, & rerũ omnium affluentia natã arrogantiã, quæ alterũ vrbi Romæ Consulẽ è Capua postulauit: eamq; luxuriẽ natam, quæ ipsũ Annibalem armis inuictũ voluptate vicit, & eneruauit. Potentẽ itaque, vicinamq; nec non inimicam semper, atque æmulam Romani Imperij, non minus quàm ipsa Carthago, ferocemque præsentis Annibalis amicitia, atq; societate Romani maximis copijs circumuallatam, & obsessam fame demum subiugarunt, Senatuque securi percusso ciuibus, reliquaque multitudine sub hasta venditis, vrbem, atque agrum omnem publicarãt. C Nec in posterum ciuitatis vllum corpus, non concilium publicum, non magistratus, aut Senatum vrbi permisere, vel vlla insignia reip. sed ædificia sedes aratorum esse iusserũt, vtique duntaxat vrbs à libertinis & institoribus, vilique operaria plebe frequentaretur, permissum fuit. In hunc itaque modum Capua afflicta iacuit vltra annos centum triginta, atque ager Campanus Populi Romani publicus fuit, vsque ad C. Cæsaris Consulatum, qui lege Iulia contra Senatus, optimatumque sententiam latam militibus eum viritim diuisit, Capuamque muro ductam, vt fragmenta Iulij Frontini apud Honuphrium Panuinũ D demonstrant, primus Coloniam fecit, Iuliãq; Felicem appellauit. *Speciosum per id tempus*, ait Vellius lib. 2. *adiectum supplementum Campana Colonia*. Ex eo quidem tempore resurgens auspicijs Imperatorum, floruit sub Populi Romani potestate, donec à Genserico Vuandalorum Rege capta, subuersaque est anno 455. ab Ostrogothis dein occupata, atque his pulsis à Narsetis restaurata, iterumque à Saracenis vastata, tandem à Longobardis sub 30. Ducibus delata anno 840. & in Monte Trifico, ab eo loco duobus millibus passuum in quo sita erat, à Landulpho seniore stirpe Longobardo, veterisque Capuæ Gastaldo, & Comite sub nomine Sicopolis ædificata, nec multò post, ob multa commorã-

A tium facinora igni tradita est, quam, vt ab ea calamitate liberarent Lando Comes, Landulphus Episcopus, cæterique fratres Landulphi filij, vt Erchempertus scribit, nouam Capuam, quæ hac tempestate extat, anno 856. condiderunt, ad Casulini pontem, vlterioréque Vulturni ripam, altero que lapide ab antiquæ ruinis, quæ ingentes cernuntur, iuxta Beatæ Mariæ Gratiarum ædem, humanæ quidem instabilitatis certissimi testes, ex quibus potentiam, ac superbiam veteris Capuæ colligere possumus. Locus, vbi vetus ciuitas erat dein magna ex parte dictus est S. Mariæ ab ea Ecclesia antiquissima ibi constructa & regio Surici dicebatur; ex quo cognomen Ecclesiæ S. Mariæ Suricorum. Sub Longo- B bardis dominata, adeo Capua noua potentia creuit, vt eius Comites, Beneuentanum aliquando occupauerint Principatum: hi Capuã tenuerunt ad annum vsque 1058. quo expulso Landulpho Pandolphi filio, Richardus Normannus Auersæ Comes Principatum obtinuit, insequutoque anno à Nicolao II. in celebri Synodo Melphitana confirmationem accepit anno 1172. in quo Capuanorũ Principatum Normannorum defecit successio, Sueni Normannis successerunt, his Galli Andegauẽses, istis Aragonei, donec qua fato, qua belli fortuna Capuanorum Principatus cum toto Neapolitano Regno ad Hispaniarum Reges peruenit, sub quorum æquissimo imperio felicissimè conquiescit. Porrò Capuæ C Comitum, Principumque seriem enarrarunt ex antiquis Erchempertus, Anonymus Cassinensis, alijque, è quorum penu Antonius Caracciolus, Michael Monachus ac nouissimè exquisita eruditione, ac diligentia Camillus Pellegrinus in Principum Longobardorum Historia: ille idem, qui de laudibus tũ veteris, cum nouæ Capuæ, earundemque origine, situ, dignitate, rebusque præclare gestis scripsit in Apparatu ad Antiquitates Capuanas. De laudibus tum veteris, cum nouæ Capuæ multi multa scripsere, quos lõgum esset enumerare; summatim tamen illos recensuit idem Peregrinus epistola ad lectorẽ p. 1. lib. 2. Iulius Cæsar Capaccius eiusdem origiuem, fortunas, ac laudes perstrinxit in D sua Neapol. Hist. Michael Monachus res sacras cõmemorauit. Peperit in omni memoria hæc ciuitas viros illustres, & fortes & sãctitate conspicuos, emicuit inter fortes Hector Ferramusca, qui corporis, animique robur in Gallico conflictu Ludouico XII. & Ferdinando Catholico imperantibus, acerrimè cum duodecim commilitonibus, totidemque hostium heroibus pro Rege, pro Regno, prone Italica inclyta natione ostentauit. Cæterum vt Capua sub vana gentilitate potens, famosa, & illustris fuit, sic non minus gloriosa fuisse memoratur, cum Christi fidem suscepisset: quando autem, aut à quibus illam primùm susceperit, facilè fuerit inuestigare, nec me fallet opinio, si dixero, vel ab eo ipso

Apo-

Apostolorum Principe Petro, vel à Prisco, eius alumno illuc misso, ordinatoque Episcopo primùm disseminatam fuisse, atque sub Ruso S. Apollinaris discipulo, Priscique successore altas egisse radices, & Christianæ pietatis extendisse confinia, pro qua non dubitarunt palmam subire martyrij; Semel plantatam fidem in persecutionum rabie, suo labore, suo sanguine constabillerunt Marcellus, Castus, Aemilius, Suturninus, Cassius, quorum meminit Martyrol. Roman. prid. Non. Octob. Priscus alter ab eo, qui primus Capuæ fuit Episcopus, Quintus, Arcontius, & Donatus, quorum memoris 5. Septemb. in Martyr. Rufus, & Carpophorus sub Diocletiano, & Maximiano passi. Quartus, & Quintus, quorum Natalitia habentur Romæ in via Lauicana ad centum aulas. Eorum corpora translata fuisse Capuam affirmat Mart. 6. Idus Maias. Beda 6. Kal. Decembr. celebrat Capuæ Nicanorem, Cassianum, & Felicissimum. Idemque Non. Nouemb. meminit Quarti Presb. Capuani, qui Iuliani, & Cæsarij Mart. corpora, quæ Tarracinæ ad mare peruenerant, vehiculo imposita, in suam domum pertulit. Antoninus adolescens inclytus martyr, cuius dias festus 3. Septemb. celebratur. Eurus, Quartus, & Pardus 5. Nouemb. Apuleius, & Rogatus cum socijs qui fortè Romæ passi sunt, quorum Natalis dies 5. Nouemb. Ex Capuana Ecclesia multi Sãcti, præclarique Præsules prodiere, è quibus sanè eluxit Germanus ille Sanctissimus, cuius animam Sanctus Pater Benedictus in sphęra ignea ab Angelis in Cœlum deferri conspexit, de quibus infra in Catalogo. Ioannes Casinensis Capuæ ædificati Monasterij Abbas, & Paulus Monachus sanctitate illustres Capuani fuere, vt Leo Ostiensis, Petrusq; Diac. scribunt, & Capuanus fuit Raymundus Ordin. Præd. Generalis Magister, S. Catharinæ Senensis Confessor, sanctimonia clarus. Iam inde Capua à primis Christianę fidei temporibus Episcopalem dignitatem obtinuit, primusque illius Antistes fuit S. Priscus, quem Petrus Apostolorum Princeps anno salut. 46. iam ordinatum Episcopum illuc dicitur destinasse, qui ibi Episcopatus thronum fundauit paruo ibidem in honorem Petri ædificato templo, quod interim voluit esse pro Cathedrali: Prisci successores per multa sæcula ab ipsis nempè Ecclesię incunabulis vni Apostolicæ Sedi proximæ obsequium præstolabãtur, donec anno 968. à Ioanne XIII. Pontifice Capuana Basilica in Campania Felici prima Metropolis effecta est, & Ioannes Landulphi Capuæ Principis frater ex Episcopo primus Archiepiscopus euasit, attributis eidem Atinensi Aesernensi, Aquinensi, Caietano, Fundano, Caiacensi, Carinolensi, Caluensi, Casertano, Sorano, Suessano, Theanensi, Venafrano Suffraganeis Episcopis, Ex ijs Aquinensis, Fundanus, Caietanus, Soranus ab Capuana subiectione immunes facti, vnam immediatè Apostolicam Sedem agnoscunt. Atinensis verò Episcopalis dignitas Innocẽtij III. temporibus suppressa est, in eaque Ecclesiæ dignitate Præpositus successit Sanctæ Sedi immediatè subiectus. Capuana Ecclesia, eiusque Archipræsules à Capuanis Principibus, Summisque Pontificibus, priuilegijs innumeris insignitos fuisse narrant; quorum tamen monumenta per plura periere, nec quicquam aliud, quam quod dictum, allatumque sit in Archiepiscoporum serie, insigne reperitur, eoque censu ditati sunt Archiepiscopi, qui satis sit ad quam maximam dignitatem alendam, cum annuus prouentus ad summam scutorum decem millium pertingat, taxantur verò in lib. Cameræ Apostolicæ ad florenos bis mille. Metropolitana Basilica nouæ Capuæ ex nobilis Architecturæ præceptis mirificè exornata exurgit SS. Stephano Prothomartyri, & D. Agathæ V. & Mart. tutelaribus consecrata, ac pretiosissimis reliquijs adornata superbit; in ea enim ex vetusta memoria requiescere narrant S. Prisci corpus, vbi & Brachium S. Stephani, Mascella Sanctæ Agathæ, Costula S. Laurentij, aliaque Sãctorum lipsana ab Ecclesię Thesaurario summa veneratione asseruantur. Insignitur Basilica hæc nobili Clero, & numeroso, in quo Decanatus, Archidiaconatus cum duobus Primicerija dignitate præeminent. Canonici quadraginta sunt cum ipsis dignitatibus, quorum primus in ordine Sacerdotali Archiepiscopus est, qui cum alijs fructus suos lucratur, dum diuinis assistit officijs. Presbyteri Mansionarij duodecim, septem Clerici, alijque quotidie diuinum pensum absoluunt. Seminarium, in quo sumptibus Archiepiscopi decem & octo pueri instituuntur, extat satis commodum, Est in Ciuitate insignis alia Ecclesia Collegiata D. Annũciatæ cum duodecim Presbyteris, quorum caput est Sacrista. Parochiales Ecclesiæ decem & septem. Monasteria virorum decem, Sanctimonialiũ tris Cœnobia Ord. S. Benedicti, vnum S. Claræ, alterum Mulierum pœnitentium, laicorũ Confraternitates 14. Hospitalia, & Mons Pietatis, & nobilis Prioratus & diues Militum S. Ioannis Hierosolymitanorũ, In hac vrbe, quæ ædificijs splendida, incolarum nobilitate, & virorum frequentia nobilis est, & Regni clauis, fidelium animæ recensentur 5200. Archiepiscopus ampla hoc tempore diœcesi gaudet, fœtaque populo; etenim ad 18400. alit mortalium, vbi triginta septem inter oppida, & pagos habet cum suis Parochialibus Ecclesijs ac Rectoribus ad animarum curam peragendam; in ijs duæ sunt Collegiatæ Ecclesiæ cum suis Canonicis, & Archipresbyteris, quorum vnus est ipse Archiepiscopus in oppido Sanctæ Mariæ Maioris, vbi nobile Palatium pro se, suisque successoribus æstiuo tempore habitandũ excitauit Camillus Meltius dignissimus Archipręsul. Sparsa plura Cœnobia, ac pia loca, & Oratoria in Diœcesi

cesi visuntur, quæ pietatem Capuanorum præseferunt: Huius Ciuitatis modò dabimus Antistitum seriem, quam magna ex parte è Sanctuario eruditissimi Michaelis Monachi concinnauimus, & vt cumulatior, atque absolutior, & sine errore hæc nostra lucem aspiceret, aliorum scriptis, ac Romanis monumentis vsi sumus.

CAPVANI EPISCOPI.



1\. S. PRISCVS vnus ex antiquis Septuaginta duobus Christi discipulis, meritò primus Capuæ Episcopus censendus est, quando in eam vrbem Episcopalem Sedem ab Apostolorum Principe Petro, cum quo Anthiochia Romam venerat, receptam primus inuexit, nostræ salutis anno 44. ardore fidei succensus, non modò Capuæ, sed etiam finitimis populis Euangelij lucem aperuit, exemplis, adhortatione, mirisque diuina virtute patratis miraculis, quibus gregem sibi commissum solidauit in fide; & ab Idolorum Sacerdotibus apud Prouinciæ Præsidem accusatus, fustibus cæsus, pugionibus confossus apud viã Aquariam, non longè à Capua, Martyrij palmam accepit, Kalen. Septembris. Corpus eo in loco sepultum post quadringẽtos annos à B. Matrona diuina reuelatione inuentum, ibidem extructa eius nomini Ecclesia, honorificè sub Altari reconditum est, quod deinceps anno Christi millesimo in Cathedralem nouæ Capuæ transtulerunt. Meminit Prisci Martyrol. Rom. 1. Septemb. Baron. in not. & to. 1. Annal. Ado, Vsuardus, Galesinus, & Petrus Natalis lib 8. . . 17. de Prisco hæc scribit. *Priscus discipulus fuit vnus ex antiquis discipulis Christi, licèt inter nomina septuaginta duorum discipulorum, qui à Dorotheo Abbate conscripti sunt, non reperiatur. Hic enim ille Pater familias fuisse asseritur, in* A *cuius domo Christus Pascha sibi parari fecit, & in eius cœnaculo cum discipulis discubuit, & eorum pedes lauit, vt Damasus ait. Hic post Ascensionem Domini veniens Romam cum Apostolo Petro, in partibus Campaniæ Euangelium prædicauit. Qui & apud Capuã in via Aquaria depositus est Kal. Sept. vt dicit Ado.* Acta Prisci leguntur in Breuiario Capuano; quoniam verò duo Sancti Capuæ Episcopi eodem nomine Prisci sunt appellati, error inde irrepsit, vt vtrinsque vitæ, gestaque confunderentur, sed Michael Monachus ex multorum annorum spatio, quod inter primum, & secundum Priscum intercurrit, errorem discussit in suo Sanctuario, vbi B asserit Priscum genere fuisse Hebræum, quod non placet Antonio Caracciolo de sacris monum. Neapol.

2\. S. SINOTVS Episcopus Capuæ & Martyr, de quo Musiuum Ecclesiæ S. Prisci in via Aquaria. Ita Michael Monachus, qui addit; In Ecclesia S. Prisci. Sanctus Sinotus adhuc ignotus, procedit in lucem. Is è vultu senili, totq; Episcoporum societate, agnoscitur Episcopus: & loco sibi ante Rufum attributo, agnoscitur secundus Episcopus Capuæ: & è corona, quam extollit, agnoscitur Martyr. De Sinoto nulla in Martyrologijs, nec diptycis antiquis Capuanæ Ecclesiæ habetur mentio; prodidit ex veteri musiuo Ecclesiæ S. Prisci, de qua, deque Sanctis, qui habent imaginem in eadem hæc scribit idem C auctor p. 1. Sanctuarij.

In Ecclesia S. Prisci Capuana Diœcesis extat pars antiqua Basilicæ, quam Sancta Matrona in honorem S. Prisci construxerat: Est opus rotundum, testudinatum, Tribuna vetus appellatur. Habet illa tribuna hemicyclum in fronte (seu dicamus absidem) in quo sexdecim ex opere tessellato sunt Sanctorum imagines. In medio hemicyclo à dextris aspicitur S. Petrus, & à sinistris S. Priscus: post S. Petrum, S. Laurentius, S. Paulus, S. Cyprianus, S. Fusius, S. Timotheus, & S. Agnes: post S. Priscum, S. Lupulus, S. Sinotus, S. Rufus, S. Marcellus. S. Augustinus, & S. Felicitas: Spatium subtus brachia Sanctorum Petri, & Prisci, duas habet imagines, breuiores tamen, cum inscriptione Sanctus QVARTVS, & QVINTVS.

D *Planè S. Agnes, & S. Felicitas altera contra alteram recto sunt vultu, & coronam habent in manibus: Sancti autem pallio superinduti, obliquo vultu, & quasi in Cœlum erecto, vtraque manu coronas extollunt. Terni conspiciuntur, suntque coniuncti Petrus, Laurentius, & Paulus: coniuncti quoque Cyprianus, Susius, & Timotheus: & ab altero latere coniuncti Priscus, Lupulus, & Sinotus, & post eos, Rufus, Marcellus, & Augustinus. Cum quatuordecim sint Sanctorum imagines, octo senibus; duæ iuuenibus, duæ viris, & reliquæ duæ adolescentulis assimilantur. Senes repræsentantur Petrus:* *Pau-*

Paulus, Cyprianus, Timotheus, Priscus, Sinotus, Rufus, & Augustinus: iuuenes Laurentius, atque Susius, viri Lupulus, & Marcellus: adolescentuli Quartus & Quintus.

Opus antiquum & pium quanta sit antiquitatis, pietatisque causa, veneratione dignum, ostendit bon. mem. Dominus meus Archiepiscopus Costa. Ille zelo pietatis, & antiquitatum eruditione nulli secundus, cum aliquando comperisset iconem sanctissimi Rosati ante hemicyclum erectam, grauiter indignatus, obiurgans Ecclesiæ Rectorem, & ciues, mox, nulla interposita mora, iconem inde amoueri, & alibi collocari præcepit.

Porrò imagines senum, esse imagines Episcoporum per se patet. Quis enim de Petri, vel Pauli, vel Cypriani, vel Timothei dubitabit Episcopatu? & qui de Episcopatu Prisci, & Rufi certissimi sumus scimus Episcopatũ Augustini notatum in tabulis Beneuentanis. Cum ergo SS. Priscus, Rufus, & Augustinus fuerint Episcopi Capuani, S. Sinotus & ipse credendus est fuisse Capuanus Episcopus. Habitu, vultu, gestu, illis omninò similis exprimitur, & dignitate similis non asseretur? Iã certa assertione dicatur Sinotus Martyr, & Episcopus, & tãquam Prisci successor, & Rufi decessor secundus in Episcoporum serie collocetur.

Illæ autem imagines iuuenum Laurentij, & Susij, quorumnam censeri poterunt, nisi Laurẽtij Romani Diaconi celeberrimi Martyris, & Sosij Diaconi Misenatis in nostra Campania Martyris quoque notissimi? & hinc consequitur, vt imagines illæ duæ virorum, Lupuli & Marcelli, presbyterorum esse censeantur, & eo magis, quia Marcellum Natalis, & Galesinus presbyterum apertè cõmemorant. Et quamquam ad cognoscendum Marcelli presbyteratum tenuis videtur lux illa, quæ a nostra pictura, & tenuis, quæ ab Auctoribus illis eluces; tamen hæ luces, coniunctæ simul, altera ab altera non parum accipit incrementi; & Marcellum fuisse presbyterum non obscurè cognoscimus. Quod si Marcellus presbyter fuit, cur non presbyter Lupulus etiam ipse? Qui sunt imagine similes, simili dicantur honore præditi, & Lupulus loco antecedens Marcello presbytero, dignitate dicatur saltem æqualis. De imaginibus verò adolescentulorum Quarti, & Quinti, quid restat dicendum, nisi esse illas imagines Acolythorum.

Et nunc intelligere possumus, non pro libito, sed magno studio has imagines sic esse efformatas, & collocatas: Nam quod aliæ senes, aliæ viros, aliæ iuuenes, aliæ adolescentulos repræsentent: quodue iuuenes & viri possenũ latera medij collocentur, hoc ad varietatem & pulchritudinem operis tessellati præcipuè facit: Et quod hi Sancti præ cæteris sint efformati, factum est, vt ab vno latere collocarentur, qui Capuæ omnium primi fidei testimonium sanguine fuso perhibuerunt; & ab altero, qui in tribus partibus orbis insigniores habebantur. Ex Europa eligitur Petrus, & Paulus totius Ecclesiæ culmina, & Romanæ vrbis lumina, quibus additur Laurentius, & ipse Romanæ Ecclesiæ maximum lumen. Ex Africa sumitur Cyprianus Africanorum celeberrimus Episcopus, Doctor, & Martyr. Ex Asia Timotheus sanctæ Scripturæ testimonio celebratus, & Episcopus Ephesiorum; adiungitur Sosius Misenas, vt qui erat in nostra Campania maximi nominis martyr. Hic Sosius, vt in Musiuo, ita apud Adonem Sussius dicitur in Martyrol. 19. Octobris. Itaq; ex hac pictura habemus extra Roman. Martyrol. Sanctorum nomina Sinoti, Lupuli, Augustini, & Felicitatis. Hactenus ille.

3. S. RVFVS à B. Apollinare ex Patritio, & Consule Rauennatensis militiæ Dux Capuam missus circa ann. Dom. 80. secundus à B. Prisco Capuanam Ecclesiam rexit, suoq; sanguine illustrauit. Hic à S. Apollinare stupendo miraculo ad fidem conuersus est. Etenim cum S. Apollinarem Rauenna eiicere cogitaret, filia, quam vnicè diligebat, ægrotare cœpit: ad quam sanandam cum S. Episcopus accersitus fuisset, non modò curata non est, sed Deo volente moritur, quo maioris miraculi daretur occasio. Sanctus itaque Apollinaris cum supplices Deo preces effudisset, defunctam Rufi filiam ad vitam reuocauit. Quo miraculo, ille cum tota familia, in qua vtriusque sexus 400. erant, ad fidem perductus ab Apollinare baptizatur. Postea verò cum se totum Christianæ seruituti dedisset, factus est Capuanus Episcopus: vbi cũ eius vrbis ciues ad Christum conuerteret, à Messalino Præside tentus, ob Christianæ fidei confessionem martyr occubuit 6. Kal. Sept. circa salut. ann. 80. vt Monachus scribit, de quo Martyrol. Roman. Beda, Vsuardus, Ado, ac cæteri recentiores. Agitur de eo in actis S. Apollinaris, quæ recitat Surius tom. 4. 23. Iulij, vnde & cæteri acceperunt, vt Petrus in Catal. lib. 9. c. 119. Hieron. Rub. Hist. Rauen. lib. 1. Fusius idem Monachus in Sanctuario Capuano 1. part. qui duos fuisse Rufos, & diuersos animaduertit, alterum S. Petri Apostoli comitem Thebarum Episcopum, cuius meminit S. Paulus Apostolus ad Romanos, dum ait, *Salutate Rufum electũ in Domino, & matrem eius matrem meam*, alterum nostrum hunc Rufum S. Apollinaris discipulũ, quem credit à S. Petro ordinatum fuisse Capuæ Episcopum.

4. S. AVGVSTINVS Episcopus Capuę, vt refert Monachus, cum S. Felicitate matre sua Capuę martyrium consummauit; quemadmodum coronæ, quas imagines habent in manibus, sanctos Martyrio coronatos ostendunt, ita m. s. Martyrol. S. Augustinum fuisse Episcopum docent, Molanus ad Vsuardum ex quodam m. s. 17. Kal. Decem. *In Capua S. Augustini.* in alio Kalen. *S. Augustini Episcopi & Confessoris.* in Martyrol. m. s. Mona-

nasterij S. Ioannis, & S. Mariæ Monialium 17. Kal. Decem. *Capua Natale S. Augustini & Felicitatis*. In Martyrol. m. s. Monasterij S. Petri apud Beneuentum 17. Kal. Decem. *Natale S. August. Capuani Episc. & S. Felicitatis matris eius*. Et in Martyrol. S. Sophię eiusdem ciuitatis. *Natale S. Augustini Capuani Episcopi, & S. Felicitatis matris eius, quorum corpora hic habentur*. Beneuentum corpora translata fuisse credam ab Arichio Principe: ille namque Princeps, vt habet Chronic. Cassin. sancta corpora ex diuersis Italiæ partibus per tempora diuersa adeptus, eodem, idest, ad Ecclesiam S. Sophiæ, nihilominus attulit, & per diuersa altaria in circuitu maioris altaris satis reuerenter locauit. In Martyrologio conseruato olim per P. Caracciolum, quod videtur esse Mediolanensis Ecclesiæ, 15. Kal. Nouemb. *Capuæ SS. Augustini & Felicitatis*. Ijs coniecturis Monachus asseruit in suo Capuano Sanctuario, S. Augustinum fuisse Capuæ Episcopum, tametsi Card. Bellarminus in suo prædecessorum Catalogo, quod exactissimè compilauit, non reposuerit.

5. S. ARISTÆVS Episcopus, & Martyr inter Capuanos Antistites recensetur à Monacho, à Card. Bellarmino prætermittitur. Martyr. Rom. 3. Septemb. *Capuæ SS. Martyrum Aristæi Episcopi, & Antonini pueri*. horum acta ab Vsuardo, Beda, & alijs celebrata, bellorum clade excidisse scribit Baron. in notis ad Martyrol. eadem die, licet in Breuiario Capuano de Antonino tantum agatur, quo tempore sederit Aristæus ignoratur: fortasse hic ille Aristæus est qui Sinuessanæ Synodo interfuit anno 303. & primæ sessioni subscripsit. Post hunc, idem Monachus Sanctos Quartum, & Quintum Martyres, quorum dies festus in Mart. Rom. 10. Maij celebratur, Capuanos Episcopos fuisse refert ex antiquo Breuiario; sed cum Baron. in notis, Romam corpora SS. Quarti & Quinti translata asserat, nihilque de Episcopali dignitate habeat, videtur asserendum non Episcopos, sed Martyres fuisse, dum & Card. Bellar. eos à suo Catalogo expunxerit. Alij plures absque dubio fuerunt Episcopi Capuani ad Magni Constantini vsque conuersionem, sed illorum nomina & acta incognita sunt.

6. PROTERIVS Episcopus Capuæ interfuit Romano Concilio sub Melchiade Papa in causa Cæciliani anno 313. cuius meminit Optatus lib. 1.

7. PROTVS successor Proterij, interfuit, & subscripsit I. Concilio Arelatensi tempore S. Siluestri Papæ anno 314. Baronius de Proterio, & Proto anno 313. & 314. admonet Protum & reliquos, qui secundo Arelatensi subscripti reperiuntur, esse illos eosdem Episcopos, qui interfuerunt Concilio Romano sub Melchiade, & nequaquam subscripsisse Arelatensi, II. scilicet anno 326. sed primo celebrato anno primo Siluestri, scilicet anno 314. & ex errore subscriptiones primi Arelatensis ad secundũ fuisse translatas, ideoque mendosè loco Proti legi Proterium. Profectò (nisi sit mendum in impressione) qui legit Baron. ann. 313. num. 25. & anno 314. num. 51. comperit illum confusè loqui, & nos nihil vrget, vt Proterium & Protum cõflemus in vnum, quia licet subscriptionum translatio ex errore contigerit; tamen intra vnius anni spatium, Protus, Proterio succedere potuit, & interesse primo Arelatensi anno 314. sicut ipse Proterius anno superiori 313. Rom. interfuerat Concil. Et quid mirum si intra eiusdẽ anni spatium S. Melchiades obijt, & S. Siluester Arelatense primum approbauerit?

Huius fortè Episcopi temporibus, post annum scilicet 324. quo Constantinus Imp. lustrali aqua regeneratus est à S. Siluestro Papa, condita est in vrbe Capua ab eodem Cõstantino Basilica in honorem Apostolorum, quam Constantinianam dixere, de qua sic loquitur Anastasius Bibliothecarius in Siluestro; *Eodem tempore fecit beatissimus Constantinus Augustus intra vrbem Capuam Basilicã Apostolorum, quam cognominauit Constantinianam, vbi posuit dona hæc. Patenas argenteas duas pensantes singula 20. Scyphos argenteos tres, pensantes sing. libras octo; Calices ministeriales 15. pensantes sing. libras decem. Candelabra ærea in pedibus denis, pensantia singula lib. 180. Phara anthara ex argento triginta, & donum quod obtulit possessionem in territorio Menterno. Massam Statilianã præstantem solidos trecentos & quindecim. Possessionem in territorio Cagetano præstãtem solidos octuaginta quinque. Possessionem Paternum in territorio Suessano præstantem solidos centum quinquaginta. Possessionem ad Centum in territorio Capuano præstantem solidos sexaginta. Possessionem in eodem territorio Suessano Guarnicam præstantem solidos quadraginta.* Hactenus Anastasius. Meminit huius Basilicæ Anonymus Salernitanus in Hist. Principum Longobardorum, quam nuper publici iuris fecit accuratissimè vna cum notis eruditus Camillus Peregrinus in hæc verba. *Enodare autem fidelibus volo, qualiter omnipotens Deus antequã Ariehis ad dignitatem perueniret principalem, ei ostendit, qualiter honorem, vigoremque ei redderet, nam quadam die dum cum ipso Principe Luitprãdo in Ecclesia B. Protomartyris Stephani, quæ sita est in veterrima vrbe Capua ab Imperatore Helenæ filio Constantino, eãque in honorem omnium Apostolorum dedicari decreuit, licet postea à Beatissimo Germano eiusdem Episcopo vrbis collatur (aliàs collatas) ab Imperatore reliquias B. Protomartyris Stephani, nec non & B. Agathæ virginis, proinde eam in honorem Protomartyris Stephani vocari iussit, vt diximus, dum in eadem Ecclesia Longobardorum, sicuti mos est, cum pugionibus accincti altari secus introissent, & vnusquisque dum desinenter oraret*

net, sic ille adolescens Arichis, Miserere mei Deus, labijs impressis canere cœpit, dum venisset vbi dicitur. spiritu principali confirma me. Illicò spatha illius contremuit, ac si quilibet illam concuteret; ille verò oratione cõpleta, cum pauore striatim suis collactaneis enodauit. Vnus ex eis, qui erat sapientior cæteris, talem sermonem erupit. De hac instabili vita minimè es, quantum mihi videtur, processurus antequam ad dignitatem principalem Dominus te perducat. Quod postea, annuente Deo, ad tutelam Longobardorum probauit euentus. Dum Dux nomine Luitprandus fuißet extinctus, vnd omnes Arichisium Principem acclamabant: quapropter ad principalem dignitatem honorificè illum asciuerunt: nam non vt assolent plurimi, per pecuniam, & per pollicitationes opprimere in mirum honorem, sed cuncti vno agmine coacti, licet non à se, sed ab illo, qui dixit. Vbi duo, vel tres cõgregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio illorum, illum Principem sublimarunt. Ad hæc, quæ de Basilica Constantiniana scripsit Anonymus addidit notas vtilissimas ad veritatem enodandam idem Pellegrinus, quæ hic non pigebit ipsissimis referre verbis. *Anonymus noster hoc postremo numero* videtur affirmare Constantinũ Magnum dicare voluisse omnibus Apostolis Basilicam à se Capuæ constructam, sed propositum non perfecisse suum: illam verò S. Germanum eiusdem Vrbis Episcopum reliquijs consecrasse S. Protomartyris Stephani, collatis sibi ab eodem met Imperatore. Quas assertiones à comperta horum gestorum veritate valde alienas breuissimis notatiunculis refellere visum est; sciasque Lector, Anonymi narrationem in scriptis Popp. Codd. haberi, qualem repræsentaui, etsi aliter ab alijs edita fuerint. *In honorem omnium Apostolorum*, Communis hac etiam ætate ea est opinio: sed magis placet (do verba Anastasij Bibliot. in Siluestro primo) Constantinum fecisse intra Vrbem Capuam Basilicam Apostolorum, hoc est Apostolis Petro & Paulo illam extruxisse, quibus singulis Romæ amplissima exædificauerat idem Imperator templa. Sanè indefinito Apostolorum nomine, non omnes semper venire conuenit duodecim Christi Saluatoris Principes ministros. Exemplum succurrit apud Ennodiũ Dictione 2. alijs oratione 6. quæ recitata est, vt titulus antiquus manifestat. *In dedicatione Basilicæ Apostolorum vbi Templum fuit Idolorum.* De cuius sanctificatione Auctor sic habet. *Christus ingressus est, respicimus, quibus fultus auxilijs. Venerunt cum eo Cælorum radij, Apostolorum diademata Petrus & Paulus, qui,* &c. En Basilica Apostolorũ consecrata non omnium est aduentu, sed Petri & Pauli duntaxat.

Dedicari decreuit. Ex te nunc mens fuit Constantino eam dicare Apostolis, quā tem non compleuit. At Ecclesiam Imperator à se denominauit *Constantinianam*, multiplicique supellectile ad vsus sacros, ac *massis & possessionibus*, hoc est fundis largè donauit, si prædicto est fides Anastasio. Quid igitur dicatio mox non est secuta: quam differre nefas erat, more nedum Ethnicorum, quem obseruo apud Plinium lib. 4. epist. 1. sed Christianorum si ritè verba S. Paulini Nolani cãpio. *Propterea*, ait ille, epist. 12. *& horum versiculos adijciendos putaui, quos illi in hoc oppido dedicanda Basilicæ parauimus; nam adhuc in opere est; sed propitio Deo, dedicationi propinqua, perfectionem operis, & dedicationem vna coniunxit vir Sanctus. Collatur ab Imperatore reliquiæ*; sic vnus papyraceus Codex notæ melioris. Alter, *collatas ab Imperatore reliquias*. Selige quam vis lectionem, dicet ab Imperatore, quas prędixerat, donatas reliquias S. Germano. Item quàm fœdum, nec vnum erratum. Sanctus ille Episcopus D. Benedicto notus, & coæuus, duobus integris sæculis posterior fuit Mag. Constantino: quo viuente dispertitæ reliquię S. Protomartyris in Italia nullæ: immò nullibi, corpore nondum reuelato. Accepit, esto, Germanus, illas ab Imperatore, sed Iustino Seniore, ad quem missus fuit Princeps claræ legationis à Romano Pontifice Hormisda, tumque S. Protomartyris nomen, clarescentibus signis ex vno eius passionis lapide apud Anconitanos exculto, religiosissimæ apud Italos venerationis erat; quam reliquiarum donationem cum Anonymus noster ex minus proba vulgi relatione accepisset, vel mente sua somniasset, nil curauit, siue alienã, siue suam desipientiam ad lydium authenticorũ Scriptorũ lapidem probare, qua negligentia pluries eũ laborasse, satis, superque constat. Sed esto voluerit ille; non à Constantino; sed ab innominato ibi Imperatore, S. Germanũ reliquijs donatum, eius tamen dicto assentiar, ne ego, Ecclesiamque à magno illo constructam, ac largè donatam indedicatam remansisse credam ad S. Episcopi tempora, hoc est ad integros annos biscentum? Certè mens Anonymi, nisi illa prior, haud alia ab hac fuit.

Proinde eam ad honorem Protomartyris Stephani vocari iussit. Idem iussit Constantinus; de quo dixerat. *Dedicari decreuit.* Sed his non amplius sisto. Verba illa obseruo; *Proinde eam, &c.* quæ indicant mihi priscum sacrum morem dicandi Ecclesias adhibitis eorundem Sanctorum reliquijs, quorum nominibus appellandæ fuissent, ijsdemque curatis ab eodem auctore constructionis, qui cætera quoque omnia solemnitatem condecentia suppeditabat; de quibus alibi est mihi dictum. Idque institutum, vt reor, siue Anonymum nostrum, siue enarratæ fabulæ impostorem in opinionem induxit, vt alteruter putauerit, Constantinianam Capuę Ecclesiam non assecutam decretum nomen Apostolorũ, quoniam scilicet Apostolorum omnium reliquias crediderit haud pręsto fuisse Constantino,

no, qui earum vice tradiderit alias *S. Protomartyris Stephani, & proinde eam in illius honorem vocari iussit*. At Apostolorum indefinito nomine iam dictum est, solos quandoque venire Apostolorum Principes, quorũ sacris certè Constantiniana illa sub ipso Cõstantino est dedicata. Anonymi igitur assertiones allegentur, qui anilibus fabellis fidem incautus præstans, veritus quoque non est asserere desumptum fuisse vaticinium de Principatu Arichis, ex verbis Psalmi 50. pessimè interpretatis, tum quoad Psaltæ mentem, tum quoad dignitatem Dynastarum Beneuẽtanæ Prouinciæ, qui tunc titulo Principatus, vti cœperat, cum Luitprandus imperabat. Veruntamen, si me audis, Constantiniana Capuæ Ecclesia nulla fuit alia, nisi quam modò dicunt, *Diui Petri ad corpus*, in locis sitã, vetustæ Capuæ. Hæc ille.

8. VINCENTIVS Episcopus Capuæ tempore S. Athanasij insignis habetur, interfuit Concilio Sardicensi anno 357. & ab ipso Anastasio in Apologia ad Constantinum Episcopus Campaniæ nominatur, & in Epistola ad solitariam vitam agentes dicitur Episcopus Capuæ Metropolis Campaniæ. Hic anno 325. erat Presbyter Romanus, & à S. Siluestro legatus interfuit Niceno Concilio. Sed anno 346. cum esset Episcopus Capuæ à Iulio Papa legatus est Mediolanum ad Constãtem Imperatorem acturus de Concilij Sardicensis Indictione, cui deinde anno sequenti interfuit, non tamen legati munere fungebatur. Ab hoc ipso Concilio cum Euphate Episcopo Agrippinæ legatus est Antiochiam ad Constantinum Imperatorem anno 348. Postmodum anno 353. à Liberio Papa missus ad Constantium Arelate commorantem acturus de Synodo Aquileiæ cogenda: at ibi Imperatoris importunitate victus, S. Athanasij damnationi subscripsit. Hunc tanti viri casum deplorat Liberius scribens ad Episcopos Osiũ Cordubensem, & Eusebium Vercellensem. At cum ipse quoque Liberius in eundem errorem lapsus esset, ad Vincentium scripsit, vt cum ipso literis pacem iniret anno 357. Verùm etsi Vincentius cum Arianis communicauit contra Athanasium subscribendo; tamen à recta fide non discessit; imò contra Arianos constantissimè se gessit in Concilio Ariminensi. Extat pro Vincentio testimonium Damasi Papæ, Ita Bellarminus anno 359. num. 35.

9. MEMOR, seu MEMORIVS Capuanam euasit ad Sedem ante annum salutis 400. S. Augustini temporibus, vt Baronius, & Bellarminus apertissimè docent: ad eum etenim extat Epistola eiusdem Augustini 131. eiusdemque meminit idem Sanctus Doctor lib. 1. aduersus Iulianum Memoris prædicti filium, cap. 4. & S. Paulinus Nolanus Episcopus, Epithalamio in eundem Iulianum, dum Capuanam moderaretur Ecclesiam, Concilium Capuanum ex Occidentalibus Episcopis Siricij Papæ auctoritate celebratum est in causa Antiochenæ dissensionis, & Bonosi cuiusdam Macedonij in Macedonia Episcopi hæretici negantis illibatam Dei Genitricis Virginitatem post partum, causa in iudicium deducta, cuius cognitionem Anysin Thessalonicensi cum Episcopis sibi subiectis Patres delegarunt, qui Bonosum cum suis sequacibus condemnauit, quosque ille ordinauerat communione Catholica priuauit. Adhuc in eadem Capuensi Synodo constitutum fuit, ne fierent rebaptizationes, reordinationes, & Episcoporum translationes, vt Baronius scribit ad annum 389. ex D. Ambrosij epist. 1. lib. 14. quæ est 78. qui Concilio interfuerat. Annus verò, quo celebratum est Capuense Concilium, incertus, Baronius de eo loquitur anno 389. probabile tamen videtur celebratum sub eodem Siricio anno 392. vt Monachus notat. Mortem obijt Memor ante annum Domini 415. quem beatæ memoriæ vocat Augustinus in eodem lib. 4. contra Iulianum filium. *Ego certè beatæ memoriæ Memoris patris tui non immemor, qui mecum nõ paruam inierat amicitiam colloquio literarum, teque ipsum mihi carissimum fecerat*. quibus verbis probum, ac literatum virum fuisse oportet. Et licet in breuiata Augustini Epistola, cuius loci fuerit Memor Episcopus non appareat, tamen Baronius, Bellarminus, alijque coniectant, Capuanum fuisse Episcopum, quorum auctoritate in Catalogo inter Capuanos Præsules meritò fuit, adscriptus. Memoris germanũ fratrem fuisse Aemilium Beneuentanum Episcopum arbitrati sunt ex epithalamio Paulini ad Iulianũ, Marius Vipera in Catal. Beneuentanorum Episc. & Monachus in Sanctuario, quod omnino non placet Camillo Pellegrino in Apparatu ad Capuanas antiquitates.

10. IVLIANVS Memoris superioris ex legitimo thoro filius, liberalibus, humanioribusque disciplinis versatus, adhuc iuuenis ex Diacono, patri successit in nobili Capuanã Ecclesia, vt Gennadius tradit, confirmatque Baronius; sed Episcopus factus circa annum Dom. 418. fastu tumidus, literarum secularium inflatus superbia, ac iuuenili temeritate impulsus Pelagianam amplexus est hæresim, eiusque propagator, erumpens in maledictis in Sanctum Augustinum ipsius amantissimum quatuor libros virulẽtos euomuit, & duas epistolas scripsit, alteram ad Romanos, alterã ad Orientales; quare à Zozimo Papa damnatus est anno 418. & sequẽti, mortuo Zozimo, oborto que schismate, maiores infelix sumpsit vires, & tunc inter ipsum, & S. Augustinum scriptis agitata disputatio est. Ab Episcopatu deiectus Constantinopolim anno 430. fugit, vt Theodosiũ Imperatorem interpellaret. Ibi se Nestorio coniunxit, quẽ anno 431. sequutus est Ephesum ad Conciliabulum. Anno 439. Romam rediit, vt à Sixto III. in communionem reciperetur,

peretur, repulsus tamen fuit: cuius damnatio à Cœlestino quoque Papa approbata iam antea fuerat: à Leone tandem Sixti successore contusus fuit anno 444. de quo fusè Baronius, & Gennadius addit, ad aliam artem esse conuersum, nimirum vt hypocrisi deciperet, quos non valuit doctrina seducere. Hic Iulianus, sit, eleemosynis tempore famis & angustiæ indigentibus, omnibus suis prærogatis, multos miserationis specie, nobilisa præcipuè, & religiosorum illiciens, hæresi sua sanciauit. Cæterum cum Iulianus à Prospero Aquitano dicatur Campanus Episcopus, ab aliquibus Eclanus, vel Heclanensis, Atellanus, seu Atellanensis, & Celenensis, suspicati sunt nonnulli, inter quos eruditus Camillus Pellegrinus in apparatu ad Capuanas antiquitates discursu 1. Iulianum hunc infaustæ memoriæ virum, non Capuanæ Ecclesiæ Præsulem, sed vel Eclanensis siue Heclanensis tunc Campaniæ Ciuitatis fuisse Episcopum, vnde Campanum dixere, idest in Campania. Michael verò Monachus validis rationibus, doctissimorumque Baronij, Bellarmini, aliorumque eruditorum virorum censuit Iulianum ab Episcopatu deiectum Capuano, se appellare cœpisse à locis, in quibus vel vt ciuis, vel vt erro, & profugus versabatur: quærebat miser locum, vbi contra suæ damnationis sententiam Episcopus haberetur, miser in pertinacia stetit, donec Leo Papa, S. Prospero adiuuante, omnes conatus damnati viri omninò fregit anno 444. Ex his apparet, nullum esse efficax argumentum, ait idem Monachus, vt cogamur Iulianum à serie Capuanorum Episcoporum expungere.

11. S. PAMPHILVS Capuæ Episcopus, de quo Martyr. Rom. die 7. Sept. ignoratur tamē quo anno vixerit, quone tempore sederit.

12. S. PRISCVS Iunior Africanus Episcopus in Vuandalica persecutione, ex Africa, ad Campaniæ littora Deo disponente peruenit, Capuæ consedit, eiusdemque datus est Episcopus circa annum Domini 443. vbi piè obijt, eiusque festum celebratur prima Septembris, cuius acta recenset Monachus ex Rom. Martyrol. & veteri Capuano Breuiario vna cum notis, quæ hic verbatim licet recitare. *Kalendis Septembris Capua*, item alterius Prisci Episcopi, qui vnus fuit ex illis Sacerdotibus, qui in persecutione Vuandalorū ob fidem Catholicam variè afflicti, & vetustę naui impositi, ex Africa ad Campaniæ litora peruenerunt, & Christianam disciplinam in ijs locis dispersi, diuersisque Ecclesijs præfecti mirificè propagarunt. Fuerunt autem eius socij Castrensis, Tammarus, Rosius, Heraclius, Secundinus, Adiutor, Marcus, Augustus, Elpidius, Canion, & Vindonius. Breuiar. Capuan. Temporibus Valentiniani, & Valentis Augustorum in partibus Orientis Apollinaris Laodicensis Episcopus, à fide Catholica, pro cuius amore multa composuerat opuscula, deuians, hæresim cōdidit,

A quæ hactenus nomine ipsius nuncupatur. Atque eodem tempore Valens Augustus à Leōtio Arianorum Episcopo baptizatus, Christianam persequutionem misit: quique in quarto Imperij sui anno ipse Valens Augustus talem dedit legem, vt etiam Monachi cōpulsi arma bellica tractantes, sæculo isti magis, quàm Deo militarent: Nolentes verò sustibus, & tormentis necarentur. Vnde factum est, vt Ministri tam execrabilis iussionis, Africam attingentes, dum quadam in Ciuitate multos Sanctos, iussa Principis contemnentes, diuersis interimerent pœnis, & viderent se nihil proficere, eiectis de carcere, qui tenebantur, applicatoque vno ex eis, qui Priscus dicebatur, ornato moribus, patientia, &

B Episcopatus honore dixerunt. Quare iussis Principum non obeditis, vt arma tractetis bellica, & effugiatis tormenta, quæ vobis præparantur? Beatus Priscus respondit. Tormenta vestra non pertimescimus, quoniam Deum habemus in cælis, cuius arma induti, resistimus Diabolo, & Principi vestro. Tūc videntes maligni ministri constantiam eius, inito consilio, vt suo placerent Principi, nanē iusserunt vetustissimā præparari, vt illic beatissimus Priscus, cum alijs, qui remanserant, sanctis, impositi, alto pelago pertusa naui maritimis feris traderentur in pastum: Expletis verò iussionibus impiorum, gubernante Deo, qui Sanctos suos non derelinquens, in æternum conseruat, illæsi, atque psallentes in

C Campano litore peruenerunt. In qua Prouincia, singuli, Angelo præeunte duce, per diuersa loca sunt concessi custodes, Beatus autem Priscus Episcopus Capuæ est donatus à Domino, temporibus quidem Valentiniani. Ex Martyrologio satis constat expulsionem S. Prisci, aliorumque Sanctorum ex Africa contigisse tempore Vuandalicæ persequutionis, ideoque cum Baronio, quod dicitur, hic de temporibus Valentiniani, & Valentis omninò corrigendum est, vt nos in vita Sancti Castrensis supra notauimus. Apollinaris, ciuis Laodicenus, non Episcopus, quatenus ex Annal. Bar. colligi potest; tamen Breuiatio nostro consentit Sigisb. in Chron. an. 383. & Ado an. 364. qui Laodiceæ, seu Laodicenū

D Episcopum nominăt. Bellarm. quoq; de Script. Ecclesiast. nominat ipsum Episcopum. Hic eximius Doctor, ingenio verè mirabili, non sacris tantum, sed poeticis etiam facultatibus eruditus, Iuliano Apostata imperante, & deinceps magna cū laude in Ecclesia versabatur. Hunc S. Hieronymus Antiochiæ docentem colebat, audiebatque: At miser, suo fretus ingenio, lapsus in falsa dogmata, à Sanctis omnibus impugnatus sibi & à Damaso Papa in Romano Concilio damnatus: tandem imperante Theodosio, infelix hæresiarcha migrauit è vita. Baron. tom. 4. ann. 371. & ann. 373. Valens Augustus, Mortuo Ioniniano Imperatore Valentinianus anno 364. 5. Kalen. Martij creatus est Imperator, qui mox

mox Kal. Aprilis Valentem fratrem Imperij A
collegam assumpsit ,; eoque relicto in Orien-
te, ipse in Occidentem se se contulit . A prin-
cipio ambo Catholici , qui fuerant catholicæ
fidei Confessores, quando,ne Iuliano Aposta-
tæ sacrificanti obtemperarent , baltea depo-
suerant . At Valens anno imperij 3. pugna-
turus contra Gothos, Thraciam populantes,
sancto baptismate pro diuina sibi concilianda
gratia intingi volens , vxoris Arianæ lenoci-
nio delinitus , ab Eudoxio Constantinopolis
Episcopo Ariano se se baptizari permisit.
Hinc Orientalis Ecclesia Arianorum procel-
lis exagitari cœpit : Verùm anno 375. idest
duodecimo Imperij sui , defuncto Imperato-
re Catholico, quem verebatur, Fratre Valen- B
tiniano, effrænata libertatis audacia legem
tulit, vt Monachi militarent : nec persequu-
tio quieuit, donec anno 378. idest imperij
decimo quinto , in prælio sagitta percussus,
agrestem ingressus casam, ibi, ipsa nimirum
casa ab inimicis incensa viuus exarsit : Hæc
Baron. to.4. in prænotatis annis .

Sanctis alijs . Quam magna fuerit multi-
tudo Christianorum , qui in nauim illam im-
pulsi,vel sponte sunt ingressi , satis claret ex
vita S. Castrensis, ex qua nec obscurè colligi-
mus Sanctos duodecim, & ibi, & hic in Mar-
tyrologio nominatos fuisse Episcopos & Pa-
stores plebium, earumque duces in adeundo
persequutorum tribunalia , & subeundo pro
fidei confessione tormenta .

Oppida . Quibus oppidis , seu Ciuitatibus C
hi socij S. Prisci præfecti fuerint (vno exce-
pto Castrense, qui in agro constitit Suessano)
certò non constat . Creditur autem Secun-
dinus præfuisse Troiæ, quæ dicebatur Ecana:
Marcus Bouini , Adiutor Cauæ , Tammarus
Beneuenti, Canio Acheruntiæ , Elpidius A-
tellis : de Augusto , Vindonio , Rosio , Hera-
clio, lux nulla . Sed obstant Acta S. Castren-
sis, in quibus habetur Sanctos impetrasse à
Domino, vt ipsorum omnium corpora intra
vnius patriæ fines sepelirentur . Quare intra
fines Campaniæ , idest Terræ laboris consti-
terunt omnes : & S. Tammarus dicitur obijs-
se in loco nunc Auersanæ Diœcesis , qui vo-
catur Vicus de Pantano , olim vt legi in In- D
strumento S. Ioannis ann. 946. Vicus à S. Tā-
maro, & ibi ostenditur eiusdem Sancti Sepul-
chrum .

Sed planè quanquam hi Sancti Confesso-
res diuersis Oppidis sunt attributi Custodes ;
tamen in Capuana Diœcesi ferè omnium vi-
get memoria . Castrensis habet Ecclesiam
Parochialem in Castro Maris Vulturni, ha-
buit alteram inter Marcianisum , & Magda-
lunum ; imò & aliam, quæ extabat ann. 1125.
in loco, *alla fontanella* propè Riuum de Cal-
uo ; & quarta extabat ann. 1173. in territo-
rio Cancielli . Secundinus habet etiam ho-
die plures Ecclesias Parochiales , vnam in
pago eiusdem nominis, alteram in pago Bel-
lonæ , tertiam in Sabiniano , & olim aliam

in territorio Castelli ad mare . Tammarus est
Ecclesia pagum nuncupationis eiusdem in
via noua Neapolitana , Augustus habet Ec-
clesiam dirutam non longè à pago S. Prisci :
Fuit olim ibi pagus & parochia . Non multis
abhinc mensibus fuit indè amotus lapis qui
formam fontis baptismalis habebat, sed inter
portandum cum peruenissent boues ad tri-
uiom paululum longè ab Ecclesia,quasi nolē-
tes egredi fines ipsius Ecclesiæ, constiterunt,
& dum actu vlterius progredi noluerunt, fra-
ctus est, & operi destinato deseruire non po-
tuit , nunc est beneficium simplex opulentū .
Elpidius habet suam Ecclesiam in pago Casa-
pulli . Adiutor habuit suam in territorio Cā-
celli ex sæpè citato diplomate Alphani Ar-
chiepiscopi ann. 1173. & alteram circa Capuā,
de qua mentio est in quodam instrumento
S. Angeli ad formā, quod ego legi . Vindonius
est, meo iudicio, qui Mendonius legitur, ha-
bebat Ecclesia foris Capuam , vbi dicebant ,
alla Murata , & extabat anno 1240. vt legi
in Instrumēto Monasterij Monialium S. Ioan-
nis. Rosij , & Eraclij fuisse Ecclesias in Diœc.
Suessana , apparet in Bulla Confirmationis
Benedicti Episcopi Suessani , data ab Atenul-
fo Archiepiscopo anno 1032. mense Martio
die 19. Indict. 15. De Marco & Canione me-
moratam Ecclesiam inueni nullam : habuisse
tamen à Capuanis parem venerationis cultū
arbitrari possumus , & debemus . Horum
festa notantur, Secundinus Episcopus Troiæ,
die vndecimo Februarij ; in quodam manu-
scripto Kalendario nostri Thesauri, vigesimo
septimo Maij : at in Ecclesijs nostræ diœcesis
agitur octauo Decembris . Marcus Bouini ,
die 14. Iunij vt refert Ferrarius: at in Kalen-
dario m.s. Longobardo notatur Marcus Cō-
fessor die 13. in meo Martyrologio m.s. habeo
nonis Octobris ciuitate Ecanæ S. Marci Epi-
scopi & Cōfessoris, hoc ideo noto, vt Lector ,
si quid certius sibi occurret de Marco & alijs
S. Prisci socijs , adnotare valeat . Adiutor Ca-
uæ die 16. Decembris . Elpidius ab Atellanis
Maij 24. at in citato m.s. Kalendario The-
sauri notatur die Maij 26. & hoc ipso die
agitur festum in Ecclesia Casapulli . Tamma-
rus Beneuenti Octobris 15. at in Breuiario
nostro notatur Ianuarij 16. & hoc ipso die
agitur festum in Ecclesia propria . Canius A-
cherontiæ Maij 25. Rosius , vt habet Kalen.
m. s. seruatum à Patre Caracciolo , eiusdem
Maij 16. De Augusto, Vindonio , & Eraclio
mihi lux nulla . Legi fragmentum Actorum
S. Elpidij Episcopi Atellani , & tempora in
illis adnotata , Elpidio S. Prisci Socio non
conueniunt : dicitur enim vixisse Atellis Bas-
so, & Philippo Coss. idest anno 408. at Pri-
scus & socij, vt in Castrensi notauimus, huc
aduenit persequutionis Vuandalicæ anno 4.
idest anno 442. vel 443. illa enim persequu-
tio cœpit ab anno 439. & permansit vsque ad
annum 534. quare vel duo diuersi fuerunt El-
pidij, vel si vnus tantùm censendus videtur ,


cor-

corrigẽda est in Actis illa obsignatio temporum, & sine multo scrupulo, cum in Actis Sãctorum, quæ sincera in alijs sunt, circa tempora sæpe sæpius error deprehẽdatur, vt planè in hisce Actis S. Prisci, & Sociorum qui expulsi fuerunt ex Africa, vt supra narratum est. Legi Acta S. Canionis breuiter à Ferrario comprehensa, & Socio Prisci Canioni nõ conueniunt: ille enim dicitur ab Angelo in Italiam ex Africa miraculosè translatus: at noster naui vectus aduenit: sed quia habeo in m.s. passionem Sancti Canionis, & dicitur ibi, passus & mortuus fuisse Carthagine, facilè adduci possum, vt arbitrer corrigenda esse Acta relata à Ferrario, & quod ibi dicitur de voce Angeli, & de Angelo transferente Canionẽ, intelligendum sit de Canione nostro, qui, Angelo præeunte duce (vt dicit Breuiar.) ad locum sibi destinatum accessit. Hæc dicta volo salua fide cuiusuis, qui certiora poterit afferre. Hactenus Monachus.

13. TIBVRTIVS interfuit Concilio Romano, eidemque subscripsit anno 461.

14. CONSTANTINVS proximè inuenitur Capuanæ Ecclesiæ Episcopus anno 483. qui Concilio primo Romano sub Symmacho Papa celebrato interfuit anno 499. Hic à Felicis Papæ III. temporibus hanc Ecclesiam rexit, vt ex Felicis Epistola Synodica tom. 1. Concil.

15. ALEXANDER paulò post Constãtinum Ecclesiam Capuanam gubernasse videtur anno 510. cum ei S. Germanus successisse legatur in veteri Capuano Breuiar.



16. S. GERMANVS rerum piè, diuinè, mirificeq; gestarum claritate insignis in Alexandri locum cunctis Clero & Populo suffragantibus euasit Capuanus Episcopus, quem non modò integritas vitæ, doctrinaque commẽdauerat; sed & ipsius in pauperes exaggerata pietas, quasi priscorum illorum Sanctorum Patrum videretur æmulatura virtutes, eiusdem in Pastorem à Celio Hormisda Papa anno 516. confirmationẽ, effecerunt sanctiorem. Hic Capuæ nobilibus parentibus Amãtio, & Iuliana natus, in iuuentute liberalibus literis, pijsque operibus egregiè imbutus præcipuam pauperum curam gessit. Etenim defuncto patre, matri persuasit vt deuendito patrimonio, illud, in vsum pauperum erogaret. Cumque Angelicam vitam ageret, disponente Deo, inuitus tamen ex humilitate cordis, Capuæ ordinatus est Episcopus, & ab eodem deinde Hormisda Constantinopolim legatus mittitur anno Christi 519. Inde legatione benè perfunctus, Capuam reuersus anno 520. qui Ecclesiæ suæ non immemor, pro ea ditanda reliquias SS. Stephani Protomartyris, & Agathæ virginis (vt scribit Herempertus) ab Imperatore concessas Capuam detulit, & ad consueta pietatis opera, curãque pauperum rediit. Historiam legationis ab Hormisda Papa missæ, Paulus Diaconus in Iustino paucis comprehendit; fusius Baronius tom. 7. vbi refert plures epistolas, seu relationes S. Germani, & collegarum ad eundem Hormisdam scriptas. Cæterum cum aliquando medicorum consilio ad Thermas Angulanas valetudinis causa profectus esset, ibi Paschasij Romanæ Ecclesiæ Diaconi animam inuenit, qui se ibi à Deo relegatũ dixit, quòd Laurentium Papam Schismaticum aduersus Symmachum verum, legitimumque ignorantiæ errore seductus, secutus fuisset, rogauitq; Germanum, vt pro se Deo sacrificium offerret, quo facto si ad Thermas rediens se non inuenisset, sacrificij virtute liberatum sciret, quod planè ita euenit. Præfuit summo animarum emolumento annis plurimis, ac consũmato feliciter vitæ cursu, ad regna migrauit æterna 30. Octobris circa salutis 541. cuius animã in hora obitus eius ab Angelis in Cœlum ferri S. Benedictus aspexit. Corpus eius in Capua veteri datum est sepulturæ, ciuibus inde transmigrantibus translatum est ad Capuam nouam, quod verò anno Domini 872. diuinis coruscationibus refulgens, Ludouicus II. Imperator Lotharij filius, Caroli Magni pronepos in Franciam ad Regni monumentũ transuexit, vt Leo Ostiensis suo in Chron. Cassin. testatur. Acta eiusdem recitat Monachus 1. p. Sanctuarij ex codice m.s. Monasterij S. Ioannis: de eo Ado, & alij recentiores. Pluribus S. Gregorius lib. 2. Dialog. cap. 31. & lib. 4. c. 40. Io. Episcopus Constantinop. in libello fidei Catholicæ ad Hormisdam; de eodem habetur mentio in Actis S. Placidi à Gordiano conscriptis; & in Actis S. Remigij apud Surium die 13. Ianuarij, cum quo S. Germanus fuit familiaritate coniunctus, eidemque literas suas direxit. Baronius in notis ad Martyrol. Rom. & in Annal. qui ad annum 497. scribit ab Anastasio Papa missum esse Germanum cum Cresconio Episcopo Tudertino ad Anastasium Imperatorem, vt ad meliorem frugem reuocaretur. Sed cum anno 499. sub Symmacho Constantius Capuanus Episcopus Romano Cõcilio subscripserit, & in Actis eiusdem Sancti habeatur Germanus successisse

fisse Alexandro, asserendum videtur Episcopi Tudertini collegam fuisse alterum Germanum à nostro diuersum, quemadmodum corpus S.Germani, quod in veteri inscriptione asseruari dicitur in Ecclesia S.Sixti Placentiæ alterius Germani esse oportet, dum in Galliã translatum fuisse *Leo Ostiensis* testatur, & cũ inscriptio illa Placentina loquatur de Germano Episcopo anonymæ Sedis, diuersum erit à corpore Capuani nostri Germani.

17. S. VICTOR, Sancto Germano rebus humanis exempto Episcopali throno nobilitatus est anno sal.541. ineunte Februario mense, sedit sanctissimè annos tredecim, & dies triginta octo, obijt verò anno 554. ineunte Aprili die secunda, memoratur in Martyrol. Rom. die 17. Octob. quem sanctissimũ, & doctissimum virum appellat Beda de ratione temporum cap.49. confutauit namque paschale Cyclum Victorij, seu Victorini Aquitani, vt idem Beda testatur. Eius Cyclus receptus & cõprobatus fuit in IV. Synodo Aurelianensi can.1. & 2. Extat eiusdem Victoris præfatio in concordantiam Euangeliorum Ammonij Alexandrini: illius quoque Ado meminit in Chronicis ad ann.sal.527. Marianus Scotus anno 560. Trithemius vixisse scribit anno 580. Sigibertus de vir.illust.c.20. scripsisse iubente Honorio Papa testatur. Qui omnes errare conijciuntur ex vetusto Epitaphio, quod extare dicit Monachus in ædibus q. Ioannis Hieronymi de Capua propè sedile de Antimario dictũ, cuius in pauimento stratus lapis illud intra sculptam coronam sculptum habet Epitaphium.

Victor Episc. sedit ann. XIII.
dies xxxviij. Depositus sub die
iij. Non. April. Ann: XIII. P.C:
Basilij V.C: Indictione secunda.


Profectò annus decimustertius post Consulatum Basilij est annus Christi 554. currens cum Indictione secunda: ergo qui ineunte Aprili obijt, postquam sedit tredecim annos, & dies triginta octo, assumptus iam erat ad Cathedram anno 541 mense Februario, & idcircò arguuntur erroris, qui Victoris tempora ad annum 560. & 580. producunt. Qui verò collocant ad ann.527. intelligendi sunt, vt significent ab illo tempore Victoris nomẽ vt potè sanctissimi & eruditissimi viri celebratum esse, licet ipse nondum Episcopus esset. Sed dicet aliquis: Epitaphium & Rom. Martyrol. non conueniunt: in vno deposito notatur ad 4. Non. Aprilis, in altero 16. Kal. Nouembris festum commemoratur. Leuissima dubitatio, quia in Martyrol. huiusmodi diuersitates passim occurrunt, neque temerè: in instituendis enim Sanctorum festis, præter obitum, & depositionem considerari solent inuentio, translatio, reconditio, memoria alicuius vel suscepti tormenti, vel patrati miraculi, item conuersio, ordinatio, canonizatio. Baron. tom.9. anno 804. num.11. & id genus alia. Quare deesse non potuit aliqua iusta ratio, vt S.Victoris festum institueretur die 17. Octobris, licet depositus esset Aprilis die secunda. Ad hæc addit idem Monachus in epitaphium Victoris; Non prætermittam in Epitaphio S.Victoris numerari annos, & dies supra triginta, id quod antiquo mori non consonat. In antiquis enim epitaphijs & anni, & menses, & dies distinctè notantur, quando dies menses duos excedunt, quòd si non nisi vnum, licere tunc, vel tacito mense, dies triginta annumerare, vel extremo mense, qui supererant, dies annotare, affert duas inscriptiones ex Capaccio, nos multas alias obseruauimus in lib. Epigrãmatum vrbis, inter eas, vnãque quæ extabat in domo Pomponij Læti viri doctissimi. *D.M. Secundo Filio Parentes benemerenti fecerunt. Vixit ann. I. dies xlvij.* Cæterum sacra Victoris lipsana vnà cum alijs Sanctorum reliquijs inuenta fuisse sub altari maiori Ecclesiæ Cœnobij Montis Virginis anno 1480. die 27. Iulij scribit Vincentius verax in Hist. eiusdem Monasterij, vbi annuo colitur officio; tametsi in Capuano Breuiario nulla de Victore habeatur memoria.

18. S.RUFFINUS Episcopus Capuanus magnæ sanctitatis vir ante S. Decorosi Episcopi tempora vixit, vt mihi coniectura est sæculo quingentesimo, quo autem præciso tempore creatus sit Episcopus, & quandiù sedem tenuerit, non potest signate definiri. Potuit esse vt post S. Victorem Capuanam Sedem regendam cepisset, vel paulò post: cuius corpus ab ipso S.Decoroso, Sergio Põtifice Maximo in Sede S.Petri Apostoli inuẽtum in Ecclesia SS. Stephani, & Agathæ solemni pompa translatum est circa annum Dom. 870. cuius translationis Historiam, & miracula patrata habemus in veteri Breuiario Capuano, quæ hic referre non pigebit.

Ad laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi, & ad ædificationem vestram, dilectissimi fratres, miraculum, quod Dominus per Beatum Rufinum Confessorem suum operari dignatus est in hodierna eius tanta solemnitate, breui narratione qualiter gestum sit, intimare curamus: Inter hæc, si quis eius vitam, qualis fuerit, noscere cupit, huius opusculi fida narratio ei præbebit indiciũ. Lect. 2. *Temporibus Iustiniani minoris Imperatoris, filij Constantini sub Sergio Papa, atque Grimoaldo Duce Longobardorum erat quidam religiosus valde nomine Decorosus, in Sede Capuanæ Ecclesiæ Episcopus. Huius siquidem tempore, cum religiosè à Longobardorum gente Cœmeteria Sanctorum excolerentur, contigit, vt in Martyrologio seriatim nomina Sanctorum exquirerent. Et inuenta sunt hoc modo duorum Sanctorum nomina scripta: Octauo Kalend. Septembris natales S.Rufini Confessoris, & vno intermisso die, quod est sexto Kal. Septem. Natales S.Rufi*

Mar-

Martyris. Lect.3. *Huius verò S. Rufini prædictus dies cum omnibus notus fuisset; locus tamen, vbi sacrum corpus eius requiesceret, ignorabatur.* Cœpit *tandem Episcopus suo cum* Clero *à senibus annorum locum inquirere: quo inuento, in monumento scilicet iuxta Basilicam Beati Petri Apostoli, coadunata Episcopus vndique plebe, cum hymno & laudibus illo è loco reliquias auferens, magna cum lætitia in Ecclesia Sanctorum Martyrum Stephani & Agathæ condidit.* Lect.4. *Sacro denique opere peracto, cum ob honorem & reuerentiam tanti corporis Ecclesia ipsa ab omnibus frequentissimè excoleretur, contigit eodem anno, vt cuiusdam nobilis Audoaldi filius, qui adhuc in tenera lactabatur infantia, febre valida penè moreretur intantum vt membra omnia suo ab officio penitus defecisse viderentur, quem cum parentes illius in supremo exitu iam proximum intelligerent, mox, vt credo, diuina inspiratione admoniti, ad prædictam Ecclesiam adduxerunt.* Lect.5. *Cumque ante fores Ecclesiæ vlulantes ad funus eius perstreperent, venerabilis Episcopus insolito tantorum lamentantium clamore exterritus, continuò cœptas deserens preces, exiuit ad illos, & cur tantos fletus haberent, modestè inquirere cœpit. Qui dixerunt ei. Domine Episcope, ecce infantulus iste moritur nobis. His dictis, mater pueri valdè eiulans, se ad genua Episcopi, quasi aliena mente proripuit dicens.* Domine, *indica nobis locum, vbi B.* Rufus *quiescit.* Lect.6. *Attonitus autem Episcopus, & illius intelligens imi cordis dolorem, totus infremuit, & tanto dolori cōpatiens, ait illi. Non est hic, ò mulier, corpus illius, quem quæris, sed Beati* Rufini *Confessoris. Verùm quia ipsum nominare voluisti ad auxilium tuum, veni nunc, & toto nixu illius implorare misericordiam ad tumulum eius ne desinas. Episcopus autem quamuis intercidisse ad horam orationem videretur; tamen omninò, quam tenuit, non deserens, ingeminauit potius pro se, & infantulo orationem constanter ad Dominum.* Lect.7. *Tunc mater pueri ante sacrum tumulum S.Rufini posuit filij sui corpus, quod exanimi simile iacebat, cum lacbrymis dicens. O Beatissime Rufine* Confessor *Domini digne sentiam in puero isto misericordiam tuam, quam sitienter euenire peto. Et hæc dicens, sola cum puero superstite remansit. Deinde Episcopus clausit regiolas, quæ erant ante altare: & exiens sedebat ante fores Ecclesiæ, expectans diuinam misericordiam in puero superuenturam.* Lect. 8. *Pietas autem Domini statim in puero subsequuta est: Nam media vix aberat hora, & ecce occurrens mater infanti, quæ in parte steterat orans, cum cordis lætitia, ad regiolas, quas Episcopus clauserat, vidit infantem alacrem, huc illucque circa altare deambulantē, quem apprehendit cum gaudio, Deo, & Sancto Rufino gratias agens, & exiuit ad Episcopum, in vlnis filium baiulans latum, & sanum, quasi nunquā malo alicui deditus esset.* Lect.9. *Ad hanc famam fit concursus populi ad tumulum Beati* Confessoris *Rufini, & ingenti cum gemitu vota persoluunt, luminaria, seu quæque poterant, suppliciter certatim offerre curabant: suum ad adiutorium illum implorantes, larga eius beneficia percipiebāt, quæ vsque hodie dare non cessat, si non desit fides poscentium: præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor, & gloria in sæcula, sæculorum, Amen.* Ex ijs patet, Rufinum vixisse longè post S.Germani obitum, cum eius corpus è Cœmeterio Basilicæ S. Petri, ad Ecclesiam Sanctorum Stephani, & Agathæ translatum fuisse à Decoroso: Ecclesia namque SS. Stephani & Agathæ illa eadem fuit, quam Constantinus Magnus in veteri Capua ad honorem Sanctorum Apostolorum ædificauit, quam deinceps S. Germanus Episcopus ob illatas reliquias Sāctorum Stephani, & Agathæ Virginis in honorem eorundem vocatam voluit, vt Herempertus scribit de Arechi adolescente, deinde Principe Longobardorum loquens, *Quadam,* inquit, *quippe die, dum cum suo Principe* (Luitprando) *in Beati Protomartyris Stephani, quæ constructa est in veterrima vrbe Capuæ ab Imperatore, Helenæ filio, Constantino, atque in honorem omnium Apostolorum dedicata, licet postea à Beatissimo Germano eiusdem vrbis Episcopo, ob collatas ab Imperatore reliquias Beati Protomartyris Stephani, nec non & B. Agathæ Virginis, proinde ea in honorem Protomartyris Stephani vocata est; dum vt diximus, in eandem Ecclesiam Longobardorū more accincti pugionibus altrinsecus introissent, &c.* De Ruffino igitur in Martyrolog. Rom; 26. Aug. & hic dies natalis non est, sed translationis esse videtur:



19. PROBINVM, Capuanum suscepisse Episcopatum anno 570. die Nouemb. decimo sexto, obijsse verò anno 572. die Augusti vigesimo, cum sedisset anno 1. mens. 9. dies 4. docet Epitaphium in tabula marmorea scriptum, & inuentum anno 1630. in Parochiali Ecclesia Sancti Nazarij, dum reuolueretur tabula illa, apparuit incisa corona magna & Epithaphium hocce.

✠ *Vir Beatissi mus. Probinus Episc. Sedit ann.I. mens. VIII. Dies IV. Depositus sub die xiij. Kal.Sep. Tempore S. Imp. DN Iustino anno VII. P.C. eius dem Anno V. Indicti one Quinta.*

Positum est hoc Epitaphium anno 572. Iustinus, qui nominatur, est Iustinus Iunior, cui annus Domini 572. erat annus Imperij septimus, consonat Indictio quinta. Consignatio autem anni quinti, post consulatum eiusdem Iustini consentit illis, qui secundo Iustini consulatu signant annum 567. vide Baron. tom. 8. dictis annis.

20. FESTVS, vixit temporibus Gregorij Magni, apud quem conquestus est, se à suis clericis, eiuibusque contemni, pro quo extat eiusdem Gregorij Epistola ad Petrum Campaniæ Subdiaconum, causam verò cōtemptus, de quo conquerebatur, fuisse suam ipsius auaritiā colligi potest ex alia epist. 126. lib. 4. Romæ obijt Festus iuxta Baronij computationem anno Dom. 595. ex epist. 12. lib. 4. Indict. 13. ad Gaudentium Nolanum Episcopum, cui Capuanæ Ecclesiæ visitationem commisit, præcepitque Capuano Clero Neapoli degenti, vt illum veneraretur. Habebat tunc Capuanus Episcopus Neapoli Ecclesiam sibi subditam, quam Presbyterium nominat Gregorius eadem epist. 26. lib. 4. Presbyterium verò dicitur ille locus, in quo Sacerdotes, & reliqui Clerici consistunt quādo Missa celebratur, qui solet etiam dici Sacrarium, & Sancta Sanctorum locus, nempe in capite Ecclesiæ, sub abside, cancellis septus; ita docet Canon Clementis Papæ apud Gratian. de consecrat. dist. 2. cap. 30. & Canonistę de vita & honest. clericorum cap. 1. Presbyterium quoque ipsa dicitur Congregatio Sacerdotum. Hinc Cornelius Papa ad Cyprianum. *Omni igitur actu ad me perlato, placuit contrahi presbyterium, & planè Papam.* Contrahere presbyterium nihil aliud est, vt Baron. notat. to. 2. anno 254. quàm congregare Ecclesiam, & vt hodie dicimus, consistorium facere. Porrò in aliquibus Codicibus Epistolarum S. Gregorij legitur Sixtus, mendosè tamen, & illi ipsi codices habent Festum in epist. 20. hoc verò mendum in causa fuit, vt quidam in Catalogo Episcoporum Capuæ Festum, & Sixtum inter se distinctos numerarint.

21. BASILIVM Capuani Cleri suffragia euexerunt ad Sedem, Gregorio Magno Summo Pontifice assentiente, ante annum salutis 600. suffecerunt Festo, cuius idem meminit Gregorius in epistola ad Ioannem Syracusanum Episcopum. Idem Gregorius eodem anno cum accepisset Basilium in Sicilia apud sæcularem Præfectum diutius agentem, non tulit, sed inde pelli, & ad Ecclesiam suam redire compelli debere scripsit ad Romanum Defensorem in hæc vrba. *Gregorius Romano Defensori. Prælatum ad nos, reuerentissimum fratrem nostrum Basilium Episcopū, velut vnum de laicis in causis sæcularibus occupari, & Prætoria inutiliter obseruare, quæ res, quoniam & ipsum vilem reddit, & reuerentiam Sacerdotalem annihilauit, statim vt experientia tua hoc præceptum susceperit, eum ita ad reuertendum districta executione compellat, quatenus ei illic te insistente, quinque diebus sub qualibet excusatione immorari non liceat, ne si quolibet modo eum ibidem moram habere permiseris, eum ipso apud nos grauiter incipias esse culpabilis.* Addit Baronius. Hæc volumus totidem verbis Gregorij reddidisse, ad declarandum, quàm execrabile ab eodem Sanctissimo Pontifice haberetur, vt Episcopus apud Sæculares Principes moraretur. At verò paruisse Basilium ex eo cōstat, quod anno sequenti 601. tertio nonas Octobris Romæ cum ipso Gregorio in Concilio fuerit, vt legitur lib. 9. c. 22. de quo item lib. 11. epist. 4. Indict. 6. anno 603. nulla deinceps de eo habetur mentio.

22. GAVDIOSVS Capuæ Episcopus fuit. Hic in Concilio Romę sub Martino Papa celebrato anno 664. inter alios Episcopos numeratus est. Hunc beati titulo condecorat Monachus.

23. S. DECOROSVS, suffragante clero, populo acclamante, Capuanorum Pastor electus est defuncto Gaudioso. Sub Agathone Papa anno 680. Romano Concilio inter Patres haud quaquam postremus assedit, & subscripsit. Diu Capuanam rexit Ecclesiam, & sub Sergio I. Papa, vel paulo post, dum dominico die sermonem ad populum habet, Syncope correptus, ac inter Clericorum brachia ad Altare maius perductus, his verbis, *Magnus Dominus & laudabilis nimis, cuius magnitudinis non est finis* pronunciatis, animam Deo reddidit 15. Februarij, quo die festum

festum eius agitur in Capuana Ecclesia. Eius meminit Martyrol. Rom. hoc die Acta recitat Breniar. Capuan. ex quo Ferrarius & Monachus.

24. S. VITELIANVS Capuanus Episcopus floruit sanctitate iuxta veriores coniecturas circa annum salutis 700. Hic Capuæ natus ab infantia pijs egregijsque moribus exornatus, inuitus ad Episcopalem Sedem trahitur: Is castitate eximia, in pauperes pietate præditus, in humilitate, vitam ad senectutem illibatam traduxit, cuius sanctitati Dæmon inuidens, quosdam, qui Episcopalē dignitatem affectabant, induxit, vt muliebres vestes clam in illius cubiculum inijcerent, quibus S. Episcopus ad matutinas horas de more surgens, loco suarum indutus, ludibrio habitus est, cum maligni exclamarent. En & qui alijs humilitatem, & castitatem deprędicat, haud contentus cum mulieribus conuersari, etiam illarum indumenta gestare nō veretur. Quo audito, Vitelianus ingemuit, dicens, Audite filij, verum dicitis, quia peccator sum, multaque mala Deo meo egi, vnde &, illud super me induxistis, hoc autem ab alijs pati debui, non à vobis, qui filij, & hæredes estis Ecclesiæ; & respiciens in cœlum dixit, Tu Deus, qui cœlum, terramque tua gubernas dextera, qui scrutaris renes & corda, & scis omnia antequam fiant, destrue falsiloquium istud, & vale dicens abijt. At proditores comprehensum & in corio consutū, illum proiecerunt in mare, qui tandem incolumis ad Romanum portum delatus est, iam tū adeo sterilis Capuanus ager factus est, vt nec segetem, nec herbam procrearet. Quapropter Dei iudicio id factum non verentes, ad Sanctum Episcopum profecti, ad eius pedes prouoluti, veniam consequuti sunt, Capuamque deducentes, cum primùm ad vrbē accessisset, ingenti pluuia, qua diutiùs caruere, tota regio maduit. Reuelato eo loco, vbi vitæ finem esset expleturus, in montem, qui à vulgo Virgilij dicitur, profectus, constructo templo B. Virgini Mariæ 17. Kal. Augusti requieuit in pace, ibique conditus multis claruit miraculis, Dęmoniacis, cęcis, & alijs infirmis ad eius tumulum liberatis, donec circa ann. 914. ob Saracenorum aduentum Ecclesia euersa est. Corpus eius postea inuentum à Calisto II. Catanzarum in Calabria translatum anno 1121. Hæc ex Breuiario Capuano, Pauloque Regio referunt Capaccius, Ferrarius, de quo Martyrol. Rom. hac die Monachus in Sanctuario p.1. & in Catal.

25. AVTCHAR eximijs elogijs celebrandus Capuanæ Ecclesiæ Episcopus, præteritis sæculis incelebratus, ac penè ignotus ex veteri epitaphio apud Ecclesiam S. Mariæ Maioris nuper inuento, suæ redditus est Ecclesiæ, & inter reliquos egregios Capuanos Episcopos in serie adscriptus. Inuentum epitaphium erat Longobardo charactere, & achrosticis versibus in lapide scriptum, & vsui ambonis adaptatus. Sed amoto choro destructoque ambone, lapis in medio sectus nouo operi applicatus. Epitaphium ne tanti ad inuenti Præsulis memoria periret, exscripsit quidam venerandæ antiquitatis amator, ex eo deinde Michael Monachus in recognitione sui Sanctuarij emisit in lucem, mendosè tamen, cum pro Autchar, scripsit Amandum, hallucinatus à decimo quarto versu, vbi hæc, *Præsul Amande*, melius *Amate*, quod, proprium Episcopi nomen esse scribit, lapsus haud esset vir alioquin eruditissimus, si cuiusque hęxametri versus primas literas obseruauisset, quibus totundè legitur *Autchar Episcopus*. & versu 23. *Cernis adhuc castris Autchar patrone retentus*, quod deprauatè exscripsit idem Monachus; *Carnis adhuc claustris nunc chare patrone retentus*, vt me monuit eruditus Camillus Peregrinus, apud quē huius epigrammatis ab originali exscripti extat exemplar ita conscriptum.

Antistes populi multa virtute potentis
Laudādus cunctis hac tumulatur humo:
Vtilitate placens, affabilis, aptus, & almus
Instantis vitæ tempus in omne fuit.
Terrenas neglectus opes sapienter egenis
Distribuens, seruat has meliore solo.
Consultus responsa dedit capienda, quibusq;
Quæ facienda forent non reticenda sibi.
Hunc Capuana tulit, quæris, si Terra patronum
Clarus vtroque manens quippe parentē pater?
A puero sacris elementis doctus habetur
Discutit ad plenum mystica dicta Patrum.
Respuit in mundo mundani stulta metallī,
Discipulos imitans Christicolasque pios.
Ehu quam magnos sustollit ad æthera luctus
Turba quibus cunctis almus, & altus amor?
Præsul amande Dei regno signate superno,
Multaq; tua domui facta labore vigent.
Ipse pijs manibus præbens alimenta ministras,
Cum quibus es dignus munera digna frui.
Semper in antiquis Patribus mirandus haberis
Quorum dulce melos pagina scripta canit.
Cernis adhuc Castris Autchar patrone retentus
Transcendens mundum mente tuere Deum.
Ornasti Ecclesias quisquis cognoscere mauult,
Restaurans plures ordine quamque suo.
Porta tibi Domino Christo venerande rogatu
Pandatur Stephani Martyris arcta poli.

Vixi-


Vixisti cuius semper nutritus in aula,
Cuius, & instinctu pontificalis bonos.
Septem huic Ecclesia conceditur esse sub annis
Totis imparibus mensibus aquè sacer.

Ex hoc Epigrammate colligitur, qua virtute, qua pietate Autchar in Ecclesia floruerit Capuana, qua verò ætate mortalitatem expleuerit, ignotum est; tamen pro comperto habemus ex eodem illum sedisse Longobardorum temporibus, fortasse & ipse Longobardus genere, annis septem, totidemque imparibus mensibus, idest septem annis integris & completis, & vndecim mensibus, quia menses pares, seu impares sunt, primus, tertius, quintus, septimus, nonus, & vndecimus, qui ergo viuit totis, idest, omnibus mensibus imparibus viuit vndecim mensibus, si tamen dictio illa, in versu *Totis*, referatur ad illam, mensibus. Ex hoc etiam Epigrammate habemus Autchar sepultum fuisse in Ecclesia S. Stephani Capuæ veteris, destructaque vna cum Ciuitate Ecclesia illa, atque sepulchro, translatus est aliò lapis, nempè in Ecclesiá S. Mariæ Maioris Capuæ nouæ, & deinceps ad opus ambonis coaptatus, vt passim alijs occurrere solet. Nuper in S. Stephano Capuæ veteris inuenta sunt ossa cum Cruce pectorali, & annulo, quis scit, an illa, exuuiæ fuerint Autcharis Episcopi ibi defuncti, cuius epitaphium, vt retulimus, translatum fuerit ad S. Mariæ Maioris templum.

26. N. Episcopus Capuanus, nomen ignoratur, apud quem anno 740. hospitatus S. Vuillibaldus proficiscens Cassinum ex Canisio to. 4. variar. lect.

27. THEODORVS interfuit Romano Concilio sub Zaccharia Papa anno 743. Hac tempestate, ac fortassis Theodoro Capuanā Ecclesiam administrante cœptum est ædificari in Territorio Aliphano Sacrarum Virginum Asceterium Ordin. S. Benedicti, quod Cinglense nuncuparunt, quod inde Capuam translatum hactenus extat sub nomine S. Mariæ; initium certum sumpsit circa annum Domini 750. vt Leo Ostiensis scribit lib. 1. cap. 6. cuius verba libet hic referre. *Temporibus Gisulphi Iunioris Beneuentani Ducis, scilicet circa annum Domini 750. quidam Sculdais Beneuentanus, Saracenus nomine, in loco, qui Cingla vocatur, territorio Aliphano, Ecclesiam in honorem S. Cassiani à fundamentis construxit, eamque ex permissione præfati Ducis, cum omnibus, quæ ibi acquirere potuit, simul etiam cum omni ex integro, substantia & hereditate sua præter seruos & ancillas, quos omnes libertate donauit, quoniam filium non habebat, in Monasterio Sancti Benedicti obtulit. Qui locus cum oculis venerabilis Personacis, valde vtilis visus fuisset, cum cōsensu & maximo adiutorio eiusdē gloriosi Ducis Gisulphi, & Scauniperga vxoris suæ, construxit ibidem Monasterium Puellarum Dei ad honorem B. Dei Genitricis, & semper Virginis Mariæ. Cōcessa insuper ibi à prædicto Duce Ecclesia Sanctæ Crucis cum omnibus territorijs & pertinentijs eius, quam Giselpertus Præpositus Cassinensis, à quodam Abbate, Deusdedit nomine emerat cum consilio, & adiutorio eiusdem Ducis, nec non & alijs Ecclesijs & Curtibus non paucis in circuitu, iuxta quod munimina eiusdem Monasterij continet. Quod videlicet S. Dei Genitricis Monasterium annuente præfato Abbate, idem Dux Gisulphus tunc confirmauit tribus ancillis Dei, idest Gausam Abbatissæ, Pancritada, & Gariperga, quæ postpositis parentibus, & vniuersis opibus suis peregrinari pro Deo in partibus istis elegerant. Eo vtique tenore, vt quandiù qualibet earum aduiueret, loci illius regimen sine alicuius contradictione teneret; post illarum verò excessum, & potestas & ordinatio eiusdem loci ad Monasterij Sancti Benedicti Cassinensis ditionem redirent.* Et eodem lib. 1. cap. 50. prosequitur Ostiensis. *Temporibus Martini Papæ circa annum Domini 943. cum Cinglensis Ecclesia à Saracenis deuastata fuisset, Ioannes eiusdem Cellæ Præpositus quicquid suppellectilis, vel thesauri quoquomodo surripere potuit, assumens, cum consensu Abbatis Cassinensis Capuam pergit, atque ibi Monasterium construere cœpit. Quo etiam tempore venerabilis Papa Martinus eandem Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Capua cum omnibus possessionibus suis Cassinensi Cœnobio per priuilegium ex integro confirmauit.* Et lib. 2. cap. 2. narrat. *Post anno 952. temporibus Landolphi & Pandolphi filij eius, cognomento Capite ferreo, Principibus Capuæ, Aligernus Abbas Cassinensis, ad Principes iam dictos accedens rogauit, vt darent Cellæ Cinglensi locum foris portas Sancti Angeli ad Monasterium construendum ancillis Dei; quia Monasterium quod intus erat, nimis strictum, & incompositum habebatur ancillis Dei, ibi manentibus. Illi verò concedentes statuerunt locum foris murum Ciuitatis, vbi Castrum & Monasterium construerentur: cuique concesserunt foris murum, qualiter vadit vsque in flumen.* Hæc ibi.

28. RO-




28. RODELPERTVS, seu Radelpertus Capuæ Episcopus claruit circa ann.Dom. 830. prædecessor fuit S.Paulini, cuius Epitaphium legitur in Cathedrali Ecclesia Calinensi: Michael Monachus in 1.part. Sanctuarij Capuani, & Camillus Pellegrinus in Apparatu ad Capuanas antiquitates, discursu 2. qui de eo scripserunt, haud vnam tulere sententiam. Monachus vult Rodelpertum Capuanæ Ecclesiæ fuisse Episcopum, Peregrinus more suo eruditissimè contendit, vel Carinolensem, vel alterius Ecclesiæ, non Capuanæ extitisse Pastorem; nos autem ea de re Monacho libenter subscripsimus, qui de Rodelperto hæc scripsit ad Paulini notas. Sed quoniam de Rodelperto mentio habetur in vita S.Paulini, opportunum est, vt quoddam, quod ipsius esse credimus Epitaphium referatur.

Resplendens nitida germen de prole parentis
Hac clausum muta mole nitendo micat,
Altipotens cuius Iudex cum venerit Orbis,
Flos hinc perpetuus surget ad astra volans.
Dignanter dignis rutilans, qui moribus olim
Obtinuit dignum Pontificale decus.
Istius hic sedis retinens & iura potenter,
Ecclesiam hanc compsit cultibus ipse nouis,
Perspicuo argenti nam sacrum altare metallo
Rufini eximij struxit in omne decus.
Extulit altisonam præcelso culmine turrim
Qua resonent horis signa sonora sacris.
Reddidit & pulchram templis, ac mœnibus arcem
Quæ sita Vulturni amnis ad ora manet.
Templi huius pariter sacro sub culmine, Sancti
Castrensis studuit condere membra sacra.
Erexit nec non præsens quod cernitur altare
Illius ad nomen, atque dicauit ouans:
Percipere & huius meritis, precibusque per æuum
Vt gaudens posset præmia celsa poli.
Inde etiam supplex eius sociauit ad aram
Quem cernis tumulum, lector amande, suum.
Si nosse satagis cuius hic membra quiescant,
Grammatis indicio signa priora lege.

His adde, Carinolensis Episcopatus suum sumpsit exordium anno 1087. cum S.Bernardus tunc Fori-Claudii Episcopus Sedem Episcopalem, cum Cathedrali Carinulam proximam, nuperamque ciuitatem transtulit, quod valdè distat à Radelperti temporibus, qui Paulino præcessit, & Altare S.Rufini exornauit argento.

29. S.PAVLINVS natione Britannus post excessum Radelperti à Clero, populoque fideli acclamatus est Capuanus Episcopus, sedente Leone IV. circa ann.Dom.843. ab eodem Pontifice consecratus. Hic iam à puero gloriosissimæ virtutis Castitatis amator, liberales artes, quibus indutus erat pauperibus adolescentibus impartiens, omnia prosequutus, quæ Dei timentem virum decet, diuino auxilio meruit coronari. Studia siquidem scholastica cum deseruisset, è Britanniæ natali solo discedens, patrimonio pauperibus erogato, Hierusalem petijt, æternæ Hierusalem imaginem non oblitus. Inde cum orbem terrarum peragrasset, Capuam diuino afflante numine flectit iter. Obierat in ea ciuitate Radelpertus Antistes, & Paulini sermonibus cum quotidie recrearetur Capuani, & eloquentioribus eiusdem actionum linguis edoceretur, Cleri consensu Episcopum sibi electum Romano Pontifici sacrandum obtulere. Et quamuis eam dignitatem renuisset, à diuina tamen voluntate non recedens; à Capuanis maxima cum reuerentia receptus est. Octo annos & tres menses præfuit, quos schismaticorum persecutione habuit infestos veneno, comitate, tolerantia, alimonias summa cum charitate præbere studuit, atque ita vt matronæ cum tribus filijs obuiam ierit, mulam, in qua equitabat, dono dedit. Decessit Confessor Beatissimus die 10. Octob. eius sacrum corpus in Cathedrali conditum iacet, de quo Martyrol. Rom. Capaccius, Ferrarius, alijque; Monachus verò Acta eiusdem ex veteri Breuiario Capuano conscripsit, ac notis illustrauit. Quo tempore Paulinus Ecclesiæ Capuanæ præfuerit, ex Erchemperti Chronic. constat. Habet ille, S.Paulinum obijsse tempore quo Lando Comes Capuanus habitabat Sycopoli, idest in Palumbaria apud Trifiscum. Lando autem comitatum accepit anno 845. vel 46. itaque ante hunc annum non obijt S.Paulinus. Quia verò sedit Capuæ ann.8. mens.3. oportet ipsum consecratum fuisse circa ann.843. à Gregorio IV. Papa, qui sedit ab anno 828. ad annum

num 844. Obijsse verò circiter annum 851. Capuanis summa veneratione fuisse semper subdit Monachus. Capella Thesauri, cuius sub altari corpus eius conditum est, ab eius nomine titulum accepit. Recordamur, inquit, Thesaurario curante, campanas per octo dies ante festum Vesperi consonare, & in festi peruigilio lucernas in summo Campanili ardentes lucere; scimus, parentes pro impetranda salute suis ægris, & desperatis infantibus, ante Altare S. Paulini orare solitos, & oratione, vel etiam missa aliquando peracta, infantem per altare, quod concauum & à lateribus apertum est, manu sacerdotis duci consueuisse. Nunc (heu quàm facilè iuxta prouerbium) sanctorum veterum obliuiscimur: Hæc ille. Cæterùm vult idem Monachus, Paulinum fuisse vltimum Episcopum Capuæ veteris.



30. LANDVLPHVS Landulphi Senioris Capuæ Comitis postremus filius, Landonis Comitis fratris fauore, teste Erchemperto, ordinatus est Episcopus Capuæ veteris post decessum Paulini sanctitate clari circa annum Dom. 851. *Hoc*, inquit, *tempore* (scilicet defuncto Patre Landulpho) *Paulinus Deo dignus & carus vir Capuæ Præsul ab hac carnea subtractus est face, atque Landone supradicto viro viriliter decertante, Landulphum fratrem suum Episcopum ordinauit; sed incongruam vicissitudinem filijs eius post patris intulit obitum, quos velut dirissimos hostes vario ac perpetuo mulctauit exilio.* Cuius futura dira opera præmõstrantur symbolica matris eius visione apud eundem Erchempertum. *Subtracto verò ex hac luce Landulpho Capuano Comite, vt post tergum redeam, quatuor reliquit liberos; Landonem videlicet iam factum virum, Pandonem, Landonulphum, & Landulphum futurum Pontificem: viros singularis prudentiæ. Ex quibus Lando Capuam, Pando Metropolis Suram, Landonulphus Theanum regebat; Landulphus verò adhuc teneræ indolis Palatinis exercebatur obsequijs. Hic autem nouissimus, & postremus in patulo claruit. Cùm adhuc visceribus gestaretur genitricis, eadem mater, cum se quodam die sopori iuxta viri dorsum dedisset, facem igneam peperisse videbatur ibi; quæ fax cùm in humi solum cecidisset, in maximum ignis globum aucta est, visaque est totius Beneuenti confinium concremare, sicque cum somno pariter, & visio elapsa est. Quæ nimium perterrita, mox proprio coniugi mœsta curauit indicare. Cuius visionis finem genitor vt audiuit, infaustis syllabarum dictionibus, futura eius dira opera complexus est dicens,*

Heu me dulcis amans, quæ nos tunc fata sequentur,
Augurium suum monstrat tua visio dira.
Hac tuus hic ortus, tegitur qui clausus in aluo,
Diliget haud vllum, spernet qui sanguine claros,
Postremo ciues viperino deuoratore,
Ac velut ignis edax cunctorum pectora adaret.

Quod ille in extasi mentis licèt prædixerit, nos quoque proprijs intuiti sumus obtutibus, qui innumerabiles insontes hominis illius facto conspicimus, per ignem gladijs corruisse. Ignis itaque ille ipsum humani generis sanguinem, qui postea eo operante fundendus erat, sub quadam imaginis specie portendebat; quod ne cui incredibile hoc, aut imaginariè fortè confictum videatur, tot mihi testes sunt, quot penè homines versantur in vrbe: huius etiam actio finisque exitus in sequenti propalabitur. Igitur Landulphus homo versutus, elatus, petulans, & irreligiosus, sic eum vocat idem Erchempertus, Episcopatum assequutus cum cremata esset ciuitas Capuana ab igne, cum fratribus suis nouam construxit vrbem Capuam, quæ nunc extat ad Pontem Cosilini anno 856. vbi Cathedralem Ecclesiam ædificauit, vt videre est in conuexo pariete Chori, musino opere depicto. In eadem noua vrbe Comes euasit anno 862. ex ea enim nepotem Landonem, Landonis fratris filium, quem ab illo commendatum susceperat, post eius obitum eiecit, consentiente sibi germano Pandone, belloque insequutus est, peremptoque in dimicatione, Pandone, eiusque filijs Capua decedentibus, factus 6. Comes, vrbem administrauit, reuuitque comitatum per annos 12. & mens. 9. Interruptis etenim vicibus bis Capuæ præfuit Comes ante aduentum Ludouici Imper. Lotharij filij ann. 3. mens. 9. ab anno scilicet 862. vsque ad annum 865. ac post decessum eiusdem Imperatoris ab anno 871. vsque ad annum 879. vt ex Erchemperto, more suo eruditissimè in notis ad eundem, & Chronologia Comitum Capuæ insinuat Camillus Peregrinus, Sub hoc temporis spatio eius calliditas frustratur, Ludouicus enim Imp. qui Capuam obsedit, & obtinuit, suisque Iudicibus, sine

ue Primatibus singulis ferè mensibus regendam, atque in prædam tradidit, sed Landulphus nil animo destitutus, in amicitiam Imperatoris se insinuauit, à quo auxilia in Saracenos petijt & obtinuit, eosque bello deleuit; *Hoc enim* (verba sunt Erchemperti) *solummodò memorabile bonum gessit à die ortus sui:* Tertio constituitur eius in regno, ac temporis opportunitate vsus, se Primatem fieri, & Cauapanam Ecclesiam super omnes Cistyberinas exaltari metropolitana dignitate, Gauferiumque Salernitanum Principem deijci studuit, sed nil assequutus est; mortuo enim Ludouico Imp. & à suis nepotibus bello fatigatus, rerum vicissitudini deseruijt, eiusdemque Principis in eos aduocauit auxilia, quibus mox concordauit. Obijt tandem penè impœnitens, & irreligiosus anno 879. 4. Idus Martij, vt Erchempertus scribit. *His quoque diebus iam factus Præsul percussus interijt, qua die sua correctionis ab omnibus Presbyteris S. Benedicti cauallos expectabat, vt in barathrum non sine equis rueret:* superiùs eiusdem Landulphi vitia, gestaue breui in hæc verba conscripserat. *Fuit autem Landulphus, vt pollicitus fueram, ex natura prudens, sed ex consuetudine callidus, lubricus nimium & petulans, ambitiosior omni homine, & elatus supra quàm credi potest; Monachorum quoque infestor & prædo. De quibus in Tribunali tumidus sedens solitus erat dicere circumstantibus. Quotiens Monachum visu cerno, semper mihi futura dies auspicia tristia subministrat. Iusto valdè Dei iudicio, vt ab eis incommoda toleraret, quos velut nefandissimos hostes exercebat, & prosequebatur, à quibus etiam in futuro torquendus erat. Principis quoque sui derisor, & pristurus, nepotumque suorum perosor, quippè qui neminem dilexit, præter sua carnis incentiua; pacem nunquam, nec in die obitus sui, amplexatus est, sic vbi fœdera facta sensit, totus se strenuè injiciens, rixarum semina seuit. Quod si cui incredibile videtur, animaduertat, quot vicibus Guaiferium fefellit, cui Prætor iurauit, ipsumque ipse Principem constituit. Multo enim libentius cupiebat captiuari animas hominum innocentium, quàm vel parem eum habere, non dico seniorem, contra Apostoli præceptum agens, qui ait: subditi estote omni ditioni propter Deum, siue regi, tanquam præcellenti; siue Ducibus tanquam ab eo missis. Et alibi: Non est potestas, nisi à Deo; quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt, itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. His igitur postpositis Ecclesiastica dogmata, iuraque episcopalia contempsit; feminiros solummodò dilexit, eosque cunctis prætulit, impleuitque nihilominus prophetiam Isaiæ: Effeminati dominabuntur eis. Huius ergo facta viri minutatim explicare si voluero, facilius, vt reor, tempus absumetur, quàm fundi serma terminetur. Tamen si quis medullitùs nosse desiderat, versus à memet constructos requirat. Ante diem verò exitus sui Capuam tribus fratrum suorum filiis ita diuisit, vt omni tempore inter eos gladius rixæ nunquam omnimodò abesset; & fateor, si quis corde non percipit, oculis videat;* Hæc ille. De quo in Historia ignoti Cassinensis legitur. *Landolfus autem extitit suis ciuibus non solum Episcopus, sed Comes & Iudex, non solum Præsul, verùm etiam Gastaldius, neque tantum Pontifex, quin & veluti miles super cunctos præerat.* Laudatur tamen à Ioanne VIII. Papa, & magnæ auctoritatis fuisse cognoscitur in eiusdem ad ipsum scripta Epistola de expulsione Saracenorum agente, quarum primam num. 9. illarum libet hic exscribere. Scripta est Epistola mense Septembri, vel Octobri, inchoata iam indictione decima anno 876 ita se habet. *Ioannes Episcopus, Landulfo Episcopo Capuano. Sancta Romana Ecclesia, cuius Deo auctore, præsidemus regimini cunctis ab exordio sibi fideliter seruientibus, dignam in præsenti, & in futuro sæculo solita est bonæ retributionis, reliquisque fidelibus suis vtroque modo ob vestræ fidelitatis deuotionem, quam illic positi plenè cognouimus per omnia, maternis visceribus fauebit in proximo. Siquidem nosse volumus sua religionis intentionem, quoniam Domino cooperante, Leone venerabili Episcopo nepote nostro, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ eximio Apocrisario, alijsque nostris legatis: quos nuper direxeramus, à carissimo filio nostro Carolo Augusto reuersis, vobis vt potè à secreto consiliarijs nostris, ratum ducimus animi nostri, Deo inspirante, circa Ecclesiarum, præsertim Romanæ, quæ caput est omnium, exultationem affectum patefacere: omne sanè ius potestatis antiquitus attributum, capitulariter renouans in Conuentu Episcoporum; ac optimatum inuiolabiliter concessit habendum. Inter quæ de terra vestra pacto, prout Christo Duce voluissemus statuere, nostro iuri, potestatique commisit, quatenus id, quod Pontificali ore nudis verbis diximus, operum ostendamus patratione, & vt pro anima vestra exhilaratione patrum . . . stylus scribentis loquatur. Parate hospitium, qui cum nouo hospitum agmine Dei gratia in vestras partes sumus venturi. Prauis correctionis infidelibus, quantum valetis, imponite, fidelibus quoque futuræ in proximum spei sublimationem promittite. Domini Dei nostri sine intermissione hortor misericordiam deprecemini, nostrumque aduentum spectate veraciter.* Sedisse in Capuana Sede Landulphum ann. 22. scribit Monachus, sed iuxta certiorem calculum sedit ille ann. 28. in veteri, nouaque Capua; Cuius Præsulatus tempore, anno scilicet 969. reliquiæ Sancti Vincentij Martyris ex Hispania per duos Monachos Capuam translatæ sunt, teste Baronio. Meminit Landulphi Anonymus Salernitanus part. 2. & Ostiensis in Chronica.



31. LANDVLPHVS II. Landonis Segnis septimi Capuæ Comitis filius demortuo Landulpho propatruo admodum adolescens in Capuanæ Ecclesiæ Sacerdotio canonicè successit anno 879. à Ioanne VIII. Papa confirmatus post duos menses ab electione, cum adhuc ex negligentia patris haud consecrationis munus accepisset à Patruele Pandenulpho Comite ex Episcopio expulsus in veteri Capua ad S. Stephani se recepit. Extat de hac re epistola eiusdem Ioannis Papę 208. *Landulpho, &c.* Tunc suggerente Diabolo factū est schisma, & diuisio Ecclesiæ & Episcopatus Capuani; Pandenulphus enim, vt Erchempertus tradit, odij & inuidiæ in patruelem Landulphum electum, Landenulphum fratrem suum laicum inordinatè tondens Romam direxit, eumque à Ioanne Papa multa prece deposcens Episcopum fecit. Qua de re non parua inter parentes vtrorumq; Episcoporum discordia nata est, ita vt odium fieret, plurimo valens tempore. Denique Ioannes Papa tali comperto flagitio, aduenit Capuam, vt discordes ad concordiam reuocaret, diuisione facta, vtrunque constituit; idest in Ciuitate Capuæ nouæ Landenulphū Episcopum, Landulphum verò Episcopum Sanctæ Mariæ cognomento Suricorum consecrauit in Ecclesia S. Petri veteris, & facta pace inter eos, sed paulum perdurante Romam reuersus est ad Sedem propriam, iterūque facta est inter eos diuisio, & Landulphus adeptum totum Episcopatum, fructus attributos Landenulpho vsurpare studuit, qua de causa scripsit ad ipsum idem Ioannes Papa epist. 248.

Reuerendissimo & Sanctissimo Landulpho Episcopo Suricorum. Vera relatione comperimus, quod quicquid tempore consecrationis tuæ in nostra conspectu de frugibus illius Ecclesiæ congrua deliberatione fuerat inter te, & Landenulphum Capuanum Episcopum difinitum, tu, ingenti vsus temeritate violaueris: & quod nos iuxta temporis qualitatem moderari decreueramus, tu adimplere neglexeris. Quo audito valde noster animus est commotus, quod tam audacter nostra

A *præcepta paruipenderis, & terminos paternos excesseris. Quapropter huius nostri Pontificij auctoritate, ab huiusmodi te factione compescere volentes, præcipimus, & modis omnibus tibi iniungimus, vt omni obstinatione deposita, quicquid nos illic positi inter te, & eundem Episcopum, vel illius fratrem Pandenulphum fidelem nostrum de diuisione, vel frugibus illius Ecclesiæ deliberauimus, sine mora adimplere procures. Hoc scitus, quia si aliter agere præsumpseris, sicut inuasorem rerum sacrarū, te canonicis iaculis feriemus. Quod si aliquam querimoniam, aut iustam excusationem te habere confidis; tunc cum eodem Episcopo causam dicturus, iubemus, vt nostram petas præsentiam; Non nos præsentē*
B *Legato nostro Vualperto Reuerendissimo Episcopo dilecto Consiliario nostro præcipimus, vt si nostra salubria monita adimplere contempseris, ex nostra auctoritate, te excommunicare procuret, quatenus sicut prædiximus, Romam in nostra præsentiā, &c. Data 15. Kal. August. Indict. 13. anno* 880. Ad hāc Epistolam notas adiecit Monachus, quas hic lubet exscribere, cum maxime iuuent ad Lādulphi acta, cæteraq; intelligenda.

Landulphus, (inquit) qui dicitur Episcopus Suricorum etsi egressus à Capua noua in Ecclesia S. Stephani Capuæ veteris habitabat, tamen quando à Papa Ioanne conse-
C cratus est Episcopus, non fuit consecratus in illa Ecclesia S. Stephani, sed in Ecclesia S. Petri, vt habet Erchempertus, cui consentit Chronicum Cassinense. Cur ergo dictus est Episcopus Suricorum? Profectò hoc nomen Suricorum hac etiam ætate perseuerat in Ecclesia S. Mariæ Maioris Capuanæ Diœc. illa enim Ecclesia vulgari nostro sermone dicitur S. Maria delli Surici, seu, delli Sulici; imò cū Anonymus auctor manuscripti Cassinensis dicat, S. Mariam cognomento Suricorum, dictio illa cognomento videtur significare vocabulum Suricorum fuisse proprium illius Ecclesiæ, & proindè qui hic dicitur Episcopus Suricorum, erat Episcopus residens in Ecclesia S. Mariæ Maioris. Credendum igitur est (nec erit inter Auctores citatos vlla diuersi-
D tas) Landulphum, qui consecratus est Episcopus in S. Petro, paulò post suam consecrationem, quando vidit Ecclesiam S. Petri à Saracenis exustam ad S. Mariam cognomento Suricorum Episcopium transtulisse. Sed qua de causa Ecclesia S. Mariæ huiusmodi cognomentum sortita fuit? Ego, omisso quod dicitur de leproso filio Imperatoris sanato Soricum linguis, opinor, extante Capua veteri tempore Barbarorum vicum appellatum Suricum ab aliquo viro, cui nomen erat Surus, sicut in hac noua Capua fuit vicus Oialdiscus ab Oialdiscis & posteris Oialdi. Passim vbique in vrbibus est inuenire huiusmodi vicorum nuncupatione. Hæc opinio, seu coniectura, quia nititur ijs, quæ communiter euenire solent, mihi semper arrisit, quod enim

dici-


dicitur de leproso mundato foricum linguis, vt diximus in S.Symmacho, nullam prorsus habet probabilitatem, neque fidem antiqua tabella sibi conciliare potest ex eo, quod musiuum illius Ecclesiæ habet forices; vix namque est vnus, & alter forex: qui cum non nisi magna oculorum adhibita diligentia cerni queant, neque sint propè, aut versus Imaginem B. Virginis, sed longè, alioue spectantes manifestum est ad ornatum positos esse, sicut ad ornatum columbæ, oleæ, palmæ, flores, & id genus alia ibidem posita sunt, & ornatus causa; duos quoque forices propè vas florum in musiuo Cathedralis intueri licet. Ipse verò Landenulphus nô diu Episcopatum tenuit; nam Landulphus reddens ipsi vicem, ipsum expulit. Et quamquam manuscriptum Cassinense citatum habet Landenulphum post quatuor annos à Landulpho expulsum; tamen quia extat epistola Ioannis VIII, n. 289. quæ ad summum scripta fuit expirante indictione decima quinta, idest anno 882. mense Augusto, seu Septembri, oportet illum vix attigisse quartum annum. Quomodo autem facta sit expulsio Landulphi, scribit Heremperius fol. 64. verba sunt. Hoc facto, non multò post prædictus Præsul (Athanasius Neapolitanus) vnà cum filijs Landonis & filijs Landenolphi (consanguineis Landulphi Episcopi, quibus spreto Pandenulpho sociatus erat) super Capuam aduenit, dictamque Vrbem obsidens affligebat. Qua necessitate compulsus Pandenolphus Radelgisium Principem, cognatumque suum in auxilium incitauit: is autem segnitie deposita, mox Ayonem germanum suum aduocans in Comitatu suo, Capuam expugnans (hostes nempe obsidentes eam) audacter ingressus est. Post hæc Ayo cum Beneuentanis & Capuanis egrediês cum filiis Landenolphi Amalphitanos habêtibus certamen inijt, & aliquandiû certatum est iuxta portam vrbis. Cumque neutra pars alteri cederet, vtraque acies ad sua reuersæ sunt. Redeunte itaque Radelgisio ad propria, Athanasius ad solita conuersus arma, simulauit vniuersos fratrueles pacisci, cohortatusque est eos, vt dato sacramento ad alterutrum, omnes ingrederentur vrbem, quasi communiter habitaturi. Et Pandenolfus ab eodem Præsule iuramentum accepit, ne vllas contra eum moliretur insidias. Tunc omnes fratres in vnum adunati, Capuam adierunt, dato prius Amphiteatro (dictum eo tempore Berelatis, hodie Borilascium) eidem Athanasio, & ille Guaiferio ad cohabitandum tradidit, ad perpetuum Capuanorum iurgium. Cum verò adessent vniuersi, vt diximus, omnes iurauerunt, vt pacifici, & sine vlla molestia dicti viri intrarent ad commorandum. Pandenolfus autem recepit eos ouans, cum clericis veste amictus candida. Illi autem mox ingressi initio apprehenderunt Pandenolfum, & Landenolfum fratrem eius, quem supra descripsimus Episcopum cum omnibus

consentaneis, sequacibus & fautoribus eorû, & hi omnes missi sunt Neapolim, & vxores, filij, & filiæ missi sunt illuc. Hactenus Herempertus. Pandenulphum, Hic est Pandenulphus ille, qui in m. s. Cassinensi dicitur Comes Capuæ post obitum Landulphi Comitis & Episcopi. Ad hunc Pandenulphum est epistola Ioannis Papæ VIII. qua significatur Pôtificem ipsum scripsisse Guaiferio Principi Salernitano, vt ab impugnandis Capuanis desisteret. Volo hic obiter adnotatum, Pandenulphum in Epistola Ioannis Papæ dici gloriosum Castaldum, quo etiam titulo in Epistola 289. appellatur Lando, qui Capuæ præerat. Ex Chron. Cassin. manifestè colligitur, titulum Castaldi fuisse minorem titulo Comitis: At si minor titulus, non minor potestas, vbi Castaldus dominabatur ipse: minor quidem, si regebat ipse ciuitatem, cui Princeps, vel Comes dominabatur. Obseruaui Comitatum, & Castaldatum fuisse Longobardis à principio munera temporanea, sed postmodum transisse titulos in hæreditatem.

Indict. 13. Is erat annus Domini 880. Hic tandem admoneo, eundem ipsum, qui dicitur Episcopus Suricorum, appellatum quoque Episcopum Berolasis: extat enim Ioannis Papæ VIII. epistola 176. scripta quidem anno 881. cum huiusmodi præfixo titulo. Omnibus Episcopis Caietam, Neapolim, Capuam, Berolasim, & Amalphim, Beneuentum & Salernum incolentibus. Est Berolasis locus in Capua veteri ad Sanctum Stephanum vulgari nuncupatione dictus etiam hodie *li Verlasci*. Anonymo Cassinensi Berelais, Heremperto Berelasis, Latinè loquentibus Amphitheatrum Neque mirum, si Episcopus in Capua veteri constitutus, Suricorum, vel Berelasis appellabatur, cum illis in vicis Capuæ veteris essent insigniores Ecclesiæ. Landulphus Episcopus Suricorum, expulso Landenulpho, à quo ipse fuerat expulsus, integrum Episcopatum obtinuit. Ita supracitatum m. s. Cassinense: cui fauet Titulus Epistolæ 289. in epistolis Papæ Ioannis VIII. est eiusmodi; Leoni Episcopo Thianensi, Item Landulpho Episcopo, & Landoni Castaldio patrieius. Agitur in illa epistola de negotio hominis Capuani. M M. Hactenus ille.

Agit de hoc schismate & Episcopatu æqua forte diuiso Erchempertus, Leo Ostiensis lib. 5. cap. 43. Ioannis Papæ Epistolæ, ex his Baronius ad annum 879. Porrò de eodem Landulpho refert idem Erchempertus illum ab Atenulpho patruo, qui Capuam vrbem suæ subiecerat potestati, captum, & custodiæ traditum fuisse circa annum Domini 888. Quid deinceps factum de ipso sit, cum nulla alia de illo apud eius æui scriptores reperiatur mentio, prorsus ignoratur; potuit ille paulò post obijsse. Landulphi neptis fuit Gemma nata ex côsobrino Landulpho Beneuentano Principe. Ea Gemma Athanasij Episco-

pi Neapolitani filia, quę vxor fuit Caroli Comitis Burgi-noui de Ficeclo in Etruria, ex veteri monumento Abbatiæ S. Saluatoris Ficeclensis 3. Ianuarij anno 986. quam fundauit idem Carolus Comes. Gemma verò cum filio Lothario Comite eandem pluribus ditanit bonis. Huius Gemmæ non meminere, qui de Capuanis, Beneuentanisque Principibus scripserunt.



32. LANDENVLPHVS filius Pandonis, frater germanus Pandenulphi Comitis Capuæ, Landulphi primi Episcopi pronepos, Landulphi II. patruelis eodem anno 879. in schismate Neophytus, & coniugatus ordinatus est Episcopus Capuæ nouæ, vt supra in Landulpho ex Erchemperto scripsimus. Leo Ostien. lib. 5. cap. 43. eadem ferè commemorat de eiectione Landulphi, electione Landenulphi, eorumdemque ordinatione, ac diuisione Capuani Episcopatus, quæ omnia respondēt ijs, quæ ab Erchemperto, & in Epistolis Ioānis VIII. recitantur. *His diebus*, inquit Ostiensis, *expulso Landulpho Episcopo Canonicè electo, Landenulphum quendam de suis nobilibus, coniugatum atque Neophytum sibi in Episcopum elegerunt, multisque precibus iam dictum Papam fefellerunt, vt eis ille consecraretur Episcopus. Quocirca Bertharius venerabilis Abbas Cassinensis, & Leo Theanensis Episc. Romam profecti Summū Pont. orabant, ne iniustæ postulationis precibus vllis annueret, ex qua grauis populo ruina immineret, & multa effusio sanguinis consequeretur. Atque vt apertius scias Apostolice* (inquit Abbas) *si id fieri permittas: magnum profectò ignem, qui te quoque corripiat, succendes. Tunc ille primò tanti viri constantia territus; postmodum iniquitate praeualente Neophytum, hoc est, laicum hominem, vt petebatur, consecrari permisit. Hanc ciuilis discordia Saraceni opportunitatem nacti, rursus vniuersa diripiunt, iterum cuncta populantur. Cuius rei gratia Apostolicus est Capuam venire coactus. Videns ipsi contigisse, quod noster illi prædixerat Abbas: indoluit animo, ac pœnitentia ductus, Landulphum quem supra depulsum memorauimus, in Ecclesia B. Petri Apostoli Capua veteris ordinauit Episcopum. Landenulphum verò Capuana Ecclesia praeesse constituit, cunctumque Episcopatum mandauit inter vtrumque aqua sorte distribui.* Hæc Leo. His respondent eiusdem Ioannis Papæ epistolæ dum eodem tempore Landulphum, & Landenulphū Capuanos ostendunt Episcopos. Porrò Lādenulphus paulò post ab Episc. Landulpho Capua expulsus, & fraude captus, Neapolim eod. Pandulpho fratre relegatus est; totū amisit Episcopatū, adeo vt de illo nulla alia reperiatur mentio, nesciturq; an idem sit ille Landulphus Capuanus Episcopus, de quo Formosus Papa in Epistola ad Stilianum prò Ecclesia Constantinopolitana, retinueritque iterū Episcopatum, siue nudum nomen seruauerit: legationem obiuerit nomine eiusdē Formosi ad Constantinopolitanos anno salutis 891. de quo Baronius to. 10.

33. OTHO huius Ecclesiæ Præsul fuit; tempus verò quo ille sederit, vel quandò obierit, ignoratur; creditur tamen hanc ille rexisse Ecclesiam post Landulphum secundum, vt ex epigrammate in musiuo exarato in Cathedrali, quam consecrauit, legitur.

Condidit hanc aulam Landulfus, & Otho beauit,
Mœnia, res, morem, vitreum dedit virgo decorem.

De eodem Othone extat aliud epigramma in parua porta Aquilonari.

Hoc pius Antistes cleri lux Otho patrauit
Ecclesiaeque pater res, mores amplificauit.

34. VGO successor Othonis musinum ornamentum addidit Cathedrali Ecclesiæ, vt ex eodem Epigrammate notatur in Othone.

35. PETRVS electus memoratur in registro Petri Diaconi apud Cassinum, legitur ibi, Petrum electum Capuæ anno 928. obtinuisse à Landulpho, & Atenulpho Principibus confirmationem Abbatiæ cuidam Abbati Ioanni vt tradit Monachus in recognitione.

36. SICO floruit tempore Marini Papę II. anno 943. Huius meminit Chron. Cassin. lib. 1. c. 60. agitur ibi de contentione Siconis Episcopi Capuani cum Cassinensibus de Ecclesia S. Angeli, quæ tunc ad Arcū Dianæ appellabatur, templum enim eiusdem Dianæ inibi fuit, nunc verò ad Formam dicitur; contentionem dirimit Marinus Papa, mandauitque Ecclesiam custodiæ & potestati Monasterij S. Benedicti, quod tunc Capua erat perpetuo permanere.

37. ADELBERTVS egregius Capuanæ Ecclesiæ Episcopus anno Dom. 949. defun-

ćto

cto Maielporto Cassinensi Abbate, cum conuenisset in Capitulo Monasterij Capuani cũ Alderico Episcopo, Leone S. Vincentij ad Vulturnum Abbate, nec non cum alijs nobilissimis iudicibus eiusdem Ciuitatis 8. Kalen. Nouemb. Cassinensis Abbas Aligerius ab vniuersis Monachis eiusdem Monasterij, Adelberto, ijsque omnibus annuentibus cum gaudio & lætitia electus est. Sic Ostiensis lib. 1. cap. 56. & hæc tantum de Adelberto ad posteros peruenit memoriæ.

38. SYMMACHVS Episcopus Capuanus, quem sanctitatis titulo notat vetus m. s. Kalendarium Capuani, Thesaurarij 11. Kal. Nouemb. Hic ferè à fundamentis excitauit Ecclesiam S. Mariæ Maioris, & in ea post obitum repositus, & anniuersario festo recolitur: cuius nomen in abside per girum exaratum legitur in musiuo SANCTA MARIA, SYMMACHVS EPISCOPVS.

At verò quonam tempore Symmachus vixerit, nihil certi afferri posse existimat Michael Monachus. Ego igitur, ait, mihi videor arbitrari posse Sanctum Symmachum vixisse post annum 900. & fortasse circa annum 950. De Ecclesia S. Mariȩ Maioris plura affert idem Monachus, quam antiquissimam fuisse probat, nec à Symmacho exædificatam, vt aliqui scribunt, sed amplificatam. Idemque admonet hoc nomen Sanctus Symmachus vulgo proferri Sancto Simmio, vt agnoscamus non tantùm in Ecclesia S. Mariæ Maioris, sed etiam intra Capuam nouam S. Symmachi memoriam esse cultam. Erat hic paruulum Oratorium dictum de Sancto Simio superioribus annis, nescio cur profanatum; ipsa tamen ædicula adhuc integra perseuerat, & est illa, quam propè ab aquæductu primus fons emanat. Capuani itaque Ciues Episcopo Capuano in Ecclesia S. Mariæ Maioris deposito memoriam intra mœnia Ciuitatis cõsecrauerunt. Huius quoque, nec alterius Symmachi credam fuisse Ecclesiam Sancti Symmachi in Diœcesi Calnensi, Capuano Archiepiscopo subditam, vt legimus in Bulla Alexandri Papæ anno 1173. & Thesauro vetitam, vt in Instrumento Thesauri anno 144 nec non Ecclesiam in loco, qui propè villam Curtinm corruptè dicebatur Sancto Simbrio anno 1344. hæc ille de Symmachi veneratione apud Capuanos. Cæterum in recognitione Sanctuarij pag. 39. num. 45. addit de Symmacho. Si quis vnquam, vel certa ratione motus, vel probabili ductus coniectura putauerit S. Symmachi nomen inter Episcopos veteris Capuæ numerandum, ego iam nunc libenter adhæreo. Et is cogitet rogo, num S. Symmachus videri possit esse ille Symmachus, qui S. Paulino Episcopo Nolæ morienti legitur adfuisse, Hac tempestate vetustum Benedictinorum Cœnobium Capuæ S. Ioannis Baptistæ constructum est anno 967. de quo Monachus in Sanctuario. Landulphus Castaldus Capuæ post vxoris Aloaræ, filiorũ

A que Landolfi, & Adenolfi mortem, morti & ipse proximus testamentum condidit, scriptisque in eo legatis, Tumellæ libertæ suæ, & Offæ naturali filiæ suæ, & Atæ filiæ legitimæ, & naturali nuptæ iam Vxori filij Sadelfridi Iudicis, Heredes instituit duos, qui sibi supererant filios, Landonem Diaconum, & Paldolfum, expressè cauit, vt si fortè instituti hæredes absque legitimis liberis decessissent, Abbas Monasterij S. Benedicti in monte Cassino, in illa ipsa domo, in qua testator ipse tunc residebat, Monasterium sub vocabulo S. Ioannis Baptistæ construeret, cui sua testator omnia bona, quæ & Capuæ, extraque, & vbique erant, essent addicta: Monasterium verò cum bonis in Cassinensis Abbatis dominio, & potestate permaneret. Casus euenit: Landulphus, & deinde instituti hæredes filij

B liberis non superstitibus obierunt. Quare Aligernus Abbas Cassinensis Monasterium Puellarum S. Ioannis Baptistæ nuncupatum erexit, Sichelgardam in eo Abbatissam ordinauit, & anno vigesimo quarto Principatus Domini Paldolfi Capoferrei mense Martio 10. Indict. qui erat annus Christi 967. omnia quæ fuerant Landolfi Castaldi bona, S. Ioannis Monasterium recuperauit.

C

CAPVANI ARCHIEPISCOPI.



D

1. IOANNES Landulphi filius, Pandulphi cognomẽto Caputferri germanus frater, postremus fuit Capuæ Episcopus, eiusdemque Ecclesiæ primus Archiepiscopus. Ioannes enim XIII. Pontifex à Romanis pulsus, & in exilium actus Capuam cum venisset, & à Pandulpho Principe liberalissimè fuisset exceptus, eiusdemque Pontifex precibus excitatus, tanquam relaturus haud impares gratias Archiepiscopatus dignitate illam ornauit anno salutis 968. cui tradidit cum multis alijs ciuitatibus Episcopatum Atinensem, vt scribit Chron. eiusdem

R 2 Ec-

Ecclesiæ. Hæc primum in toto Neapolitano Regno instituta dignitas cessit in Ioannem ab eodem Ioanne consecratum, vt Leo Ostien. lib.2. Chron. Cassin. cap.9. Io. Monachus, Chron. S.Vincentij de Vulturno lib.2. Ramulduѕ Salernitanus in Chron. Atinensis Ecclesiæ monumenta & Baronius to.10. Annal. Ecc. ad ann.968. qui superaddit primam omnium (quod inuenerim) Ecclesiam Capuanam ea Archiepiscopatus dignitate in Regno Neapolitano fuisse illustratam. Decessit postea Ioannes ex hac mortali vita anno 974. cum præfuisset annis plus minus sex, summa, vt creditur cum laude prudentiæ.

2. LEO Venerabilis Monachus Cassinensis eligitur secundus Capuanę Ecclesię Archiepiscopus anno 974. sedit annis quatuor cum dimidio. Obijt verò anno 978. eius obitus dies memoratur 7. Id. Aug. in veteri Emortuali Cassinensi, de quo Ostien. in Chron. lib.2. cap.9.

3. GERBERTVS Cassinensis Monachus Leoni suffectus est anno 978. quo anno in Episcopum Caiacensem ordinauit Sanctum Stephanum. Non diù Pontifex fuit, cum anno 980. excessisset è viuis 12. Kal. Febr. eo ipso tempore, quo S.Nilus Capuam venerat, mortuusque est eodem tempore Pandulphus Capoferreus Capuæ Princeps, vt in actis eiusdem Sancti Nili habetur. De Gelberto idem Leo Ostien. in Chron. loco supra relato in Leone.

4. ADENVLPHVS Capuanam Ecclesiam cœpit regere post Gerbertum anno 981. cuius meminit diploma, quo Monasterium S.Laurentij Auersæ ab Archiepiscopali iurisdictione exemit, propterea quod Aloara, & Landenulphus eius filius Principes illud ędificauerant. Diplomatis initium. *In nomine Domini Dei Saluatoris Nostri Iesu Christi Anno ab Incarnatione Domini 986. & quarto anno Landenolphi excellentissimi Principis mense Aprili, 14. Indict. nec non & quinto anno Domini Adenolphi egregij Archipræsulis, qui Deo fauente Sanctæ Capuanæ Sedis Archipræsul consecratus est, &c.* De quo Capacc. in Catal. Huic Monasterio præfuit aliquando S.Aldemanus Capuanus Monachus Cassinensis, cuius corpus iacet in Cœnobio à se constructo prope Tetate in Marrucinis, cuius vitam scripsit Petrus Diacon. Cassin. quæ refertur à Monacho in suo Capuano Sanctuario.

5. AIO suffectus est Ademulpho circa ann. Dom. 990. Hic cum Landenulphi Principis propemodum pater esset, eiusdem necem miserabili mœrore proprijs vsurpauit oculis, eoque apud S.Marcellum à Capuanis extincto, suæ consuluit saluti, aufugitque ad Diui Benedicti cœnobium, vbi non multo post veneno à Capuanis propinato interijt, sepultusque est ante regiam secretarij eiusdem Ecclesiæ. Contigit mors Landulphi anno Sal. 993. quinta feria in albis Paschæ Domini, hoc est 12. Kalend. Maij, vt in antiquo Emortuali. Meminit eiusdem Ostiensis lib.2. c. . . & Auctuarium ad Chronic. Comitum Capuæ in hæc verba. *Concilium fecerunt Capuani, qualiter interficerent Landenolphum Principem filium Pandolphi eximij Principis, quod & fecerunt. Nam dum procederent ad S.Marcellum, peractis missarum solemnijs à Præsule eiusdem ciuitatis Aio nomine, egressus prædictus Princeps foras Ecclesiam, insurrexerunt in eum (proh dolor) cum gladijs & fustibus, & interfecerunt eum; atque exutum vestibus nudum in platea eum reliquerunt. Quem rapientes Monachi ex Monasterio Sancti Benedicti, in eodem Monasterio ante secretarium eum sepelierunt. Archiepiscopus verò supradictus fugit in iam dicto Monasteriolo, quem etiam postea ibidem iam dicti Capuanites veneno peremerunt, sepultusque est ante regiam secretarij. Sed Omnipotens Deus ille, qui hunc innocentem peremerant Principem, ostendere est dignatus, quia in suo eum regno recepit. Nam quadam die claudus quidam ad eius sepulchrum veniens, obnixè Christum rogare cœpit, atque in intercessione Domini Landenulphi Principis, cuius corpus illic requiescebat, qui etiam sine causa à suis occisus fuerat, vt ei pristinam sanitatem reddere dignaretur. Mira res! statim super eodem sepulchro soporatus, totam quietauit noctem. Manè autem facto ita sanus surrexit, ac si nullam debilitatem membrorum vnquam habuisset.* Hæc ille. In serie verò Comitum Capuæ cum Auctuario, quam publici iuris fecit Peregrinus hæc eadem commemorantur; additur tamen de reddita sanitate claudo, *per intercessionem Domini Landenolphi Principis* & martyris, deest ex vulgi sermone; nam *martyrium* ait D. August. ep.61. *non facit pœna, sed causa.* De ijs verò, quæ deinceps euenerunt Capuanis in vindictam Landenulphi scribit Ostien. eodem capite, sed alio ordine hæc euenere, quàm tradat Ostiensis, vt refert series Comitum Capuæ apud eundem Peregrinum. Cæterùm in Principatu Capuano Landenulpho successit Laydolphus frater eius Comes Theani, qui necem fratris vindicauit. Princeps fuit Capuæ Landenulphus cum matre Aloara ab anno 982. ad annum vsque 993. quo à suis occisus fuit, elapsis mensibus quatuor à matris obitu, quæ obijt 2. Non. Decembris ann. 992. fuitque filia Petri Comitis, & vxor Pandulphi primi, cognomento Caputferri, de qua Ostien. lib.2. cap.10.

6. HYBALDVS successisse creditur Aio eodem anno 993. eius mentio habetur in Chron. S.Vincentij de Vulturno, vixit enim temporibus Rofridi eiusdem Monasterij Abbatis, qui obijt anno 998.

7. PANDVLPHVS, cuius Præsulatus tempore Sanctus Stephanus Caiacensis Episcopus anno Dom. 1007. stetit Synodo Capuæ celebratæ ab eodem Archipræsule, vt in Ste-

Stephano

phano infra videbimus. Fato cessit Pandulphus sequenti anno 10. Kal. Martij ex monumentis Ecclesiæ Caiacensis, & veteri Kalendario S.Ioannis Capuæ.



8. ADENVLPHVS, vel Athenulphus huius nominis secundus statim Pandulpho successit. Vir fuit sanè doctus, & eloquens, siue soluta oratione, siue luderet carmine. Sacrum S.Martyris Marci Episcopi Atinensis officium versibus Leoninis complexus est, inuentionem quoque eiusdem hexametris & pentametris, vitamque eiusdem ad Clerum Atinensem conscripsit; quæ m.s. extant apud me: quorum initium. *Aeterni Regis disciplinam sequentibus vniuersis in Christo in S. Dei Genitricis Ecclesia vitam angelicam exercentibus, Adenulphus Capuanæ Sedis Archiepiscopus, calculum candidum à Iesu Christo Domino feliciter promoueri in vnitate fidei mirabiliter cōgregari.* 1013. Adenulphus Vicarius Papæ erat in Capuana prouincia, & anno 1032. in Suessana Ecclesia Benedictum Episcopum consecrauit anno 25. sui Præsulatus. *In nomine Domini nostri Iesu Christi, trigesimo secundo anno Principatus Domini Paldolfi, & vigesimo octauo Principatus Domini Paldolfi eius filij, gloriosis principibus, & primo anno Principatus Domini Landolfi . . . ac nepos superius dicti Domini Paldolfi magni, & excellētissimi Principis mēse Martio quintadecima indictione. Adenulphus diuina fauente gratia humilis Archipræsul, Clero, & Ordini, & Plebi ciuitatis Suessanæ Ecclesiæ,* &c. Integrum diploma dabimus infra in Suessanorum Episcoporum serie, ex eo annus primus Adenulphi Præsulatus deducitur 1008. Tradit Ostien. lib. 2. cap. 62. Adenulphum iniectum in carcerem fuisse à Pandulpho cognomento Malo, indè à Conrado Cæsare liberatum, suæ restitutum sedi anno 1038. quo, in die Pentecostes idem Conradus Capuæ coronatus est Rex, vel anno superiori, vt habet Anonymus Cassinensis: tunc pessimus Pandolfus in Sanctum Archipræsulem patrati criminis pœnas luit, cum à Conrado, è Principatu deturbatus Constantinopolim à Græco Augusto ad dignitatem Prin-

A cipatumque recuperandum suppetias petiturus aufugisset, quas Conradus Guaimario Salernitano Principi dono dederat. Verùm ab Imperatore relegatus in partibus illis mansit vsque ad obitum eiusdem Michaelis Imp. anno 1041. post quem annum Paldolfus in armis fuit vsque ad annum 1047. quo Guaimario renunciante, cum filio Landulpho amissum recuperauit Principatum, ac tandem miserè obijt anno 1050. Huius impietate nil famosius in Ostiensi legitur. At in tumulo eius, quod extat Capuæ in Ecclesia S.Benedicti non fuit sanctior eo. Sic lego.

Terrigenum primis pomo vetito male pactis,
B *Heu mortis iaculo sternitur omnis homo.*
Quo fossus telo tumulo tumulatur in isto
Princeps Pandulphus Principe patre satus.
A magnis proauis seu Lucifer orbe refulsit,
Vt sol à proprijs viribus enituit.
Namque Dei regnum statuit sibi quærere primùm,
Indè studens mundo non fuit absque Deo.
Nullus mortalis fuit hoc præstantior armis,
Consilio melior non erat alter eo.
Fractus peruersis, exaltatusque secundis
Non fuit; eius enim spes erat in Domino.
In verbo stabilis, verax & fidus amicis,
C *Et sibi subiecto blandus erat populo.*
Alloquio facilis conciuibus, & peregrinis,
Largior in dando non fuit vllus eo.
Semper & elatos pressit, domuitque superbos,
Ast humiles coluit, fouit amore Dei.
Exilium passus fuit hic vir tam venerandus,
Sed Deus ipse suo restituit solio.
Ante bonus fuerat, melior tunc esse studebat,
Cum mortis iaculo tollitur è medio.
Dena dies . . sine mensis duodeni
Vitæ præsentis terminus huic homini.
Plus vnum bis sex vixit quinquennia, menses,
D *Septem necne decem solibus atque nouem.*
Vt merearis idem dici, Lector, tibi tandem,
Dic flexis genibus, huic miserere Deus.

Pandolphus iste Capuæ Princeps huius nominis fuit quartus, filius Pandolphi 2. Principis Beneuenti, natus 6. Non. Iulij ann. 988. obijt mense 12. hoc est Februarij. Cæterùm Adenulphus Archipræsul in Atinensi Ecclesia suffraganea Leonem consecrauit Episcopum anno 1044. Adhuc in viuis erat Adenulphus anno 1056. vt idem Leo testatur in suo diplomate donationis factæ Clericis Atinensis Ecclesiæ, cuius initium. *In nomine Domini nostri Iesu Christi anno ob Incarnatione* eius

eius millesimo quinquagesimo sexto mense Iulio, ind. 8. residente in vrbe Roma summo & vniuersali Pontifice Domino Papa Victore, & imperante Domino Cōrado pijssimo Imperatore, & Capuanā Ecclesiā gubernante Domino Adenulfo Archiepiscopo, Nos Leo diuina gratia dispēsante Ecclesiæ Atinensis Episcopus, &c. Integrum diploma leges in Atinēsi Chronica ad calcē primi nostri tomi excusum. De Adenulfo nullam vlteriùs mentionem, nec annum habemus neque diem, quibus ex hac mortali vita excesserit dignissimus Archipræsul, ante tamen ann. 1059. oporter obijsse post ann. 50. sui Præsulatus.

9. NICEPHORVS Capuanus Archiepiscopus post Adenulphum collocatur à Monacho; annus quo vixerit ignoratur, dies tamen obitus eius 14. Septemb. recensetur in Kalendario Monialium S. Mariæ. Cæterum si Nicephorus successit Adenulpho, illum ad eam dignitatem vocatum fuisse post annum 1056. excessisse vero ante annū 1059. omnino fatendum est. Nec diu Pontifex fuit si Adenulfo successit, quod quidem non satis constat.

10. HILDEBRANDVS, quem aliqui Vlderinum appellant, interfuit Concilio Romano à Nicolao II. coacto anno 1059. & Synodo Romæ celebratæ sub Alexandro II. anno 1063. in qua conuinctus, quod contra priuilegium eiusdem Pontificis Cassinensibus datum murmurasset, veniam rogauit, ac liberaliter impetrauit, de quo Ostien. lib. 3. cap. 24. ex quo Baronius to. 11. anno 1065. commutationem fecit de Ecclesia S. Ioannis Adrepaldi, vbi Richardus Princeps Monasterium construxit, cui datus est Abbas nomine Capuanus: idem deinde Princeps Monasterium donauit, ac subdidit Cassinensi Cœnobio, ac Desiderio Abbati, hinc factum fuit, vt monasterio S. Angeli, non Abbates, sed Præpositi à Cassinensi Abbate præficerentur, de qua Ecclesia & cōmutatione vetus documentū eiusdem Monasterij, *Frater Azo Monachus Casinensis, & præpositus Monasterij S. Angeli in formis propè Capuam, & Conuentus eiusdem Monasterij salutem in Domino. Inuenimus Ecclesiam S. Angeli Oiadoscos de Capua immediatè ad nos & ad nostrum Monasterium pertinere. Et quod Princeps Richardus Capuanorum Princeps, data Venerabili patri Domino Hildebrando Archiepiscopo Capuano Ecclesia S. Ioannis Adpaldi, quæ nunc dicitur Nobilium, accepit dictam Ecclesiam in commutationem ab eodem Domino Archiepiscopo, cuius oblationem concesserunt, & confirmauerunt Iordanus, & secundus Richardus; necnon & cæteri Principes Capuani, & Sanctissimus Papa Gregorius.* Chronicon. verò Cassinen. lib. 3. cap. 37. sic commemorat. *Richardus Princeps per præceptum obtulit Beato Benedicto Ecclesiam S. Angeli, quæ nuncupatur ad formas, de qua superius, tempore scilicet Balduini Abbatis, qualiter à Marino Papa concessa sit, plenius scripsimus. Sed quia Capuanus Archiepiscopus illam eo tempore retinebat, præfatus Princeps cupiens ibidem facere Monasterium, ante septem circiter annos cum eo concambium fecit, data pro ipsa alia Ecclesia, vocabulo S. Ioannis de Landepaldi, quæ tunc temporis palatio pertinebat, cum ornamentis, & libris non paucis, & vniuersis rebus, ac pertinentijs eius, receptis ab eodem Archiepiscopo, Ecclesia S. Angeli cum tribus alijs Ecclesijs iam vetustate consumptis, idest Sancti Saluatoris, S. Ioannis, & S. Hilarij, & cum omnibus ad easdem Ecclesias pertinentibus, sexaginta auri librarum pœna apposita, si aliquando Archiepiscopus, vel alius successorum id remouere voluisset. Quo facto concessit in eodem loco Ecclesiam S. Angeli de faldiscos intra Capuam cum omnibus pertinentijs suis; nec non & quicquid palatio pertinebat in toto Sarzano cum vniuersis ibi habitantibus Villanis, & omnia, quæ ibi pertinerent Gregorio Comiti Palatij, & Petro filio Doserij in loco S. Erasmi. Cum omnibus itaque his, & cum vniuersis pertinentijs simul & cum chartula commutationis, quam à prædicto Archiepiscopo exindè receperat in hoc Cassinensi Cœnobio prædictam Ecclesiam obtulit. Et quoniam locus idem valdè amœnus, & satis aptus Monasterio erat, rogauit humiliter Desiderium, vt pro amore suo specialiter indè studeret, quod & fecit de Monasterio Alboneta integram omnium mobilium medietatem, etiam eiusdem loci Monachorum illuc transmittens: cœpitque Desiderius illud ædificare ex integro, tam speciosè, quemadmodum hodie cernitur: vbi etiam intra breue tempus quadraginta, & eo amplius Monachos regulariter victuros congregauit.* Hæc Chronic. Ea Ecclesia Sancti Angeli ad formam constat ibidem fuisse ante annum 943. quando, vel à quo ædificata fuerit, ignoratur. Fortasse eam condiderunt Longobardi Michaeli Archangelo addictissimi post eiusdem Archangeli in Monte Gargano apparitionem. Idem Hildebrandus Alexandrum II. Capuæ hospitio excepit anno 1068. Consecrationi Cassinensis Ecclesiæ ab eodem Pontifice celebratæ anno 1072. non adfuit, subscripsitque diplomati. Mortuus est paulò post, annus tamen ignoratur, non dies, quæ in Kalendario S. Mariæ 4. Nonas Maij notatur. Ad hunc Gregorij VII. extant aliquot epistolæ in tertio volumine epist. decretalium.

11. HERVEVS Gregorij VII. Papæ temporibus, imò in ipso Pontificatus initio declaratus est Archiepiscopus Capuanus anno 1073. quo Capuam eundem Pontificem venientem lætus excepit, Gregorius verò à Richardo Principe Capuano fidelitatis iuramentum exegit, apud quem Clerici Capuanæ Ecclesiæ cum Cassinensibus Monachis de Ecclesia S. Angeli ad formam decertarunt: huius controuersiæ meminit Ostiensis lib. 3.


cap.

cap.42. quæ tandem ad fauorem Caſſinenſibus, iudice ipſo Herueo ceſſit. In maiori Capuana Eccleſia hoc reliquum eſt huius Præſulis monumentum.

Auxit opes, mores, clerum quoque, res & honores.
Præſulis Herui lux fulgida luce diei.

Ad hunc Herueum extat Epiſtola eiuſdem Gregorij num.25. lib.9. ſcripta anno 1082. Ad hæc addit Monachus in recognitione, Iſernienſis Eccleſiæ adhuc adſeruat diploma, per quod Herueus iure ſuo metropolico aſſenſum præbuit, vt Comes illa in ciuitate puellare Cœnobium in Iſernienſi tamen iuriſdictione permanſurum extruere poſſet. Diploma datum eſt anno 1080. ſubſcripſit etiam Sichenolfus Archidiaconus anno 1087. Victor III. electioni pridem à Cardinalibus factæ Capuæ coacto concilio conſenſum præbuit, & Pontificatum inijt.

12. ROBERTVS poſt Herueum in Sede Capuana ius diuinum dixit, cuius mentio habetur anno 1088. in monumentis eiuſdem Eccleſiæ.



13. SENNES Capuanæ Eccleſiæ eligitur Archipræſul anno 1097. quo anno Vrbanus II. aliquandiu moratus eſt Capuæ, & fauorabile Caſſinenſibus diploma dedit. Vir fuit Sennes omni laude digniſſimus, niſi aliquando illum cæca deturpaſſet ambitio, etenim cum Bruno Signinus Epiſcopus in gratiam Caſſinenſium Monachorum Eccleſiam S.Nicolai, quæ erat Capella S.Angeli ad formam dedicaſſet anno 1099. poſtridie Sennes armata Capuanorum manu Eccleſiam violandam, altare deſtruendum, & Sanctorum reliquias ad ſe afferendas curauit; quare in Romana Synodo coram Paſchale II. anno 1102. celebrata, accuſatus, & conuictus ſacrilegij ſententiam ſubijt, ac cum clero, populoque Capuano ſatisfacere coactus fuiſſet, id humiliter egit; rem geſtam narrat Petrus Diac. lib.4. cap.28. Poſt hæc Sennes Vaſtallenſi Concilio interfuit anno 1106. Caſer-

A tanæ Eccleſiæ Diœceſim diſtinxit, vt in eius gratioſo deplomate, infra recitando continetur. Scriptum eſt diploma anno 1113. in quo ſe attitulauit Legatum Apoſtolicæ Sedis, ac in Principatu Capuano Papæ Vicarium. Præſens fuit conſecrationi Gelaſij II. Papæ apud Caietam anno 1118. quo mortali huic vitæ vale dixit 13. Kal. Decemb. cum ſediſſet ann.22. quem iuſta Dei vindicta detruſum fuiſſe illum in purgatorias, vltriceſque flammas, precibuſque, ac ſacrificijs Ioannis de Rauenna, & Ioannis de S.Angelo Caſſinenſium Monachorum abſolutum narrat auctor vitæ eiuſdem Ioannis de Rauenna in hæc verba. *Tempore præfati Abbatis (Gerardi) dum Sennes Capuanæ Eccleſiæ Præſul defun-*
B *ctus eſſet, ipſe Archiepiſcopus per viſum Abbati apparuit, cui Abbas ait: Num Sennes ille Capuanæ Sedis Epiſcopus tu es, qui nuper defunctus eſt? Cui ille. Ego ille ſum. Abbas inquit, quomodo tibi nunc eſt? Ille verò, diu (inquit) eſt, cum ignis cruciatibus torqueor; ſed ſi Ioanni de Rauenna, & Ioanni de S.Angelo, quorum preces & ſuffragia, ſicut incenſum in conſpectu Dei redolent, præceperis, vt pro me Redemptoris omnium hoſtiam ſalutarem offerant, his ſtatim eripiar cruciatibus. Quod cum illis Abbas iuſſiſſet, ac in ara viuificam hoſtiam obtuliſſent, iterum apparens, gratias pro tanto ſibi munere impenſo retulit, quibus dictis illicò euanuit.* Eo Archipræſule Capuæ celebrata eſt ſynodus à Gelaſio II. anno 1118. cuius acta temporis iniuria perie-
C runt.


14. OTHO huius nominis ſecundus qui & Octodonus dicitur, ſucceſſit Senneti anno 1119. vel fine anni præcedentis; huius meminit Chronic. Caſſin. lib.4. cap.69. teſtis fuit donationi Iordani Capuani Principis factæ Eccleſiæ Puteolanæ anno 1121. Hic teſte Falcone, Beneuentum præſente Honorio II. Papa in Capuana Metropoli Robertum de Surrento Principem Capuanum inunxit anno 1127 ſuperiori verò anno ſubſcripſerat diplomati eiuſdem Honorij Rogerio Piſano Archiepiſcopo; eiuſque ſucceſſoribus conceſſo; de quo deinceps nulla alia mentio habetur, creditur obijſſe anno 1128.
D 15. PHILIPPVS delectus eſt Archiepiſcopus in Othonis locum anno 1128. qui cum Rogerio Beneuentano, Ioanne Salernitano Archiepiſcopis, alijſque Prælatis, ac proceribus Rogerij Regis coronationi adfuit, quæ celebrata Panormi eſt anno 1129. de qua Pazellus Dec.2. lib.6. Hunc quidam modernus Cremonenſis ſcriptor vult fuiſſe patria Cremonenſem ex familia Ciria.

16. HVGO Archipræſul erat anno 1130. Is cum alijs Epiſcopis in ſchiſmate contra legitimum Pontificem Innocentium II. Anacleto Antipapæ adhæſit; Simoniaci criminis deinde damnatus iuſtiſſimā depoſitionis tulit ſententiā ann. 1135. meminit facti Alexander Abbas Celeſinus lib.3. rerum geſtarum Rogerij.

gerij Siciliæ Regis. Impetrauerat Hugo reſcriptum ab Anacleto, quo Monaſterium Sāꝯi Ioannis, Caſſinenſi Cœnobio obnoxium, ſuæ ipſius ſubijciebatur poteſtati; ſed reclamāte Abbatiſſa, Anacletus videns ſe ab Vgone deceptum, altero cuſo reſcripto primum reuocauit. Cæterum Hugo, veluti de eodem Monaſterio S. Ioannis bene meritus, nomen meruit in Kalendario mortuorum die 18. Februarij, qua ſcilicet die migrauit è vita.

17. GVILLELMVS nobilis Rauennas vir in diuinis humaniſque rebus ſcientia clarus Rogerio Regi in paucis charus à Capuanis laicis, clericiſque in admoti Hugonis locū Abbate Celeſino teſte in Capuana Sede, eodem Rege mandante anno 1135. intruditur, ſolemnique pompa cum Anſuſo Principe Rogerij filio Capuam ingreſſus eſt, qui cum ab Innocentio illegitimus deinde Archipræſul declaratus eſſet, ab eodē demum Salernitano Archiepiſcopatu ornatus eſt anno 1138. de quo ibi.

18. GAVFRIDVS Le-Roux Gallus Dolenſis Epiſcopus poſtquam Piſano interfuit Concilio ab Innocentio II. anno 1138. tranſlatus eſt ad Capuanā Eccleſiam, de quo Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana in ſerie Dolenſium Epiſcoporum, ex Ioan. Chenu in Chronologia Epiſcoporum Galliæ.



19. ALPHANVM poſt Gaufridum iſtius Eccleſiæ publicis tabulis adſcriptum Capuanum Archiepiſcopum anno 1163. eamque Eccleſiam ad annum 1183. quo fato conceſſit, adminiſtraſſe aſſerunt: cuius certiſſima apud nos emanauit memoria, non modò ob Romualdi Salernitani teſtimonium, qui ſcribit in Chronica illum cum viginti quatuor tritemibus adduxiſſe Neapolim filiam Henrici Anglorum Regis, vt nuberet Regi Gullielmo, & ſubſcriptionem eiuſdem Alphani Concilij Lateranenſis ſub Alexandro III. celebrati anno 1179. cui interfuit cum aliquibus exteris ſuffraganeis Epiſcopis apud Ioan. Picardum in notis ad Gullelmum Neubrigenſem, verū etiam ob certiſſimum Alexandri III. ad ipſum

A datum priuilegium anno 1173. cuius exemplar hic lubet exſcribere ex Michaele Monacho vnà cum eiuſdem ad eundem notis, ſcituque digniſſimis.

Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri Alfano Capuano Archiepiſcopo, eiuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis in perpetuum.

Cum ex iniuncto nobis à Deo apoſtolatus officio, quo cunctis Chriſti fidelibus ex ſuperni diſpoſitione arbitrij præeminemus, ſingulorum paci, & tranquillitati debeamus intendere, præſertim pro illorū quiete oportet nos eſſe ſollicitos, qui paſtorali dignitate

B ſunt præditi, & ad officium Pontificale promoti; niſi enim nos eorum vtilitatibus intēdentes ipſorum dignitates & vnà inquantum Deo permittente poſſumus, integras conſeruemus, & auctoritate Apoſtolica eos ab iniquorum hominum incurſibus defendamus, de illorum ſalute nōn verè poterūt eſſe ſolliciti, niſi qui ſibi ad regendum Domino ſunt diſponente commiſſi. Huius itaque rei conſideratione venerabilis in Chriſto frater Archiepiſcope, tuis iuſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatam Eccleſiam, cui Domino auctore præeſſe demōſtraris, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus, ſtatuentes, vt quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona

C eadem Eccleſia in præſentiarum iuſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, ſeu alijs iuſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma tibi, tuiſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis: Epiſcopatum Aquinatem: Epiſcopatum Venafranum, & Iſernien. Epiſcopatum Theanen. Sueſſan Calinenſem, Epiſcopatum Caluen. Epiſcopatum Caiacen. Epiſcopatum Caſerianum, In Capua Abbatiam S. Mariæ Maioris, Eccleſiam Domini Saluatoris. Eccleſiam s. Ioannis ad Curtim, Eccleſiam s. Michaelis. Eccleſiam s. Mariæ de Arcu, Eccleſiam Sanctorum Apoſtolorum,

D Eccleſiam s. Iacobi in Caſtello. In Diœceſi Eccleſię Theanen. Eccleſiam s. Eraſmi, Eccleſiam s. Mariæ, Eccleſiam s. Helenæ, & Eccleſiam s. Nicolai, quæ ſunt in territorio Scarpati. In loco Baulani Eccleſiam s. Heliæ, & Eccleſiam s. Martini. In Fontana de Corregijs Eccleſiam s. Mariæ. In Diœceſi Eccleſiæ Sueſſanæ Eccleſiam s. Lucię de loco Sorbelli. In Diœceſi Eccleſiæ Calinen. In Rocca Mōtis Draconis Eccleſiam s. Rufini, & Eccleſiā s. Pancratij. In Diœceſi Eccleſiæ Caluen. Eccleſiam s. Andreæ ad Cementa, Eccleſiam s. Germani ad paleta, Eccleſiam s. Tammari de monte, Eccleſiam s. Pauli de Formello, Eccleſiam s. Petri de Borletano, Eccleſiā s. Symmachi, & Eccleſiam s. Eraſmi de Moſtardino,

Ec-

Ecclesiam omnium Sanctorum de loco Sanguinarij: Ad Sclauos Ecclesiam s.Michaelis, Ecclesiam s.Petri, Ecclesiam s.Mariæ, Ecclesiam s.Nazarij, Ecclesiam s.Angeli de Iano, Ecclesiam s.Mariæ. In loco Camillani Ecclesiam s.Angeli, Ecclesiam s.Mariæ; & Ecclesiā s.Nicolai. In Diœcesi Ecclesiæ Caiacen. Ecclesiam s.Angeli de Melanito, & Ecclesiam s. Petri *à li Bagnatori*. In Diœcesi Ecclesiæ Casertan. Ecclesiam s.Viti de Hercole, Ecclesiam s.Nazarij In Campo Puzan. Ecclesiam s.Petri ad Goffoli, Ecclesiam s.Secundini, & Ecclesiam s.Felicis. In Territorio Murrone Ecclesiam s.Mariæ, Ecclesiam s.Felicis, Ecclesiam s.Petri, & Ecclesiam s.Stephani. Iuxta ipsam Diœcesim Ecclesiam s.Eufemiæ, Ecclesiam s.Ioannis ad Gaianum, Ecclesiam s.Mariæ ad Lupinum, Ecclesiam s.Felicis, Ecclesiam s.Prisci. In loco Casapuli Ecclesiam s.Nicolai, Ecclesiam s.Arpij, Ecclesiam s.Petri de Sarzano. In loco Marzauisi Ecclesiā s.Angeli, & Ecclesiam s. Martini. In loco Campurcipi Ecclesiam s.Cesarij, Ecclesiam s.Procapij, Ecclesiam s. Veneræ. In loco Airolæ Ecclesiam s.Iulianæ, Ecclesiam s.Nicolai ad Ronulas. In Territorio Castelli Maræ Ecclesiam s.Adiutoris, Ecclesiam s.Marcelli, & Ecclesiā s.Blasij, Ecclesiam s.Stephani, & aliam Ecclesiam s.Blasij, Ecclesiam s.Ioannis, Ecclesiam s.Nicolai, Ecclesiam s.Seuerinæ, Ecclesiam s.Crucis. In loco Cancelli Ecclesiam s. Angeli, & Ecclesiam omnium Sanctorum, Ecclesiam s.Ioannis, & Ecclesiā s.Apollinaris de Patrazzano, Ecclesiam Sancti Georgij, Ecclesiam s.Ioannis de Turre, Ecclesiam s.Viti, Ecclesiam s.Petri, Ecclesiam s.Nicolai, Ecclesiam s.Martini Ecclesiā s.Castrensis, Ecclesiam s.Martini de Rosella, Ecclesiam s.Flauiani, Ecclesiam s. Barbaræ, Ecclesiam s. Iulianæ, Ecclesiam s. Andreæ. In loco Arnonæ Ecclesiam s.Mariæ, & Ecclesiam s.Blasij, & Ecclesiam s. Paulini, Ecclesiam s.Erasmi de Cazoli. In loco Grazzanisi Ecclesiam s.Ioannis, Ecclesiam s.Mariæ, & Ecclesiam s.Maximilianę, & Ecclesiam s.Nicolai. Decernimus ergo, vt nulli omninò hominum liceat præfatam Ecclesiā temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel oblatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia & integra conseruentur, eorum, pro quorum gubernatione, & substentatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura, salua Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentauerit, secundò, tertioue commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sāguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen.


Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Vbaldus Ostien. Episc.
Ego Bernardus Portuen. & S. Rufinæ Episcopus.
Ego Gualterius Albanen. Episc.
Ego Ioannes Presb. Cardinalis tit. S. Anastasiæ.
Ego Guglielmus Presb. Cardin. tit. S. Petri ad Vincula.
Ego Boso Presb. Cardinalis S. Pudent. tit. Pastoris.
Ego Petrus Presb. Card. tit. S. Laurentij in Damaso.
Ego Ioannes Presbyter Cardin. tit. Sancti Marci.
Ego Manfredus Presbyt. Cardin. tit. Sanctæ Cæciliæ.
Ego Petrus Presbyter Cardinalis tit. Sanctæ Susannæ.
Ego Petrus Presbyter Cardinalis tit. Sancti Crisogoni.
Ego Odo Diaconus Card. S. Nicolai in Carcere Tuliano.
Ego Cynthius Diaconus Cardinalis Sancti Adriani.
Ego Vgo Diac. Card. S. Eustachij iuxta templum Agrippæ.
Ego Vitellius Diaconus Card. SS. Sergij, & Bacchi.
Ego Vgo Diac. Card. S. Angeli.
Ego Laborans Diac. Card. S. Mariæ in Porticu.

Datum Anagniæ per manū Gratiani S.R.E. Subdiaconi, & Notarij, Kalendis Martij, Indictione septima, Incarnationis Dominicæ Anno millesimo centesimo septuagesimo tertio, Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ III. Anno quintodecimo.

Hocce priuilegio, ait Monachus, Alexander confirmat Archiepiscopo Capuano ius Metropoliticum, nouem Ecclesiæ suffraganeæ recensentur; sed absque dubio Ioannes XIII. plures adscripserat, Ecclesia Atinensis olim Episcopalis erat Capuanæ Ecclesiæ Suffraganea, & Atenulphus Capuanus Episcopus Leonem Athinensem Episcopum consecrauit, vt supra retulimus, Ecclesiam quoque Soranam fuisse Capuanæ obnoxiam, indicat bulla *S.* Stephani Caiacensis Episcopi, illi namque bullæ subscribunt duo Episcopi, duo Presbyteri, Diaconi duo, & duo Subdiaconi: fuisse illos Episcopos comprouinciales, Sacrorum Canonum dist. 64. præcepta nobis confirmant; subscriptiones verò, vt suo loco notabimus, sunt Episcopi Caluensis, & Sorani.

rani. Abbatia S. Mariæ Maioris intra Capuã profectò non est alia Ecclesia, nec alia Abbatia, quam Monasterium S. Mariæ Monialium. Ecclesia illa S. Maria Maior nuncupabatur, cum cæteris Ecclesijs eiusdem nominis antecelleret. De illa oportuit specialem haberi mentionem in hoc diplomate, quia Abbatissa & Moniales prætendebãt Ecclesiæ, & Monasterij libertatem, nec Archiepiscopo obedire volebant: anno 1171. causa cognita idem Alexander pro Capuano Archiepiscopo sententiam tulit, eique Monasterium subiecit; ideo de Abbatia illa meminisse oportuit. Pari quoque ratione de quibusdam alijs Ecclesijs mentio facta est, quæ propter iuspatronatus, exemptionem ab Archiepiscopi iurisdictione percipere poterant. Ecclesia S. Saluatoris, S. Ioannis, S. Michaelis, quæ dicebatur ad Curtim, Principum Cappella, & quidem insignes; ideo hic speciatim nominatę fuerunt. Non possumus coniectare, imò certè definire, quæ intra Episcopium supra portam, licet ex magna parte collapsæ conspiciuntur: in nouem ex illis sunt imagines Episcoporũ, in duabus imagines Castrorum & in vna Sanctimonialis. Illis aliæ alternis vicibus tabulæ cum quibusdam veluti gentilitiorum stemmatum picturis intercedunt: habent septem Episcopi, & duo Castra non deleta, nec amotas inscriptiones, sub pedibus primi legitur *Caluensis Episcopus*, secundi *Casertanus*, tertij *Caiacensis*, quarti *Theanensis*, quinti *Benfran*, octaui *Suessanus*, sub noni *Calinus Episcopus*. In vno Castro, *Castrum Morzanisij, quod est de Demario Ecclesia* Capuana: in altero C*astrum Maris de Vulturno, quod est Demanium Ecclesia Capuana*. Quando igitur Alexander Papa tertius hoc diplomate confirmauit Archiepiscopo ius supra nouem in ipso diplomate nominatos Episcopos, & supra insigne Monasterium S. Mariæ, tunc ad futuram rei memoriam oportet huiusmodi tabulas fuisse pictas, & quæ perierunt, tres inscriptiones absq; vllo dubio erant vna Aquinensis Episcopi, altera Iserniensis Episcopi, tertia Abbatissæ S. Mariæ. Olim illæ tabulæ extabant in gyro supra Chorum antiquum existentem in medio templo; sed Patriarcha Antiochenus Iordanus Caytanus Archiepiscopus extructo nouo Choro illas supra portas collocauit. Hæc ille. Cæterum Alphanus ille est Archiepiscopus Capuanus, ad quẽ, & Petrum Cassinensem Abbatem Alexander idem tertius scripsit epistolam. Dat. Venetijs 6. Kal. Augusti, commemorans quæ pro Ecclesiæ pace cum Friderico Imper. egisset, quã recitat Baronius ad annum 1177.]

A



B

20. MATTHÆVS Alphano successit anno 1183. qui diplomati ab Henrico VI. Imp. cuius erat familiaris intimus, Ecclesiæ Panormitanæ anno 1195. Id. Ianuarij. Dat. Panormi concesso calculum suum & nomen adiecit, apud Rocchum Pyrrhum. Eidem & Bartholomæo Panormitano, ac Guillelmo Regiensi Archiepiscopis causam delegauit, quæ Rosanensem inter & Montisregalensem Archiepiscopos æstuabat ex epistola eiusdem Pontificis, quæ habetur in registro Innocentij III. extant Epistolæ aliæ Innocẽtij Decretales ad eundem Matthæum, quibus familiarem fuisse Federici Siciliæ Regis dignoscitur. Hic enim nõ modò vita integer, verùm multis præclarè, & cum summa prudentia in C Regno Siciliæ gestis, famam, existimationemque apud omnes tum summam apud Henricum VI. eiusque vxorem Constantiam Impp. tum apud Innocentium eundem tertium gratiam collegit, vt ab ipso post Constantiæ obitum vnus inter multos præclarissimos Præsules, ad Regni Siciliæ moderamina Federico tum puero, delectus fuerit, eodem in munere Panormi defunctus est circa an. Dom. 1203. ibidemque sepultus, quo defuncto, Innocentius ad Capitulum Capuanum de successore eligendo insignem epistolam scripsit, cuius pars habetur in corpore Iuris Canonici, integrã exscribo ex Monacho.

D ☞ Cum inter vniuersas Metropoles, Capuana sit Apostolicæ Sedi vicinior, ad prouisionem ipsius specialius aspiramus, talem ipsi personam præfigi cupientes, quæ sicut alios Metropolitanos loci vicinitate, sic & deuotionis affectu præcellat; per quam, & ipsa Metropolis tam in spiritualibus, quàm temporalibus optatum suscipiat incrementum. Intelleximus autem per dilectos filios L. & P. Canonicos vestros, & literas, quas ad Sedem Apostolicam detulerunt, quod ad Decanum, & alios Canonicos vestros Panormi manentes, cum ex eorum parte vobis fuisset per literas intimatum, vt familiæ Capuanæ damna pensantes, sic tractaretis super electione substituendi pastoris, quod nullum

debe-

debereris in eorum absentia nominare, quen- A
dam socium vestrum cum literis destinastis, duodecim dierum terminum assignantes, infra quem, post receptionem literarum vestrarum, iter arriperent redeundi: quamuis Ecclesiastica consuetudo non exigat, vt ad electionem pastoris Canonici tam remoti vocentur, & illi præcipuè, qui longè antequam Metropolitani vestri obitum præsentialiter cognouerunt, quorum aliqui post eius decessum, ad Capuanam Ecclesiam sunt reuersi. Quia verò mora longior in electionibus est valdè suspecta; imò sæpe damnosa, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus inuocata Spiritus sancti gratia, personam idoneam per electionem B
canonicam concorditer assumatis, ad regimē Ecclesiæ Capuanæ: consequenter ad nostr9m præsentiam nuncios idoneos trāsmissuri, per quos à nobis vice regia postuletis assensum, & Apostolicæ confirmationis gratiam requiratis, attentiùs prouisuri, vt eo discretionis, charitatis studio procedatis, quod nec in electione vitium, nec in electo defectus valeat inueniri. Alioqnin, & factum electionis reuocaremus in irritum, & personas eligentium puniremus.

Ad hoc diploma notas adiecit idem Monachus. [Canonistæ in cap. cum inter vniuersas de elect. quærunt, cur in electione Archiepiscopi Capuani peteretur regius assensus: profectò regius assensus in electionibus Prælatorum Regni Siciliæ petebatur, idque non C
ratione Iurispatronatus, nec feudi, aut cōsuetudinis, sed ex speciali priuilegio ipsiusmet Innocentij III. concesso Constantiæ Reginæ Siciliæ, eiusque filio Federico. Accipe verba ex epistola Innocētij ad illos. *Nec nouum, inquit, nec iniustum extitit, si Regno Siciliæ gratiam faciamus specialem.* Et infra, *Sede vacante, Capitulum significabit vobis & vestris heredibus obitum decessoris, deinde cōuenientes in vnum, inuocata Spiritus sancti gratia, secundum Deum elegerint canonicè personam idoneam; cui requisitum à vobis præbere debeatis assensum, & electionem factam non different publicare, electionem verò factam, & publicatam denunciabunt vobis, & vestrum requirent assensum: ante- D
quam assensus regius requiratur, non inthronizetur electus, nec decantetur laudis solemnitas, quæ inthronizationi videtur annexa: nec antequam auctoritate Pontificali fuerit confirmatus, administrationi se vllatenus immiscebit; sic enim bonori vestro volumus condescendere, vt libertatem canonicam obseruemus, nullo prorsus obstante rescripto, quod à Sede Apostolica fuerit impetratum. Rogamus, &c.* Cur assensus petendus erat ab Innocentio Papa vice regia? Profectò cū Imperatrix Constantia defuncta iam esset, ex illius testamento Innocentius III. factus est Federici tutor, seu Balius, & ideo vice regia fungebatur.] Hinc ergò habemus Matthæū

Archiepiscopum post Constantiam discessisse, nempè post annum 1197. (subscripserat eodem anno 5. Augusti diplomati Henrici VI. sub datum in Sicilia Insula, cuius meminit Crantius in Saxonia) peruenisse ad annum 1202. comperimus ex instrumentis.



21. RAYNALDVS Petri Celani Comitis filius, ac Innocentij III. nobilis alumnus, Subdiaconus & Cappellanus post obitum Matthæi canonica Capituli electione deligitur Capuanus Archipiscopus anno 1204. de cuius electione habemus partem Epistolę Innocentij in corpore Iuris, & integram damus sequentibus verbis conceptam.

Archidiacono, & Capitulo Capuanis.

Cum olim nobis de obitu bonæ memoriæ Archiepiscopi Capuani tam per vestras literas, quàm nuncios constitisset, volentes, prout officij nostri solicitudo deposcit, in pastorem prouideri celerius Ecclesiæ viduatæ, vobis dedimus in mandatis, vt electionem canonicam de persona idonea faceretis, per quam in spiritualibus, & temporalibus Capuana Ecclesia posset congruè gubernari. Vos autem mandatum nostrum suscipientes humiliter & deuotè statuto die in Metropol. Ecclesia conuenistis, & cū ad tractandum de facienda electione in Capitulo sederitis, tu fili Archidiacone hymnum ad inuocādam Spiritus sancti gratiam incœpisses, dilectus filius Archidiaconus Theat. Canonicus Capuanus silentium indicens, sic ait: Dominus Papa, vt faceremus canonicam electionem præcepit, & ego ne fiat, nisi canonica, interdico, & ad ipsum vocem appellationis emitto. Cumque à quibusdam vestrum quæsitum fuisset ab Archidiacono memorato, quid intelligeret per Canonicam electionem, respondit, vt secundum decreta Canonica nullus in Episcopum de aliena eligeretur Ecclesia, dum in propria posset idoneus inueniri: & sic aliquantulo facto tumultu, cum tu fili

fili Archidiacone hymnum iterum incœpiſſes, ipſe Archidiac. Theatinus cum quibuſdam complicibus ſuis choro exiuit, & cœpit in quodam angulo Eccleſiæ commorari, & vos hymnum in choro ſolemniter compleuiſtis. Sed cum poſt inuocatam Spiritus Sancti gratiam foret de electione tractandum, vnum Presbyterum & vnum Diaconum, & alium Acolythum, vicem gerentem Subdiaconi, qui etiam eſt Cancellarius Eccleſiæ Capuanæ, vt vota ſingulorum ſeriatim perquirerent, elegiſtis, qui vniuerſorum perquirentes diligentiùs voluntates, vos omnes, qui ad eligendum in Capitulo remāſiſtis, inuenerunt in electione concordes: dilectū filium Subdiac. & Cappell. noſtrum, filium dilecti filij nobilis Comitis Celaueñ. vnanimiter nominantes. Demum verò prædictum Archid. & qui cum eo exierant, per quoſdam de veſtris admonere curaſtis, vt ad electionem accederent faciendam, ſed cum ipſi venire penitus recuſarent, & diceret idem Archid. quod non ei feceratis tantum honoris, & gratiæ, quod vobiſcum vellet in electione facienda perſiſtere, vos publicata electione veſtra, cantaſtis Te Deum laudamus, & pulſari feciſtis cum ſolemnitate campanas, vt quod per vos factum fuerat, innoteſceret Ciuitati, ad quarum ſonitum cum vniuerſus populus ad Eccleſiam perueniſſent, & audiſſent, qualiter à vobis electio fuerat celebrata, factum veſtrum communiter approbarunt, & quidam eorum, vt Archidiac. & alios, qui ab electione diſcordabant, ad concordiam reuocarent, multipliciter inſtiterunt. Verùm ipſe Archidiaconus, vt proponitur, ſe tunc ipſi electioni minimè conſentire, ſed in noſtra præſentia ſuum aſſenſum ipſi velle præſtare reſpondit, quòd etiam, ſicut dicitur, ſæpè, ac ſæpius in multorum præſentia replicauit. Tu verò fili Archidiacone cum multis de Canonicis Capuanis decretum electionis afferens eligentium ſubſcriptionibus roboratum, ad noſtram præſentiam acceſſiſtis, & cum apud nos fuiſſetis aliquando commorati, tres Canonici Capuani pro parte aduerſa, poſt aliquot dies noſtro ſe conſpectui præſentarunt. Vobis igitur, & ipſis in noſtra & fratrum noſtrorum præſentia conſtitutis, vtrique partium præcepimus dicere veritatem, & quantum quidem erat in narratione facti vſque ad exitum Archidiaconi prædicti de choro neutra partium diſcordabat. Dicebant tamen clerici antedicti, quod multi qui exierant cum Archid. minis & terroribus fuerant inducti electioni à vobis poſtmodum factæ conſentire. Cumque tam à vobis, quàm clericis illis quæſiuerimus diligenter, quot erant Clerici Capuani, qui electioni debuerant intereſſe, inuenti non fuiſtis in reſponſione diſcordes, ſed tam vos, quàm ipſi certum ſuper hoc numerum deſignaſtis, & cum quæreremus ſolicitè quot exierant cum Archid. Theatino, cùm appellationem appoſuit, interpoſitæ appellationi fauentes,

A licet in hoc à vobis præfati tres clerici diſcordarent, quod ſcilicet 12. vel 13. ad plus de Canonicis ab electione facta proponerent diſſentire, & vos, eos eſſe 5. & aut 6. ſolummodò diceretis, ſecūdum tamen expreſſum à vobis & ipſis Canonicorū numerum tres partes, & amplius erant in electione concordes: ſi etiam prædictorum clericorum aſſertio vera eſſet, quod ſcilicet 13. Canonici diſſentirent. Quamquam autem vt prædiximus diligenter inquiſiuimus publicè veritatem, ne tamen aliqua videremur omittere, de quibus fides nobis erat plenior exhibenda, per quoſdam de fratribus noſtris ſigillatim vos, & ipſos Clericos examinari præcepimus, vt quiſque veſtrum coram ipſis plenius, & ſecuriùs exB poneret veritatem: qui non aliud, quàm ante propoſitum fuerat, inuenerunt. Interrogati verò clerici antedicti, qui quoſdam Canonicorum dixerant minis, & terroribus ad conſentiendum inductos, ſi viderunt aliquibus quamlibet coactionem inferri, taliter reſponderunt, quod poſt factam electionem audiuerunt quoſdam de Canonicis alijs comminantes, & dicentes, de ciuitate trecenti vocentur armati, & tunc apparebit, quis electioni noſtræ noluerit conſentire: ſed licet hoc dictum fuerit, non viderunt tamen propter hoc cum armis aliquem venientem, vel ipſis coactionem aliquam intuliſſe. Cum autem ex vtriuſque partis aſſertione conſtaret interpoſitam fuiſſe appellationem canonicam, quando ne fieret electio, niſi canonica ſecundum mandati noſtri tenorem, ad noſtram fuit
C audientiam appellatum, videri poterat, quod poſt eam medio tempore nihil debuerit innouari; vnde talis electio iudicanda erat irrita, & inanis, vt pote poſt appellationem canonicè interpoſitam attentata; ſed è contra cum appellatum fuiſſet, non vt nulla fieret, ſed vt canonica, ſi factum electionis fuit canonicè ſubſecutum, non vtique contra formam appellationis huiuſmodi, ſed magis ſecundum eam videbatur eſſe proceſſum, & ideo licet poſt appellationem, non tamen contra fuit eadem electio celebrata, propter quod non erat aliquatenus irritanda. Nam cum duæ partes & amplius electioni conſenſerint, & conſentiant, licet cautum reperiatur in canone, vt tunc ex altera eligatur Eccleſia, cum
D nullus in propria fuerit repertus idoneus; quia tamen hoc in fauorem introductum eſt clericorum, & cuique licet renunciare iuri, quod pro ſe noſcitur introductum, vos, qui duæ partes eratis, & amplius, cum quod duæ partes Capituli faciunt, totū facere doceatur, in hac parte iuri, quod pro vobis facere videbatur, renunciare potuiſtis, & electionem de perſona alterius Eccleſiæ celebrare, præſertim cum illud decretum locum videatur habere, quando clericis renitentibus, & inuitis, alicuius violentia poteſtatis extraneus ingeritur ex aduerſo, propter quod ſequitur in decreto, vt ſit facultas clericis renitendi, ſi ſe viderint

rint prægrauati, & quos ingeri sibi viderint ex aduerso, non timeant refutare. Præterea, cum Sedes Apostolica caput omnium Ecclesiarum existat, & Romanus Pontifex Iudex sit ordinarius singulorum, quando de ipsa quis assumitur in Prælatum alterius, ei posse obijci non videtur propter capitis priuilegium, quod obtinet plenitudinem quod de alia Ecclesia eligatur, cum à capite membra reputari non debeant aliena; Item cum post appellationem emissam, non vt fieret electio, quia talis appellatio nulla foret, sed vt fieret canonica, d. Archid. Theat. cum suis fautoribus chorum exijsset, & vos illos vt interessent electioni faciendæ vobiscum curassetis solicitè reuocare, quoniam ad electionem faciendam accedere noluerunt, alienos se fecisse videntur: propter quod electioni à vobis concorditer celebratæ de iure non posse contradicere videbantur: præsertim cum idem Archid. postea requisitus responderit, quod in præsentia nostra vellet suum ei præbere consensum; & ideo cum secundum statuta Lat. Concilij app. remota semper id debeat præualere, quod à pluribus, & sanioribus fuerit ordinatum, nisi fortè à paucioribus, & inferioribus aliquid rationabile obiectum fuerit & ostensum, à vobis celebrata electio, tanquam à maiori & saniori parte, non obstante contradictione, vel appellatione paucorum debebat, & poterat rationabiliter confirmari, cum id, quod obiectum extitit, & ostensum, rationibus præmissis appareat rationabile non fuisse. His taliter allegatis, quamquam contra personam illius, quem elegistis, nihil vnquam dictum fuerit, vel obiectum; quia tamen verbum Apostoli dicentis; Nemini citò manum imponas, debemus attendere diligenter ad ea, quæ circa personam inquirenda fuerant, duximus ex officio nostro, sicut decuit, procedendum. Et quidem cum tria sint in persona electi præcipuè requirenda, videlicet ætas legitima, morum honestas, & literatura sufficiens, licet de honestate morum, tanquam ei, qui nobiscum est aliquandiù laudabiliter conuersatus, possimus ipsi laudabile testimonium perhibere; Illius quoque literaturæ, licet non eminentis, tamen conuenientis existat, vt pro defectu scientiæ (sicut plenius intelleximus ab his, qui eam meliùs cognouerunt) ab electione non deberet excludi; de legitima tamen ætate plenè scire non potuimus veritatem, de qua nec vos, vt accepimus, aliquid cogitastis; cum à multis cuius ætatis existeret, cutauerimus indagare, à nemine vnquam audiuimus, quod annum ætatis trigesimum attigisset. Cum autem secundum prædicti Statuta Concilij, nullus debeat in Episcopum eligi, qui trigesimum ætatis non egerit annum, licet senectus venerabilis sit, non diuturna, nec annorum numero computata, sed cani hominis sint sensus eius, & ætas senectutis vita immaculata; quia tamen post illa tria, quæ Salomon asserit difficilia, quartum quasi reputet impossibile, viam videlicet viri in adolescentia sua, tanquam inuestigari non possit, Nos Ecclesiæ pariter, & personæ prouideri volentes, & tam rationes, quàm canones obseruare, habito super hoc cum fratribus nostris diligenti tractatu, quia propositum vestrum prouidum intelleximus, & ideo propter vrgentem necessitatem, & euidentem vtilitatem Ecclesiæ Capuanæ, quam in hac parte potius approbamus, volumus ipsum firmiter perdurare, præfatum Subdiaconum nostrum, de communi fratrum nostrorum consilio vobis in procuratorem concedimus, liberam administrationem etiã tã in spiritualibus, quàm in temporalibus committentes. Quapropter discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus eum suscipientes, humiliter & deuotè, ipsi cureris plenariè de spiritualibus, & temporalibus respondere, vt & ipsi profectum, & honorem Ecclesiæ Capuanæ valeat studiosius procurare, & dilectionem, quam vos ad eum habere proponitis, in exhibitione operis experiri. Speramus enim in Domino, quod sicut ei dedimus in mandatis, taliter in commissa sibi procuratione proficiet, quod sibi salutem, vobis vtilitatem, & nobis comparabit honorem. *Datum Lateran. &c.* Raynaldus ob defectum ætatis datus est Ecclesiæ procurator. Fuit ergo electus & confirmatus ab Innocentio, non consecratus; ideo in documento anni 1204. & in alio anno 1205. dicitur electus, einsdemque inspicitur subscriptio literis rubeis exarata, & signum in hunc modum in circulo † *Signatum est super nos lumen vultus tui* Domine. In medio. *Sanctus Stephanus. Rainaldus* Capuanus *electus.* Anno verò 1210. iam consecratus subscribitur, diciturque Archiepiscopus. Interfuit Raynaldus translationi S. Andreæ à Petro Capuano Cardinale Amalphi celebratæ anno 1206. & Apostoli digitum obtinuit, quem in Thesauro Capuano reposuit. Raynaldi memoratur anno 1. Honorij III. in regest. Vat. epist. 97. Dat. 15. Kalend. Maij. Paulò post oportet obijsse, tametsi sunt qui illum referant ad annum 1221. confundentes illum cum alio eiusdem nominis successore.

21. RAYNALDVS II. Capuæ Archiepiscopus reperitur in quodam Instrumento Thesauri, qui cum enuncietur secundus, oportet ipsum Raynaldo Comitis Celani filio successisse, ad quem extat Epistola Honorij in reg. Varic. num. 518. fol. 105. anni 5. qui fuit Christi 1221. Hic mortem obijt anno 1222. vt Richardus de S. Germano scriptum reliquit in Chronic. narrans Comitem Anersanum adijsse Celanum ad Comitem Celanensem oppugnandum, iuisseque cum eo Abbatem Cassinensem, & Raynaldum Capuanum Archiepiscopum in itinere subita & improuisa morte interijsse.

22. IACOBVS Pactensis in Sicilia Episcopus

ſcopus ab Honorio poſt diutinam triũ annorum vacationem ad Capuanam Eccleſiam tranſlatus eſt anno 1225. 7. kal. Octob. vt liquet in epiſtola eiuſdem Pontificis ad Federicum Imp. quam integram retulimus tom. 1. in Auerſanis Epiſcopis ex reg. Vatic. num. 55. fol. 87. ann. 10. Pontificatus Honorij, de qua tranſlatione cum alijs facta loquitur idem Richardus ad eundem annum. *Eodem menſe*, inquit, ſcilicet Septemb. *quinque vacantibus in regno Eccleſijs, Dominus Papa Honorius præfecit motu propriæ voluntatis, inſcio, & irrequiſito Imperatore, videlicet quendam Caſinenſem Monachum Ioannem, cognomento de S. Liberatore, Eccleſiæ S. Vincentij de Vulturno, Conſanæ priorem quendam S. Mariæ Nouæ de vrbe, Salernitanæ Famaguſtanum quondam Epiſcopum, Auerſanæ Cantorem Amalphitanum, & Capuanæ Pauenſem* (*melius Pactenſem q. Epiſc. quos tanquam in ſuum præiudicium promotos, recipi Imperator in ipſis Eccleſijs non permiſit*. An Iacobus iſte à Federico Eccleſiæ Capuanæ redditus ſit, vel idem ſit cum ſequẽti, prorſus ignoro; tamen ſi coniecturari fas eſt, mihi videtur idem omnino eſſe cum ſequenti.

23. IACOBVS, ſiue idem fuerit cum ſuperiori, ſiue alius, Capuanus fuit Archiepiſcopus, quem conſecratum & Pallio donatum Gregorius IX. Papa commendauit populo & clero Capuano per Epiſtolam datam 6. Kal. Aprilis anno ſui Pontif. primo, ſalutis vero 1227. extat Epiſt. hæc in Regeſto Vaticano eiuſdem Gregor. num. 5. fol. 1. De Iacobo iſto Monachus in Catal. hæc habet. Fuit filius Danielis Amalphitani, & fratrem habuit Ioannem, vt patet ex inſtrumento 1241. Fuit Federici familiariſſimus, & alijs magiſtratibus imperabat, vt Capaccius notat. Cum inueniatur Archiepiſcopus ab anno 1228. ipſe dicendus eſt eſſe Archiepiſcopus ille Capuæ, qui anno 1229. vt habet Bzouius, fuit in Paleſtina cum Federico Imper. ſub hoc Archiepiſcopo anno 1241. Eccleſia Capuana ſoluit Collectam Imperialem. [Habemus, inquit Monachus, Inſtrumentum cum appenſa bulla plumbea, in qua ex vna parte ſunt imagines Sanctorum Stephani à ſiniſtris, &
D Agathæ à dextris, & ex altera imago & nomen ipſius Archiepiſcopi. Cæterum Pater Iacobi Daniel, non patria, ſed cognomine Amalphitanus mihi videtur, vt illa ætate vicus quidam Amalphitanus Capuæ nominabatur, at eſto, fuerit Daniel Amalphitanus patria; mihi certum eſt, Iacobum ipſum fuiſſe ciuem Capuanum: certum eſt inquam ex Epiſtola Petri de Vinea, in qua Iacobus appellatur compatriota, & conciuis Petri, Petri inquam de Vinea, quem eſſe Ciuem Capuanum Scriptores communiter habent, & monumenta Capuana demonſtrant. Mutuas inter Petrum & Iacobum datas epiſtolas m. ſ. habemus in Theſauro.] Hæc ille. Ad hunc Iacobum ſcripſit Gregorius IX. anno 1. Pontificatus
A ex reg. Vatic. ep. 5. idem Gregorius ad Capitulum Capuanum dedit aliam epiſt. 13. Kaled. Februar. ann. Pontificatus. quæ num. eſt 414 fol. 251. vbi memoratur Alphanus bon. mem. Capuanus Archiepiſcopus, quo Præſule Capuam venit S. Franciſcus, cui Eccleſiam S. Petri Capuanum Capitulum tradidit ad Cœnobium ædificandum, quod poſtea S. Franciſci nomine fecerunt. Obijt Iacobus poſt annum 1242. quo defuncto, auctoritate Federici II. Imp. in Capuana Eccleſia ſe intruſerunt Gualterius, Fridericus & Corradus, qui cum illegitimi fuerint Archiepiſcopi, ab hac ſerie exulare coegimus. Addam de Gualterio ex nobili, perantiquaque familia de
B Ocre nato; Hic à Federico anno 1249. appellatur Capuanus electus, ſuuſque Cappellanus, ac fidelis, atque in eius gratiam Eccleſiæ Capuanæ reſtitui mandat bona omnia, quæ Petrus de Vinea, eiuſque conſanguinei & affines à Capuanis Præſulibus obtinuerant, & Imperialis Curia, propter eorum rebellionem, proſcripſerat: Qua verò Gualterius nobilitate præditus, ac rerum agendarum experientia probatus fuerit, inde conijcere licet, quod in Regno Neapolitano è ſeptem ſupremis magiſtratibus ſextum obtinuerit, quem magni Cancellarij dicunt, vt teſtatur faſciculus ſextus fol. 5. in veteri tabulario Neapolitano; vbi etiam Rege Conrado deferente auctus dicitur Baronia Ocrenſi, quæ præter id nominis oppidum Foſſam, & Roccam de
C Cambio complectebatur. Eius porrò parens fuit Comes Berardus de Ocra Albæ Comes; qui à Marſorum Comitibus genus repetebat.



23. M. MARINVS Neapolitanus è vetuſta, nobiliſſimaque Filamarina familia, Patre Thoma, Matre Cayta gente Ebula pari nobilitate natus in Arce Guilleimæ Aquinatis Diœceſis. Adoleſcens maiorum virtutum æmulator, Diui Thomæ Aquinatis diſcipulus, & legum Doctor eximius, ac diuinarum

huma-

humanarumque literarum peritissimus euasit, sub Gregorio IX. Curiæ se submisit, cognitaque eius cum nobilitate generis spectata virtute, ab Innocentio IV. Gregorij successore Apostolicus Cappellanus, ac Sacri Palatij Auditor, Thesaurarius & Canonicus Salesburiensis in Anglia, mox ob eximiam eruditionem S.R.E. Vicecancellarius, ac denique vir suauissimis moribus post longum Capuanæ Ecclesiæ interregnum, deturbato Pseudo-archiepiscopo à Friderico II. olim in eam Cathedram intruso ab eodem Innocentio anno 1252. tenũciatus est Capuanus Archiepiscopus, Iacobo prædefuncto legitimè successit Idibus Ianuarij, vt ex epistolis eiusdem Innocentij tum ad ipsum, cum ad Capuanum Capitulum scriptis libet asserere, quæ hic exhibentur è Vatic. regest. à nobis exscriptæ nu. 88. & 89. fol. 123. Pontif. 9.

Magistro Marino Capuano electo.

Clara probitatis tuæ merita, tuaque laudabilis apud Apostolicam Sedem cõuersatio, & longa, placidaque familiaritas, ex quibus te nobis & fratribus nostris exhibuisti gratum multipliciter, & acceptum instanter exposcunt, vt personam tuam, scientia vtiq; ac moribus præditam, & præcipuis attollamus fauoribus, & gratijs potioribus honoremus. Decet namque, vt quia circa nos & Romanam Ecclesiam studiosis claruisti seruitijs, sic specialibus efferre beneficijs studeamus, vt ex hoc appareat euidenter, quod tuæ nequaquam esse possumus immemores bonitatis, sed intendimus firmiter inter cæteros Ecclesiarum Prælatos te semper in nostris gerere visceribus prædilectũ. Hinc est quod cum Ecclesiæ Capuanæ diutiùs Præsulis destitutæ solatio, quæ inter alias Regni Siciliæ dignitate, ac nobilitate refulget, te tunc prędictæ Ecclesiæ Romanæ Vicecancell. de Apostolicæ plenitudine potestatis, habito fratrũ nostrorum consilio, in Archiepiscopum præfecimus & Pastorem; quia eò amplioris gratiæ præferendus es munere, quo celsiori virtute laudabiliter inueniris. Nos volentes ob id personam tuam singulari quasi honorificentia honorare, omnia beneficia & præbẽdas, ac centum marcarum argenti de Thesaurariæ Saresburien. nec non & alios totidẽ marcarũ redditus de Ecclesiæ Delinen. Diœces. Elien. prouentibus tibi debitos, donec in beneficijs vsque ad certam marcarum argẽti summam in Regno Angliæ tibi prouisum extiterit, prout in ordinationibus super ijs factis, & auctoritate Apostolica confirmatis pleniùs continetur, quæ ante huiusmodi tuã promotionem habebas tibi auctoritate Apostolica plenariè reseruamus, ita quod ea omnia simul cum Ecclesia Capuana liberè licenter retineas, ipsorumque fructus, redditus & prouentus, nec non & omnia quæ tibi eorum ratione antea cõpetebant, integrè percipias, sicut prius, Non obstantibus Constitution. Concilij generalis, & quibuscumque consuetudinibus, vel statutis contrarijs, iuramento, confirmatione Apostolica, seu qualibet alia firmitate roboratis, & indulgentiâ Sedis Apostolicæ, qua forte Anglicis, vel alijs est concessum, vt si quis Italicus, vel Sedis eiusdem officialis promoueatur ad aliquam Prælaturam, beneficia ipsius prius ab ipso in Terris illorum habita liberè alijs tanquam vacantia per eos, ad quos beneficiorum ipsorum spectat donatio conferantur, & quibuslibet alijs Apostolicis indulgentijs quibuscũque personis, vel locis generaliter, vel specialiter concessis, per quas huiusmodi nostra gratia, vel reseruatio posset quomodolibet impediri, etiamsi de ipsis, & earum tenore de verbo ad verbum, vel de ipsarum, seu locorum aliquorum nominibus plenam & expressam fieri oporteat in præsentibus mentionem, & vt liberum atque plenum absque vllo obstaculo de hac nostra reseruatione consequatis effectum, decernimus penitus irritum & inane quicquid contra eam super præmissis beneficijs, præbendis, fructibus, prouentibus ac redditibus ducentarum marcarum per quoscumque fuerit attentatum. Nulli ergo, &c. nostræ reseruationis, & constitutionis, &c. *Dat. Perusij Idibus Ianu. Anno 9.*

Capitulo Ecclesiæ Capuanæ.

Debitum officij nostri requirit, vt inter sollicitudines alias, quibus assiduè premimur, specialiter circa Ecclesias solertiam adhibentes, ipsorum vtilitatibus intendamus; in eo maximè vt inducatis, ne longę vacationis dispendia patiantur, de talium celeriter nostræ diligentiæ studio prouideatur substitutione pastorum, per quos spiritualiter, & temporaliter continuum suscipiat suctore Domino incrementum, & illis præcipuè, quę Romanæ noscuntur Ecclesiæ nullo medio subiacere, cum quanto specialiùs subsuit, ei, tanto de ipsis teneamur sollicitiùs cogitare. Sanè circa statum Ecclesiæ Capuanæ diligenti consideratione pensantes inter cætera, quibus à suorum oppressione grauaminum releuari eadem creditur, id occurrit pręcipuum sensibus nostris ad ipsius & filiorum suorum opportunũ solamen, quod prouideretur tam nobili sponsæ, tamque famosæ inter alias Regni Siciliæ Ecclesias, honorabili quoque, sed viduatæ diutiùs de conspicuo vtique spõso, & multa prouidentia circumspecto, per cuius prudentem industriam, & prudentiam eligentem vtiliter suis incommodis, defectibusque consuli plenè posset, quibus collapsa dignoscitur, & tempore iam longo depressa. Verùm quia post diutinæ meditationis examen in dilecto filio magistro Marino tunc Ecclesiæ Romanæ Vicecancellario inuenimus euidenter, quod de ipsius persona vtilis ac sufficiens eidem Ecclesiæ prouisio fieret, nos pu-

publicæ & propriæ vtilitatis bonum in Episcopo eiusdem Ecclesię Capuanę profectibus postponentes, probitatis ipsius, conuersationis quoque laudabilis apud Sedem Apostolicam, & longæ placidæque familiaritatis gratiosis interpellantibus meritis, ex quibus se nobis idem, & fratribus nostris gratum præbuit multipliciter & acceptum, prælegimus ipsum de plenitudine potestatis Apostolicæ, habito ipsorum fratrum nostrorum consilio diligenti, præficiendum duximus in vestrum, ac prædictæ Ecclesiæ Archiepiscopum, & Pastorem, vtpotè virum morum honestate præclarum, eminenti scientia præditum, & consilij circumspectione maturum. Attendentes in hoc potissimè ipsius emolumentum Ecclesiæ speciale cum nobis, & eiusdem Sedis obsequijs hominem sic necessarium, quamquam inuitè, subtrahendum duxerimus, & vtilitatibus dictæ Ecclesiæ concedendum, in hoc tantùm nostris circa eum satisfieri videtur affectibus, quod sic ipsum cuius eidem Sedi præsentia plurimùm opportuna dignoscitur à nobis emittimus, quod cum nobis in Capuana Ecclesia reseruamus, & salutis consilia, & auxilia opportuni regiminis, honoris quoq; vobis & ipsi Ecclesiæ auctore Deo feliciа proueniant incrementa. Quocirca vniuersitatem vestram rogandam duximus attētius, & monendam præcipiendo mandantes, quatenus ipsum tanquam patrem, & Pastorem animarum vestrarum deuotè suscipientes, obedientiam, & reuerentiam debitam impendatis, ipsius monitis & mandatis salubribus humiliter intendendo. Alioquin sententiam, quam idem ritè tulerit, &c. vsque obseruari. *Datum Perusij Idibus Ianuarij Anno 9.*

Itaque Marinus Archiepiscopus electus toto ferè vitæ suæ spatio summa ingenuitate, summoque labore Sanctæ Sedi, decemque Pontificibus Maximis inseruiuit, vt monumenta ab ipso relicta testantur, quæ tribus magnis voluminibus distincta sub nomine M. Marini de Ebulo m. s. in Bibliotheca Vaticana asseruantur, vnde posteri in dictandis Apostolicis literis formulam & modum tanquam è lucidissimo fonte hauserunt. Nec defuit Marino fortitudo in aduersis, & in prosperis summa animi demissio. A Federico II. Imp. Ecclesiæ infensissimo hoste, tanquam vnus ex præcipuis Pontificiæ maiestatis defensor, Imperialis aulæ reus factus à toto Regno proscriptus est: eo defuncto sub Conrado, & Manfredo Regibus, tunc electus Capuanus Archiepiscopus, ab ijsdem eo sacerdotio spoliatus, in Gualterium, indè Conradum intrusos, ita se inuictum ostendit, vt ijs debellatis Capuanam Ecclesiam diu in seruitute positam, liberam fecerit, eamque, Apostolicis impeditus negocijs nondum consecratus in Alexandri IV. manibus liberè resignauit, ad quam dignitatem, nec Alexander, neque eius successor Vrbanus IV. ob tanti viri reuerentiā neminem assumpserunt: eius cum laude meminit Vrbanus ipse, dum Iacobo Philamarino Marini germano fratri, & Marottæ (hæc fuit ex familia Caracciola) eius vxori in quarto affinitatis gradu coniunctis indulsisset in hæc verba ex regest. Vatic. Vrbani ep. 18. anni primi.

Iacobo Filomarini Ciui Neapolitano & Marotta vxori eius.

Licet in quarto affinitatis gradu coniugalis copula sit sacris Canonibus interdicta; consueuit tamen super hoc Sedes Apostolica dispensare cum illis, qui per suam & suorum deuotionem dispensationis gratiam promerentur. Cum igitur q. Aloara vxore tua fili Iacobe, tibi filia Marotta quarto consanguinitatis gradu attinente viam vniuersæ carnis ingressa inuicem matrimonialiter, sicut asseritis duxeritis contrahendum, & plures filios susceperitis ex eodē, ac ex diuortio, si, quod absit, inter vos celebrare contingeret, non leue posset scandalum suscitare, Nos vestræ deuotionis obtentu ac consideratione dilecti fil. M. electi Capuani fratris tui, fili Iacobe, super hoc vos gratiosè prosequi, & fauorabiliter intendentes vobiscum quod huiusmodi affinitatis impedimento nequaquam obstante in sic contracto matrimonio licitè remanere possitis, auctoritate Apostolica dispensamus, prolē ex ipso matrimonio susceptam fore legitimam decernētes. Nulli ergo nostræ dispensationis, &c. *Datum Viterbij 15. Kalend. Decemb. anno primo.*

Interea defuncto Vrbano Clemens IV. in Sede Petri successit, à quo Marinus inuitus trahitur iterum ad Capuanam Ecclesiam gubernandam anno 1266. eidemque præficitur 5. Kal. Iunij anno Pontif. II. ex regest. Vatic. epist. 82. fol. 81. Viterbij ab eodem Pontifice munus consecrationis accepit, & in Curia ad munera Vicecācellarij obeunda retinetur. Tandem cum diu & incessanter Gregorij Decimi aures pulsasset, obtenta venia ad desideratam sibi concreditam Ecclesiam desideratus peruenit, in qua deinceps per nouem & decem annos in ordinando Clero, Diœcesi visitanda, Synodis celebrandis, & populo pijs operibus instruendo indefesse, reliquum vitæ consumpsit, ac plenus meritis octuagenario maior Christiano cœlo eripitur 6. Id. Martij anno sal. 1285. humatus pergrandi, ac marmoreo tumulo in Cathedrali, nulla tamen tanti Præsulis proloquente inscriptione: eius tamen honorariam memoriam paucis abhinc annis Neap. in sacra æde Archiepiscopali renouauit Ascanius Card. Philamarinus Archiepiscopus Neapolitanus, inscriptio marmorea sic prostat legentibus.

Mari-

Marinus Thomæ Philamarini
& Caietæ Ebulæ filius
S. Thomæ Aquinatis discipulus:
Omni doctrina & virtute
ornatissimus,
Qui cum decem Pontificibus Maximis
Probatam fidelemque
Romæ impendisset operam,
Vicecancellarius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Canonicus Salisberiensis,
& Capuanus Archiepiscopus
creatus est.
In sua Ecclesia contra Federicum Imperatorem fortiter à se defensa:
Ac per XXXX. annos sanctè administrata obijt, & sepultus est.
Anno ætatis suæ LXXX.
Christi nati M.CC.LXXXV.
Ascanius Philamarinus
S.R.E. Cardinalis
Archiepiscopus Neapolitanus,
vt tam præclara gentilis sui
De re Christiana, æquè, & litteraria
meritissimi
memoria extendatur
posuit
Anno Domini MDCXXXXIII.

In hoc elogio aliqua videntur corrigenda, vbi habet, *in sua Ecclesia contra Federicum Imperatorem fortiter à se defensa*, melius dixisset, contra Federici Imperatoris filios: nã Federicus obierat anno 1250. Marinus Capuanus Archiepiscopus adlectus est an. 1252. mortalitatem expleuit ann. 1285. per annos tantùm triginta tres sanctè Capuanam Ecclesiam administrauit; non annos XL. vt in elogio legitur. Cur autem Marinus in suo Formulario de Ebulo cognominatur? cum ille idem sit Marinus Filamarinus Archiepiscopus Capuanus? ex verisimili coniectura, mihi videtur in memoriam materni generis nobilissimi de Ebulo cognominari voluisse, namque natus dicitur gente Ebula in Arce Guillelmæ, non de Ebulo in breui eius elogio, quod hic libet exscribere ex Formulario eiusdem à regest. Vatic. Innocentij IV. anno Pontif. 12. fol. 183. à tergo. *Marinus natione Italus, patria Arcis Guillelmæ Aquinatæ Diœcesis in Campania natus gente Ebula, diuini humanique Iuris instructissimus fuit. Nicolao germano fratri egregio legum con-*

A *sulto doctrina laudibus non inferior. Romã venit, & inter Pontificios Cappellanos, quos Rotæ Auditores vocant, litibus iudicandis optatur. Sub Innocentio IV. is non solum diuinarum legum scientia pollens, verùm in dictandis, scribendisque Epistolis clara doctrina excelluit, ob id ab eodem Innocentio S.R.E. Vicecancellarius electus est. Formularium scripsit in septem lib. distinctum; alia sui ingenij monumenta reliquit. Ab eodem Pontifice Canonicus & Thesaurarius Sarisberiensis in Anglia, mox Capuanus Archiepiscopus electus. Verùm Marinus munus consecrationis non suscepit ad Alexandri IV. tempora, & eam Ecclesiam sponte dimisit, de qua Ecclesia non fuit de Pastore prouisum*
B *neque ab ipsomet Alexandro IV. neque ab Vrbano IV. virtuti & sanctitati eximij huius viri illam reseruantibus. Tandem à Clemente IV. ad eandem Ecclesiam gubernandam Marinus trahitur inuitus Viterbij ann. 2. ex reg. Apost. & consecratur. Obijt octuagenario maior, anno Honorij IV. secundo, qui illi subrogauit Cynthium de Pinca nomine, Romanum ex electo Tripolitano, sub Dat. Kal. Iunij ann. 2.* Claram quoque de Marino hoc Capuano Archiepiscopo habemus memoriã in processu Canonizationis Sancti Thomæ Aquinatis tẽporibus Ioannis XXII. ab Archiepiscopo Neapolitano, & Episcopo Viterbiensi consarcinato, in quo rotundè habetur Marinus ex gente Filamarina fuisse.
C Verba sunt ista. *Eadem die Martis, vltima Iulij 1319. Nobilis vir Nicolaus de Filomarino testis citatus, & iuratus in forma supradicta inquisitione dicere veritatem; & primò interrogatus de vita & conuersatione prædicti fratris Thomæ, dixit se audiuisse, quod fuerat sancta vita, & conuersationis honestæ, homo magnæ castitatis, humilitatis, & sobrietatis, & excellentissimæ sanctitatis. Interrogatus à quibus prædicta audierat dici, dixit, quod à Domino Marino patre suo, & à Domino Marino patruo quondam Archiepiscopo Capuano, qui dictum fratrem Thomam cognouerat & viderat, & diù conuersatus fuerat cum eo, & quem habuerat in maxima deuotione & reuerentia; adeo quod*
D *quando prædictus patruus nominabat dictum fratrem Thomam propter sanctam vitam ipsius semper quasi lachrymabatur, &c.* Processum ex authentico exemplari nos ipsi legimus, & hæc exscripsimus indulgente bon. mem. Cõstantino Abb. Caietano, apud quem extabat. Igitur ex ijs omnibus certissimis monumentis relatis fatendum est Marinum ex gente Filomarina fuisse, & quanquam ego non modicam operam, diligentiamque adhibuerim, nunquam reperire potui Marinũ, quem de Filamarinis vocant, diuersum fuisse ab illo Marino, cui cognomen de Ebulo fecerunt: cum vnus, idemque fuerit Marinus, qui ab Innocentio IV. ad Capuanam Ecclesiam administrãdam admotus est. Nec

præ tereundum, quod Marino tunc electo Capuano Alexander Papa IV. anno 1254. Ecclesiam Capuanam solemni ritu consecrauit, vt ex diplomate dato Anagniæ patet an. Pontif. primo, Christi 1255.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Marino electo, & Capitulo Capuano salutem, & Apostolicam benedictionem.

Consecrationes altarium, in quibus Christus immortaliter viuens ad nostrorum abolendam criminum corruptelam in ministerio immolatur Altaris, Christianus populus cum puritate animi venerari tenetur dedicando membra sua Domino seruitura iustitiæ in sanctificatione quæ prius iniquitati, & immunditiæ seruiebant, vt sic, quæ per Christi ministros in Ecclesijs visibiliter exhibētur, mysticè in templo fideles animæ diuinitùs peragant. Cupientes itaque quod Ecclesia vestra, quæ per nos ad honorem Dei & Beati Stephani Protomartyris extitit dedicata; festiuitatum diebus à fidelibus frequentetur, & frequentantes pro tali solemnitate, quam peragunt, spirituali munere gratulentur de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorū Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui ad Ecclesiam vestram in duabus festiuitatibus Protomartyris memorati Sancti in Reuelationis, & Natalis eiusdem, ac in die anniuersario dedicationis ipsius Ecclesiæ, & vsque ad octauum diem earundem festiuitatum, & dedicationis causa deuotionis accesserint annuatim vnum annū, & duas quadragenas de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. *Datum Anagniæ Id. Septemb. Pontif. nostri anno primo.*



24. CYNTHIVS de Pinea nobilis Romanus ex electo Tripolitano Episcopo ab Honorio IV. sublectus est Archiepiscopus Capuanus 5. Kal. Iunij, salutis anno 1286. ex epist. Vatic. reg. num. 5. fol. 133. anno Pont. 2. Quatuor omninò annis optimè sedit, mortuusque est sub Nicolao IV. anno 1290.

25. SALIMBENE Canonicus Parisiensis, defuncto Cynthio per Berardum Prænestinum; & Gerardum Sabinensem Episcopos Cardinales Apostolicæ Sedis in Neapolitano Regno Legatos, quibus Capuanum Capitulum ad futurum Archipræsulem denominandum potestatem dederat, designatus est Archiepiscopus Capuanus, & à Nicolao IV. cōfirmatus anno 1291. 4. Id. Feb. ex reg. Vatic. epist. 735. fol. 148. an. 3. munus consecrationis ab eodem Vrbeueteri recepit. Eidem ab eodē Nicolao omnes donationes factæ olim à Federico II. Imp. Ecclesiæ Capuanæ fuerunt affirmatæ an. 4. Pontif. ep. 21. fol. 44. in Vatic. regest. Quo Præsule Cœlestinus V. Capuam venit, & Indulgentiam clargitus est fidelibus visitantibus Ecclesiam Cathedralem Sancti Stephani.

Cœlestinus Episcopus seruus seruorum Dei. Vniuersis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem, & optatam benedictionem.

Splendor paternæ gloriæ, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate pia vota fidelium de clementissima ipsius Maiestate sperantibus, tunc præcipuè benigno fauore prosequitur, cùm deuota ipsorum humilitas Sanctorum precibus & meritis adiuuatur. Rogamus itaque vniuersitatem vestram, & hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus ad Ecclesiam S. Stephani Capuani petituri à Domino veniam delictorum, in humilitate spiritus accedatis. Nos autem, vt Christi fidelibus sint ad merita promptiores, sicut fiduciam habentes consequendi munera gratiosa Omnipotentis, Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui Ecclesiam ipsam in festiuitatibus eiusdem Martyris, & in anniuersario die Dedicationis eiusdem Ecclesiæ venerabiliter visitauerint, vnum annum & quadraginta dies, illis verò, qui in festo Omnium Sanctorum deuotè illuc accesserint, annuatim tres annos, & tres quadragenas de iniunctis sibi pœnitentijs misericorditer relaxamus. *Datum Capuæ 3. Non. Nouemb. Pont. nostri Anno primo.*

Mortem obijt Salimbene anno 1295.

26. PE-




26. PETRVS Gerra Ferrentinas vir illustris, Archiepiscopus Montis regalis in Sicilia à Bonifacio VIII. an. 1296. 8. Id. Ianuar. ad Capuanam Ecclesiam translatus, inde ad Patriarchatum Aquileiensem euectus ab eodem Pontifice anno 1299. Quem Præsulem mirum in modum res ab ipso præclarè gestæ illustriorem fecerunt. Soranus antea fuerat Episcopus, mox Reatinus, inde Montis regalis, Capuanus, & Aquileiensis Patriarcha, in Gallia, Hispania, alijsque Christiani Orbis partibus legationes obiuit felicissimè: quinque supra triginta annos, has quinque, diuersis temporibus felici omine rexit Ecclesias, vt alibi diximus.



27. LEONARDVS Patrassus de Guertino Bonifacij VIII. auunculus, Episcopus Alatrinus, mox Auersanus, à Bonifacio translatus est ad Capuanam Ecclesiam 8. Kalen. Aug. 1299. pauloque post factus est Episcopus Cardin. Albanus. De quo vide 1. tom. in Episcopis Albanen. Alatrinis & Auersanis.

28. ALBERTVS antea Episcopus Tartacinensis factus est Capuanus Archiepiscopus per translationem Leonardi ad Albanensem 5. Non. Iunij 1300. ex reg. Vatic. ep. 187. fol. 310. ann. 6. Bonifacij obijt Albertus eodem anno.



29. IOANNEM è familia Capuana eiusdē Ciuitatis, olim Cōfertensis in Hybernia Episcopum, tunc Archiepiscopum Beneuentanū in demortui Alberti locum Bonifacius VIII. ad hanc Capuanam Ecclesiam transtulit 4. Non. Ianuar. an. 6. sui Pontificatus; qui fuit Christi 1300, cuius translationis diploma Datum Laterani est in reg. Vatic. num. 362. fol. 558. cui pallium traditum fuit à Matthæo S. Mariæ in Porticu, Francisco S. Mariæ in Cosmedin, & Petro S. Mariç nouę Diac. Card. Sedit ann. 4. mortuusq; est ann. 1304. Hic ille est Ioannes, qui Benenentanæ suæ primæ Ecclesiæ multa bona mobilia auro, & argento contexta ad diuinum cultum spectantia secū asportauerat, remisit, aliaque dono transmisit anno 1301. quorum meminit litera eiusdem Ioannis ad Adenulphum eius in Beneuētana Ecclesia successorē, & Capitulum eiusdem Ecclesiæ, quas recitat Monachus, ita se habent.

In Christo Patri amico carissimo, Domino Adenulpho Archiepiscopo, & discretis viris Capitulo Beneuent.

Ioannes miseratione Diuina Capuanus Archiepiscopus, salutem & plenum sinceritatis affectum.

Ecce remittimus vobis bona infrascripta per discretum virum Abbatem Franciscum Thesaurarium Ecclesiæ vestræ Beneuentan. inter quæ sunt quædam nostra specialia, quæ vobis cōcedimus, videlicet mitram vnam cum smaltis auro & argento, lapidibus & pernis ornatam, cum Mitrali, in quo ponitur ipsa Mitra, cum vna corrigia de seta rubea adchata de argento, & vnam aliam Mitram albam simplicem. Item vas vnum quod dicitur Tabernaculum, de argento cum sua cascia. Item Bosidam vnam de Ebore. Item planetam vnam viridis coloris cum frisis de auro: Item pluuiale vnum cellatum cum magno friso: Item tunicellam vnam viridis coloris. Item Dalmaticam vnā rubeam. Item tobaleam vnam ad setam & aurum pro Altari maiori ad opera pensole. Item tobaleam vnam de seta listatam de auro datam.

datam in recompensatricem cuiusdam alterius tobaleæ. Item pettenem vnum de ebure: Item calicem vnum cum patena de argento deauratum. Item crochiam vnam cum baculo de ebure. Item tria pallia de seta. Item quinque tobaleas cum seta pro Altari. Item planetam vnam de seta, Camisum vnum, stolam vnam, manipulum vnum, & amictum vnum. Item tobaleam vnam viridis coloris ad tenendum super patenam. Item corporale vnum cum casa ad aurum, & Imagines; Item campanellam vnam. Item anulum vnum Pontificalem de auro, magnū. Item quendam alium anulum de auro. Item Antiphonarium vnum de die. Item scrinia duo coloris viridis pro Cappella. Item tres acus de argento cum lapidibus pro pallio. Item par vnum arethecarum de seta alba, cum smaltis impeintnatis, quod donauimus p. si Ecclesiæ Beneuentanæ. Item Frisium vnum de auro, quod etiam nos donauimus præfatæ vestræ Ecclesiæ Beneuentanæ; & vobis semper in omnibus amicabiliter complacere. Valete. *Datum Capuæ die quartodecimo mensis Martij.*

Causa cur Ioannes secum bona illa mobilia Beneuento Capuam adduxerat, deindè Capua Beneuentum remiserit, illa censenda est, cum ab illa Ecclesia translatus ad Capuanam accessisset, pretiosa illa cum cæteris eius mobilibus casu inuecta sunt, quæ deindè remissa sunt. Ioanni potestatem fecit Bonifacius, vt Bzouius scribit ad annum 1301. introducendi Mariam Siciliæ Reginam in Monasterium Monialium S. Petri Ord. Prædicat. Neapoli, quique designatus decimarum collector, ad iudicium vocatus est à Benedicto XI. anno 1304. vbi obijt.



30. ANDREAS Pandonus. Adenulphi filius, nepos Bartholomæi de Capua, nobilis genere, sed virtutibus, probitateque vitæ nobilior, cum diu fuisset Brundusinus Archiepiscopus, ad patriæ sedem translatus est Nonis Iunij 1304. à Benedicto XI. reiectis Bartholomæo Decano Capuano, & Guillelmo Ebroydi Regis Siciliæ Cancellario in contentio-

A ne electis post Ioannis obitum, vt narrant epistolæ eiusdem Benedicti in reg. Vatic. num. 275. an. 1. Andreæ pallium tribuit Clemens V. anno Pontif. 2. Salutis 1306. 18. Kal. Septemb. Præfuit annis 7. Excessit verò 4. Id. Septemb. anno 1311.



B

31. INGIRANNVS Stella ex Prouincia Prouinciæ nobilis Gallus Canonicus Sistaricensis, Regius Cappellanus & consiliarius successit Andreæ iussu Clementis V. 13. Kal. Aug. anno à Christo nato 1312. iam antea à Capitulo vna cum Francisco Carazolo Ecclesiæ Parisiensis Cancellario, & Bartholomæo Brundusino Archiepiscopo in dissensio-

C ne postulatus, quibus duobus reiectis, Stellæ Clemens Capuanum Sacerdotium contulit, ex Vatic. reg. ep. 499. fol. 104. an. 7. Clementis. Fuit Ingirannus omnium scientiarum genere optimè eruditus, ac singulari prudentia præditus, summaque familiaritate Roberto Regi coniunctissimus consiliarius, & quæstor. vt Capaccius scribit, deindè auctus Archiepiscopali dignitate, magnus Regni Cācellarius creatus est anno 1320. cuius magistratus auctoritate Neapolitano Gymnasio præfuit, eiusque dignitati vt consuleret, denuo ex studijs redeuntes scholares nouo examine probandos statuit. Interfuit cum Prisciano fratre Classi, qua Calabriæ Dux Roberti filius Siciliam inuasit anno 1325. Quo tem-

D pore affines quoque diuitijs, ac dignitatibus claruere, inter quos Petrus Stella Regis cubicularius, & Vicarius Magister Rationalis, & quæstor, tum etiam consiliarius, Comestabilis, & Canonicus Cameracensis. Interfuit canonizationi S. Thomæ Aquinatis Auenione celebratæ à Ioanne XXII. anno 1323. & quarto loco orauit præsente Roberto Rege. At qualis, Ingiranno Archiepiscopo Cathedralis Ecclesiæ status esset, indicant statuta ab illo, & Capitulo edita anno 1315. quæ hic ex Monacho exscribimus.

In primis statuerunt communi voto, & consensu, de bonis communibus ipsius Congregationis Capituli, in quibuscunque consistant, triginta præbendas, singulas per se diui-

A diuisas viginti integras, Presbyteris decem, & Diaconibus decem: viginti dimidias in Subdiaconatus officio constitutis: qui numerus etiam in portionibus de bonis quotidianarum distributionum in ipsa Ecclesia obseruatur. Item ordinauerunt, & constituerunt, quod si aliqua de prædictis præbendis pro tempore vacare contigerit, si est præbenda, assequatur ipsam antiquior Canonicus, qui in Sacerdotali, vel Diaconali ordine fuit primitùs institutus in Canonicum, & cui locus, & stallum in Capitulo fuerit assignatus, qui dari Sacerdotibus, vel Diaconibus, hactenus consueuit: si verò dimidia fuerit præbenda vacans, assequatur ipsam antiquior Canonicus, qui in ordine Subdiaconali fuerit primitùs in Canonicum institutus, & cui locus, & stallum in Capitulo fuerit assignatus, qui

B Subdiaconibus dari, & assignari consueuit. Si verò nullus Canonicus in ordinibus ipsis esset expectans, præbenda ipsa integra, vel dimidia vacans teneatur in communi, donec aliquis ex ipsis Canonicis mandato Archiepiscopi ordinetur, &c. Item quod si aliqua præbenda integra, vel dimidia ibidem vacanerit, possit antiquior canonicus in receptionis tempore, non ætatis, præbendam in ordine suo vacantem infra decem dies optare: qui si optauerit, præbendam ipsius optantis assequatur primo expectans, & si non esset expectans, assequatur ille, quem D. Archiepiscopus duxerit in Canonicum, & ad talem ordinem promouendum. Item, quod dignitates habentes in ipsa Ecclesia præter illa annexa,

C quæ habent, habeant præbendam secundum ordinem, quem requirunt ipsæ dignitates; includantur tamen infra numerum triginta præbendarum dictarum. Item quod de ipsis præbendis triginta, præbenda vna prædicto Domino Archiepiscopo ratione Thesaurariæ penitus reseruetur. Item quod remaneant in communi tot possessiones, vel redditus, quot valeant per annum vncias triginta pro communi mensa, & de ipsis possit prouideri Canonicis non ordinatis, Acolythis & seruientibus Ecclesiæ secundum consuetum, &c.

Hæc ex vno Instrumento Thesauri; plura enim sunt, in quorum altero sunt huiusmodi litteræ.

Nouerint vniuersi, præsentes litteras inspecturi, quod nos Ingeranus, miseratione diuina, Capuanus Archiepiscopus, attendentes grata obsequiorũ merita à Dopno Guil-

D lelmo de Carpinouo nostræ Capuanæ Ecclesiæ Canonico nobis hactenus collatorum, testamentum per eum conditum, seu vltimam voluntatem auctoritate literarum bon. mem. quondam Domini Andreæ Archiepiscopi Capuani præcessoris nostri sibi proindè concessarum tenore præsentium acceptamus, ratificamus, ac nostrum ad id præstantes assensum ratum & firmum habentes quicquid prædictus D. Guillelmus in sua dudum leganit seu disposuit voluntate. Concedentes etiam eidem Dopno Guillelmo plenam & liberam potestatem, quod in prædicto suo testamento, seu vltima voluntate possit addere, & minuere seu mutare pro suæ arbitrio voluntatis, Iuribus tamen dictæ nostræ Ecclesiæ, ac cuiuslibet alterius semper saluis. In cuius rei testimonium præsentes literas meo sigillo pendenti munitas sibi exindè duximus concedẽdas. *Data Neapoli anno Domini millesimo trecentesimo quintodecimo, die tertiodecimo Iunij tertiadecima Indictionis.*

Excessisse videtur Ingirannus circa finem anni 1333. condito ante testamento ad fauorem Scholarium studij Neapolitani.



32. RICHARDVS cognomento de Rogerio, Ciuis, & Archidiaconus Salernitanus diffidente Capitulo Capuano, quod post Ingiranni obitum Benedictum Archidiaconum Capuanum, Guizardum Abbatem Cauensem ac Nicolaum de Ebulo Canonicum Capuanum elegerat, tribus his reprobatis euasit Archiepiscopus Capuanus ex delectu Ioannis XXII. anno Salutis 1334. 12. Kal. Martij anno Pontif. 18. ex reg. Vatic. Vir sanè pius, & doctus interfuit coronationi Ioannæ Reginæ anno 1344. Decessit verò postquam decem & sex omninò annos in administratione explesset 1350. quem aliquando Rizardum, & Aliardum nominatum inueni.

33. Fr. VASINVS Rolandus ex Ordine Minorum olim Episcopus Gardiensis, indè Eugubinus ad hanc Capuanam Ecclesiam translatus per obitum Richardi à Clemente VI. anno 1350. 18. Kal. Iulij anno Pontif. 9. vt in reg. Vatic. epist. 5. Fuit Reginæ Ioannæ primæ perfamiliaris & charus, Campaniæ & Maritimæ Rector obijt anno 1351.

34 IOAN-



34. IOANNEM fortaſſis de Porta Salernitanum olim Archiepiſcopum Corſicenſem, indè Brundiſinum & Oritanum ad hanc Capuanam Eccleſiam tranſtulit Innocentius VI. anno 1352. ex epiſt. 72. fol. 23. reg. Vatic. Hunc idem Innocentius legauit in Aquitaniã ad pacem Inter Reges Galliarum, & Anglorum ineundam 1355. eodemque munere functus pro Ludouico & Ioanna Regibus ad eundem Innocentium. Rexit hanc Eccleſiam annis quinque, obijt anno 1357. eoque defuncto datus eſt Capuani Archiepiſcopatus adminiſtrator Albertus Albertinus Auellinenſis Epiſcopus ad Sedis Apoſtolicæ beneplacitum.

35. REGINALDVS, ſiue Raynaldus Canonicus, & Cantor Antiſiodorenſis Eccleſiæ in Gallia ab Innocentio VI. Capuanus Archiepiſcopus deſignatus eſt 5. Id. Maij anno 1358. ex ep. 34. fol. 33. Pont. 6. reg. Vat. Hic cũ in vetuſtis codicibus Capuanæ Eccleſiæ reperiſſet Cancellariæ officium inter alias Cathedralis dignitates fuiſſe, Cancellario certam quandam terram attribuit, decreuitque vt ille ex numero Diaconorum eſſet. Sedit ad annum vſque 1364.



36. STEPHANVS Sulmonenſis ex nobili gente de Sanitate cum eſſet vir doctus, moribuſque præclarus ex Apteuſis Eccleſiæ

A in Gallia Præpoſito, & Canonico ad Capuanum Archiepiſcopatum anno 1364. 13. Kal. Iunij ab Vrbano V. delectus eſt. Hic Archipræſul Beatiſſimæ Virginis Mariæ deuotiſſimus fuit, quamobrem in Eccleſia S. Mariæ Maioris aliqua mobilia ornamenta, præcipuè Crucem argenteam dono dedit, in qua hæc inciſa carmina leguntur, vbi & inſignia ſuæ familiæ de Sanitate ſpectantur, duo ſcilicet tignia argentea in area ſcuti cærulea.

Stephanus Eccleſia Capua Prælatus honora,
Vt fierem fecit, Lector, Crux cerne decora.
Hunc genuit Sulmo, genitus quo prouidus Aſtor:
B *Extitit & noſtri Maſius per ſingula factor:*
Tunc anni Domini currebant mille trecenti.
Et decies ſeptem fuimus quo morte redempti.

Anno 1375. Stephani Preſulàtus 2. Clerus tam Vrbanus, quàm totius Capuanæ Diœceſis ex eiuſdem voluntate nouæ Decimarum taxæ Cameræ Apoſtolicæ debitæ libenter aſſenſum præbuit, nec minorem promptitudinis copiam in Sanctam Sedem Stephanus effudit, has nunc antiquas taxas vocant, nec ab re viſum eſt ex Monacho iterum hic exſcribere, cum in ea Eccleſiæ, Monaſteria, ſimpliciaque beneficia Capuanæ tum ciuitatis, tum
C Diœceſis recenſeantur.

In nomine Chriſti Amen. Anno Incarnationis eius milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo quinto, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini, Domini noſtri Gregorij diuina prouidentia Papa XI. anno 5. die 17. menſis Decembris 14. Indict.

Ego Chriſtophorus Merulus Canonicus Capuanus publicus Apoſtolica auctoritate Notarius præſenti ſcripto publico notum facio atque teſtor, quod in mei qui ſupra Notarij, & teſtium ſubſcriptorum præſentia prædicto die congregatis Canonicis, & Clericis maioris Eccleſiæ Capuanæ in cho-
D ro ipſius Eccleſiæ Capuanæ, vbi pluſquàm duæ partes exiſtebant, nec non Archipresbyteris, Sacerdotibus & Clericis ipſius Ciuitatatis Capuæ, & eius Diœceſis pro maiori, & ſaniori parte in eodem choro ſimiliter congregatis ad quaternam pulſationem Campanæ, vt moris eorum eſt, de mandato Reuerendi in Chriſto Patris, & Domini, Domini Stephani Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Capuani Archiepiſcopi pro tractandis eorum vtilitatibus, & commoditatibus ibique coram Canonicis de capitulo eiuſdem maioris Eccleſiæ Capuanæ prædictis, ac Archipresbyteris, ſacerdotibus, & clericis ipſius ciuitatis, & eius Diœceſis iam dictis, congregatis in

in choro eiusdem maioris Ecclesiæ Capuanæ præfatus Dominus Archiepiscopus exposuit viua voce, quod olim ex potestate sibi tradita per Canonicos de Capitulo ipsius maioris Ecclesiæ Capuanæ, prædictum, ac totum clerum ipsius cinitatis & eius Diœcesis, vt supra, super taxatione, & renouatione taxationis decimæ facienda per eum, seu alium; vel alios deputandos in taxatione ipsa secundum facultates fructuum, beneficiorum ipsorum certos deputauit taxatores, prouisores & appretiatores quondam Abbatem Lillum de Angelo, & Dominum Dominicum de Blasio clericos ipsius maioris Ecclesiæ Capuanæ super facultatibus, fructibus, iuribus, redditibus & prouentibus tam mensæ suæ Archiepiscopatus, ac dicti Capituli einsdem maioris Ecclesiæ Capuanæ, quàm aliorum Ecclesiarum, & beneficiorum ipsius ciuitatis, B & eius Diœcesis, vt habita informatione per eos de annuis valoribus, tam dictæ mensæ suæ, ac dicti Capituli, ac aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum ciuitatis, & eius Diœcesis summam decimæ quæ debetur Apostolicæ Cameræ pro modo facultatum vniuscuiusque taxarent inter ipsum Dominũ Archiepiscopum pro mensa sua Archiepiscopatus prædicta & præfatum Capitulum, ac alios beneficiatos & Monasteria cum eodem Domino Archiepiscopo in decimis papalibus, & alijs oneribus concurrere debentia, ipsius ciuitatis, & eius Diœcesis. Exposuit etiam præfatus Dominus Archiepiscopus ibidem, quod dicti deputati per eum prouisores, appretiatores, & taxatores procedentes ad inquisitionem omnium facultatum, tam dictæ C mensæ suæ Archiepiscopatus, ac dicti Capituli eiusdem Ecclesiæ Capuanæ, ac aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum ipsius cinitatis, & eius Diœcesis adhibita per eos informatione diligenti de annuis valoribus ac facultatibus tam dictæ mensæ suæ Archiepiscopatus ipsius Ecclesiæ Capuanæ, ac dicti Capituli, quàm aliarum Ecclesiarum & beneficiorum, ac Monasteriorum ipsius cinitatis, & eius Diœcesis, dictam summam ascendentem ad decimam, quæ debetur Apostolicæ Cameræ per ipsum Dominum Archiepiscopum, ac dictum Capitulum, ac alios beneficiatos, pro Ecclesijs & bene- D ficijs ipsius ciuitatis & eius Diœcesis, prout taxari, & contribui debuit in decima ipsa secundum facultates eorum taxauerunt, & fecerunt particulariter & distinctè prout infra describitur: ipsamque taxam factam per deputatos eosdem, præfatus Dominus Archiepiscopus publicè legi fecit, ac inspici, videri & discuti inter Canonicos de Capitulo prædictos, & alios Archipresbyteros, sacerdotes, & clericos memoratos, ipsaque taxatione inter eos visa & discussa, ac diligenter examinata, tanquam idonea, æqua & iusta fuit ab omnibus supradictis generaliter approbata, ipsamque taxationem factam, vt prælegitur in-

A frascriptam, prout in solutione prædicta vnius integræ decimæ, ac alijs oneribus quoquo modo eis incumbentibus vnanimiter & concorditer deliberauerunt & decreuerunt inuiolabiliter obseruari; & secundum taxationem infrascriptam præfata pro infrascriptis Ecclesijs & beneficijs, ac Monasterijs, tam in decima prædicta, quam in alijs oneribus quibuscunque pro tempore eis incumbentibus quoquomodo concurrere, & contribuere ac soluere singulis vicibus tam per ipsum Dominum Archiepiscopum pro mensa sua Archiepiscopatus, & dictum Capitulum, quàm alios beneficiatos quoscunque infrascriptarum Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum firmiter debeant. Ecclesiæ verò & beneficia, ac Monasteria cum taxationibus, quæ ascendunt ad summam prædictam vnius in- B tegræ decimæ, hæc esse noscuntur. In primis Dominus Archiepiscopus Capuanus pro mẽsa sua Archiepiscopatus in vna integra decima taxatur in vncijs triginta: Capitulum maioris Ecclesiæ Capuanæ taxatur in vncijs quindecim. Item Capitulum Ciuitatis Capuæ extra chorum Ecclesiæ Capuanæ taxatur in vncijs sex. Item Archipresbyteratus Terræ Lanei cum Sacerdotibus & Diaconis suis in vncijs duabus. Item Archipresbyteratus Terræ Canciæ cum sacerdotibus, & iaconis suis in vncia vna, & tarenis quindecim. Item Archipresbyteratus terræ Capuanæ, cum sacerdotibus, & iaconis suis in tarenis duodecim. Item Archipresbyteratus Castri Murroni cum sacerdotibus, & iaconis suis in tarenis octo. Item Monasterium S.Angeli in C formis propè Capuam in vncijs sex. Item Monasterium S.Benedicti in Capua in vncijs quinque. Monasterium S.Mariæ Monialium in Capua in vncijs sex. Monasterium Sancti Ioannis Monialium in Capua in vncijs quatuor. Monasterium S.Mariæ de Magellis in Capua in vncia vna, & tarenis quindecim. Monasterium S.Vincentij in Capua in vncia vna, & tarenis quindecim. Monasterium S.Laurentij in Capua in tarenis septem & granis decem. Monasterium Trinitatis Cauensis in Capua in tarenis septem & granis decem. Hospitale S.Lazari in Capua in tarenis decem. Rectoria S.Andreæ de Portu D Fluuiano in tarenis quindecim. R.S.Saluatoris minoris in tarenis quatuor. R.S.Martini ad Iudaicam in tarenis tribus. R.S.Marcelli Minoris in tarenis quatuor. R.E.Sanctæ Mariæ de Porta in tarenis duobus. R.E.Sanctæ Mariæ in Abbatis in tareno vno, & granis decem. R.E.S.Andreæ de Maximiliana in granis decem. R.E.S.Leucij in vncia vna, & tarenis sex. R.E. Omnium Sanctorum in tarenis nouem. R.E.S. Pauli propè flumen in tareno vno, & granis decem. R.S.Laurentij ad Crucem in tarenis decem. R.E. S.Petri ad Ciguaniscos in tarenis sex. R.E.S.Andreæ de Polita in tarenis tribus. R.E.S.Ioannis ad Curtim in tarenis duodecim. R.E.S.Saluato-

uatoris maioris in vncia vna, R. E. S. Bartholomæi de Arcu Loisij in tarenis quatuor, & granis decem. R. Medietatis E. S. Mariæ de Petris erectis in tareno vno & granis decem. R.E. S.Cosmæ de Porta noua in tarenis quatuor, & granis decem. R.E. S. Ioannis ad Turripaldi in tareno vno & granis decem. R. E. S.Pamphili in tarenis duobus. R.E. S.Leonardi in tareno vno & granis decem. R. E. Sanctorum Apostolorū in tarenis quatuor. R. E. S. Angeli Adildiseos in tarenis quatuor, & granis decem. R.E. S.Marcelli maioris in vncia vna, & tarenis sex. R.E. S.Scolasticæ in granis duodecim. R. E. SS.Philippi & Iacobi in tarenis duobus. R.E. S.Bartholomæi ad Monterone in tarenis duobus. R.E. S.Rufi in tarenis quinque. R.E. S. Nazarij in tarenis nouem & granis decem R.E. S. Michaelis ad Curtim B in tarenis nouem & granis decem. R. E. Sancti Erasmi ad Indices in granis quindecim. R.E. S.Germani in tarenis quindecim R.E. S. Nicolai ad Iudaicam in tareno vno & granis decem. R. E. S. Benedicti Pizzuli in tarenis tribus, & granis decem. R. Cappellæ S.Pauli in Archiepiscopali constructæ in tarenis nouem. R E. S.Augustini de Capua veteri in tarenis vigintiduobus & granis decem. In Terra Lanei, videlicet, R.E. Sancti Prisci in tarenis quatuor. R.E.S. Elpidij in tarenis tribus. R. E. S. Augustini in tarenis quatuor. R. E. S.Michaelis de Villa Curtim in tarenis tribus. R.E. S.Ioannis de Villa Campuli in tareno vno, & granis decem. R.E.S. Martini de Villa Maceratæ in tarenis septem, & granis decem. R.E. S.Marcelli de Villa Musicili in tareno vno, & granis 10½. R.E.S.Marci de d. Villa Musicili in tareno 1.& granis 10. R. E. S. Erasmi de Turri in tareno vno, & granis decem. R.E.S.Petri de Villa Portici in tarenis quatuor. R. E. S.Mariæ de Villa Casalnæ in tarenis quatuor. R. E. Sanctorum Angeli & Martini de Villa Martianisij in tarenis quatuor & granis decem. R. E. S.Procopij de Villa Campi cipri in tareno vno & granis decem R.E.S.Iulianæ de Villa Airolæ in tarenis duobus R.E. S. Nicolai de Villa prædicta Airolæ in tareno vno & granis decem R. E. S.Giorgi de Villa Cuazoli in tareno vno, & granis decem. R.E. S.Marci de Villa Vicus gaudij in tareno, & granis decem. R.E.S.Mariæ de Villa Iullanelli in tareno vno, & granis decem. D R.E. S.Ioannis de Villa Picugnani in tarenis quatuor. R. E. S.Anelli de Villa S. Anelli in tareno vno. R.E.S.Luciæ de Villa S.Luciæ in tarenis tribus. R.E.S.Tammari de Villa S.Tāmari in tarenis tribus. R.E.S.Mariæ de Villa Vrticella in tarenis sex. R.E. S.Andreæ de Cāpo S. Andreæ in tarenis duobus & granis decem. R.E. S. Viti de Villa Hercule in tarenis quatuor. R.E.S.Mariæ de Villa Casacellulæ in tareno vno & granis decem. R.E. S.Stephani de Capua veteri in vncia vna, & tarenis sex. R R. Ecclesiarum Ruralium Terræ Lanei, videlicet. R.E. S. Ioannis de Banira in granis

A duodecim. R.E. S. Mariæ à Quaranta in tareno vno, & granis decem. R.E. S. Stephani ad Sissanra in granis decem. R.E. S. Quirici de . . . . . in tareno vno. R.E. S.Nicolai de Villa Casapulli in granis quindecim R. E. S. Nicolai in Iulanello in tareno vno, & granis decem. R.E. S.Petri Apponarum in tareno vno, & granis decem. R. E. S. Ioannis ad tumulum in granis sex. R.E.S.Saluatoris propè Villam Vicus gaudij in granis duodecim. R.E.S.Euphemię de Casanoua in granis quindecim. R.E. S.Felicis de Villa S.Prisci in granis duodecim. R.E. S.Martini de Aqua sparta in tarenis sex. Beneficia dependentia, videlicet beneficium S. Pauli in hospitio Archiepiscopali in tareno vno, & granis quinque. R.E. S.Saluatoris situm in Villa Vrticella in tareno vno. Beneficium aliud S. Saluatoris situm in Villa Cauæ in tareno vno. Aliud beneficium S.Saluatoris in grana decem. Beneficiū S.Luciç situm propè S. Mariam Maiorem in tarenis tribus. Beneficium S.Andreę de Portu Flauiano situm propè Villam Ricali in tareno vno Aliud beneficium S. Andreæ situm propè S.Nicolaum de Strada in granis decem. Aliud beneficium, quod dicitur Terra de petramala in tarenis tribus. Beneficium S.Bartholomæi de Arcu Loisij situm propè. Refronsula in granis decem. Item terra Cāziæ videlicet. R.E. S. Mariæ de Castro maris in granis quinque. R.E.S.Castrēsis, & S.Martini de . . . . in tarenis tribus. R.E. S. Barbaræ de Villa Castellutij in tarenis duobus & granis decem. R.E. S.Iulianæ de dicta C Villa in tarenis tribus & granis decem. R.E. S.Martini de Villa Rosellæ in tarenis quatuor, & granis decem. R.E.S.Stephani de Villa Casanonæ in tarenis tribus. R.E. S.Ioannis ad Turrim in tarenis quatuor. R.E. S.Laurentij de Villa Garzani in tareno vno & granis decem. R.E. S. Crucis de dicta Villa Garzani in tarenis sex. R.E. S.Giorgi de dicta Villa in tarenis duobus. R. E. Omnium Sanctorum de Villa Cancielli in tarenis tribus, R.E.Sancti Martini de Villa Britij in tarenis tribus. R.E.S.Mariæ de Villa Maranni in tarenis tribus. R.E.S.Mariæ de Villa Arnani in tarenis decem. R.E. S.Andreæ de d. Villa tareno vno & granis decem. R.E. S.Erasmi de Villa Captoli in tarenis tribus. R.E. S. Maximilianæ de Villa Gcazanisij in tarenis duodecim. R.E. S.Mariæ de Fossa in tarenis octo. R.E.S. Erasmi de dicta Villa in tarenis tribus. R.E.S.Nicolai de dicta Villa in tarenis duodecim. R.E. S.Petri de Villa Antiniani in tarenis duobus. R.E.S.Mariæ de Villa longi in tareno vno, & granis decem. R.E. S.Nicandri de dicta Villa in tarenis duobus. R.E. S.Apollinaris de Terra Cantiæ in tarenis viginti duobus & granis decem. R.E.S. Ioannis ad Petrazzanum in tarenis quatuor. R.E.S.Paris de Villa Accestarolo in tareno vno, & granis decem. Beneficium Campi S.Stephani in tarenis sex. In terra Capuana videlicet S.Ioannis de Villa Pan-

Pantuliani in tarenis quatuor, & granis decem. R.E.S.Secundini de Villa S.Secundini in tarenis duobus & granis octo. R. E. Sanctæ Mariæ ad Rotam de Villa Laborani in tarenis duobus, & granis decem. R. E. Sancti Nicolai de Villa Camiliani in tareno vno. R. E. Sanctæ Mariæ de Villa Truni in tarenis duobus R.E. S.Secundini de Villa Bellonæ in tarenis duobus, & granis decem. R.E.S.Viti ad Parmentaram in tarenis duobus. R. E. S. Clementis de Villa S.Clementis in tareno vno,& granis ſexdecim. R.S.Germani de Pizzone in granis duodecim. R.E.S.Laurentij de Villa S.Laurentij in granis decem. R.E.S.Mariæ de Villa Vitulatij, & S.Silueſtri in Capua in tarenis tribus. Nomina Eccleſiarum Campeſtrium, videlicet. R.E. S.Petri ad Rairum in granis decem,& octo. R.E.S.Mariæ de Campoliſio in granis decem & octo. R.E. S. Ioannis ad Paldiſcos in tareno vno & granis decem. R. E. S. Mariæ de Prẹta mala in granis duodecim. R.E.S.Simeonis à Bozzolam in tareno vno, & granis decem. R.E. S.Laurentij ad plumarum in tareno vno, & granis ſexdecim. R.E.S.Angeli de Glutta in tarenis tribus. R. E. S.Felicis ad paludem in tarenis tribus. R. E. S Petri ad venulam in tareno vno. R. E.S.Petri & . . . . . in tarenis duobus & granis quatuor. R.E.S.Nazarij ad Rumagnanum in tareno vno, & granis quatuor. Beneficium de petris latis in tarenis ſex. R.E. S.Giorgij de Vitulatio in tareno vno, & granis decem R.E.S.Potiti propè Campuliſium in . . . . Caſtri Murroni, videlicet, R. E. S. Mariæ in Valle Murroni in tarenis quatuor, & granis decem. R.E. S. Lucæ in tareno vno,& granis decem. R.E.S.Petri in tarenis tribus. R.E. S.Felicis in granis ſexdecim. Quibus omnibus ſic peractis, tam Dominus Archiepiſcopus, quàm alij Canonici de Capitulo ipſius Eccleſiæ Capuanæ, & alij Presbyteri, & Clerici ſupradicti me prædictũ Chriſtophorũ Merulum Canonicum Capuanum publicum Apoſtolica auctoritate Notariũ requiſiuerunt, & rogauerunt attentè meũ ſuper hoc officium . . . . omnibus pro futuri temporis memoria, & omnium quorum intereſt, & poterit intereſſe certitudinem & cautelam facere debere publicum Inſtrumentum, quorum requiſitiones & preces ego prædictus Chriſtophorus vepotè admittens, vt iuſtas, de præmiſſis omnibus, præſens ſcriptum publicum conficere curaui præſentibus Notario Iacobo de Cancello & Notario Maffutio Notarij Annielis teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, & rogatis.]

Stephanus autem poſtquam per ſex, & decem annos boni Paſtoris functus fuiſſet officio, mortuus eſt anno 1380. 5. Id. Iulij Indict. 3. Hic nepos fuit illius Franciſci de Sanitate Militis, ac Regij Conſiliarij viri longè clariſſimi, qui apud Neapolitanos Reges præcipua auctoritate floruit, Sulmonę in patria defunctus anno 1363. in Cathedrali humatus, pulcherrimum marmoreum tumulum meruit hiſce carminibus exornatum. Fama eſt à patribus ad poſteros traducta, ea carmina à Frãciſco Petrarcha ſcripta, tumulo veteris amici exarata fuiſſe.

Hæc Pyramis clarum Patriæ Patrem, & decus Vrbis
Franciſcum ſculpto marmore ſtructa tenet.
Regius hic miles, Regum Conſultus & ingens
Iuridicus cunctis facta benigna ferens.
Templorum cultor reuerens, inopumque Patronus.
Extitit, vndè ſacrum creditur eſſe Polum.
O. A. D. M. CCCLXIII. die XIII. menſis Septembris. prima Indict.

Franciſci filij fuerunt Butius Ioannæ Reginæ Camberlanus, & Aprutinæ Prouinciæ Regius depoſitarius, & Theobaldus vir clariſſimus: Germani fratres eiuſdem Franciſci Paulus, Sanitas, & Raynaldus, cui Carolus III. Rex ob præclara eius merita inter cetera dono dedit in feudum partem Terrarum Pacentri, & Rocchetæ Aprutinæ Prouinciæ Citra cum hominibus Vaſſallis,&c. vt in Regio priuilegio dat. Neap. anno 1382. 19. Iulij. Ab ijs clariſſimis viris proſeminata eſt gens illa de Sanitate, quæ hactenus Sulmonæ inter nobiles, claraſq; familias recenſetur. Ceterum defuncto Stephano Vrbanus VI. Põtifex Vicarium Capuanæ Eccleſiæ in ſpiritualibus & temporalibus benè inſtituit fratrem Gregorium Prouincialem Ord. Minorum in Aprutina Prouincia, vt ex bulla Dat. Romæ 3. Kal. Aug. an. 3. apud Vuadingum to. 4. Annal. Minorum.



36. ALOYSIUS della Ratta nobiliſſima gente Catalana natus, Antonij III. Caſertæ Comitis filius, vel, vt alij ſcribunt, germanus frater, ob eximias animi dotes ſublectus eſt Capuanus Archiepiſcopus anno 1380. nec ad annum Præſul fuit, quem inuida mors à mortalibus abſtulit anno 1381.



37. ATHANASIVS, quem alij Anastasium vocant, Vindacius Neapolitanus Capuanam Sedem obtinuit ab Vrbano VI. ann. 1382 contra ipsum lego in lib. obligationum à Clemente VII. Pseudo-Pontifice Ioannem quendam in hac Ecclesia intrusum, qui promisit solitum subsidium sacro Collegio anno 1385. die 23. Iunij. Athanasio verò facultatem testandi elargitus est Bonifacius IX. anno 1392. vixit tamen vsque ad ann. 1406. Quo Præsule, addit more suo Monachus, *Imago illa Sanctissima Virginis, quæ hodie*, la Madonna della Rosa *dicitur, intra maiorem Ecclesiam cœpit in magna veneratione esse occasione cuiusdam miraculi, quod ex actis reddo. Quidam maledictus filius, minister Satan, diuinam non metuens vltionem, dum amisisset pecunia ludo taxillorum . . . . dedit taxillos ad pectus imaginis . . . . Mariæ, depictæ in arcu portæ introitus, quo itur per dictam Ecclesiam ad cortilium eiusdem Ecclesiæ, & confestim ipsis taxillis non visis, tunc temporis cecidit ab inde scintilla ignis ad formam vnius denarij, & dum vnus cum alijs multis astantibus in stupore dati surgerent vt viderent quidnam esset, dexteram suam retraxit eò quod arderet ad modum sulphurelli, & accepto per ipsum vimine graminis, & cum ipso vimen dictam scintillam reuoluit, & ipsum vimen aliquantulum cœpit ardere, & confestim euanuit ab eorum oculis dicta scintilla*. Athanasio Capuanum Sacerdotium tenente in Conuentu Nurimbergensi in Germania obijt 1399. B. Raymūdus Ord. Præd. Generalis, S. Catharinæ Senēsis olim à sacris confessionibus, & B. Ludouicus Capuanus Ord. Eremitarum S. Augustini floruit doctrina, & sanctitate.



38. PHILIPPVS de Barilijs maximè nobilis Neapoli Tropeiensis Canonicus, Capuanus electus est Archiepiscopus ab Innocentio VII. anno 1406. 11. Kal. Martij, qui probè hominem longa experientia nouerat, quippè qui sub Bonifacio IX. varijs fuerat pro Romana Sede functus muneribus in Neapolitano Regno. Interfuit Concilio Constātiensi sub Ioanne XXIII. & Martino V. celebrato. Ad decorem Capuanæ Ecclesiæ multa præclara opera gessit, Archiepiscopale Palatium vetustate, & bellorum iniuria penè collapsum restituit, disciplinam ecclesiasticam prope modum delapsam in restituendam conditis saluberrimis legibus studuit quā qui maximè. Aliquando vero Ecclesiæ suæ desolationem immanissimam proprijs vsurpauit oculis, pro qua, proue conseruanda Reginæ Ioannæ inde in carcerem trusus, pene vltimum sensit periculum. Senio tandem & laboribus fessus eximius Præsul anno 1435. mortem obijt. Huius etiam Philippi temporibus Ecclesiā illam multos habuisse vassallos constat ex regio Archiuo ann. 1314. Scilicet in Marzianisio Campocipio, Ayrola, Trentula, Ercula, S. Maria Maiore, S. Castrense, Villa noua, de Terra lanci: in Grazzanisio, Caizoli, Amone, Castelluccio, Roseja, Castro à mare, S. Blasio, & S. Clemente, Casanoua, S. Ioanne de Turri, S. Stephani Carzagiæ & Cancello, Grazano de Terra Canice, & in Parolisano, Bucia, Mustardino, Burleano, Pizone de Territorio Calui in Sorbello, de territorio Suessano in Scarparo S. Helena in Territorio Trani, in Sillano, Alfredi de territorio Casertano, &c. Sed qualis fuerit post obitum Stephani Ecclesiæ Capuanæ miserabilis status, licet agnoscere ex monumento eius anni 1435. die 21. Decemb. quod asseruatur in Thesauro Capuanæ Ecclesiæ in hæc verba.

Propter varias, multiplicesque, & diuersas nouitates, & guerras exortas, & factas hucusque & de presenti etiam vigentes in Provincia Terræ laboris, & prefata ciuitate

tatæ Capuæ, & eius pertinentijs & districtu, alijsque ciuitatibus, Terris, Castris, & locis conuicinis post mortem recolendæ mem. Serenissimæ Dominæ Dominæ Ioannæ II. Dei gratia Hungariæ, Ierusalem, & Siciliæ Reginæ, &c. Status ipsorum Canonicorum, & Capituli, & aliorum hominum, & personarum, ac ciuium & habitantium dictæ ciuitatis Capuæ, & locorum prædictorum, in tantum fuit, & est collapsus etiam & depressus ex iuribus, fructibus, terraticis, ex taleis, pensionibus, redditibus, & prouentibus ipsius maioris Ecclesiæ per eos ex huiusmodi nouitatibus, & guerris, ac prauis temporibus minimè habitis, nec perceptis, & qui, & quæ haberi, & percipi non possunt, quod ipsi Canonici eorum facultatibus, rebus, & bonis diminuti, & exhausti, ad tantam sunt penuriam & egestatem deducti, quod non valentes amplius exinde, sicut decet, eorum vitam ducere, & alimenta suscipere, cogantur quodammodo mendicare, & ipsam Ecclesiam derelinquere, & à diuinis laudibus, & officijs cessare, nec in eadem Ecclesia, diuina amplius celebrare: &, quod deterius, his non obstantibus, non multis iam decursis diebus dum præfata ciuitas Capuana per hostes, inimicos, & æmulos, ac rebelles maiestatis prædicti nostri Regis Alphonsi, & præfatæ ciuitatis Capuæ, contra ipsam ciuitatem Capuæ cum eorum gentibus armigeris, equitibus, & peditibus in copioso numero hostiliter castrametantes circumcirca detineretur obsessa, vt ipsa ciuitas in suo honorifico statu sub debita fidelitate præfati Domini Regis illibatè & inconcussè conseruaretur pro defensione, tuitione, & manutentione status dicti Domini Regis, & ipsius ciuitatis, & pro solutione, & satisfactione stipendiorum armigerarum gentium, equitum, & peditum, pro defensione & conseruatione dictæ Ciuitatis in eadem ciuitate persistentium ex vrgenti necessitate per Excellentem, & Magnificum Dominum Donnum Ioannem de Vigintimilijs Militem Comitem Geraeij, Regni Siciliæ vltra Farum Ammiratum, & citra Regnum Gubernatorem, ac præfatæ ciuitatis Capuæ, suique districtus Vicegerentem, nec non & ciues electos, & deputatos ad regimen, & gubernationem dictæ ciuitatis deliberatum fuit capere & apprehendere omnia & singula vasa argentea, aurea, iocalia, & pretiosa ornamẽta tam ipsius maioris Ecclesiæ, quàm aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum, & piorum locorum eiusdem ciuitatis Capuæ & illas, & illa conuertere pro huiusmodi conseruatione, & defensione ciuitatis; & perquisitis scriptis, & adnotatis vasis aureis, argenteis, iocalibus; & pretiosis eiusdem Ecclesiæ ex causa prædicta: præfati Canonici videntes dictam Ecclesiam Pastore & defensore destitutam, & quod ablatio, & abstractio dictorum vasorum, iocalium, & ornamentorum de dicta Ecclesia, & eius Thesauro redundare non tam in non modicum detrimentum, & damnum Ecclesiæ memoratæ, sed ipsorum Canonicorum vilipensionem, & animarum iacturam, & intendentes indemnitati dictæ Ecclesiæ prouidere, à præfato Domino Vicegerente & Gubernatore, ac electis obtinuerunt pro ipsis vasis iocalibus & pretiosis dictæ maioris Ecclesiæ soluere vncias quadraginta vnam, & tarenos viginti de carlenis manualiter, & ipsa vasa, iocalia & pretiosa in ipsa Ecclesia, & Thesauro ipsius remanerent, pro quibus quidem vncijs quadraginta vna, & tarenis viginti habendis & soluendis prædicti Canonici, & Capitulum non habentes pecuniam præ manibus & videntes se destitutos iuribus, & fructibus eorum prædictis, & ad egestatem deductos vt supra, diuersis hominibus, & personis illas eis gratiosè mutuantibus, de ipsis vncijs quadraginta vna, & tarenis viginti se debitores cõstituerunt, & pro eorum cautela de diuersis bonis & rebus eiusdem Ecclesię de restituendis in certis terminis inter eos præfixis pignorationem, ac etiam venditionem fecerunt cũ diuersis pactis, & promissionibus inter eos habitis, & ipsam pecuniam sic mutuò consequutam, & habitam pro prædictis vasis iocalibus, & pretiosis præfato Domino Gubernatori, Vicegerenti & Electis pro re & causa prædicta soluerunt, & tradiderunt: Et quia de huiusmodi pecunia ab eis mutuata à diuersis eorum creditoribus multipliciter molestantur & impetuntur, & nisi per eos pecunia mutuò recepta absque tarditate, & vlterioris temporis protogatione restituatur, prędicta Ecclesia, ipsique Canonici, & Capitulũ, damnum, & non modicum detrimentum reportarent; super quibus pro eorum, & ipsius Ecclesiæ indemnitate, nec minus, vt experientia, & egestate prædictis non cogantur ipsam Ecclesiam derelinquere, & à diuinis in illa cessare, & ne ipsa Ecclesia de deuotione ad ignominiam deducatur, cum matura cõsilij inter eos habiti deliberatione, præfati Canonici & Capitulum proposuerunt de bonis & rebus dictæ Congregationis ipsius Ecclesiæ, quæ ad præsens habet, tenet, & possidet, pro subuentione & alimentis ipsorum, & eorum vita ducenda, ac pro satisfactione & extenuatione aliqualis partis dictæ pecuniæ per eos mutuo receptæ, vt supra locare, concedere, &c.

39. NICOLAVM de Acciapacio nobilem Surrentinum Petri Ladislai Regis Camberlani & Consil. & Mariæ Capecæ filium Episcopum Tropeiensem Eugenius IV. ad Capuanam transtulit Ecclesiam die 24. Decemb. 1436. mox in Concilio Florentino, vbi interfuit anno 1439. Presbyterum Cardinalem tit. S. Marcelli creauit. Hunc Alphonso Neapolis Regi grauem fuisse inimicum scribit Capeccius. Renato enim Andegauẽsi adhæserat contra Alphonsum. Is Florentiæ cũ esset, & Neapolim Franciscus Sfortia aduentaret,

taret, & ideo aliqui dicerent, iam Alfonso Regi cum Renato negocium fore, respondit, immò me hercule, intelliget nunc Sfortia cum alio sibi, quam cum Philippo Maria rem gerendam: Rex, cum hæc quidam ei retulisset, si mei omnes, inquit, ita de me sentiant, vt inimicus hic sentit & prædicat, bello me certè nequaquam lacesserent. Perduellis itaque habitus à Rege, eiecto Renato, Nicolaus Capuæ Archiepiscopatus, aliosque ecclesiasticos redditus, quos in Regno obtinebat amisit; sed omnia idem postea Rex ei restituit, vt ex veteribus scriptis, quæ in Diui Laurentij Auersæ asseruantur, refert idem Capaccius. Hic etiam, vt scribit Æneas Siluius de morte Eugenij IV. & Nicolai V. creatione, ab eodem Eugenio pulsus, Roma actus in exilium est, eumque Eugenius; tametsi cum morte luctaretur, & à Cardinalibus obsecratus reuocare noluit: sed Eugenij sequuta iam morte Romam venit, magnoque populi & Cleri fauore exceptus exequijs interfuit, & pro illo preces fudit, creationi interfuit Nicolai V. sub quo obijt Romæ anno 1447. 3. Non. Aprilis, in Kalendario Capuano notatur obitus eius dies 4. Nonas Aprilis, alijs Nonis Aprilis, sepultus ad S. Petrum.

40. IORDANVS Christophori Fundorum Comitis ex præclaro Caietanorum stemmate, matre Ioannella de Furno natus, eligitur Capuanorum Archiepiscopus à Nicolao V. anno 1447. vltima Maij mense Iunio consecratur. Erat Alphonso Regi propter acumen ingenij, summamque prudentiam cum humanitate coniunctam charissimus. Iam pridem nobilioribus disciplinis fuerat imbutus, quippe qui insigni laurea donatus, sui sæculi doctis hominibus, lepidisque Poetis videbatur præstare, cuius honorificam mentionem habet Campanus in epigrammate ad ipsum scripto. Nec minori virtute bellicis etiam spiritibus à natura præditus Alphonso, Ferdinandoque filio Regibus operam suam præstitit in acquisitione Neapolitani Regni contra Renatum Andegauensem, quibus summo vsui fuit, à Ferdinando speciali, ac honorifico priuilegio in Regiam Aragoneam gentem adoptatus inter intimos cōsiliarios ascitus est, cum quo egit, vt cum Castrum maris, Vulturni arcem, agros, iurisdictiones Capuanis vendiderit, efficeret quoque, vt census ipsi soluerentur, qui antea à Suessæ Duce soluti fuerant. Arcem expugnatam abstulerat Duci Ferdinandus, retinebatque ea ratione, qua ad Ecclesiam Capuanam spectaret. In eiusdem Ferdinandi gratiam Innocentius VIII. in demortui Laurentij Zanæ locum, Patriarcham Antiochenum creauit anno 1485. Hic vt erat vir ad omnia natus coniunctam habuit cum magnificentia in Deū, Diuosque pietatem, & amorem in sponsam suam Capuanam Ecclesiam, quam magnifica planè structura exornatam penè à fundamentis restituit, constructoque sacello specta-

A bili elegantia sub nomine Diuæ Luciæ, quem tutelarem proprio studio colebat, plurima Ecclesiæ Capuanæ contulit, vt gentilitia declarant insignia, quibus vel frequentius in ea visuntur. Thesaurum, vt vocant, in sacello Diui Paulini à fundamentis extruxit, sacram supellectilem plurimum auxit, Breuiarium ad officium ritè celebrandum, deletis erroribus, sublataque lectionum varietate opus ad pristinam consuetudinem antiquum atque optimum ritum Capuanæ Diœcesis summo labore, ac diligentia redegit, typisque mandari curauit anno 1489. Neapoli tandē dignissimus Præsul, cum ob Regni negocia versaretur, Pontificatus sui 50. Christi verò 1496.

B die 13. Octobris adijt solem occasum nescientem. Ossa eius Capuam allata sunt, & in sacello D. Luciæ in Cathedrali honorificè tumulata in sepulchro, quod eodem anno sibi parauerat cum inscriptione.

D. OP. M. S.

Ior. Gay. Aragonius Ponti.
Capu. Patriar. Antiochenus
Pietatis & industriæ cultor
Humanam fragilitatem, exiguum
vitæ curriculum, incerti obitus
incertam diem considerans, H.S.
C *Sibi vi. erexit, parauitque*
Ann. Salut. nostr.
MCCCCLXXXXVI.

Sunt eo in sacello Caietanæ domus insignia, quibus in eodem scuto spectatur Aragoniæ Regum stemma: talia quoque visuntur in picto pauimento Thesauri, necnon in sedibus chori. Porro Ferdinandi Regis priuilegium visum est hic referre, cuius tenor talis est.

Ferdinandus Dei gratia Rex Siciliæ, Hierusalem, &c. Reu. in Christo Patri Iordano
D *Gayetano Antiochien. Patriarchæ, & Archiepiscopo Capuano Consiliario fideli nostro dilecto gratiam & bonam voluntatem.*

Consueuerunt maiores nostri sapientissimi Viri benemeritos homines, ac virtutibus claros honoribus prosequi, & titulis honestare, vt & ornamentum virtutibus adderent, & alios tali quoque exemplo inuitarent ad gloriam: hinc existunt decreta illa in erigendis statuis, in scribendis titulis, vt non solùm præsentes, verum etiam posteri magnosum virorum egregia facinora cognita haberent, qualia exempla secuti sunt Reges ac Principes inclyti viros insigni virtute præditos varijs honestamentis & honoribus libenter sunt prosequuti: censentes ad se ipsos poti-

potissimum hoc pertinere; etenim nobilitare virtutem, illustrare ingenia, honestare illos, in quibus animi magnitudo eluceat, videtur proprium esse Regum, & alij quidem Reges in alijs honestādis hominibus ob alias atque alias causas diuersis ornamentorum generibus sunt vsi. Nos autem cum multa iure esse prospeximus digna, quæ honorari à nobis debeant, cum plurimas profectò virtutes in te sitas esse intellexerimus, ac multa, magnaque vigere merita, iure ipso commoti, atque adducti sumus, vt teipsum, egregiasque virtutes tuas, & honoribus exornemus, & titulis illustremus. Et quamquam ad ampliora, insigniora que in te ipsum conferenda voluntas nostra intendat, te tamen in præsentia eundem Reuer. Iordanum, quem affinitatis vinculo neptis nostræ ex Illustrissimo & carissimo primogenito, & Vicario Generali Alfonso de Aragonia antea deuinximus ad maiorem amoris nostri declarationem, licet ipse per te sis satis nobilis, & illustris, tenore præsentium de certa nostra scientia, proprioque animi nostri motu, meritis quidem tuis hoc exposcentibus in familiam nostram & in domum de Aragonia asciscimus, ascribimus, & annumeramus. Volentes quod de cætero, & in futurum sis & appelleris de domo & prosapia de Aragonia, atque in omnibus actibus, titulis, negocijs, & gerendis, atque agendis rebus inscribaris, & appelleris, de Aragonia, & de eadem nostra domo & familia sit & appelletur tuum cognomen. Prętereà ad te magis, magisque illustrandum, etiam serie cum præsenti plenam atque amplam tibi conferimus potestatem arma nostra deferendi & faciendi, quibus quidem armis donamus & insignimus vtendis & deferendis, & faciendis quemadmodum inferius figurantur.

Tu igitur quod virtutes exigunt tuæ id effice, & præsta vt honori, ac decori sis armis, & cognomini nostro, quod te præstiturum virtus nobis tua videtur omnino permittere. In quorum fidem præsentes magno pendenti nostro sigillo iussimus communiri. *Datum in Castello nostro nouo Ciuitatis Neapolis per magnificum I.V.D. Consiliarium nostrum dilectum Andream Mariconda Locumtenentem Illustris viri Honorati de Aragonia Gaytani Traiecti, Fundorumque Comitis Regni huius Logotheta, & Protonotarij Collateralis Consiliarij nostri dilectissimi die 16. Augusti M. CCCCLXXXXI. Regnorum nostrorum anno trigesimo quarto. Rex Ferd.*

41. IOANNES Borgia Hispanus, Alexandri VI. nepos, Presb. Card. Montisque Regalis Archiepiscopus, Patriarcha Constantinopolitanus, Episcopus Cauriensis, Ferrariensis, Capuanam etiam suscepit regendam anno 1496. quam duobus tantùm annis administrauit, eamque resignauit die 15. Octob. 1498. mortuus est Romæ 1503. sepultus est apud S. Petrum. Quo Præsule ex Actis Regię Cancellariæ constat Federicum solemni ritu Capuæ *in Cathedrali coronatum fuisse in Regem 4. Idus Augusti an. 1497. per manus Apostolici Legati Cæsaris Card. Borgia 4. Id. Augusti ann. 1497. Ind. 15. præsentibus Archiepiscopo Cosentino Pontificis tunc Alexandri VI. à secretis, & quamplurimis Prælatis, Archiepiscopis & Episcopis, atque nonnullis Oratoribus, videlicet Oratore Regis Romanorum, Regis Hispaniæ, Venetiarum, ac Ducis Mediolani, Prospero Columna Duce Traiecti, Fabritio Columna Duce Tagliacozzi, Alfonso de Aragonia de Piccolomineis Duce Amalfiæ, Ferdinando Francisco Gueuara Marchione Piscariæ, Troiano Carazulo Duce Melfiæ, Alberico Carrafa Duce Ariani, Andrea de Altauilla Duce Termularum, Francisco de Vrsinis Duce Grauinæ, Petracono Carazulo Comite Pulicini, Ioanne Toma Carrafa Comite Matalani, Troiano de Cabanellis Comite Montellæ, Belisario de Aquauiua Comite Neritoni, Marco Antonio Carazulo Comite Neocastri, Ioanne Carrafa Comite Policastri, Vito Pisanello Regio Secretario, Antonio Grisono Regio Camerario, Roberto Bonifacio milite, & alijs Domicellis, Baronibus, &c.*

42. IOANNES Lopez Valentinus Hispanus, Cardinalis Presb. tit. S. Mariæ Transtyberim Episcopus Perusinus per cessionem Borgiæ euasit Archiepiscopus Capuanus die 15. Octobris 1498. Romæ defunctus est 8. Id. Augusti 1501. sepultus est ad Sancti Petri ad Vincula.

43. IOANNES Baptista Ferrarius Mutinensis tit. S. Grisogoni Presbyt. Cardinalis Mutinensis Episcopus suctus est Archiepiscopatu Capuano ab Alexandro VI. anno 1501. 8. Id. Aug. Romæ veneno sublatus est 6. Kal. Aug. 1502. Variantis fortunæ haud ignobile fuit exemplum, de quo vide, quæ de ipso scripsimus tom. 2. in Episcopis Mutinensibus.



44. HIPPOLYTUS Estensis Diaconus

Card. Ferrariensis Episcopus perpetuus factus: Capuanæ Ecclesiæ administrator die 20. Iulij 1502. Strigoniensis, Mediolanensis, Ariensisque Præsul fuit, Ferrariæ decessit an. 1520. Plura de eo in Archiepiscopis Mediolanensibus, & Ferrariensibus Episcopis diximus, vide ibi tom. 1. & 5.



45. Fr. NICOLAVS Schomberg Sueuus Germanus Ord. Præd. à Leone X. declaratus est Capuanus Archiepiscopus die 12. Septembris 1520. Hic filius fuit Theodorici nobilis Misnensis, Adolescens deuotionis gratia Romam petijt, solutisque votis, patriam cum repeteret, Florentiæ ex diuina inspiratione Diui Dominici anno 1497. in Cœnobio Sancti Marci sub disciplina Hieronymi Sauonarolæ professus est, liberales artes aggressus, Philosophus & insignis Theologus euasit. Crescentibus simul cum doctrina virtutibus, Doctor & sui Monasterij Prior electus est, coque in munere cum magnum nomen sibi fecisset, à Ioanne Cloret sui Ord. Generale, Socius, & Terræ Sanctæ Prouincialis adlectus, mox Generalis Procurator factus, sub Iulio II. magno fuit in pretio. Sub Leone X. charus habitus varios pro Romana Ecclesia exanclauit labores, à quo renunciatus est Capuanus Archiepiscopus, Clementis VII. tum in prosperis, tum in aduersis intimus, fidusque fuit consiliarius, à quo ad Franciscum Galliæ Regem pro pace cum Cæsare ineunda in Galliam missus, iussu Regis Auenione detentus, inde ad Cameracensem Conuentum liberè adire permissus, sua dexteritate, pax tandem inter Regem, Cæsaremque firmata fuit. Ad Curiam reuersus tantæ erat expectationis, vt defuncto Clemente (quod, & in Adriani VI. comitijs acciderat) ne dum Cardinalis, parum abfuit quin & Summus Ecclesiæ Pontifex renunciaretur, quem statim Paulus III. ad purpuram euexit anno 1535. Capuanus Cardinalis vulgo appellatus est. Sequenti anno Capuanæ Ecclesiæ nuncium remisit, duobus tantùm annis deindè vixit, mortalitatem expleuit Romæ in Cœnobio S. Mariæ ad Mineruam 5. Id. Septemb. 1537. ante fores Ecclesiæ humili loco tumulatus, in marmore adhuc legitur inscriptio.

Hoc vili, quem à tergo lector habes tumulo conditus est is, in quo mira rerum peritia, Catholica Doctrina, atque religio fuit, Nicolaus Schomberg Natione Sueuus Ord. Præd. Cardinalis Capuanus à Paulo Tertio Pont. Max. creatus. Quem nobilem genere ipsa nobiliorem dedit virtus, qui tanto maiori laude post mortem efferendus est, quantò ipse moriturus eam fugere curauit.

Ibidem in pauimento.

Nicolaus à Schomberg Theodorici filius ex Sueuis Smisnensibus oriundus S.R.E. tit. S. Sixti Presbyter Cardinalis cognomento Capuanus, Sac. Ord. Præd. vixit ann. LXV. D. XXIX. Obijt Anno Christi MDXXXVII. V. Id. Septemb.

Plura scripsit vir iste doctissimus, Epistolæ multæ & Orationes leguntur, præcipuè de Christi pugna cum diabolo in deserto.



46. THOMAS Caracciolus Pisquitius ex

ex præcipua nobilitate Neapolitana, antea Triuentinus Episcopus, ad hanc Capuanam Ecclesiam translatus est cedente Schomberg Card. die 28. Aprilis 1536. In regia Aula hic fuit maior Cappellanus, cui contigit lustrali aqua Carolum V. Imper. Neapoli in maiori Ecclesia aspergere. Decessit anno 1546.

47. NICOLAVS Gayetanus Camilli IV. Sermonetæ Ducis, & Flaminiæ Sabellæ filius, Pauli III. affinis ab ipso ex Protonotario Apostolico creatus Diac. Card. S. Nicolai in Carcere Tulliano, anno ætatis suæ 12. Christi verò 1578. Capuanæ Ecclesiæ perpetuus administrator declaratus est anno 1546. eam tribus annis rexit, quam deindè ad fauorem Fabij Arcellæ cum regressu resignauit, eoque prædefuncto anno 1560. iterum regendam suscepit, iterumque post annos quindecim eo munere se exoluit anno 1572. Absens ferè totum tempus Capuanam Ecclesiam aliquando inuisit, in qua post celebratam Prouincialem Synodum Clericorum Seminarium instituit ex præscripto Tridentini Concilij. Sub Iulio III. Senas ad bellum sedandum, quod inter Carolum Quintum, & Gallorum Regem agebatur, Legatus Apostolicus missus est. Romæ obijt anno 1585. Kalend. Maij, eius cadauer Lauretum delatum in marmoreo monumento, imaginibus eius virtutes exprimentibus, & sua ipsius effigiè exornatum, quod sibi viuens posuerat, conditum est, vbi hoc legitur elogium.

D. O. M.

Nicolaus Gaetanus Card. Sermoneta gentilis Bonifacij VIII. cum & sub idem tempus, quo ille Pontif. inijt sanctam hanc domum hic tandem diuinitùs consedisset, & multa se à D.O.M. beneficia B. Virginis Deiparæ precibus obtinuisse meminisset, sperans eiusdem opem morienti non defuturam, monumentum hoc marmoreum viuens, & incolumis sibi faciendum curauit, atque in eo, vbi mortalitatem exuisset corpus suum recondi voluit Annum agens LIV. Ann. Dom. MDLXXX. Obijt annos natus LIX. mens. II. Dies VII. MDLXXXV. Kal. Maij.

In pauimento autem, in marmore, quo corpus contegitur,

NICOLAVS GAETANVS TIT. S. EVSTACHII S.R.E. PRESB. CARD. SERMONETA.



48. CÆSAR Costa Maceratensis eruditione, legumque peritia vir longè clarissimus, in Iure ciuili Romæ in sapientiæ Archigymnasio publicè interpretando per aliquot annos docuit, virosque clarissimos habuit auditores, inter quos Cæsarem Baronium Card. vt ipse testatur in Annal. Eccles. tom. 10. Romæ tribus Pontificibus Pio IV. Pio V. & Greg. XIII. in emendatione sexti Decretalium Gratiani magno vsui fuit, & adiumento, Gregorius à nemine exoratus Capuanorum Archiepiscopum renunciauit Cæsarem, tunc Referendarium Apostolicum anno 1572. die 19. Nouemb. qui inauguratus, creditæ sibi Ecclesiæ corporalem inijt possessionem Dominica Palmarum anni 1573. augustali, propemodum pompa à Capuanis exceptus conceptam de se ab omnibus expectationem, nunquam fefellit; siquidem tanto pietatis ardore, tantaue prudentia, morumque candore & exemplo, assiduoque labore hanc Ecclesiam per annos triginta administrauit, vt nunquam eius suauis memoria, & immortalis fama interitura videantur; etenim omnem Diœcesim suam sæpè inuisit, Synodum celebrauit, tulitque leges ecclesiasticas, quibus Clerum, populumque traduxit ad priscos mores. Seminarium ab Card. Gaietano inchoatum absoluit, alumnis viuendi normam conscripsit saluberrimam, qua deinde multi Ecclesiarum Prælati vsi sunt in instruendis clericorum seminarijs. In Cathedrali sacellum Sanctissimæ Eucharistiæ sacrum construxit. Pœnitentiariam præbendatam constituit, in pauperes liberalissimus dispersit quotidie penè quæ possidebat. In pago S. Mariæ Maioris Gerontocomium, hoc est hospitale senum exædificauit. Sixtus V. in rebus agendis Cæsaris prudentiam admiratus, illum Nuncium Apo-

Apostolicum ad Rempublicam Venetam, A declarauit, & cum feliciter per triennium eā cessisset legatio, Romam reuersus, honorificè, & cum laudatione exceptus est; Sed mortuo Sixto, Capuam rediit, gratulantibus reditum Capuanis populis, qui fore sperabant sub proprio Pastore, præsentique omnia eis tranquilla euentura. Iussu Clementis VIII. in septimum proximè edendum Decretaliū non parum laborauit, suasque addidit glossulas, & notas. Scripsit Iurium Ambiguitates, antiquam Capuam; veramque Theatri formam in Archiepiscopali Palatio delineauit. Suorum Antecessorum concinnauit breuem seriem, & quædam alia monumenta reliquit, cuius etiam doctrina vsus fuerat S. Carolus Borromeus, tum Romę in negocijs sub Pio B IV. tum Mediolani in Synodo celebranda, cui Carolus gratitudinis ergo, cum se cunctis ecclesiasticis Sacerdotijs abdicasset, celebrē Abbatiam S. Vincentij de Vulturno in Cęsatem transtulit; in qua aliquando residens, inter alia boni regiminis opera Seminarium instituit, clericosque in ecclesiasticis, cæterisque virtutibus erudiri curauit. Præsul sanè omnibus charus, omnique honore dignissimus iam penè capularis senex Neapoli die 12. Februarij 1602. è viuis excessit, Capuam corpus relatum, vt inferat in Cathedrali collachrymātibus cunctis honorificè conditum fuit: Robertus Card. Bellarminus successor epitaphium posuit, hæc illi post mortem accessit gloria, vt à laudatissimo laudaretur viro.

Cæsari Costa Cap. Præsuli cuius spectata virtus in regenda Ecclesia ann. ferè xxx. mœrore funeris, ac omnium ciuium lachrymis indicata est. Robertus Tit. S. Mariæ in via Presbyt. Card. eius successor hoc sep. pos. an. M D C I I I. Obijt Prid. Id. Feb. M D C I I. Ætatis suæ Ann. L X X I I.



49. ROBERTVS Card. Bellarminus ex Societate Iesu vir doctissimus & religiosissimus, virtutum meritis toto Orbe Christiano conspicuus à Clemente VIII. exoptatus votis, collaudatus suffragijs, exceptus plausu; illud Sacro Collegio, vt Baronius scribit, cōclamante, dignus dignæ Capuanę Ecclesiæ adlectus est Archiepiscopus anno 1602. Capuā primùm solemni ritu ingressus est die 4. Maij, incredibili ardore gregem sibi commissum aggressus est instituere miro charitatis, pietatisque exemplo, tres annos in ea gessit Pon- C tificatum, Præsul sanè dignus, qui cum illis primis Ecclesiæ Episcopis conferri possit, publicè enim per se sibi creditas oues, siue in suggestu, siue priuatim Christiana doctrina imbibebat, rigidus Ecclesiasticæ disciplinæ consectuator, Clerum induit moribus, Deo dicatis ministris eximijs, ad quem scripsit de reformatione, & modo psallendi. Diœcesanam Synodum singulis annis, Prouincialem semel celebrauit, saluberrimasque in ijs condidit constitutiones, nullam Ecclesiam suæ Diœcesis inuisitatam, & indonatam aliquo munere prætermisit, verbo & exemplo illustrauit, censum ecclesiasticum deuexauit, vt pauperes aleret, quos vt charissimos filios adamabat, pluresque quotannis in matrimonium honestas collocabat puellas, pijs locis, infirmis, ac peregrinis necessaria effundebat, D illud in ore habens, bona ecclesiastica, proprium pauperum patrimonium esse. Monasterium S. Ioannis Monialium, quod sua munificentia pijsque ciuibus singulare incremētum accepit, reformauit, conscripto libello ad ipsas Moniales de vita communi, & paupertate seruanda. Archiepiscopale adauxit Palatium, & omnia, vt commodè in illo successores sui commorari possent. Cathedralem munificentia planè egregia exornauit, sacraue supellectile auxit ad decorem, in eaque omni cultu ornatum sacellum Sanctissimi Sacramenti iam à prædecessore inchoatū absoluit. Litium & munerum osor fuit, nihil tandem omisit, quod optimum videretur decere Pastorem. Cæterum in ipso pietatis, ac benè

benè regendæ Eccleſiæ ardore defuncto Clemente VIII ad noua Comitia agenda reuocatur ad Aulam, collacrymantibus cunctis Capua diſceſſit. Paulus Quintus Leoni XI. paucis diebus ſubrogatus, cum regreſſum ad Eccleſiam ſuam cogitaret, à Pontifice non eſt permiſſus, qui cum videret Eccleſiæ ſuæ per grauiſſima Reipublicę chriſtianæ negocia non ſibi licere adeſſe, illam liberè in manibus Pauli ceſſit. Romæ vixit deindè vſque ad Gregorij XV. Pontificatum; tanta ſiquidem animi moderatione, vitæque integritate, adeoque ſanctimoniæ proſpera fama, vt tanquam viri ſanctiſſimi, poſt eius obitum, corpus venerarentur mortales. Incidit eius mors in an. 1621. die 17 Septemb. Pars mortalis in Farneſiano templo Societatis Ieſu cõmuni Patrum oſſuario humata, poſt annum, in vacuum S. Ignatij tumulum tranſlata eſt. Odoardus Card. Farneſius nobili monumento, & epitaphio amici Card. memoriam non perituram honorauit.

Roberto
Card. Bellarmino
Politiano è Societ. Ieſu
Marcello II. P.M.
Sororis filio
Odoardus Card. Farneſius
ſui erga virum, quem patris
loco ſemper coluit amoris
nunquam perituri monumentum Poſ.
Obdormiuit in Domino
Anno ſal. MDCXXI.
Aet. An. ſuæ LXXIX.

Tarquinius Gallutius funerali oratione Bellarminum laudauit, Scotus, Sanderus, Capaccius, alijque elogijs celebrarunt. Iacobus Fuligatus eius ſcripſit vitam nouiſſimè Euſebius Sarrinus Florentinus Ord: Ciſtercienſis Abbas vir doctiſſimus, eruditusq; meus aliquando præceptor humaniſſimus, qui nuper non ſine literatum iactura diem clauſit ſuum, in elogiorum libro nondum cuſo hoc elogio, quod hic non pigebit exſcribere, Bellarmini memoriam concinnauit.

Quonam elogio immenſa tuæ gloriæ ſpatia Roberte Bellarmine percurram? Non eſt, cur ego te laudem à patria, genere, ac dignitate, cum hæc excolendo animo intentus, qui eſſet immortali fama, cœloque dignus, non plurimi feceris, vitæque continentiſſimæ, ac doctrinæ nobilitate illuſtraueris. Ingenium mite, tractabileque, moreſque

A facilea, quos Politianum patrium ſolum nobilium ingeniorum vrbs feraciſſima ſuo benigno ſidere contuliſſe videtur. Experti inprimis ſunt vitæ in tyrocinio, Florentia in explicandis humanioribus litteris Patauium, vbi Theologicis ſtudijs operam nauaſti, Louanienſes, qui te latine concionantem. Romanum poſtea repetiſti cœlum, vt primaria degens in Vrbe, Orbi ſpectabilis eſſes. Vbique reliquiſti ſigna virtutis. In ſcriptis Sapientiam, in Præfecturis dexteritatem, in rebus fidei conſultor electus matura cõſilia, in emaculandis cum cæteris Patribus Bibliorum libris accuratam operam prætuliſti. Nouerunt Clemens VIII. Pontifex, atque Henricus Caietanus Cardinalis, quanta doctrinæ
B maturitate præſtares. Hic Sixti V. Legatus ſecum te perduxit in Galliam, vt tuæ ſapientiæ præſidio regni turbines compeſceret. Ille Ferrariam profecturus inter aſſeclas honorarij itineris eſſe voluit, & ex omnibus literatis te vnum ſibi aſſidentem Theologum elegit, ac poſtmodum ſacram induere purpuram diris, ac minis coegit, tum poſtea ad honoris cumulum Capuanã Eccleſiam magno populi commodo tibi contulit. In eo faſtigio eundem vitæ modum, quem in Societate ſtudioſè didiceras, retinuiſti, vt planè doceres humilitatem, patrimonium, cultumque moderatum, munimentum, non detrimentum dignitatum cenſeri. Claritudo quoque maiorum tibi non defuit, quandoquidem Iaco-
C bo Britanniæ Regi tuos ſpernenti Natales, tanquam ſi eſſes obſcura ſtirpe natus, reſcribere potuiſti, te Marcellum II. Pontificem virum, ipſis concedentibus aduerſarijs, ſanctum ac doctum ex materno genere habuiſſe auunculum. Procul tamen eras ab hoc humano puluere. Demus te diuitem auorum non eſſe, nullaque maiorum ſtare in atrijs ſtemmata, ſatis eſſet ad veram nobilitatem oſtendendam tui ipſius imago, quam multiplici eruditione, ſolidęque doctrinę copia pari pietate refertã ad viuum expreſſiſti in monumentis expromptiingenij; maximè verò in libris, qui controuerſias de rebus fidei cõplectuntur. Ibi hæreticæ locuſtæ mendacio, atque impudentia loricatæ cœnoſo è concu-
D piſcentiæ puteo egreſſæ profligantur. Ibi pręfocas Caluinianos Antheos: ibi tãdem Gordium hæreſeos nodum non Macedonis enſe, ſed gladio verbi Dei animoſè dirimis. Is ergo es magne Bellarmine, cuius audito nomine ſanctimoniæ, eruditionis, ac ſapientiæ perfectio audientis animo concipiatur.

Hercule maiorem te Bellarmine putabo,
Hydra ſua dextra nauiter ita cadit.
Hæc renouat caput Alcida mucrone petita,
Vulnere deque ſuo toxica dira vomit.
Tu gladio verbi ingulas horrentia monſtra
Hæreſis, vnde caput multiplicare nequit.

50. AN-

50. ANTONIVS Caietanus Honorati VI. Ducis Sermonetæ, & Agnesinæ Columnæ filius, Nicolai Card. Superioris nepos, frater germanus Bonifacij Card. Episcopi Cassanensis, & ferè alter doctrina, eruditione, & zelo, ad hanc Cathedram assumptus fuit à Paulo V. anno 1605. die vltima Augusti. Præfuit laudatissimè annis 17. ferè semper absens, vel in Germania ad Cæsarem, vel in Hispania ad Catholicum Regem Apostolicæ Sedis Nuncius, quibus in muneribus prudentia, ac dexteritate celebratur. Electus Cardinalis à Gregorio XV. Presb. tit. S. Pudentianæ 1621. Capuanam Ecclesiam in Aloysium nepotem transfundendam curauit. Romæ obijt die 17. Martij 1624. sepultus in suo titulo in Sacello suæ familiæ pulcherrimo.

51. ALOYSIVS Caietanus filius Philippi VIII. Sermonetæ Ducis ex Camilla Caietana, progenitorum merito, propriaque virtute clarissimus ex patrui voluntate factus est coadiutor cum spe futuræ successionis in hanc Sedem die 14. Nouemb. 1622. cui successit 1624. mox Patriarcha Alexandrinus euasit, pauloque post ab Vrbano VIII. creatus est Presb. Card. tit. S. Pudentianæ anno 1626. eximiæ virtutis, ac pietatis Præsul laudatissimè præfuit Capuanæ Ecclesiæ annis octo. Romæ mortuus est sub eodem Pontif. sepultus in suo titulo S. Pudentianæ apud Patruum Præcessorem.



52. HIERONYMVS Constantius Neapolitanus generis nobilitate, & Episcopatu Triuentino clarus, huc translatus est ab Vrbano VIII. anno 1630. personalem possessionem adipiscitur solemni ritu die Ascensionis Dominicæ 12. Maij. Sedit annis tribus, Neapoli excessit die 13. Septembris 1633. Capuã relatus in Cathedrali, tumuloq; Cæsaris Costæ prædecessoris conditur.

A



B 53. HIERONYMVS de Franchis Neapolitanus Patritius Episcopus Neritonensis Hieronymo Cõstantio subrogatur ab eodem Vrbano anno 1635. possessionem adeptus per Procuratorem ipsa die Epiphaniæ, Neapoli mortalitatem expleuit, Capuam haud ingressus die 30. eiusdem mensis Ianuarij in Ecclesia S. Dominici. ac Sacello familiæ suæ humatus vbi sequens spectatur elogium in marmore exaratum eiusdem ad viuum proferens virtutes, & dignitates.

Hieronymus
Episc. Neriton. Archiep. Capuan.
C *Vincentij de Franchis filius*
Honores quos fugit impensiùs
Hoc habuit obuiòs cumulatiùs:
Gemina vno tempore oblata Thiara.
Puteolana
A potentiss. Rege Hisp. Philippo III.
Neritonensi à Sanctiss. Pont. Romano
Paulo V. remissaque illa
Hæc quam reijcere nequit admissa,
Vita innocua, nec auara, & vigili,
Pascendo, tutando intentus Gregi,
D *Ad Archiepiscopatum euellitur*
Capuanum,
Mensuramque tanti muneris abunde
expleuit, Mensuram ætatis parcè.
Vita functus ann. sal. MDCXXXV.
Augustiore dignus vrna,
Sed hanc
Suæ, fratrisque memor modestiæ
Thomas de Franchis Regius Consiliarius ac Præses regiæ Cameræ
P.

54 Ca



54 CAMILLVS Meltius Patritius Mediolanensis, omnibus disciplinis, Christianisque virtutibus eximiè excultus, in Romana Curia diù cum laude versatus, Dei beneficio ab Vrbano VIII. ex Auditore Cameræ Apostolicæ Vicario Capuanæ Ecclesiæ datus est Archiepiscopus die 18. Februarij 1636. possessionem iniji per Procuratorem Marium Vespasianum sexta Maij. Vrbem ingressus solemni pompa 22. Aprilis cum pietate haud vulgari laude cœpit eam administrare, Clerum sanctissimis legibus institutum habuit; Ecclesiasticum Ius incôtaminatum seruauit, in pauperes liberalis fuit, excussitque manus suas ab omni munere, Diœcesim peruigili diligentia inuisit, Archiepiscopale Palatium mirificè restituit. At non attinet modò dicere, ne viuentis modestiam oneremus; quanto pietatis affectu, zelo, humanitateque vbique & semper illam gubernarit, siue præsens, siue absens ad Ferdinandum Secundum Magnum Etruriæ Ducem, mox ad Cæsarem in Germaniã Apostolicæ Sedis Nuncius, vbi per annos multos in arduis negocijs pertractandis fidem suam, & dexteritatem præbuit. Paucis tamẽ illis annis, quibus datus est Capuæ adesse, qua virtute, quo zelo, quoue pietatis ardore, probitatisque exemplis Capuano gregi præfuerit, Capuanorum te stantur desiderium, & lacrymæ, quę nuper, cum Sanctiss. D. N Alexander VII. Pont. Max. illum ad Aulam reuocauerit, vt Episcoporum, ac Regularium Congregationi à secretis esset, absentię haud satis videntur posse lenire dolorem. Demũ hoc ipso anno 1657. die 9. Aprilis ab eodem Sanctissimo Domino S. R. E. Presbyter Cardinalis creatus est. Viuat laudatissimus Pręsul, diuque viuat, Ecclesiæ Catholicæ decus, & ornamentum futurus.

AESERNIENSES, seu Iserniensès EPISCOPI.



AESERNIA vna ex septem Samnij ciuitatibus antiquissima haud longę à Vulturno fluuio medio inter Bouianum & Venafrum sita à Capuana Metropoli M. P. . . distans, quam prisci Eserniam dixere. Vetus magisq; credita opinio apud ciues illius auctores facit antiquos Aborigines, quos Samnites exinde exegerunt, hos autem cum fregissent Romani, illuc primum Coloniam deduxerunt anno ab Vrbe condita CCCC. LXXXVII. ante Christum natum CCLXV. Velleio teste, *At initio primi belli Punici, Firmum, & Castrum colonis occupata; & post annum Aesernia:* secundo ibidem deducta iterum Colonia est Augusti temporibus, vt scribit Frontinus: *Aesernia Colonia deducta lege Iulia, iter populo debetur pedum 10. ager eius limitibus Augusteis est assignatus:* Nerone vero Imperatore tertio deducta Colonia Aeserniæ legitur apud Frõtinum & Panuinum. *Esernia oppidum muro ductum iussu Neronis deductam. Iter populo debetur ped.* 50 *in centurys & Augusteis terminis est assignatus.* Illius meminit Liuius pluribus in locis, Strabo, Tullius, Ptolomeus, Plinius, Silius, Dion, Diodorus, Pomponius Mela, Antoninus Pius, Appianus, Eutropius, Orosius, Ostiensis, Paulus Diac. alijque antiquorum Scriptorum. Antiquitatis eam commendant vetusti lapides, aquæducti, inscriptiones, & numismata, quæ passim inueniuntur. Post Romani Imperij declinationem quinquies à Longobardis Saracenisque miserabile tulit excidium, ter à terremotu quassata, adeo, vt Leo Ostiensis narret, funditus euersam fuisse; *Cum annus ab Incarnatione Domini 847. volueretur, tam ingens terræmotus per vniuersam Beneuenti fuit regionem, vt Isernia ferè tota à fundamentis corrueret, multusque ibi populus, & ipse eiusdem ciuitatis Pontifex interiret. Apud Monasterium quoque S. Vincentij terramotus plurimas domos euertit.*

euertit. Quod etiam fcribit Chronic.eiufdem A
Monafterij S.Vincentij, Sigonius, Frizza, Baronius, & Bofius, & cum eis Admiratus.
Eodem deinceps in loco ciuium pietas & amor reædificauit. Hodie fub regia poteftate haud fatis ampla eft, cum ad quatuor millia paulo plus mortalium alere dicatur. Cœlo benigno foloque fœcundo gaudet, cuius fertilitas quæcumque ad vitæ vfum facere videtur vberrimè producit & vinum à Plinio laudatiffimum. Dedit Aefernia Claudiam Marcellam Romanæ Reipublicæ confularem familiam, C. Claudius Marcellus Aeferninus primus eã in Vrbem traduxit, & Aeferninus fuit Cirus Morillus celebris Orator, Senecæ Magifter. Nobilis eft Cœleftini V. Pontif. B
Max.& Andreæ Iuris interpretis celeberrimi, genitrix, alios produxit in omni genere viros clariffimos, quorum meminit Vincentius Carlantes Aeferninus Archipresbyter in Hiftoria Samnij, vbi fparfim de Aefernia plura recenfuit; inter cetera verò fcribit ex patrũ traditione Aeferniam Chrifti fide fuiffe illuminatam ex prædicatione Photini Apoftoli Petri difcipuli, qui in Samnio Euangelium diffeminauit, quique Beneuenti fundauit Ecclefiam. Alij verò volunt Sanctos Nicandrũ & Marcianum Martyres illic circumaduenientibufque ciuitatibus Chriftiana facra enunciauiffe, vel confirmauiffe Imp. Diocletiano, fub quo nobilẽ tulerunt palmam martyrij, iugulataque gentilitate, fe Chrifti nomen mirum in modum extuliffe fub Syluestri C
Papæ Pontificatu propriumque habuiffe Paftorem, cuius memoria non extat, nè fortè diuinare vellemus, hunc primum fuiffe S.Benedictum qui prifcis temporibus, tamẽ incertis, Aefernienfi præfuit Ecclefiæ, à quo noftrum exordiemur Catalogũ, cuius Ecclefia Archiepifcopi Capuani fuffraganea facta fuit circa annum 968. cum effet tunc vnita cum Venafrana, Boianaq; Ecclefijs. Cathedralis Aefernienfis elegantis architecturæ eft, Sanctoque Petro Apoftolorum Principi confecrata: exornatur autem duabus dignitatibus, & decẽ Canonici ibi funt, cum alio promifcuo clero, qui ibidem diuinum opus perurgent. Multorum Sanctorum reliquijs dites eft. Intra ciuitatis mœnia duo Sanctimonialium Cœnobia extãt, & quinque Mendicantium; Xeno- D
dochia tria, & aliquot laicorum Fraternitates. Diœcefis fatis ampla eft, continentque tredecim oppida, aliaque loca, cum fuis Parochijs & Ecclefijs, in ea ad fontes Vulturni fluminis miferabilis vetuftate tamen, diuitijs, ac fanctitate famofiffima olim Abbatia fita eft S. Vincentij Ordin. Benedictini. Epifcopatus cenfus omnis mille fcutatorum excedit, taxaturq; in libris Cameræ Apoftolicæ ad flor.50. Series Præfulum, qui in hac Cathedra floruerũt fequens eft, quam ex varijs auctoribus monumentifq; non paruo noftro labore ita digeffimus.



1. S.BENEDICTVS, tempus quo floruit, patria & acta ignorantur, cuius corpus fub ara maiore Cathedralis Ecclefiæ conditum religiosè colitur, feftus dies Aefern æ celebratur 4. Maij. Eius meminit Ferrarius in Catal. SS Paulufque Regius, qui narrat Cathedralem Ecclefiam quafi repentino vehementique terræmotu concuffam contremuiffe, cum Epifcopus quidam Aefernienfis circa Sancti Benedicti corpus effodi iuffiffet.

2. LAVRENTIVS Aefernienfis Epifcopus vixit temporibus Innocentij Primi Papæ circa annum Domini 402. vt ex Epift.12. Innocentij tom.1. ep.Pont.

3. EVTODIVS Aefernienfis Epifcopus reperitur fubfcriptus Romanæ Synodo fub Hilario I. Papa anno 465.

4 MARIVS Epifcopus Samnii, quem volunt fuiffe Aeferninum Præfulem, Interfuit Romanæ Synodo primę fub Symmacho Papa anno 499.


5. INNOCENTIVS Mario fubrogatus eft. Hic fecundæ, tertiæ, quartæ,& quintæ Romanis Synodis fub eodem Symmacho præfens fuit. Poft hunc Aefernienfium Præfulum nomina per centum annos defæuientibus in Apuliam Samniumque barbaris interciderunt.

6. SEBASTIANVS ann.595. ad quem fcripfit Gregorius Papa; Hunc Sigonius lib.1. de Regno Italiæ Serinienfem Epifcopum vocat, non Aefernienfem aut Ifernienfem, vt notat Vincentius Carlantes lib.3.cap.13. Poft hunc etiam fexaginta poft centum annorum fpatio, Epifcoporum qui fucceſſerunt nomina defiderantur, habemus tamen illis temporibus fuos Ecclefiam hanc habuiffe Paftores, etenim anno 639. cuiufdam Aefernienfis Epifcopi, fuppreffo nomine, fit mentio in vetuftiffimo Ioannis IV. Papæ diplomate, quo confirmatur ius Ecclefię S.Mariæ Landinulfo Comiti Aefernienfi, Landulfi filio eiufdem Ecclefiæ conditori. Hoc diploma in arboris cortice perplexis barbarifque characteribus fcriptum dono dedit Paulo V.Pont.Max. Ioannes Baptifta de Puteo Bergomenfis. Pau-

lus

A ius in sanctiori Vaticani Archiuio recondidit, vbi mihi legere, & exẽplare licuit benignitate viri eruditissimi Alemani eiusdem Præfecti, quod mutilum, ac decurtatum sicuti iacet, hic exhibemus.

Ioannes Papa bisse suis litteris plumbatis confirmat Landinolfo Comiti Aeserniensi ius in plebem Sanctæ Mariæ eiusdem ciuitatis. Landulfus namque cognomento Græcus, & Gemma illius vxor Comites Yserga intra eandem ciuitatem, ac iuxta Fontem Sancti Ioannis Baptistæ, nutu Dei & gratia Aricis ædificauit Ecclesiam vocabulo S. Mariam, eamque in plebem erectam dotauit suis proprijs bonis, quæ postea cũ diminutionis opprobrium passa esset, à Landenulfo Landolfi filio Yserga etiam Comite fuit restaurata, quapropter Ioannes Papa decreuit, vt idem Comes cum suis . . . . dominium in eandem Ecclesiam haberet, ibique ad regendum seruitores potestatem exerceret, secundum Deum, & Ecclesiasticam ordinationem, vt seruitiũ Dei augeatur & crescat. Decernit etiam, vt Episcopus Yserga nihilominus de rebus & ornamentis ipsius præfata Ecclesiæ S. Mariæ imminuere præsumat, vel inde accipere audeat. Si, quod non optamus, in alicuius mala opinionis piaculo seruitores ipsius Ecclesiæ deprehensi fuerint ab Episcopo ipsius ciuitatis, regulariter instituimus corrigendos. Quod si quispiam contra hæc tentare præsumpserit, auctoritate Apostolica decernimus primum quidem, vt sui ordinis gradu priuetur, atque nota maioris vltionis mulctetur, partem cum Iuda traditore habeat. . . . & participatione Corporis & Sanguinis D. N. I. C. priuetur . . . & charta hæc nostra diffinitionis firma permaneat . . . scriptum per manum. . . Notarij . . . . in mense Octob. Indict. 13. Bene valete.



Chordula alligata huius originalis diplomati, vt vidimus, serica est auri, & rubri coloris. Cæterum cum in hoc diplomate mentio habeatur Aricis Beneuenti Ducis, qui eam ciuitatem rexit ab anno Domini 598. ad annum 648. reuera Ioannes hic Papa, qui has litteras dedit, alius esse non potuit, quam is, qui quartus nomine dictus, & natione Dalmata, sedit in Petri Cathedra annum vnum, ac menses ferè decem, creatus enim fuit anno salutis 638. mense Decemb. obijtque anno 640. 4. Id. Octob. In ea namque Arichis Ducis annorũ computatione nullus alius Romanus Pontifex, qui Ioannis nomine vocaretur, vixit: datum est diploma anno Christi 639. in quem ritè incidit Indictio 13. & annus illius Pontificatus secundus. Cæterum ijs obscuris temporibus, quibus Aeserniensium Præsulum nomina interciderũt, tres nobilissimi fratres Beneuẽtani Paldonus, Tatonus & Tasonus an. 703. spreto mundo Monachi S. Benedicti effecti sunt in Farfensi cœnobio, & adhortante Thoma Abbate viro san-
B ctissimo ad fontes Vulturni fluminis in Samnio, octo tantum milliaribus ab Aesernia prope ædiculam D. Vincentio Martyri inuictissimo sacram Monasterium exædificarunt, cui à Diuo tutelari S. Vincentij de Vulturno nomen fecerunt, cuius postea vnus post alterum Abbates dicti sunt, pieque, ac sanctissime ibidem in Domino quieuere. Floruit Abbatia hæc sanctitate, diuitijs, priuilegijs speciosissimis à Regibus, Imperatoribus, Pontificibus, principibusque viris liberaliter eidem elargitis, vbi aliquando quingenti Monachi à Carolo Magno Imperat. sunt recensiti. Post commendata deinde secularibus Clericis Abbatia hæc suum decorem veterem amisit, vt vix vestigia appareant, solaque sedeat, nec habeat consolatorem, qui saltem diuinum opus possit vrgere. Horum Sancto-
C rum Acta, Cœnobij ædificatio, innumera priuilegia, donationesque ac Abbatum series, describuntur in vetustissimo pergameno m. s. codice litteris Longobardis scripto, nos hic ex autographo ipso eorumdem Sanctorum vitam, Cœnobij fundationem, Abbatumque Catalogum libenter dabimus, cum hoc sæculo monumentorum iciuna sit Aeserniensis Ecclesia.

Prologus Domni Autperti Venerabilis Abbatis, in vita, vel obitu Sanctorum Patrum Paldonis, Tatonis, & Tasonis S. Vincentij Abbatum.

Humani generis primus parens ad imaginem Dei factus in paradiso voluptatis
D positus, vt vitæ præcepta seruaret ab ipsa vita, quæ Deus est, fuit admonitus, & ne hanc pro minimo duceret, mortem est ei comminatus. Sed hæc ille contemnens sponte deseruit Creatorem, & secutus est peremptorem. Deus verò, qui mentiri, vt est veritas, non nouit, morti qua minatus eum addicit. Dixerat enim illi, atque eius vxori. In quacunque die comedetis de ligno scientiæ boni & mali, morte moriemini. Quæ videlicet sententia non solùm corporis, sed & animæ mortem ostendit. Sed quia benignissimus Deus serpentis suasionibus miserabiliter vidit hominem deceptum, fragilioris que esse materiæ figmentum, noluit hunc esse in æternum damnatum. Hinc enim actum est, vt vni-

vnigenitus Dei filius carnem sumens moreretur pro nobis, ne mors animæ vltra regnaret in nobis, vt quod in Adam perdideramus, in Christo reciperemus. Hinc enim scriptum est. Cum venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Sed quo caritatis ardore id fecerit pro nobis, nullus verbis explicat ex nobis, ait enim ipse Dei filius. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Hinc iterum Paulus dicit, qui dilexit me, & tradidit se ipsum pro me, de quo rursus ait. Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediẽs vsque ad mortem, mortem autem Crucis. In qua scilicet humanitatis forma conuersatus inter homines per omnia, vt homo, excepto peccato, iter eis ostendit, quo ad derelicta gaudia repedare possint. Si autem quod sit hoc iter inquirimus, Dominum in Euangelio dicentem attendamus, ait enim, Ego sum via, & nemo venit ad patrem, nisi per me. Ecce audiuimus iter, per quod patriam repetamus, videamus nunc quibus modis ad ambulandum gressus dirigamus. Qui (inquit Ioannes) dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Liber autem intueri, quæ sint hæc Christi vestigia, qui gressus, quibus in carne ambulauit pro nobis, vt cætera taceam, quæ euangelica plenitudine narrantur de baptismo ad tentationem, ac ieiunium, de ieiunio ad prædicationem, de prædicatione ad opprobria, de opprobrijs ad flagella, de flagellis ad sputa, de sputis ad crucem, de cruce ad sepulturam peruenit. Ij etenim sunt gressus Dei in terra, de quibus Psalmista ait. Visi sunt gressus tui Deus, ingressus Dei mei Regis. Hos imitandos esse denuncians Petrus ait fidelibus. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. His se passionibus sequi ipsa via insinuat dicens. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie & sequatur me, & Paulus ait, Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini Nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Ij gressus autem & angustam ingrediuntur viam, quæ ducit ad vitam. Ij ambulant super aspidem & basiliscum, & conculcant leonem & draconem, in his ambulauerunt Apostoli, hos Martyres & Confessores sunt subsecuti. Hos per gressus perfecti incesserunt Monachi, quibus specialiter à Domino dicitur; Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Sed quia nos in illorum tempus deuenimus, de quo Dominus in Euangelio ait Discipulis suis, quia abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum, ac, secundum Apocalypsis sententiam, nequaquam feruentes, sed quod gemendum est, tepidos aspicimus Monachos. Ad incitandos animos eorum, tres nuper ad Christum conuersos euangelica perfectione probatos auditorum animis ingerimus, Paldonem scilicet, Tasonem, atque Tatonem. Sanctorum Patrum sudoribus ac laboribus coæquandos, vt qui desidiosi, ac languidi antiquos Patres nostros nos imitari non posse causamur, horum nuper conuersorum vitam recolentes erubescamus. Hos ergo non temeritatis ausu impulsus, sed Abbatis mei monita sequutus, eaque modo stylo prosequor, de quibus adhuc testes existunt, qui se hæc ab his audisse confirmant.

Tres igitur ex nobili genere orti iure consanguinitatis propinqui Paldo, Taso & Taro fuerunt viri Beneuentani, ex quibus superior Paldo ex vno, Taso verò & Tato ex altero fratre sunt procreati. Ij Euangelica voce excitati, diuinoque amore inflammati vna eis sententia, vnum consilium fuit, vnumque extitit votum, patriæ solum, diuitias, parentesque relinquere, & nudos nudum Christum sequi, nudi cum nudo aduersario pugnare: Galliarumque prouinciam pro voto expetere, atque inibi corpore, non mente, ducti diuersa Monasteria inquirere, leniquе iugo Christi colla mentis submittere. Hoc autem idcircò studiosè facere præuidebant, vt propter Christum ne vno, qui superesse poterat aspectu visionis corporaliter fruerentur. Quid plura? vt animo, & mente conceperant iter præparant, nec moram faciunt, nec dilationem portendunt, sed carnalium parentum nexus pertimescentes, qui semper impedimentum fiunt ad Christum conuersis, eorum oculos pia simulatione deludunt, ita tamen, vt mendacij crimen nequaquam incurrant; dicunt enim se Romam pergere velle, Apostolorum Principis Petri se suffragijs commendare, eiusque desiderata limina osculari, quod & fecerunt, sicuti autem nobiles decet, oneratis animalibus stipendijs præparatis ad sedendum equis famulorum fulti obsequijs sibi, solique Deo, quid agere vellent, gressus ad ambulandum mouent:

Stirps veneranda satis nimium præcelsa parente
Primus à principio luxit vt orbe dies.
Germine purpureo decus hoc tulit vrbs Beneuentus
Iure salutiferos traxit ab orbe viros.
Scandere regna petens sublimia corde sereno
Dignè sacra firmat signa pro lege Dei.
Terrea cuncta terit, gazas vt stercora spreuit
Laudes magnifico gaude referre Deo.
Cui salus & virtus
Rex bonus inuictus.

At

At verò vbi proprios fines ſunt egreſſi, Marſorumque Prouinciam ingreſſi deſcenderunt equis, admonuerunt pueros, vt cum equis, & his quæ allata fuerant ad propria remearent. Et hoc propterea, quoniam ſibi tale votum extitiſſe dicebant, vt ij tres tantum ſuis pedibus Romam pergere deberent. Quibus flentibus, ac lugentibus iure poteſtatis imperant, vt recedant. Illis autem abſcedentibus, dum præfati famuli Chriſti ſcandunt iter, obuiam habent pauperes vilibus, ac ſciſſis indumentis adopertos. Iam ij paupertatis amore inflammati aiunt inter ſe. Ne ſit in nobis, quod mundus honoret, ne quod latro diripiat, his nos veſtibus exuamus, pauperibus tribuamus, illorumque nos viliſſimis ac ſordidis induamus. Hinc perpendant, qui nomen Monachi prætendunt, quanti reatus criminis ſit ſub Chriſto paupere degentes indumentis comptos & non moribus incedere; ecce etenim ij, per quos hoc Monaſterium initium ſumpſit talibus induti amictis initium ſuæ conuerſionis dederunt.

Mundus ad ima ruit miſeros ad tartara ducit,
Mutemus veſtes, noſtras Deus inſtrue mentes;
Ne ſit quod fortis, fur, latro, tollere poſſint.

Et vt ad propoſitum reuertar, cœptò itinere dum pergunt ad Monaſterium glorioſæ Dei Genitricis Mariæ quod eſt in Sabinis, perueniunt in quo vir vitæ venerabilis Thomas Pater præerat, de quo à pluribus audiui, quia olim in partibus Orientis conſtitutus, ſicut ipſe narrauit tandiu ad Redemptoris ſepulchrum orationi vacauit, quoadusque impetraret quod precibus poſtulabat. Denique, vt aſſerunt, nocte quadam precibus fatigato, ſoporeque depreſſo adſtitit ei quidam geſtans in manu miræ pulchritudinis panem, cui & dixit, accipe hunc panem, & abſcede. Scito autem te minus ex eodem nunquam habiturum. Tantæ etenim deinceps, vt aiunt qui eum viderunt compunctionis vir fuit, vt penè de Deo ſine lacrymis nil poſſet loqui. Is dum præfatos Dei famulos hoſpitio ſuſcepiſſet, vt Monachorum, ac bonorum moris eſt Chriſtianorum cum fratribus, vt ei ſolitum fuit ſecundum Domini præceptum eorum pedes abluere pergit. Ij autem qui aduenerant, delicata, ac candida membra vilibus, ac ſordidis veſtimentis tegebant, elegantem ac compoſitum vultus aſpectum protendebant. Quamobrem nec eorum ſecretum abſcondi potuit oculis viri Dei. Peracto itaque caritatis officio, noctiſque curſu tranſacto cum aurora daret initium diei ſeorſim eos blanda loquutione inquiſiuit, qui eſſent, vnde, cur aduenerint, ne fortè aliquod præiudicium ſubſtinerent, ne peccati crimine peracto fugerent, promittens ſe eis in quo valeret adiutorium

A miniſtrare: tantum vt profiterentur, cur eis ita placuerit tantam ſimulationem arripere. Ad hæc illi obſtupefacti videntes conſilium ſuũ ſeniori celare non poſſe, conſilio accepto narrant cuncta per ordinem, qui fuerint, vnde, cur aduenerint, quæque geſſerint, quorum filij, quibus nominibus vocarentur, qualiterue Romam pergere vellent, indeque Galliarum regiones expetere multis eum adiurationibus conſtringentes, ne eorum propoſito ipſe fieret impedimento. Ad hæc ingemiſcens venerabilis Senex ait, nequaquam ò filij in hoc tam laudabili propoſito vos impedire cupio, ſed magis adiuuare, nec vos interim relinquam, aliquantiſper vobiſcum pergam itineris veſtri vſque ad Apoſtolorum limina me habebitis comitem. Propterea autem vir Deo plenus itineris illorum

B particeps fieri geſtiebat, vt eos, ſicuti, & fecit ſuis ſalutaribus conſilijs ab illius itineris longitudine reuocaret. Quod Dei prouidentia factum fuiſſe nullus ignorat, qui hoc Monaſterium cernit.

Hos ſpecie, forma, cognoſcit munere dogma,
Conſilio refouet, leuat obſequio Pater almus,
Ne paueant, faueant, facilis pateat labor altus.

Pergunt interea ſimul vt ſenis fuit voluntas, multiſque lacrymis profuſis deuotionem ſuam Apoſtolorum commiſerunt ſuffragijs.

C Oratione verò completa cœpit eos reuerendæ memoriæ iam dictus Pater verbis ſuaſorijs admonere, vt ſecum, ad Monaſterium reuerterentur, & aliquandiù apud eum remorati propoſitum inſtitutionis ſuæ videndo & operando addiſcerent, & tum demum quò eos Dominus vellet vocare properarent, & vt verbis illius vtar, Audite, inquit, ò filij conſilium meum, ad Monaſterium, cui deſeruio reuertimini mecum, & propter ardorem veſtri deſiderij quanquam extra vſum Monaſterij intrinſecùs vos recipiam, vt ſimul cum fratribus edatis, ſimul dormiatis, ſimul orationi vacetis; ſimulque ad opus manuum excatis, vt his exercitijs probati ſciatis, quibus modis propoſitum Monachi adimplere valeatis. Hæc & his ſimilia eo dicente præbue-

D runt aſſenſum, pariterque cum eo ad Monaſterium ſunt regreſſi, in quo paucis diebus remorati ad plenum inſtructi ſunt.

Te ſimul ecce petunt Petri dum limina quærunt.
Roma beata nimis fratriſque, ſenexque fidelis;
Quos trahit ipſa ferens fidei per litora nauis.

Accidit autem, vt dum pater duorum fratrum Tatonis ſcilicet, atque Tasonis cum cæte-

exteris parentibus huc illucque eos quererent rapidissimo cursu, Romam venirent, quosdam studiosè quęrerent, ac nequaquam inibi inuenirent, audiunt à dicentibus Sabinis eos esse in Monasterio gloriosæ Dei Genitricis Mariæ. Tunc illi maioris amoris stimulis agitati spatium itineris illius quasi trāsuolantes ad prædictum Monasterium peruenerunt; à prędicto Monasterij Patre petierunt, vt aspectibus illorum præsentarentur. Venerabilis autem Senex, vt erat suadibilis eloquio admonuit, vt exirent, illis autem renitentibus compulit eos, vt sibi imperanti obedirent. Vt verò egressi sunt, parentesque eos viderunt, vehementer flere cœperunt, eleuataque voce ad eos dixerunt. Cur nos peccatores tanquam mortuos reliquistis? vt quid curam animarum nostrarum deseruistis? nullus ne vobis inest pietatis affectus, nulla consanguinitatis compassio? obsecramus, inquiunt, obsecramus, & per Deum conditorem cœli & terræ deprecamur, ne nos deseratis, quia ad Christum conuerti, & sęculum funditùs relinquere sumus parati, sin autem contestamur Cœlum & terram, sanguinem nostrum de manu vestra à Deo fore quęrendum. Ad quorum verba lacrymasque atque singultus dum illi pietate nequaquam mouerentur, seque, vt Deo promiserant, Gallias petere dicerent; propterea vt apertè nunc cognoscimus fertur senex ad eos voce dixisse, Confidite, inquit, filij, confidite, & de Dei misericordia præsumite; quia si modò meis monitis aurem obedientiæ accommodaueritis, multi per vestræ actionis exemplum cœleste ingredientur regnum. Audite, inquit, filij hominum, audite consilium patris vestri, & horum preces spernere nolite, ostendam vobis, si vultis à Deo vobis locum preparatum; spero enim in Domino, quoniam illuc adimplebit Deus desiderium vestrum, ibique facietis Deo fructum acceptum. Indicium autem loci percipite, & ad eum quantò citius properate.

Non Pater hos monitis gemitu mouere parentes,
Sed patriam gentem, contemnere rite fatentes,
Mollia spernentes, pro Christo dura ferentes.

Est autem dilectissimi locus, ad quem vos ire desidero in Samnij partibus super Ripam Vulturni fluminis, vbi initium sumit à mille ferè passibus, in quo videlicet loco situm est Oratorium Martyris Christi Vincentij nomine dedicatum. Ex vtraque verò parte fluminis silua densissima, quæ habitationem tantum præstat ferarum, latibulaque latronum. Omnipotens autem Dominus, cui vos famulatum exhibere desideratis, & vos in eodem loco illæsos seruabit, & cunctis iter agentibus à timore latronum pacatum, atque securum

A constituet, nec non & cerasis, dumis, ac sentibus, lignis fructiferis abundare faciet. Ite, ait filij, & in eodem loco, sine metu cuiuscunque permanete.

Nos pater ire monet, loca monstrat peruia nullis,
Arboribus multis, quæ comant flumina pulchris,
Montibus & ventis, niuibus sunt frigida mæstis.

His igitur, & huiuscemodi verbis à rigore obstinationis emolliti, tanquam Christum in seniore loquentem attendentes, Apostolique

B dictum recordantes; Nolite quærere, quæ vestra sunt singuli, sed quæ alterius ab his, quæ cœperant, reuocant animos, atque ab eodem benedictione percepta iter arripiunt, & ad hunc, quem incolimus perueniunt locum, nihil secum in alimonijs corporis præter viaticum in sportella ferentes, iam tunc non immemores illius præcepti dicentis, nolite solliciti esse quid manducetis, aut quid bibatis, & nolite solliciti esse in crastinum, sed ille qui propter miseriam inopum & gemitum pauperum vt pius pater exurgit; qui talia agentibus repromittit dicens; Quærite primū regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis, hanc eorum fidem aspiciens citò stipem largiendo adfuit.

C *Tres iter assumunt: nihil huc nisi corpora ducunt,*
Est regimen victus tegmen, miseratio Christus,
Lex quoque sacra Dei lux noctis sine dies.

Nam cum ad hunc, in quo residemus, vt dictum est, perueniunt locum, quia cuncta, quæ ad vsus corporis sunt necessaria deerant; ad illum protinus mentem erexerunt, in quo, & per quem omnia viuunt. Ingrediuntur denique Oratorium, peragunt in Dei laudibus officium, atque superueniente nocte quieti membra deponunt. Sed cur dico,

D quieti, cum terra tenus tantum artus locantes ad morem Patriarchæ Iacob lapides capitibus supposuerunt? dico tamen, quietem esse in quo etsi caro tabescit, spiritus pinguescit. Et ecce facto paruo interuallo, venit ad eos quidam homo ignotus nocturno silentio, regiamque Oratorij pulsans ait, Quisnam hoc in loco quiescit, ad cuius vocem exiliens tacitus venit ad eum venerabilis Taso, cui ille, Audiui, inquit, à dicentibus, quoniam hic peregrini adessent, & propterea à pastoribus meis veniens detuli modium farinæ, ac vini, si habes, vbi hoc, quod attuli, recondas. Tunc ille, quædam vascula reperiens, tanquam à Deo sibi oblata suscepit, quæ offerebantur, quo abscedente nullus deinceps compertus fuit, quisnam ille fuisset, qui hoc

mu-

munus gratanter obtulisset. His igitur indicijs claret, à quanta perfectione cœperint ij, A
per quos hunc locum ad tantæ magnitudinis excellentiam perducere dignatus est Omnipotens Deus.

Angelus accessit, dixitque, quis hic requiescit?
Exilit inde Taso tacito pede, pectore grato,
Munera cui præstans vinum similam redit extra.

In hac denique Christi paupertate sollicitè persistentes, eorum vita, quam Deus ad exemplum plurimorum ostendere disposuit, longè, lateque personuit, atque lucerna super candelabrum posita diutius latere non potuit, & cum multi eorum vitam imitari cupiunt, B
multitudo fraternitatis ad eos concurrere cœpit.

Longè per centum socijs moderare talentum
Famina sacra ferunt palmam bellique tulerunt
Et capiant multos valido de gurgite ductos.

Primus itaque præfuit sacro gregi Paldo Dei famulus, qui erat omninò mitissimus, quique per omnia hoc in suis actibus ostendebat, quod suis subiectis voce prædicabat. Ita amator Christi paupertatis, nec sicuti carnales æstuans diuitijs terrenis. Hic nempè fertur ad confirmandas animas fratrum, vt in C
paupertate, quam cœperant perdurarent, dixisse. Credite mihi fratres, quia Monachus ille, qui in hoc Monasterio persistens vsque in finem permanserit, anima eius æterna supplicia nequaquam sustinebit, sed vitam æternam possidebit, & hoc sanctæ congregationis Monasterium vsque ad finem sæculi ad seruandas animas permanebit. Quod quidam ignorantes, qua intentione hæc prosecutus fuerit falsa seipsos securitate decipiunt, quamuis malè viuentes, & contra regulam Patrum facientes hoc in Monasterio si permanserint, saluos esse infuturum non posse, cum constet omnibus, quia quicunque in perpetratione criminis hoc in loco permanserint, & ante D
extremi obitus diem se minimè correxerint, ad vitam nequaquam posse transire. Dicendum autem illis est; nequaquam virum Dei contra diuina eloquia sententiam protulisse, sed in illis hanc sententiam permanere dixisse, qui ipsorum sobriam, & castam vitam, ac laudabilem paupertatem vellent imitari.

Culmine præclaro renitens diademate sacro
Primus præficitur Paldo reuerendus, & Abbas
Innumeras animas Christo super æthera mandat;

Interea turba fratrum succrescente, cœperunt contra votum habere, per quod possent eisdem, quos regebant, subuenire, dumque prædicti venerabilis Patris Thomæ immemores dicti, multos per eos in hoc loco esse saluandos, amicam paupertatem sollicitè requirentes abijcere conantur ea, quæ possidere videbantur, sed resistente eis diuino iudicio, turba fratrum, studuerunt magis secundum Apostolum non sua singuli, sed quæ alterius sunt quærere, & illud, omnibus omnia factus sum, vt omnes saluos facerem. Multa siquidē tunc inter eos fuisse caritas, multa concordia vnitatis, multa compassio fraternitatis refertur; & quidem narrantur de eis quædam digna miraculis, sed nostrum ad hoc tantum fuit studium incitatum, vt quibus modis sæculum, ac diabolum vicerint apicibus prosequamur. Neque enim maius esse potest miraculum, quàm quod tota mente mundū reliquerunt, & quia multi videntur miraculorum esse participes, sed nullatenus nomina habent scripta in cœlis, nequaquam hoc in tempore virtutes in Ecclesia, sed perfectam vitam requirimus. Vnde Dominus discipulos de subiectione dæmonum gaudētes deterret dicens; Nolite gaudere in hoc quia dæmonia vobis subijciuntur: in quo verò deberent lætari subdendo manifestae dicens. Gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in Cœlis: magna siquidem virtus, magnumq; & admirabile extitit signum, suæ cōuersationis exemplo tam innumeros de terris eleuasse ad Cœlos, de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, de exilio reduxisse ad patriam. Et vt cœpta prosequar sæpe dictus venerabilis Paldo Euangelicæ perfectionis vir per omnia consūmatus humanis rebus excedens præsentis vitæ finem fecit V. Id. Octob. Ind. III. anno Incarnationis Dominicæ 720. Residente in Sede Apostolica venerandæ mem. Gregorio II. Hic susceperat Sacri Cœnobij regimina ab Incarnatione Domini anno 707. sub Sancto Papa Sisinnio.

En Paradise tuos vernantes collige flores
Denis septenis annis moderatus habenis
Est Paldo felix, quando tua gaudia cepit.

Cui succedit in sancto regimine Taso minor quidem annis, sed ardentior in sācto proposito omnibus illis. Quia verò nonnunquā is qui præest, si considerare negligat, & contueri infirmorum imbecillitates, eosque non vt præualuerint, sed vt rigor districtionis eius dictauerit, voluerit arctius adstringere, nequaquam eos quò cupit perducere valet. Quia huic nimius zeli feruor potuit dominari, simile quiddam ei accidisse cognoscitur; nam cum hunc arduo itinere incedentem, nequaquam sequi valerent, penitus deserentes abiecerunt, fratremque eius maiorem natu loco eius constituerunt. Vnde factum est vt ab vtrisque partibus ad Pontificem Romanum

relatio mitteretur. Quod cum Gregorius Papa secundus audisset, factum improbat, hos contra canones fecisse notat, manusque suas in Christum Domini extendisse denunciat, quibus & pœnitentiam indicens, huius facti efficaciam ademit, quam scilicet indictã sibi pœnitentiam vix cum magno difficultatis conamine, obsistente aëris ardore perficere valuerunt.

Post sequitur socius renitens moderamina Taso
Qui minor est annis validus sapientia quamuis
Hic alacer, fortis, feruens quoque robore cordis.

Sed vt ostenderet Omnipotens Deus, quãti reatus crimen admisissent ij, qui pastorem à Deo sibi praelectum abiecissent, nequaquã hac pœnitentia placatus, mox sine mora iudicium exercuit vltionis. Nam ita cœperũt singuli humanis rebus decedere, vt duorum aut trium corporum fieret vna memoria receptaculum. Eaque hac grassata fuit sententia quòad vsque penè nullus eorum in corpore remaneret, qui huius næui fuerant consilio maculati. Sed nec ipse diu moratus, eosdem est moriendo secutus. Idcircò autem huius facti aduersitatem huic operi annectimus, vt à tali deinceps seditione, & pastor, & grex alieni existant. Quia etsi nequaquã eos per hoc factum vtpotè incipientes pœnitere damnandos affirmare audemus, cum scilicet pastor zeli feruore, & grex pusillanimitate errauerit, tantum incertum est, verum eos hæc iudicij sententia ad plenũ huius reatus crimine mundauerit, an etiam purgatorij post mortem supplicio ignis fuerint absoluti. Obijt autẽ Taso prædictus pater III. Id. Ianuarijs Anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo vigesimo nono. Indictione vndecima.

Fratri Prælatus pœnam Taso sertque reatus
Annis post octo migrans, cui cesserat ordo
Quem sequitur fratrum numerus sub peste necatus.

Succedunt præterea post huius discriminis luem, vt assolet, læta quædam atque iucunda, cum superstes Tato loco paternitatis succedit. Hic denique virtutum omnium matre plenus extitit charitate, in animabus colligendis studiosissimus, zelo Dei feruentissimus, pietate vberrimus, discretione cautissimus, qui que veluti mater super filios sic semper sollicitus fuit super subiectos, semetipsũ in laboribus durissimè exercens, gregi vt pater parcens, intermittens, mitior existens, inter claros, zelum districtionis exercens. Fertur etiam ex quo ad Monachi habitũ venit,

A nequaquam balneis vsum fuisse, nunquam caput lauisse, nunquam nouaculam super caput, aut barbam duxisse, & quod his difficilius est, diebus opere manuum insudans, noctibus vigilijs perpetuis vacans, loricæ onus ad carnem gestans, quousque virtus corporis præualeret non deposuisse. Cum verò defessis, ac fatigatis iam membris, hanc ferre non posset, circulum sibi ex eadem occultè fieri præcepit, quem & vsque ad diem obitus sui gestauit.

Hunc asserunt lectisternia refugisse. Fertur etiam & hebdomadam ieiunio peregisse; his enim, ac cæteris virtutibus repletus ad finem vsque perdurans consummatus obijt in pace 3. Id. Decembris. Ind. verò 6. felici gau-
B dio lætus anno Incarn. Dominicæ septuagesimo trigesimo nono.

Hic prius abiectus fit postea Pastor honestus
Vndenis actis postquam Taso præfuit annis
Ad finem durans expleuit tempora longa
Qui fuerat magnus studijs, opibus quoque largus.

Hæc de his dixisse sufficiant, quorum nos exempla, ac facta præclara de sæculi turbine ad hanc quietem perduxit; sed horum aspicientes feruorem cogit nos gemitus aliquid dicere de nostræ conuersationis tempore; & quanquam meipsum primo ferire loquendo
C pertimescam, tamen ea, in quibus iaceo, & mihi similes iacere cognosco enarrare vitia, sublato pudore non erubescam. Fortassis enim per hanc humilitatis confessionem, & mihi à Deo venia dabitur, & illis salubris correctio ministrabitur. Sed vndè exordiar, vndè loquendo initium sumam; omni enim ex parte sanctum à nobis propositum violatur, & penè nihil nobis superest, nisi quod Sanctus Pater prædixit Benedictus, per tonsuram & habitum nos Deo mentiri videmur, penè omnes ad superbiam prompti, ad contentionem, ad scandalum, ad detractionem, ad mendacium, ad male dicendum, ad accusationis læsionem, ad contumaciam, ad iram, ad amaritudinem, & despectionem, ad contradictionem, ad susurrationem, ad murmu-
D rium, ad gulam, atque ad ornatum vestium sumus illecti, & vt breuiter cuncta perstringamus, ea, per quæ Sancti cœlestia consecuti sunt regna, idest tribulationes, persecutiones, aduersitates, angustias, passiones, contumelias, humilitatem, subiectionem, paupertatẽ odio habentes, quæ nostra sunt, non quæ alterius quærentes, falsos honores appetentes, ac per hoc inuicẽ inuidentes, inuicem mordẽtes quicquid ad præsens delectat, quicquid dulcedinis tota mente requirimus, nescio per quod aliud iter, fallente nos visu interiore, à Sanctorum calle deuiantes ad vitam nos posse peruenire confidimus. Ait enim Dominus Arcta & angusta via est, quæ ducit ad vitam,

& pau-

A & pauci sunt qui intrant per eam. Apostolus verò dicit, per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei, & iterum: Si non compatimur, nec conregnabimus, & nemo coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Eia Monachi nostri, quid ad hæc dicturi sumus? aut, quod enim nefas est, scripturam mendacem, aut nosmetipsos mendaces veraciter appellabimus? Sine via enim tendentibus labor est itineris, non profectus, aut fortè decepti dicere poterimus, vt secundum misteriam nostram loquar, Dominum dixisse. Beati, qui induti sunt cappa? vel qui vsque in horam nonam ieiunant? nequaquam: dixit autem de his, qui falsam religionem prætendunt, veniunt ad vos in vestimentis ouiũ, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces; de illis autem, qui beati futuri sunt, ait. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum
B Cœlorum; beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur, beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur; beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum. Intendamus qui hæc abhorremus, quibus modis in scriptura detestantur ea, quæ nunc sequi videmur; scriptum namq; est. Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam; &, Qui detrahit fratri, eradicabitur, &, neque maledici regnum Dei possidebunt; &, perdes eos, qui loquuntur mendacium; &, cecidit accusator fratrum nostrorum. Et, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Et, væ qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt; Tot enim mortibus digni sumus, quot his malis exemplis scandalizamus.
C Sed nos, ò dilectissimi fratres, Superiorũ pauperum, quorum mentionem feci, exempla attendamus, ne in vacuum currere videamur omni nisu, omni conamine, omni virtute desudemus, vt ab his, quæ dixi, præcipitijs educti per iter Sanctorum incedere valeamus; si enim vnum in nobis bonum perfectè adesset, tot enumerata mala nequaquam inessent. Et quod est hoc bonum, nisi mandatum nouum? mandatum nouum, inquit Dominus, do vobis, vt diligatis inuicem, & in hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem; qui enim diligit, ait Apostolus, legem impleuit, & plenitudo legis est dilectio. Ego autem dico,
D quia qui fratrem diligit, nequaquam detrahit, sed corrigit, qui verò detrahit, non diligit, qui autem non diligit, docente Ioanne, manet in morte, si, inquam, radix huius dilectionis esset in nobis, omnia virtutum poma maturescerent, quia verò deest, in flore vanescunt; sed quia inducias ad corrigendum huius temporis à pio Redemptore accepimus, agamus, vt in melius proficiamus; non enim sufficit patrias, diuitias, parentesque reliquisse, nisi nos metipsos mortificemus. Diem ergo mortis quotidie attendamus, & in æternum nõ peccabimus, Passiones Domini inspiciamus, & de præsentibus iniurijs non dolebimus, sicque huius exilij iter pergamus, vt egredientes de corpore angelum lucis inueniamus, per quem defensi ab Accusatore illuc perueniamus, vbi Deum cuncti cum Angelis sine fine laudemus, vbi iam nullus erit metus mortis, nullus mœror, nullus dolor, nulla amaritudo, nulla tenebrarum caligo, sed dies æterna, dies beata, in qua qui inuenti fuerint, luce solis non egebunt, qui ab ipso Agno illuminati, sicut Sol, in Reguo Patris fulgebunt, vbi semper beati, semper gaudẽtes, semper lętãtes, semperq; erunt cum Christo sine fine regnantes, vbi charitas in singulis regnabit, & Deus omnium in omnibus erit, qui in Trinitate perfecta viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

Catalogus Abbatum Cœnobij S. Vincentij de Vulturno ex eodem Chronico exscriptus.

1. S. PALDO primus Abbas S. Vincentij ad frontes Vulturni, post diutinam huius vitæ decertationem confirmatis operibus sanctis in requiem Christi assumptus obijt 5. Id. Octobris anno Incarnationis Dominicæ 720. postquam in loco sacri regiminis decem & septem compleuerat annos, ab ædificatione verò huius sacri Monasterij Christi Martyris Vincentij iam agebatur annus trigesimus quintus.

2. S. TATO huius loci 2. Abbas miles Christi post S. Paldonem suscepit regimina sacra, qui quidem minor annis; sed in sancto proposito ardentior extitit cunctis. Hic, præceptum obtinuit à Domino Arechis Longobardorum gentis celeberrimo Principe, confirmationis de terris & montibus iuxta Monasterium positis, & post peractis in sancto regimine annis octo, defunctus seculo migrauit ad Christum 3. Id. Ianuarij Anno Dominicæ Incarnationis 728. Ind. 11.

3. S. TASO, succedit pastor, & pater, & postquam S. Congregationis gregem vndecim rexisset annis felici excessu fratrum vestigia sequens migrauit ad Christum 3. Id. Decembris Ind. 6. anno Dominicæ Incarnat. 739.

4. ATO 4. Abbas iste construxit in eodem Monasterio Ecclesiam S. Petri Apostoli, & præceptum accepit à Gisulpho Duce Minore de Ecclesia S. Mariæ in loco Saro; cõsummatis verò in sancto regimine annis 21. obijt 4. Kal. Ianuarij Ind. 13. anno Dominicæ Incarnationis 760.

5. HEREMPERTVS præfuit sacro Cœnobio ann. 3. mens. 2. diebus 26. obijt 11. Kal. Aprilis anno Dom. 763. Ind. 1.

6. IOANNES successit. Hic præceptum accepit à Gisulpho Duce Minore. Desijt verò à regimine 15. Kal. Aug. expletis ann. 14. mens. 3. dieb. 25.

7. S. AV-

7. S. AVPERTVS Gallus 7. Abbas, expleto in sancto regimine ann. 1. mens. 2. & diebus 25. iusti operis palmam suscipiens feliciter migrauit ad Christum anno Incarn. Domin. 718. Ind. 1. in Beati Petri Ecclesia digno sepulchro locatus. Vita & gesta eius edita sunt ex Chron. excerpt. in tom. 3. Francorum Scriptorum.

8. HAINARD Abbas præfuit ann. 3. mens. 10. obijt 4. Non. Nouemb. ann. ab Incarnat. Dom. 780. Ind. 3.

9. POTO Abbas præfuit ann. 2. mens. 5. dieb. 16. obijt 10. Kal. Maij ab Incarn. Dom. 783. Ind. 6.

10. PAVLVS Abbas qui consummatis in sua sede ann. 9. mens. 5. dieb. 20. migrauit ad Christum 16. Kal. Aprilis die Dominica, Anno Incarnat. Domini 792. Ind. 15. sepultus in pace.

11. IOSVE venerabilis Abbas postquam an. 24. mens. 6. dieb. 16. Sanctæ Congregationis præfuit gregi, sumptus in gloria migrauit à sæculo, 4. Non. Maij Anno Incarn. Domin. 818. Ind. 11. vltra humanum modum secundum merita sua, cuius Sanctum Corpus ante eandem Ecclesiam in dexteram partem sepultum est in pace.

12. EPIPHANIVS Abbas præfuit ann. 17. mens. 11. dies 8. Hic fuit de S. Martino in monte Marsico.

13. IACOBVS peractis in huius Monasterij regimine annis 9. obijt prid. Id. Ianuarij anno Incarn. Domin. 853. Ind. 1.

14. TEVTO, iste construxit Ecclesiam S. Euphemiæ in Fundiliano, & multas vtilitates, & possessiones acquisiuit; obtinuit quoque à Ludouico Imperatore confirmationem præceptorum aliorum Regum, & Ducum, expletis verò in huius regimine Monasterij ann. 3. mens. 7. obijt in pace 10. Kal. Septembris anno Incarn. Dom. 856. Ind. 5.

15. IOANNES Abbas sedit an. 7. mens. 4. obijt 5. Id. Octobris anno 863. Ind. 12.

16. ANTEFVSVS completis in sacro regimine ann. 9. obijt 18. Kal. Maij anno Dominicæ Incarn. 872. Ind. 6.

17. MAIO Abbas sedit ann. 8. sub eius regimine hoc sacrum Cœnobium à nefandissima gente Agarenorum comprehensum, deprædatum, & incensum fuit, & prædictus Abbas Maio cum nongentis fratribus pariter decollati sunt anno 880. Extat horum nongentorum Monachorum decollatorum Historia à Ioanne Abbate conscripta in eadem Chron. lib. 3. quam hic exscribere visum est, cum pulchra satis sit, & digna vt lucem aspiciat.

* * *

Historia Decollatorum Nongentorum Monachorum huius Monasterij.

PROOEMIVM.

Anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo octuagesimo secundo, Indictione quintadecima, residente in Sede Apostolica centesimo octauo ab Apostolorum Principe Petro, Papa Ioanne, apud Constantinopolim imperante Basilio, quadragesimo septimo post Constantinum, Italiæ verò Ludouico filio Lotharij Regni iura tuente, Monasterium pretiosi Martyris Christi Vincentij, & Beatissimi Confessoris Benedicti apud Casinum, in quibus plurimorum Fratrum Sancta Congregatio cum Venerandis Patribus Maione, & Berthario in Omnipotentis Dei seruitio permanebat, ab Agarenis deprædata, & ignibus combusta sunt, & paucis vix euadentibus plurima turba fratrum cum prędictis Patribus gladijs necati sunt. Quod qualiter actum sit, operæ pretium enarrare, existimantes non ab re esse arbitramur, si aliquantulum excedentes à superioribus exordium sumamus, idest ex quo Reges Francorum sumpserunt imperium Romanorum, & tam veridicas sequentes lineas historiographorum. quam ex relatione Patrum Religiosorum, quæ didicimus adijcientes, posteris nostris pietatis exemplo Sanctorum Patrum nostrorum pro Christo occisorum memoriam relinquamus. Re enim vera pro Christo occisi occubuerunt, qui longo vitæ suæ tempore sub instituto Sanctæ legis vnanimes conuersantes, Christi gratia ad hoc pertingere meruerunt, vt Christo ministrantes, ipsum sequerentur, vsque ad opus magnæ charitatis, ac roseo cruore suę passionis septemplici Spiritus Sancti munere decorati, perpetui triumphi caperent diadema beatum. Ergo quia non immerito illos loci huius semper inspectores, ac bonorum iugiter suffragatores specialius esse confidimus, oportet vt annis singulis eorum memoria ab omnibus dignissimè celebretur, quatenus tam eorum, quàm & omnium Sanctorum meritis, & precibus de mundi periculis, ac inimicorum insidijs eripi mereamur, & peccatorum nostrorum veniam consequamur.

Longobardorum itaque gens cum Italiæ fines inuasisset vtpote alijs gentibus viribus fortiores, & Reges eorum post Iulij forum Ticini sibi Regni sedem statuissent, erant ex his Duces tam in Beneuento, quàm & in Spoleti ciuitatibus. Denique Constans Imperator cupiens à Longobardis Italiam eripere, cum multis diebus Beneuentum cum valida exercitus sui multitudine obsedisset, & verens Grimoaldi Regis aduentum, accepta Romualdi sorore ab obsidione discessisset, idem Grimoaldus Rex post Beneuentanorum ereptio-

ereptionem, Ticinum repedare volens, & A Rasemundum, qui dudum Capuæ Comes fuerat, data eis in matrimonio alia sorore Romualdi, filiam videlicet suam, apud Spoletum Ducem effecit, Gisulpho enim Foro-Iulianorum Duce à Caçano Rege Auarorum, qui & Hunni dicti sunt, in bello perempto, frater ipsius Grasulphus constituitur, quo defuncto, ei in Ducatu Ago successit, & hoc mortuo Lupus Dux efficitur, qui plurimas donationes contulit Monasterijs seruorum Dei, sed præcipuè Monasterio Beatissimi Vincentij. Hic cum in prelio Auarorum diu decertando occubuisset, Guettari vir benignus Ducatum suscepit. Isto quoque mortuo Elander Dux factus est. Post quem Rodoald succedit. Grimoaldus verò Rex supradicti Lupi Ducis filiam Theodoradam nomine post B mortem patris suo filio Romuald Beneuentanorum Duci in matrimonium tradidit. Ex qua tres filios Grimoaldum, Gisulfum, & Arichis genuit. Denique Romuald multitudine sui exercitus congregata Tarantum, & Brundisium expugnauit, omnemque circa latissimam regionem suo dominio subiugauit. Tunc quoque eius coniux Theodorada extra muros Beneuentanæ Ciuitatis Basilicam in honorem Beati Petri Apostoli construxit, & multarum ancillarum Dei Cœnobium statuit, Ecclesiam quoque in honorem Sanctæ Dei Genitricis Mariæ in loco sano pari tempore obtulit. Cuius oblatio post à Gisulfo eius filio Duce per præceptum confirmata C est.

Post idem tempus Bulgarum Dux, Alzeco nomine, cum magno exercitu ad Grimoaldū Regem venit, ei se seruiturum, & in eius patria habitaturum promittens, quem ille ad Romualdum dirigens, vt ei cum suo populo loca ad habitandum concederet, præcepit, quos Romuald excipiens, speciosa loca ad habitandum tribuit, quæ vsque ad illud tempus deserta erant, scilicet Sepinum, Bouianum, & Iserniam, & alias cū suis territorijs ciuitates, insuper Alzeconem, mutato nomine de Duce Castaldeum vocitari præcepit, qui multis temporibus in his locis habitantes, quamquā Latinè loquerentur, linguæ tamen propriæ D vsum non amiserunt. Rodoald igitur Foro-Iulianorum Duce defuncto Ferdulfus succedit, quem Coruolus sequitur, & post hunc Pemmo Ducatum promeruit. Hoc tempore Gisulfus Dux Beneuētanorum, Soram, Arpinum, Romanorum Ciuitates, & Arcipari oppida cepit, & vsque in locum, qui Horrea dicitur castrametatus, totam Campaniam deuastauit. Hic multa bona Monasterij seruorum Dei contulit, sed præcipuè Beatissimi Vincentij, & Sanctissimi Benedicti. Spoletinorum quoque Duce, Trasemundo mortuo, Faroaldus eius filius succedit, qui multa Monasterijs seruorum Dei dona concessit, sed præcipuè Monasterio Farfensi, sed hic à filio suo Trasemundo captus & clericus factus est,

eiusque locum idem Trasemundus inuasit. Et iste cum aduersus Luidprandum Regem rebellasset, expulsus Hildericus Ducatum Spoletinorum accepit. Postque iterum Trasemundus Spoletum rediens, Hildericum extinxit, & Ducatū recepit. At verò Luidprandus Rex Spoletum veniens, Transemūdum Ducatu expulit, eumque clericum faciens in loco ipsius Agiprandum suum nepotem constituit, Pemmonem quoque Foro-Iulianorum Ducem Ducatu expoliauit, quoniam Patriarcham validissimis tribulationibus afflixit, filium verò ipsius Rachis pro eo in Ducatu substituit.

Igitur Longobardorum gentis Regibus decedentibus, vel succedentibus, vicesimus nonus tunc extabat Aystulphus, admodum crudelior omnibus. Hic etenim multas, & grauissimas persecutiones populo excitauit Romano. Pro qua persecutione Stephanus II. Papa Apostolicæ Sedis ascitos venerabiles viros, videlicet Atonem Abbatem Monasterij Beatissimi Vincentij, & Optatum Monasterij Sanctissimi Benedicti in Casino positi ad eundem Regem Aystulfum destinauit obsecrando, vt à cœpta persecutione cessaret; Ita enim validissimè insistebat, vt Vrbem Romam niteretur inuadere obsessione circumdatam, & ex omni populo per vnūquemque singulos aureos expetebat. Sed cum peruenissent ad eum Nuncij, & ea, quæ in mandatis acceperant, detulissent, honorificè quidem suscepti sunt, sed nihil ab eo deperlatis negotijs pro Pontificis parte obtinere potuerunt; quinimò per aliud iter ad propria remissi sunt Monasteria. Is autem Papa & missos Pipini Regis Francorum, & Legatos Imperiales misit ad eundem Regem pro ablatis vrbibus, & dum nihil proficeret, cum eisdem Frācorum missis per Papiam ad Gallias profectus est, & in S. Dionysij Monasterio Pipinum cum duobus filijs suis Carolo, & Carlo Magno Reges iunxit, Pipinus autem cum exercitu super Papiam aduenit, & obsedit, ac Sacramentis à Longobardis acceptis pro reddendis vrbibus ablatis Galliam repedauit. Post hæc Aystulfus Sacramento disrupto, nihil de rebus statutis adimplere voluit, sed omnes vrbes Rauennatiū & Pentapoleos à dominio Reipublicæ auferens, etiam vrbem Romam secundò vndique circundans fortiter obsedit. Tunc marino itinere nunciatum est Papino Regi Francorum, qui sine mora veniens Ticinum obsedit, donec daret idem Aystulfus missos suos cū missis Pipini, qui redderent vniuersas vrbes B. Petri Vicario, quod & factum est. Pipinus verò via qua venerat redijt. Aystulfus autem post hæc in venatione sagitta percussus mortuus est. Post quem Desiderius cum filio Adelgiso regnauit annis decē & octo, mensibus duobus, & diebus decem; hic, licet bello fuerit austerus; tamen plurimis locis Ecclesias cōstruxit, ornauit, atque ditauit rebus & posseßio-

ſeſſionibus multis. Denique ex iuſſione Principis Apoſtolorum Petri Monaſterium ædificauit in honorem, nominis ipſius in Valle Tritanæ iuxta Siler fluuium, cui dotem, & poſſeſſionem tribuit quicquid continetur in coniunctione duorum fluminum, quicquid etiam continetur per Alpes, & colles, qui habentur inter Tritenſem & Pinnenſem diuiſionem vſque ad montem Sigilla, & à Boreali parte; à meridiana verò, & auſtrali parte, quicquid habetur inter Iurianenſem Comitatum, & fluuium Calidum, atque ad coniunctionem fluminis Piſcariæ, & quomodo decurrit ipſa Piſcaria vſque ad prædictos fines, hæc omnia, ſcilicet Monaſterium cum prænominatis finibus, ipſe Rex cum ſua Regina Anſa nomine, donauit, conceſſit, ac confirmauit in venerabili Monaſterio pretioſi Martyris Vincentij, vbi tunc Sanctus Pater Taſo regimine paterno ſanctæ Congregationi præerat. Tamen quia, ſicut præmiſſum eſt, prædictus Rex bello auſterus erat, & populo Romano diuerſas perſecutiones inferebat, vrbes quoq; ablatas reddere nolebat, vel quia filios Caroli fratris Magni Caroli cum fratre illorũ ad ſe fugientes ſuſceperat, ſuper Papiam Carolus Rex aduenit tempore Adriani Papæ, menſe Iunio, quam vndique diſtrictius obſidens coarctabat cũ Francis, Alemannis, Burgundionibus, Saxonibus, aliarumque gentiũ multitudine, cepitque eam cum Rege, atque multitudine nobilium Longobardorum. Prædictum verò Regem, & eius coniugem in Franciam poſtmodum aſportauit, cuius filiã idem Carolus ſibi in coniugium ſociauit; & veniens Romam reddidit omnia, quæ pater eius Pipinus dederat B. Petro Ciuitatea; & territoria per deſignata cõfinia, ſcilicet à Lunis cum Inſula Corſica, indè in Surianum, indè in montem Pardonem, indè in Vercetũ, indè in Parmam, indè in Regiam, indè in Mantuam, & montem Silicis, vniuerſum Exarchatum Rauennę cum Prouincijs Venetiarum, & Hyſtriæ adiuncto Ducatu Beneuentano, & Spoletino. In quo videlicet Ducatu Spoletinorum poſt Agiprandum Dux fuerat conſtitutus Hildeprandus vir omninò Catholicus, qui multa dona Monaſterijs Seruorum Dei contulit, ſed præcipuè Monaſterio Beatiſſimi Vincentij.

Igitur capta Papia, & ſubiugata ſibi Italia Rex Carolus coronam Romani Imperij accipiens, filios ſuos Pipinum, & Ludouicum Reges conſtituit, cum quibus Beneuentum crebrius adijt capeſſendam. Quo tempore Arichis gener iam fati Deſiderij Regis Beneuenti Dux erat, qui ciuium ſaluti conſulens, datis duobus liberis, vice pignoris cum illis pactus eſt; cum quibus coronam auream, & maximam theſaurorum partem tribuit, quibus præcedentibus prædictus Arichis illorũ metus occaſione, iuxta Beneuenti mœnia ciuitatem nouam conſtruxit, ſed & vrbem munitiſſimam antiquitùs conditam Salernum reſtaurauit. Templum etiam opulentiſſimũ Domino infra Beneuenti mœnia condidit; quod Sanctam Sapiẽtiam nominauit, & Monaſterium puellare ſtatuens, ſub iure Beatiſſimi tradidit Benedicti. Pari quoque modo in Territorio Aliphano Eccleſiam Domini Saluatoris conſtruxit, & Monaſterium Sanctimonialium inſtituens, ditioni ſubdidit pretioſi Martyris Vincentij, vbi etiam alias multas hæreditates, & poſſeſſiones contulit, tam in planis, quàm in montanis.

Hoc tempore Imperator Carolus ſuo Imperiali præcepto confirmauit in eodem venerabili Monaſterio Beatiſſimi Vincentij quæcunque Ayſtulfus, & Deſiderius Reges Longobardorum, Giſulfus, Lupus, Hildeprãdus, vel reliqui Duces contulerant: prædictum verò Monaſterium cum ſuis omnibus pertinentijs ſub ſuæ tuitionis Mumburdum decreuit omni tempore permanere, adijciens illi plurima dona, & hæreditates.

Defuncto dehinc Arichis apud Beneuentũ, Beneuentanorum precibus, Grimoaldus à Carolo receptus reuocatur, & paternum ipſe ſuſcepit Ducatum. Iſte multa dona Eccleſijs & Monaſterijs Seruorum Dei contulit, ſed præcipuè Beatiſſimi Vincentij. Grimoaldo verò mortuo alter Grimoaldus exadelfus ei ſuccedit, & hoc decedente Sico ſubrogatur. Per idem tempus Carolus Imperator regni iura feliciter moderatus per annos quadraginta nouem, Ludouico filio Cæſare conſtituto, humanis rebus exemptus eſt. Beneuẽti verò Sico defuncto, Sicardus eius filius ſuccedit, hic multa bona Monaſterijs Seruorum Dei contulit, ſed præcipuè Beatiſſimi Vincentij. His diebus Monaſteria S. Martini, & S. Crucis in monte Marſico à Beneuentanis cõmutata ſunt in Monaſterio Beatiſſimi Vincentij, pro quibus Eccleſias SS. Lupuli, & Zoſimi: Caſtrum quoque, quod dicitur Cerbinaria in Caudetanis acceperunt.

Decedente ergo ab hac luce Sicardo, Radelgiſus ſubſtituitur, & iſto obeunte, Radelgarius præficitur.

Inter hæc mortuo Ludouico Auguſto, qui Almus dictus eſt, Lotharius eius filius Regni hæres effectus eſt; Lothario quoque mortuo, primogenitus eius filius Ludouicus nomine regnauit in Italia. Per idem tempus Agareni Barim Ciuitatem incolentes, qui pridem à Pandone eiuſdem Ciuitatis Caſtaldeo ibidem inuitati fuerant, bellum agente contra Sigenolfum Principem Salerni cœperunt deuaſtãtes, ſtirpitus deprædari totam Apuliam, Calabriamque, ac pedetentim Salernum, Beneuentum quoque depopulari initiarũt. Tunc lamentabili ſupplicatione ſuggeſtum eſt pijſſimo Auguſto Ludouico per Baſſacium Abbatem Sanctiſſimi Beñedicti, & Iacobum Abbatem Beatiſſimi Vincentij, vt præparare quantocius dignaretur, & ſuo aduentu populum Chriſtianum miſericorditer liberare. Motus itaque Imperator clemẽtiſſimus tam iſto-

istorum precibus, quàm & aliorum querimo-
nijs, maximeque Capuanorum sine mora cũ
incredibili multitudine Barim perrexit. Sed
præ omnibus obliti Capuani suæ sponsionis,
quod per venerabiles viros Iacobum & Bas-
sacium Abbates SS. Vincentij, & Benedicti,
Imperatori, direxerunt in vrbibus se recon-
dentes, Landulfum tantùm Antistitem sua vi-
ce illuc destinarunt. Videus autem supradi-
ctus Cæsar illorum fallaciam, & se nihil profi-
cere, absque emolumento recedens abijt,
concesso Principatu Salernitano Ademario
illustri viro & forti, Sigenolfum filium exulẽ
fecit. Quarto igitur Principatus sui anno Ra-
delgarius obijt Beneuenti, cui successit ger-
manus eius nomine Adelgis, omni bonitate
deformis. Sed quod peius est, prouincia in
multis diuisa, ad exitum magis, quam ad salu-
tem de die in diem à malis dominatoribus
ducebatur. Inter hæc Saugdan nequissimus,
ac sceleratissimus Rex Ismaelitarum totam
terram Beneuentanam igne, gladijs, & capti-
uitate crudeliter deuastabat, ita vt nõ rema-
neret in ea halitus. Quamobrem & Gallorũ
exercitus crebrius adueniens ob eorũ efferi-
tatem cõprimendam, sed nihil proficiens, via
qua venerat, repedabat, vnde factum est, vt
Adelgis Beneuenti Princeps data pensione &
obsidibus pacem cum eo firmaret. Quo tẽ-
pore Magelpotus Telesinus, & Vandelpertus
Bouianensis Castaldei multa cum prece con-
duxerunt Landpertum Ducem Spolettinorũ,
& Gerardum Comitem Marsorum, obuian-
tes eidem Saugdan, cum de Capuę depopula-
tione reuerteretur in aruinm tellure irrue-
runt super eum, sed exurgens Saugdan super
Beneuentanos & Francos fortiter se iniecit,
ac disruptis cunctis plurimos interfecit, non-
nullos cepit, & crudeliter extinxit. Gerar-
dus verò Comes, & Magelpotus, & Vandel-
pertus in eadem acie occubuerunt. Qua de re
audaciam ex illa die potiorem sumens, Be-
neuenti confinia funditus deleuit, itaut nul-
lus locus præter vrbes præcipuas, eius ferita-
tem euadaret; quibus diebus Telesiam, Ali-
phas, Sępinum, Bonianum, & Iserniam, Ca-
strum quoque Bonafranum cepit, funditus-
que deleuit.

Monasterium verò pretiosi Martyris Vin-
centij, quod quidem à pijssimo Augusto Lu-
douico filio videlicet Augusti Caroli, miro
amore, præcipuo labore, pulchroque deco-
re, cum sanctissimo, Deoque dignissimo eius-
dem Abbate Iosue, maximis ædificijs renoua-
tum, præcipuis quoque tunc Italiæ Mona-
sterijs præcellebat ab eodẽ nequissimo Saug-
dan omninò deprędatum est, & pro ædificijs
non combustis, tria millia aureorum accepit,
totidem à Beati Benedicti Vicario acceptis.
Inuitatus dehinc Ludouicus Cęsar in com-
mune à Beneuentanis, & Capuanis, cunctis-
que Comarchianis, ad tuitionem prædictæ
Patriæ, Beneuenti fines per Soram ingredi-
tur, ac prius ad Monasterium Beati Benedi-
A cti applicuit, quò ad eum legati de diuersis
vrbibus venerunt, inter quos etiam Landul-
fus Capuanus adfuit cum suis. Is igitur ad
solitas vergens fallacias, Capuanos, quos Cæ-
sari præsentauerat, fugere compulit, ipse so-
lus cum eo remanens, quasi nihil culpabile
cum eo egisset. Sed Augustus hæc pro nihi-
lo ducens, adijt Capuam, obsessamque tri-
bus mensibus funditus deleuit. Ciues autem
cum nullum ab eo placitum habere potuis-
sent, Landeberto Comiti illius se tradiderũt,
putantes se rectiùs facere, pessimè corruerũt.
Vndè postea pro nihilo ducti, omni ferè men-
se diuersis Iudicibus dabantur in prædam.
Hoc iam peracto à Guaiferio sine omni spõ-
sione prius Salerni & sic demum ab Aldegiso
B Beneuenti exceptus est. Sequenti autem
anno multis fultus auxiliatoribus Barim per-
rexit, atque cum sæpe dicto Saugdane Augu-
stalis exercitus pugnam commisit, à quibus
exsuperatus aufugit; amissa non modica par-
te sui exercitus. Dehinc omnia eorum sata
circunquaque comburens, Materem adijt,
quam sine mora cepit. Tunc venit Venusiã,
castrametatusque in ea cœpit renouare, & in-
de Barim, hinc indè grauiter expugnans de-
molitus est, positoque pręsidio pugnatorum
in Canusia, vicissim eos cornibus ventilabat.
quo tempore perculsi multi ad Augustalem
confugientes clementiam dari sibi petebant
dexteras, quibus solitam misericordiam non
negauit. Post hæc iterum itum est Orietanã
C vrbem, sicque reuersus est Beneuentum, at-
que annuente sibi dextera superna cum iam
ad extremitatem maximam peruenissent Sa-
raceni, misso exercitu Barim cepit, capto in
ea Saugdane effero rege, cum alijs eius satel-
litibus, deinde Tarantum obsidere iussit, qui-
bus ita patratis, cœperunt Galli instinctu Dia-
boli diuersis modis Beneuentanos persequi,
ac crudeliter vexare, qua de re Adelgisus
Princeps aduersus Ludouicum Augustum
erectus, cum suis infra Beneuenti mœnia se-
curè quiescentem, astu doloso sanctissimum
Beneuẽtanæ Prouinciæ saluatorem compre-
hendit, & custodijs mancipauit, bonaq; eius
diripuit, cunctosque etiam viros exercitales
spolians, fugere compulit, & de exuuijs eo-
D rum onustatus est. Consistente verò Augusto
in custodiam, excitauit Deus spiritum Isma-
elitarum, eosque ab Africana regione proti-
nus euexit, vt vlciscerentur opprobrium Au-
gusti. Absolutus autem, iubente Deo, Cæsar
magnificus, statim Saraceni Salernum appli-
cuerunt quasi triginta millia, quam graui-
ter obsidentes, forinsecus stirpitus deleuerũt,
occisis in ea innumerabilibus colonis, & de-
populati sunt ex parte Neapolim, Beneuen-
tum, & Capuam, quo tempore ambo Lam-
berti Comites Augusti furorem metuentes,
Beneuentum recesserunt, & ab Adelgiso ho-
norificè suscepti sunt. Quorum auxilio fre-
tus, super Saracenorum Scaram irruit, &
viriliter strauit, occisis ex ea penè tribus mil-
libus

libus viris. quibus etiam diebus Capuani mille ex eis peremerunt, Cumque hac obsidione propè terminaretur annus, misso exercitu, iam dictus Augustus peremit ex prophanis Capuæ nouem millia viros. Post hæc per semetipsum dignatus est aduenire Capuam. Cuius aduentu cognito, Saraceni Salernum relinquentes, Calabriam adeunt, eamque inter se diuisam repetientes, funditus depopularunt. Ludouicus autem Imperator volens Beneuentum acquirere, sed non valens ad propria recessit, coniugem suam & filiam Capuæ relinquens. Dehinc Augusta Rauennam pergens, prole Capuæ dimissa, non post multum diuæ memoriæ Ludouicus diem clausit extremum. Cuius mortis indicio stella sicut facula ardere visa est post septemtrionem septimo die Iunij mensis, & tunc idem Imperator defunctus est tertiodecimo die mensis Augusti. Receptis deinde viribus Sarraceni in Tarantum, quos penè captos reliquerat Augustus, ceperunt Barim, & Cannense Territorium deprędare. Quibus occurrit Adelgis in finibus Apuliæ, sed nil præualens, inuitus & intriumphator abscessit. Quo tempore Athmannus, qui à Saugdan exul fuerat, ab Africa cum Annoso veniens, Tarantum intrauit, & Rex effectus est, egressusque Beneuentum grauiter deprædauit, tantamque victoriam adeptus est, vt Saugdan potestate ab Adelgiso recolligeret; nam Annosum, & Abdelbach antè apocrisarios miserat. Hoc audientes, qui Bari residebant, Gregorium Baiolum Imperialem Græcorum, qui tunc in Ydronto degebat, cum multis exercitibus ob Sarracenorum metum Barim introduxerunt, qui statim apprehensum Castaldeum, illiusque Primiores Constantinopolim misit, quibus iureiurando fidem dederat.

Interea ipsi Græci crebrius legatos cum schedis Beneuento, Salerno, & Capuæ dirigebant, vt ab his auxiliarentur contra Saracenos: Sed ij vno consilio eorum spernebant deprecationes, Tunc Salerno, Neapoli & Caieta pacem habentibus cum Saracenis Naualibus, Romam grauis coangustabat depopulatio. Sed cum Carolus filius Iulittæ Romæ sceptrum insigne suscepisset, Landbertum Ducem, & Guidonem germanum illius Ioanni Papæ in adiutoriū dedit, cum quibus Neapolim & Capuam profectus est. Sergius verò magister militum consilio Adelgisi, & Lāberti deceptus, noluit se alienare ab inimicis, qui statim anathematizatus est. Vndè contigit, vt apprehensos vigintiquinque Neapolites milites decollari faceret, quo etiam anathemate mulctatus est Sergius idem, & non post multum à germano proprio captus missus est Romam, ibique suffossis oculis, miserabiliter vitam finiuit. Ipse autem frater eius Athanasius in loco illius seipsum Principem constituit.

Adelgis verò dum Castrum Tullentense in obsim caperet, ad propriam remeans vrbem

A à generis, nepotibus, & amicis in via non longè ab vrbe interfectus est anno Principatus sui mediante vicesimo quinto; & in loco eius Gayderis filius Radelgarij constitutus est.

Per idem tempus Athanasius Præsul Neapoli militum magister præerat. Hic cum Saracenis pacem iniens, ac illos prius intra portus æquoreos & vrbis murum collocans, omnem terram Beneuentanam, simulque Romanam, nec non & partem Spoleti diruentes, cunctaque Monasteria & Ecclesias, vrbes, & oppida, viros, montes & colles, insulasque deprędarunt. Tunc heu, proh dolor, prophana gens in vltionem prædictorum diuino iudicio debacchans sanctuaria diuinis cultibus consecrata sine aliquo metu concul-
B cantes pro nihilo ducebant: omnis ætas, omnis sexus, sine aliqua miseratione continuè necabatur. Nec erat qui posset eripere pereuntes, vel aliquod præbere solamen; quoniam sicut scriptum est, gladius vindex Domini manducabat carnes; qualis tunc miseria, & tribulatio Christianorum populos obtinuerat, quis considerare valeat? Videres vrbes desertas, Ecclesias subuersas, omnemque terram Christianorum sanguine conspersam, nec erat fugæ latibulum; quoniam montes, & colles simile vastabat excidium.

Putabant homines iam tunc mundi finem appropinquasse, nisi quod signa quædam ex Euangelio prædicta adhuc minimè videbant; tamen mundi finis in his iam decurrebat.
C Etenim ea scribimus, quæ in antiquis inuenimus voluminibus, & veterum probata narratio tradidit seniorum. Cum nefanda gens Agarenorum cæteras terrarum partes deprędantes, incendentes, ac subuertentes consumerentur, tandem prophana turba impiorum, cuius manus sunt contra omnes, nec dum humano sanguine satiata, omnibus bestijs atrociores, ad pretiosi Martyris Vincentij sacrum Cœnobium furibunda procedit. Moris tunc erat Monachorum vtriusque Cœnobij Beatissimi Vincentij, & Sanctissimi Benedicti charitatis gratia se inuicem sedule visitare. Cum igitur die quadam ad prædictum Cœnobium fratres quidam Monasterij Casinensis de more abijssent, & de suo ad inuicem
D ordine loquerentur, repentè illuc Saugdan sæuissimus cum suis satellitibus superuenit. Cuius Monachi rumore comperto, qui aduenerant, ad Castellum ipsius Monasterij proximum, maturato cursu, nimis licet pauidi, incolumes tamen aufugerunt. Quod vbi Dei seruis auditum est in Monasterio, illicò omnem Ecclesiæ thesaurum absconderunt; ipsi verò, non timore territi, sed constantes, atque intrepidi inuicem se cohortantes, paucis tantùm relictis senioribus ætate & vita venerabilibus ad Ecclesiæ munimina reliqui omnes cum subiectis sibi famulis obuiam procedunt venientibus ethnicis. In locum igitur inata Pontem, qui marmoreus di-

citur

citur pariter conuenerunt, captantes iter, quo ad Monasterium peruenirent.

Illis ergo ex vna parte, & istis ex altera consistentibus, validior pugna inter vtrosque cœpit, dum aduersi hostes inualidi reddebantur etenim non erat illis leue transitum habere per istos, lapidibus quippe, vel quibuslibet armis ad manum inuentis pellebant procul tyrannos.

Condensa silua, & arcta rupes nostrorum
sublevare lacertos,
Non gelidus sanguis oppletos stringxerat thoros,
Nam valida pugna diem abbreuiant vltra
Quàm ijs necesse vel illis fuerat ferre
Vibrantur enses, iaciuntur spicula vectes,
Et duris dumis hærebant spolia furis.

Quid diu moror referre crimina dira, plebeia manus quæ gessit fronte iniquum? Quidam enim ex seruis sacri Monasterij videntes se immenso certamine fatigari, & quia diuina gratia protegente nulla dabatur hostibus facultas transeundi, magisque tyrannorum acies acrius prosternebatur, dominos, suos deserentes, clam se subduxerunt, illisque in acie derelictis, Saracenorum Regem adierunt, & libertatem cum vita ab eo postulantes maioris lucri, victoriæque potioris euentum se ferre posse dixerunt. Mox ille ganisus, seruorum animos donis aureis, & mortiferis suasionibus oblectans incitat explere promissa. Sponsione ergo accepta, & inito fœdere, mali malorum duces effecti, Dominis illorum nescientibus, verso itinere pars maxima pugnatorum subito ex aduerso super sacrum Monasterium irruerunt, quod vndique circundantes, ignibus combusserunt, sanctos etiam seniores, quos ibidem inuenerunt, gladijs necauerunt. Extat igitur Sanctorum sanguis Monachorum pro Christo effusus, euidentia indicia, hodieque demonstrans illisis, vel aspersis eiusdem Ecclesiæ parietum, ac pauimentorum saxis ac lapidibus. Nec mora post hæc flammarum globis alta astrorum sydera rutilantibus, qui bello affusi prolixo diei spatio legitimo certamine desudauerant, vt conspexerunt, agnoscunt se proditos fore, moxque istorum acie hinc redeuntium à tergo operiuntur, quibus versa facie dum resistere vellent, inter medias acies fuerunt simul admixti, grauisque contra istos pugnæ iactura decurrit. At vbi concito gradu illis insequentibus & istis contraire nitentibus telluris locum aliquanto spatio planitiem obtendunt, quem ex detruncatis ibi corporibus hactenus incolæ vocant, omnium tela contra ipsos vertuntur, & concurrentibus cunctis iam fessis artubus non amplius resistere possunt; ruunt inter carnificum ictus, & quamuis ex ethnicis plurimi fint prostrati, tamen ex istis pauci superstites remanserunt,

sed melius fuit occisis gladio quàm in captiuitate ductis. Denique peracta cæde, cum in vnum conuenissent, seruorum indicio fodientes hinc, atque illinc, vulnerlum Ecclesiæ thesaurum repererunt, quem illorum pauore serui Dei iam pridem absconderant, & illud sibi in prædam diuidentes cuncta vastauerunt, plurima fregerunt, frumenta, & legumina in fluuium, qui secus effluit dispersefunt. Et cum iam quasi post laborem, & triumphum exultantes discumberent, bibebat ille nefandissimus Saugdan in sacris calicibus, & cum thuribulis aureis sibi thurificari iubebat. Facta est hæc cædes beatorum pro Christo Monachorum decimo die mensis Octobris, feria tertia, qua secunda lux Lucinæ rotam ducebat. Ab ædificatione verò ipsius Monasterij iam fuerat annus centesimus quintus.

Tibia nunc dicat, mea luctu chorda recisa,
Qui subitò miseris funera tanta tulit?
Et populus varios clamores reddat ab alto
Quos faciat casus posse referre suos.
Huc pariter musæ gemitu redeant resolutæ
Dulce quod est nimium ducitur exitium.
Carminibus planctum proprijs coniungere tantum
Vt simul astra sonent, cantica tristia dent.
Cum domus ista perit, multos hac peste peremit
Ethnica iam venit, querula turba fremit;
Fert Monachis bellum, tulit vnde reflexa flagellum
Et dedit arma super, fœmineamque fidem,
Rustica seruorum facit hoc manus impia damnum
Percutit ipsa sues hac nece sic domino.
Castra petunt fortes, concurrunt ocyus hostes,
Corruit alta domus, mœnia cuncta ruunt.
Non ætas, tempus, iuuenis, puer, atque senectus
Excipitur cuius viuere sit placitum.
Funditur hic sanguis, iaciuntur corpora campis,
Spiritus & Cælo dant modò iure Deo.
Fit rebus finis, non bellis, armaque iuris
Sanguine respersit signa fuisse Dei,
Et procul Aemathios ostendunt florida campos
Cespis purpureum continet ipsa decus.

Omnibus ergo consumptis, prædictos aliquantos fratres, qui remanserant, vinculorum nexibus adstrictos, nudos totius corporis indumentis, sui itineris sub custodia prauenire loca fecerunt. O quàm crudele spectacu-

ctaculum dies illa præstiterat illis! cum extremo agmine inter confertissimos milites obuiam quisque detruncat, cum nobilis tellus felici cruore resudat, quos vno in loco sic constat esse necatos, nempè non dissimiles fore ab illa beata Thebæorum legione, cum pro testamento Dei, & instituta sancta legis diuinæ gratiæ sorte illis annumerati in supernis additi sunt. Quorum sacra turba Monachorum, vt in veteribus libris inuenimus, & sæpè à nostris audiuimus Senioribus, nongentorum extitit numerus Deo deuotorum, quos nimirum ex diuersis sibi subiectis Monasterijs, vel cellis in eodem loco congregatos fuisse non ambigimus, sed quoniam rursus in aliquibus libris scriptum reperi, quingentorum tantum fuisse numerum decollatorum, illi soli & numerum committimus, & nomina, qui illis dedit cum triumpho Martyrij capere victoriam. Horum Beatorum corpora post à quibusdam collecta, alijsque coniuncta, qui in eadem Ecclesia occubuerant, dignissimè ibidem reconditi venerantur. Simul quoque cum eis passus venerandus Abbas recubat Maio.

Quanta putas Angelorum millia tunc aduenisse, qui beatorum animas ad cælestia regna transferrent? Et si singuli singulorum custodes à Deo deputati animarum eas perferre satagebant ad sublime æterni Regis Palatium: tamen plures additi non solum Angelorum, sed & pretiosorum Martyrum spiritus obuiam facti cum stolis albis & palmis victricibus cælestis Regis præconia resonantes supernis miscent laudes trophæis: Rutilans cum istis celsis comptus serta topazijs beatus Martyr inclytus Archileuita procedit Vincentius. De illis verò quid dicendum, qui spectaculum facti mundo, Angelis & hominibus, contumelias mortis nudi propter nomen Domini portantes, quantò acriora tyrannorum supplicia pia longanimitate ferebant, tanto à Summo Deo bonis sperabant remuneranda perpetuis.

Præterea impiorum turba sacrilega postquam consummato sacri Monasterij excidio, vesaniam suæ crudelitatis exsatiarunt, viciniam desolatæ telluris linquentes, Marsorum Prouinciam ocyus petierunt, cunctis mœsti cordis luctum, mugituumque diræ calamitatis, & in feriæ prolixis clamoribus imponentes. Ipsius deindè prouinciæ quæcunque inuenerunt, consummantes, Monasterium S. Dei Genitricis Mariæ in loco Apinianici, quod vir Catholicus, atque clarissimus Hildeprandus Dux ditatum magnis rebus, & possessionibus prædicto Monasterio Christi Martyris Vincentij contulerat, omninò deprędarunt, igneque combustum occisis ibi quamplurimis fratribus, cunctis lamentabile reliquerunt. In quibus omnibus ipsos, quos secum captiuos ducebant fratres, iniquis semper vexabant cruciatibus. Tunc atrox calamitas pectoram mœrore pulsabat, & longos gemitus prolixa suspiria dabant: non tegmen illis, neque victus, caro læsa dolet, cor nimis afflictum, furunt hostes, tremunt mentes, gemunt fortes, querunt fortes, longas istis præbent mortes.

Permansit autem desolatio huius Monasterij pretiosi Martyris Vincentij vsque in annos triginta tres, in quibus nullius hominis habitatio, sed tantùm bestiarum possessio fuit, & quæ quondam fuerat excellentior multis, tunc facta est humilior cunctis, atque ex eo nec Monachos congregatos; nec Abbatem hic habere potuisse vsque ad supradictum tempus annorum 33. quo numero humani generis Redemptor in mundo cum hominibus conuersari dignatus est vsque ad Passionem sacratissimæ Crucis, &c.

Post hæc Valeriæ Prouinciam, & Romanos fines acriter deuastantes, Campaniam quoque peragrantes Casinum Castrum adierunt diri prædones, & Monasterium Sanctissimi Benedicti, quod prius quidem à Longobardis destructum, beatorum Patrum Paldonis, Tatonis, & Tasonis studio & labore cum venerabili Patre Petronace fuerat reconciliatum, incendentes penitus diruerunt, omnesque illius Congregationis fratres, quos capere potuerunt, vel quibus præ imbecillitate facilis fuga non erat, sine vlla miseratione gladijs necantes crudeliter extinxerunt. Pari etiam modo Monasterium, quod deorsum erat igne combusserunt, & venerabilem Abbatem Bertharium in Ecclesia Domini Saluatoris super Sanctum Altare B. Martini trucidantes eundem locum hominibus inhabitabilem reddiderunt. Sed ante impiorum aduentum aliquantos ex eisdem Monachis aufugisse percepimus, qui Teani ciuitatem adeuntes Regulæ librum, quem Pater Benedictus manu sua scripserat, libram panis, vasculum æreum vini, & saccos hœdicinos, qui Dei iussu ante ianuam Monasterij farinæ onustati fuerant iactati, secum detulerunt, quæ subsequenti tempore igne combusta sunt.

Quis putas tunc erat admirabili Patri Benedicto circa suum ouile sacrorum viscerum pietatis affectus, qualis animæ Sanctæ ipsius erga filiorum suorum prostrata funera, erga eorum repleta sanguine altaria? angor pariter, mœrorque crescebat. Etenim vt credo, præsens tunc aderat, & cum patientibus pius pater eadem patiebatur. Et certè si eius Christo dilecta anima, dum adhuc in corpore maneret cum vix apud Deum obtinere potuit, vt ex illo loco illi animæ cederentur, ita nimio dolore inconsolabiliter fleret vt vix consolari valeret; multò magis cum in tam horrenda discerptione filiorum suorum viscera videret effundi acrius contristabatur. Manebat tamen spes, & consolatio; quoniam ipse erat qui suscipiebat animas occisorum velut xenium Omnipotenti Deo viuentium offerendas. Huius Monasterij desolatio facta est 13. Kal. Nouembris, feria tertia, per-

stitit

stitit annis tribus postquam reædificari cœptura est ab Angelario Abbate.

Sed ad nostra iterum redeamus, & quoddam memorandum quod in hulus Monasterij abditis antiquissimis voluminibus Indita reperi, non omittam; quidam namqne illis temporibus ex eisdem Christi famulis à facie impiorum fugiens, illorum crudelitatis necem euasit, qui quod factum fuerat, hoc modo scribens ad posterorum notitiam voluit peruenire.

In nomine Domini Nostri Iesu Christi. Ego Frater Sabbatinus Sacerdos, & Monachus, qui olim à conspectu Saugdan Regis Agarenorum aufugi, Deo auxiliante, & Cœnobium Beati Vincentij Leuitæ & Mart. ab ipso Rege iniquo deprædatum & incensum fuit tempore Maionis Abbatis præfati Cœnobij commemoratorium facio, pauca de pluribus, Deo teste, & Beato Petro Apostolo, nec non & Agonotheta Christi Vincentio in posterorum memoria, vt si tempus aliquando venerit, vt ipsum Cœnobium reconcilietur, sine omni ambiguitate credant, & perquirant primitus ipsas res Beati Vincentij, quas habet in Comitatu Iserniæ. Est autem intus ipsa ciuitate Ecclesia S. Angeli cum vigintiquinque Casis, de seruis circunquaque manentibus, & Iordanus presbyter seruus, & Vicedominus præfati Monasterij, simulque & Fabianus faber ferrarius eiusdem Monasterij famulus. Hæc igitur Ecclesia cum alijs pluribus Cappellis sibi subiacenribus ipsi Casales, qui sunt iuxta fluuium petrosum, vbi iunguntur ambo flumina, omnes fuerunt famulorum Sancti Vincentij, & Limatas, quæ sunt iuxta istam ciuitatem laborabãt ad opus S. Angeli Monachi qui ibi degebant. Similiter & vnum molendinum in ipso flumine, qui dicitur Padullctu habebant, & ab ipso lacu, qui est propè ipsam ciuitatem, sicut pertingit inter ambo flumina, & vsque ad Nucetum sunt tres peræqualiter sortes. Prima est Episcopij S. Petri, secunda Monasterij S. Vincentij, tertia publica, & aliæ Ecclesiæ cum suis redditibus eidem Monasterio pertinentibus hec illucque circnmiacentibus, quas enumerare longum est, fines verò inter Iserniam Ciuitatem & Monasterium Sancti Vincentij, ipsa vantra decurrit.

Ecclesia quoque S. Mariæ ad Maccle fuit Sanctimonialium, cella S. Vincentij fuit cum multis possessionibus.

Capriata verò erat diuisa in duas partes, medietas Monasterij almifici Vincentij, & medietas Episcopij S. Petri cum duabus Ecclesijs S. Ioannis & S. Mariæ inibi iuxta se commorantibus, vnam Episcopij, aliam verò nostri Monasterij.

Heu proh dolor! eò me direxit Abbas meus, & mansi ibi per multa tempora, & omni anno dirigebam ad nostrum Cœnobium centum tritici modia, & quadraginta porcos,

A Foruli verò erat diuisum in tres partes: Prima pars S. Monasterij vbi habuit quinque Casas de seruis. Secunda pars Episcopij. Tertia publica & Ecclesia S. Gregorij in Matese cum omnibus territorijs, medietas fuit Sancti Monasterij, & medietas Episcopij Sancti Petri. Cella quoque S. Agathæ in Torcino posita cum alijs Ecclesijs sibi subiectis omnia fuerunt Sancti Monasterij Beati Vincentij.

Suæ autem traditionis hoc tantum vir ille reliquit, sed cum sim Sanctæ huius Ecclesiæ Matris filius, enutritus infra eius sacra viscera pietatis, libet mihi ex voce ipsins Ecclesiæ iuxta Hieremiæ exemplum, & nunc in his temporum angustijs prægrauato, tam recor**B**dationе præteritorum, quàm præsentium casu suppliciorum illud lamentationis canticum personare, quod in simili tribulationis dolore aliquos nouimus decantare. Iam enim in luctum versa est cithara nostra, & organa nostra in vocem flentium; Sed adsit nunc sublimitas Angelorum, adsit Senatus ille Apostolorum, adsit turba Martyrum beatorum, adsint præclara Collegia Monachorum, adsit sacratus numerus Confessorum, adsit Virgineus Chorus candidatarum, adsit & multitudo Catholicorum, conueniant simul ad domum nostri doloris, sint in superis supplices Christo pro nobis, dum affligitur populus pretioso agni sanguine comparatus, inter quorum opprobria ad flagella sum ego para**C**tus, miserijs afflictus sum & turbatus, cum tota die ingrederer contristatus, igne & aqua sum probatus, à fortitudine manus Domini vindemiatus, vilis & quasi pollutus inter inimicos sum reputatus, cum dolor cordis mei sit renouatus. Venter quoque meus sit conturbatus, felle & absinthio inebriatus in atrijs domus Domini conculcatus, non in die festo sum consolatus, sed in capite platearum sum obscuratus. Nam velut sponsa adornatus, & velut Lucifer decoratus, cum senatoribus deputatis, in loco pascuæ educatus, à transeuntibus admiratus, ab audientibus collaudatus, ex margaritis coronatus, ex hiacinthis calceatus, ex smaragdis constipatus, nunc tantis malis angustatus, Christum precor anxiatus, qui velut Agnus est immolatus, vt **D** nostros soluat incolatus. Hæc velut ex persona huius Sanctæ Matris Ecclesiæ protulerim, ac si memetipsum pro ea deplorans. Cæterum nostræ mentis infirma ipsi considerent, & consolentur, quorum nomina in libro vitæ continentur. Etenim dies festi nostri versi sunt in lamentum, sufficiant castigationes, quæ iuste illatæ sunt nobis. Iam de Cælis Angelo percutienti dicatur à Deo, cesset iam manus tua; quoniam plaga crudeli percussi eos.

Ea tempestate multitudo Saracenorum in Garliano iuxta Traiectum habitantes, Christianorum, & præcipuè Capuanorum maximas strages dederunt. Tunc etiam Mona-

ſterium Confeſſoris Chriſti Martini in Marſico monte adeuntes delere nitebantur, quorum metu exterriti ibidem habitantes Monachi, ad eiuſdem Confeſſoris præſidia ſe cōtulerunt. Nec mora, diuina miſeratio adfuit deprecantibus, illis quippè montem aſcendentibus adſtitit quidam venerandi habitus, qui ſe Abbatem eſſe dicebat cum multitudine Monachorum, quos omnes præparatos equos aſcēdere iubet, & ſe comitari, mox ipſe præcedens, & ſplēdifica Crucis ſigna ſua dextera ferens, Saracenorū cuneos irrupit, multoſq; ex eis fortuita cæde proſtrauit, plurimos vulnerauit, aliquos cęcitate percuſſit, omnes porrò perniciter in fugam coegit. Mons ipſe denſis tenebris preſſus, concuſſa tellus videbatur abſorbere cruentos. extunc Saracenorū exercitus ita attritus & afflictus extitit, vt non ſolum bellum Chriſtianis inferre valeret, ſed ſemper fugam agentes mortis diſcrimini ſubiacerent.

Etenim in proximo aduenientibus Chriſtianiſſimis Principibus Atenulfo, & Landulfo cum vicinis magnatibus diuerſarum prouinciarum, maxima illorum multitudo interfecta eſt, & reliqui diſperſi, atque deſtructi ſunt, ſicque Chriſtianorum populus Chriſti miſericordia extitit liberatus.

Et in his noſtri laboris mercedem accipiens, tertius hic liber erit cōſummatus hoc tamen prætereundum non æſtimo, quod noſtris diebus ſactum recens memoria intulit. Cum enim locus ille, in quo beatorum corpora Monachorum in Eccleſia B. Petri poſita fuerant frequenter venerarentur à multis, maximè quia diuina ibi ſæpe micuerint luminaria, eſſetque patulus ibidem introeundi aditus, Siquidem per totius Eccleſiæ corpus magni ædificij Camera ita conſtructa habebatur, vt horum infra eiuſdem Cameræ ſpatio corporibus repoſitis, deſuper verò multorum Abbatum, ac vtriſque piæ deuotionis exhiberentur officia, quidam inſipientes ruſtici de vicinis caſtellis, cuiuſdam defunctæ fœminæ ibidem corpus intulerunt, atque ex tunc ita loci ipſius aditus clauditur, vt vlterius vel quò ipſi introire, vel alios inferre poſſent, minimè reperirent; multis enim poſt locum requirentibus, & ob hoc adhibitis foſſoribus, caſſo labore fruſtrati ſunt, cum enim prolixo diei ſpatio in hoc anxiè perdurarent, neceſſariò refectionis hora recedentes, cum rurſus ad opus redirent, omnem terræ molem, quam procul eiecerant validius congeſtā inuenerunt. Reuerſi, quæ inuenerant, retulerunt, atque ex tunc fodere deſierunt.

Horum itaque Beatorum memoriam Monachorum nobis recolendam Patrum tradiderunt documenta antiquorum. Benedictus Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

18. MAIO poſt annos 20. . . . ſucceſſit Maioni patruo, deſijt à regimine anno Dominicæ Incarn. 901. Ind. 4.

19. GODELPERVS, qui ſedit ann. 18. obijt ann. Domin. Incarnat. 920. Indict. 9.

20. RAIMBALDVS Abbas ſedit an. 26. iſte diuina fauente miſericordia Eccleſiam, quam Godelperus cœperat, perfecit, & coloribus decorauit. Ante portam quoque Monaſterij Eccleſiam ædificauit in honorem S. Dei genitricis & Virginis Mariæ, & perfectis Monaſterij ædificijs, multiſque ſubſtantijs acquiſitis deficiente perſecutione impiorum, multis ſecum adunatis fratribus, quæ olim ordinauerant, cœperunt florere: & quoniam his temporibus penè omnis hæc regio vacabat habitatoribus, raruſque viator, aut agricola videbatur, prudenti conſilio, vt poſſet iterum diſſiparas Monaſterij colligere hæreditates, de Valuenſi Comitatu homines perducere ſtuduit, qui & ipſi ex famulis S. Vincentij erant, & conſtituit illos habitare, laborare, & colere terram huius Monaſterij, quæ vocabatur de Benefrano, &c. requieuit autem Raimbaldus Abbas 10. Id. Iunij Anno Dominicæ Incarnat. 944. Ind. ſecunda.

21. LEO Abbas ſedit annos 12 Magnus Pater Deo placens poſt multos labores, & magna gloria operum perfectorum obijt 5. Kalend. Octobris Anno Dom. Incarnat. 962. Ind. 4.

22. PAVLVS Abbas ſedit annos 24 Obijt venerabilis vir 16. Kal. Maij Anno Dom. Incarn. 981. Ind. 9.

23. IOANNES Abbas ſedit annos tres, menſ. 4. dies 10. obijt 3. Id. Iulij ann. Incarnatom. 984. Ind. 12.

24. ROFFRIDVS Abbas ſedit ann. 14. obijt 4. Kalend. Maij Anno Domini 1007. Indict. 5.

25. MARALDVS Abbas ſedit ann. 3. obijt 11. Kal. Decemb. anno Dom. Incarn. 1011. Ind. 9.

26. HILARIVS Abbas ſedit annos 32. menſes 11. dies 12. Hic venerabilis vir multis pollens virtutibus, præcipuè omnium matre plenus extitit charitate. Nam ciuis fuit Materæ vrbis, qui diuina vocatione adijt huius limina cœnobij præcipui Martyris Vincentij, & ex diuina gratia omnium fratrum electione ſanctæ iſtius Congregationis conſtitutus eſt Abbas, in animabus colligendis perfectus. Iſte priuilegium accepit à Domino Sergio IV. Papa, huiuſmodi.

Sergius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei.

Hilario venerabili Abbati ex Monaſterio Chriſti Martyris Vincentij & pro te vener. Monaſterio, tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum.

Cum magna nobis ſollicitudine cura inſiſtit pro vniuerſis Dei Eccleſijs, ac pijs locis vigilan. ne aliquam neceſſitatis iacturam ſubſtineat, ſed magis propria vtilitate ſi pendia conſequatur. Ideo conuenit nos Paſtoralis tota mentis integritate eorundem ven. locorum maximę ſtabilitatis integritate procura-

curare, & ſedulè eorum vtilitati ſubſidia illi conferre, & Deo noſtro Omnipotenti id quod pro eius Sancti Nominis honore, etiam ad laudem atque gloriam eius diuinæ Maieſtatis venerabilium noſtrorum etiam contulere locis, ſitque ac optabilem nobis, quæ ad eius locum pleniſſimam miſericordiam dignum, huiuſmodi pij operis in ſidereis arcibus cõſerant remunerationem. Igitur quia petiſtis à nobis, quatenus Monaſterium B. Vincentij Martyris ſitum ſupra fluuium, quod dicitur Vulturnũ in territorio Beneuẽtano partibus Samnię, vnà cum ſuis pertinentijs, & Monaſterijs, videlicet Monaſterium B. Petri Apoſtoli poſitum iuxta fluuium Sabbathi territorio Beneuentano, ſed & Monaſterium S. Dei Genitricis Mariæ in loco, qui dicitur *Loco ſano*, Item Monaſterium Saluatoris Domini Noſtri Ieſu Chriſti, quod poſitum eſt in Aliſe, nec non & Monaſterium in honore S. Mariæ ædificatum, videlicet in Territorio Marſicano loco Apinianici, porrò & Monaſteriũ S. Mauri intra Comitatum Atinenſem, etiam aliud Monaſterium S. Dei Genitricis Mariæ poſitum in territorio Pinnenſe in loco, quod Moſano dicitur; enimuerò & Monaſterium aliud conſecratum in honorem S. Dei Genitricis Mariæ in loco, qui dicitur *Duas Baſilicas*, Item & alia Cella S. Mariæ iuxta fluuiũ Trinio, quoniam quidem, & Cella S. Soſſij in Liburia, locuſque Pantano cum integro ipſo Vualdo pertinente ipſi Monaſterio S. Vincentij, quod habet fines de prima parte via antiqua, qui venit ad ducenta, qui decernit inter hæc, terra, ſeu Vualdo, & alia terra, & Vualdo, qui fuit prædicti Monaſterij, & terra alia ipſius Monaſterij, & qualiter demergit via antiqua, qui vadit ad ipſa piſcina iam dicti Monaſterij, & demergit via ipſa inter ipſas terras, & Vualdo iam dicti Monaſterij, & terra alia ipſius Monaſterij, quæ dicitur de Tortora, & terra de hominibus, qui ibi affines ſunt, & ſicut incipit ſuper ipſa piſcina, & qualiter reuoluit ſuper ipſa terra de eodem Vualdo, & eadem terra de Tortora, & vadit ad ipſum Pantano prædicti Monaſterij, & perrexit per ipſum Pantanum, & Silua, & palude vſque in ipſo frigido. De quarta verò parte fine iam dicto frigido, & iam dicto lanco etiã vna cum alijs Monaſterijs, & Cellis cum Caſis & Caſalibus, cum ſeruis & ancillis vtriuſque ſexus ibidem reſidentibus, vel cum omnia & in omnibus ſuis pertinentijs, tibi, tuiſque ſucceſſoribus Abbatibus, qui ibidem in tempore fuerint. Concedimus, vt ſub Iuriſdictione ſanctæ noſtræ, cui Deo auctore deſeruimus Eccleſiæ vobis attinendum nullius alterius Eccleſiæ iuriſdictionibus ſubmittantur. Pro qua re pijs deſiderijs fauentes, ac noſtra auctoritate quod expoſcitur, mancipamur. Et ideo concedimus vobis veſtriſque ſucceſſoribus Abbatibus licentiam Apoſtolicæ Sedis noſtræ, vt quamlibet Chriſtianitatẽ indigentibus in prædicto vener. Monaſterio,

A qualis Epiſcopus vobis ad inuitandum iure, volueritis, habendi poteſtatem omninò concedimus ad Eccleſias confirmandas, ſeu Abbatem conſecrandum. Etiam ſimiliter ordinationem de Subdiaconibus, & Diaconibus, ſeu Presbyteris per tempora faciendum, & de omnem gradum Eccleſiaſticum ibidem in tempore adimpleñ. Proteſtamur etiam nullus Epiſcopus exindè debeat Subdiaconum, Diaconum, ſeu Presbyterum ad ſuum concilium prouocare, niſi ſua fuerit voluntas, aut Abbatem, vel Monachum nullo modo iudicare, vel excommunicare. Volumus etiam & Apoſtolica iniungimus auctoritate vobis, veſtriſque ſucceſſoribus Abbatibus, qui ibidem in tempore præordinatus fuerit de qualicunque Eccleſia Sacerdos, vel Clerici

B venerint ad habitandum, aut in conuerſatione fratrum, ſiue Monachicum ſuſcipiendi habitum ſe contulerit, ſtatim recipiendi. Chriſma verò, & Oleum ſanctum à quali Epiſcopo vobis voluntas fuerit, impetrandi. Liceat ſemper & ſecundum, vt diximus, ſub Apoſtolicam noſtram poteſtatem, & omnem cuiuslibet Eccleſiæ Sacerdotem in præfato ven. Monaſterio ditionem quamlibet habere hanc auctoritatem, præter Sedem Apoſtolicam prohibemus, ita vt niſi ab Abbate Monaſterij fuerit inuitatus, nec Miſſarum ſolemnitatem, quiſpiam celebrare præſumat. Sententes Apoſtolica inſuper cenſura ſub diuini Iudicij obteſtationibus, & validis, atque atrocibus anathematis interdictionibus, vt nullus vn-

C quam præſumat quiſpiam alius cuiuſcumque dignitatis præditus poteſtate, vel etiam in eodem venerab. Monaſterio, vel eius cauſis incumbere, aut de rebus, & poſſeſſionibus, vel Eccleſijs ſubiectis, vel quidquid de his exindè ineſſe videtur quoquo modo auferre, aut alienare, nec quamlibet malitiam, aut iacturę moleſtiam ibidem ſiue pacis, ſiue barbaricis temporibus quoquo modo inferen. dum prę fatum perenniter, vt dictum eſt tam pacis, quam barbarici temporis firma ſtabilitate, decernimus ſub iuriſdictione Sanctæ Eccleſiæ noſtræ permanen. Promulgantes nempè & hac auctoritate B. Apoſtolorũ Principis coram Deo & terribili eius examine pro futuro

D per huius noſtri Apoſtolici priuilegij, atque conſtituti ſancimus, atque decernimus, vt loca quæ ab Abbatibus cuiuslibet, quæ vobis in eodem præfato ven. Monaſterio S. Vincentij Mart. commutata, vel etiam cõceſſa ſunt, nec non & alias locorum poſſeſſiones, quæ à Regibus, ac Ducibus, vel Caſtaldeis, vniuerſis Chriſtianis in eodem Sancto loco largita, atque oblata ſunt, aut in poſterum illic conceſſa fuerint, firma ſtabilitate iuri ipſius prę fati ven. Monaſterij exiſtenda, atque in perpetuum permanenda ſtatuimus. Nec licentia ſit, vt dictum eſt, & eius, vel omnibus eidem Monaſterio pertinen. cuiquam magnę, paruæque perſonæ auferre, aut præfato iuxta id, quod ſubiectum eiſdem ven. locis Apoſto-

liais conſtitutis, atque priuilegijs conſiſtat in concurrendum permaneat. Et liceat eoſdē Monachos de ſua Congregatione Abbatem ſemper eligere, & liceat ipſum Abbatem, qui fuerint ſuos iudicare Monachos non ſolùm virile Monaſterium, ſed etiam muliebre Monaſterium ſibi ſubiectum. Si quis autem, quod non optamus, nefario auſu præſumpſerit hæc, quæ à nobis ad laudem Dei pro ſtabilitate ven. Monaſterij ſtatuta ſunt refragare, aut in quoquam tranſire diſcilium, anathematis vinculo innodatus, & cum Diabolo, & eius atrociſſimis pompis, atque cum Iuda traditore Domini Noſtri Ieſu Chriſti æterno incendio concremandus deputetur. At verò qui pio intuitu obſeruaturum, & in omnibus extiterit cuſtodiens huius noſtri Apoſtolici conſtitutum ad cultum Dei reſpicientibus, benedictionis gratiam, vitamque æternam à miſericordiſſimo Domino Deo noſtro multipliciter cōſequatur, & vitæ æternæ particeps effici mereatur.

Scriptum per manus Benedicti Notarij Regionarij, & Scriniarij S. R. E. in menſe Februario Indict. 10. BENE VAL. Data 5. Kal. Martij per manus Petri Domini gratia, Epiſcopi S. Præneſtinæ Eccleſiæ, & Bibliothecarij Sanctæ Apoſtolicæ Sedis, Anno Deo propitio Pontificatus Domini Noſtri Sergij Sanctiſſimi IV. Papæ ſedente anno 3. Indict. ſupradicta decima.

Obijt autem venerabilis Abbas Hilarius poſt multa bonorum operum certamina 3. Kal. Octobris anno Dominicæ Incarnationis 1044. Ind. 15. cuius corpus ſacrum ante Eccleſiā Domini Saluatoris pretioſo ſepulchro locatur. de hoc venerabili Patre diuerſa miracula ſcripta reperimus, quædam etiam oculis noſtris vidimus, cum ad eius corpus plurimi ſanarentur diuerſis ægritudinibus.

27. LEVTPERTVS Teutonus ab Henrico Imper. conſtituitur Abbas huiuſce Monaſterij, ſedit ann. 7. iſte priuilegium accepit à Leone IX. Papa. Obijt anno Dom. Incar. 1053. 3 Kal. Aug. Ind. 6.

28. IOANNES genere Marſicanus Abbas ſedit ann. 22. menſ. 5. Hucuſque Chronica S. Vincentij. Propè finem Chronici alieno charactere nomina poſteriorum Abbatum aliqua deſcripta ſunt.

29. AMICVS Monachus, & Abbas Sancti Vincentij ab Vrbano II. Papa anno 1090. creatus eſt Presb. Cardinalis tit. S. Crucis in Hieruſalem, qui obijt ſub Calixto II. pridie nonas Ianuarij, Caſini. ex Calendario eiuſdem Cœnobij.

30. IOANNES eligitur 5. Ianuarij, ſucceſſit Amico. Raynaldus cuius in Calendario Montis Caſini notatur dies obitus Raynaldi 17. Kal. Aprilis. obijt D. Raynaldus Abbas S. Vincentij.

IOANNES Abbas.

GERARDVS.

ODIRICVS.

ELIAS Abbas vixit temporibus Anaſtaſij IV.

PLACIDVS.

NICOLAVS de ordine Minorum ſedente Cœleſtino Papa V. anno 1294.

N. de Aquino.

PETRVS de Cerro huius Monaſterij Monachus.

NICOLAVS de Franchis Monachus Caſinenſis, hic Decretorum Doctor fuit anno 1299.

GREGORIVS de Muſellelo Monachus Caſin. obijt pridie nonas Auguſti.

D. GREGORIVS Sacerdos, & Monachus Abbas S. Vincentij de Vulturno, ita Calendarium Caſinen.

IOANNES de Valle Monachus S. Martialis Lemouicenſis Decretorum Doctor.

ANGELVS de Rocca.

GVILLELMVS de Volta.

IOANNES.

THOMASIVS.

DONATVS de Tocco.


VRSVS de Vrſinis Epiſcopus Theanenſis obijt 1471.

S. CAROLVS Borromeus fuit huius Cœnobij Abbas Commendatarius.

CÆSAR Coſta ex ceſſione S. Caroli à Pio Quinto Monaſterij Sancti Vincentij factus eſt Abbas Commendatarius, qui ad calcem Chronici quintum & ſextum librum addidit, & poſteriores Abbates breuiter quidem, vt vides à nobis exſcriptis.

CAMILLVS Caietanus Antiochenus Patriarcha fuit huius Cœnobij Commendatarius Abbas.

Hactenus de Vincentinij Cœnobij apud Vulturni fontes in hac Diœceſi Iſernienſi conſtructione olim celeberrimi, cuius hodie vix nomine celebratur; Et ad Epiſcopos noſtros Aeſernienſes reuertamur, vnde digreſſi fuimus.



7. BONIFACIVS Aeſernienſis Epiſcopus fuit anno 758. poſt hunc ſpatio fere annorum

norum centum Epiſcoporum huius Sedis nomina & acta deſiderantur.

8. LANDVS vixiſſe aſſeritur in dipycis huius Eccleſiæ anno 946. fortè idem quem anno ſequenti vna cum ipſa Aeſernienſi ciuitate perijſſe ſcriptum reliquit Leo Oſtienſis in Chronic. Caſsin. *Cum annus ab Incarnatione Domini octingenteſimus quadrageſimus ſeptimus volueretur, tam ingens terræmotus per vniuerſam Beneuenti fuit regionem, vt Iſernia ferè tota à fundamentis corrueret, multuſque ibi populus & ipſe cum eis eorum Pontifex interierit: Apud Monaſterium quoque S. Vincentij terræmotus idem plurimas domos euertit.* Idem narrat Chronic. S. Vincentij, Sigonius, Baronius, Marius Frizia, & cum ijs Ammiratus.

9. ARDERICVS Aeſernienſis Epiſcopus florebat anno 964 in cuius gratiam Paldolfus, & Landolfus Longobardorum Principes, integram ciuitatem Aeſerniæ Landolfo Comiti dono dederunt cuſo diplomate, quod ſanè dignum nobis viſum, quod hic exſcriberetur, cuius exemplar literis Longobardis ſcriptum, magnoque cereo ſigillo obſignatũ in Canonicorum Aeſernienſium tabulario aſſeruatur.

In nomine Domini Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti Dei æterni. Paldolfus, & Landolfus diuina ordinante prudentia Longobardorum gentis Principes.

Cum principalis excellentia petitione dilecti ſui petentis clementer fau. Igitur nouerit omnium fidelium noſtrorũ præſentium ſcilicet, ac futurorum ſolertia, quia Ardericus Vener. Epiſcopus obſecrauit noſtram excellentiam quatenus concederemus & confirmaremus Landolfo Comiti dilecto fratri noſtro filio quond. Landenolfi Thio noſtro integram Ciuitatem Aeſernienſem cũ tota pertinentis ſua per has fines. De prima parte à vertice de Monte Maſeto & directè per ipſe ſere in vertice de monte Zanniprande. Et deinde quomodo venit in Serra de Colle petroſo ſilue ipſe atque per eadem loca deſcurren. aliç contra prędic. Aeſerniæ, & aliç contra Boclania & ab inde quomodo incipitur ipſe mons qui eſt ſuper vallem frigidam & ſilua vadit per verticem ipſius montis vſq; in Macele qui dicitur de godini. De ſecunda parte à Macele qui dicitur de godini, vſque in fluuio qui dicitur Trinia maiore, & deinde in Serra de Monte capraro vbi ficta fuit ex antiquitus columna marmorea, quæ finis fuit de iam dicto Comitatu Yſernino, & deinde quomodo pergit ipſa Serra de iam dicto monte capraro & peruenit in Monte Rendenaro, & vadit vſque in Salectu, vbi ſimiliter ex antiquitus ficta fuit columna marmorea quæ finis fuit de iam dicto Comitatu, & ab iſde quomodo vadit in fluuio Sangro. De tertia parte quomodo aſcendit ipſo fluuio Sangro & directe per ipſa via ſcilicet antiqua vſque in riuo qui dicitur merdaro, & quomodo mittit ipſe riuo in fluuio Vulturno & deſcendente ipſo fluuio Vulturno vſque in loco vbi ei adiungitur fluuius qui dicitur . . . de quarta parte pro ipſo iam dicto fluuio . . . . vſque in Serra de monte vnde exijt eodem fluuio, & deinde in Serra de Campu ſolioli, & inde quomodo vadit in Campu, qui dicitur Secena, & inde aſcendente per ipſa ſerra vſque in verticem de iam dicto monte Mateto vſq; ad prima fine. De quibus petit à noſtra Excellentia, vt firmitatis apices illi exinde fieri iuberemus. Cuius petitionem exaudientes hos firmitatis apices illi exinde fieri iuſſimus. Per quos omnino ſancimus, & perpetua litera hauendum noſtris, & futuris temporibus concedimus, & confirmamus tibi ſupra nominato Landolfo Com. dilect. fratri noſtro & ad hæredibus tuis prædictam Ciuitatem Yſerniæ cum omnibus territorijs, & aquis ſuis per ipſe finis quæ ſuperius declarauimus cum Caſtellis, & vicis, & omnia intro hauẽti intra prædict. finis ad hauendum & poſſidendum & fruendum & dominandum vos & hæredibus veſtris. Ita vt à nullis ex noſtris Comitibus Caſt. Iudicibus, ſiue noſtris hæredibus haueatis de ea omnia quæ vobis ſuperius conceſſimus qualemcumque moleſtiam, aut contrarietatem, ſed ſemper vos hæredibus veſtris haueatis, & poſſideatis, & fruatis, & dominetis ea omnia quæ ſuperius legitur; & faciatis omnia quod tibi, vel ad hæredibus tuis placuerit, nemine vobis exinde in aliquo contraria ingerente. Quod ſi quiſpiam homo hanc noſtram cõceſſionem in quomocumque violare præſumpſerit, ſciat ſe vobis veſtriſque compoſiturus auri optimi puri libras centum. Et hæc conceſſio de qua licet continet firma permaneat in perpet. Vt autẽ hæc noſtra conceſſio pleniorem in Dei nomine obtineat vigorẽ, manu propria ſcripſimus, & ex anulo noſtro ſubter iuſſimus ſigillare. *Signum Domini Paldofi, & ſignum Domini Landolfi excellentiſſimi Principes.*

Adelrbitu Scriba ex iuſſione ſupradicta poteſtatis ſcripſi. Dat. I. I. I. nonas Magias anno vigeſimo primo Princip. Domini Paldolfi, & quinto anno Princip. Domini Lando glorioſis Principibus Indictione ſeptima, actum in Ciuitate Capuana.

Scriptum eſt hoc diploma, vt diximus anno 964. qui rectè incidit in Indictione ſeptima, & in annis principatus Paldofi, & Landolfi Beneuentanorũ, & Capuanorum Principum; Arderici vero Epiſcopi memoria extat lib. 4. Chronic. S. Vincentij de Vulturno anno 975.

10. GERARDVS conſecratus eſt Aeſernienſis Eccleſiæ Epiſcopus ab Adenulpho Capuano Archiepiſcopo anno 1032. à quo poteſtatem accepit in Venafranæ, Boiouanæque Eccleſijs tunc ſimul cum Aeſernienſi vnitis, vt in documento eiuſdem Adenulphi ſcri-

ſcriptum, cuius exemplar ab ipſo originali, quod extat in Canonicorum tabulario, hiſce eſt conceptum verbis.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Trigeſimo, ſecundo anno Principatus Domini Pandulfi, & vigeſimo nono anno Principatus Domini Paldolfi filij eius glorioſis principibus ac primo anno principatus Domini Landolfi glorioſi principis filij eiuſdem Domini Paldolfi, & nepos ſuperioris dicti Pandolphi Magni & excellentiſſimi Principis. Menſis Octobris primæ Indictionis, Nos Adenulphus diuina gratia humilis Antiſtes Sancti Protomartyris Stephani & . . . . . . Sanctæ Capuanæ Eccleſiæ. Omnibus fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ cognoſcere cupimus. Quod conſecrauimus Præſulem Gerardum venerandum virum in Eccleſia Sancti Petri Apoſtoli, quæ conſtructa eſſe videtur in ciuitate, & Comitatu qui dicitur Iſernienſis, quæ ſubiecta eſſe videntur à ſuo Paſtore. Vnde nunc per precata ſacerdotum ſeu leuitarum, ac clericorum eiuſdem Eccleſiæ Sancti Petri Apoſtoli, conſecrauimus Præſulem eorum iam ſupradictum Gerardum confratrem noſtrum gubernandi ac regendi prædicta Eccleſia cum omnibus ſuis Eccleſijs, ſiue Monaſterijs infra eadem Comitatu Iſernienſis, & Comitatu Venafrano, & infra Comitatu Boioanenſis, & in tota terra pertinentes Monaſterij S. Vincentij. Sic concedimus vobis omnes Eccleſias quæ conſtructæ ſunt, & quæ in antea conſtruendæ ſunt in prædictis Comitatibus per hos fines. A ciuitate Irenenſi vſque in Sangru, & quomodo coniungitur cum Comitatu Treuentinu, & qualiter vadit vſque in Biſinum. Infra verò hos fines, & in directiones per hoc noſtrum roboramus præceptum, concedimus tibi quoque inſuper Gerardo Ven. Epiſcopo confratri noſtro integram ipſam Eccleſiam Sancti Petri Apoſtoli, quæ eſt caput ipſius tui Epiſcopatus vna cum ipſa indilata Diœceſim, & cum omnibus Eccleſijs & Monaſterijs, ibidem modo habentibus, vel quod adhuc in antea conſtrui debentur pro ſua auctoritate quouſque vixeris. Ita vt per hoc noſtri priuilegij præceptum ſit tibi conceſſum certis temporibus facere in eadem Diœceſi ordinationem dierum ieiuniorum primi, quarti, ſeptimi, & decimi menſis ſacerdotum & leuitarum, ſiue reliquis ordinibus Clericorum, ſiue conſecrare ibidem Eccleſias, vel altaria, ac, reliquis omnibus officijs Eccleſiaſticis quicquid neceſſe habentur. Et excommunicare populos pro certa & approbata culpa. Sed ſemper prouideas, qui ſunt illi quos ordinare debeteis in Eccleſiaſticum honorem. Et per hoc noſtri priuilegij præcepi poteſtate ſic vobis conceſſas omnes res veſtræ Eccleſiæ mobiles, vel immobiles cultū, vel incultum ad tenendum vel dominandum omnibus die-

A bus vitæ veſtræ vt ſic illum rogetis quaſi proprium veſtrum commendantium, vt poſt mortem vitam perhennem accipiatis ſi illud inreſragabiliter gubernetis. Conſilij vero ordine tibi concedimus ad faciendum vna cum noſtro miſſo vel auctoritate, vna cum plebe Dei Chriſtiana de tua Diœceſi ſemel in anno, id eſt aut poſt Sanctam Pentecoſten, aut in Octobris menſe, quo tempore volueris ad exquirendas actiones fratrum, quas illi egerint in ſanctis operibus, ſiue ne fortaſſe pullulet iniqua peſtis hereticorum in Chriſtianis fratribus, vt eliminata omni ſpurcitia de eorum cordibus iuſtè & piè cum illis conuerſare. Iterum damus vobis in mandatis, vt omni tempore veniatis, quando nobis neceſſum eſt peragere cauſa ordinis Eccleſiaſti-
B ci, & noſtrum miſſum honorifice recipiat, & ſine omni mora veniatis. Et quiſcunque nobiſcum conſentiens fuerit noſtris dictis huius noſtri priuilegij ſit benedictus à Deo, & habeat participationem cum Domino noſtro Ieſu Chriſto in cæleſtibus regnis Amen.

Ex iuſſione autem prædicti Sancti Antiſtitis ſcripſi ego Thomas Diaconus & ſcriba ipſius ſanctæ dictæ Eccleſiæ & in ſacratiſſimo eius palatio, & in annis viginti & ſex Archiepiſcopatus eius in menſe Octobris & in ſupradicta Indictione. Data in ſextodecimo Kal. Nouemb.

Ego Landulfus Archidiac. conſenſi & ſubſcripſi.
Ego Ioannes ſcriba & Primic.
C *Ego Beneuentus Leuita & Primicerius.*
Ego Martinus Presb.
Ego Ioannes Archidiac.
Ioannes Subdiac. conſenſi & ſubſcripſi.
Ego Iaquintus Epiſcopus.
Ego Ioannes Subdiac. Bene valete.
Ego Ioannes Diaconus conſenſi & ſubſcripſi.

11. PETRVS Rauennatenſis Monachus Caſſinas Aeſernienſis & Venafranus Antiſtes adlectus eſt à Nicolao II. anno 1059. interfuit conſecrationi Eccleſiæ Caſſinenſis anno 1071. ſubſcribitur Bullæ Alexandri II. eodem anno. *Ego Petrus Venafranus Epiſco-*
D *pus*. Cuius mentio in monumentis habetur ad annum vſque 1080. Eius etiam meminit Leo Oſtienſis in Chronic. Caſſin. lib. 3. cap. 14. ac Rubeus in Hiſt. Rauen.

12. LEO Aeſernienſis & Venafranus Antiſtes fuit anno 1090. de quo Chronic. Caſſin. lib. 4. cap. 8. Quo Præſule anno 1092. Comes Rodulphus de Molitio obtulit Caſſinenſi Cœnobio Eccleſiam S. Crucis cum Monaſterio in Conuentu Iſernienſi, ita ex veteri documento.

Anno 1092. Rodulfus cognomine de Molitio Comes Prouinciæ Biuinianenſis fil. quond. Guiſmundi & Emina de rebus meis proprijs quas teneo ex conceſſione Richardi

Ca-

Capuæ principis, & post decessum eius domno etiam d. Iordani præfata ciuitatis principis; qui ambo principatum suum ex dono & munimine Papæ, nec non & Imperatoris tenuisse noscuntur. Rodulfus igitur Comes pater Vgonis Comitis & Roggery, & Roberti Principis, qui est filius Roberti filij eius, qui Robertus obtulit vt & Rodulfus alius filius eius, & etiam alius fil. Vuilelmus & filiarum suarum Adelsezæ & Beatricis & vxoris ipsius com. R. de Mol. Alferadia offert Ecclesiam S. Crucis & Monasterium Comitatus Ysernia ciuitatis super locum qui Peteta dicitur Fratres etiam Rodulfi Donatoris st. Robertus, Vgo, Antonius, Guisimundus, Alasius, Arostaynus ante præsentiam D. Leonis Iserniensis Episcopi, & Ioannis Vicecomitis Iserniens. offert etiam Castrum Valneum cum pertinentijs suis, quod Rodulfus dictus Comes pretio auri & argenti duo mill. sexcentorum tarenorum moneta Amalfitana emit à quodam milite nomine Bernardo, &c. Preter hanc memoriam, nulla alia de Leone reperitur, qui sub Paschali II. diem suum obijt.

13. MAVRVS Aeserniensis, & Venafranæ Ecclesiæ fuit Episcopus, hic testis fuit vna cum Bernardo Boionensi Episcopo cuiusdem donationis eidem Cœnobio Cassinensi elargitæ anno 1105 ab Vuuone Comite filio q. Comitis Radulis de Molitio fratre Rogerij Comitis. Idemque subscripsit diplomati Sennetis Archiepiscopi Capuani pro Suessana Ecclesia anno 1113. Idem Maurus anno 1123 memoratur in quodam instrumento Archiuij Rauellensis funiculo 1. lit. A. num. 3. *Mense Aprilis 8. Ind. in ciuitate Isernia Guido meles filius quondam Vrsi Amalphitani filij q. Sergij Arcutiæ habitator in Ciuitate Isernia in præsentia Domini Mammonis Iudicis vendidit Domino Mauro Iserniens. atque Venafrano Episcopo pro vno equo, & vna mula omnes res ex præfatis genitoris sui successione, &c.*

14. RAYNALDVS Aeserniensis & Venafranus Episcopus Lateranensi Concilio sub Alexandro III. interfuit anno 1179. vbi subscribitur Episcopus Venafranus: Hic a Lucio III. anno 1182. insigni priuilegio est exornatus, in hunc modum ab originali quod extat in tabulario Aeserniensis Ecclesiæ.

Lucius Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabili Fratri Rainaldo Iserniensi Episcopo, suisque successoribus substituendis in perpetuum.

In eminenti Apostolicæ Sedis specula disponente Domino constituti fratres, & coepiscopos nostros tam propinquos quam longe positos fraterna debemus charitate diligere, & Ecclesijs quibus Domino militare noscuntur suam iustitiam conseruare: Eapropter, Venerabilis in Christo frater, tuis iustis postulationibus clementer annuimus, & Iserniensem Ecclesiam, cui Deo auctore præesse dignosceris ad exemplar felicis recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus, statuentes, vt quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum iuste, & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, & largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, vel alijs iustis modis, præstante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis, terminos, & fines tui Episcopatus, quos nunc pacifice nosceris possidere, secundum quod incipiunt à flumine Vulturni propè vbi se coniungit cum fluuio Sesti, & extenduntur per Castrum Mastralis, & Castrum Zurlani, & Castrum Capriatæ, & Castrum Fossæcecæ, & per montana Castrum Gualdi, Felesti, & Castrum Pizanti, & Castrum Pestorani, & Castrum Carpinonis cum Sancto Marco, & Castrum Sexano, cum Sancto Benedicto, & per montem Rosini assurgit Castrum Periculi, & Castrum Montis Nigri, & Castrum Rocchæ Siconis, & Castrum Forunli, & extenditur per terram Sancti Vincentij, & per montem Alze ad Porrellæ, vnde oritur Melerinum, & distendi tent vsque in finem de terris & siluis & montibus Monasterij S. Benedicti, & iterum extenditur per fines territorij & siluarum, & montium supradicti Monasterij, & per verticem montis Aquilonis, & Sanbuculi vsque in forum S. Martini, & per verticem Montis Cesino, & destenditur in vadum Franciscum de ipso Fluuio Secti, & descendunt in ipso flumine Vulturni, qui est prima finis. In Sesto Plebem S. Eustachij. In Mastralis Plebem S. Ioannis, in Torcino Plebem S. Mariæ, In Capriata Plebem S. Mariæ, In Capperellis Plebem S. Ioannis, In Camposacco Plebem S. Ioannis, In Monte Odonis Plebem S. Angeli, In Gualdo Plebem S. Angeli, In Falesto Plebem S. Mariæ, In longono Plebem S. Bartholomæi, In S. Agapito Plebem S. Nicolai, In Riperta Plebem S. Saluatoris, In Pizzuto Plebem S. Agathæ, In Pestorano Plebem S. Mariæ, In Carpinone Plebem Sanctæ Mariæ, In Sexana Plebem S. Mariæ, In Fara Plebem S. Nicolai, In Monte Nigro Plebem S. Mariæ, In Roccha Siconis Plebem S. Leonardi, In Forulo Plebem S. Blasij, In Conestellis Plebem S. Laurentij, In Roccha Beraldi Plebem S. Nicandri, In Arniana Plebem S. Crucis, In Conuenla Plebem S. Angeli, In Meronda Plebem S. Nicolai, In Periculo Plebem S. Mariæ, In Ouano Plebem S. Mariæ, In Saxo Plebem S. Laurentij, In Valle Iampelli Plebem S. Mariæ, In Macchia Plebem S. Nicolai, In Rauindola Plebem S. Angeli, In Venafro Plebem S. Mariæ cum pertinentijs suis. In Roccha Venafri Ecclesiam

siam S.Crucis, In Roccha Peperoli Ecclesiam A S.Mariæ, In Monte Aquilo Plebem S.Mariæ, In Valle S.Locheri Plebem S.Mariæ, In Cerasolo Plebem S.Christophori, In Casali Plebem S.Ioannis, In Territorio Venafrano Ecclesiam S.Barbaræ, S.Nicandri, & S.Crucis, In Peperolo Ecclesiam S.Georgij, & S.Nazarij, In Campofacco Ecclesiam S.Andreæ, In monte Rodono Ecclesiam S.Nazarij, In Macchia Ecclesiam S.Mariæ, In Isernia Ecclesiam S.Viti, S.Agapiti, & Ecclesiam S.Saluatoris de Territorio de Exano, & Monasterium S.Mariæ situm infra Muros eiusdem ciuitatis Iserniæ, In Territorio Longanæ Ecclesiam S.Sepulchri, & S.Erasmi, In S.Agapito Ecclesiam S.Helenæ, In Gualdo Ecclesiam S.Nicolai, In Pizzuti Ecclesiam B S.Laurentij, & Ecclesiam S.Petri, In Carpinone Ecclesiam S.Mauri, & Ecclesiam Sancti Romani, In Sexanti Ecclesiam S.Angeli, & Ecclesiam S.Benedicti, In Miranda Ecclesiam S.Angeli, In Forulo Ecclesiam S.Petri, & Ecclesiam S.Honuphrij, & Ecclesiam S.Pancratij, In Monte Aquilo Ecclesiam S.Pauli cum tribus cappellis & pertinentijs earum. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfatam Iserniensem Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruare eorum, pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura. Salua C Apostolicæ Sedis auctoritate, & Capuani Episcopi debita reuerentia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentauerit, secundo, tertioue commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit potestatis, honorisque sui dignitate careat, ream per se Diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, & sanguine Dei, & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine Diuinæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini Nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iu- D dicem præmia æternæ pacis inueniant, Amen, Amen. Amen.

Ego Lucio Catholica Ecclesia Episcopus.

† *Ego Theodinus Portuensis & S.Ruffina Sedis Episcopus.*

† *Ego Henricus Albanensis Episcopus.*

† *Ego Petrus Presb. Card. S. Susanna.*

† *Ego Viuianus tit. S.Stephani in Calio Monte Presb. Card.*

† *Ego Laborans Presb. Card. S. Maria Transtyberim & S.Calisti.*

† *Ego Rainerius Presb. Card. SS.Ioannis & Pauli tit.Pamachij.*

† *Ego Vbertus Presb. Card. Eccl.S.Laurentij in Damaso.*

† *Ego Iacobus Diac. Card. S.Maria in Cosmedin.*

† *Ego Arditio Diac. Card. S.Theodori.*

† *Ego Gregorius SS.Cosma & Damiani Diac.Card.*

Datum Velletri per manus Alberti S.R.E. Presb.Card. & Cancellarij XIII.Kal. Aprilis Indic. 1. Incarnationis Dominica anno MCLXXXII. Pontificatus vero Domini Lucij Papa III. anno secundo.

Ex hoc priuilegio habemus vsque ad hæc tempora Venafranam Ecclesiam cum Aeserniensi fuisse coniunctam, quę paulo post dissoluta vnione suum recepit Pastorem.

15. DARIVS temporibus Innocentij III. itemque Honorij III. Aeserniensis fuit Episcopus, cuius prima mentio in monumentis habetur anno 1208. vltima vero anno 1221. sub quo natus est anno 1215. S. Petrus de Morone, postea Pontifex Max. sub nomine Cælestini Quinti.

16. THEDONVS Dario successit circa annum 1230.

17. HVGO vixit anno 1244.

18. NICOLAVS anno 1258. de eo etiam anno 1263.

19. Fr.HENRICVS de S.Germano Ord. Minorum ex electione Capituli ad hanc eandem sedem assumptus est anno 1267. eodemque anno à Pontifice Maximo confirmatur apud Vvadingum tom.2. Annal. Minorum; præfuit eximiè aliquot annis. Quo Præsule, ecclesiam nouam (neglecta priori S Stephani sacra, quam simul cum Monasterio inchoasse S. Franciscum dum regnum Neapolitanum lustrauit, illius populi fert traditio) sub inuocatione sui institutoris. Prope frontispicium templi egregie elaboratum, hæc visitur inscriptio. *Anno Domini MCCLXVII. sub tempore fratris Benedicti Min. actum est hoc opus.* Prius effusam campanam docent scriptę hę litteræ. *Magister Ioseph me fecit 1259.* Conseruata adhuc, absque necessario tamen vsu propter reuerentiam S.Francisci, prima Ecclesia, cuius præcipua ianua erat in ipso Vrbis muro, & cubiculum, in quo per aliquot dies vir sanctus requieuit. Recentior Ecclesia augustior est, & omnium illius Vrbis celebrior: frontem habet in præcipua platea atque hinc frequentissimum populi concursum. Adiunctum huic Ecclesiæ anno 1450. sacellum D.Antonij adeo amplum, vt integræ Ecclesiæ adæquet mensuram, & numerosæ seruiat Isernitnsium sodalitati. Hæc habet Vvadingus tom.2. Annal. Minorum.

20. MATTHÆVS florebat anno 1275.

21 ROBERTVS anno 1287. cuius extat memoria etiam anno 1389. in Cœnobio Monialium S.Claræ de Aesernia.

22. IACOBVS anno 1302.

23. PE-

23. PETRVS successor Iacobi hanc Sedem rexit ab anno 1307. ad annum vsq; 1330. quo mortem oppetijt: post cuius obitum Capitulum ad eam dignitatem delegit Conradum Rampinum Canonicum Aeserniensem, in eaque dignitate confirmatus ab Archiepiscopo Capuano, verum cum absente Nicolao Archipresbytero electio celebrata fuisset, tanquam vitio facta ad Sedem Apostolicam prouocauit electum, qui cum ibi moraretur antequam causa dirimeretur Conradus diem clausit extremum Auenione, vbi humatus fuit.

24. Fr. HENRICVS Ord. Minorum à Ioanne XXII. delectus est huius Ecclesiæ Præsul die 2. Iulij 1330. Nō diu Episcopus fuit cum ex hac mortali vita discesserit an. 1331. Eius in loco electus est à Capitulo Cathedralis quidam Fr. Ioannes de Conçiuis, eiusdem Ord. Minorum alumnus, quem iam consecratum ab Archiepiscopo Capuano idem Ioannes Papa repudiauit, ac sequentem substituit Episcopum, ipsum vero fratrem Ioannem paulo post Caluensem declarauit Episcopum.

25. GVILLELMVS Episcopus Ciuitatis Castelli in demortui Henrici locum Aeserniensis declaratus est Antistes die 15. Octobris 1332. ex Regest. Vatic. apud Vuadingum.



26. Fr. PHILIPPVS Romanus Ordinis Prædicatorum ex stirpe Ruffina non ignobili, clarus scientia, Theologus, & verbi Dei declamator illustris ex Pœnitentiario Vaticanæ Basilicæ Aeserniensis adlectus est Episcopus ante annum 1348. eo enim anno iam erat Episcopus, vt in Epitaphio Luciæ matris eius legitur Romæ in Ecclesia S. Ioannis de Pigna in hæc verba. *Hic requiescit corpus nobilis Dominæ Luciæ de Magistris Lucæ vxoris quondam D. Iacobi Petri Angeli Rufini, & matris Domini Fratris Philippi Dei gratia Episcopi Iserniensis. Obijt anno Domini MCCCXLVIII. mensis Maij die 4.* Hic dignissimus Præsul multorum sibi Pontificum gratiam comparauit, & cum Aeserniensem Ecclesiam fere per viginti annos summa pietate rexisset ab Vrbano V. translatus est ad Tiburtinam Ecclesiam 6. Id. Decemb. 1367. ab Vrbano vero VI. cum custos Conclauis ex parte Romani Populi fuisset, dum ille ad Pontificatus apicem euasisset, in prima Patrum creatione anno 1377. inter Cardinales ascriptus est ad titulum S. Susannæ, & anno sequenti per totam Italiam Apostolicus Legatus destinatur, Pisis primum, deinde Lucæ, postremo Romæ è sacro suggestu disertissime concionatus est, Vrbanique causam fœcundo ore confirmauit, eiusque in fide Italicos populos nutantes retinuit, Clementem VII. tanquam adulterinum Pontificem oppugnare totis viribus sategit. Romæ obijt vir doctissimus sub eodem Vrbano VI. post annum 1380. humili loco ad S. Sabinam in monte Auentino sepultus. Scripsit in lib. 6. Physicorum Aristotelis cōmentaria. Hunc perperam habet Ciaconus Cardinalem adlectum fuisse ab Innocentio VI. cum clare constet ab Vrbano VI. ad eam dignitatem assumptum fuisse, quem iterum sub Vrbano eodem reponit sub cognomine de Geza, tametsi è familia Rufina natus ille fuisset.



27. Fr. PAVLVS de Vrbe Ord. Minorum successor datus est Philippo ad Tiburtinam Ecclesiam translato eodem anno 1367. ac die 6. Idus Octobris, nouem omnino annos hanc Aeserniensem rexit Ecclesiam, eoque munere se absoluit anno 1376. ac deinde ab Vrbano VI. translatus est ad Archiepiscopalem Sedem Montis Regalis in Sicilia die 13. Febr. 1379. Varia deinde fortuna in ea dignitate vixit ad annum vsque 1418. quo à Martino V. ad Thessalonicensem Ecclesiam translatus est, antea Tebanam habuerat commendatam; vt in lib. obligat. obseruauimus. De quo in Archiepiscopis Montis Regalensis Ecclesiæ redibit sermo.

28. NICOLAVS immediatè successit Fratri Paulo anno 1376. incertum quo anno ac die obierit.

29. CHRISTOPHORVS de Maronibus

bus

bus Romanus Aeserniensis Episcopus erat anno 1390. cum à Bonifacio IX. Presb. Card. tit. S. Cyriaci in Thermis creatus est, simulq; A rchipresb. S. Petri euasit. Romæ mortalitatem expleuit sub Innocentio VII. anno salutis 1404 pridie Nonas Decemb. sepultus in Vaticana Basilica propè ædiculam S. Thomæ marmoreo sepulchro muro affixo cum hac inscriptione.

Qui legitis carmen lacrymabile fundite fletus,
Fundite, & hoc multis lacrymis ornate sepulchrum.
Maxima Cardinei cubat hic nam gloria cœtus
Corpore Christophorus, sed spiritus insidet astris.
Fixus Apostolica per tot fluctantia cymbæ
Naufragia Ecclesiæ fuit, & tunc tramo salubris
Multiplici virtute nitens, & amator honesti
Vir erat, electio cui tanti ad culmen honoris.
Nominis alme tui titulum Cyriace dedisti
Anno Domini. MCCCCIV.

30. DOMINICVS Abbas SS. Bonifacij & Alexij de Vrbe ad hanc Ecclesiam fuit adlectus 2. Kal. Martij 1390. ex lib. obligat.

31. ANDREAS Episcop. Aeserniensis transfertur ad Potentinam Ecclesiam ann. 1402. 6. Non. Octob. euasit deinde Episcopus Caiacensis 1407. ex eodem lib.

32. ANTONIVS Insulanus Episc. ad hanc Ecclesiã translatus est 6. Non. Octob. 1402. factusq; est deinde Tarracinẽsis Episc. an. 1404.

33. NICOLAVS jàm antea Episcopus Caietanus ad hanc eandem Sedem translatus est 2. Id. Maij 1404. obijt sub Ioanne XXIII.

34. LVCILLVS Aeserniæ Episcopus reperitur anno 1414. in monumentis eiusdem Ecclesiæ fortassis à Gregorio XII. creatus.

35. BARTHOLOMÆVS de Pardo Canonicus Ostiensis ad hanc Ecclesiam promotus est à Ioanne XXIII. in defuncti Nicolai locum anno 1415. 5. Kalen. Febr. Obijt sub Martino V.

36. IACOBVS de Monte Aquila Clericus Venafranus eligitur Episcopus à Martino V. anno salutis 1418. 5. Kal. Iulij sub datum Geben. ann. Ponti. 1. ex lib. Prouis. Præfat. cuius Præsulatus temporibus Aeserniæ ingenti miserabilique terræmotu quassata pene tota corruit. in ruinis Iacobus Deo miserante, illæsus inuentus, Ecclesiam deinde Cathedralem, & Episcopium reparauit, & cũ quinquaginta annos rex isset perbelle diem suum obijt anno 1469. sepultus in Cathedrali. Porro inter monumenta Canonicorum vnum reperitur, quod miserabile Ciuitatis excidium illud enarrat, in hæc verba: *Anno Domini 1456. 5. Indict. in nocte S. Barbaræ V. de mense Decembris in 11 hora noctis venit ingentissimus & potentissimus terræmotus, & ita magnus, quod non habetur memoria antiquior, & non auditum fuit, talia ab initio mundi passa ab hominibus habitantibus in Regno isto Siciliæ, ita tamen, quod dictus terræmotus magnus fuit, præsertim in Comitatu Molisii, & in partibus Beneuentanis, & destruxit omnes Ciuitates, & Castra per totũ, & mortui fuerunt, & relatum fuit in Regno prædicto fere quadraginta hominum millia in nocte illa. & alij qui vixerunt veluti erãt sub lapidibus vulnerati, & percussi. Plagæ tamen non erat circumligata, nec fota oleo, & manebant corpora mortuorum super terram, & non erant qui sepelirent. Omnes stabant stupefacti, & timidi præ timore magno. Et Ciuitas nostra Aesernia totaliter fuit ruinata, & conquassata, & omnia ædificia à maiore vsque ad minus proiecta in terram, & Templum Domini cultus totaliter fuit ruinatum & conquassatum, & aliarum Ecclesiarum præfatæ ciuitatis nulla remansit incolumis. Nec non in dicta Ciuitate mortui fuerunt præ magno terræmotu in illa nocte circa octingenti homines. Illi autem qui remanserunt, erant pleni cicatricibus, vulnerati etiam pro maiori parte reclusi sub lapidibus pro magna ruina terræmotus. Mane autem facto, omnes illi, qui viuebant, exierunt de ciuitate eo quod timebant, ne suffunderetur propter continuationem terræmotuum, postmodũ quod terra erat ita desolta,* & *deuastata, nullus audebat stare, vel morari in ea præ timore magno. Præterea præfata ciuitas succensa fuit in ruinatione domorum in sex partes, & combusta, seu cremata fuerunt multa corpora mortuorum. Inposterum venerunt forenses, & Castrenses, qui erant in circuitu nostro, & abstulerunt omnia suppellectilia, nostram pecuniam, aurum & argentum & cætera cuncta bona restantia. Regnabat tunc in diebus illis Rex Alphonsus de Aragonia Siciliæ citra & vltra.* Hactenus monumentum. De eodem terræmotu diffusè scribit S. Antoninus in Histor. Obijt Iacobus anno 1469.

37. CAROLVS Setarius Neapolitanus ex Abbate S. Ioannis in Flore eligitur huius Ecclesiæ Episcopus anno 1470. prid. Idus Ianuarij. Hanc dignitatem cum laude sustinuit quindecim omnino annos, fato cessit Ferdinandi Primi Regis à consilijs anno 1486.

38. FRANCISCVS de Adamo Lucanus de Cuccharo vir doctus vnusque ex Consiliarijs Regis ad hunc Episcopatum promotus est ab Innocentio VIII. anno 1486. die 10. Aprilis Carolo successit. Vita autem functus est anno 1497. sepultusq; est in Cathedrali vbi in marmoreo lapide hæc incisa verba leguntur.

Fran-

Francisco Adamo ex Lucanis, doctrina & pietate insigni Episcopo Iserniensi Gaspar Adamus artium & medicinæ doctor Fratri benemer. ac sibi & posteris, hoc sacellum cum sepulchro sua impensa faciendum curauit.

39. CONSTANTINUS Castryotus cl... Regum Epirotarum stirpe genitus, cuius parens Ioannes illius Schanderbech inuictissimi Principis filius fuerat, ob pulchras eius animi dotes ab Alexandro VI. officiosè dilectus, Episcopusq; huius ciuitatis creatus est anno 1498. ad tres annos sapientissime munus sibi commissum expleuit. Neapoli moritur anno 1500. & in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Noua nobili marmoreo tumulo sepelitur à paterna auia Andronica Cominata Schanderbech constructa cum hac inscriptione.

D. O. M.

Constantinus Castryotus hic tegitur sanguine & cognatione Regia & Cæsarea clarus, morum candore insignis, dignitate Pontifex Aeserniensis, dum probe viuit intempestiue moritur. Andronica Cominata paterna auia nepoti optimo posuit.

A. M. D.

40. IOANNES Oliuerius Aeserniensis declaratus est Episcopus anno 1500. decem omnino annos in hac dignitate vixit Romæ mortuus est anno 1510.

41. MAXIMUS Coruinus Neapolitanus, maxima virtute & eruditione vir longe clarissimus Ioanni successit, die 13. Octobr 1510. Nuntiusque Apostolicus à Iulio II. statim missus est ad Rempublicam Venetam, à Leone reuocatus, maximeque adhibitus negocijs Lateranensi Concilio interfuit, vltimamque sessione elegantissime perorauit die 16. Martij 1517. quæ excusa est in Conciliorum tom. 4. Aliæ item orationes ciuildem inueniuntur ... issimæ. Eius meminit in Epist. Sannazarius, cuius erat amicus & g... similis ad amandos res literas inclinato Sub Leone X. Papa Neapoli Nuncius fuit, tandem post trigintanorum curriculũ pro Romana Ecclesia exanthlatos labores vir dignissimus Aeserniæ obijt anno 1522. in Cathedrali humatus, hoc ad tumulum legitur distichon.

Maximus in parua Coruinus clauditur vrna
Parthenopeius, qui hac Præsul in vrbe fuit.

42. Fr. CHRISTOPHORUS Numalius Foroliuiensis Ord. Minorum de Obseruãtia Generalis Minister à Leone X. S. R. E. Card. creatus anno 1517. ab eodem defuncto Coruino, Aeserniensis Episcopus pronunciatus die 20. Septemb. 1522. quam Ecclesiam ann. 1524. ad fauorem nepotis sui resignauit. Commendatum item habuit Alatrinum Sacerdotium, ... & Regiensem in Gallia Anconæ decessit 10. Kal. Aprilis 1528. de quo vide additiones nostras ad Ciaconum, & doctum Vuadingum tom. 8. Annal. Minor.

43. ANTONIUS Numalius Foroliuiensis Cardinalis superioris ex fratre nepos, eidemque in Episcopatu successit die 19. Decembr. an. 1524. Hic Fa... um Cathedralis erexit, Canonicorum suorum Collegium plurimum iuuit, eidemque plura donauit, seditq; summa sui nominis fama ann. 42. eoq; munere se exsoluit anno 1567. senioque confectus postero anno in patria diem clausit extremum, & in maiorum suorum sepulchro sepelitur.

44. IO. BAPTISTA Lomellinus Rhodius genere natus Messanæ in Sicilia Petro & Argentea parentibus die 8. Octobris 1528. ... aduæ iuris ciuilis cum Iacobo fratre germano postea Archiepiscopo Neopatren. Lauream suscepit, ad Episcopatum Guardiēsem translato Iacobo fratre ad Mazariensem Ecclesiam, euectus, Concilio Tridentino interfuit, sub Pio V. ex Referend. Vtriusque Signat. euasit Aeserniensis Episcopus die 17. Martij 1567. Præfuit summa nominis sui celebritate ann. 33. E viuis sublatus est non absq; veneni suspicione die 22. Nouemb. 1599. & in Cathedrali sepultus.

45. PAULUS de Curte nobilis Neapolitanus Io. Andreæ Regij Cõsiliarij filius, Clericus Regularis ex Episcopo Rauellensi ad ...anc Aeserniensem Ecclesiam translatus ... die 20. Martij anno 1600. à Clemente VIII, ... quo par... an ea Vrbis Vicesgerēs fuit. Sedit in hac Ecclesia vir laudatissimus ann. 6. ac ... bere onus d... posuit, Beneuentanæ Vrbis, Spoletani Ducatus præfectus, ac Liberianæ Basilicæ Vicarius ... sedente: sub Gregorio XV. iterum Vicesgerens in Vrbe; Romæ decessit ... 1619. ... morum integritate, prudentia, scientia omnium peritia ... literis, ... quem ... pede varijs rebus doctissime ... item, non absque admiratione, at... ue animi can... m existimamque ... tute ... sum veneratus. Hic cum germanis fratribus parentis memoriam excitauit Neapol. in maiorum sacello ad S. Seuerini, vbi iacet in hunc modum.

Io. Andreæ Modesti F. de Curte
Non minus gentilitio stẽmate quã vitæ
sanctitate Illustri, Iureconsulto
insigni
A Carolo V. inter Regios Consilia-
rios adlecto
A Philippo filio in sacri Con cilij
Præside
Ac pro magno Protonot.
Sui Ordinis semper Principi, & ad
maiora merito adscito
Quam adepto
Marius sacrar. literarum interpres, &
concionator apud Hispaniarum
Regem
Camillus supremo Italiæ consilio
Regens
Scipio Regius consiliarius Francisci
fratris successor
Fr. Thomas Eques Hierosolymit.
Lelius Cappellanus regius,
Paulus Aeserniensis Episcopus filij
Parenti Opt.
Pietatis ergo PP.

C

45. ALEXIVS Geromaoddius Interamnensis celebris Iurisconsultus, multisque Præfecturis clarus à Paulo V. datus est successor Pauli die 25. Aprilis 1606. Vix quintum annum sui Episcopatus inchoauerat, cũ Romã peteret apud S. Victorem Tabellionem offendit, qui ei ex Vrbe litteras afferebat, in quibus perlegendis, equus timore excitatus, Episcopum in terram proiecit, percussoque ceru ce non multo post eodem in loco expirauit die 6. Augusti 1611. eius cadauer ad Cœnobium Cassinense delatum, in Capitulo honorifico tumulo conditum fuit.

D

47. MARCVS ANTONIVS Genuensis Neapolitanus Roberti filius. Canonicus antea Neapolitanus, celebris Vtriusq; Iuris Doctor M[illegible]s Marrani Episcopus ad [illegible]serniensem [illegible]clesiam transl[illegible]tus est à Paulo V. die 26. Septembris, scripsit Praxim Archiepiscopalis Curię Neapolitanę Manuale Pastorũ, Practicab[illegible]ia Eccl[illegible]astica, Pauperum Aduocatum [illegible] Petri Nauiculam, pluraque alia [illegible] viuac[illegible]mi ingenij monumenta poster[illegible]s reliquit, quæ passim teruntur à doctis, Profuit ac præfuit gregi sibi commisso an. 13. Decessit 7. Nouem. 1624. die Iouis hora 15. sepultus in Cathedrali tumulo marmoreo quod

A

sibi ante obitũ parauerat, cui hoc insculptum fuit dictum.

Pastor, Pastores sacros, sacrasque Forenses
Scriptis qui docuit, conditur intus humo.

48. IOANNES Hieronymus Campanilis Neapolitanus Marci Antonij superioris patruelis I. V. D. non ignobilis, Episcopus antea Laquedonensis, ad hanc Aeserniensem translatus Ecclesiam die 27. Ianuarij 1625. Obijt Neapoli die 22. Iunij 1626. iacet in Ecclesia S. Petri de Ma[illegible]ella.

B

49. Fr. DIDACVS Marinus Hispanus Ord. Carmelitarum ab Ecclesia Montis Piloti ad hanc Aeserniensem translatus est ann. 1626. obijt anno 1637.



50. Fr. DOMINICVS Iordanus Neapolitanus Ord. Minorum de obseruantia Marino datus est successor die 17. Aug. anno 1637. Romæ defunctus est die 13. Feb. 1640. Iacet in Aracœlitana Ecclesia hac inscriptione ad tumulum posita.

D. O. M.
Fr. Dominicus Iordanus
Neapolitanus
Ord. Minorum Obseruantiæ
Theologus
Prouinciæ Terræ Laboris
& Ordinis Pater
S. Inquisitionis Regni Neapolit.
Con[illegible]
Procurator Gen[illegible]is totius Ordinis
ex V[illegible]icariatu Generali
Huius Cismuntanæ Familiæ
Ad Aeserniensem Episcopatum
assumptus.

Hic

Hic dum ſacra Apoſtolica limina petit, defungitur
Die XIII. Februarij anno ſal.
MDCXL.
Aetatis ſuæ LIII.
Requieſcat in pace
Lector ora pro eo.



51. MARCELLVS Stella Romanus Vtriuſq; Signat. Referend. Aeſernienſis delectus eſt Epiſcopus ab Vrbano VIII. die 26. Martij 1640. Neapoli miſerè defunctus eſt an. 1642. etenim cũ è curru quo laxandi animi gratia per vrbẽ vehebatur ſe ſurripuiſſet, percuſſo capite, fractoque cervice ibidem expirauit.

52. HIERONYMVS Maſcambrunus nobilis Beneuentanus die 6. Auguſt. 1642. in patria defunctus eſt menſe Maio 1643. dum ad Eccleſiam ſuam properaret regendam.



53. PETRVS PAVLVS de Ruſticis Neapolitanus origine Florentinus nobili Familia natus, ex Monacho Ordinis S. Benedicti Thelaſinus euaſit Epiſcopus, deinde ad hanc Aeſernienſem Cathedram translatus eſt die A 14. Decemb. 1643. Obijt ſub Innocentio X.

54. HIERONYMVS Bollinus Romanus Ord. Cœleſtinorum Procur. Gen. ab Innocentio X. huic Eccleſiæ præficitur die 9. Iulij an. 1653. obijt anno 1657. iacet in Cathedrali cum optimis moribus & laudabili cura tribus annis ſediſſet.

55. TIBVRTIVS Bollinus Hieronymi ſuperioris germanus frater eiuſdemque Cõgregationis Cœleſtinorum Monachus & Abbas, vir probus, ad ſuſcitandum ſemen fratris ſui Aeſernienſis Præſul adlectus eſt die 28. Maij 1657. Romæ conſecratur. Viuit, diuque viuat Præſul omni laude digniſſimus.

Hic damus inſignia huius Ciuitatis, quæ ex Typographi incogitantia ſuperius neglecta B fuerunt.



Et hæc ſatis de Aeſernenſibus Præſulibus dicta ſint.

C


ATINENSES, EPISCOPI. nunc ſuppreſsi.

D



ATINA, ſeu ATINVM antiqua & nobilis olim ac celebris Ciuitas in Volſcis iuxta Pontinas paludes poſt Falſataria verſus Itrum, Tarracina eam habet à ſiniſtris in loco edito conſtructam in Apennini montis radice, & Melpham fluuiũ agrum

agrum illius irrigantem. Aquino, Sorae, Arpino, Venafro, Monte Casino finitima. Inter Colonias Romanas numeratur à Frontino. Atina praestans apud Virgilium 7.Æneid. Eius meminerunt Liuius, Cicero pro Cn. Planco, Silius, Seruius, Pomponius, Plinius, Petrus Marsus ad Iulij Italici, Leander, alijque. Nemo tamen illorum Atinae exordium retexuit praeter Petrum Diaconum Cassinensem in Historia Passionis Sanctorum Martyrum Marci, Nicandri, & Marciani; scribit enim. *Inter omnes ferè vrbes, quas Occidētis limes includit, Atinensem Ciuitatem antiquissimā extitisse perspicuum est; hanc Rex Saturnus postquam à Ioue filio pulsus est, post Ciuitatis Sipontinae constitutionem, secundam in toto occidenti condidit, atque Atinam appellauit:* B *hac itaque ad quantum culmen euecta, & quam potentissima, & doctissima extiterit, & quales quantosque artifices habuit, nosse qui cupit, historiam Liuij, & Virgilij Aeneidem, relegat, vbique qualis olim viguit facundè descriptum inueniet.* Sub Arcadio excidium sensit irreparabile vt narrat Atinensis Ecclesiae vetus Chronica, ciues restaurandam curarunt. Beneuentanus Dux iterū solo aequauit, iterumque Ciues excitarunt, nunc oppidum est non admodum frequens: De eius destructione & restauratione librum scripsit idem Petrus Diaconus Cassinensis. Atina lucem hausit Euangelij praedicante Marco Galilaeo Petri Apostoli alumno, qui ab eodē Episcopus ordinatus illuc legatus, Atinenses C breui ad cultum Christi traduxit. Templum Iouis octauo à Magistri passione in eius honorem dedicauit, suoque sanguine fundatam Ecclesiam decorauit. Semel plantatam fidē Atinae mirificè propagarunt Fulgentius Marci discipulus, atque successor, Nicander, & Marcianus inuicti Martyres sub Diocletiano, Iulianus, Prudentius, Carus, Posicrates, qui in persecutionum rabie palmam tulerunt Martyrij, quorum Acta extant m.s. apud me. Per plura secula Atinenses Episcopi, Sancti Marci successores Romanum Pontificem immediatè cognouerunt, donec Capuanae Ecclesiae nouae Metropoli à Ioanne XIII. Pontifice tanquam Suffraganei subseruire, parereque iussi sunt anno sal. 978. Coepit deinde D Ecclesia haec sensim antiquum amittere splēdorem, adeoque pauper effecta est, vt necessū fuerit Episcopalem illi adimere dignitatem, & loco Episcopi Praepositum instituere Romanae Sedi immediatè subiectum, qui hucusque ea dignitate cum Episcopali quasi iurisdictione exornatur. Episcopi verò, qui in hac Sede floruerunt, sequentes sunt ex eiusdē Atinatis Ecclesiae Chronica, quam ad calcem primi nostri Tomi publici iuris fecimus: quę tamen ita ordinationem Episcoporum & tēpora inuertit, vt vix castigata tolerabilis euadere posse videatur.



1. S. MARCVS natione Galilaeus Atinensis Ciuitatis ordinatus est Episcopus à Beato Petro Apostolo, cum per plures annos piè & sanctè eam rexisset, post gloriosum cursum laboris Martyrio coronatus est sub Diocletiani persecutione, sepultusque est in Templo S. Petri, quod in honorem eiusdem Apostoli Atinae consecrauerat. Passus est post passionem Saluatoris nostri anno 63. à Natiuitate eiusdem 95. 4 Kal. Maij cum sedisset ann. 30. m. 5. d. 13. de cuius conuersione, ordinatione, ac nobili Martyrio haec habet Chronica Atinensis Ecclesiae, quam ad calcem primi nostri tomi inuenies. *Anno 2. Claudij Caesaris Petrus Apostolus cum primus Antiochenā Ecclesiam fundasset, Romam mittitur, ibique Euangelium praedicans vigintiquinq; annis in Vrbe perseuerans: Sed inter eundū ad Atinensem se contulit Ciuitatem, hospitatus est in domo cuiusdam nobilis, & praeclarissimi Viri Palatiani nomine, iuxta Templum Iouis propè portam maiorem, vbi nunc est Ecclesia eiusdem Apostoli, cuius domus parietes vsque hodie integri permanent ob memoriam tanti hospitis, & Principis. In quo loco minuit ibi sanguinem idem Apostolus, & barbā rasit. Inuenit autem in eadem domo Galilaeū quendam vitam in peregrinati ne ducentem, Marcum nomine, à quo genus, patriamque requirens, Hebraeum se esse asseruit, in Galilaeis finibus ortum, quem Apostolus futurum Christi discipulum intuens, Apostolicis verbis eum instituere coepit; qui eius suscipiens monita & lauacrum suscepit baptismi. At Apostolus coeptum peragere cupiens iter, eundem Marcum nouum discipulum Romam secum adduxit, ibique in fide Christi perfectè instituens, eum ad olim Ciuitatem Pontificatus infulis decoratum, remisit, dans in mandatis Euangelium Christi inibi praedicare. Cumque praedictus Vir Sanctus ab Vrbe Roma fuisset egressus, officium suscipiens praedicandi, miraculorum signa illum comitari coeperunt. Appropinquans autem ad moenia ciuitatis praedictae, stationem fixit in villa, quae Septa Iani vocabatur, non longe à ciuitate, in qua idolum aureum, & argenteum eius-*

dem colebatur Iani. Habebat quoque eadem villa port as septem vndique muris erat vallata. In quo Idolo Sanctus eum sufflasset, mox illud diuina potentia redegit in puluerem. Alia die vrbem ingressus Atinam, ad illud, quod quondam habuerat, hospitium rediit; Cuius Palatiani vxor, prædicatione Viri Dei conuersa est ad Dominum vna cum quamplurimis alijs. Templū deniq; quod Iouis dicebatur quod iuxta domum suam habuerat octauo anno post passionem Apostoli in eius cōsecrauit honorem. In qua nimirum Ecclesia septem Presbyteros, totidemque Diacones ordinauit. Prædictus quoque vir Palatianus omnes possessiones, & facultates suas eidem Ecclesiæ conferens, in secreta confessione Domino spiritum reddidit, & sepultus est iuxta eandem Ecclesiam in introitu eius. Sedit autem prædictus Pontifex annis 20. m. 5. d. 13. in quo spatio quinque millia & amplius hominum ad fidem Christi conuertit vsque ad tempora Domitiani perseuerans præsidente in Sede Apostolica Beato Clemente Summo, & vniuersali Papa. Sub Cleto Papa passus est Beatus Marcus Atinensis Episcopus discipulus Beati Petri Apostoli à Maximo Præside totius Campaniæ, anno post passionem Domini sexagesimo tertio, quarto Kalendas May, qui Præses, dum famam Sanctissimi Præsulis percepisset, missa apparitione, coram se Sanctum exhiberi præcepit: quem cum nequaquam à Christo diuellere posset, post macerationem carnis, & famis inopiam, verberibus etiam & flammis adhibitis in Ampbiteatrum eiusdem vrbis tribunal sibi parari constituit. Qui, vt erat nequissimus, & ad peragēdum scelus prōptus, & auidus coram vniuersis ciuibus, in eius capite duos iussit clauos infigi, quorum vnum in fronte, alterum in eius coronam infixerunt. Demum verò cum duobus Presbyteris, cum quibus coram Iudice fuerat præsentatus deductus est extra vrbem in campestri loco iuxta monumentum, quod vocatur imperiale, ibique capita eorum à corporibus recidentes, ea inhumata reliquerunt. Fideles autem qui intra vrbem absconsi degebant, noctu pergentes, Corpus Beati Martyris Marci separatim à capite posuerunt, alia verò duo in vno condiderunt sepulchro, & sic vbi posita sunt permanserunt vsque ad tempora Beati Syluestri Papæ, præsidente in Sede Atinensi Maximo Episcopo, Imperante verò Constantino Imperatore. Hactenus Chronica, cuius auctor scribit Marcum sedisse in Atinensi Ecclesia ann. 20. quod mendum esse videtur amanuensis, qui eam historiam transcripsit: in alio indiculo Atinensium Episcoporum apud me, habetur sedisse Marcus ann. 30. quod magis concordat cum vita eiusdem, cum passus dicatur anno sexagesimo tertio à passione Domini, qui fuit à Natiuitate eiusdem 95. Secundus Clementis Papæ, qui Fulgentium in Atinate Ecclesia Marco sufficit. Petrus Paulus Florus Vrbinas, qui vitam &

A passionem Marci contexuit, scribit Marcum passum sub Domitiano Imperatore anno salutis 60. Quod veritati non cohæret, cum Domitianus imperare cœpisset anno sal. 82. Acta eiusdem Sancti scripta metro, solutaque oratione conscripsit Adenulphus huius nominis secundus Capuanus Archiepiscopus ad Clerum Atinensem, quæ ex vetustissimo codice hœdino characteribus Longobardis fideliter exemplata, hic exscripta libuit recensere. Eiusdem Sancti vitam scripsit etiam Petrus Diac. Cassinensis, vnà cum eiusdem Sancti translatione, atque miraculis, necnon canticum ecclesiasticum in eius solemnitate canendum, ac demum de eadem solemnitate, sermones octo, quæ omnia m. s. extant apud me hactenus inedita. Eiusdem etiam Sancti

B translationem, & sermones scripsit Leo Atinatis Episcopus Adenolphi Archiepiscopi Synchronus.

Incipit Epistola in Passionem Beatissimi Marci Atinæ ciuitatis Episcopi ab Adenulpho Capuanæ Sedis Archiepiscopo scripta.

Æterni Regis disciplinam sequentibus, vniuersis in Christo sanctissimis Fratribus in Sanctæ Dei Genitricis Ecclesia vitam

C Angelicam exercentibus, Adenulphus Capuanæ Sedis Archiepiscopus calculum candidum à Iesu Christo Domino feliciter promereri. In vnitate fidei mirabiliter congregati, formam vobis sumitis Sanctitatis, & tetram Ægypti caliginem fugientes, spirituali cantico vestris in labijs resonante, ad repromissionis terram sicut alacriter, ita etiam & feliciter properatis: In mōtem Dei Orebgressu inflexibili conscendentes, posteriora Domini felici oculo intuemini, vbi vos Moyse nobiliter educante cum populo via regia gradientes, neque ad sinistram, neque ad dexteram declinatis; sed cursu indeclinabili eum ad patriam introductum efficaciter edocetis;

D Antiquorum Patrum sacra vestigia imitātes; Patriarcharum pariter, & Prophetarum doctrinam eo quo debetis pio religionis intuitu prosequimini, qui in deserto, & in inuio, & in inaquoso scripturarum puteos fodientes, mirabile vobis exemplum in suis actibus tradidere; quia in aquarum nimia affluentia diuinæ scientiæ largifluos fontes spiritualiter reserauere. Habetis in cordibus aquam viuam salientem in vitam, cuius plenitudinis inundantis totam terram eiulatibus irrigatis, & vt fidelium per vos mentes refulgeant aurum exinde optimum apportatis. Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, Iesus Christus in domicilio vestro Doctor simul & hospes inhabitat, cui & cum Martha ministrat

re ſatagitis. & cum Maria illius eloquia caſta diligenter audire ſtudetis; ſedentes in ſpeluncæ oſtio cum Helia expectatis ſibilum auræ tenuis, qui nimirum ad ſupernæ patriæ gloriam ineffabili cordis inſpiratione vos prouocat & inuitat. Duplex illius ſpiritus in vobis remanſit; quoniam aſcendentem illum cum Heliſeo vidiſtis; vnde & prophetarum filij voscum Heliſeo ſequuntur, quia fidelis populus ad honeſtatis,& religionis veſtræ doctrinam pio Charitatis intuitu innitatur; circum doctrinas ſane murus inexpugnabilis, & protegit vos dextera Chriſti, qui mentes veſtras ab omni ſorde vitioſa eliminat, & immenſa ſuæ gratiæ inſpiratione illuſtrat: Iam denique per plateas Hieruſalem, quæ auro B mundo ſternuntur cum virtutum odore inceditis,& almis Sanctorum Patrum veſtigijs innitentes, eorum tam vitas, quàm paſſiones recolitis ſolemniter & celebratis; ſpecialia tria virtutum genera diligentes, medio noctis tempore ad amicum acceditis, & tres panes Euangelicos ab eo cum maxima precum inſtantia, imò cum importunitate nimia poſtulatis; eos namque qui Ieſu Chriſti ſunt præcepta mirabiliter exequuti tanta mentis deuotione colitis & honoratis, vt & in paſſione ſocij, & virtutum ſplendore in eis videamini ſemper eſſe conſpicui. Rutilat inter vos pretioſus Martyrum cruor, quorum beatiſſima patrocinia ciuitatis veſtræ honorem amplificant & exaltant,& inter aduerſa vos protegunt; & defendunt, & inter proſpera læ- C tificant & exornant. Sæua perſequutorum rabies cum plures Sanctorum longè lateque gladio peremiſſet, Beatiſſimum MARCVM ſpecialem vobis reddidit martyrem, eumque in Atinenſi nobiliſſima ciuitate ſanguinis effuſione, & Martyrij palma glorioſum effecit; Colitis igitur Martyrem veſtrum, eumque tanto propenſius celebratis, quantò propenſius in Chriſti amore ferueſcitis; Cuius venerandæ paſſionis hiſtoria, quæ minùs doctè fuit olim à quibuſdam compoſita, meæ ſimplicitatis imperitia, vt iterata vice componendo ediſſeram poteſtatiuæ precis authoritate compellitis, & quod de tanti Martyris conſtantia immenſa Philoſophorum exprimere deberet facundia, meæ inſcientiæ par- D uitate violenti exactione elegantiori ſtylo reſerare iniungitis: Piæ namque voluntatis eſt quod imperatis, & ab vniuerſis laudabile, quod depoſcitis; ſed niſi veſtris orationibus fulciatis, in via prius deficiam, quàm ad patriam recto itineris curſu perueniam: Confiſus tamen de eo, qui turbam in deſerto, ne in via deficeret, ſuæ vbertatis gratia pauit & diſcipulos ſuos in campeſtri loco, vt alios docerent edocuit; opus aggrediar quod iubetis, veſtræque petitionis voluntatem ſupplere in omnibus ſtudeo, & quod recto conſiderationis intuitu poſtulatis, ſecundum mearum virium facultatem, etſi eloquentia ſterili, relatione tamen veridica & omninò fertili, exe-

A quutioni magnopere mandare curabo. Vniuerſaliter itaque omnes in Domino commonentes rogamus, vt ſacratiſſimi Martyris triumphum atque victoriam, qualiterque ad Ætherea Regna laureatus aſcenderit, illius paſſionem, geſtaque legentes, tota mentis intentione percipiant, atque totius poſtpoſito dubietatis ſcrupulo fideliter credant. Nemo quidem me exiſtimet nouellam Martyrij plantationem in Ieſu Chriſti Eccleſia introducere; quia antiquus eſt iſte Martyr, non rudis, nec eſt nouitius; ſed ex primitiuæ naſcentis Eccleſiæ prole fœcunda, Beatiſſimus MARCVS inter primos vnus fuit de primis alumnus, ſicut in ſubſequentibus Domino B largiente geſta narrabit Hiſtoria. Nunc igitur vniuerſos iſtius Martyris votiua ſollemnia recolentes, ex quo debemus benigno pietatis ſtudio exoramus, quatenus & Chriſti amor ſemper in vobis ferueat,& ſui militis inuictiſſimi concepta in mente deuotione frigeſcat, etiam eum prout credimus & ſperamus tam Eccleſiæ veſtræ ſpecialis honor, quam & totius Ciuitatis inexpugnabilis cuſtos.

Incipit Prologus.

Ineffabilis ſummæ Deitatis clementia ſacroſanctam Eccleſiam nec habentem maculam, aut rugam in ſuo corpore mirabiliter dedicauit, eamque ſicut glorioſam C ita etiam & fœcundam in omnibus ſanctis effectibus, ſeptiformi Sancti Spiritus gratia in Apoſtolos ſuperueniens, ſuæ benignitatis inundatione repleuit, eoſque ad euangelizandas omnes nationes direxit. Mira pietatis gratia, mira & inſignis ſanctarum virtutum præpotens efficacia; Nam & in miraculis virtus effulſit, & in potentia virtutum pius Eccleſiæ vigor excreuit. Pretioſa eſt etenim in conſpectu Domini mors ſanctorum eius, qui nimirum quantò feruentiores pugnant in ſtadio, tanto feliciores viuunt in Regno: Viuunt profecto qui vitam mortuis reddunt, & per totius orbis circulum ſignis inenarrabilibus in terris exuberant, & in cæleſti gloria velut aſtra matutina ſine fine coruſcant. Proſperum iter Deus ſalutaris noſter Martyribus D ſuis oſtendit, vt, & ſanguinem pro ipſo ſunderent, imò meritò ſibi mercando perciperent à præſidente in cæleſti ſolio: Ipſe namque qui eſt glorioſus in Sanctis, & in maieſtate mirabilis, Martyres ſuos inter vincula, & tormenta glorioſos reddit & patientes, & in Sanctis actionibus eos declarat mirabiliter efficaces, atque potentes. Refulget nobis, tamquam in ſpeculo vita Sanctorum, quos profecto ſi deuotiſſimè veneramur, in terris, præcipuos eos habebimus interceſſores in cælis. Sacratiſſimi denique Martyrij palma tanto ſublimius rubeſcit in cruoris beata effuſione, quanto propenſius ferueſcit in Ieſu Chriſti ampla dilectione; Videtur planè quod inter

ſpiri-

spiritualia charismata sanctorum sanguis velut ignis rubescat, & vita eorum, sicut liliorum candor in actione clarescat. Æterna, & incommutabilis prouidentia indiuiduæ Trinitatis. Lapidibus pretiosis inclusis aurea eos corona exornat, sanctisque muneribus rex regum sua in supernis tribuens donatiua, recompensatione illos benignissima ditat; Sancti namque ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres per fidem tantum regna vicere, nec deficientes in passionibus, de humani generis hoste victoriam obtinendo, propter inæstimabilem immensæ spei beatitudinem passionis calicem feliciter gustauere: Eximiæ verò charitatis in animo retinentes feruorem, spiritualem in suis mentibus conceperunt amorem; Eos nempè quos Mater Ecclesia tanquam paruulos lacte nutriuit, postquam ad ætatis plenitudinem venientes solidum cibum sumpsere, & poculum nihilominus spirituale bibere; B felici demum cruore perfusos, diuina illos clementia ad Regnum decoris prouexit, & quemadmodum triumphatores à certamine milites redeuntes in æternæ gloriæ mansione sollemniter, & iocunde recepit. De quorum victorioso, lucidoque Collegio, vnum de primitiuis Ecclesiæ filijs BEATISSIMVM MARCVM ATINÆ CIVITATIS inuenimus fuisse Pontificem, qui certè eo amplius sublimis fulget in signis, quo felicior inter antiquos Patres Regnum Dei appropinquandum facundus & promptus incredulo populo suis declarauit in verbis. Hic etenim gloriosus Martyr & Pontifex purpureo rutilans diademate, Atinensem Ecclesiam, ac si proprio sanguine Christi mirabiliter acquisitam summa honoris gratia ditat, eamque virtutum radijs plenius glorificando illustrat; C Ciuitatem sanè per omnia reddens insignem, suis patrocinijs fouet, & protegit, eamque defendendo clarificat, & exaltat. Huius igitur sacratissimi Martyris passionem, sicut in superiori epistola plenius continetur, rogatus vnanimiter à fratribus, blandeque coactus, ea qua connenit alacri satis deuotione describendam Domino annuente suscepimus. Quapropter maxima precum, instantia, obsecramus vt eorum intercessionibus, Sanctissimi Martyris patrocinium impetrare vna cum nostris suspirijs valeamus, qui meam ignorantiam ea scribere coegere, in quibus labia incircuncisa, & lingua omninò polluta balbutiendo succumbunt, & succumbendo deficiũt. D Ipsius denique beatissimi Marci suffragia voto supplici postulamus, vt qui excelsus vocatur in nomine, humiles, & eloquentes nos reddat in suæ laudis sermone; Iustum iamque, dignumque à fidelibus creditur, vt cuius præmia deuotissime recolimus in terris, illius sanctum auxilium habere mereamur in cælis, nos scribentes, & vos legentes postulemus in cælis. Legat ergo quicunque voluerit, & omnem à sua mente dubietatem procul abijciat,

A quia totius nos ambiguitatis expulso nubilo, serenissimam istius Sancti enarramus historiam.

Incipit Passio eiusdem Sanctissimi Episcopi & Martyris.

Beatissimus MARCVS Galileus igitur ex Galilæis parentibus ortus, necdum Baptismatis vnda renatus, sed sacri Martyrij diademate feliciter purpurandus ab ipsius primæuæ ætatis erumpente crepusculo in eximiæ simplicitatis confidentia ambulauit, & paternarum traditionum cerimonias obseruauit; Erat enim felix in institutione Mosayca, felicior futurus Apostolicæ fidei doctrina mirifica: Nam, vt omnibus in propatulo claruit, illud apud se fideli voto tractauit in mente, quod postmodum gloriosus ostendit in actione. A Galilæis finibus diuina prouidentia veniens, post longa marium, terrarumque discrimina, in Atinensi tandem ciuitate sui cursum itineris terminauit, ibique nobile hospitium benignus hospes suscepit; Quæ nimirum Ciuitas, sicut ex antiquitate nobilis, ita etiam & bonis moribus erat flore iocunda, & licet adhuc gentilitatis esset caligine nubila, suæ tamen celsitudinis magnificentia inter cæteras vrbes fulgebat eminentissima. In hac itaque Vrbe ingressus insignis Agonotheta Christi futurus Beatissimus MARCVS, cuidam Palatiano egregio, & nobili vitoadhæsit, qui vna cum coniuge sua Aureliana benignè satis & officiosè in domu sua suscepit, atque prout diuinæ placuit voluntati, apud se retinuit; Erat quidem vir memoratus, sicut nobilitate præclarus, ita etiam & diuitijs locupletissimus, nihilominus & in hospitalitatis charitate præcipuus, gentilis tamen & idolis seruiens; sed misericors, & miserator Dominus, cuius miserationes nec principio, nec termino vllo clauduntur, istius domum suæ benignitatis gratia, miro & inæstimabili modo respexit, atque Palatianum eum Aureliana coniuge, quemadmodum quendam Centurionem Cornelium Apostolica præsentia visitare decreuit. Æterni Patris vnigenitus filius postquam & intemeratæ Virginis vtero assumptam nostræ seruitutis formam, Iesus Christus Dominus noster glorificauit, eamque ad Patris dexteram mirabiliter collocauit, eos, quos reliquerat in terris, Apostolos, Sancti Spiritus gratia illustrauit, & per totius orbis prouincias ad euangelizandum direxit: Apostolorum igitur Princeps, & Cælestis Regni Clauiger Beatissimus Petrus, ex quo Antiochenam Cathedram sui Pontificatus immenso munere consecrauit, ad eminentiorem omnium vrbium Romam Domino iubente se se conferre proposuit. Ex Antiochia verò Apostolus arrepto itinere, marinis se fluctibus dedit, atque prosperitatis

tis aura spirante, optatum portum cum Iesu Christi vexillo signifer inexpugnabilis petiit. Tandem Romam inter eundum, ad Atinensem se contulit ciuitatem, vt eam ptins athleta Christi fortissimus visitaret, in qua MARCVM sibi discipulum acquireret, per quem & eandem ciuitatem à dæmonum seruitute eriperet, & ad veræ fidei cultum vocaret. Venit igitur tanquam à Deo missus cælestis nuncius, domum est ingressus Palatiani, ibique MARCVM reperit Galilæum: quem profectò cum sancto afflatus Spiritu cognouisset Apostolus esse aduenam, multis eum cœpit tentare sermonibus, & quis esset, vel vnde, quod etiam nomen haberet inquisiuit attentius, ad quem ille simplici affatus eloquio, huiusmodi dedit responsum; Nomen mihi, venerabilis pater, MARCVS est, à cunabulis ex Galilæa prouincia oriundus, tanquam exul & aduena in istis partibus maneo, & vitam in peregrinationis ærumnosa calamitate consumo: Paternis verò traditionibus die noctuque solerti cura inuigilo, sacræ legis censuram à Deo per Moysen famulum suum Israelitico populo cælitus datam fideli deuotione obseruo; ipsumque cunctarum rerum authorem, omniumque viuentium esse viuificatorem, sicut ex cordis æqua ratione confiteor, ita etiam ex oris certa assertione approbo, & confirmo. His & huiusmodi verbis ex ore illius acceptis Sanctus Apostolus gaudio exultauit immenso, & gratias exinde creatori omnium retulit Iesu Christo. Ex hinc suæ prædicationis sumens exordium Iesu Christi discipulus, vt in MARCO veterem hominem renouaret, sacris eum cœpit documentis instruere, atque ad regenerationis lauacrum prouocare. Pellem namque vetustate consumptam purificationis gratia satagebat suo Domino reddere nouitate præclaram, & quæ cæcitatis erat obducta nigredine, studebat candidam reddere pio virtutum splendore; Et incipiens vt in Euangelio legitur, à Moyse, omnibusque prophetis, interpretabatur illi scripturas, & totius veteris instrumenti seriem multipliciter reunluendo, mysticas ei prolatas de Filio Dei sententias ore mellifluo referebat; Referebat Vir Domini, qualiter primus homo diabolica fraude deceptus, iusto Dei iudicio de Paradisi fuerit amœnitate exclusus, & in horrendam maledictionis terram eiectus, vniuersis fuit angustijs & tribulationibus miserrimus, & inobediens ille expositus; Nec prætermittebat, quod crescente malitia super terram, ne iniquitas vltra procederet, statuit pius & misericors Dominus, vt humani generis culpa & per aquam diluuij plecteretur, & per nouam regenerationis sacratissimam vndam ad veræ fidei gratiam purificatus homo reduceretur; sic namque omnia differendo discutiebat, quo modo in legis doctrina illius versabantur eloquia, modo sermo faciendus ad Patriarcharum & Prophetarum recur-

A rebat quantocyus vaticinia. Sic demum Beatissimus ille, cui nec caro, nec sanguis diuina mysteria reuelauit, sed pater qui in Cælis est, suæ doctrinæ spiritualia charismata promulgauit, & veræ fidei confessionem benignum auditorem instruxit, quod eum ad Iesu Christi lauacrũ feliciter prouocauit, & in angulari lapide fundator eximius petrã incorruptibilem miro documento instituit; Intra domum namque memorati Palatiani eum Apostolico more catechizando erudiuit, sicque Dominicis præceptis plenius instruxit, & illum sacra Baptismatis vnda in Sancti Spiritus gratia regenerauit, & vniuersa diuinæ legis mandata benignus magister eum edocuit. Nouus itaque discipulus ad veræ fidei cultum vocatus magistri cœpit sacris vestigijs inhærere, & B immaculatam, quam per aquam & spiritum renouauerat vitam, pijs studuit actibus decorare. Apostolus denique peragere cœptum cupiens iter, MARCVM suæ institutionis alumnum sibi associat, & in vniuersis suis laboribus digna eum experientia probat. Ex Atinensi verò ciuitate pariter egredientes, & per diuersa locorum hospitia, verbum veritatis & fidei prædicantes, tandem ad Romanæ vrbis mœnia veniunt, & itineris cursum inter gentilium populos statuunt. MARCVS igitur in fide promptissimus ea, quæ ex ore Apostoli procedebant pleno mentis acumine percipere modis omnibus satagebat, & in suæ pectoris sacrario strenuè recondebat. Agebat denique Vir Domini, qualiter & veritatis doctrinam cognosceret, & cognitam sanC ctis operibus adornaret; Fulgebat quidem in signis, atque miraculis, qui erat virtutum efficacia præpotens & mirabilis, & quem diuina gratia sui muneris fulgore irradiabat, sanctitatis eximiæ operatio laudabilem & perspicuum omnibus exhibebat: Apostolica documenta ita intra se retinere curabat, quod prædicationis munus alijs fideliter refundebat, eosque ad æternæ felicitatis gloriam continuis exhortationibus incitabat: proindè carus, acceptusque Apostolo erat, quoniam in sacris actionibus morum honestate feruebat, nec quasi rudis, & in fide nouitius, sed tanquam miles egregius, optimus certator aduersus sæuientis ignita iacula inimici, muD rum se inexpugnabilem opponebat; sicut erat totius sanctitatis disciplina nec mediocriter informatus, ita nimirum Sancti Spiritus igne videbatur accensus: Cernebat quidem obscœna gentilium sacrificia, eorumque insaniam detestabilem benigno affectu corrigere non desistebat; Ad hoc namque increduli populi aures demulcendo inflexit, quod Christianitatis titulo mirabiliter insignitam, innumeram eorum multitudinem ad superna polorum gaudia sublimando prouexit. Erat sanè illius sollicitudinis magna solertiã, vt credentium multitudini esset cor vnum, & anima vna, nec discreparet à veritate, quod concordabat in pura fidei vnitate: Eis siquidem

rudi-

rudimentis, quæ à magistro didicerat, alios etiam instruere nequaquam cessabat, & illius prædicationis sermo de die in diem incrementum virtutis & gratiæ percipiebat. Hæc & his similia benignus magister in MARCO discipulo intuens, & felici consideratione diuinam in eo resulgentem gratiam animaduertens, immensa cordis alacritate perfusus ad potiora eum reseruatum esse plenius intellexit; in quibus fraudatus minimè extitit. Non immemor verò illius, quam olim reliquerat Atinæ ciuitatis Apostolus, ad Pontificatus apicem summa cum honorificentia MARCUM prouexit, dignisque eum infulis decorauit: Antistitis igitur dignitatem adeptus Vir Domini, & in eminentiori gradu feliciter sublimatus, quibus virtutibus emicuerit, quæue, quantaque signa per eum sit Dominus operatus, vniuersis luce clarius patet; quippe cum diuina cooperante clementia innumeris virtutum prodigijs vsque hodie fulgeat, & celebris illius deuotio in suis famulis pleniùs per omnia elucescat; Sed iam ad narrationis seriem articulum reducamus, & quo ordine Atinensem visitauerit Vrbem literis mandare diligenti sollicitudine studeamus. Coruscantibus denique in Beatissimo MARCO signis atque miraculis, tanta in ipso efficacia curationum refulsit in breui, quod cælesti eum gratia prosequente, à varijs, diuersisque languoribus nonnulli ciuium emûdati, iunctique curati, saluti pristinæ mirabiliter restituti fuissent, & Omnipotentis Dei magnalia suis confessionibus omnes vnanimiter proprio ore resonarent.

Interea celebratis in Romana vrbe tam Innumeris signis, ea, quæ per Dei famulum diuina gratia quotidie declarabat miracula, ad Magistri notitiam perueniebant, quæ videlicet, nec surdus auditor satis benignè in sui pectoris secretario recondebat. Ex obsessis namque corporibus dæmones imperij sui verbo eijciebat, leprosos mundabat, paralyticos curabat, cæcos illum nabat, mortuos suscitabat, ita vt meritò illud Euangelicum Saluatoris, illi de iure congrueret. Pater meus vsque modo operatur & ego operor; & item in alio loco Dominus dicit. Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet. Apostolus igitur eum, quem in Ecclesiæ gremio educandum quondam susceperat, attendens in fidei disciplina propensius eruditum, & in Sacramentis omnibus vehementer instructum, qualiter eum ad ciuitatem Atinensem deberet remittere, competenti cœpit deliberatione disponere, quod è vestigio, nec segnis magister exequutioni mandare curauit; Nulla in medium mora ad se quantocyus accersitum, vniuersa ei mandata proposuit, & secundum Apostolicam, quam ei tradiderat decretalem per omnia sanctionem, examine subtiliori perquirit; Sed cum in sacræ legis edictis apprime eum imbutum, & accuratissimè informatum pro-

A sensit & intellexit, Authori bonorum omnium Deo immensas gratiarum actiones persoluit; Dehinc Dominicas illi oues ad regendum committens, potestatem, quam à Iesu Christo Domino fideli videlicet teste susceperat, sui Apostolatus authoritate, digna moderatione concessit, sanctique Spiritus munere ad ligandum, soluendumque æqua traditione participem fecit. Sic demum Apostolica benedictione postulata, atque percepta, securus iam de adipiscenda æternæ felicitatis gratia, profectionem lætus arripuit; egressusque ab Vrbe, continuò prædicationis officium inchoauit; & mira summæ Deitatis clementia, tanta eum comitabatur signorum efficacia, quod per singulas ciuitates, per finitimas

B mansiones, vel quocunque se Dei famulus conferebat, crescente in illius ore fidei verbo, quot varijs detinebantur infirmitatibus, protinus fusis ad Dominum precibus, ad ipsius nutum pristinam incolumitatem recipiebat, resolutisque vocibus digna Christi præconia per ora omnium resonabant. Tandem appropinquans ad eam, quam olim deseruerat ciuitatem, quæ nimirum in prædicationis sorte sibi fuerat attributa, nec longiuscule ab ipsius mœnijs ciuitatis, sui itineris stationem, in villa, quæ Septeiani dicitur, fixit, ibique ad modicum requieuit; Vbi cum idolum aureum, pariter & argenteum reperisset, mox illud redactum in puluerem, dignis execrationibus deleuit, & conculcauit, atque pro-

C sperum exinde faciens iter Vir Domini totius sanctitatis decore irradiatus, Atinensem ingreditur ciuitatem: In hac igitur vrbe Vir Dei ingressus, eam quam prius deseruerat domum pristina visitatione requisiuit, cui de more salutationis proferens verbum, Apostolicis eum sermonibus benedixit, quem cum de pristinæ charitatis fœdere diligenti examine requisisset, vxorem illius vniuersæ carnis debitum iam persoluisse cognouit. Ad hæc Vir Domini blandis eum exhortationibus cõsolatus, exordium prædicationis ei facere cœpit, qualiterque istius sæculi status pariter cum vita simul etiam & cum delitijs omnibus periturus sit, atque casurus, euidentissima satis expressione ostendit. Aiebat planè quod singula, quæ humanis oculis videntur

D esse subiecta, vana sunt omnimodo & caduca, & ab vniuersis fidelibus penitus abdicanda; Sanè inuisibilia Dei vera esse, & omninò æterna, nulloque prorsus fine claudenda, nimia instantia affirmabat; hæc namque, dicebat, intemeratæ fidei credentibus sacra mysteria præstant; hæc nihilominus arcana vobis iudicia manifestant; hæc Angelorum & hominum veræ pacis integritatem reformant, quodque cæteris est excellentius, diuinæ celsitudinis maiestatem inæstimabili modo nobis ineffabiliter repræsentant, & illius cognitionem perspicua ratione declarant. His verò attonita mente perceptis Palatianus, & intra semetipsum nec modicũ stupefactus, quonam

nam esset nouæ institutionis regula, quæ talia de sua ratione proferret, tacitis cœpit cogitationibus secum reuoluere & pertractare; quem cum vir Domini diù hæsitantem conspiceret, vultumque illius immutatum cognosceret. Conturbant te, inquit Amice carissime, tuæ mentis cogitationes? mouent animi tui secreta ea, quæ diuinis sunt inserta codicibus. Constans esto fili in verbis, prouidus in sermonibus, credulus deinceps in nostris promissionibus, quoniam quem hospitalitatis gratia me quondam hospitem suscepisti, illuminatorem tuæ animæ in præsenti recipere meruisti; ad hoc namque me Dominus Iesus Christus direxit, qui tuæ petitionis vota solita pietate respexit, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui nos vocauit in admirabile lumen suum, vt relictis omnium idolorum tenebris, in fide probatus, atque acceptus, ad æterni luminis claritatem fideli voto purificatus accedas, quatenus sacri Baptismatis vnda renatus, immarcessibilem coronam dignè percipere merearis. Quid plura? quid Palatianus ageret ad ista? respondere quidẽ rationi volebat, sed contradicere loquenti nequaquam audebat; quoniam intra se veritatis verbum concipiebat, & æternæ felicitatis brauio perfrui summopere anhelabat. Nam quem superni muneris inspiratio ad fidei cultum vocabat, hunc infestare cruenti hostis sæuitia non valebat. Consentit tandem salutaribus dictis, obtemperauit fidelibus monitis, & à languoribus se attentius mederi deposcit, quos in idolorum cultibus diutina tẽporum vanitate contraxit; Datur deinde fides, credulis adhibetur, confessionis decretum proponitur, sed & ieiunium triduanum indicitur. Quibus ritè peractis, & celebratis, tertio die Episcopus vnà cum suo illo familiari præcipuo ad fontem procedit, aquam Baptismatis benedicit, hominem sacri Chrismatis liquore perungit, & confitentem cum omni integritate fidei suam credulitatem sacri Baptismatis vnda regenerauit, quem etiã de fontis lauacro ipse suscepit. Eodem die sancti Spiritus cooperante gratia, baptizati sunt & cum eo numero hominum promiscui sexus & ætatis quinquaginta septem. Templum denique Idolorum, quod idem Palatianus iuxta domum suam habuerat, congesta in vnum simulacrorum omnium multitudine, atque contrita, ad honorem sanctissimi sui magistri Apostolorum videlicet Principis, templum Iesu Christo Deo sanctus Episcopus venerabiliter consecrauit; in qua nimirum Ecclesia septem Presbyteros, totidem Diaconos ordinauit cum ea, vbi incessanter diem, noctuque diuina vota persoluens sacrosancta Dei mysteria deuotissimè celebrabat; sed & plures circunquaq; degentes vnanimi voluntate frequenter collectos, sacris fidei documentis erudire curabat; eosque Christianæ institutionis censura diligenter instructos per aquæ regenerationem illuminabat. Non multis verò euolutis temporibus Palatianus in sancta fidei confessione persistens, in supradicta Beati Petri Basilica ieiunijs, & orationibus continuè vacans, dormitionem accepit in Domino, & signaculum fidei, quod in Christo suscepit, brauium supernæ remunerationis ab eodem recipiens, fideli voto repræsentauit. Nunc igitur ad narrationis ordinem redeamus. Elapsis namque trium annorum curriculis quinque millia ferè virorum & mulierum iam ad fidei religionem Sanctus Episcopus sua prædicatione perducens, Ecclesiam quotidie in Domino confortabat, & vt emolumentum in actionibus Sanctis perciperent, paternis exhortationibus roborabat. Sed ecce iniquorum omnium caput diabolus superueniens, qui aliquando vnius felicitati inuidens, malignis suggestionibus protoplastum de Paradisi amœnitate deiecit, Iesu Christi Ecclesiam impugnare callida versutia cœpit, & in suis satellitibus minabatur, quod exercere nequiter proponebat: Quidam namque Maximus nomine totius Campaneæ Præsidatus officium gerens, cum esset vnus diaboli parasitus furibundus, Atinensem peruenit ad vrbem: Hic autem à Nerone crudelissimo Cæsare suæ immanitatis pestilentiæ Cathedrã sumens, ita Imperatoris sui tyrannidis sæuitiam in omnibus est prosequutus, quod ad Sanctorum se necem proteruè innexit, multosque ferina crudelitate peremit. Per Imperiales denique fasces Domitiano Principe succedente, iste suæ impietatis nequitiam exercebat. Eodem verò tempore cũ in Atinensi vrbe vniuersos ad idolorum culturas, vel cærimonias compelleret, & prouocaret; Beatissimi MARCI prædicationis sermo illucescebat; Illius etenim tanta erat virtus signorum, quod ei sacræ doctrinæ opinio vbique diffundebatur, & per ora omnium pio rumore diuulgabatur, quod profectò latere minimè potuit. Peruenerat quidem ad aures illius nequissimi Præsidis, sanctissimi fama Pontificis, & prædicationis verbum ei iam innotuerat, quibus furibundus ille multorum relatione comperta, nimio furoris igne succensus, illicò eum ad se accersiri præcepit. Cumque Beatissimus Pontifex in conspectu nequissimi Iudicis oblatus fuisset, nullamque ei, prout assolet, fauorabilem reuerentiam exhibuisset, protinus vesano Iudice innuente, vnus ex circumstantibus stricto vehementius pugno, Pontificis labia grauiter percussit; cumque tanquam indisciplinatum & contumacem procaci vultu acerbiùs reprehendit; Cui Sanctus eximiæ vt erat simplicitatis mitissimo affatu respondit; Quid tumoris, vel arrogantiæ in senem simplicem reprehendis? Quid contumeliæ mea tibi mollities irrogauit? Quod in me redarguis quod in te ipso ex ratione considerare nec nosti? Hæc siquidem magistri nostri sunt documenta, hæc sãctarum

ctatum virtutum præcipua ſunt inſtrumenta, hæc eſt Chriſti noſtri ſumma ſanctitatis doctrina, vt percutienti maxillam præbeamus & alteram, & vt maledictum de ore noſtro non procedat, & orare pro perſequentibus, & calumniantibus nos; Huiuſmodi vero Chriſtus Deus noſter virtutum nobis exempla reliquit, & humilitatis præbuit magiſteria. Ad hæc iniquitatis arbiter nimio furore commotus, toruo eum intuens vultu. Quo, inquit, infeliciſſime auſu? qua inſania? qua ue temeritatis audacia nobis coram poſitus talia proferre verba ne erubeſcis? An fortaſſe ſtulta ſimplicitate, vel quod certius deprehenditur, nimio confectus ſenio immoderata capitis inſania fatigaris, & cunctis circumſtantibus ait. Romanæ ſiquidem authoritatis iura decernunt, & Imperiales nouiter literæ decreuere, vt vbicunque huius viæ ſectatores reperti fuiſſent, mox abſque vlla audientia punirentur: hoc profectò plenius noſtis, hoc ad aures veſtras frequenti relatione peruenit; & ſanctus paucis ad iſta. Romani Principes hoc, Præſes, ignorant, quod pro Reipublicæ ſtatu Ieſu Chriſti Dei famuli authorem omnium rerum communem dominum interpellent, & vt Regnum ſuum quotidie augeat & accreſcat, & de die in diem in virtutibus ſemper proficiat; quod ſi hoc aliqua ratione perpenderent, nobiſcum pariter concordarent, & ab huiuſmodi vanis ſuperſtitionibus cauti, & prouidi deliteſcerent; Tunc Iudex carcerali eum mandauit cuſtodia mancipandum, famiſque inedia cenſuit maccrandum: Sed Omnipotens Deus, qui nec derelinquit ſperantes in ſe, angelica eum conſolatione mirabiliter viſitauit, & cœleſti eum refectione cibauit. Exactis igitur ſeptem diebus, memoratus Tyrannus iudicialem ſibi ſedem iubet parari, & plus ſolito apparatior reſidens, Sanctum ſibi exhiberi præcepit, qui cum fuiſſet ab officialibus præſentatus nulla interueniente mora, nullo ſermonum auſpicio habito, ſtatim miniſter diaboli inimicus æternæ ſalutis iuſſit eum expoliari, & tandiu fuſtibus cædi, quouſq; deficientes fatigarentur: qui cũ diutiſſimè cæderetur, Omnipotenti Domino gratias perſoluebat dicens. Deus ago tibi gratias, qui me indignum & infelicem, tui muneris participem facis, & per Apoſtolum tuum Beatiſſimum Petrum æterni ianuas Regni mihi præcipis reſerari: His ita peractis Præſes ſe ad palatium contulit, & Sanctum denuò in carcerem retrudi præcepit. Illuceſcente verò ſequentis diei crepuſculo, malitiæ arbiter in Amphiteatro c[illegible]itatis Tribunal ſibi parari direxit. Sed priusquam ad Curiam aduentaret, hoc in ſuo præuidit conſilio, vt [illegible]iſſa continuò apparitione, damnatus ille, qui carcerali tenebatur afflictione captiuus & religatus à ſapientibus ciuitatis conuentus fuiſſet, & ſiquidem Deo ſuo, quẽ Chriſtum appellat, potius quam Dijs, Deabuſque offerre libamina decreuiſſet, priuſquã in ſui præſentia duceretur; diutiſſimè tortus, flammiſq; lateribus adhibitis, grauiter aduſtus, ſuo dehinc iudicio præſentaretur. Quod cum factum fuiſſet, & Sanctum à ſanctimoniæ ſuæ propoſito, neque verborum perſuaſionibus, neque pœnarum minis, vel cruciatibus reuocare ratione aliqua potuiſſent, adhibita ei prout iuſſum fuerat, terribili tormentorum congerie, demum Iudici exhibetur; Cumq; illi quæ dicta, quæque fuerant facta ſeriatim ab apparitoribus relata fuiſſent, protinus Iudex iniquitatis atrocem in eum ſententiam protulit dicens: Chriſticolam MAhCVM, quem Deorum noſtrorum contemptorem inuenimus, & à Romanis cærimonijs ſimul & ſanctionibus irreuocabiliter deuiaſſe cognoſcimus, plurimis ei adhibitis, prout dignum eſt, cruciatibus, acutiſſimis etiam in cerebro clauis infixis, demum capitalem iubemus eum ſubire ſentẽtiam: Tentus igitur, ſtatimq; à perfidiæ exequutoribus alligatus, non longè à Ciuitate in campeſtrem ductus eſt locum, vbi dum nimijs flagellis omni in terram extenſo corpore grauiſſimè perurgeretur, orandi aliquantulum veniam poſtulauit. Qua maxima precum inſtantia impetrata, flexis in terram genibus, eleuatiſque in Cœlum brachijs, totus perfuſus lacrymis, huiuſmodi preces fudit ad Dominum. Domine Ieſu Chriſte, qui de ſinu Patris ineffabiliter proceſſiſti, & ſancti Spiritus cooperante virtute, in ſacratiſſimæ Virginis vterum miſericorditer deſcendiſti, vt ſæculum perditum reſtaurares, & hominem ſacratiſſimi tui cruoris effuſione ad tua gratiam, & Angelorum concordiam reuocares, adeſto nunc quæſo lacrymis, gemitibuſque meis, attende propitius & placare; Reſpice clementiſſime Deus noſter me famulum tuum, & ſuper gregem indigno mihi commiſſum, & per interuentum beatiſſimi diſcipuli tui magiſtri mei, pro imminentis mi[illegible] articulo paſſionis, cæleſtem mihi impartiri digneris recompenſationem; Eorum etiam non obliuiſcaris piiſſime Domine, quos ſub mei regiminis patrocinio hactenus cuſtodiui, ſed meis interceſſionibus in conſpectu tuæ glorioſiſſimæ maieſtatis adiuti & ſubleuati æternæ felicitatis beatam per te ſortem percipiant: Sed & hoc petitionibus meis adhibeo, vt ciuitatem iſtam tua benigniſſima protectione cuſtodias: omnibus quoque dignè mei memoriam celebrantibus hic & in perpetuum ſempiterna gaudia largiaris, concluſitque Amen. Deindè paululum remotus à loco, in manus ſe hoſtium reddidit, qui vt erant ad ſcelus peragendũ veloces, & auidi, continuò eum recipientes, terrarum ſcopulis inhæſere, & vt iuſſi fuerant, cerebrum, frontemque illius clauis acutiſſimis infigentes, ſacratiſſimum caput à corpore recidentes ſeparauere. Fideles verò qui intra Vrbem abſconſi degebant, noctu pergentes, Martyris ſacratiſſimum corpus cum maxima veneratione ſuſcipiunt, & cum hymnis & laudibus in loco, vbi fuerat decollatus ſepeliuere: Caput verò illius, quod longè à

cor-

corpore positum fuerat, diligentiùs inquirẽtes reperiunt, quod separatim à corpore non sine quadam industria posuere. Passus est autem Beatissimus Martyr, & Põtifex MARCVS post Sacratissimam Domini passionem anno sexagesimo tertio, quarto Calend. Maias, tempore Domitiani Imperatoris. Christus verò Dominus noster, qui in suis fidelibus semper gloriosus est & sublimis, in loco vbi Martyr est tumulatus, & passionis gloria laureatus vsque in hodiernum diem in nomine suo petentibus beneficia præstare non cessat. Ad laudem & gloriam nominis sui, qui est gloriosus in Sanctis, & in maiestate mirabilis, viuens & regnans cum Deo Patre & cum Spiritu sancto per infinita sæcula sæculorum. Amen. A B

Hymni in laudem eiusdem Martyris

Ad Vesperas.

Annuus nobis colitur recursus
Cum Polum MARCVS petijt canorum
Gloria mundi penitus repulsa
Perpete vita.
Hac dies nobis nitet excolenda
Laude qua multa manet imbuenda
Qua Patris MARCI renouat triumphi
Laude perenni.
Qualis & quantus fuit hic Beatus C
Martyr ostendit meritum sacratum
Orbis exultans celebrat quadratus
Omne per æuum.
Martyrum sacras canit inter alas
Præsulum præsul nitet & cateruas
Sumit vtrumque brauium perenne
Fine remoto.
Annuit MARCVS precibus precantum
Audit & voces sibi supplicantum
Nec deest præsens vbi postulatur
Corde fideli.
Præsul & Martyr pariter precamur
Impetra nobis munus quod rogamus,
Efficax semper tuus est precatus
Digna petendo.
Laus, honor, virtus, decus & potestas D
Sit Genitori, Genitoque sacro,
Flamini sancto simul & perennis
Gloria semper. Amen.

Ad Nocturnum.

Regis immensi venerande testis
Celsus et vnipredicator verbi
Solue tuorum facinus seruorum
MARCE inuicte.
Tu linquens iura mundi atque bona
Christum cupisti, atque adhæsisti
Caducis spretis hominum iuberis
Monere plebes.
Tu, ceu latex fluuij perennis
Aridas mentes madefacis, semper
Praua extinguens, bona cuncta rigans
Plebe in Christi.
Tu Deus Orbis iubar, atque Cæli
Posce pro nobis Dominum precamur.
Vt ad æternum mereamur omnes
Scandere Regnum.
Patris cœlestis famulando verbum
Pellis errorem, confer & salutem
Nos ad æterni Iesu Christi regnum
Dux bone transfer.
Laus, honor, virtus, decus & potestas
Sit Genitori, Genitoque sacro,
Flamini sancto simul & perennis
Gloria semper. Amen.

Ad Laudes.

Iam tuum MARCE brauium
Christi canat Ecclesia
Quam doces falsa temnere,
Ad summa mentes tollere.
Immensas grates agimus
Patri, Verbo, ac Flamini
Qui tibi tantum præstitit
Certamen contra perfidos,
Colamus ergo socij
Celebritatem Martyris
MARCI testis idonei
Cælestis Regis militis.
Martyr Dei fortissime
MARCE Præsul almifice
Succurre nobis sedule
Dei ditatus munere
Te pronis alme cordibus
Celi Senator poscimus
Da Christi vultum cernere
Quos docuisti credere.
Sit Patri laus ingenito,
Sit decus vnigenito,
Sit vtriusque pari[l]i
Maiestas summa Flamini. Amen.

Versus in laudem eiusdem Martyris.

Concio læta canens exultet corpore MARCI,
Qualiter ista dies glorificata fuit.
Sedis Atinensis Leo Præsul iura tenebat,
Cum sic gleba sacri corporis aucta fuit.
Quidam Romanus vrbem deuenit Atinam
Pontificem quærens inuenit, alloquitur.
Martyr h[…] r[…]ndus me [illegible] t nomine MA[RC]VS,
Quæ mihi [illegible] rauit notificare tibi.
Ante sepulturam, quæ Matris [illegible] Nicandri
Dicitur. inueniens ossa beata viri,
Præsul ad hæc lætus venit huc, tumulumq; requirit,
Vir monstrat, lapidum magnus aceruus erat.

Tollun-

Tolluntur lapides, titulum lapis obtulit vnus,
Incipiunt nomen cernere, MARCVS erat.
Presbyteris terram iussit pater indè cauare,
Cœpit, lassatur, presbyteri fodiunt
Dum sic certatur, dum quisque labore grauatur
Ad tumulum veniunt, panditur & tumulus.
Exit suauis odor, voluit pater iste latere,
Fama replet populum, turbaque tota ruit.
Tunc vero clamor ad sydera tollitur ingens,
Plebs, Pater, & Clerus glorificant Dominum.
Vesper erat, lauat ossa pater, capsaque reponit,
Nox ruit in terris, ad sua quisque redit.
Mane ruit Clerus, proceres, animaque potentes,
Vir, puer, atque senex, nupta, triennis, anus.
Pontificem dignè tegit Infula Pontificalis,
Et Clerus sacris vestibus induitur.
Accipiunt corpus tota plaudente chorea
Imponunt humeris, suscipiuntque viam.
Terra sonat pedibus, ferit aurea sidera clamor
Lætitiam, plausum voxque, manusque ferunt.
Sic tendunt omnes Christi Genitricis ad Aulam,
Hic cupiunt corpus ponere MARCE tuum.
Sed tibi nec placuit, nec quæ cupiere patrarunt,
Atque domum propriam Martyris ossa volunt.
Ante pedem silicis corpus stetit, indè moueri
Non potuit, cunctos cœpit habere timor.
Tunc omnes spondent propriam sibi condere sedem,
Et sic ossa ferunt ad loca quæ cupiunt;
Vndè Patri summo, Nato cum Flamine sacro
Gloria sint perpes, laus, decus, imperium. Amen.

2. S. FVLGENTIVS post S. Marcum Atinā Ecclesiā obtinuit ordinatus Episcopus à S. Clemente Papa anno sal. 95. sedit ann. 13. mens. 7. d. 28. obdormiuit in Domino anno Christi 109. depositus est iuxta Ecclesiam S. Petri Apostoli. *Iste* (inquit citata Chronica) *corpora Sanctorum Nicandri, & Marciani iuxta corpus Christi Martyris Marci constituens sibi paruum habitaculum. Huius etiam cura fuit studiosius recondere corpus B. Marci Martyris & separatim caput à corpore.* Passi sunt sacrati Christi Martyres sub Maximo Præside Campaniæ imperante Domitiano, vt ex Actis eorundem habetur, non verò sub Maximiano Imperatore, vt aliqui dubitarunt. Porrò Acta, vbi aliqua de S. Marco, ac translatione eius, deque Ecclesijs in honorem eorum Sanctorum Atinæ excitatis recitantur ex eodem codice citato sunt quæ sequuntur & maximè iuuant ad veritatem temporum enodandam.

Passio Sanctorum Martyrum Atinensium Nicandri, & Marciani.

Hinc iam ad Nicandri, & Marciani virorum Sanctorum qualia contra Diabolum habuerunt arma exponendo properemus; Hi itaque dum claris essent orti parentibus, persequutionis tunc acrius intonabat procella; Imperatorum decretis vbique discurrentibus, vt vbicumque Christiani inuenti fuissent, absque omni interrogatione punirentur; Cum autem adoleuissent, duxerunt vxores nobilissimis ortas natalibus, è quibus Domino opitulante filios acceperunt singulos; Ea tempestate bellum ingens Barbarorum ortum est aduersus Romanum Imperium, flammis ac ferro cuncta proterentibus, quod dum Imperatoribus nunciatum fuisset, omnes è vestigio contra eos congregare militias iusserunt; in qua militia penè decennium remorati sunt Sancti Martyres Nicander & Marcianus. Factum est autem cum Christū agnouissent, & militiæ deseruirent, ait Beatus Nicander ad Marcianum; frater Sodalis in Christo carissime, scias me iam Regi Regum militare velle, præterit enim figura huius mūdi, vt Beatus Paulus Apostolus; cui Sanctus Marcianus respondit, frater in Christo amande, tuo ex ore verbum prolatum penetrauit mei pectoris ima, vndè si tibi æquum videtur, militiam relinquamus, Christumque per vrbes euangelizantes, retributionem bonorum ab eo nos accepturos speremus; & relinquētes militiam, cœperunt fidem Domini Iesu Christi publicè prædicare, facientes prodigia & signa magna; & sicut in prælijs sæpissimè brauium sumebant victoriæ, ita ad expugnationem Idolorum facti sunt pugnatores acerrimi, & ex vrbe in vrbem Christum euangelizantes, culturam Idolorum cum templis suis exterminio tradebant. Factum est autē dum in prouincia Campaniæ Christum euangelizarent, & falsorū abolerent, obliterarentque vineas deorum, dolentes pontifices cum Ethnicis suorum perire sacra deorum, Romā adeunt, Imperatorumque præcordijs talia venena infundunt; Imperatores sanctissimi de-

defendite culturam Deorum, quę in Campania pulcherrimè floruit; nam Nicander & Marcianus vestræ militiæ desertores ad eandem prouinciam venientes prædicant Iesum Christum Nazarenum Crucifixum, & culturam Deorum pro nihilo docent. Audientes autem hæc Imperatores è vestigio Maximũ Præsidem, cuius supra meminimus, euocant, eique præcipiunt, vt vbicunque eos inuenisset, Dijs sacrificare compelleret, quod si noluissent, post varia suppliciorum genera morti traderent. Maximus autem à Curia Imperatorum sumptis extemplo militibus, quod sibi iussum fuerat implere aggressus est. Cũque Campaniam aduenisset, Pontifices templorum eum adeunt, quæ Nicander, & Marcianus egerant flebiliter nunciant, & erumpentes in voces. . . aiunt. Scias quia nisi in eis præcepta Imperatorum compleueris, status sacri Imperij ad nihilum redigetur, & Respublica Romanorum peribit. Audiens hæc Maximus, aduocans milites, præcepit eis dicens: vbicunq; hos inueneritis, ad me eos festinanter deducite. Euntes verò milites inuenerunt Beatissimos Martyres Iesum Christum filium Dei voce publica prædicantes, quos ita aggrediuntur dicentes; Magnificentissimus Præses suis vos præsentari conspectibus iussit, cumque præsentati eius impijs obtutibus essent, Maximus Præses dixit; Merita dignitatis nostræ vt quid non accipitis? Sanctus Nicander respondit; merita dignitatis vestræ ideo non accipimus; quia pecunia impiorum contagium est viris Dominũ colere institutis; Maximus Præses dixit, Thure tantum Deos Nicander honorato; Sanctus Nicander respondit; quomodo possumus lignis & lapidibus deseruire, aut immolare, Deo relicto immortali, qui fecit omnia ex nihilo, quem colimus, qui & me, & omnes in se sperantes poterit conseruare, cum sit Dominus noster immortalis creator omnium, ipsi soli seruimus, qui nos dignatus est saluare, & omnes in se credentes. Beatissima verò Daria vxor eius præsens cum esset, Sanctum Nicandrum confortabat dicens. Caue Domine Nicander, ne id facias, caue Domine, ne Dominum nostrum Iesum Christum neges, caue ne immoles, respice in cælum, & in eo ipsum Regem æternum, in quem credis, videbis; nam ipse Rex Regum, cui puram fidem, & conscientiam seruas, adiutor tuus erit. Maximus verò Præses hæc audiẽs, cœpit clamare, & dicere; O scelestum, peruersum, necandum, & malum caput mulieris! vt quid desideras virum tuum mori? Sancta Daria respondit, vt viuat in æternum cum Domino Iesu Christo, & non moriatur. Maximus Præses dixit, non sic, non ita est, sed quia robustiori viro copulari desideras, ideo Nicandrum à vita priuari festinas. Sancta Daria respondit. Si suspicionem habes in me, quod hæc factura sim, primam me interfice pro Christo, si & mulieres ad immolan-

A dum cogere iussus es. Maximus Præses dixit, hoc quidem non sum iussus facere, & quod desideras non patrabitur; interim esto in carcere: iussitque lictoribus illam ergastulo trudi; Sancta igitur Daria in carcerem trusa, Maximus Præses his verbis Sanctum alloqui cœpit Nicandrum; Nicander noli ad verba vxoris tuæ attendere, neque alicuius huiusmodi persuasionem audire, ne forte citò priueris de hac luce; & si vis accipere triduo inducias, accipe, & in eo deliberans, tecum cogita quid melius est, viuere, an mori. Sanctus Nicander respondit, spatium, quod te daturum promiseras iam putato esse completum, ac me deliberasse cognosce; atq; id in animum induxisse, vt nihil aliud cupiã præ salute. Maximus verò Præses hæc au-

B diens eleuauit vocem suam dicens, gratias Deo; Sanctusque Nicander vnà cum eo dicebat, gratias Deo; Dicebatque ad Præsidẽ Martyr beatissimus, quam gratiam agis Deo, in quem non credis? Præses autem putabat, Sanctum Nicandrum Dijs suis gratias agere, atque de hac vita, & huiusce seruanda salute dixisse, gaudensque dixit ad Leuconium Cõsiliarium suum; Ambulemus ad templum vt videamus Nicandrum sacrificantem; cumque pergerent, seruens in Spiritu sancto Beatus Nicander & feruens in Christo, cœpit Deo gratias agere, orareq; eum voce magna dicens, Domine Iesu Christe libera nos à deceptionibus huius seculi, & compotes nos per gratiam tuam efficere dignare; Maximus præses hæc audiens, cœpit eum alloqui

C dicens. Nicander, quare vitam tuam perdis, & desideras magis mori, quam viuere? Sanctus Nicander respondit. Ego sempiternam vitam elegi, non huius seculi temporalem; nam corpus meum in potestate tua concessum est, fac quod vis; quia Christianus sum, & Christi famulus. Maximus præses dixit, & tu Marciane quid dicis? Sanctus Marcianus respondit, ego hoc dico, affirmoque quod & contubernalis meus Nicander. Maximus præses dixit, ergo in carcerem ambo trudemini pœnam sine dubio subituri, ocyusque lictoribus imperat suis Sanctos in carcerem trudi. Euolutis autem triginta diebus iussit Maximus præses Sanctos Dei Martyres sibi

D præsentari; qui dum præsentati fuissent dixit ad eos; sufficit vobis Nicander, & Marciane tempus ad monẽdum vt obediatis præceptis Imperatorum? Sanctus Marcianus respondit, multitudo verborum tuorum recedere nos à fide non faciet, neque negare Deum, præsentem enim eum videmus, & quò nos nunc vocas cognouimus; Noli ergo nos retinere, sed mitte nos cito vt videamus Crucifixum, quem vos ore nefario maledicere non dubitatis, quem nos veneramur, & colimus. Maximus præses dixit, Ecce pro desiderio vestro morti trademini. Sanctus Marcianus respondit, per salutem te petimus Imperatorũ, & per salutem capitis tui, vt nos citiùs mit-

tas;

tas; hac enim suppliciorum formidine ad te, vt facias adiuramus, sed vt citò nostro desiderio potiamur. Maximus Præses dixit, Mihi cur contradicis? neque enim vos persequor, sed obaudio præceptis pijssimorum Imperatorum, vnde alienus, ac mundus sum à vestro sanguine, si autem scitis vos benè ituros, gratulor vobis vestrum desiderium compleatur; hæc dicens, sententiam in eos pronunciat capitalem dicens, Nicandrum & Marcianum militiæ desertores, sacrorumque numinum contemptores gladio animaduertantur; Sancti verò Martyres Nicander, & Marcianus hæc audientes, eleuata voce dixerunt: Pax tibi Præses maxime pie, & cœperunt ire gaudentes & benedicentes Deum. Sanctum B quoque Nicandrum sequebatur Beatissima Daria vxor eius, ac Papinianus frater Sancti Martyris Pasficratis, filium Sancti Nicandri portans infantem, atque ei congratulans de salute, Sanctum verò Marcianum sequebātur cognati, vnà cum vxore eius scissis vestibus flentes, & lamentantes eum, inter quos vxor eius flens, & eiulans dicebat ad eum: Hæc sunt Marciane quæ mihi loquutus es dicens, noli timere? Sanctus autem Marcianus dixit ad eam, noli circa me accedere: vxor verò eius clamabat dicens, veh mihi, vt quid velut agnus sine voce ad iugulum tuum curris? misericordiam habe in me domine meus Marciane, ecce dulcissimum filium tuum ante me teneo, conuertere, noli nos relinquere, noli nos spernere, hæc sunt, quæ tibi dicebam in C carcere id timens, atque id plorans, veh miseræ mihi, cur festinas? quò intendis? Sanctus verò Marcianus vbi hæc suis auribus hausit, conuertit se, atque eam toruis luminibus intuens dixit, quandiù Sathanas mentem tuam, atque animum obcæcabit? separa te à nobis, concede mihi vt martyrium pro Deo perficiam. Zoticus verò quidam vir Christianissimus tenens manum Sancti Marciani consolabatur eum dicens, veni Domine meus Marciane, longanimis esto, luctasti monomachicè aduersus Diabolum & vicisti eū, vnde tibi Iesus Christus Rex Regū & Dominus reddet coronam iustitiæ. Vxor autem eius se ingerebat plorans, atque eum retrotrahens, proiecitque filium eius, quem vlnis ferebat, ante eum, clamabatque dicens, quò D curris? & cur mori festinas? Beatus autem Marcianus respondens dixit ad eam, recede à me Sathana, quæ à Diabolo excæcata es, recede à me, vt impleatur martyrium meum, dixitque ad Zoticum Marcianus sanctissimus; dimitte manum meam, & contine vxorem meam, & remoue eam à me, & releua paruulum eius, quem proiecit ante me, & redde illum matri suæ, & dic ad eam. Vade reuertere ad domum tuam, quia non poteris videre virum tuum pro Christo aduersus Diabolum agonizantem: quam Zoticus, martyre dimisso, continuit. Tres autem viri perduxerunt eos ad locum martyrij, quò dum

A peruenissent, circumspexit Sanctus Marcianus, & videns Zoticum inter multitudinem stantem, dixit ad eum; Zotice serue Domini nostri Iesu Christi, quæso vt vxorem meam ad me omni sub celeritate deducas, Zoticus autem eius obtemperans iussis, vxorem Sancto Marciano adduxit; quæ cum fuisset adducta, osculatus est eam Sanctus Marcianus, & dixit ad eam; vxor mea recede in Domino, quia non poteris me martyrium celebrantē aspicere; filium verò suum in vlnis accipiens, & ad pectus adstringens, ac diu exosculans, erectis in Cœlum oculis dixit, Domine Deus Omnipotens huius tibi sit cura infantis, & cū hæc perorasset, reddidit puerū matri suæ. Tunc Sanctissimi Martyres se diu deosculati sunt; Beata autem Daria cum præ multitudine populi ad Sanctum Nicandrum accedere non posset, Sanctus Marcianus manu ei porrecta ad Nicandrum virum suum eam vsque deduxit; quam Sanctus Nicander deosculans dixit. Deus tecum sit soror mea, Cui Sancta Daria respondit; Lætare Domine mi Nicander, longanimis esto, ostende tuum certamen, decem annos sine te in patria fui, ac momentis omnibus Deum vt te viderem rogabam; nunc verò vidi, & gratulor ad vitam proficiscenti vxor martyris constituta; bono animo esto Domine, redde martyrium Deo, vt me etiam de morte perpetua liberet. Sanctus autem Nicander voces ad has Dariæ anticipans dixit, vbi est filius noster? Sancta Daria respondit, en adest Papinianus vir Christianissimus illum gestans in vlnis, & Sanctus, defer illum ad me, vt benedicam eum: Sancta verò Daria præceptis eius obtemperans, puerum ad eum adduxit, quem Sanctus accipiens in manibus Nicander, & diu exosculās benedixit eum, & reddidit matri suæ: At verò Beatissimi Martyres Nicander, & Marcianus fixis genibus, erectisque in Cœlū luminibus diutissimè orauere. Exurgentes autem, assumentesque oraria duo, & oculos sibi ligauerunt. Tunc Sanctissimi Martyres ab inuicem vt martyrium perficerent, separantur. Vnus autem ex quæstionarijs eleuās gladium, & cum magna virtute percutiens, capita amputauit eorum. Passi sunt autem Beatissimi Martyres Nicander & Marcianus die quintodecimo Calendarum Iuliarum. Veniens autem Episcopus Atinensis noctu cum Clericis suis, assumpto secum Zotico, & Papiniano fratre Beatissimi Martyris Pasicratis, vna cum vxoribus eorum, & propinquis, omnique Christianorum turba, rapuit veneranda corpora eorum, & sicut dignum tantis martyribus erat, iuxta corpus B. Martyris MARCI dignè illos tradidit sepulturæ, vbi exuberant erga infirmos beneficia meritis illorum vsque in hodiernum diem. Vbi verò Ecclesiæ sedatus est nimbus, & Maiestas Romani Imperij Christo vero Regi colla subdidit sua, Episcopus Atinensis vna cum populo eiusdem ciuitatis angustissimam su- per

per sepulchrum beatissimi MARCI construxerunt Basilicam, cuius longitudo extenditur in pedes centum sexaginta & tres, latitudo quinquaginta duorum est. Posuit etiam Venerabilis Pontifex supra corpus pretiosissimi Martyris MARCI titulum lapideum nomen ipsius intimantem. Absidem verò eiusdem Ecclesiæ, sicut & totam Basilicã ex quadris & magnis lapidibus cõstruxerunt, longitudinis cubitorum quindecim, latitudinis octo & decem cubitorum. Caput quoque pretiosi Martyris MARCI vna cum clauis tollentes, atque in angulum eiusdem Ecclesiæ concauum locum in modum capsulæ facientes cum maxima reuerentia in vasculo vitreo locauerunt, prudentiori tamen ciues eiusdem vrbis hoc factum dicunt esse consilio, vt si tanti Martyris corpus per violentiam, vel furtum exinde sublatum fuisset, caput illius ad tutelam patriæ posteris profuturum generationibus remaneret; sed ad præsens Deus talem, tantamque vrbem noluit proprio frustrare patrono. Super sepulchra verò Sanctorum Nicandri & Marciani, quæ non longè à corpore B. MARCI posita erant, arcam pari opere, sicut & B. Marci excellentissimè construxerunt ex quadris & magnis lapidibus, cuius longitudo extenditur in pedes duodecim, latitudo vndecim, altitudo quatuordecim. Vestibulum quoque ante eandem arcam pari opere in longum pedes duodecim, latitudo pedum sex, altitudo duodecim construxerunt, portisque ferreis prædictam arcam clauserunt. Constituta est autem in medietate Ecclesiæ Beati MARCI, quæ & permanet vsque in hodiernum diem. Hi Sancti Martyres Marcus, Nicander, & Marcianus ciuitatis Atinensis patrocinatum suscipientes à Domino vsque in diem hodiernum defendere, & tueri contra hostes visibiles non desistunt.

3. HILARIVS successit Fulgentio ab Anacleto Põtifice ordinatus anno salutis 110 sui Pontificatus vltimo. *Sedit iuxta eandem Chronicam annis 27. dieb. 4 obijt 8. Idus Decemb. & positus est iuxta Ecclesiam B. Petri à septemtrionali parte.* Forte irrepsit error in annorum supputatione, si Hilarij successor ordinatus est, vt ea scribit Chronica anno primo Sixti Primi Papæ, opus est asserere, Hilarium sedisse annos 22. non autem 27. Sixtus enim Pontificatum inijt anno Christi 132. quo anno Hilarius obijt.

4. VRBANVS Episcopale onus subiuit ordinatus à Sixto Papa anno primo Pontificatus, qui fuit sal. 132. sedit Vrbanus ann. 28. dieb. 20. al. d. 15. obijt autem 2. Kal. Martij, & sepultus prope Ecclesiam B. Petri, incidit eius mors anno à Christo nato 160.

5. LVCIVS ordinatus dicitur anno 7. Aniceti Papæ, qui numeratur Christi 172. sedit ann. 31. m. 4. dies 8. sed tempus sedis non concordat cum anno Salomonis successoris, qui iuxta eandem Chronicam ordinatus est Atinæ Episcopus ab Eleuterio Pontifice Pontificatus illius anno sexto, qui incidit in annum Domini 185. Si verum est quod Lucius Atinensem Ecclesiam regendam suscepit anno septimo Aniceti, & eius successor Salomon ann. 6. Eleuterij, perspicuum erit, Lucium tantùm sedisse ann. 13. non 31. nisi forte pro 13. mendosè appositus sit 31.

6. SALOMON Atinæ sedi regendæ admotus est anno Domini 185. sedit ann. 36. mens. 10. dieb. 25. ordinatus anno primo Calixti Primi. Hic (ait citata chron.) cum esset natione Romanus, facundior cæteris Præsulibus, apicem sui Præsulatus tenebat. Composuit autem gesta Sanctorum Nicandri, & Marciani, & Marci Præsulis: Pasicratis quoque & Dariæ, super quorum corpora paruum construxit templum, & erexit à latere: Fecit & Ecclesiam in honorem eiusdem Pasicratis & Dariæ in eo loco, vbi Horrea vocatur in quadam villa, quæ erat ibidem. Vnde vsque hodie locus ille, mutato nomine, Broila. Prædictus itaque Pontifex die noctuque iuxta eadem corpora psalmis & orationibus vacans Domino spiritum reddidit Kal. Augusti, & sepultus est ante ianuam ipsius domus. Obijt Salomon ann. 221.

7. DIMITRIVS, Hic iuxta præcitatam Chronicam à Calisto I. Papa ordinatus Episcopus anno Pontificatus eiusdem primo; sedit annos 31. al. 38. mens. 5. dieb. 19. sed senectute grauatus, oculorum lumine caruit ann. 26. sepultus est autem in Cœmeterio prædecessorum suorum in Ecclesia S. Petri, hæc illa. Calistus creatus est Pontifex ann. Dom. 221. quamobrem Dimitrius vel obijt anno 252. si sedit in hac Ecclesia ann. 31. si verò in ca dignitate vixit ann. 38. mortuus est anno 259. quod nullo modo esse potest, vel Corus eius successor, iuxta eandem Chronicam Atinensis Episcopus ordinatus est à Pontiano Pontifice anno eius vltimo, qui fuit Christi 237. vix enim hæc Atinensium Episcoporum series castigari potest.

8. S. CORVS vltimo Pontiani Papæ Pontificatus an. sal. verò 237. Ecclesiæ Atinensi præficitur ab eodem, qui sedit ann. 22. mens. 3. dieb. 22. qui cum populum sibi concreditum doctrina & vitæ probæ exemplo regeret, quadam die ad S. Marci sepulchrum orans, dæmoniaci cuiusdam liberationem impetrasset, ab irruentibus innumeris Idolorum cultoribus repentè inuasus, occisus est, cuius sanguine Dæmoniacus ille aspersus, statim liberatus est, Passus fuit 3. Kal. Maij, ac in loco Martyrij sepultus est, de quo citata Chronica, ac Ferrarius ad hanc diem ex Petro-Paulo Flotio Vibinate de SS. Atinensibus.

9. VIGILANTIVS ad Atinensem thronum euectus est à Stephano primo Papa anno 258. sedit annis 20. mens. 7. diebus 26. Hic autem toto vitæ suæ tempore in Ecclesia deorsum apud Martyres mansit ieiunijs, & ora-

orationibus vacans, sepultus est autem ibi 4. Kal. Iulij.

10. S. PRVDENTIVS à Caio Pontifice anno 2. eius Pontificatus Atinensis ordinatus Episcopus salutis anno 285. sedit an. 25. al. 30. mens. 2. dieb. 3. Hic cum quodam die Idolum Iunonis in templo apud Thermas Antonianas collocatum euellere vellet, à Paganis tentus occiditur. Cuius corpus ante ipsum templum triduo inhumatum relinquentes à Christianis ereptum in Ecclesia B. Petri conditum fuit ipso die Kal. Aprilis.

11. MAXIMVS ad Episcopatum Atinensem ascendit vltimo anno Melchiadis Papæ, salutis verò 312. qui sedit annis 25. mens. 5. dieb. 10. In huius temporibus (inquit Chronica) constructa est Ecclesia in honorem Beatæ Mariæ semper Virginis, & Marci Martyris, & Pontificis in eo loco, vbi dicitur pes filicis, iuxta monumentum quod vocatur Imperiale, circa viam, quæ dicitur monumentorum, eo quod hinc inde plena sit monumentis, magnis lapidibus, diuersis marmoribus, & excelsis columnis; in longitudine pedes centum sexaginta tres, in latitudine pedes quadraginta duos habens, in gyro murum excelsis lapidibus, in quo posuit corpus prædicti Martyris Marci subtus altari maiori, in quodam sepulchro marmoreo, cum lapideo titulo, nomen Christi Martyris intimante. Posuit & caput eius separatum à corpore in vasculo vitreo simul cum clauis in angulo ipsius Basilicæ ab Occidentali parte. Posuit & iuxta idem corpus venerabilium Episcoporum corpora prædecessorum suorum. Fecit in gyro domos ad susceptionem hospitum: Fecit & domos ad vtilitatem Clericorum suorum. Construxit quoque Ecclesiam in honorem Sancti Nicandri Martyris in pede montis, vbi nunc est Castrum Vitalbi. Obijt autem 8. Kal. Maij, sepultus est in Ecclesia sua. Hæc de Maximo Chronica.

12. EVGENIVS in Episcopatu successit Maximo à Iulio Papa ordinatus anno primo sui Pontificatus, à Christi Natiuitate 337. sedit ann. 31. mens. 9. dieb. 9. Subdit Chronica illa: Sub huius temporibus constructa est arca, vbi requiescunt corpora SS. Nicandri, & Marciani iuxta maiorem Ecclesiam à parte Septentrionali, quam erexit plumbo: Sic mansit tempore multo, ab intus verò arcam porphyreticis, & varijs lapidibus vestiuit, portisque ferreis, æreisque fortiter clausit illam. Posuit & supra fornicem arcæ ossa quorumdam Sanctorum quorum nomina ignorantur. Posuit & in vestibulo arcæ ossa Pafieratis Martyris in ingressu illius Basilicæ. Fecit & in circuitu murum lapidibus magnis ad munitionem eius, in modum circuli. Venerabatur autem locus ille honore congruo, & frequentatione assidua, quia virtus de illo exibat, & sanabat multos. Obijt autem (Eugenius) 10. Kal. Febr. & sepultus est in eodem loco. Incidit eius mors in annum Christi 378.

13. ROMANVS ad Atinensem chiaram venit anno 379. ordinatus à Damaso Papa, Pontific. sui anno 12. iuxta Chronicam, sedit an. 41. mens. 10. dieb. 26. *vsque ad Arcadij Imperatoris . . . perseuerans, cuius gladio necatus est in prædicta Ecclesia Beatæ Mariæ & B. Marci Martyris in suburbio eiusdem Vrbis sita 7. Id. Septembris. Iste siquidem Romanus Martyr mortuus est ab exercitu Arcadij Imperatoris in prædicta Ecclesia Sanctæ Mariæ, quæ nunc Ecclesia S. Bartholomæi dicitur, quæ sita est in loco, qui dicitur Pes filicis, vbi & B. Marcus accepit martyrium, & per multa tempora quieuit; & hic etiam erat Episcopatus, quæ quoque Ecclesia in eius honorem & B. Mariæ dedicata est à supradicto Maximo*. Occubuit Romanus iuxta veriorem computum anno Domini 420. Prosequitur Chronica Atinæ ciuitatis destructionis causam narrare: necis nempe eiusdem Arcadij Imp. filij, qui cum puellæ cuiusdam Atinatis nobilissimæ stuprum intulisset, ab Atinatibus occisus est, quamobrem Arcadium ipsum in vindictam filij narrat ciuitatem Atinam obsedisse, doloque cepisse, ac ciues in ore gladij, vna cum Romano Episcopo, totoque Clero occidisse, ciuitatem quoque funditus diruisse; quam narrationem fabellam potius existimarim, cum Arcadium, neminem alium sustulisse filium præter vnicum Theodosium natum anno 400. qui patri successit puerulus anno 408. Imperauit verò cum Honorio, ac Valentiniano annis 43. Mortuus est anno 449. Quemadmodum Romanus non potuit tot annos Ecclesiæ præfuisse, si tempore Arcadij occisus est; sedit enim annis 41. Excessit verò anno 419. Adeò Chronica illa sursum deorsumque confudit omnia, vt intolerabilis videatur in ijs, quæ de Arcadij filio immiscuit. De Atinæ ciuitatis destructione, & restauratione libellum scripsit Petrus Diaconus, vt ipsemet fatetur in lib. de Illustr. Vir. Cassin. quem non vidi, forte in eo quæ confusa in Chronica, ac fabellis continuantur, recensentur, dilucida, ac veritati consentanea conscripta erunt.

14. BONIFACIVS post restaurationem Atinæ ciuitatis Episcopus renunciatus est ab Hilario Papa anno 3. sui Pontificatus, salutis verò 464. sedit ann. 34. mens. 6. dieb. 9. *In eius autem temporibus episcopium eiusdem Vrbis readificatum est eo opere quo vsque hodie cernitur, ibique cum Clero suo psalmis & orationibus vacans quieuit in Domino 7. Kal. Maij, & sepultus est in eadem Ecclesia*. Fuisse Bonifacium virum eloquentia clarum, & in diuinis scripturis versatum scribunt, cuius scripta non extant, nisi solus sermo breuis in honorem SS. Marci, Nicandri, & Marciani, cuius exemplar habemus, & hic, ne pereat, libenter exscripsimus in Sancti Præsulis memoriam.

Sermo D. Bonifacij Atinensis Episcopi.

Celebremus fratres charissimi hoc die festiuitaté, quo Beatissimi Martyres Marcus, Nicander, & Marcianus spiritu nati sunt cælo, & carne recesserunt à terra, sed terrena hominum natiuitas mortem donat æternam, spiritualis autem vitam confert perpetuam; Vnde Sanctorum Martyrum clementiam flagitemus, vt oratione sua imbrem lacrymarum nobis à Domino impetrent, & constantiam donent, vt qui illis contulit posse, nobis donet & velle; Magnam gratiam acceperunt hi Beatissimi Martyres in æthereo Regno, quia, vt ait Salomon, placitæ erant Deo animæ eorum; & Paulus, qui adhęrent Domino, vnum in spiritu sunt. Meruerunt hi beatissimi Martyres Christum diligere, dignique habiti sunt pro eius nomine Nicander & Marcianus capite truncari, & MARCVS clauis acutissimis in capite configi; & ideo meruerunt cum eo in cælesti Regno sine fine lætari. Hi nempe sunt lapides, qui reprobati sunt ab Ethnicis, & electi, quos Dominus de incolatu Orbis liberans inter duodenos lapides collocauit. O felicissima corda Martyrum, quæ Deum in cælesti Regno videre promeruerũt, iuxta illud; *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Videte, videte, inquam, dilectissimi Fratres, perspicite tantorum Martyrum felicitatem; Videte quid Beatissimi MARCVS, Nicander, & Marcianus post exitum promeruerunt, qui in carne adhuc lutea positi, & inter tortores constituti: ipsam prædicare non sunt veriti Trinitatem. Sed libet nunc intueri, quis est qui nunc mittitur ad euangelizandum; MARCVS namque interpretatur excelsus mandator; re enim vera cum Sanctis Martyribus Nicandro & Marciano excelsa mandauit Campaniæ, vt Iesum Christum Dei filium colerent, eiusque præcepta seruarent; sed Ethnici à societate Sanctorum alienati, clauos acutissimos in vertice beati cœperunt infigere MARCI, Idololatræ impiissimi in vertice eius acutos figebant, & MARCVS oculis in cælum erectis Dominum exorabat, MARCVS cum socijs supplices rogabant Domini Maiestatem, & pestilentissimi Idololatræ in eos exercebant impiam crudelitatem; & ideo solo tenus prostrati hos deprecemur veritatis testes eximios, vt pro nobis intercedant ad Dominum viuentem, atque regnantem cum Patre, & Spiritu Sancto in secula seculorum, *Amen.*

Excessit Bonifacius iuxta computum annorum sedis anno Domini 498.

15. VINDEMIVS immediatè successit Bonifacio anno salutis 498. Chronica sæpè citata habet hunc Bonifacium ordinatum fuisse à Symmacho Papa anno Pontificatus

A illius decimo, qui erat salutis 509. sed toto cælo aberrauit, cum in Concilijs Romanis sub Symmacho celebraris anno 499. 500. 501. 2. & 3. Vindemius Atinæ Ecclesiæ Episcopus subscriptus reperiatur. Sedit Vindemius iuxta Chronicam ann. 18. mens. 9. dieb. 16. Si ita est, obijt anno Domini 516. *His autem, ait illa, cum per aliquantulum temporis in Ecclesia S. Maria, qua in Arce est, moratus fuisset, Oratorium ibi construxit Sancti Onuphrij, in quo loco ob infestationem bellorum permanens, obdormiuit in Domino 2. Idus Octobris, & sepultus est in eodem loco.* Porrò Ecclesiam illam S. Mariæ antea condiderunt Atinenses ciues in colle, cum ciuitatem dirutam iterum exædificassent. In ea Ecclesia tempore belli Episcopi demorari consueue-
B runt. Post Vindemij obitum, quis in Atinensi Ecclesia successerit, non exprimitur vsque ad Pelagij Papæ tempora.

16. FELIX ordinatus dicitur à Pelagio Papa circa annum Domini 592. Sedit an. 30. dieb. 19. *Hinc*, vt narrat Chronica, *construxit Ecclesiam Sancta Maria, qua Parua dicitur, & mortuus est Martyr, à Duce Beneuentano, destructa etiam ciuitate, & Ecclesia Maiore. Post tempora verò reparata est ciuitas, & ordinatus est in Episcopatu suo in Ecclesia S. Siluestri, qua sub eius tempore deditata est, Gaudentius, vel, sicut alius Catalogus animaduertit, postea venit Dux Beneuentanus, & destruxit ciuitatem Atinam post destructionem Arcadij Imperatoris.*
C *Post hac reconciliauerunt ciuitatem Pinnenses, & Furconenses, Ipsi autem inierunt, & rogauerunt Papam Honorium, vt illis secundum consuetudinem ciuitatis daret Episcopum; & Honorius Papa ordinauit in Ecclesia S. Siluestri Gaudentium.*

17. GAVDENTIVS ab Honorio Papa post annum 625. ordinatus est Atinæ Episcopus, *sedit ann. 15. mens. 3. sub quo fabricata est Ecclesia S. Laurentij, S. Blasij, & S. Stephani, qua nunc Ecclesia S. Crucis dicitur, iuxta Amphiteatrum eiusdem Vrbis. Successu temporis Carolus Magnus concessit priuilegium; cuius summa est: In nomine Sancta, & Indiuidua Trinitatis. Incipit prace-*
D *ptum Sedis Atinensis, quod fecit Karolus Imperator filius Pipini, anno quo venit Romam, ac iunxit ad B. Petrum Ducatum Spoletanum, & Beneuentanum, qui & dictus est Patricius Roma. Prima fine huius pracepti viride, postea Aliceatum fluuium, qui dicitur Carum, montem Ferrugium, Fontana, Lapis Assedene, Riuum Surculi, vbi nascitur Rapidu, Lacubenecusa, fluuium Berdarum, riuum Verecla, & fluuium Melfa.*

18. GAIDVLPHVS à quodam Benedicto Papa huius Ecclesiæ ordinatus Episcopus sedit ann. 33. Post hunc Ioannes XIII. Papa Capuanam Ecclesiam erexit in Metropolim, cui Atinensis Ecclesia facta est suffraganea ann. 968. ignoratur tamen quis eo tem-

pore

pore Atinensis esset Episcopus, vsque ad Adenulphi Archiepiscopi Præsulatum.

19. LEO summæ eruditionis, & diuinarum scientiarum egregius vir Atinensis Ecclesiæ Episcopus ordinatus est ab Adenulpho Capuano Archiepiscopo anno 1044. eximiè sedit ann. 28. defunctusque est anno 1072. *Huius tempore*, inquit sæpè memorata Chronica, *constructa est Ecclesia S.Mariæ in Templo Saturni; huius etiam tempore inuentum est corpus Christi Martyris Marci, quod latuerat in Episcopio Atinensi sub altare minore quod postea dedicauit in honorem S.Bartholomæi iuxta corpora SS.Nicandri & Marciani*. Annus Christi erat 1046. Kal. Augusti, quando Leo Sancti Martyris exuuias sacras inuenit ac transtulit, cuius Historiam ipsemet egregius Præsul scripsit, cuius exemplar ex m.s. Codice literis Longobardis conscripto Bibliothecæ Cassinensis hic non pigebit exscribere.

Inuentio, siue translatio Corporis Beatissimi Marci Martyris, & Pontificis edita à Domno Leone Venerabili Episcopo Atinensi.

Fratres charissimi humiliter postulemus gratiam Spiritus Sancti quo eius repleti dulcedine de Beatissimi Marci corporis inuentione non incongruè reddamus sermonẽ.

Beatissimus igitur Marcus, Domitiano Cæsare imperante, Atinensis fuit Antistes, sub cuius temporibus Maximo iubente Proconsule, clauis capite duris affixus, demum gladij ictu ceruice percussus, Martyrij est palmam gloriosè adeptus, atque in memoratæ ciuitatis confinio feliciter est tumulatus. Christiani verò, qui tunc temporis aderant, magno studio in eius honore construxerunt Basilicam, quæ longo post tempore, vt eius antiqua mœnia monstrant, à prauis hominibus deuastata, & ad solum est redacta. Multo itaque tempore sic permanente, cœperunt ibi rustici suas bestias, equos, & asinos nocturno tempore collocare; sed Omnipotens Dominus Marci sui dilecti famuli iniuriam mirabiliter vindicabat. Contigit autem, vt pertransirent indè viatores, & in loco eodem iuxta sepulchrum, nescientes illic requiescere Sanctissimi Marci venerabile corpus, suos equos vellent locare: quædam autem Sanctimonialis fœmina clamosis obstitit vocibus dicens; Nolite fratres, nolite in hoc sancto hospitari loco, ne forte aliquid vobis mali contingat: Vidimus enim Dei magnalia sæpiùs in hoc fieri sanctissimo loco. At illi pro nihilo ducentes hæc verba, eadem nocte, manserunt ibidem; & facto mane insultantes sermonibus eius, cœperunt iter arripere. Sed antequam longè procederent, ad modum sagittæ ictus cœperunt iam pœnitere de facto,

A quia vnus eorum equus in terram corruit mortuus, alter verò nondum peracto stadio in ipso itinere perijt, taliter Domino cunctipotente sui Marci dilecti Martyris iniuriã vindicante. Alio itaque tempore, sicut à quibusdam fidelibus mihi relatum est, cum quidam Calabrites onustis asellis mercibus ad prædictum locum serò venirent, & diuertendi hospitium quærerent. Quædam venerabilis mulier dixit illis; Nolite, charissimi, in hoc loco vestros asinos collocare; quia locus sanctus est: nam si præsumitis, non absque damno hinc transire valebitis. Qui sua inebriati vesania dixerunt ad eam. Ergo & nos mortui sumus, si nostros asinos custodire non possumus, & cum nox iam pleniùs aduenisset,

B collocantes se, & in medio asinos eorum ponentes; & quamuis audacter fecerint, tamen suspecti, ne à lupis vel à latronibus raperentur, frustratam custodiam posuerunt: nescientes scripturam, quæ dicit, quod timet impius, veniet super eum. Arreptis itaque à somno & velut mortuis effectis, lupus è diuerso veniens in medio eorum ingressus, asellum abstrahens interfecit. Consimile namque miraculum mihi ad memoriam venit, ad ipsis referentibus, qui priora. Nam die quadam, similiter eodem in loco, sole occidente, quidam cum suo asello veniens, hospitium quærens, diuertit, & dum à fœmina supradicta repelleretur, ne diuertisset, continuò cum suo asino hospitatus est, & pedem aselli cum suo

C simul ligauit, atque se protinus in terram gratia quiescendi dedit. Tunc prætergressi latrones, inuenerunt eum velut mortuum dormientem, & inuicem se in malum concitantes, restim continuò concidentes, et asinum abstulerunt, qui protinus à somno euigilans, damnum inuenit, & à loco tristis abscessit. Cœperunt dicti homines metuere locum, & ab iniuria reuerenter cessare. Quapropter peracto ciues concilio, nisi sunt eandem Ecclesiam restaurare, & conuocato Episcopo, qui tunc temporis aderat, altare ibi in honorẽ Beatissimi Apostoli Bartholomæi dedicare fecerunt; nescientes illic requiescere venerabilis Marci Martyris corpus, in cuius honore, vt æstimo, prius fuerat benedicta. Igitur

D tempore quo pijssimus Imperator Conradus regnabat, anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadragesimo quarto, diuina fauente gratia, quidam illic ordinatus Episcopus sollicitus pro restaurandis sui Episcopatus Ecclesijs ab iniquis & prauis hominibus desolatis; & dum de loco in locum visendi gratia afsuisset, peruenit tandem ad Episcopium antiquissimæ vrbis Atinensis, & ingressus prædictam Ecclesiam, quæ in suburbano prædictæ ciuitatis adest, perlustransque inuenit ante Sanctum Altare congeriem lapidum, quã de fractura murorum aceruum fecerat, & valde suis, alienisque oculis displicebat. Tunc conuocans ad se quendam presbyterum, assignans ei locum præcepit, dicens; Hunc accipe locum,

cum, fili, & diligenter emunda. Presbyter autem sibi delegatum locum accipiens, deuotè cœpit emundare, & dum per gyrum altaris effoderet, inuenit lapideum titulum scriptum, & licet fractum nomen Christi Martyris Marci intimantem; quem videns Episcopus exclamauit dicens: ô Martyr magne, ostende nobis indignis tua pignora sancta, deinde conuersus, Dominum his verbis cœpit toto corde deuotissimè supplicare: obsecro Domine, obsecro vt digneris nobis peccatoribus dilecti tui Marci Martyris tumulum demonstrare; spero etenim & fideliter credo, quod hic requiescit Marci Martyris corpus, cuius iste titulus nobis nomen idemonstrat. His ita peractis, continuò ad propria repedauit, (B) & ardentissimo desiderio noctem eandem duxit insomnem; Mane itaque facto quasi diuinitùs præcepit duobus presbyteris, vt irent, & ante altare foderent, quousque ibidem ipse descenderet. Inerat enim sibi nô parua dubitatio, eo quod multa corpora hominum inde iacebant, & quod dubietatis rãcorem à se auferre non poterat, vnde & Dominum pulsare precibus cœpit vt sibi ostendere dignaretur, quod deuotè quærebat. Presbyteri autem pergentes, in dexteram partem altaris S. Bartholomæi cœperunt fodere: Secutus autem eos Episcopus, & inuenit eos in cassum laborantes, intuẽsque eos accepit fossorium, & ipse propria manu cœpit fodere, & dum labore esset fatigatus, reddidit illis, (C) & factum est, dum ipsi foderent, peruenerunt ad tumulum, in quo Sancti Martyris Marci corpus requiescebat, & nimio repleti odore, exclamauerunt dicentes; Surge benigne Pater, quod tu quæris, ecce tenetur. Qui statim de loco surgens, humoque prostratus his verbis Omnipotentem Dominum collaudabat: Gratia celsa tibi, regis qui menia Mundi, qui quodcunque cupis, cum vis, sine mora patratur, Gaudens quoque, & vehementer exultans de tanto sibi concesso Patrono, collegit pignora sancta; sed non tã lætus de toto corpore, quam tristis mansit de capite, eò quod non esset ibidem; erat enim Sabbathum quasi hora vndecima, & quamuis interdiceret, ne alicui panderetur; tamẽ tota ciuitas subito de fama repletur. (D) Cœpit autem sancta pignora suis manibus diligenter abluere, & in scrinio collocare, & eadem nocte deputatis clericis, in hymnis & spiritualibus canticis tota nocte peruigiles iussit manere, vt facto mane ad Episcopium eiusdẽ vrbis cum laude & gloria deportaret. Presbyter autem, qui prius titulum lapideum scriptum inuenit, cuius & superius memoriam fecimus; erat tunc in infirmitate valdè afflictus ita vt de vita desperaret, qui vt hæc audiuit, misit continuò ad eum, vt dignaretur sibi aquam mittere, de qua sacra abluerat pignora, quam medelam ab eo accipere mereretur. Mane itaque facto consurgens Antistes admonuit populum vt pariter cum eo descẽ-

(A) deret, & cum omni honorificentia ad supradictam Ecclesiam Marci sanctissimum corpus transferret. Indutus autem sacris vestibus simul cum ministris, qui secum aderant cum thuribus, & cerapstatis, & cum omni apparatu ecclesiastico, viris & mulieribus, pueris & puellis, accensis cereis, impositaq; litanis, ad locum tetendit, & leuato inde corpore, & in lectica composito, laudem Domini decantando, peruenit ad ciuitatem, sed antequam Episcopium ingrederetur, Presbyter ille, quem superius penè mortuum memorauimus, incolumis cum accensis cereis obuiã sancto aduenit corpori laudans, & benedicẽs omnium Côditorem. Episcopus autem grates immensas referens omnium Redemptori Do(B)mino Deo, Episcopium eiusdem antiquissimę ingreditur vrbis, & venerabile corpus in côfessione Dei Genitricis collocauit, expectans, vt sibi Omnipotens Deus ostendere dignaretur locum, quem sibi aptum placeret ad recôdendas reliquias venerandas.

Eodem quoque die, quo Sanctum Marci leuatum est corpus, accidit vt inde quædam Sanctimonialis transiret, & dum longius ire satageret, vt audiuit hoc factum, eundem diuertit in locum, & dum se prona prosterneret sanctum adorare sepulchrum, respexit, & ecce particula reliquiarum in medio iacens, furtim leuauit, & gauisa gaudio magno secũ portare voluit; quæ dum non longè ab Ecclesia esset, antequam perueniret ad vadum (C) fluminis, tantus timor inuasit eam, vt nec retro, nec ante posset aliquando declinare. Recordata autem Sancti Martyris reliquiarum, continuò sericeum velum, quo caput tegebatur, tulit, & inuoluens ibi sancta pignora remisit ad corpus, & mox quasi à vinculis absoluta, cœptũ peregit iter. Cœpit dehinc Antistes vehementer hæsitare, quid inde faceret, vel in quo loco eum reponeret, aut si sibi propriam domum construeret, & dum hæc tractaret, affuit dilectus Domini Marcus in somnis cuidam religiosę fœminę dicens; Vade & dic Episcopo, animaduertat diligenter, & nostrum euidenter perpendat honorem; quia domus, de qua nostrum tulit nunc corpus, nostri honoris causa mirificè extitit facta; (D) quapropter ædem propriam quæro, quod si neglexerit facere, sciat se hoc anno periculo subiacere. Hoc audito, Episcopus expauit; & de visione nil dubitabat; quoniam mulier illa timorata nimis, quæ viderat, cum iuramento terribili affirmabat. Collatione itaq; facta cum suis, in loco, quo sibi comparuit, statim ad perficiendum opus cœpit fundamẽta iactare. Sed nô absque diuino nutu, citius vt æstimabat, compleuit. Nam si sibi Deus, vt optauerat, tribueret facultatem, forsitan hodie non caput membra haberent. Qualiter autem gloriosissimi Marci Martyris caput inuentum est, silentio non est prætereundum. Nam quadam nocte cuidam veterano presbytero dormienti, vt ipse hactenus narrat,

rat, vox facta est, dicens: Surge & noli dormire. At ille expergefactus, putabat se à suo socio, qui secum morabatur in loco vocari, & dum sciscitaretur, quare? & nemo sibi responderet, iterum obdormiuit, & necdum aperte dormiens, denuò vox audita est, dicēs ad eum, noli tam piger esse, Surge & in angulo huius basilicæ quære thesaurum. Attonitus autem presbyter ille, & admirans secum de visione cœpit tractare; sed antequam de lectulo surgeret, consimilis tertia audita est vox præcipiens, vt continuò surgeret, & vlterius de visione non dubitaret. Tunc presbyter lætus effectus, putansque pecuniam certius inuenire, festinus surrexit, & ferramentum aptum ad vepres scindendas arripiens, quasi diuinitus ad locum peruenit, & vepres, quibus locus tegebatur, abscidit, atq; in ipso angulo in modum capsulæ loculum factum inuenit, quem statim aperuit, & inuenit in eo Caput gloriosissimi Marci Martyris simul clauis affixis, cum quibus impij cruciauerant illum, & quamuis quod putauerat, minimè inueniret, tamen gaudio magno gauisus, lætabundus ad Episcopum venit, & cuncta quæ viderat enarrauit. Magno itaque gaudio repletus est Episcopus, vt si decem millia auri talenta inuenisset, non tam lætus efficeretur, quam de hoc capite Sancti Martyris; & licet hæc visio non certius nomen istius Domini Athletæ declarasset, ille tamen affirmabat, quia hoc est Sanctissimi Martyris caput, & Dei prouidentia reseruatum, ne corpus absque capite conderetur. Anno itaque completo, consummata Ecclesia in eius honore, & capite iuncto corpori summa cum reuerentia est tertio nonas Octobris solemniter dedicata; Scripsit autem & titulum lapideum vt priorem, & iuxta locum posuit continentem hoc modo.

Hic Martyr magnus requiescit corpore Marcus,
Quod tribuente Deo condidit ecce Leo.
Præsul Atinensis, lapis hic erit & sibi testis.

Inuentum est autem sexto decimo Kalendas Augusti Anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadragesimo sexto. Erat autem tunc immensa siccitas super terrā, ita vt plurimi ex populo crederent finem adesse mundi eo quod incendia, & caligo magna totum inuaserant Orbem. Nam herbæ campi defecerant, virentia cuncta ardebant. In ipso autem periculo apparuit dilectus Domini Marcus cuidam Sanctimoniali fœminæ, præclaro vultu, longo & pulchro corpore, barba & capite candido, dixitque ei, surge, & dic Episcopo, quare corpus nostrum tandiù retinet super terram? Ecce iam domus mihi parata est, quid moratur? Nunquid non cernit quod

A populus siccitate periclitatur? Sciat profectò, quia si corpus meum redditur terris, statim aqua Domini beneficio tota terra rigatur. Facto itaque mane surrexit fœmina, & quæ viderat intimauit. At ille hesitare cœpit quid ageret; decreuerat enim eo die, quo corpus inuentum fuerat, basilicam dedicare. Nam fideliter populus irruerat super eum dicens, nolumus iam tibi amplius credere, si hæc beneficia à Deo nobis promissa retardare volueris. Sanctimonialis autem fœmina cum iuramento affirmabat, me in custodia retinere, & sanctum corpus reddite sepulturæ, & si tertia die pluuiam non habetis, sine mora meum caput detruncate. Conuictus

B autem tam mulieris assertionibus, quàm etiā & populi obiurgationibus, quarta videlicet feria Ipse cum aliquantis de populo ieiunauit, & cum serò esset, ipsis solis locum scientibus, secretius corpus humauit, atque cuncto populo diem sacrationis denunciauit. Factumque est vt die illo transiret, & sicut mulier repromisit, alia die tantam Omnipotens Deus pro honore sui dilecti Martyris cōcessit pluuiam, vt subito tota terra aqua abundantissimè repleretur. Ad hæc tota ciuitas lætatur, quia id quod optauerat, sine mora tenebat.

Prætermisimus autem magnum & stupendum miraculum, quod omnipotens Deus eodem die, cum adhuc sanctas reliquias manibus versaret Pontifex, operari dignatus

C est. Nam dum quidam iuuenis aridam manum habens superueniret, & in medio circūstantium populi se obijciens, prospiciens, quod Episcopus languentibus aquam, de qua sacræ abluebantur reliquiæ, ad potandū porrigeret, cœpit & ipse plena fide, deuotaque mente postulare, quatenus ei pro remedio suæ salutis dignaretur sibi porrigere, qui statim accepto vasculo benedixit, eique ad potandum porrexit. Sed statim vt ad os illius extitit propinatum, diuina fauente gratia illico manus eius incolumis reddita, haustum vasculum à proprio ore remouit. Viso autem tanto miraculo admirati cœperūt omnes glorificare Omnipotentiam Saluatoris qui tanta in his vltimis diebus ad confirmādum fidelium mentes miracula operari di-

D gnatus est.

Præsenti quoque anno, quid in hac vrbe clemens Dominus apud illius venerabilissima pignora operari dignatus est, silentio prætereundum non est. Nam dum cuiusdam fabri filia ab antiquo hoste demens efficeretur, ita vt in loco in quo consisteret, vel suam ipsam genitricem ignoraret: continuò mater eius, cum cognouisset, festina de agro, in quo ad pascendum boues miserat, ad Episcopium cum ea cucurrit, & præsenti Episcopo indicauit. Qui statim vt cognouit eam ob inuidiam antiqui hostis miserabiliter immutatam, dixit ad eam: ò mulier, quid tibi faciam, ignoro, sed tanquam misericordiam consecutus, consilium recuperandæ filiæ ve-

stræ saluti, præbeo. Suscipe ergo & continuo eam in nostri Saluatoris Iesu Christi fiducia ante sacrum eius gloriosi Martyris tumulum proijce; confido enim & fiducialiter credo per eius sacrum auxilium suo interueniente suffragio, ab ista infestatione filia tua sanabitur; quæ mox vt audiuit, confortata illius oraculo, per manum eam apprehendẽs, & in Ecclesiam plena fide, deuotaque fiducia introduxit, & eam ante sacrum tumulum flebiliter Dominum rogando proiecit. Erat autem tunc hora tertia diei, & permansit in hac oratione ferè hora quinta, atque pro ea sacrificium Deo oblatum, incolumis auxiliãte Domino facta cum sua simul genitrice, quæ cum graui angustia, & dolore ad Episcopum venerant cum gaudio & lætitia ad propria sunt reuersæ.

Denique cum ad hoc miraculum ad laudem Domini nostri Iesu Christi & præconia sui dilecti Martyris Marci scriberetur, & de his virtutibus stupenti anima miraretur, quidam Monachus bonæ memoriæ S. Benedicti Cœnobij adnotatum miraculum deuotè de manibus accipiens, Sanctissimi huius Martyris prece deposcens, quo sibi dignaretur subuenire & dolorem sui capitis, quo sæpius cruciabatur auferre, atque stylum perlectum in vtraque parte sui capitis ponens, suppliciter se sustollens in prece agebat: Eia verende Martyr mihi succurre precanti, atque pro tuo honore mei capitis tolle dolorem. Et cũ hæc deuotissimè diceret, continuo Domini largiente clementia, dolor capitis ab eo recessit: & mox lætabundus ad nos continuò repedauit, & quantam sibi Deus fecerit misericordiam meritis sui dilecti famuli enarrabat, humoque prostratus, & erectis in cælum manibus, cœpit magna cum exultatione Dominum & eius Martyrem collaudare. Lætemur itaque fratres carissimi, & totis viribus iucũdemur, exultemus & delectemur in Domino, pro cuius amore hic gloriosissimus Martyr Marcus supplicium pertulit mortis, & non tam de miraculis, quàm de eius dulcissimo patrocinio gloriemur, in quo cum amore nostræ deuotionis spem & fiduciam ponimus absque dubio de magnis periculis ab eius sancta intercessione protecti, hic & in futuro liberati lætabimur. De signis videlicet, atque prodigijs non semper quemque admirari oportet; quandoquidem non tantũ Sancti, sed etiam & peccatores in nomine Domini facere possunt: Vnde in Euangelio in die iudicij dicturi sunt Domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & multa signa fecimus? Quibus dicturus est Dominus. Discedite à me operatores iniquitatis; quia non noui vos. Nam & B. Gregorius in sacro eloquio signa quoque infidelibus data esse refert. Ergo si signa infidelibus conceduntur, cur nos fideles in signis, & miraculis miramur, & non potius in sanctitate confidimus? Nam vbi desunt signa, adsunt & suffragia sanctitatis. Ideoque carissimi, omni fiducia, totaq; mentis deuotione solo prostrati, apud hunc Sanctum Martyrem Domino veniam postulemus, quatenus eius sacris meritis impetrare mereamur. Nam si ex toto corde & fida mente rogamus, quod pro salute nostra deposcimus; dicente Domino, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabitur vobis. Quæramus igitur auxilium ab eo, qui potens est, & sanctum nomen eius, & qui suos Martyres in æternum glorificat, vt pro illorum meritis nos de periculis imminẽtibus assiduè liberet. Scimus enim, & indubitanter credimus, quod si quis eum nó tepida mente precibus pulsat, quicquid pro sua salute rogitat, absque dubio obtinebit, vt ipse fidelibus suis pollicere est dignatus; dicit enim, si habueritis fidem, vt granum sinapis, diceretis huic monti, transi hinc, & transiet, & si in fide non hæsitaueritis, quicquid, sine dubio quod petieritis, impetrabit id ipsum. Sunt quidem nonnulli, qui petunt tepida fide, & ideo non merentur quod quærunt accipere, & sunt alij, qui tam ardentissima fide petunt, ac si præsentes habeant, & os ad os loquantur. Hi iccircò exaudiri merentur, & effectũ precis suæ adipiscuntur. Vos itaque adhortor, carissimi, vt huius sancti Martyris Marci auxilium imploremus, vt vna nobiscum in suo patrocinio congratulemur, vt cui assiduè præconia sanctitatis in terris attollimus, illius consortium mereamur habere in cælis. Auxiliante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Quartodecimo anno Leonis Episcopi erat salutis 1061, *religiosus Comes D. Odericus ad hunc locum veniens obtulit in sacro sanctum altare per chartulam donationis molẽdinum vnum. D. Comes Raynaldus obtulit terram, quæ fuit Benedicti texitory, idest quinque petias terræ, & alij alia multa. Cum verò resideret religiosissimus vir, & Deo amabilis Leo Sedis Atinensis Episcopus, quæ ab ipso fuerat condita, atque benedicta, nec non & restaurata de rebus quæ tunc habere videbatur, in eadem Ecclesia construxit cameras, in quibus & sui successores habitarent iuxta maiorem Ecclesiam ab Occidentali parte: fecit totam domum vbi nunc est cella vinaria, fecit & dormitorium Canonicorum, fecit & refectorium ad vtilitatem fratrum; fecit & coquinam cum pistrino, & palatio ad susceptionem nobilium virorum. Super hæc autem libros plurimos eidem Ecclesiæ conferens, quod superfluum credimus nominare; pallia & ornamenta non pauca ad ornatum Ecclesiæ studuit conquirere. Fecit Ciborium super altare maiore, quod versibus curauit ornare in circuitu ipsius laboris. Posuit & coronulam deauratam super ipsum altare, & tres Icones similiter deauratas ad honorem Sanctissimæ Trinitatis. Fecit & coronulam in medio Chori, & aliam coronam æream ha-*

habentem in gyro turres duodecim, in quibus duodecim sculpti erant Apostoli, quam catenis ferreis suspendit coram crucibus in medio Ecclesiæ. Fecit & duas trabes ferreas, vnam in choro, & aliam extra chorum ad apponendas candelas. Fecit & campanarium in Ianua Ecclesiæ à Septemtrionali plaga. Tempore Victoris Papæ Secundi facta est congregatio Atinensis in Ecclesia S. Mariæ. Hactenus Chronica de Leone egregio Præsule, qui anno Domini 1056. in ea Congregatione ab Chronica memorata, in Ecclesia S. Mariæ, cuius erat deuotissimus, solemnem donationem fecit Canonicis, Clericisque suis, vt deuotius, ac feruentius Deo, & Ecclesiæ interuenire possent, hanc iussit ad futuram animi sui excolendam memoriam litteris commẽdari, ijsce conceptis verbis conscriptam ab exemplari.

In nomine Domini nostri Iesu Christi, anno ab Incarnatione eius millesimo quinquagesimo sexto mense Iulio, Indict. 9. Residente in vrbe Roma Summo & vniuersali Pontifice Domino Papa Victore, & imperante Domino Conrado pijssimo Imperatore, & Capuanam Ecclesiam gubernante Domino Adenulpho Archiepiscopo. Nos Leo diuina gratia dispensante Eccles. Atinẽsis Episcopus, recto considerationis oculo ea, quæ ad vtilitatem Ecclesiæ pertinent intuẽdo, vt Ecclesiasticus ordo iustè & piè in domo Domini viuere valeat, ordinantes, in mente statuimus, vt Atinenses Clerici ad Eccles. S. Mariæ spontè, & voluntariè pariter conuenirent, & diuinum seruitium vnanimiter Domino exhiberent, hoc nostræ voluntatis arbitrium placuit, & ipse, à quo omne bonum procedit, hoc sua clementia tribuit, & concessit. Quoniam ipse, qui bonam voluntatem largitur, præbet & operationis piũ effectum. Conuocatis igitur vniuersis Clericis vnà cum Domino Lando Illustrissimo Comite, & nostro Aduocato Bernardo pariter cum omni populo Ciuitatis nostræ voluntatis arbitrium disseruimus, & propositum in mente conceptum illis omnibus viua voce aperire curauimus, vt nihil in domo Domini absque digno consilio fiat, quia scriptum est, omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis. Patefacto denique consilio dignum & iustum visum est vniuersis ne Clerici per diuersa vagantes, & seculares curas, atque sollicitudines semper gerentes in diuino se famulatu exercere, prout condecet minimè possent; proinde Clerici consilio habito, quidam ex ipsis non inuiti, neque coacti ad Ecclesiæ seruitium gratuito pectore, & sincera voluntate se contulerunt, videlicet Theoto, Angelus, Ioannes, Almundus, Albertus. Ioãnes, Leo, Benedictus, Petrus & Ioannes Presbyteri, & Benedictus Archidiaconus, & Gregorius, Marcus Primicerij, Dominicus & Atinus. Hi omnes rationabile obsequium Domino repræsentantes vt ambularent in domo Domini cum consensu ad Altare Sanctæ Dei Genitricis se se cum omnibus suis rebus humiliter obtulerunt. His ita peractis memoratus Comes omni populo sibi adiuncto vnà cum prædictis Clericis supplices nobis preces deposuerunt, attentius exorantes, vt tam illi, qui se iam ad Ecclesiæ gremium contulerunt, quàm & posteri, qui eorum fuerint vestigia secuturi nostra discussarent, quorum preces benigno pietatis intuitu attendentes, dignum eos duximus exaudiri, vndè accepto & deliberato cõsilio eidem Sanctæ Dei Genitricis Ecclesiæ omnibus Canonicis sicut præsentibus, ita etiam & subsequentibus concedimus, atque donamus Ecclesiam Sancti Laurentij, Sancti Marciani, S. Blasij, S. Syluestri, S. Petri, S. Stephani, & omnes Ecclesias, quæ in finibus Atinæ Ciuitatis construi possunt, scilicet cum decimis, primitijs & oblationibus viuorum, & mortuorum. Præterea ad honorem Sanctæ Dei Genitricis, & ob reuerentiam Corporis Beatissimi Martyris Marci huius Ciuitatis Antistitis concedimus vobis, vestrisque successoribus omnium vestrarum Ecclesiarum ordinationes pariter, & canonicas sanctiones. Concedimus insuper vobis vt quoties nos vel nostros successores absentes fuerimus ex nostræ authoritatis officio potestatis plenitudinẽ habeatis, vt Episcopali iure Clericorum iudicium in vestro Capitulo obtineatis, & de vniuersis criminalibus, videlicet de matrimonijs dissoluendis, vel coniungendis, & de oppressionibus canonicè iudicandis, & vt huius nostræ paginæ instrumentum, sicut & à nobis, ita etiam à successoribus nostris firmum & illibatum in perpetuum conseruetur. Obligamus nos, & posteros nostros Curiæ centum libras auri componere, & hoc simili modo eodemque tenore inuiolabiter cõseruetur. Quod si quis huius nostræ constitutionis decretum aliqua ratione ausu temerario infringere, vel remouere ex parte Dei omnipotentis, & B. Mariæ semper Virginis, Beatique Michaelis Archãgeli, & ex parte Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Apostolorum, & Beati Marci Martyris Omniumque Sanctorum perpetuo eum anathematis vinculo innodamus, vt in die iudicij non resurgat in dextera parte coronandus, sed cum Iuda Domini traditore, & cum Dathan & Abiron, quos terra viuos absorbuit, suam sedem accipiat, Amen. fiat. fiat.

Hoc ego Benedictus Notarius per iussionem supradicti venerabilis Episcopi scripsi.

Actum Atinæ feliciter.

Leo Dei gratia Episcopus scripsi.
Ego Lando gratia Dei Comes.
Ego Petrus Adoni Iudex.
Petrus Ioanni Sergij Iudex.
Ego Iubone testis sum.

Hactenus Leonis Episcopi documentum.

Plura

Plura scripsisse Leonem sui ingenij documenta referunt; quæ pauca supersunt, extant sermones aliqui in D. Marci Martyris prædecessoris sui apud me m.s. Ne autem, sicut cætera voret vetustas, hic exscribere non pigebit ad laudem tanti Martyris asserendam, in cuius etiam laudem Petrus Diaconus Cassinensis aliquot sermones concinnauit, nec adhuc, quod sciam, excusi sunt, latentque in celebri Cassinensi Bibliotheca.

Sermo Domni Leonis Vener. Episcopi Atinatis.

Ad Matris Ecclesiæ gremium, fratres carissimi, harmoniæ tympanum per totum orbem plebs fidelium sumens, laudesque Regi magnifico super Beatissimi Marci Pontificis passionem canens recurrat. Hodie namque Marcus Præsul sanctissimus, Apostoli Petri discipulus coronatus ante Dominum peruenit, hodie laureatus cælestibus infulis redimitus ante eum assistit, hodie inquam audire meruit; Euge bone serue, & fidelis; quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens supra multa; hodie pro Christo duobus clauis in capite est affixus; hodie brauium victoriæ perennis accepit, hodie sub cælesti est ara locatus; hodie cum his, qui pro Christo passi sunt, Canticum nouum Deo decantans exultat, hodie corpus suum vrbi Atinæ tumulandum reliquit, hodie per totam Campaneam Catholicam illustrat Ecclesiam. Adeo enim supereminens eius excellentissima extitit gloria, vt sua quidem passione non solum Atinensem Ecclesiam; verum etiam totam illustraret Campaneam; Clarificauit nempe hic beatissimus Martyr & Pontifex Marcus sua passione Iesum Christum Dominum nostrum, cum pro eius nomine clauis est in capite binis confixus; sua itaque passione, & Præsulatus officij dignitate illustrauit Ecclesiam, cum sicut à Beato Apostolo Petro ei fuerat traditum, alios verbis, alios corporis sui supplicio, alios miraculorum signis ad veri Dei culturam accendit; Nam quis in Sanctæ Matris Ecclesiæ gremio consistens clauos in capite non libenter pro Christo cum Marco susciperet, vt à Christo Domino in perpetuum cum eo remunerari valeret? De hoc siquidem & alijs Martyribus Dauid Propheta prædixerat, vre renes meos & cor meum; huius itaque excellentissimi Martyris fide Ecclesia Christi per orbem diffusa incitatur ad martyrij metam, prouocatur ad prædicationem, instruitur ad pugnam; Incalescant ergo hodie fidelium mentes, & de tanto Ecclesiæ ariete congaudentes, odas Christo promant, melleaque famina laudis; Nam quis super tam immanissimam passionem non obstupescat? quis non admiretur tortoris sæuam crudelitatem? Apprehenditur Prædicator Trinitatis Sanctissimus, & Præsul magnificus catenis ferreis coarctatur, carceri

A mancipatur, supplicijs afficitur, proscribitur, damnatur, ad postremum clauis acutissimis in capite confoditur; Videte fratres, videte Marci mysterium, videte tantam longanimitatem, videte tantam patientiam. Animaduertite, quo calore vrebatur, qui dum intrepidus persequutoribus verbum vitæ annuntiat, acutos in capite suo pro Christi nomine suscipere clauos nõ formidauit; Vrebatur Martyr sanctissimus desiderio vitæ æternæ, & idcirco libenter substinuit acumina sæua clauorum; Hinc Paulus ait, viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens etiam vsque ad diuisiones animæ ac spiritus, compagum quoque, & medullarum & discretor cogitationum Dei; Clauorum

B igitur beatissimus Marcus afficiebatur supplicio, sed validius Sancti Spiritus vrebatur ardore; sed dum Martyris mens in fidei amore succenditur, hinc amplius tortor nefandus ad eius necem cum sæuis lanistis vrgetur, clamat celerius, clamat instantius, ò mali milites, effœminatum qui animum fertis cum sceleratissimo Marco parcitis, Atinensis ciuitas in Christi laude resultat; præparentur noua supplicia, gladius acuatur, neci Christianorum Præsul & Doctor tradatur, corpusque eius lupis & canibus deuorandum relinquatur, ò sententia sæua tortoris, heu heu phalanx iniqua; cur frustra in Christi martyrem sæuis; Adest, adest inquam cunctipotentia celsa tonantis; aderit clementia magnifica Dei, de tuis qui manibus liberet beatissimum Marcum, caput eius perforatur, sed firmissima

C constantia pectoris eius à charitate non recedebat Omnipotentis, Corpus supplicia patitur, sed salutem vitæ æternæ acquirit; ò felix constantia, ò spes inenarrabilis quæ dum clauorum non timuit substinere cruciatus, ante Omnipotentis Dei clementiam meruit peruenire Laureatus, Laureatus inquam ante Dominum Beatus Marcus aduenit, & mox inter sanctorum cateruas à Domino est Iesu Christo locatus; hic est Martyr beatissimus, hic est Præsul dignissimus, hic est Principis Apostolorum discipulus, hic est Iesu Christi Domini nostri prædicator, testisque magnificus; sed quoniam ipsius hodie ueneranda natalitia celebramus, eum tanquam Patronum

D nostrum flagitemus obnixius, quatenus pro nobis assidue intercedat ad Dominum; decens siquidem est, vt quem prædicatorem, & Doctorem veritatis habuimus in terris, adiutorem pariter habere mereamur in cælis, quod Christus Iesus Rex Regum omnium concedat æternus, qui viuit & regnat cum Patre, & Spiritu Sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen.

In octaua S. Marci Episcopi & Martyris. Sermo Domini Leonis Episcopi Atinatis.

Hodie dilectissimi octauum diem Sanctissimi Martyris & Pontificis Marci celebramus, in quo calcauit diabolum persequentem, vicit mundum blandientem, & sub pedibus suis conculcauit Imperatorem frementem: quanta enim gloria, & quibus honoribus in hoc mundo claruit, & qualiter Apostolorum Principis factus auditor, qualiterque ad cælestia Regna migrauit, cum eius passio legeretur audistis; rectè igitur Sancti Martyris, & Præsulis solemnia vsque ad diem celebrantur octauum, qui septem tempora, idest septem à sæculo leges per septem dies, quibus vita humana designatur conseruans, octauum diem, qui resurrectionis & iudicij est in cordis arcano retinens, pro fide Christi mori non timuit, quod verò partes septem, nec non & octo vnusquisque fidelis dare debeat, Salomon declarat dicens; Da partes septem nec non & octo. Dies enim fratres in Sancta Ecclesia declarantur tres, ante legem, sub lege, & sub gratia; declarantur & septem per septem à sæculo leges, sed iam prout Dominus dederit prædictum numerum, qualiter intelligendus, & vnicuique sit aptandus, & quid mysticè signet, vestræ fraternitati promamus.

De primo die.

In primo namque numero intelligimus Deum Patrem Omnipotentem. In secundo Iesum Christum filium eius Dominum nostrum, In tertio Spiritum Sanctum à Patre, & filio procedentem, & hi tres vnum sunt, vnum in Deitate, & tres in personis: dies autem Deus Pater est, dies Filius est, dies Spiritus Sanctus est, dies diei Filius de Patre est, ipse & sol iustitiæ est, de hoc die per Prophetam dicitur, timentibus Deum orietur Sol iustitiæ; ergo si Pater & Filius dies sunt, & dies lux est, patet nimirum, quia Spiritus Sanctus vera illuminatio est, illuminans corda, & fidelium mentes; Per primam verò diem accipiendum est vnum Deum, vnam fidem, vnum baptisma; similiter & per primam diem possumus intelligere ab Adam vsque ad Noe, & vniuscuiusque hominis infantiam, & correptionem, & insciorum prædicationem.

De secundo die.

In secundo verò numero intelligere debemus legem, & gratiam; timorem, & pœnitentiam, pedes recti iuxta illud, recti diligunt te, & speciem electri, idest filij Dei incarnationem, nec non & corpus & anima, vitam actiuam & contemplatiuam practicam, & theoricā, sensum historicum, & allegoricum facere, & docere, vniuscuiusque pueritiam; ac iuxta Domini præceptum esurientes reficere. Et tempus à Noe vsque ad Abraham est delinquentum increpatio; per legem namque homines à peccato coercentur, per gratiam peccatoribus ignoscitur, per timorem misericordia poscitur, per pœnitentiam peccatoribus venia datur, per pedes in viam mandatorum Dei curritur, per Electrum filij Dei Incarnatio demonstratur.

De tertio die.

In trino numero intelligimus Trinitatis mysterium, & tres chordæ in cithara, Deum per artificis manum laudantes, ac tres dies ab origine mundi, vt ante iam dixi, vsque ad consummationem sæculi, sunt enim itinere trium dierum Pater ingenitus, Filius vnigenitus, Spiritus Sanctus ab vtroque procedens, Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus Sanctus in specie columbæ & ignis. In libro namque Ezechielis tria verba descripta ostendit illi Deus, lamentationes, carmen, & væ; per lamentum pœnitentia, per carmen gaudium æternæ beatitudinis, per væ supplicia æternæ dãnationis figurantur. Tres etiam res sunt, propter quas vnusquisque fidelis ad Ecclesiam pergit, ad baptismum, & iudicium percipiendum, & corpus ac sanguinem sumendum; In viuifica quidem hostia tres colores conspiciuntur, species formæ, candor & rubor. Vnde Dauid de eius specie sic ait, speciosus forma præ filijs hominum. in candore carnem virgineam, in rubore mysterium Dominicæ Passionis. De hac viuifica hostia tres partes exinde facit sacerdos, primam in patena, secundam in calice ponit, tertiam ipse sacerdos sumit; Prima pars, quæ in patena ponitur significat Incarnationem Filij Dei; secunda quæ in calice ponitur, corpus incorruptibile, quod in sepulchro latuit, tertia quam sacerdos accipit, Christi resurrectionem designat.

De quarto die.

In quarto verò numero accipimus figuram quatuor animalium, & quatuor rotarum, ac quatuor annulos Arcæ; & quatuor principales virtutes, prudentiam scilicet, & iustitiam, fortitudinem & temperantiam, vel quatuor mundi partes, aut hominem ex quatuor elementis creatum, & quatuor flumina ex vno paradiso manantia; in quarto etiam loco scribitur illud, quod Deus dixit, fiat lux, & facta est lux, in quarto quoque loco hominis ponitur iuuentus, & tempus à Moyse vsque ad transmigrationem Babylonis.

De quinto die.

In quinto numero intelligimus quinque libros

libros Moysi & tempus transmigrationis Babylonis vsque ad Dauid, vel quinque sensus corporis, visus videlicet, auditus, gustus, odoratus & tactus; similiter etiam & in hoc numero describuntur quinque plagæ Corporis Christi in Cruce pendentis, & quinque claues sapientiæ, quinque quoque panes hordeacei, de quibus Dominus satiauit quinque millia hominum.

De sexto die.

In senario numero accipiendum est infirmorum visitationem, nec non & hominum senectutem, atque perseuerantem sub Euangelio famulatum, & tempus à transmigratione Babylonis vsque ad Christum: simul etiam in senario numero Deus cuncta creauit & ordinauit, in sexto die hominem fecit, & in ea ætate Mundum redempturus aduenit. In sexta quoque hora pro nostra salute Deo Patri Christus semetipsum sacrificium obtulit. In nuptijs verò, quæ in Cana Galilea factæ sunt, sex hydriæ positæ sunt; Prima hydria est ab Adam vsque ad Noë, secunda à Noe vsque ad Abraham, tertia ab Abraham vsque ad Moysen, quarta à Moyse vsque ad Dauid, quinta à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, sexta à transmigratione Babylonis vsque ad Christum; capientes singulæ metretas binas, idest vetus, & nouum testamentum.

De septimo die.

Per septenarium namque numerum Sanctos Apostolos intelligimus, de quibus Dominus ait. Vos estis lux mundi; septem etiam inuenimus esse dona Spiritus Sancti, idest, sapientiæ, & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis, ac timoris Domini; In sancta quoque Ecclesia septem dona Spiritus Sancti vnusquisque fidelis accipit, idest pabulum salis, Ecclesiæ introitum, sputum, oleum vnctionis, Baptismum Christi, Chrisma Sacerdotum, & Chrisma Pontificum. Septem quoque sigilla in Apocalypsi Ioannis legimus, primum sigillum est annunciatio Incarnationis filij Dei, secundum, Baptismus, tertium Passio, quartum Resurrectio, quintum Ascensio, sextum Iudicium, septimum meritorum retributio; sunt & septem beatitudines, regnum Cælorum, possessio terræ viuentium, consolatio, iustitiæ societas, misericordia, visio Dei, & filiatio Dei.

De octauo die.

In octonario numero sanctam Scripturam intelligimus, & dilectionem Dei & proximi, ac speculantium vitam, & tempus generale resurrectionis, vel hominum decrepitam senectutem. Octauus dies apud vnumquemque finis est vitæ præsentis, & initium vitæ futuræ; octauum diem significabat cataclysmus factus sub Noe, in quo octo animæ saluæ factæ sunt; & in Ecclesiaste Salomon loquitur, da partes septem nec non & octo; septem namque & octo quindecim faciunt, & quindecim sunt cantica graduum, quæ filij Israel quando ad Templum conueniebant, decantare soliti erant, Christus est dies primus, septimus, & octauus, Primus ante quem nullus, septimus quia in ipso septem dona Spiritus Sancti requieuere; octauus, quia æternus ac sempiternus est; octo etiam beatitudines Dominus in monte suis discipulis exposuit, quas Martyr hic Sanctissimus, & Pontifex almificus in se retinuit & excreuit. Nunc itaque enixius flagitemus hunc Martyrem, & Pontificem Marcum, vt pro nobis indignis Omnipotenti Deo preces effundat, vt qui Pater, tutor, & defensor nobis extat in terris, cum socium habere mereamur in Cælis, ipso adiuuante, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

19. PALVMBVS successit Leoni anno 1072. *quo Præsule* (ait Chronica,) *confirmata est Ecclesia S. Angeli in Perelo iuxta balnea in collibus Melfi, quam etiam ipse dedicauit 2. Nonas Iulij. Hanc siquidem Ecclesiam quidam Sacerdos Teuto nomine condidit, cum totam possessionem suam in circuitu adiacentem tradidisset per chartulam donationis super hoc sacrosanctum altare eandem Ecclesiam obtulit, atque se ipsum ad seruiendum Deo tradidit. Alio quoque tempore eo præsidente Pontifice, Salomon quidam conciuis noster cum filijs suis tradiderunt totam partem suam, quam habebant de Ecclesia Sancti Mauri sita propè Melatinum in hoc venerabili loco. Ita fecit, & Aldo filius Petri Presbyteri de parte nostra, quam habebat in supradicta Ecclesia in manus venerabilis Palumbi Episcopi. Sedit autem ipse Palumbus Episcopus annis 15. & sepultus est iuxta Ecclesiam maiorem à septemtrionali parte, propè ianuam ipsius Basilicæ, quæ ibidem consistit.*

20. IOANNES huius Ecclesiæ Episcopus ordinatus est anno 1087. sedit annis 12. *Hic autem venerabilis Episcopus ampliauit muros maioris Ecclesiæ & eam depingere fecit Historiam veteris & noui testamenti cernentibus demonstrans. Fecit & Cruces magnas deauratas, & posuit eas ex vtraque parte extra Chorum. Fecit & domum, quæ nunc horreum dicitur, quæ est supra porta ipsius Monasterij. Diruit etiam altaria duo, quæ erant in porticibus ipsius Ecclesiæ: in absidis, vbi quondam Idola steterant, in quarum vna, quæ est à parte Meridiana positum est Corpus B. Martini Confessoris, & Eremitæ in sepulchro marmoreo, cuius vita satis claruit actibus, sicut in gestis illius legitur, & eius ossa quotidie manifestant. In altera verò, quæ est à parte septemtrionali, constituit fontem ad benedicendum in Sabbatho San-*

cto. Obiit autem Ioannes Episcopus 2. Idus Septembris, & positus est in porticu ipsius Ecclesiæ à parte meridionali. Hactenus Chronica de Ioanne, deque Episcopis Atinatibus.

21. SIGEBERTVS Atinensis Episcopus anno 1129. præsens Coronationi Rogerij Regis apud Rocchum *Pyrrhum* in Chronol. Regum Siciliæ. Pauci autem qui deinde successere Episcopi, nondum cogniti sunt. Sicque vetus Atinensis Episcopatus suppressus est circa Eugenij III. tempora, vt supra narrauimus. Claudet verò de Atinensibus Episcopis hanc nostram narrationem sermo Ioannis XX. Episcopi Atinensis de Sanctis Martyribus Marco, Nicandro, & Marciano, vnicum quippe eruditi Antistitis monumentum, quod inuidiosa non vorauit vetustas.

Sermo Domini Ioannis Atinensis Episcopi.

Lætetur hodie Euangelica virtus, & exultet terra, in qua Sancti Martyres Marcus, Nicander, & Marcianus in æterno Regno tympanistriarum more ouantes ascenderunt è terra. Hodie vertex Marci sacratissimus perforatus est acutissimis clauis. Hodie Nicander, & Marcianus, deuictis veternosi serpentis illecebris, numisma è manibus acceperunt Regis æterni: hodie coronati sunt lapide pretioso: hodie Iesum Christum Omnipotentis Dei filium confitendo, & falsorum nominum venias abolendo effuderunt sanguinem suum. Hodie languorum enormium hebetudines curare cœperunt: hodie apud vrbem Atinam Orgia Cunctipotenti libauerunt de corporibus suis: hodie eadem in vrbe prodigia faciunt per corpora sua. Hodie Marcus Omnipotenti Deo proclamat dicēs; Adhæsit anima mea post te; quia caput meum clauis confixum est pro te.

Sed iam propter præsentem diem aliquid in tantorum Martyrum laude dicamus. Audistis, fratres carissimi, cum sanctorum passio legeretur, quid Beatissimus Marcus Lanistis dixerit, cum iam accepturus esset remunerationis brauium. Eia, inquit, milites, facite quod facturi estis; iam enim Dominum meum Iesum Christum video. Quid etiam S. Marcianus Maximo dixit, audistis; Præsertim enim cum videmus, & quò nos nunc vocat, cognouimus. Quomodo videbant? Adiuuantem, an vocantem? Dicam potius, dicam, & adiuuantem, & coronantem. Adiuuabat namque illos, quia præcordia eorum ad supremum Martyrij agonem inflammabat. De quo etiam Scriptura dicit; in ipso enim viuimus, mouemur & sumus. Et Iacobus: Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum. Coronabat namque illos; quia locum parabat; illum locum de quo ipse discipulis ait: Vado parare vobis: & iterum, & accipiam vos à me ipso; vt vbi ego sum, & vos sitis.

Sed libet nunc intueri, quid Marcus Beatus subdens adiunxit: glorificans, glorifico te Iesu Christe, qui me indignum non fraudasti à societate sanctorum tuorum; nunc autem quia, te adiuuante, pugnaui, & vici, idcircò deprecor te, Pastor clementissime, vt me adiuues in hora hac. O felix oratio, quæ ante ad supremi Regis obtutus delata est, quam ex ore Beatissimi Marci prolata fuisset. Ante, inquam, quia homo videt in facie, Deus autem in corde. Vnde, & ad Moysen Dominus ait. Quid clamas ad me? Clamabat namque ad eum, quia cor eius cælestia regna penetrabat. De talibus itaque orationibus Dominus ait. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Felix plane, felix dicenda est illa oratio, in qua fluxa rerum abundantia, non aureata regum laquearia, non ostreata puluinaria, sed vita postulatur æterna. Nam hic Beatissimus Marcus post varia suppliciorum genera, post Ferrea vincula, orationem fudit ad Dominum, non vt persecutores, & Idololatras igni cremādos destinaret, sed vt deuictis hostis illecebris, laureatis, cælestibusque infulis redimitus superna conscendere posset palatia, quæ nobis donare dignetur Iesus Christus Dominus noster, qui viuit, & regnat cum Patre & Spiritu Sancto in secula seculorum. Amen.

CALATINI
seu Caiacenses
EPISCOPI.



CALATIA, quam nunc Caiaziam vulgus appellat, perantiqua est Campaniæ Felicis ciuitas, in montibus Tifatisē regione Samnitum apud Vulturnum subterfluentem amnem sita, à Capua Metropoli VIII. à Neapoli verò XXIV. milliaribus distans in Apia via, de qua Silius.

Tifata vmbrifico generatum monte Calenū.

Libentius fabulantur hi, qui in rebus à nostra memoria distantibus Calatiæ fundationem, vel in Galenum Iouis secundi septimum filium, vel in Calatiam Tifatis filiam, cuius amore peribat Vulturnus, patris iram fugientem reijciunt. Nec desunt, qui scribant ab Oscis, alij à Cumanis, Etruscisque vel conditam, vel reædificatam. Illam vetustam, ac præcipuam ciuitatem fuisse patet ex Polybio, qui lib. 3. enumerans causas aduentus Annibalis in Campaniam, hanc quoque addit, vt [...]tibus potiretur scilicet nobilioribus, quando ex Capua, Attela, & Calatia. Eamque exuisse scri[...] pugnasse Samnites, m[...] C. auctoritate Publiunt, quam deinde Q. Fuluius Flaccus, Aulusque [...] blius Corneli[...] Albinus Censores restaurasse, no[...] Postum[...] muris circumuallasse scribunt, vt ad[...] uiso[...]ius Samnites Romanorum arx esset, & præsidium. Extat adhuc magna pars veterum murorum, qui fuerunt tantum ex quadratis lapidibus sine calce, alioue genere ferruminationis structi haud paruam vrbis elegantiam præseferentes de qua Antonius Sanfelicius eleganti de Campania libello, *Montana est, inquit, Calatia, supra quam seorsum tamen ingens quadrato saxo surgit opus, quod rupis faciem oculis offert ferruminato nexu lapidibus aptè inter se cohærentibus.*

Hæc fuisse antiqui oppidi mœnia sunt qui dicant, quos ego non sequor, opinorque ciues per ea tempora habitasse vbi adhuc habitant. Argumento mihi est perennis aqua, influens subterraneo riuo in cisternam veterem, quæ in oppidi est vmbilico, ipsaque aqua per æstiuos menses ob innoxium frigus ciuibus gratissima est. Addo etiam testimonium superpositæ ibi marmoreæ tabellæ, in qua hæc insculpta est Epigraphe.

M. GAVIVS TF.
QVISELLIVS QF.
GALLVS
DVO VIR QVINQ.
CREPIDINES CIRC.
FORVM SPF.

Si ergo heic erat forum, continuò & oppidum, nunquam foro mœnibus excluso. Habent hi colles oliueta distincta oleastris, quorum baccæ non carne, sed liquoris dulcedine commendantur. In foro ciuitatis insignis est puteus, qui constat magno subterraneo ædificio in tres partes diuiso mirabili artificio factus. Nam cum intrinsecus non solùm singuli parietes, & cameræ sint solido marmore muniti; verùm etiā ipsum pauimentum adeò vt aquis scaturire penitus non possit, tamen perpetuò abundat aquis, mirantibus cunctis, nemine causam abundantiæ aquarum adhuc sciente, licet vulgus illorum hominum, pro vniuscuiusque captu varia iudicia ferat. Extat etiam in ipso foro ciuitatis simulachrum lapideum Priapi, paucos ante annos in rudTribus antiquissimi templi Veneris Felicis repertum, quale simulachrum, vt scribit Georgius Braunius, neque in antiquitatibus quotquot Romæ sunt, neque in alia Vrbe reperitur.

Fuit Calatia olim municipium, vt patet ex historicis quamplurimis, qui narrant Attiliū Calatinum functum esse Dictatura, supremo apud Romanos magistratu, quo non potuisset fungi, nisi municeps fuisset, cum municipes tantùm Vrbis Romanæ munerum participes olim fierent; patet etiam ex pulcherrima inscriptione, quæ legitur in vetusto lapide in foro ipsius ciuitatis.

VENERI FELICI
P. SERVILIVS P. F. APRILIS
II. VIR. QQQ. RP. O. PEC. ALIMENT.
PAS. MVNICIPI. CALASINORVM.
CVRIA. OP. ND. REIP. EIVSDEM.
PECVNIA SVA FECIT.

Sunt in hac vrbe multa antiquitatis monumenta, & inscriptiones, quæ recensentur ab erudito Viro Octauiano Melchiorio in descriptione eiusdem. De Calatia habetur frequens mentio apud Liuium & Plutarchum in Annibale. Meminit etiam Cicero lib. 13. Epistolarum familiarium, de Hippia Philoxeni filio Calatino, hospite & necessario suo, & de legibus Calatinorum, ne quidquam publicum, nisi publico nomine possideretur. Ex qua Ciceronis epistola apparet, Calatiam municipium fuisse, cum eam suas leges habere dicat, quod proprium municipiorum erat. Coloniæ namque, & cæteræ ciuitates populi Romani legibus adstringebantur. Cæterum hæc ciuitas tandiu Romani Imperij fasces adorauit, quandiu eius stetit maiestas, deinceps sub diuersis Dynastis fuit, hoc tempore vnius Hispaniarum Regis subiacet arbitrio, sub vtili dominio Ioannis Corsi nobilissimi Florentini Patritij quiescit titulo Marchionatus condecorata, populo & nobilitate ita diues est, vt nulli finitimarum ciuitatum inuidere posse videatur: aer illi saluberrimus, solum fœcundum, optimo oleo, suaui vino, quin & pomis dulcissimis abundat. Vrbs 700. laribus illustratur. Protulit hæc ciuitas viros in omni virtute præstantes; si quis verò eiusdem clariorem cognitionem desiderat, consulat supra memoratum virum clarissimum æquè ac nobilissimum Octauianum Melchiorium Calatinum in libro, quem scripsit de origine, progressu, Virisque Illustribus huiusce ciuitatis, vbi abunde, & eruditè de ijs omnibus agit ad satietatem. Fama est & inueterata traditio à patribus deriuata, primùm Calatiæ euangelicam veritatem enunciasse Sanctum Petrum Apostolum, aut aliquem ex eius discipulis, quem malunt fuisse B. Priscum primū Capuanæ Metropolis Episcopum; extat adhuc, tametsi semidirutum templum extra mœnia, quod prisci illi Christi fideles eidem

Apo-

Apostolorum Principi dedicarunt. Episcopalis dignitas Calatina antiquissima est; vbi primùm ea Ciuitas Christiana sacra amplexa, Antistitem etiam accepit, vt eadem fert traditio, cuius nomen, aliorumque per multa sæcula ex initia temporum, Christianatumque persecutionum tyrannide, haud petennauit ad posteros. Calatinus Episcopus suffraganeus est Capuano Archiepiscopo. Diœcesim satis amplam habet, quam Vulturnus flumen ambit, in eaque 40. Parochiales Ecclesiæ recensentur, quarum duodecim sunt Archipresbyterales. Census Episcopalis duo millia scutatorum illarum partium dicuntur explere, tametsi in libris Apostolicis eius Taxa 130. florenos non excedat. Ecclesia Cathedralis, Episcopatum vocant, Deiparæ Virgini, Sanctoque Stephano Episcopo dedicata est, structura, & vetustate visenda; in ea tres dignitatum gradus ad ampliorem Dei cultũ sunt, Archidiaconatus nempè, duo Primicerij, & 20. alij Canonici, plures presbyteri & Clerici, qui quotidie diuinũ persoluunt pensum: Diues est Sanctorum reliquijs, nempè corporũ S. Stephani eiusdem Ecclesię Episcopi, & Tutelaris, S. Ferdinandi itidem Episcopi: veneratur brachium dexterum S. Lucæ Euangelistæ. Lipsana SS Innocentium, Proti & Hyacinthi, & Vrbani Martyrum, aliorũque Sanctorum. Ecclesia hæc, vt Iodoc. Vndius in descriptione Italiæ scribit, perantiquum, & paucis in Germania, & Gallia notum sacrarum imaginum vsum obseruat, per quem accuratissimè comprobare videtur, imagines hunc quoque in finem, in cœtu fidelium coasseruari, vt laicorum libri existant. Nam Septimanæ sanctæ Sabbatho sancto, dum in eminenti Cathedralis Ecclesiæ loco, in quo Euangelium decantari solet, Prophetiæ decantantur, statim prophetica lectione vna finita, ad plebem fidelem in Ecclesia collectam, à sacrorum ministro, eodem ex loco depicta explicatur, & euoluitur charta, imaginum, & colorum varietate ad viuũ expressa, eandem ipsam prophetiæ historiam, quam Canonicus iam ante decantarat, repræsentãs. Ita vt duodecim prophetijs decantatis, duodecim picturæ inter se connexæ, & baculo cõplicatæ, sensim in imum euolutæ, fideli populo spectandæ propositæ, duodecim prophetias, quasi viua voce eidem explicent, & interpretentur. Fuit etiam in eadem Ecclesia consuetudo vetustate comprobata, vt die Iouis sancto, quando mandatum Domini de more, & ritu maiorum celebratur, in sacello S. Trinitati nuncupato, Altare concauum trium digitorum altitudine, trium pedum latitudine, sex verò longitudine vnius cadi capax, vino impleatur, quod fideles in Cathedrali Ecclesia pietatis ergo congregati, inter ea temporis exhauriebant, dum absoluto mandato duodecim pauperum pedes ab Episcopo lauarentur. Et tenuit Ecclesia hanc consuetudinem vsque ad Concilium Tridentinum, cui tunc non sine communi ciuium dolore derogatum. Cæterùm in ciuitate plures aliæ Ecclesiæ visuntur, inter quas eminet Sanctissimæ Annunciatæ Collegiata. Vnum Sanctimonialium Cœnobium, vnumque virorum Conuentualium S. Francisci: extra ciuitatem duo alia spectantur Cœnobia, alterum Cappuccinorum, alterum Minorum districtioris Obseruantiæ: Nec deest *Puerorum* Seminarium propè Cathedralem ad augendum Ecclesiasticum decorem, nec Xenodochia ad pietatem, nec laicorum Sodalitates ad deuotionem seruandam. Calatinorum Episcoporum seriem ex monumentis eiusdẽ Ecclesiæ perscripsit idem memoratus Melchiorius Sanctæ Christinæ de Formicula dignissimus Archipresbyter, de patria, deque Ecclesia Calatina optimè meritus; nos autem cum ab ipso m. s. dono accepissemus, ex eo, alijsq; scriptoris & monumentis sequentem Catalogum concinnauimus.



1. ARIGISIVS inter antiquiores Caiacenses Episcopos, quorum memoria exter, in Diptycis eiusdem Ecclesiæ Episcoporum recensetur, cuius obitus dies in veteri Kalendario notatur 14. Augusti. Cæterum quo tempore ille vixerit; vel quo anno mortalitatem expleuerit, ignoratur, ex nominis tamen coniectura Longobardum fuisse volunt, eoque tempore floruisse, quo Longobardi hanc regionem tenuere dominaruntque.

2. GISVLPHVS & ipse genere Longobardus Caiacensis Episcopus fuit anno 776. Adriano primo Pontifice. Post hunc per aliquot sæcula huius Ecclesiæ desiderantur Episcopi, quorum nomina inuidiosa deuorauit vetustas.

3. VRSVS prædecessor S. Stephani, cuius mentio in vita eiusdem Sancti in veteri Capuanæ Ecclesiæ Breuiario. *Per idem tempus*, inquit, *defuncto Vrso Caiacensi Episcopo, à Pandulpho Principe, & Gerberto Archiepiscopo, atque omni populo, vel clero gratia cunctorum & lætitia Domnus Stephanus*

est electus, & consecratus Episcopus. Mors Vrsi & Stephani electio incidit in annum Domini 978. ab Incarnatione.

4. S. STEPHANVS successit Vrso anno 978 à Geriberto Capuano Archiepiscopo cōsecratus, sedit sanctissimè ann. 48. clarusque miraculis ad cælum euolauit anno 1023. die 29. Octobris ætatis suæ 88. iacet in Cathedrali, cuius vitam recensuit ex veteri Breuiario Michael Monachus in 2. parte Sanctuarij Capuani, vnà cum notis, quæ hic exscribere libet.

Temporibus igitur Landulphi eximij Principis Capuanæ Ciuitatis fuit quidā vir, nomine Ioannes, vxor vero Guiselperta, in loco Lanel scilicet degētes, infra finem Cāpaniæ telluris; quibus erat paruulus filius nomine Stephanus, quem illi in cuna positū, puerili affectu educantes, animaduerterunt, Domini virtutem iam illius operari infantia. Puer enim paulatim crescebat corporis magnitudine, itaut omnes mirarentur, non tam materno vbere pastum, quàm cælesti gratia auctum. Hic autem cum septem esset annorū intra mœnia eiusdem Capuanæ vrbis apud Ecclesiam Domini Saluatoris à parentibus scholis traditus est, Hic Dei fauente clemētia, litteras, omneque Ecclesiasticum officiū præ cæteris consodalibus paruo tempore didicit. Quoties ille psallebat, aut legebat, seu vacabat, cælestia semper cogitabat, Deumq; Creatorem habebat, caduca & transitoria penitus respuebat, & ipse ab ineunte ætate castissimus, suos socios castitatem docebat, & quos malè agentes cognoscebat, mellifluis verbis corrigebat, omnes diligebat & ab omnibus diligebatur. Qui cum talia ageret, ab omni Clero, ipsiusque loci Abbate factus est clericus, & de gradu in gradū ad Sacerdotij est ductus honorem, & non longo tempore post in eadem Ecclesia Abbas ordinatus est. In qua videlicet Ecclesia cum omnibus, quos à die natiuitatis suæ habuit, quadraginta quatuor compleuit annos. Per idem tempus, defuncto Vrso Caiacensi Episcopo, à Pandulpho Principe, qui tunc Capuæ principabatur, filio scilicet prænominati Landulphi Principis, & Giriberto Archiepiscopo, atque omni populo, vel Clero, gratia cunctorum & lętitia D. Stephanus electus est & consecratus Episcopus; In quo videlicet Episcopatu iterum alios quadraginta quatuor *expleuit annos, & obdormiuit in Domino*. Hactenus Breu. Sāctum Stephanum Episcopatum inijsse anno ab Incarnatione 978. docet Bulla Gerberti Archiepiscopi Capuani post consecrationem eiusdem Sancti scriptam, datamque anno 3. Archiepiscopatus Kal. Nouembr. Indict. 8. Contigit igitur eius consecratio anno 978 ab Incarnatione. Porrò diploma Gerberti cum ipsa consecratione Stephani continet etiam Diœcesis Caiacensis distinctionem, eadem forma, qua deinceps vsi sunt Archiepiscopi Capuani, vt Arnulphus anno 1032. in confirmatione Benedicti Episcopi Suessani vt infra. imò hac formula videtur vsus fuisse S. Gregor. Mag. lib. 2. c. 11. Diploma Gerberti ab exēplari profert idem Michael Monachus in hūc modum.

Gerbertus Sanctæ Capuanæ Sedis gratia Dei Archiepiscopus fidelibus omnibus orthodoxis, clero, & ordini & plebi consistenti Caiacia Ecclesiæ per Apostolicam institutionem nostro Archiepiscopatui subiectæ dilectissimis filijs in Domino salutem.

Probabilibus desiderijs nihil attulimus tarditatis: Fratrem iam & Coepiscopum nostrum Stephanum vobis ordinauimus Sacerdotem, cui dedimus in mandatis, ne vnquā ordinationem præsumat illicitam, ne bigamū, aut qui virgine non est sociatus vxore, neque illiteratum, vel in qualibet parte corporis vitiatum, aut expœnitentem, vel Curiæ, aut cuilibet conditioni obnoxium, notatumque ad sacrum Ordinem permittat accedere, & si quos huiusmodi fortè repererit, non audeat promouere. Afros passim ad Ecclesiasticos Ordines prætendentes, nulla ratione suscipiat; quia aliqui eorum Manichei, aliqui rebaptizati sæpius sunt probati. Ministerio, atque ornatui Ecclesiæ, vel quicquid aliud est in patrimonio eiusdem non minuere audeat, sed augere. Insuper concessimus ei Diœcesim per has fines ab ipso ribo, qui est iuxta Prætamala, & quomodo continet ipse totus Caiaciæ Comitatus, cum istis Ecclesijs, quæ hic subtus declaramus, hoc est, in Balunianu Ecclesia S. Nazarij, & Ecclesia S. Vitelliani, & S. Cosmas in Viniaru, & S. Ferentianus ad Sorba; S. Petrus ad Pile, S. Petrus, S. Angelus ad Palma: Sanctus Felix in Peti: S. Petrus ad Saxe: S. Petrus & S. Priscus in Mairanu: Sanctus Ioānes & S. Secundinus in Treple: Sanctus Laurentius, & S. Maria, & S. Matthæus in Puzanu: Sanctus Rufus in Ceseranu: Sancta Maria in Vvlanu: S Petrus, & S. Laurentius in Liczanu: S. Angelus, & S. Felix & Sanctus Ioannes in Campanianu: S. Petrus, Sanctus Vitus, S. Cosmas in Rainanu: S. Ioannes. S. Maria cum S. Angelo: S. Felix: S. Nicander in Predi Caiaciæ: S. Angelus, S. Saluator, & S. Virellianus in Campora longa: S. Maurus in Aluinianu: S. Angelus in Auxilio: S. Vitus in Bage: S. Andreas, & S. Petrus, & S. Vincentius. & S. Andreas. & S. Cæsarius in Tragurni: S. Maria & S. Priscus ad Cuniture, S. Laurentius ad Atina, & S. Sebastianus in Squille, & S. Secundinus in Raianu, & Sancta Maria in Baniolo. & S. Angelus in Poscari: cum omnibus Ecclesijs, & terris ad ipsas Ecclesias pertinētes, quæ inter has fines sunt, quæ modo habere & possidere videntur, & in antea pro parte ipsarum Ecclesiarum acquirere potueris, & cum presbyteris, & cum omnibus Ecclesiasticis Ordinibus ad prædictum vestrum Diœcesim pertinentibus exce-

pro

pto, quod non damus vobis cuncta territoria in Casa Marcella, & Ecclesias, quæ ibidem sunt: & hæreditatem filiorum Andreæ balneatoris, idest Perundo, & Leo & filius Vrsoli, quæ fuerunt & pertinuerunt iam dictæ Sanctæ Mariæ de Peti, per has subtus declaratas fines, prima petia, vbi ipsi sedent, vno latu via antiqua, in latu terra Rodoaldi, in capu via publica, alia capu in Serra de Monte: secunda petia ibi propinquo vn̄ latu terra nominatæ S. Mariæ, & ipso ribo, & aliu latu terra Beneruti cum ipso intersicu nostro; vn̄ capu via publica, aliu capu Deodedi Presbyteri, ipse prædictus intersicus noster, vn̄ latu via publica, aliu latu terra Beneruti, & de fratris eius, vn̄ capu terra Deodedi presbyteri: tertia pars in Iuuenelli, vn̄ latu terra Andreæ cum ipso intersicu nostro, aliu latu terra Paldolfi, quæ fuerunt Summi, vn̄ capu Silica, aliu capu in ribo. Quarta petia ibique, vn̄ latu terra Padulfi, quæ fuit summi, aliu latu via, qui decernit ipsa cana, vn̄ capu in Silice, aliu capu in ribo. Quinta petia ibique vn̄ latu iam fatæ Ecclesiæ S. Mariæ, aliu latu Ecclesia Cici, & Musi', vn̄ capu in Silice, aliu capu terra Landulfi, & Cici fratris eius, ipse fundus propè prædicta S. Maria amba latera ipsius Ecclesiæ S. Mariæ, vn̄ capu in ribo, aliu capu terra, quæ fuit Leopardi, Sexta petia prope S. Angelo ad Palma, vn̄ latu est terra Summi & alii Lupi clerici, aliu latu terra Landolfi Comitis, vn̄ capu in via, aliu capu terra supranominata Sancta Maria. Septima petia à Ceturu, vn̄ latu terra Martini Turellæ, aliu latu terra Adisulolæ, vn̄ capu in ribo, qui dicitur lata, aliu capu in via publica. Octaua petia, quæ dicitur ad Argellatu, vn̄ latu in monte, aliu latu in ribo, qui tēporaliter habet aqua, vnde capu Landulfi Comitis, alia via antiqua. Nona petia ad Castanesum, vn̄ latu terra Audoaldi & monte, aliu latu terra filij Geremundi, vn̄ capu via publica, aliu capu terra Sabini Clerici, & fratris eius. Decima petia iuxta Ecclesiā supranominatę S. Mariæ, vn̄ latu terra Andreę, aliu latu terra Lādulfi, & Audoaldi, vn̄ capu in Silice, aliu capu in mōte. Tali itaq; ordine, & ratione, vt subdētur Archiepiscopatui, aut nostræ Abbatiæ, vel qualiscunq; seruus nostri Archiepiscopatus, hæreditates habuerint, aut in antea parare potuerint, siue per causationem acquisierint, nostri, nostrorumque successorum sit in potestate; at non dedimus vobis, vestrisque successoribus Ecclesiam S. Angeli in Melanico, quam in nostra, nostrorumque successorum potestate reseruamus. De redditu verò Ecclesiæ, vel oblatione fidelium quatuor faciat portiones, quarum vnam sibi ipse retineat, alterā alterius pro filiorum suorum sedulitate distribuat. Tertiā pauperibus, & peregrinis. Quartam ecclesiasticis fabricis reseruādam, de quibus erit redditurus diuino iudicio rationem. Ordinationes verò Presbyterorum, seu Diaconorum, non nisi primi, quarti, septimi & decimi mensium ieiunijs, & ingressu quadragesimali, mediaue, atque vesperi Sabbathi nouerit celebrandas. Sacrum autem Baptismi Sacramentum non nisi in Paschali festiuitate, & Pentecoste nouerit esse præbendū, exceptis his, quibus mortis vrgēte periculo, ne in æternū pereant, talibus oportet remedijs subuenire. Heic ergo Sedis nostræ præcepta seruantes deuotis animis obsequi vos oportet, vt irreprehensibile, placidumque fiat corpus Ecclesiæ per Christum Dominum nostrum, qui viuit, & regnat cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen. *Anno Deo propitio, Archiepiscopatus Domini Gerberti Tertij Archiepiscopi in Sacratissima Sede Beati Protomartyris Stephani in ipsa die Kalend. Nouembris, Indict.* 8.

Ego Aldericus Calactina Ecclesia Episc. consensi, & subscripsi.
Ego Leo Surana Sedis Episcopus, consensi.
Ego Bonus Presb. Card. S. Capuana Eccles. me subscripsi.
Ego Ioannes Presbyt. S. Capuana Ecclesiæ Card. me subscripsi.
Ego Auioaldus, Diaconus S. Capuana Ecclesiæ me subscripsi.
Ego Petrus, Diaconus S. Capuana Eccles. me subscripsi.
Ego Toro Subdiaconus me subscripsi.
Ego Ioannes Subdiaconus S. Capuana Sedis me subscripsi.
Datum per manum Ioannis Subdiaconi nostri Bibliothecarij in Kalend. iam dictis per suprascriptam Indictionem. Bene valete.

Cum huic bullæ subscribat Episcopus Ecclesiæ Calactinæ, Episcopus Suranæ, alter Adericus & Leo alter nuncupatus, dubitatū est, (inquit Monachus,) quænam sit Ecclesia Calactina, quæue Surana: Non defuerunt qui intellexerunt Ecclesiam Calactinam esse Ecclesiam Caiacensem, quasi à Calatia, quod est nomen antiquum ciuitatis, deriuatur. Hi certè falluntur, nam tempore Sancti Stephani ciuitas dicebatur Caiacia, & deriuat nomen Caiaccianus, seu Caiacensis, & si S. Stephanus consecratur Episcopus Caiaciæ, quomodo potest esse viuus alter eiusdem ciuitatis Episcopus? Imò si S. Stephanus successit Vrsoni Episcopo Caiacciano, vt habet Breuiarium, quomodo potest fingi alter Episcopus eiusdem ciuitatis illo ipso tempore? imò si fuisset Episcopus, qui viuens renunciasset Episcopatui Caiacciano, ille quidem cum renunciasset loco, & si non dignitati, potuisset quidem dici Episcopus, at dici Episcopus Calactinus, idest Caiaccianus, nullo modo. Legimus in Ptolomeo Calactam in Sicilia, & à Calacta Calactinus in Prisciano: an ergo Episcopus Calactæ illo tempore casu apud Capuā

mo-

morabatur? Ego libentèr credam iuxta illorum temporum barbaram latinitatem à Cale deductum esse Calectinum, seu Calactinum Cales autem est ciuitas Caluorum, ideoque Episcopus Calactinus est qui dicitur hodie Caluensis. Iuxta eandem barbaram latinitatem, cum litera o, in, u, transeat, & pro sorores, surores, fit pronunciatio: non dubito Ecclesiam Suranam esse Soranam, idest Ecclesiam in ciuitate Soræ. Hæc Monachi speculatio mihi arridet, & Aldericus adscribendus inter Caluenses Episcopos, quemadmodum Leo inter Soranos recensendus. Autographũ autem relatæ bullæ in Ecclesia Caiaciana conseruatur.

Habet idem citatus auctor S. Stephanum ortum fuisse in pago, qui Macerata nuncupatur, & ex illa gente, quæ nunc Mencinella dicitur, ex veteri traditione. Vixit Stephanus octuaginta octo annos, vt docet Historia: senio confectus interfuit Concilio Prouinciali sub Paldulfo Archiepiscopo, & de occupatoribus bonorum Ecclesiæ Calatinæ conquestus est. Inter monumenta Capuanæ Ecclesiæ inuenta est Scriptura vetustate penè exesa; integra tamen in his, quæ ad hanc historiam faciunt. Verba sunt.

Paldulphus humilis Archiepiscopus, &c.

Quod dum residerem in Aula S. Dei Genitricis & Virginis Mariæ, Sanctorumq; Protomartyris Stephani, & Agathæ cum reliquis Coepiscopis Suffraganeis nostræ Sedis, & cum Sacerdotibus, ac Diaconis, & in circuitu nostro astaret agmen reliquorum Ordinum Ecclesiasticorum, ad Sanctam Synodũ celebrandam, tunc in conspectu omnium surrexit de subsellio Stephanus Confrater, & Episcopus Calatianæ Sedis, & cœpit dicere tam mihi, quam etiam omnibus residẽtibus, atque astantibus: scire vos volo Domini & Confratres, quod sedes mea ad nihilum redacta est ab illis, qui eius hæredes esse perman ferunt: sed cum prædicti Confratris nostri vox ob infirmitatem & senium ita tenuis ab ore eius progrederetur, vt ad aures omnium minus perueniret. cœpit humilitas mea tunc alloqui, vt vel ipse sic loqueretur & sermo eius clarè ad aures omnium pertingeret, vel vocaret vnum ex suis, qui pro eius vice, ea, quæ ipse dicere non valeret, ed ceret. Tunc accersitus est Ioannes Diaconus suæ Sedis, & iniunxit ei, vt in conspectu omnium ediceret, quæ & qualia damna ab inuasoribus hæreditatum sustineret. Ad hæc humilitas mea, præcepit eidem Diacono, vt nominatim ediceret, qui essent inuasores quiq; laici. Tunc ille in primis nominauit Landunem filium Sigenulphi Comitis, & Adenulphum filium Adenulfi Comitis, & dixit, vt illi inuasissent Certem S. Cosm &, &c. Hæc Synodus fuit celebrata anno 1007. vel ante; nam anno 1008. Adenulphus reperitur Archiepiscopus; ideoque extremum tempus Paldulfi non excessit ann. 1007. S. Stephanus agebat ann. 72. Obijt

A S. Stephanus anno ab Incarnatione 1023. à natiuitate 1022. de eius sepultura, in actis inuentionis eius ita scribitur. *Enimuerò pisitarunt Calatini ciues, ad deuotionem recolendam, vt reconditi ipsius venerabilis corporis extaret articulus digiti manus benedictæ quotannis populo, celebritatis suæ die solemni in missa ostendendi, nec minus osculandi. Custodiebatur interim in sacrario sub digitali argenteo modulo. Proinde sacello cum altari erecto super pauimento ferrea cancellatura cingente aliquale bustum. . . fabricauerunt è regione versus illud corpus bouestiferum, vllis ossibus positis intus: iugiter accensa lampade, quare opinaretur quiuis latitare ibi reliquias, de quibus loquimur sacras: excolebant seduli quando minimè deB rant exoratæ diuinæ gratiæ dona confugientibus illuc. Terruerunt Calatini, ne furto daretur Sanctus desiderabilis, præsertim confinibus Capuæ & ideo sic studiosissimè abscõderunt.* Inuentum est sacrum Stephani corpus anno 1572. eo ipso in loco; vbi reconditũ fuerat, à Vincio Maffio Episcopo Caiacensi. Festum huius inuentionis celebratur octauo die Pentecostes, depositionis verò die 29. Octob. Idem Vincius Episcopus nobile Sacellum in eadem Cathedrali erexit, in quo ossa eiusdem S. Stephani religiosè asseruantur, ibique ante Altare hæc leguntur in marmore verba.

C *Diui Stephani caput & ossa*
Hinc exhumata Vincius Salernitanus tunc Calatinus Episcopus cum Populi applausu, Pulpito recondi curauit. Anno Dom. MCCCCCXII. XXIII. Maij.

5. S. FERDINANDVS natione Hispanus, cum in Italiam ven sset, ac in Campaniæ vrbem Calatiam se recepisset, eam doctrinæ, & sanctitatis laudem asseeutus est, vt mortuo Episcopo Calatino, illi subrogatus fuerit. Multis clarus miraculis apud Albinianum Calatinæ Diœcesis oppidum obdormiuit 5. Kal. Iulij. ibique honorificè conditum D est, vbi etiam ob eius super ægrotis signa virtutum magnam venerationem habet. Extat illi Ecclesia Campestris dicata apud oppidum prædictum, quæ inter Calatiam occurrit, & Aliphas. Hæc Ferrarius in Catal. Sanctorum Italiæ ex monumentis Ecclesiæ Albinianen. Tempus quo hic Sanctus Episcopus vixit, haud hactenus sciri contingit. Eius sanè corpus in ea Ecclesia inuẽtum est anno 1620. die 9. Augusti à Paulo Philomarino Episcopo Caiacensi in maiori Altari eiusdem Ecclesiæ reconditum, partem tamen solemni ritu trãslatam in Cathedralem, ac sub Altari S. Stephani idem collocauit.

6. IA-

6. IAQVINTVS ab Adenulpho Capuano Archiepiscopo consecratus est huius Ecclesiæ Episcopus anno sal. 1024. vt in bulla eiusdem Adenulphi, quam extare dicunt in Archiuio eiusdem Ecclesiæ; nos eam non vidimus, eius etiam mentio in documento Gerardi Isserniensis Episcopi ann. 32. Principatus Pandulphi Capuæ Principis, & 26. Adenulfi Archiepiscopi, videtur successisse S. Stephano, non Ferdinando.

7. CONSTANTINVS Episcopus Caiacensis subscripsit Bullæ Vrbani II. an. 1098. pro Monasterio S. Stephani in Nemore Squillacensis Diœcesis.

8. PETRVS præfuit Ecclesiæ Caiacensi anno 1106. Is cum Roberto Rainulphi Normanni filio Comite Caiacensi Ecclesiam Sanctæ Crucis dono dedit, perpetuoque attribuit Monasterio, & Monachis S. Laurẽtij de Auersa, ex monumentis illius Monasterij.

9. THOMAS anno 1109. viuebat.

10. VRSVS huius nominis Secundus an. 1117. vsque ad annum 1122. de eo in monumentis habetur mentio.

11. STATIO, seu STATIONVS ante annum 1133. Episcopus Caiacensis fuit ordinatus, quo Præsule eo anno Innocentius II. Ecclesiam Caiacensem nobili priuilegio cõdecorauit, & Diœcesim distinxit, quod deinde Adrianus IV. confirmauit. Eidem Stationi quædam bona vendidisse Richardum Rainulphi Comitis Caiacensis fratrem, eiusq; vxorem Mariam filiam quondam Gregorij Comitis innuit documentum inquisitionis factæ sub Federico II. Imper. in gratiam Iacobi Episcopi Caiacensis in hæc verba. *Quidam Albertus, & quidam Teotonicus, qui habent feuda in Caiacia, habuerunt inde priuilegia per Dominum Imperatorem Henricum. Item post discessum illius Dominus Rogerius de Domino Rodualdo tenuit Castrum Faminarum cum dicta Astanza Angli, molendino & tenebat illud pro Curia Domini Imperatoris. Item quia Dominus Rogerius seruiebat Domino Imperatori, sicque fuit mortuus in seruitio Domini Imperatoris. Item testes viderunt Anglum teneri à Domino Rodualdo. Item quod tempore Regis Guglielmi Dominus Rogerius de Sanglo tenuit Anglum cum hominibus. Item pro parte Caiaccianæ Ecclesia probatũ inuenimus, quod ann. 1134. mense Aprili Riccardus miles Domini Rainulphi Comitis fratris, & mulier nomine Maria filia quondam Domini Gregorij eximy Comitis vendiderunt terras & homines, & molendina infra fines Ciuitatis Calatiæ, scilicet in loco, vbi dicitur Anglus Stationi Episcopo Calatino. Item quod tempore Regis Guglielmi Ecclesia Caiacensis tenuit, & possedit Anglum, & fructus inde percepit, &c.* Inter monumenta huius Ecclesiæ reperitur confirmatio, seu cessio horum bonorum eidem Stationi à Rainulpho Comite asserta eodem anno 1134. Eiusdemque Comitis

A extat iuramentum Stationi Episcopo tenoris sequentis.

Ego Rainulphus Dei gratia Comes, iuro & promitto tibi Domino Stationi Episcopo, quod vsque ad Kal. 5. Octob. primò venturas assignabo tibi formam proprietatis tuæ Ecclesiæ, & in possessionem ponam te, & eandem Ecclesiam de toto feudo, quod Balcolinus miles tenuit de intus Caiatiam, & de foris infra finem eiusdem Ciuitatis, præter domum. quæ est infra Castrum & præter terram, quam Malcerius vendidit Rogerio filio Altardi de Albiniano, & præter terram, de qua Giraldus & Gismundus singularem calumniam mouerunt, quæ est in loco Carpanito. Si nos enim præiudicium prouiderimus sine fraude, B *quam tibi promittamus, & post assignationẽ, & donationem. . . . & eidem Caiaccianæ Ecclesiæ fecero de eodem feudo, & non ero in facto, concilio, seu consensu. quod tu, vel tui successores in toto, vel in parte perdatis, sed adiuuabo eandem Ecclesiam, & te, tuosque successores, illud tenere, defendere, contra omnes homines, qui in toto, vel in parte auferãt, vel auferri consentiant, neque faciam: Hæc omnia obseruabo sine fraude, & malo ingenio. Et sic Dominus me adiuuet, & hæc sancta quatuor Euangelia Domini. Hoc actum est coram Domino Roberto Capuano Principe, & Domino Henrico Agathæ Episcopo, Ioanne Abbate Diacono eius, Riccardo Aduocato, Zoffo Curolo milite. Filippo Iudice Capuano,* C *& Vrsone Iudice Agathæ, & Presbytero Hisembrando præfati Principis Cappellano, Petro Presbytero Caiaccianæ Ecclesiæ, & Guglielmo eiusdem Ecclesiæ Diacono.*

Quo anno verò Stationus ex hac mortali vita discesserit, vel quot annos hanc rexerit Ecclesiam, non habemus; mortuus tamen videtur sub Guillelmo Rege.

12. VVILLELMVS Mansonis q. filius, germanus frater Landulphi militis de Calatia, patriæ fuit Episcopus anno 1155. huius mentio in monumentis Cauensis Monasterij, vbi pater & frater eiusdem memorantur. Hunc existimo Caiacensem Episcopum, qui ab Alexandro III. Papa ab Episcopatu vna cum Vestano Episcopo, Simoniacus reper- D tus, eiectus, priuatusq; est anno 1168. vt scribit Auctor gestorum Alexandri, quæ m. s. asseruantur in Bibliotheca bo. me. Constantini Abbatis Caietani, quam Anicianam vocant, neq; vlla alia de Vvillelmo extat memoria.

13. IOANNES Caiacensis Episcopus potuit successisse Vvillelmo eodem anno quo ille è Sede eiectus est ann. 1168. hic an. 1175. à Guillelmo Rege confirmationem bonorum Ecclesiæ suæ recepit, qui eodem anno excessisse videtur, cum eo ipso anno Guillelmum sequentem habeamus; Caiacensi præfuisse Ecclesiæ.

14. GVILLELMVS huius nominis secundus Raymi filius, patriæ Episcopus præficitur eodem anno 1175. qui obijt ann. 1181.

cuius

cuius obitus dies memoratur in emortuali Cœnobij Monialium S.Ioannis de Capua; V. *Id.Ianuarij obijt Guillelmus Episcopus Caiacensis anno* 1181.

15. ROFFERIVS, seu Goffredus præfuit anno 1183.sub Lucio III. Papa, de quo nulla alia extat mentio in monumentis Calatinis.

16. VRSVS 3. statim Roffredo successit circa annum Domini 1191. longo tempore hanc administrauit Ecclesiam, cum ad annum vsque 1224. eius memoria extet, sub quo, vt notatur in veteri Kalendario huius Ecclesiæ; *In vigilia Aduentus Domini cecidit Episcopium Calatinum* 1199.*sub die* 28. *Nouembris*.

17. IACOBVS vixit temporibus Gregorij IX. ac Federici II.Imp.à quo pro libertate Ecclesiastica, proque Summo Pontifice, cuius erat charus, exilio mulctatus est anno 1238. tulitque per summam iniuriam quendam intrusum in sua Ecclesia, nomine Andream anno 1239. quem deinde vel eiecit de Sede Federicus ipse, vel Innocentius IV. Papa, cum in monumētis plura reperiantur acta sub eodem Andrea ab anno 1244. vsque ad 1253. quo post conditum testamentum, hæredemque institutum Thomam Thomæ sororis suæ filium mortalitatem expleuit.

18. NICOLAVS Ioannis Minadæ ac Realis filius, Caiacensis ciuis successit Iacobo anno 1253. obijt anno 1257.

19. ANDREAS Richardi filius præfuit huic Ecclesiæ post Nicolaū, paucos sedit annos, & cum suæ vltimæ voluntatis tabulas condidisset die 18.Iulij 1272. mortem obijt.

20. Fr. IOANNES, Ordo, & patria ignoratur, demortuo Andrea substituitur Episcopus, cuius prima mentio in regio reg. Neap. sub Carolo I. Rege *Anno* 1274. *die* 30. *Aprilis, Ind.* 2. *apud Caiaciam quidam Ciuis Caiaciæ & alius Diœcesis Vasalli maioris Ecclesiæ Caiacianæ venerunt more solito in festo Paschæ Resurrectionis Domini ad visitandum venerab. virum Dominum Ioannē Caiacianum electum, & ipse electus, prout condecet, tanquam Vasallos suos benignè recepit, & post paucam horam requisiuit eos,vt deberent præstare sibi sacramentum fidelitatis & homagij pro parte ipsius Ecclesiæ, vt ab antiquo homines & vassalli prædictæ Ecclesiæ antecessoribus suis pro parte ipsius Ecclesiæ præstare consueuerunt, qui iurarunt ei fidelitatem, In Cornello alij Ciues iurauerunt similiter fidelitatem*. Eidem Ioanni Carolus Rex anno 1275. decimas, quas supra feudalia bona habet Caiacensis Ecclesia intra ciuitatem libera'iter concessit, ac relaxauit, sequenti verò anno Ioannes fato functus est.

21. ANDREAS 2. hac Sede potitus est statim defuncto Ioanne 1276. cui anno 1282. Ioannes Glignettus Caiacensis Ciuitatis Dominus quædā stabilia bona extra mœnia eiusdem vrbis in loco S.Angeli *alla Piana*, dicto est elargitus ad salutē animæ suæ patrisque sui Guillelmi, qui à Carolo Primo Ciuitatem pro se, suisque successoribus dono acceperat. Ioānis filia fuit Margarita insignis Heroina ex hac gente postrema, vxor Io. Thomæ Sanseuerini Marsici Comitis, & Magni Regni Comestabilis, ex quorū coniugio natus est Antonius Marsici & Caiacensis Comes. Obijt Margarita anno 1319. Andreas verò Episcopus defunctus est anno 1283. vt in Emortuali huius Ecclesiæ describitur.

22. GIRALDVS Narniensis, vel, vt alij volunt, patria Mutinensis, hac Sede potitus est anno 1283. sequenti adfuit consecrationi Cathedralis à Gerardo Cardinali Sabinensi Apostolico Legato in honorem S. Stephani celebratæ, cuius memoria visitur in lapide hisce verbis conscripta, à Iacobo Lutio Episcopo renouata anno 1494.

M.CC.LXXXIIII. Sedente Martino IIII. Pont. Max. Gerardus Cardinalis Episcopus Sabinensis Apostol. Sedis Legatus Ecclesiam Caiacensem consecrauit XI. KL. Augusti in honorem Diui Stephani Pontificis Caiacensis, assistentibus Auersano, Sanctæ Agathæ, Caietano, Ogentino & Caiacen. Præsulibus, & edem ipsam visitantibus in anniuersario dedicationis die, & VIII. sequentibus XL. dies de vera indulgentia dedicans, & quilibet ex assistentibus concessit, quæ latius per eorum literas declarantur. Iacobus Lutius Caiacensis Antistes D. Stephani successori immeritus in eius memoriam fecit M.CCCCXCIV. Nonis Maij.

Extabat quoque in eadem Cathedrali alia inscriptio in quadam tabula marmorea, vbi Ionas Propheta in mare proiectus mirabili artificio insculptus prostabat cū inscriptione, rudi quidem minerua exarata, in eaque memorabantur Gerardus ipse cum prædecessoribus suis, Andreas, & Ioannes in hæc verba.

Mille ducentenis cum sexto septuagenis
Hoc opus expletur à Præcedente iubetur;
Giraldi cura signatur quoque figura
Collatis annis fratris sub sede Ioannis.

An-

Andreas fieri, Christus velit huic misereri, Matthausque Comes fuit ipsi Narnia Promes.

Giraldus transtulit, accedente voluntate Capituli, Sacellum S. Mariæ Magdalenæ in Episcopio prope sacram Turrim anno 1293. quo diem suum clausit extremum 18. Septembris.

23. PETRVS ab anno 1294. vsque ad 1308. Caiacensē Ecclesiam tenuit, defunctusque est eodem anno die 26. Maij: de eo fit mētio in regio regest. anno 1298. & in consecratione cuiusdam altaris Ecclesiæ Cathedralis Sanctæ Agathæ anno 1304.

24. IOANNES III. statim successor datus est Petro eodem ann. 1308. & die 21. Decembris eiusdem memoratur in regio regest. cum Ecclesiā S. Azzariæ de Dragone ad Episcopatum suum pertinentem cum nonnullis bonis perpetuò liuellario nomine alienasset. Oportet hunc obiisse eodem anno, cùm sequenti alius præesset huic Ecclesiæ Episcopus.

25. THOMAS de Paschasio, alijs de Antignano Capuanus electus fuit Episcopus

A

post Ioannem: de quo in quodam monumento. *Anno 1309. sub Carolo II. die 27. Martij 7. Indict. apud Caiaciam Dominus Thomas Caiaccianus Episcopus concedit quasdam terras suas in Castro Cornelij quibusdam Vassallis dicti Domini Episcopi, qui Vassalli dederunt & soluerunt dicto Episcopo vncias duas anni pro faciendo Campanam pro seruitio ipsius Ecclesiæ.* Porrò in Campana maiori Cathedralis leguntur hæc verba, quę factum indicant.

† *Christus vincit,*
† *Christus regnat.*
† *Christus imperat.*
Anno Domini M.CCC.VIIII. VIII. Ind. Dominus Thomasius de Capua F.F. hoc opus.
† *Me SCA. sp. oñt. Dom. & Patriæ liberationem Verbum caro factum est.*

B

Anno 1311. Thomas vna cum Federico Episcopo Caluensi Ecclesiam S. Michaelis de Casanoua Capuanæ Diœcesis consecrauit, quod ad posteros petennarunt quædam verba in plumbea lamina nuper inuenta in eadem Ecclesia.

Anno M.º
CCC. XI. Episcopus
Thos. Caiattiani
Epis. Federicus
Caluensis consecrarunt

Ecclesiam Sti
Michaelis
Archangeli
in honorem Sti Iohis
Capuani Monasterij
sub Abbatissa Galgan.

Valuit deinceps Thomas gratia, & auctoritate apud Robertum Regē, à quo in Aprutina Prouincia de rebus grauibus missus est anno 1326. Erat enim egregijs virtutibus, & prudentia exornatus, quibus Ecclesiam sibi commissam eximiè texit ann. 24. & cum Sacellum D. Thomæ sacrum in Cathedrali condidisset, domosque pro se, suisque successoribus in oppidis Campagnani, & Pontis Latonis exædificasset, viam vniuersæ carnis ingressus est anno 1333. 14. Augusti, sepultusque est in supramemorato D. Thomæ Sacello.

26. IOANNES Mucula Neapolitanus demortuo Ioanni successit anno 1333. eidemque adhuc electo Ioannes XXII. Papa hanc scripsit epistolam ad fauorem Cœnobij Ferrariensis Ord. Cisterciensis Theanæ Diœcesis, ab exemplari exscriptam.

Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei. Dilecto filio Ioanni Mucłola electo Caiacensi, Salut. & Apost. bened. Dilectorum filiorum . . . Abbatis & Conuentus Monasterij B. Mariæ de Ferraria Cisterciensis Ordinis Theanen. Dioe. precibus inclinati præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus ea, quæ de bonis ipsius Monasterij alienata

C

inueneris illicitè, vel distracta ad ius & proprietatem ipsius Monasterij legitimè reuocare procures. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Dat. Auenion. I dus Decembris, Pontificatus nostri anno 18.

Huius Episcopi frequens mentio est in monumētis Episcopij vsque ad annum 1356. parum deinde superuixit, eiusque obitus dies memoratur in veteri emortuali 21. Augusti.

27. Fr. ROGERIVS Ordin. Minorum alumnus à Clericali Senatu electus, confirmatusque est, deinde à Romano Pontifice, de quo plura extant in Cathedralis Archiuio actorum instrumenta ab anno 1360. ad annum 1368. Huius non meminit doctus noster Vvading. in Annal. Minorum.

D

28. GREGORIVS anno 1368.

29. Fr. FRANCISCVS Ord. Minorum reperitur Episcopus huius sedis anno 1372. de quo mentio in quodam venditionis instrumento. *Anno 1387. sub Carolo III. Rege die 17. Augusti 10. Indict. in Castro Albiniani*

ni Frater Franciscus Episcopus Caiaccianus assentitur cuidam venditioni terræ redititiæ Sede Episcopali. Hic anno 1. Vrbani VI. die 5. Id. Nouembr. ab eodem Pontifice cum alijs Episcopis adhærentibus Clementis VII. Antipapæ omnibus dignitatibus priuatus est, dirisque inuolutus, vt ex Bulla eiusdem Pontificis ad Raymundum Ord. Præd. Capuanum mihi videre contigit, quæ asseruatur in Archiuio Cœnobij S. Dominici Senensis.

30. MARTINVS fortè intrusus an. 1382.

31. BARTHOLOMÆVS, cuius mentio anno 1385. hic mortem obijt sub Bonifacij IX. obedientia anno 1391. vt in lib. Prouisionum Prælatorum.

32. IOANNES Antonellus de Gattulis Clericus Caietanus defuncto Bartholomæo subiectus est à Bonifacio IX. anno 1391. 3. Id. Ianuarij; obijt 1393. ex lib. oblig. Prælat. sub eodem Pontifice.

33. FRANCISCVS immediatè successit an. 1393. 13. Octob. recognouit sacrum Collegium pro Ioanne prædecessore suo, ac pro Bartholomæo item suo prædecessore, ita in præuot. lib. oblig. Decessit anno 1404.

34. ANDREAS Sinrauo Auersanus Episcopus Potentinus ad hanc sedem translatus est per obitum Francisci 15. Kal. Decembris 1404. Abbas fuit Commendatarius Cœnobij S. Saluatoris propè Thelesiam Ord. S. Benedicti. Mortem obijt anno 1422. die 12. Iunij ex citato emortuali libro.

35. IOANNES de Auersa Primicerius Neapolitanæ Ecclesiæ ad hanc sedem promotus est à Martino V. Papa anno 1422. die 2. Non. Iulij, sedit ann. 23. excessit verò anno 1445. cuius donationes aliquæ ad fauorem Canonicorum suæ Ecclesiæ elargitæ extant in Capitolari tabulario, eiusque electio in actis Concistorialibus Martini prædicti Papæ V.

36. ANTONIVS de Herrico, Ioannis, & Brisellæ Egittiæ filius nobili genere natus, patriæ Episcopus ab Eugenio IV. est adlectus anno 1445. die 22. Apr. cum antea ad id munus defuncto Ioanne à Caiacensi Capitulo fuisset euocatus, quam electionem irritauit Eugenius, deinde ex plenitudine potestatis illum præfecit in Pastorem. Vir egregius, omnique laude dignissimus, cum 17. annos eximia virtute hanc rexisset Ecclesiam, præclaris operibus diues, ac felix vita functus est anno 1472. die 24. Aprilis, iacet in Cathedrali propè chorum S. Gregorij, quod ipse exornauerat cum hac breui inscriptione.

Præsulis Antonij de Herrico ciuis Calatini. hac in fossa ossa quiescunt, qui diem suum in Domino clausit
M.CCCC.L.XXVII.
XXIV. Aprilis.

37. IVLIANVS Myrtus Frangipanus clara stirpe natus apud Calatinos patrem habuit Anellum Viti filium, electus est in successorem Antonij à Sixto IV. an. 1472. 2. Id. Maij, vir in Romana, regiaque Curia non solum ob generis claritudinem; verum etiam ob rerum peritiam, prudentiamque in agendis cõspicuus summam apud omnes gratiam, existimationemque collegit, præcipuè apud Ferdinandum primum Regem à quo, anno 1474. Almi Neapolitani studij Gubernator, maior Regis Cappellanus, Regiusque Consiliarius in demortui Petri Bruscæ Hispani Auersani Episcopi locum adlectus est. Præfuit Caiacianæ Ecclesiæ ann. 9. regiaque gratia ad Tropeiensem Ecclesiam translatus est anno 1480. die 16. Iunij; vixit deinde ab hac translatione ann. plus minus 20. ac an. 1499. die 26. Septembris Tropeæ, corporis vinculis solutus in Cathedrali conditus est. Eius gentiles in maiori Ecclesia Caiacensi honorarium tumulum excitarunt cum hac breui inscriptione.

Iulianus Myrtus Tropeiensis Episcopus, olim Caiacensis obijt anno Domini MD.

Annus 1500. appositus in hac inscriptione corrigendus est, cum reuera Iulianum mortem obijsse anno 1499. vt Acta referunt Concistorialia, & in Emortuali Caiacensis Ecclesiæ annos, diesque obitus designatus sit 26. Septembris 1499. In Ædibus Myrtanorum Calatinæ ciuitatis hæc de Iuliano visitur inscriptio.

Iulianus Myrteus Episcopus Tropeiensis, olim Caiacensis, Inuictissimi, & Serenissimi D. Ferdinandi de Aragonia Siciliæ Regis, maior Cappellanus, & Consiliarius, ac Almi studij Neapolitani Gubernator Anno Domini M.CCCC.LXXXXII.

38. IACOBVS de Lutijs, Ciuis & Archipresbyter Sutrinus I.V.D. clariss. ac vtriusque Signaturæ Referendarius à Sixto IV. adlectus est Episcopus Caiacensis die 16. Iunij 1480. hæc acta referunt Constit. cuius memoria extat in lapide consecrationis Cathedralis ab ipso renouatæ anno 1494. sub Iulio II. volunt defunctum fuisse.

39. OLIVERIVS Card. Carrafa hanc habuit Ecclesiam commendatam, quam liberè dimisit anno 1507.

40. VINCIVS Massa nobilis Salernitanus

nus antea Episcopus Signinus ad hanc Caiacensem Ecclesiam translatus est à Iulio II. anno 1507. die 12. Aug. vir doctrina clarus, peritiaque, tum Græcæ, tum Latinæ linguæ celebris, Theologus eximius in Concilio Lateranensi sub Leone X. fuit, quem Cardinalem adolescentem instituerat, quamobrem eximiè eidem carus fuit, adeoque apud ipsum eius existimatio claruit, vt illum in Cardinalium numerum cooptandum designatet, ni immatura mors eum eripuisset. Qui cum verbo, & exemplo oues sibi à Domino creditas per annos 11. instituisset, Salerni excedens anno 1518. in Sacello suo S. Nicolai de Palma subtus aquam sepeliri voluit, vbi habet hoc epitaphium.

B

D. O. M.

Vincio Maffæ Præsuli Calaciensi Dec. & Sac. Theol. Doct. Leone X. Pont. Max. ob singularem doctrinam, & vitæ integritatem, & innocentiā quod XV. ann. Cardinalis ab eo fuerat eruditus, ad Cardinalatus amplissimam dignitatem accersito & ob eius immaturam mortem non consecuto. Præsuli opt. pijss. cui datum est in Aede Caiaciensi corpus Beati Stephani, quod hactenus latuerat inuenire, Michael Maffa vir clarus vita functo in sublimi F.C. anno post LXVI. Tridentini Concilij præcepto è sublimi in humili posito corpore, atque integrè reperto, cum summa populi admiratione, & pietate odorum suauitate afflante. Ioannes Baptista, & Abbas Sebastianus Maffæ germani fratres Iureconsulti patris pietatem secuti PP. an. M.D.LXIX.

C

Sebastianus, qui cum fratre Ioanne Baptista Cœnotaphium posuit, nepos fuit Vincij, & Episcopus Cariatensis in Calabria sub Gregorio XIII. vir præclarus, de quo suo in loco.

41. GALEATIVS Butrigarius Bononiensis, Alexandri filius, ingenuus vir, & celebris Iurisconsultus, cum in Hispania apud Ferdinandum Catholicum Regem pro Leone X. Pontif. fungeretur legatione die 20. De-

D

A

cembris 1518. subiectus est Caiacensis Episcopus in defuncti Vincij locum publico in Consistorio referente eodem Pontifice. Cæterùm Galeatius post decem dies ab obtenta dignitate, id est antequam nuncium collatæ dignitatis potuisset accipere, fato functus est, ibidemque sepulchrum habuit. Eius gentiles Bononiæ in Ecclesia S. Francisci eidem memoriam excitarunt nobili constituto tumulo cum cœnotaphio, in quo per summam inscitiam pro Caiacensi, dignitate, Caietanam apposuernnt in hunc modum.

Reuerendo Domino Galeatio Butrigario Episcopo Caietano Iuris vtriusque consult. ac Sedis Apostolicæ per lustrum apud Ferdinandum Regem Hispaniæ Nūcio in medio ætatis, ac honoris rapto vixit annos XLI. mens. X.
Decessit anno Christi M.D.XVIII.

42. BERNARDINVS de Chiero, vel Claro Etruscus de Prato nobili oppido Athenarum Archiepiscopus Leoni X. Papæ familiaris & summè gratus, Caiacensis Episcopus ab eodem delectus defuncto Galeatio electo, anno 1520. die 21. Maij. Præfuit ann. 2. menses aliquot, obijtque anno 1522. vt in actis Consist. habetur.



43. VIANESIVS de Albergatis Bononiensis, vir summo loco natus die 12. Nouembris 1522. sub Adriano VI. Papa euasit Caiacensis Episcopus, in eaque dignitate obijt.

44. ASCANIVS Parisanus Tolentinas creatus est Caiacianus Episcopus post Vianesium, hanc Ecclesiam liberè dimisit ad fauorem Antonij Mariæ de Monte Archiepiscopi Sipontini die 3. Maij 1529. translatus autem ad Ariminensem Ecclesiam ex cessione eius-

 dem

dem Archiepiscopi, qui Caiacensis Sacerdotii paulò post dimisit administrationem die 28. Iunij eiusdem anni. Ascanius verò sub Paulo III. euasit S.R.E. Presbyt. Card. de quo vide tom.2. in Catal. Ariminensium Præsulum.

45. ALEXANDER Myrtus, Vitalis filius, Iuliani superioris nepos, ob egregias virtutes, nobilitatemque familiæ suæ electus est patriæ Episcopus die 18. Iunij 1529. à Clemente VII. Octo omninò annos vir doctissimus, ac pijs moribus exornatus Caiacensem Ecclesiam rexit, eamque liberè dimisit anno 1539.

46. FABIVS Myrtus, Petri filius, Alexandri nepos, eo cedente, patriæ Antistes cooptatus est à Paulo III. anno 1537. die 30. Iulij. Hanc ille Ecclesiam diuturniori mora administrauit, eximiaque sua virtute adeò Christiano orbi inclaruit, vt dignissimus inter eius æui Antistites habitus sit. In explicandis enim negocijs valuit plurimùm, quamobrem à Summis Pontificibus non semel in Gallias, Belgium, aliasque Prouincias ad Reges & Principes Legatus est. Bononiam, Vmbriam sua virtute frænauit, Concilio Tridentino inter Patres assedit, ad cuius normã, Clerum, populumque sibi commissum, conuocata Synodo instituit. Cathedralem Ecclesiam vario, pretiosoque cultu donauit, Episcopium auxit, & ad commoditatem exornauit: vir sanè singularis integritatis, tantæque morum suauitatis, charitatisque in omnibus, vt omnium ordinum hominum amorem promeruerit. Quinque supra triginta annos hanc rexit Ecclesiam, & ad Nazarenum Archiepi-
C scopatum translatus est ann. 1572. in eoque munere multis deinde pro Romana Ecclesia exantlatis laboribus Apostolicus Nuncius Parisijs ætatis suæ 73. salutis verò anno 1587. die 18. Martij mortalem vitam amisit, ibique sepultus nobili Cœnotaphio cohonestatus est, quod leges vna cum reliquis eius virtutibus in nostra Nazarenorum Archiepiscoporum serie. Cæterum placuit hic exscribere Fabij Epistolam ad Caiacenses suos datam, dum inuitus ad secũdam traduceretur Ecclesiam, quæ quidem digna mihi visa est, vt hic perennetur. *Alli Signori Eletti del gouerno di Caiazzo. Iddio sà ch'io mi partij di Francia*
D *con fermo proposito di venirmene à risedere e satisfar al debito mio in quella Chiesa, e di questo popolo tutto, e riposarmi anco hormai dalle fatiche del mondo. Mà esso Dio benedetto, che col consiglio suo diuino dispone sopra li consigli nostri humani hà disposto altrimenti: che volendo N.S. seruirsi di me anco per qualche tempo di più, m'hà permutato da quella, alla Chiesa di Nazareth, ch'è di nulla, ò poca cura, che non hà di bisogno così della residenza del Prelato, con prouedere à quella di Caiazzo de la persona d'Ottauio mio nepote, che così come io l'amo certamente più per la bontà sua, che per l'attinenza del sangue, così m'hò*
A *sentito piacere più per il seruitio, e beneficio, che spero debbia riceuere quella Chiesa, e Città tutta, che per il suo particolar honore, ch'è piacciuto à S. Santità di farli. Non hò potuto mancar all'obedienza di N.S. il quale al mio primo arriuo in baciandoli li piedi, me disse, che già haueua disposto della persona mia di mero pensiero suo; e m'è testimonio Dio, come in quel ponto, e dopo molto più io hò in me stesso difficile, & amara quella separatione veramente d'una parte di me stesso separandomi, dirò dalla madre, e da i fratelli miei. Mà già che hà piaciuto à Dio, & a S. Santità, ch'io lasci quella Chiesa, e quella Città, non perciò lascierò io di ricognoscerla sempre per mia, & i Cittadini tutti per miei fratelli amandoli, honorandoli, e desiderandoli sempre ogni accrescimento di bene, pronto anche doue potrò con*
B *l'opera, con la facoltà, e con la propria vita farli seruitio e benefitio sempre, così d'obligo della natura me le conosco obligato, così me l'offerisco, e così le pregò à volersene sempre seruire, & à valere. Ringratio le SS.VV. e quei Cittadini tutti dell'amoreuole demostratione, che m'han fatto dell'animo con la lettera, che m'han scritto del primo di questo, e possono esser sicuri, ch'in me trouaranno sempre così piena, e colma corrispondenza, come in qualunq; Cittadino, e figlio di quella Città, la quale io lasci, con la sua benedittione, e prego il Sig. Dio concederglila dal Cielo. Di Macerata li 11. Gennaro 1573.*


D.VV.SS.

Amoreuolissimo fratello

Fabio Arciuescouo di Nazareth.

47. OCTAVIVS Myrtus Frangipanius Siluij filius, Fabij nepos ex Abbate S. Benedicti de Capua, Caiacensis euasit Episcopus die 19. Nouembris 1572. virtutibus, & nullis non sæculis laudanda prudentia clarus, qui nomine Gregorij XIII. Ciuitatem Bononiam bonis legibus gubernauit. A Sixto deinde V. ad superiorem & inferiorem Germaniam, omnesque Belgij prouincias eo tempore cum potestate Legati de Latere destinatus est Nuncius, quo periculosissimo bello præcipua Nunciaturæ suæ loca ardebant. In qua quidem functione octanum in annum Coloniæ potissimum resedit, ac tanta maturitate grauissima rei Christianæ pub. negocia administrauit, vt Serenis. & Reuerendiss. Principi Electori Coloniensi, Ernesto Bauariæ Duci, Parmensi Duci, Senatui Coloniensi, vniuerso demum clero gratissimus fuerit. Post ob virtutes, & merita à Clemente VIII. ad Episcopatum Tricaricensem translatus an. 1592. mox ad Tarentinum Sacerdotium magnum apud Caiacenses populos sui desiderium reliquit, quos verbo & exemplo duxit ad pascua salu-

faintis, quando ab eodem Pontifice ad grauiora pertractanda negotia ad Archiepiscopos Electores, cæterosque Germaniæ Principes adlegatus peregregiam sibi operam Religioni & Clero restaurando præstabat. Tanti certè temporis residentia, & rerum vsu eleganter cultus, de Coloniensis Ecclesiæ statu accuratè informatus, opus eruditum conscripsit, de ecclesiallica illius Ecclesiæ & Cleri reformatione: sermones item aliquot eruditissimos scripsit ad Caiacensem populum; post celebratam in ea Cathedrali Diœcesanam Synodum mortuus est eximius Præsul anno 1612. de quo non semel redibit sermo.



48. HORATIVS Aquauiua ab Aragonia, Hieronymi Adriæ Ducis ex Margarita Pia filius, Iulij & Octauij Aquauiua Cardd. germanus frater, miles in sæculo, strenuusque militum Tribunus in memorabili Nauali prælio, victoriaque ad Echinedas contra Turcas interfuit, cum diuinitus in ea pugna è Barbarorũ manibus euasisset, ex voto ad Ordinem Cisterciensem confugit, habitumque Monasticum suscepit Florentiæ in Cœnobio S. Mariæ Magdalenæ de Cistello nuncupato anno 1576. sub Iulio Perino Abbate Septimiano professionem emisit, ac liberalibus disciplinis cum Theologicis studijs operam dedit, auditorque fuit Marsilij Vasquez Hispani eiusdem Ordinis Abbatis viri longè doctissimi. Anno 1592. instante Octauio Card. fratre à Clemente VIII. Episcopus Caiacensis delectus est, die 13. Maij consecratur Neapoli, ab Annibale de Capua Archiepiscopo in Metropolitana, sacelloque Diui Ianuarij, die 19. eiusdem mensis. Solemni ritu Caiatium ingressus est redeunte martio mense sequentis anni, omnibus ordinibus ob egregiam nobilitatem, virtutemque suam exceptus, de cuius vigilantia, prudentia, iustitiæ zelo in rebus Ecclesiasticis administrandis, malo silere, quàm pauca dicere. Præsul sanè dignissimus, & tanto munere dignus cum suis prædecessoribus æquiparandus, si zelum iustitiæ aliquando in miseros clericos temperasset, pro quo non semel Summi Pontificis dulcem sustinuit animaduersionem. Sedit eximiè ann. 25. & cum è Neapoli Caiatium peteret, haud longius ab oppido Formicolę equo delapsus die 10. Maij Ascensionis Domini sacra in eodem oppido post paucos dies venerabilis senex ætatis suæ 65. Christi verò anno 1617. mortem obijt, sepultusque est in Ecclesia Archipresbyterali S. Christinæ in cornu Euangelij, hoc ad tumulum insculpto Epitaphio.

D. O. M.
Horatio Aquauiuo ab Aragonia
Episcopo Calatino
Hieronymi Adriæ Ducis F.
Integritate, doctrina, & relig. præst.
ac magnitudine & fortitudine
animi admirabili.
Obijt Idibus Iunij M.D.C.X.VII.
Octauianus Melchiorius Calatinus
Terræ formiculæ
Archipresbyter humanitatis, &
piæ memoriæ ergò P.



49. PAVLVS Philamarinus Neapolitanus Ord. Clericorum Regularium Theatinorum, maiorum splendore, ac sua etiam pietate commendatus, cum in eo ordine plures magistratus cum laude gessisset, ad Caiacensem Ecclesiam vocatus est à Paulo V. die 18. Iulij 1617. Romæ à Ladislao de Aquino Card. consecratur die S. Bartholomæi. Excipitur solemni pompa 21. Decembris commendato sibi gregi aduigilare pro viribus studuit, eiusque operam probauit communis omnium in Pastorem suum beneuolentia. Synodum Diœcesanam habuit, nouum, ac eximium sacellum in Cathedrali exstruxit, in coque sacrum D. Stephani Episcopi corpus pio ritu transtulit, recondiditque sub Altari vna cum reliquijs S. Ferdinãdi eiusdem successoris die 18. Nouemb. ann. 1618. Rem narrat inscriptio ab ipso Paulo ibidẽ posita in hæc verba.

Quisquis huc accedis supplex venerare sacrum corpus Sanctissimi Stephani Caiacensis Antistitis, quod olim à Vincio huius Ecclesiæ Episcopo sub altare conditum An. Domini M.D.XII. nuper Paulus Philamarinus Episcopus augendæ populorum pietati, suæque deuotioni contestandæ in hoc sacellum ipsi dicatum summa cum celebritate transtulit, & honorificè tumulauit. Anno salutis M.D.C.XVIII.

Quo olim Gregorius XIII. huius tantummodò Ecclesiæ Sacerdotibus defunctorum animabus expiandis Ara hac sacrificantibus priuilegium contulerat Idem Paulus V. Pont. Max. Paulo Philamarino Episcopo Caiacensi ob peculiarem erga mortuos commiserationem impetrante omnibus Presbyteris sæcularibus, atque Regularibus deinceps vt sit commune concessit anno salutis M. D. C. XVII. XIIII. Nouembris.

Saluete Beati Cælites Quorum locus hic sacros cineres, Cælum spiritus habet, Ego vos, quo Deus iusserit die lubens sequar, & vos, qua vestra est benignitas, ossa mea hospitio suscipietis; interim ea me inopem meritorum spes magna solabitur vna, vt Christus Iudex sit ad Aethera prouecturus, quos vna in terris Aedicula condiderit. Paulus Philamarinus Episcopus Caiacensis mea vota his verbis expressi, & piorum me precibus commendaui Anno redempti orbis M. D. C. XVIII.

A *Vixit in Episcopatu annos quinque, menses nouem D. Obijt anno M. D.C. XXIII. die vigesimoseptimo Maij.*

At cum ille diem suum clausisset extremũ, ætatis suæ sexagenario maior Neapoli eo ipso die, & anno sepultus fuit in Ecclesia Sanctorum Apostolorum apud suos Theatinos, an verò corpus eius delatum deinde sit Caiacium, vbi ipse statuerat sepeliendum, haud scio. Eius cum laude meminit Ioseph Silos p.2. Clericorum Regul. Hist.

50. Fr. BENEDICTVS de Sio Canen-
B sis Ord. Minorum Obseruantiæ, Sac. Theologiæ insignis Magister, olim Annæ Austriacæ Francorum Reginæ ab Eleemosynis ab Vrbano VIII. creatus est huius Ecclesiæ Episcopus die 18. Decembris 1623. munus consecrationis accepit in Ecclesia Aracælana à Dionysio Marcmonte Archiepiscopo Lugdunensi paulò post Cardinale, die prima Ianuarij 1624. Dominica Palmarum Vrbem solemniter ingressus ingenti cura, & sollicita sedulitate hanc rexit Ecclesiam ann. septem, translatus ad Boianam anno 1641.

C



51. SIGISMVNDVS Thadæus Nobilis Florentinus Episcopus Bittectensis ad hunc
D Caiacensem Episcopatum translatus est die 27. Nouembris 1641. Vir in omni doctrinarum genere præstans; sed musis amœnioribus delectatus, politioribus litteris fuit ornatissimus, quique multo itinere multa vidit, & ritus, & gentes nouit; sed cum annis septem huic Ecclesiæ eximiè præfuisset, casu ex equo prolapsus prope Formiculę oppidum Caiaciũ rediens, ex contusione capitis intra paucos dies mortalitatem expleuit die 4. Decembris 1647. in Cathedrali honorificè, cuncto collachrymãte populo, sepulchrum accepit, Vir sanè ob morum suauitatem, cæterasque virtutes longiori vita dignus, cuius plura extant sui ingenij monumenta.

52. FRAN-



52. FRANCISCVS Perronus nobili familia Neapoli natus 13.Iunij 1610. ex Vincenrio I.C.clarissimo, & Beatrice Sassa, Lucij Saxi Cardinalis nepte, Marij Sassi Archiepiscopi Sanctæ Seuerinæ germana sorore, qui cum in iuuentute Iurisprudentiæ operam dedisset in Neapolitano archigymnasio Lauream promeruit. Romam se transtulit, vbi eius perspecta virtute ab. Vrbano VIII. Canonicus Neapolitanæ Ecclesiæ,& Abbas Sancti Georgij Maioris delectus est: sub Innocentio verò X. huius Ecclesiæ Episcopus euasit 25. Nouembris 1648. Consecratur in Liberiana Ecclesia à Marcello Card. Lantes die 30. eiusdem mensis, sequenti verò 29. die sine fuco, & pompa Caiatiam ingressus, ad benè regendam Ecclesiam sibi commissam manus admouit. Sedit omni cum laude, omnibusque eximiè charus annis 8. Romæ mortalitatem expleuit ex lue contagiosa die 2. Octobris anno 1656. florente adhuc ætate, sepultus ante fores Ecclesiæ S.Pauli prope commune fidelium ex hac lue decedentium ossuarium: paulò post eodem in loco humati fuerunt Frater Thomas Suberanus Aretinus Ordin. Præd. Archiepiscopus Smyrnensis ex eodem morbo die 15. eiusdem mensis in Monasterio Sanctæ Mariæ ad Mineruam defunctus, & doctus amicus noster Thomas Metius Abbas S.Laurentij extra Vrbis muros, olim Canonicorum Regularium S.Saluatoris emeritus Generalis, qui in Cœnobio S.Petri ad Vincula eadem *lue* tactus in peruigilio omnium Sanctorum fato cessit.

53. IOSEPH Petagna electus die 15. Ianuarij 1657.

CALINENSES
seu Carinulenses
EPISCOPI.



CARINVLENSIS, seu Calinulensis, vel Calinensis vrbis Cāpaniæ Felicis originē in Longobardos reijciunt, & rectè, qui volunt illam ædificatam paulo ante salutis annum DCCCC. propè dirutum forum Claudij; opinione tamē quorundam antiquior est, qui eam cum vetusto Caleno confundunt. Sita est ad radices Massici Montis, Cales & Sinuessam propinquas vrbes habet, à Sinuessa ad IV. M. P. à Capua Metropoli in ortum, & meridiem vix 8. distat. fertile habet solum; tamen ipsa infelix, ob aëris insalubritatem. Eius meminit Erchempertus in Longobardorum Historia, Hostien. in Chron. Petrus Diaconus, quam corrupto vocabulo Calenensem denominat. Calinensis Episcopatus inchoatus est à Sancto Bernardo Fori Claudiensis Episcopo anno Christi M.LXXXVII. traducta dignitate vna cum Cathedrali, Cleroque ab ipsomet semidiruto foro, vt in Actis eiusdem Sācti. *Erat*, inquiunt, *eo tempore Episcopalis mansio loco, qui forum Claudij dicebatur, videlicet strata publica euntibus Romam & Neapolim, planum vsque hodie monstrat accessum, qui locus à Calenensi ciuitate duobus ferè millibus distat: videns Sanctus Dei Bernardus populum suum longè à se remotum frequens ab eo consolationis non habere consilium, cœpit intra se magna cum deliberatione versare, vtrū posset Episcopatum ad prædicta ciuitatis claustra transferre. In honorem Sanctæ & intemeratæ Virginis Mariæ, & Beati Ioannis Baptistæ fabricauit Ecclesiam, & domos competentes, in quibus Episcopus cum suis Clericis habitarent, vt competentiùs ad diuinum seruitium tempore officij matutinalis occurrerent.* Erat tunc temporis Carinula pagus non ignobilis, & Comitatus titulo insignita: Igitur Sedem Episcopalem illuc transtulit Bernardus tunc Episcopus fori Claudiensis. Carinulenses deinceps qui ei successerunt, denomi-

nominati sunt vsque in hodiernum diem. Porrò Fori-Claudienses Episcopi memorantur aliqui in antiquis Concilijs, Gaudentius nempè, qui sub Felice Papa Romano Concilio subscripsit, Colonus, alijs Colonius Romanis primo, & secundo sub Symmacho, vt Donatiani apud Optatum lib. 1. An hi fuerint hujus Fori Claudij Præsules, vel alterius, quod nunc Tolfa noua dicitur, notum Plinio, Straboni, Ptolomeo, Antoninoq; in Itinerario, ab Vrbe 28. milliaribus distans, obscurum mihi est. Ioannes tamē, qui S. Bernardo præcessit & Foro Claudiensis, & Carinulæ Episcopus in Anonymo Cassinensi denominatur. Carinulēsis Episcopatus Suffraganeus est Archiepiscopo Capuano, cuius fructus taxantur in lib. Cameræ Apostolicæ ad florenos 50. Præsules qui in hac Sede floruerūt post Sanctum Bernardum tali ordine pauci hi à nobis non sine labore perquisiti; vberiorem dedissemus illorum seriem, & Acta, si ab ijs quorum intererat adiuti fuissemus, sed per summam illorum inscitiam, supinamue socordiam oleū & operam rogando perdidimus.



1. IOANNES Fori-Claudij Episcopus interfuit consecrationi Ecclesiæ Cassinensis anno 1071. ab Alexandro II. celebrata apud Anonymum Cassinensem, vbi notatur Episcopus Calanus in Bulla eiusdem Alexandri subscripsisse, *Ioannes Episcopus Fori Claudiensis*, apud eundem.

2. S. BERNARDVS tutelaris & Patronus Carinulēsis Ecclesiæ ex sacellano Richardi Iordani Capuani Principis felix Ioanni in Foro-Claudiensi Episcopatu successit anno 1087. vir grauis & eximia sanctitate præditus. Corpus S. Martini Abbatis ex Massico monte ad Calinensem vrbem detulit anno 1094. de qua translatione breuis extat historia apud Michaelem Monachū 1. p. Capuaui Sāctuarij. vbi ForoClaudij Episcopus notatur Bernardus, qui cum anno 1100. Paschalis II. auctoritate ab eodem ForoCathedralem, Clerum, & Episcopium Carinulam transtulisset, deinceps Carinulensis Episcopus dictus est. Præfuit sanctissimè ac prudentissimè annis 23. Obdormiuit in Domino die 12. Martij 1109. sepelitur Carinulæ in Basilica Cathedrali recens à se constructa, vbi quiescit in marmoreo sarcophago, & sacello eius nomini dicato, ad quod in dies obsessi à dæmone liberantur. Porro Acta eiusdem in veteri officio eius Ecclesiæ recitantur in hæc verba.

Rationali creatura ad imaginem Dei formata, & quodam participio nominis insignita suum semper debet inuestigare principium, & ibi figere deuotionis desiderium, vbi religionis consequatur augumentum: nam ab ipsis sæculi rudimentis, cum primi parentes nostri, contra voluntatem conditoris vetitum consumpsere tota laborat corrupta posteritas, & non valet attingere puritatis pristinæ dignitatem, nisi deuincat cordis censura libidinem, & carnis abstinentia voluptatem. Cuius rei causam antiquorum patrū fides orthodoxa considerans, perpetuū inijt cum carne conflictum, corpus fecit seruire spiritui, & legem membrorum sub legementis compulit ancillari. Ex quorum collegio vir valde venerabilis Bernardus existēs, tantumque in vita sua se bonis operibus mācipauit, vt patenter posset mundus vniuersus agnoscere, quam irradiatus animus eius superni luminis claritate: cor enim hominū ex operum qualitate cognoscitur, & formas mentium species detegit actionum. Sciens enim B. Bernardus arborem infœcundam à securi non esse securam, sed manibus nescientis agricolæ subijciendam, summopere studuit fructuū fertilitate pellere terrā, ne diceretur velut arbor sterilis occupare. Porro carnalem eius originem non est nostræ facultatis enoluere, quia vsque ad nostram generatio illius non est deducta notitiam, sed de nobilitate corporea nulla est inquisitio facienda, cum videamus ipsos nobiles pretium nobilitatis perdere, si nobilitatem suam morum non tenuerint honestate: Apud Dominū generositas virtute pensatur, quia nullum esse potest maius fastigium libertatis, quam exhibere Deo manus, & obsequium seruitutis. Eapropter cum progenitores Beati Bernardi, quos plane non nouimus tacere debeamus, illud autē magnanimiter affirmamus, quod idem Sanctus gloriosior extitit, quod postposita dignitate terrena solam cæli gloriam requisiuit, quanquam nec terrenus honor, quem tam diuersis studijs fallax affectat humanitas, ei defuerit, quippe quem tūc temporis vir magnifici nominis Richardus filius Iordani Principis Capuani, Bernardum adsciuit in suum consortium, vt eius haberet consilium, & ille pro Principe offerret sacrificium hostiæ, quæ totius mundi tulit immolata peccatum: Ea etenim tempestate B. Bernardus sacerdotali fungebatur officio, quem ideo præfatus Princeps voluit habere Cappellanum, quia ipsius plenè cognouerat cœlibatum. Qui tantam viro Dei pro meritis reuerentiam exhibebat,

vt

A vt nihil tractaret, vel ageret, vnde prius Sancti consilium non haberet. Verum B. Bernardus tanta tanti viri familiaritate donatus, in gloriam non est elatus humanam. Accidit vt Calēsis ciuitas cui Ionathas præfati Principis filius præerat in regimine sæculari, suo destituta Pastore idoneum quæreret Pontificem. Diuina igitur gratia prouidente, quæ ciuitatem supra montem non facit absconditam, B. Bernardum, de quo fama tam celebris habebatur, memoratæ ciuitatis Clerici in Pōtificem elegerunt, & solemniter intronizatū, Pastoralis infulæ dignitate ritu canonico sublimarunt: sublimatus autē, & positus in officio pastorali, sicut ait Apostolus, non Dominus in clero, sed forma factus gregis, B subditis suis quasi solare iubar apparuit, duplici virtute præradians, lumine videlicet cognitionis & perfectæ desiderio charitatis. Prædicationem vero suam iuxta Apostolicam studuit dispensare doctrinam; verbum Dei opportuna voce disseminās, sagacitate mirabili, sicut ad eum spectabat mãsuetos colligens, & corripiens inquietos: quæ autem subditis suis sciebat esse contraria, suis ostendebat actibus non agenda. Erat eo tempore Episcopalis mansio loco qui Forum-Claudij dicebatur, videlicet strata publica euntibus Romam, & Neapolim, plaunm vsq; hodie monstrat accessum: qui locus à Calenensi ciuitate duobus ferè millibus distat: videns autem Sanctus Dei, populum suum longe à se remotum, frequens C ab eo consolationis non habere consilium, cœpit intra se magna cum deliberatione versare, verum posset Episcopatū ad prædictæ ciuitatis claustra trāsferre, ad hunc enim effectum mancipandum necessariam fore cōsiderans Principis voluntatem, virum nobilissimū Ionatham, cuius fecimus mentionē, adijt, & quod sancto concepisset proposito mansuetè auribus patefecit. Quod audiens vir illustris, valde iocundatus est, & diuinæ inspirationis gratia perlustratus, locum pro construenda Ecclesia & Ecclesiæ domibus pia largitione concessit, spondens literaliter se Pontifici adiutorium semper impendere, & ipsi Ecclesiæ libertatis priuilegijs prouidere; corroboratus vero Episcopus dono Principis, pariter & promisso, in honorem Sanctę & intemeratæ Virginis Mariæ, & Beati Ioannis D Baptistæ fabricauit Ecclesiam, & domos cōpetentes, in quibus Episcopus cum suis clericis habitarent, vt competentius ad diuinum seruitium tempore officij matutinalis occurrerent. Sanctus Bernardus de operis inchoati consummatione sollicitus quasi apia officiosa, quæ de diuersis pratis diuersos flosculos colligit, paruo vectus asello, ad diuersa loca pergebat, & quicquid ei fuisset pro Dei amore collatum, ad nidum propriæ mansiunculæ deferebat. Peractis igitur ædificijs, Sanctus Dei de virtute in virtutem procedens, desiderium mundi non appetens, carnem cum vitijs, & concupiscentijs crucifigens, ad fastigiū sanctitatis ascendebat. Vnde superno placuit Conditori, vt qui carnem suam sanctificabat in terris, eius corpus haberet, cuius spiritus lætabatur in cælis: nam Sanctissimi viri Martini corpus (cuius in dialogo Beatus meminit Papa Gregorius) de monte Marsico ad suam transtulit Ecclesiam, pium religionis officium exequens, adiutorio diuini muneris, reclamantibus, & repugnantibus Suessanis. Bernardus igitur supernis desiderijs inflammatus præsentem vitam reputabat exilium, & corpus suum habens pro carcere, vehementius affectabat ab ista subleuari peregrinatione: Cuius desiderium intuens mentiū scrutator, post multos labores, in quibus non frustra sudauerat, de valle lacrymarum eum ad montem gaudij subleuauit: nam vigesimo tertio Pontificatus sui anno, plenus Spiritu sancto, migrauit à sæculo, carnis exutus cilicio ęternitatis indutus vestimēto, de sterquilinio raptus ad solium, de puluere ad pauimētum, de mari ad portum, de exilio ad regnum, de cœno ad cælum. Cuius miraculum in ipso migrationis exordio factis euidenter apparuit, nam cum secundum morem corpus beatissimum lauaretur, quidam languidus membrorum destitutus pręsto erat, qui inter alios quos in vita sua sanctus misericorditer sustentabat, patris, & benefactoris obitum deplorabat: hic subito diuina visitante clementia erectus & membris consolidatus est, ita vt peluim vbi aqua continebatur acciperet, qui manū, & pedem hactenus mouere nō quiuisset. O charitas Sancti miro flagrans ardore, quæ illos quibus in vita sua beneficium prestitit, in morte penitus nō reliquit, & quos adiuuit, adiuuare non destitit defunctus. Diaconus quidam quem sæpe numero Sanctus pro sua corripuerat lenitate, cum Sancti viri corpus in loculum poneretur, vt Bernardum sepeliret adfuit, & Sancti viri caput arripiens id durè intra sepulchrum ire dimisit vt marmori illud allideret, & de ipso capite cruor profluus emanaret, aliud addens opprobrium quod anulum bonum in digito positum abstulerit, & quendam alium plumbeum posuit, quod factum vltio condigna sequuta est, nam prædictus Diaconus elephantino morbo percussus est, & leprosus factus est in carne, qui ad Sancti commonitionem lepram nō fugauit de mente, & pœnam acerbissimam tulit de eo quod Sanctum in vita contempsisset, & inhonestè id morte tractarit. Terna igitur die post humationem B. Bernardi mulier quædam cuiusdā clientula Sacerdotis, graui gutturis infirmitate detenta, ferè officium vocis amiserat, quæ veniens ante Sanctum corpus, orationem fudit ad Dominum, & Præsulis merito euasit valetudinis periculum, & plenū reportauit sospitatis effectum. Matrona quędam illustris Beatrix nomine prosapiæ, & honestatis eximiæ, & præcipuè venustatis, luminarium quæ naturæ conditor in fronte corporis quasi in quodam posuerat firmamēto,

tri-

tristis amisit officium, & aliquo tempore patiebatur absentiam solis, priuationem luminis, tenebras orbitatis, quæ res omnibus amicis eius magnæ desolationis, discrimen iniecerat, quia plurimum erat verecundia grauis, castitate laudabilis, & cunctas exuperans moribus probitatis, verum quodam die cum cæteris matronis Calinēsibus ad curationis opificem Bernardum deducta est, quæ mox vt Ecclesiæ limen intrauit, ante meruit visum recipere, quam auxiliũ Sancti poposcisset in oratione. Venerandum Pontificem, qui suos nouit famulos beneficijs præuenire, qui tum magnifica, tum munifica perhibet adiutoria sanctitatis, vt languidorum vota studio pietatis anticipet, exuperet merita munere largitatis. Mulier quędam Gaudia nomine energiæ spiritu vexabatur, quæ ad sancti sepulchrum deducta statim sanata est, & sic iuxta nomē propriũ inuenit Gaudia gaudium, cum euasit obsessa dæmonium, & Sancti meritis recuperauit visum quem diu amiserat propter execrabilis hospitis incolatum.

Vnus homo placido resolutus membra sopore,
Dum iacet & dormit, anguem suscepit in ore:
Lubricus immergens dilabitur intus in aluum,
Non patiens hominem torquendo viuere saluum.
Hospite tam duro plangit miser & lachrymatur,
Vndique quærit, abest Medicus sibi qui medeatur.
Expetit auxiliũ Sancti, miserabilis orat,
Vt vincat pestem, per quam moriendo laborat.
Pontificis sancti dum voluitur ante sepulchrum:
Ore gemens patulo supra sancti monumentum,
Anguem, quo lædebatur, vomit ore cruentum:
Sic requiem cuncta post detrimenta laborum
Cepit, qui petijt votorum summa suorum:
Et redijt sanus Pastore sacro mediante,
Qui fuerat dudum miser, & miserabilis ante.

Mutus quidam Ioannes nomine à natiuitate sua loquendi munere destitutus ab beatissimum corpus accessit, & vt linguæ suę vincula relaxarentur mente potius quam sermone Bernardi meritum postulauit: qui protinus visitatus à Domino, qui nesciebat sermonis originem, soluto gutture ad formanda plenè verba suscepit, & sanatorem suum voce sua primitus collaudauit. Stabilis nomine, tenus hydropico languore vexatus, & multis calamitatibus plenus, sicut habet illa infirmitas, ventre, & membris intumerat vniuersis,

A sine compendio sanitatis miseram gerens vitam, præordinata peste deficiens, dies suos finiens in mœrore, hic ad B. Bernardum deductus est, & ad sepulchrum illius aliquantulum commoratus plenè sanatus est, ita vt postea videretur de imbecilli fortis, de turgido gracilis, de inualido validus, de languente, & misero gaudiosus. Mulier quædam, quæ Martha dicebatur multo tempore à Dæmonio fatigata, temporalis vitæ perdiderat requiem, intra se mortis continebat auctorem, hæc deducta ad sanctissimi Præsulis tumbam, in integrum mentis statum reformata est, & inquilino damnationis expulso, intra aulam pectoris illum recipere meruit, cui olim Martha circa ministerium frequens ministrauit. Ho-
B mo quidam Ioannes nomine cuiusdam viduę filius leprę infirmitate percussus, & multis visceribus membra persusus, in Medicorum & medicinarũ expensis omnem substātiam profuderat, adeo vt consumptis omnibus rebus mobilibus, habiti patrimonij prædia liguriret, & cum vitæ subsidium non haberet, quotidiani victus stipendis per vicinorum ostia mendicaret, eiulatibus igitur inauditis & clamoribus consternatus miser lugebat, ad Dominum fundebat orationem & misericordiarũ patrem cōtribulato spiritu deposcebat hoc modo. Deus voluntas omnipotens, beneuolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo, qui ponis humiles in sublimi, ac reddis corda mœrentis sospitati, erue me in malis quæ patior, vel si miserum flagellare decreuisti, desidero potius non tam vitæ spatium, quam festinæ mortis
C occasum, melius arbitror vnius mortis metã attingere, quã per infirmabiles pœnas quotidianis mortibus deperire. Hoc; miserabilis mater aure percipiens, corde & visceribus scindebatur, & patienti filio compatiens inquiebat: fili, matris pœna, parentis sarcina, procuratricis tortura, noli tabescere lachrymis, noli languere suspirijs, noli gemitibus anhelare, sed adeamus languorum curatorem Bernardum Pontificem, quia tibi non negabit, quod omnibus tribuit, sed nobis suffragiũ exhibebit, qui cæteris pius, & nō tardus adiutorium impendit: præceptis igitur salutaribus monitum, & maternis institutionibus informatũ filium, mater asello imposuit, & Ca-
D lenum vsque deductum ante sepulchrum Bernardi Pontificis collocauit, ex illo aliquantulum commoratus plenè mundatus est, & ad tumbam beatissimi Præsulis eam recepit gratiã curationis, quam olim Naman Syrus reperit ad fluenta Iordanis. Homo quidam Raynaldus nomine qui de Sangro erat à quodam latere paralysis languore percussus, corporalem amiserat cum desperatione virtutẽ, & priuatus totius beneficio actionis, suum colebat in infirmitate grabbatum, quia standi, sedendi, gradiendi non habebat officiale possibilitate solatium, admonitus siquidem insomnis vt ad venerandi Pontificis sepulchrum per-

pergeret, illò deuenit, & ibi aliquantulum commoratus, emissionem sanguinis quendā de tibijs sibi minuisse conspexit, & plenam sanitatem merito Pontificis suffragante recepit. Postea quædam mulier Beneuentana nomine Calādra à pectore infra per paralysim pœnitus amissa erat, & cui ter in visione dictum est quatenus ad locum vbi sanctum corpus B. Bernardi requiescebat veniret, quæ in quodam die Sabbathi ad ipsum locum venit, & sanitati quam prius habuit restituta est. Ingruente aliquotiens famis inedia, & regiones plurimas, præ alimentorum inopia deuorante, vrgente necessitate, vt victum quærere & ventri famelico circumquaque vagabatur pauperū multitudo, inter quos paupercula quædam Calinum adueniens quotidianum panem ad ostia ciuium quærebat; quæ cum grauida esset ventre, & partus tempora peregisset, naturalis doloris incōmodo vexabatur, & difficultate pariendi luebat cōceptionis voluptatem, intus fœditatem, & sustinebat antiquæ maledictionis, quam Eua promeruit, passionem: quid faceret miserabilis nescitabat, cū ad puerperium eijciendum non medicinarum suffragia, nec obstetricum prodesset clientela: admonita in somnis vt infirmantium curatorem Bernardum Pontificē visitaret: illò deducta est, & cum orationem fudisset ad Dominum, largiente Domino fudit. & partum, suffragante deuotione Pontificis salutem exonerata consequitur, ne velut Rachel in partu Beniamin moriatur. Sed iam hic totum decurrat ingenium, stylus respergatur eloquio, vt lucida maiestate verborum sanctissimi Patris vita mirabilis consummetur, & imprimatur audientium mentibus suauitatis æternæ dulcedo, ad habendam perpetuam de Bernardo recordationem. Amen.

Hactenus Acta S. Bernardi, quæ post multa sæcula ab eius obitu cōscripta videntur, tum quia protestatur auctor ad se Bernardi carnalē originem nō peruenisse, quod haud nisi propter longa temporum curricula contingere potuit; tum quia stylus apparet aliquantulum elaboratus, nec antiquam redolet simplicitatem. Porro de translatione S. Martini (melius S. Marciani solitarij) è Massico Monte ad Calinēsem vrbē in officio eiusdem Sancti hæc recitatur Historia ex qua satis clare colligitur annus, quo S. Bernardus consecratus est Episcopus, anno scilicet 1087. *Anno*, inquit Historia, *ab Incarnatione Dom. millesimo nonagesimo quarto, in anno quartodecimo Principatus Richardi, filij Iordani Principis, Forti-Claudij regente venerabili Episcopo Bernardo, in octauo Pontificatus sui anno, Indictione secunda. Quod dudum animo suo proposuerat idem venerabilis Episcopus replicare cœpit, decreuerat enim vt consilium à Domino Guimando Auersanæ Sedis Episcopo, magnæ auctoritatis viro, per Archipresbyterum suum Ioannem acceperat, vt S. Martini corpus, cui crescente præpositorum iniquitate, non more solito debitum soluebatur obsequium ad Ecclesiam S. Mariæ, & S. Ioannis, cui præerat, transferret. sciebat enim frequentiora ibi, & à Clero, & populo sanctis persoluenda membris obsequia. Ionathæ itaque Richardi Principis filio, qui tunc Calenis præerat, accersito equitum prudentissimo, consilium ab eo qualiter hoc fieri posset, expetijt. Ionathas vero, vt magna inter sæculares vir prudentia, cum comprouinciales Episcopos ad id secum agendum inuitare commonuit, seq; quicquid melioris super hoc cōsilij & auxilij posset, daturum efficaciter spopondit. Conuocatis itaq; Theanensi & Caluensi Episcopis, constituto die, quo scilicet Sanctorū Martyrum Ioannis & Pauli erat celebrāda solemnitas, montē ascendit, ad sancti corporis tumulum cum maxima reuerentia deuotionis accedunt. Primus itaq; Bernardus Episcopus thesauri tam nobilis amore succensus, oratione completa ictū marmori, quo venerabile corpus tegebatur, incussit: & qua pluribus antea difficilis fuerat, tā facilis prædicto Venerabili Episcopo & comitibus suis sancti corporis est facta reuelatio, vt ipsius Sancti ad suæ reuelationis effectum cōsentanea voluntas facillimè posset agnosci. Omnes vero, qui aderant, tanto iucundæ suauitatis odore sunt repleti, vt Paradisi ciuem & cælicolam cuius corpori assistebant, esse nō ambigerent. Abstractis igitur diu desideratis sancti viri reliquijs, gratiam agens Episcopus Bernardus Domino, & vltra quam dici posset exhilaratus, omnibus etiam, qui cū eo ierant, læta voce Dominum laudantibus, ossa venerabilia diligenter in mundo posuit linteamine, & sicut qui victoria potiuntur, beati redire solent, omnes de tam insperata thesauri tanti inuentione alacres descendunt. Cum autem populus ciuitatis aduentum sacri corporis agnouisset, omnes viri, & mulieres, paruuli, iuuenes, & senes obuiam processerūt: Ionathas ttiam* [sic] *cum vxore sua, & militibus suis gratias agens Deo, pedibus nudis occurrit, & sic cum maximo honore reliquiæ Sanctæ ad Basilicam vsq; Episcopij delatæ sunt, in qua plurima per eundem Sanctum petentibus fiunt beneficia.* Hæc historia; Cæterum sanctum corpus per quingentos fere annos eo in loco vbi repositum fuerat iacuit, donec superiori sæculo in decentiorem eiusdem Ecclesiæ à Ioanne Vitellio Episcopo delatum est, vbi huiuscemodi inscriptio reperta est. *Hic iacet Corpus B. Martini translatum de Monte Massico per manus Præsulis Bernardi*, vbi etiam catena qua Sanctus alligatus erat, asseruatur: De Martino agit Ferrarius in Catalog. 24. Octob. de quo agitur hoc die in Martyrolog. Rom. sub nomine Marcij; à Calinensibus dicitur Martinus, is est Marcius solitarius de quo S. Gregorius Dialog. lib. 3. cap. 56. qui Iustino Iuniore Imper. in Massico Monte inter Suessam, & Sinuessam in Campania apud Calenum ciuitatē vitam in specu angustissimo multis annis solitariam egit;

cuius

cuius acta Petrus in Cat.lib.9.cap.102.tribuit Martino Abbati Monasterij Versiani in Gallia, cuius meminit Greg. Turonen. lib. de gloria Confess. cap.57. de Bernardo verò agit Martyrol. Rom.4. id. Martij sub nomine Capuani Episcopi, & Confessoris, quod in Breuiario Capuano S. Bernardus non appellatur Episcopus Capuanus, neque diuersum esse à nostro Bernardo Calnensi clare videtur, cũ nulla Capuę de Bernardo Episcopo habeatur memoria.

3. GIROLDVS proximè successit Sancto Bernardo, subscripsit priuilegio Senenctis Archiepiscopi Capuani an. 1113. Post huuc plures desiderantur Episcopi.

4. N. Episcopus Calinensis ab Honorio III. ann.1221. ob eius ignorantiam deponitur ex Epist.724.fol.143.regest.Vatic.

5. N. . . cuius nomen non exprimitur, Episcopus Calinensis anno 1233. cum aliquibus Episcopis Augusto mense apud Theanum conuenit, mandante Hectore de Monte Fusculo Terræ Laboris Iustitiario pro Federico II. Imp. de quo Richardus de S.Germano in Chron.

6. P. Forte Petrus, Episcopus Calinensis translatus est ad Archiepiscopalem Sedem Surrentinam ab Innocent. IV. anno 1250. ex regest. Vatic.

7. STEPHANVS. Magistri Richardi de Cayta Canonicus S. Germani ditionis Cassinensis Monasterij ab Ottobono Diac. Card. Apostolica auctoritate creatur Episcopus Calinensis, confirmationem accepit ab Innocentio IV. anno 1252. 11.Kal.Maij ex regest Vatic. epist.204. fol.144. ann.9. Pontificat. eiusdem.

8 PAVLVS Episcopus Calinensis, cuius ordinatio non extat. Obijt sub Nicolao IV.

9. ROBERTVS Paulo successit à Capitulo electus, & confirmatus à Prenestino Episcopo legato consecratur per Episcopum Casertanum, ita iubente Nicolao Quarto vt in Epist.290. fol.58. regest. Vatic. ad eundem Casertanum Episcopum scripta 10. Kal.Iulij an. Pontif.IV. salutis vero 1291. Petit decimas an.1298. in reg.Regio Neapol.

10. IOANNES huius Ecclesiæ Præsul sub Ioanne XXII. vixit, à quo ad Castrensem Prouinciæ Hydruntinæ Episcopatum per eũdem translatus anno 1321. priorem sponsam dimittere renuit. Ex eodem Regest. Obijt anno 1325.

11. Fr. PETRVS Ord.Minorum defuncto Petro per viam compromissi à Canonicorum Senatu eligitur in Episcopum, confirmatur à Ioanne XXII. anno 1326. 18.Kal. Feb. Pont. X. vix quartum in ea præfectura attigerat annum, quando ab eodem Pontifice translatus est ad Ecclesiam Valuensem: de quo in 1. to. in Episcopis Valuensibus.

12. NICOLAVS Præpositus Ecclesiæ Valuensis, eligitur huius Ecclesiæ Episcopus à Ioanne XXII. anno 1330. 8. Kal.Iunij, eodemq; anno inter Regios Cõsiliarios recipitur, sedit ann.3. & ab eodem Pontifice Valuensis declaratur Antistes, vbi diem suum obijt.

13. BONAGIVNTA de Pernsio, Canonicus Perusinæ Ecclesiæ Ord. S. Augustini pręficitur Episcopus Carinulensis 3.Kalen. Nouemb. anno 1333. ex regest. Vatic. Sedit ann.14.& sub Clemente VI. mortem obijt.

14. BERNARDVS Aggerius Ord.Eremitarum S. Augustini in demortui locum Bonagiuntę creatur Carinulensis Episcopus à Clemente VI. anno 1347. 4.id. Nouemb. Põtif. 7. Præfuit laudabiliter anno 11. mortalitatem expleuit anno 1358. ex eodem Vatic. regest.

15. IOANNES antea Episcopus Vulturariensis hic translatus anno 1359.2.Non. Feb. ab Innocentio VI. vt in eius regest.



16. Fr. RICHARDVS de Thedaldis Florentinus familia nobili natus, & Ord.Prędicat. alumnus in Cœnobio S.Mariæ Nouellę regularem induit habitum: insignis Theologus euasit & Episcopus Calinensis, qui obijt anno 1363. non diu Pontifex fuit, huius memoria extat in monumentis eiusdem Cœnobij, eius tamen electio non habetur in regestris.

17. MARINVS Episcopus Calinensis translatus ad Soranam Ecclesiam 4. Kal. Ianuarij anno 1365.

16. Fr. IVLIANVS, vel IVBINVS, ordo, & patria ignoratur ex Episcopo Stephanien. factus est Calinensis Episcopus 6. Kal. Iunij an. 1365. eodemque anno memoratur in monumentis Cœnobij S.Martini de Neapoli Ord. Carthusiani.

19. IOANNES, cuius meminit Vrbanus VI. in regest.an.1388.

20. IACOBVS de Guillelmo Capuanus ciuis, & Primicerius sub Martino V. euasit Calinensis Episcopus anno 1420. Præfuit an. 26. Obijt enim anno Domini 1446. vt Acta indicant consistorialia.

21. CAROLVS Sforzatus Primicerius Capuanus Iacobo successit 5.Non.Feb. 1446.

22. FRAN-

A



22. FRANCISCVS Grassolus Capuanus huius Ecclesiæ Episcopus, Capuæ ex hac vita migrauit anno 1481. sepultus in Metropolitana hoc habet epitaphium.

D. O. M. I. C.
FRANCISCO GRASSVLLO
CALENENSI PONT.
ET CAP. PRIM.
PYRRHVS FECIT 1481.
O. H. S. S.



23. STABILIS Zarrillus ciuis & Canonicus Capuanus Francisco immediatè successit die 7. Feb. 1481. defunctus est anno 1486.

D 24. IOANNES ex Episcopo Strangulensi in Calabria, ad hanc Ecclesiam translatus est die 10. Martij 1486. Memoratur inter eos Antistites qui Alphonsi II. Regis Neap. coronationi interfuerunt ann. 1494. obijt sub Alexandro Papa VI.

25. PETRVS Calinensis Episcopus Vrbisque Vicarius erat sub Alexandro VI. anno 1501. mortalitatem expleuit sub Iulio II.

26. IO. ANTONIVS Orpheus successit Petro die 18. Octob. 1510. & cum rexisset Ecclesiam hanc ann. 8. decessit sub Leone X. anno 1518.



B 27. IO. FRANCISCVS de Anna Neapolitanus ab eodem Leone huic Sedi præficitur die 10. Nouemb. 1518. tres annos sedit vltroque se abdicauit.

28. IO. FERDINANDVS de Anna Neapolitanus per cessionem Io. Francisci ab eodem Leone creatus est Episcopus Calinensis die 16. Octob. 1521. post annum nonum à sua præfectura translatus est ad Amalphitanam Ecclesiam 1530. de quo ibi.

29. IOANNES Cannutus electus die 21. Octob. 1530. translatus deinde est ad Cariatensem Ecclesiam anno 1535.

30. THADÆVS Pepulus Bononiensis Oliuetanæ Congregationis Monachus, Episcopus antea Cariatensis, huc translatus die 25. Ianuarij 1535. Romæ decessit sub Paulo

C III. anno 1549.

31. BARTHOLOMÆVS Capranica Romanus Vaticanæ Basilicæ Canonicus post Thadæum inauguratus est à Paulo III. anno 1549. die 8. Aprilis. Obijt anno 1572.



32 XISTVS Diutiolus de Arena Cremonensis Canonicus Regularis Lateranensis, Theologus, & egregius Verbi Dei côcionator diuinarumque literarum eruditione clarus, Episcopus Carinulensis euasit sub Pio V. anno 1572. die 2. Augusti, quam Ecclesiã per aliquot annos non sine sui nominis fama piè administrauit, defunctus iacet in Cathedrali.

drali. Huius meminit epitaphium Iosephi A
fratris sui germani, Paduæ ad Diui Ioannis
Præcursoris in Viridario positum.

Iosepho Rena d. Dimitiolo Cremon. acutiss. illius Theologi, egregij diuini verbi concionatoris Reuerendiss. Episc. Calinensis Xisti eiusd. Later. Cong. professi Fratri, viro pietate & fide vsquequaque ornato, Heredes Canonici grati animi ergò posuere. Anno Domini MDLXXVIII. IV. Kal. Feb.

33. NICOLAVS Antonius Vitellius Capuanus fuit huius Ecclesiæ Episcopus anno 1583. coadiutorem habuit cum spe futuræ successionis Ioannem ex fratre nepotem, obijt verò anno 1594.

34. IOANNES Vitellius Cæsaris Regij Consiliarij filius defuncto patruo successit anno 1594. translatus deinde est ad Ecclesiam Caputaquensem anno 1610. Hic transtulit ossa S. Bernardi, vt supra retulimus.



35. ARCHANGELVS de Rubeis Canonicus Regularis Lateranensis; hic cum esset insignis Theologus, in quatuor libros sententiarum commentaria eruditissima in lucem emisit, quæ partim Clementi VIII. partim Paulo V. nuncupauit, à quo electus in successorem Ioannis die 11. Feb. 1611. decem annos hanc non fine nominis sui laude administrauit Ecclesiam: mortalitatem expleuit anno 1618. sepultusque est in Cathedrali.

36. ALEXANDER Boschus Bononiensis per obitum Archangeli euasit Carinulæ Episcopus anno 1619. die 13. Nouemb. factus deinde Hierocensis Episcopus in Calabria. D

37. ANTONIVS Bonfilius Bononiensis successit Alexandro die 9. Septemb. anno 1622. Non diu Pontifex fuit, vix enim secundum annum attigerat cum libere nuncium remisit.

38. ONVPHRIVS Sersalius electus 16. Septemb. 1624.

39. HIERONYMVS Cauafilice nobilis Salernitanus deligitur per obitum Onuphrij die 13. Augusti 1640.

CALVENSES EPISCOPI.



B IN Campania Felice inter Suessam & Capuam media ab vtraque octo passuum millibus distans, quatuor tantum à Theano Sidicino Caluium, vt ita loquamur, noua vrbs, parua atque obscura, ac pene habitatoribus vacua visitur, ex veteris Cales ruinis, posterioribus sæculis ab Atenulpho Comite Capuæ, ac Beneuenti Principe circa annum Domini 879. exædificata. Cales, quã corrupto vocabulo Calenum plerique scriptores nuncuparunt Plinius, Festus, Strabo, Ptolomæus, Polybius, Cicero, Virgilius, Horatius, Sylius, Liuiusque meminere multis in locis. Vetustissima fuit Ausonum ciui- C tas, cui Caluum successit, quod ex inexhausta Ferdinandi primi Regis Neapolitani liberalitate sub vtili dominio Capuani Senatus quieuit: Episcopatus gaudet dignitate, quę ab ipsa sua institutione sub Capuano Archiepiscopo meret à quo noui Episcopi consecrationis munus suscipere consueuerant. Taxatur in lib. Cameræ Apostolicæ flo. 60. De Episcopis Caluensibus nemo scripsit, cum vix paucorum extent nomina apud incolas, neque monumenta vlla reperiantur, quæ eorum memoriam excitare possint. Nos vero tum ex nostris, tum ex monumentis Romanis sequentem elumbem confecimus seriem.



1. N. primus est Episcopus Caluensis cuius memoria extat, nomen tamen non exprimi

primitur in translatione S. Marci Solitarij, ex Monte Massico à S. Bernardo Episcopo Carinolensi ad suam Cathedralem traducti anno 1094.

2. PETRVS Capuanus, fuit huius Ecclesiæ Episcopus anno 1141.

3. TANCREDVS item Capuanus, hanc rexit Ecclesiam anno 1174.

4. N. Caluensis Episcopus anno 1233. memoratur à Richardo de S. Germano in Chronic. tamen nomen reticuit.

5. ODARDVS ex Monachis Ord. Cisterciensis Episcopus Caluensis, corruptè legitur Calmensis in Apulia, floruit anno Domini 1245. quo anno in Concilio Lugdunẽsi sub Innocentio IV. mirabili zelo, & ardore Federici II. Imperatoris conatus infringere ausus est, vt videre est apud Baronij continuatorem Abrahamum Bzouium anno Christi 1245. num. 6. aliosque. Lugdunum discedens à satellitibus eiusdem imperatoris captus, dũ ad suam Ecclesiam reuerti cogitat, in carcere pro Ecclesiæ immunitate necatus, vt ferunt Cisterciensis Ordinis monumenta. Vir fuit tam sanctioribus, quam doctioribus sui sæculi viris merito associandus, cuius erat

Ingenium velox, præceps facundia, sermo Promptus, & Ipso torrentior.

In dicendo namque quasi furore diuino percitus, tanta vis animi, tantus impetus in oculis, vultu, gestu, vt non solum incendere auditores, sed ipse ardere videretur, qui omnia ornatè, & politè, siue meditata, siue ex tempore proferebat.

6. PALMERIVS Caluensis Episcopus translatus ad Boianensem Ecclesiam, anno 1260.

7. GREGORIVS Caluensis Canonicus, electus a Capitulo commendatur pro sua electione apud Gregorium X. Papam anno 1272. regest. Vatic. Non constat an fuerit confirmatus.

8 HENRICVS Episcopus Caluensis sub Bonifacio VIII. vixit, à quo Cœnobium S. Saluatoris Montis Capcrani O. d. S. Benedicti mẽsæ Episcopali vniendum accepit anno 1301. 2. Kal. Martij, anno Pontif. 7. ex reg. Vatic. ep. 900. fol. 200.

9. IOANNES obijt anno 1325.

10. Fr. PETRVS Ord. Minorum Ioanni successit, electusq; est sub Ioanne XXII. anno 1325. 8. Kal. Feb.

11 THADÆVS Capuanus obijt anno 1332.

12. IOANNES ex electo Iserniensi, Caluensis factus est Præsul ab eodẽ Ioanne XXII. anno 1332. 3. Kal. Nouemb. Sedit an. 11.

13. Fr. STEPHANVS Ord. Carmelitarum eligitur à Clemente VI. per cessionem Ioannis anno 1343. 5. Id. Febr. excessit anno 1345.

14. Fr. IOANNES de Arpino Ord. Minorum electus defuncto Stephano ann. 1345.

A 11. Kal. Septemb. Excessit Neapoli, in Ecclesia S. Laurentij tumulo exceptus est, vbi legitur inscriptio hæc;

Hic iacet Venerabilis Pater Dominus Frater Ioannes de Arpino Episcopus Caluensis, qui obijt anno Dom. MCCCXLVII. die VII. mensis Iunij, 15. Indictione.

15. Fr. PETRVS de Brina eiusdem Ord. Minorum alumnus, Episcopus Caluen-

B sis ann. 1348. 7. Id. Ianuarij à Clemente VI. cuius electio extat in regest. Vatic. epist. 43. fol. 48. an. 6. Pontif. eiusdem; decessit sub Vrbano V. an. 1362.

16. RAYNALDVS frater S. Spiritus in Saxia de Vrbe ab Vrbano V. declaratus est Episcopus Caluensis Kal. Maij an. 1362 ex regest. eiusdem.

17. ANTONIVS successit Raynaldo.

18. ROBERTVS post Antonium Caluensem rexit Ecclesiam.


19. IOANNES defuncto Roberto electus est. Obijt anno 1395. horum meminit Liber obligat. ac solutionum Prælatorum sub Bonifacio IX.

20. BARTHOLOMÆVS electus anno

C 1395. 17. Feb. translatus deinde est ad Ecclesiam Scuterensem an. 1403 ex eodem lib.

21. STEPHANVS Gobernus Archiepiscopus Acherũtinus huc trãslatus an. 1403. 8. Id. Nouemb. defunctus est an. 1413

22. ANTONIVS Gallutius Canonicus Capuanus demortuo Stephano suffectus est, anno 1413. Id. Februarij. Defunctus est ann. 1415.



D

23. Fr. ANTONIVS Delfæde Florentinus Ord. Carmel. tarum à Martino V. declaratus est Episcopus Caluensis 5. Kalen. Martij 1415. dum esset Constantiæ in Concilio, doctrina, & oratoria arte inter Patres illustris. Hanc rexit Ecclesiam summa sui nominis commendatione ann. 28. Mortalitatem expleuit anno 1443.



24. ANGELVS Mazzottus Canonicus Capuanus ab Eugenio IV. electus est Episcopus Caluensis an. 1443. 15. Kal. Augusti.

25. ANTONIVS electus ann 1466. Id. Aprilis interfuit Neap. coronationi Alphõsi II. Regis an. 1495. obiit eod. in anno.

26. ANGELVS Marottus Capuanus electus an. 1495. die 24. Iulij.

27. MAVRELIVS Ioannottus, obijt an. 1505.



28. MATTHÆVS de Magnano de Vrsinis Romanus antea Episcopus Ciuitatis Ducalis à Iulio II. successor datus est Mautelio die vltima Martij an. 1505. post septimũ annum suæ bonæ administrationis decessit 1512.

29. GABRIEL de Vrsinis electus anno 1512. die 18. Ianuarij, sedit ad annum vsque 1519. quo libens nolens resignauit cum regressu.

30. IOANNES Antonius alijs Io. Ferdinãdus de Galla ciuis & Archidiaconus Capuanus, creatus anno 1519. die 3. Augusti, Obijt 1543.

31. Fr. BERNARDINVS Laurentius Spada Bononiensis ex Ordine S. Francisci Conuentualiũ in facultate Theologica clarus, reconditaque doctrina cum pietate illustris, adeoque suo Ordini probatus, vt in generalibus comitijs Romæ habitis apud Sãctos Apostolos Generalis Minister creatus fuerit an. 1537. Per sex annos magistratum eximie

A gessit: quamobrem Paulo III. Pontifice iubente ad hunc Episcopatũ Caluensem assumptus est die 25. Maij 1543. sequenti vero Romam cogitans multorum opinione, cum iam sacræ purpuræ destinaretur, Neapolim ex rupto apostemate obijt, & ad S. Claræ sepultus est, cuius cum laude meminit Petrus Rodulphus, & noster doctus eruditusque. Vuadingus tom. 8. Annal. Minorum: cuius quoque nomen, exaggeratasque virtutes hoc nostro sæculo ex eadem familia, hæreditauit Bernardinus Spada S. R. E. Episcopus Card. Prænestinus, ijs cumulatus virtutibus, quæ Ecclesiasticum Principẽm videantur decere.

B



32. MARINVS de Ianuarijs nobilis Neapolitanus, clarus doctrina, moribus spectabilis, à Paulo III. declaratus est huius Ecclesię Antistes die 13. Augusti an. 1544. cum dispensatione super defectum natalium, post paucos dies antequam possessionem adipisceretur Romæ mortalitatem expleuit.

33. BELISARIVS Gambara Canonicus Valentinus statim euasit Episcopus die 27. Octob. 1544. Qui vsque ad annum 1551. Caluensi præfuit Ecclesiæ, defunctusque est eodem anno.

D



34. GASPAR Fossa Calaber Ord. Minimorum Episcopus Scalenensis ad hanc Ecclesiam

clesiam translatus die 22. Auguſti 1551. ſedit A religioſiſſimè an.9. factuſque eſt Archiepiſcopus Reghinus an.1560. de quo ibi.

35. Fr. IVLIVS Magnonus Ord.S.Franciſci Conuentualium ſucceſſit die 17.Iulij 1560. è viuis exemptus eſt an.1566.

36. PAVLVS de Bacio Terracina Neapolitanus, gente clara floridaque diuitijs, germanus frater Martij Biſinianenſis Epiſcopi, nepos Iacobi Theatini Archiepiſcopi, ac Proſperi Melſi & Lauri Commendatoris Hieroſolymitani Ordinis, ob eximiam virtutem, & eximias animi dotes Caluenſis renunciatus eſt Epiſcopus anno 1566. fato ceſſit anno 1575.

37. SCIPIO adlectus eſt à Gregorio XIII. an.1575. translatus deinde eſt ad Lu- B cerinam Eccleſiam die 14. Feb. 1582.

38. FABIVS Maranta Venuſinus Caluenſis Epiſcopus eligitur die 4. Maij 1582. ſub Paulo V. mortem obijt 1619.

39. GREGORIVS de Bubalo nobilis Romanus ſuffectus eſt Fabio die 7. Martij 1619. deceſſit an. 1623.



40. IANVARIVS Philamarinus Neapolitanus Aſcanij Cardinalis Archiepiſcopi Neapolitani germanus frater, Clericus Regularis Theatinus ad hanc Eccleſiam Caluē- D ſem traductus eſt ab Vrbano VIII. die 18. Decembr. anno 1623. Cathedram ſupra annos quinque & viginti cum laude tenuit, Neapoli ex aqua intercute decubuit, conceſſitque fato exeunte Octobri menſe anno ſæculari ſacro 1650. ſepultuſque in Sanctorū Apoſtolorum æde, vbi non ita multo ante, prope magnificentiſſimum Cardinalis fratris ſacellum monumentum ſibi pario ex marmore ornatiſſimum, id quidem poſuerat: veluti prope adeſſe ſupremam neceſſitatem prædiuinaret. Spirat in eo tumulo ipſemet effictus ad viuum, excellenti plane opere; monetque conſepulti cineris inſcriptio.

Ianuarius Philamarinus
Ex Clerico Regulari Epiſcopus
Caluenſis; In Aede
Vbi ſollemnia concepit olim vota
ad Sacellum
Aſcanij Cardinalis fratris
deuotione
Virgini Annunciatæ dicatum;
Vt tam illuſtre Religionis paternæ
inſequatur exemplum
Monumentum hoc
Viuens poſuit
Anno M.DC.L.

Eius virtutes, & in Præſulatu egregia facinora proſequitur more ſuo eruditiſſimè, Ioſeph Silos tom.2. Annalium Cleric. Regul. Porro inquit, in Eccleſiæ procuratione cum pleraſque Pontificij muneris partes probaſſet, tum zelo quodam tuendi Eccleſiaſtici iuris valuit: vt numquam ardentior illi indoles fuerit quam vbi propugnanda ſacrorum dignitas, ac libertas eſſet. Cæterum communi rei, publicis aliorum commodis ac beneuolentiæ ita ſtuduit: vt nihil vnquam irritata inuidia de eo Romam attulerit cenſura dignum. Inter priuatas virtutes inerat potiſſi- C mum in defunctorum manes pietas. Aetatis annum ſeptimum vix exceſſerat, cum integrū recitare quotidie ex Romani breuiarij formula mortuorum officium cœpit: quod poſtea congeminauit; vt alterum quidem pro defunctis generatim, alterum pro conſanguineis in ſingulos dies perſolueret; quæſito etiā è miſſarum ſacrificijs valentiore pro ijs præſidio. Cuiuſmodi ſuffragijs ſibi etiam apprimè conſuluit. Legato ſiquidem cenſu annuo, bis in die ſacrificari pro ſe iuſſit, excitato in Caluēſi Eccleſia D. Antonino, quem principe ſtudio colebat, ſacello, in quo ea ſacra celebrarētur. D Ad aram ipſe quotidie cum faceret, alteri deinde ſacrificio aderat. In magnam Dei Matrem præcipua quadā obſeruantia ferebatur. Horarias eius laudes, ſertumque roſarium integrum quotidie recitabat. Quæ maximè Antiſtites decet, in pauperes pietas, excreuit quidem nec parcè, communemque inopiam ita ſubleuabat, vt ſecretis etiam erogationibus charitati egregiè litaret. In ſui vero cultu etſi è religioſo inſtituto, ad inſulam traductum, meminerat, tamen intra modeſtiam gradum, ac dignitatem tueri ſplendore quodam videbatur. Atque hæc ille de Ianuario Philamarino Præſule digniſſimo.

CASERTANI EPISCOPI.



CASERTA Campaniæ Felicis ciuitas est in Tifenatibus montibus collocata, quos vulgus Capuanos appellat. Eius autem montis insidet dorso, quo vniuersa prorsus Campania, Tyrrenumque Mare prospectatur, haud longè à Metropolitana Capuana, quam tribus milliaribus, à Regia Neapoli 14. Quis eam primus, quoue tempore excitauerit, non satis constat; sunt qui vetustissimam eidem astruunt originem & à Seducinis volunt ædificatam, alij narrant ex ruinis secundæ Capuæ suum habuisse principium, alij verò à Longobardis conditam volunt, appellatamque Casertam, quasi arduam domum, quod scilicet sua illa arduitate molestiam accedentibus exhiberet. Parua quidem nunc ciuitas est, nec vltra trecentos alit mortales; olim Comitatus, nunc Principatus titulo insignita, illam possidet Princeps Caietanus ex Ducibus Sermonetæ nobilissimus Romanus. Ex hac ciuitate prodijt Iulius Antonius Sanctorius S.R.E. Cardinalis clarissimus, cuius nepotes Iulius Antonius Cusentinus, & Paulus Æmilius Vrbinas Archiepiscopi germani fratres, postremus suis scriptis, monumentisque ingenij patriam illustrauit. Protulit etiam Caserta alios viros doctos, & fortes. In Christiana Religione nata, adultaque Caserta; Episcopalis eius dignitas mea quidem opinione antiquior est quam opinentur recentiores, qui paulò ante sexcentos abhinc annos à Senne Capuano Archiepiscopo anno 1113. institutam narrant, cum Sennes suo in diplomate confirmationis Diœcesis Casertani Episcopatus Rannulfo Episcopo Casertano asserto, meminerit prædecessorum Rannulfi, quibus Capuani Antecessores sui Archiepiscopi eandem concessere, atque confirmauere. Hanc Ecclesiam plurimis priuilegijs, & iuribus nobilitarunt Duces, Regesque Neapolitani, quorum pauca opportune infra exhibebimus. Habebat namque Casertanus Episcopus integrales decimas, quæ si hodie ab ipso possiderentur, inter locupletiores Regni Antistites recenseretur, cuius nunc annui census ascendunt ad tria millia scutatorum regni, taxa verò in lib. Apost. Cam. ad Flor. 239. Pulcherrimum habet Palatium in media Diœcesi ad radices montis situm, in quo tanquam in commodiori loco residere solet Episcopus. Cathedrale Casertæ Templum permagnificum est, ac sumptuosum D. Michaeli Archangelo ciuitatis Patrono, titulo decoratur. Constructum est lapidibus quadris, nulla apparente calce: lapides illius eiusdem sunt coloris & diametri, adeo vt speciosius sit exterius quàm interius. Eius frontispicium ad orientalem plagam, tribus illustratur ingressibus, cuius vetustatem hi versus licet informes declarant.

Vndecies centum quinquagenis tribus annis,
Verbi concepti stant muri marmore septi
Meque minus erugi, quamquam assessore Ioanne.

Hoc principali accessu duo alij Collaterales ingressus de pulchritudine contendere videntur, vterque eorum centauris, equisque marmoreis exornatus est, ita vt ad artis acumen oculos excitet inspicientium, & in vtroque memoria hisce versibus immortalitati donatur à dextris.

Dat pro posse manus Opifex, ethereus Nicolaus
Sed fouet vtrique Michael Venerandus vbique.


A sinistris.

Post Patris excessum Ranulfi Pontificatus
Subdit Cathedram Nicolaus vir moderatus,
Prædecessoris fretus qui tempore dextra
Cœpit, & hanc Aulam dum vixit, & extulit extra.

Magnifica huius templi opera ita sunt admirabilia, quod in templo supra montem tam sublimem posito, inueniuntur decem & octo marmoreæ columnæ eiusdem magnitudinis, mensuræ, altitudinis, atque rotunditatis, duobus ordinibus pulchra symmetria dispositæ, quæ proprijs basibus ad instar Atlantis sustinet ex tribus Ecclesiæ alis mediam, quippe asserendum, quod aut sit artis portentum, aut Diui Michaelis miraculum celeberrimum. Verùm cedat harum columnarum admiratio reflexioni tribus fornicibus Corynthiarum testudinum, quarum maior Diui Michaelis Patroni, altari efficit ornamentum speciosissimum, reliquæ verò duæ Collaterales, aris hinc inde dispositis coronam faciunt honorificam. Sacra eius Turris, seu Campanile è marmore est, altitudinis ducentorum palmorum crebris signis ornatum. Insignis igitur est hæc Basilica, talibus exornata ædificijs,

ficijs, sed insignior ob gratias, & priuilegia, quibus ex Sanctæ Sedis Apostolicæ munificentia gaudet, vbi numerosus, beneq; moratus Clerus diuinum obsequium diu, noctuque perurget, Canonici nempè decem & octo, quorum tres dignitate eminent, Decanus secundus ab Antistite, Archidiaconus, & Primicerius, quibus alij Minoris Ordinis Clerici, ac Presbyteri adnumerantur. Capitulo adiuncti fuere Archipresbyter, alijque tres Canonici ab Antonio Ricciullo Episcopo pro adimplenda pia dispositione Pauli Æmilij Sanctorij bon. mem. Archiepiscopi Vrbinatis, qui redditus leganit sufficientes. Verum quia lis vertitur super validitatem dispositionis prædictæ inter præfatos Archipresbyterum & Canonicos, ac nepote donatarij, prouisi Cathedrali non inseruiunt: Propè ipsā Cathedralem in Episcopio extat puerorum Seminarium, vbi duodecim aluntur Clerici ad præscriptum Concilij Tridentini ex omnibus Diœcesis partibus assumpti. Præter Cathedralem nulla alia Parochialis est, cura animarum à Canonicis exercetur. Vna alia Collegiata Ecclesia intra ciuitatis mœnia est titulo Diuæ Mariæ Annunciatæ, in qua sex Cappellani Sacerdotes, qui quotidie diuinum pensum in choro persoluunt; quæ quidem Ecclesia ciuitatis est, & redditus habet opulentos, & hospitale annexum. Diœcesis Casertana in quatuor diuiditur partes: supra montes tria sunt casalia, cum parochijs; in plano vbi sexdecim sūt casalia, aliquot sunt Religiosorum Monasteria; in colle visitur Conuentus districtioris Obseruantiæ Fratrum Minorum; iuxta Buccianellum degunt Cappuccini, in Turris Casali Carmelitarum Domus, Eremitarum S. Augustini, Conuentualium S. Francisci, & non procul Monasterium Minimorum, In Casali Salæ Clerici regulares Congregationis Sômaschæ suom habent Colleglum, in quo etiam est mons pietatis ad egenorum subleuandam inopiam. Secunda Diœcesis pars oppidum continet Metæ Leonis, vulgo Magdalonæ gentis Carrafæ Ducatus, ibi Collegiata Ecclesia est titulo S. Petri, cum Archipresbytero, qui curam gerit animarum, & duodecim Canonici, sunt etiam quatuor aliæ Parochiales Ecclesiæ S. Benedicti, S. Martinæ, S. Agnelli, & S. Margaritæ. Quinque in hoc oppido sunt virorum Cœnobia, S. Francisci Conuentualium, Cappuccinorum, Tertij Ordinis, qui immediatè Casertano Episcopo subiacent, Ord. Prædicatorum, & Congregationis Montis Virginis. Est & alia Ecclesia Corporis Christi cum hospitali ditissimi census, & Mons pietatis. Tertia pars Diœcesis Terralanci dicitur, cuius maior pars sub dominio Regio, pars alia sub ditione Suardæ familiæ nobilissimæ Neapolitanæ, & alia pars sub dominio Andreæ Alemanni nobilis Florentini, Lauriani Baronis: hæc pars duodecim habet Parochias, & in oppido Trentola vnum est Prædicatorum Ordinis Monasteriū.

Quarta pars Diœcesis Terra est Limatulæ, cuius vtilis Dominus est Dux ex nobilibus Gambacurtæ; quinque habet Parochiales Ecclesias, & Collegiatam vnam S. Mariæ Annunciatæ, in qua plures Sacerdotes, partim Cappellani, partim aduentitij quotidie Missas celebrant. Vltima Diœcesis pars est Terra Murroni, titnlo Baronatus Io. Francisci de Mauro insignita. Communis est cum Capuano Archiepiscopo, & in ea Casertanus Episcopus tres habet Parochiales Ecclesias. Casertanorum modo Præsulum seriem explicabimos, quam tum ex Romanis monumentis, cum ex illius Ecclesiæ Scripturis diligenter eruimus, quas Bartholomæus Crisconus dignissimus huius Ecclesiæ Episcopus, ac venerandæ Antiquitatis amator perhumaniter nobis communicauit.



1. RANNVLFVS primus est Casertanus Episcopus, cuius memoriam perennarunt eiusdem Ecclesiæ monumenta: hanc Ecclesiam suscepit regendam sub Paschale II. post annum millesimum centesimum. Hic anno Domini 1113. à Senne Capuano Archiepiscopo sui Episcopatus Diœcesis iam à suis prædecessoribus ab alijs Capuani Senenctis antecessoribus assertam confirmationem obtinnit; ex qua clarè apparet alios Rannulfum habuisse in Casertana Ecclesia prædecessores; at qui isti fuerint, vel quo sint nomine nuncupati non habemus. Hanc autem confirmationem Sennensis Archiepiscopi, cum valde vtilis sit, ad huius Diœcesis distincta loca, situs, & iura agnoscenda hic exhibeo ex ipso antographo exscriptā, quæ in tabulario eiusdem Ecclesiæ asseruatur: illam paucis abhinc annis publici iuris etiam fecit Michael Monachus, in Sanctuario Capuano satis mendosam; ad eam nonnullas notas adiecit vtilissimas, inter reliquas ad subscriptionem Ottonis Decani. Nota antiquum morem subscribendi obseruatum à Decano; nam Dominus Archiepiscopus subscribebat à parte dextera folij, & erat subscriptio eius charactere rubro notata: Decanus subscribebat à parte sinistra folij eiusdem, sed charactere nigro. Habemus in scripturis Monialium S. Joannis diploma

ploma Archiepiscopi Sennetis, cum subscriptione eiusdem, & Ottonis Decani, & aliquot Canonicorum, in quo hic mos obseruatur: idem etiam obseruatur in multis instrumentis Thesauri, Ego vix in vno, aut altero instrumẽto ex recentioribus animaduerti subscriptionem Decani in eadem columna post subscriptionem Archiepiscopi. Hic verò mos obseruatus non fuit in hac Bulla; nam subscriptio Sennetis Archiepiscopi est charactere nigro, non rubro, & Archidiaconus subscripsit ante Decanum, nam illo tempore inter Decanum, & Archidiaconum in subscribendo certus & constans non erat ordo. De Indictione autem illa septima in diplomate hęc habet. Et hoc quoque mirum, cur præter solitum morem non sit annotatus mensis: tamen cum Indictio incipiat à mense Septembri, oportet non ante hunc mensem scriptam esse Bullam; nam anno 1113. est Indictio sexta vsque ad Septembrem, & à Septembri incipit septima, & hæc computatio valet, si accipimus nomen Incarnationis, vt confunditur cum nomine Natiuitatis, quod passim obseruare licet, alioquin infinita corruerent diplomata. Hæc ille. Porro Sennetis Archiepiscopi Diploma est huiusmodi.

In nomine Domini nostri Iesu Christi Dei æterni Sennes seruus Iesu Christi eius sola misericordia Capuanus Archiepiscopus, Legatus Apostolicæ Sedis, ac in Principatu Capuano Domini Nostri Papæ Vicarius, Clero, & Capitulo Casertano dilectis in Christo filijs salutem, & benedictionem in Christo.

Condecet omnes in Ecclesiastico regimine positos, ac in Dominici gregis specula constitutos de iustitiæ obseruantia esse solicitos, & singulis sua iura integerrimè obseruare, quatenus commissæ nobis Ecclesiæ, conseruante Domino, nullis in aliquo diminuantur temporibus, nullis confusionibus inuoluantur. Nos itaque, qui licet indigni sola Dei misericordia huius Capuani Archiepiscopatus regimen obtinuimus, duximus necessarium Ecclesiarum nostrarum vtilitatibus, inquantum Deo adiuuante, possumus, prouidere. Notum sit igitur, tam præsentibus, quàm posteris Ecclesiæ Dei fidelibus, quoniam poscentibus Ecclesiæ nostræ Canonicis, concedimus, & confirmamus tibi venerabili Confratri nostro Rannulfo Casertano Episcopo, tuisque successoribus in perpetuum totam & integram Diœcesim Casertani Episcopatus, illis finibus, quibus nostri Antecessores, tuis confirmauere, & concessere prædecessoribus. In primis scilicet à Ponte Rupto incipiendo, qui est in Lanco, & qualiter protenditur per viam, qua itur iuxta Casam Auream, & sicut directè pergitur per Toianum, & exitur ad Ecclesiam S. Marci, fundatam à filijs Paldi, & Adenulphi Comitum, & inde itur in Sexanta, & exitur in stratam Bo-(A) neuentanam, & qualiter directè pergitur sub monte Cupo, & per Saxetam exitur in flumine Vulturnum, & in Briercham, quæ decurrit & coniungitur cum Riuo Vallecari, & sicut itur per ipsa bona Sancti Vincentij, & exitur ad caput Montis Longani, & quomodo reuoluitur per eundem montem, & exitur vsque ad finitas ipsas plancellas propè Suessulam cum omnibus subscriptis Ecclesijs tuo Episcopatui pertinentibus sitis intra hos fines nominatim superiùs declaratos. Concedimus itaque tibi, tuisque successoribus Ecclesiam Sancti Michaelis Archangeli, quæ est Sedes tua Episcopalis, & Ecclesiam Sanctæ Mariæ, quæ est Cappella & Ecclesia Sanctæ Fidei, & Ecclesiam s. Petri, & Ecclesiam (B) s. Valentini, & Ecclesiam Sanctæ Mariæ Bucamuaai, & Ecclesiam s. Blasij, Ecclesiam s. Andreæ, Ecclesiam s. Susannæ, Ecclesiam s. Mariæ de Summana, Ecclesiam s. Ioannis de Puteo Veteri, & Ecclesiam s. Nicolai, Ecclesiam s. Vitalliani de Athellano, Ecclesiam s. Angeli de monte, Ecclesiam s. Eustasij, Ecclesiam s. Stephani de Inniano, Ecclesiam s. Marci de Casola, Ecclesiam s. Petri, & Ecclesiam s. Erasmi, Ecclesiam s. Marci de Monticello, Ecclesiam s. Stephani, & Ecclesiam s. Nicolai ad Torum. Ecclesiam s. Barbaræ ad Montem, Ecclesiam s. Saluatoris de Staturano, Ecclesiam s. Laurentij, Ecclesiam s. Ruffi de Pedemonte, Ecclesiam s. Vitalliani de Cac-(C) zano, Ecclesiam s. Angeli ad Pinos Ecclesiam s. Marię de Mesano, Ecclesiam s. Siluestri, Ecclesiam s. Andreæ de Puccianello, Ecclesiam s. Vincentij de Sala, Ecclesiam s. Simeonis de Ciue cornu, Ecclesiam s. Angeli de Montecupo, Ecclesiam s. Iulianæ de Manicorsis, Ecclesiam Sanctæ Crucis de Casanoua, Ecclesiam s. Petri Aldifredæ, Ecclesiam s. Leuci de Monte, Ecclesiam s. Eleutherij, & s. Iohandis, & Ecclesiam s. Clementis, Ecclesiã s. Mariæ, & Ecclesiam s. Stephani, quæ sunt in loco Macerata, Ecclesiam Sancti Nazarij, Ecclesiam s. Petri, Ecclesiam s. Mariæ de Falciano, Ecclesiam s. Benedicti, Ecclesiam s. Cosmæ de Strada, Ecclesiam s. Sebastiani de Turre, Ecclesiam s. Martini, Ecclesiam s. Anastasiæ sitam propè stratam, Ecclesiam s. Alexandri, seu Nicandri. In Castro Limatulæ & Terri-(D) torio eius Ecclesiam s. Nicolai, quæ est infra Castellum, Ecclesiam s. Blasij, & s. Sossij, & Ecclesiam s. Petri, & Ecclesiam s. Ioandis, quę est propè portam, Ecclesiam s. Erasmi, & Ecclesiam s. Archangeli ad Pirum, Ecclesiam s. Iacobi de Puzaanisi, Ecclesiam s. Mariæ ad Cirinianum, Ecclesiam omnium Sanctorum de Torone, Ecclesiam s. Thomæ, Ecclesiam Sancti Adiutoris, Ecclesiam s. Eustasij, Ecclesiam s. Mariæ ad Gruttulas, Ecclesiam Sanctorum Cosmæ & Damiani, & s. Pancratij, Ecclesiam s. Angeli in Planeam. In Castro Motrone, & Territorio eiusdem Ecclesiam s. Saluatoris, Ecclesiam s. Mariæ, & s. Nicolai, Ecclesiam s. Cęsarij, Sancti Mauri, & s. Blasij

ad

ad Gradillum, Ecclesiam s.Michaelis, s.Stephani, Sancti Nazarij, Sancti Andreæ, & s.Iohandis de Fureßa. In Terra Sarzani Ecclesiam s.Erasmi, Ecclesiam s.Angeli de Cupa, seu de Cupi. In Castro Magdaloni, & Territorio eiusdem Ecclesiam s.Iohandis infra Castellum, Ecclesiam s.Mariæ, quæ est in Cappella, Ecclesiam s.Angeli de Monte, Ecclesiam s.Iohandis de Maglianelli, Ecclesiam s.Nicolai, Ecclesiam s.Mariæ, s.Agnelli, Sancti Saluatoris, s.Pauli ad Gemzososi, Ecclesiam Sanctæ Mariæ, Sancti Martiani, s.Eusebij, s.Pauli, s.Nazarij, s.Mariæ ad Gualdum, Ecclesiam s.Mariæ de Calatia s.Cæsarij, Ecclesiam Sancti Terentiani, Ecclesiam s.Mariæ ad Iunianum. In Terra Lanei Ecclesiam Sanctæ Fidei, & Ecclesiam s.Crucis in loco Gruttulæ, Ecclesiam s.Mariæ, & s.Castrensis. In loco Trentulæ Ecclesiam Sanctæ Mariæ & Sancti Nicolai, Sancti Viti. In loco Grumbi Ecclesiam Sancti Maximi. In loco Lauriani Ecclesiam s.Marcelli ad Ferrarios, Ecclesiam s.Marinæ, & Sancti Iohandis. In loco . . . . Ecclesiam s.Laurentij in Tauciano, Ecclesiam s.Angeli in loco Mancusi, Ecclesiam s.Viti. In Puzzanello Ecclesiam s.Iuliani. In loco Triueo Ecclesiam s.Simeonis. In loco Ducenta Ecclesiam s.Siluestri, Ecclesiam Sanctæ Mariæ, quæ dicitur ad Pagnos, seu ad Pagnanos. In loco Capoderisij Ecclesiam s.Andreæ, s.Donati. In loco Cafolæ Ecclesiam s.Rufini. In loco ad Ilicem Ecclesiam s.Petri, Ecclesiam s.Martini, Ecclesiam s.Viti, sed & Ecclesiam Sancti Petri ad Pallumi, Ecclesiam s.Marcellini ad Taucianum cum terris, quas modò habent, & beneficijs, quæ Canonici inibi per nos in eis possident, itaut in vita sua quietè habeant, & fruantur; post debitum verò carnis solutum, in tuam, tuorumque successorum deueniant potestatem. Has itaque prædictas Ecclesias tibi, tuisque successoribus concedimus cum prædijs & decimis, cunctisque suis pertinentijs, cum omnibus, quas modò habent, & quæ ex hinc pro parte earum iustè acquirere poteritis. Porro terras prædictarum Ecclesiarum s.Petri ad Pollumi, & Sancti Marcellini ad Taucianū, quæ nostro Archiepiscopatui pertinere videntur, tibi, aut tuis successoribus non concedimus, sed illas tantùm, quas modo habent, vna cum beneficijs Canonicorum, vt in superioribus habetur. Sed si infra iam scriptos fines vestri Episcopatus, noster Archiepiscopatus, seu nostræ Abbatiæ . . . quicunque seruus nostri Archiepiscopatus suas hereditates, aut possessiones habent, aut amodo comparare, seu acquirere iustè poterint, in nostra, nostrorumque successorum sint potestate. Sed neque damus, aut concedimus Tibi, tuisque successoribus Ecclesiam s.Cæsarij, & Ecclesiam s.Iulianæ, Ecclesiam s.Martini, Ecclesiam s.Angeli, Ecclesiam s.Viti in loco Herculis, Ecclesiam s.Mariæ, Ecclesiam s.Iohandis, & s.Petri, & s.Felicis, & Ecclesiam s.Stephani, quas habemus infra montem, neque Ecclesiam s.Leontij in partibus Magdaloni. Hanc ergo concessionem tam tibi, quam tuis successoribus, vt prædictum est, facimus. Tu autem, tuique successores quoties vocati fueritis, nisi Canonicam prætendatis excusationem, ad nos, & nostros successores venire debebitis. Post discessum verò tuum, successores tui, qui nostro, nostrorumque successorum Casertanæ Ecclesię sunt eligendi consilio, à nobis, seu nostris successoribus Episcopatus consecrationem suscipient, sicut in priuilegijs à S.R.E. Pontificibus Ecclesiæ nostræ concessis continetur. Quisquis igitur mortalium cuiuscunque conditionis huius nostræ auctoritatis concessionem violare præsumpserit, nisi canonicè commonitus resipuerit, à liminibus Sanctę Matris Ecclesiæ vsque ad condignam satisfactionem tempore sequestretur. Piè verò custodientes, atque fideliter obseruantes, Omnipotentia Dei benedictione, & gratia repleantur.

Ego Sennes Dei gratia Campanus Archiepiscopus, & Domini Nostri Papæ Vicarius.
Ego Ioannes Suessanus Episcopus.
Ego Pannulphus Theanensis Episcopus legi & subscripsi.
Ego Maurus Ysterniensis Episcopus subscripsi.
Ego Giroldus Calinensis Episcopus subscripsi.
Ego Alpherius Abbas, & Archidiaconus subscripsi.
Ego Otto Decanus, &c.
Ego Lando Presbyter, & Primicerius, & Abbas, &c.
Ego Adenulphus Secundus Primicerius, & Abbas, &c.
Ego Iohandes Sacerdos, & Abbas, &c.
Ego Bonus Sacerdos.
Ego Iohandes Sacerdos.
Ego Audoaldus Sacerdos & Abbas.
Ego Pandulphus Sacerdos, &c.
Ego Audoaldus Diaconus, &c.
Ego Petrus Diaconus, &c.
Ego Karolus Abbas, &c.
Ex iussione Domini Petri Diaconi, & Cancellarij scripsi.
Ego Prudentius Subdiaconus, Anno Dominicæ Incarnationis millesimo & centesimo, atque decimotertio, Indictione septima, Pontificatus verò præfati D.Sennes Archiepiscopi anno XVII.
Actum Capua in Sacrosancta Aula Archiepiscopij.

Anno 1119. Robertus Princeps Capuæ, consilio Ottonis electi Archiepiscopi Capuani concessit, & confirmauit Rannulfo Casertano Episcopo, eiusque successoribus Ecclesiam Sanctæ Mariæ Calatinæ, eiusdemque iura & bona, vt ex sequenti documento ab exem-

exemplari Casertanæ Ecclesiæ tabularij liquet.

☞ *Nos Robertus diuina ordinante clementia Capuarum Princeps.* Notum haberi volumus vniuersis fidelibus Sanctæ Ecclesiæ, quoniam ob salutem & remedium animarum quondam gloriosorum Principum Riccardi scilicet Aui, & Iordani Patris, nec non Riccardi fratris nostri, ac ob statum nostri Principatus, consilio quoque atque interuentu Domini Ottonis Sanctæ Capuanæ Sedis in Archiepiscopum electi, nec non & Vgonis de Labolica nostri dilecti Baronis, & Odoaldi Camerarij per hoc principale scriptum in perpetuum damus, tradimus, concedimus & confirmamus in Ecclesia Calatina vocabulo Sanctæ Mariæ, in qua Dominus Rainulphus Dei prouisu Casertanus Episcopus preesse videtur omnia quæ præscripta Ecclesia Calatina modo possidere videtur, & quæ in antea iustè, ac legaliter acquisierit. Simili modo per hoc principale scriptum in perpetuum damus, tradimus, concedimus, & confirmamus in prædicta Ecclesia omnes extraneos homines, quos Tu prædicte Domne Rainulphi Casertane Episcope, & successores tui tibi conduxeris, & ibidem ad habitandum venerint, nec non & omnia, quæ ipsi extranei homines ab inde in antea legali modo acquisierint à meis hominibus,

Iterum per hoc videlicet principale scriptum damus, tradimus, & concedimus, ac confirmamus in prædicta Ecclesia Calatina, vt Tu prædicte Domne Rainulphi Episcope Casertane, & successores tui, & vestri Homines in Calatino tantum territorio habitantes potestatem habeatis mittendi animalia vestra, & vestrorum hominum ad pascendum in montibus, & planis, & in paludibus nostris, & ligna de siluis nostris tollere quemadmodum milites Magdaloni habitantes hactenus vsualiter habere soliti sunt & habent. Rursus quoque per hoc principale scriptum damus, concedimus, ac quiete dimittimus in præscripta Ecclesia Calatina totum Placeatiũ, quod nos, vel antecessores nostri habere soliti sumus de omnibus rebus, quas tu, & successores tui, vel aliquis Clericorum, aut hominum vestrorum emerit, vel vendiderit, vel aliquis meorum hominum à vobis, vel à vestris hominibus emerit, vel vendiderit in territorio Calatino, & ipsum territorium Calatinum diuidet in duas petias terræ; prima quarum hos habet fines, ex vno latere à parte meridiei est finis via, ab alio latere scilicet septemtrionis est finis terra Balduini, & finis terra Riccardi filiorum Berni, & finis terra Lando Lagnese, & terra heredum quondam Martini Lagnese, ex vno capite à parte, Orientis est finis via publica. Ab alia parte, à parte Occidentis est finis terra Iohandis Gerardi, & similiter terra, quæ fuit Martini Corbi, quam modo possidet Guglielmus de Magdole, à parte publica est finis terra heredum quondam . . . continet firmum inuiolatum, atque inuiolabile maneat in perpetuum; Et vt hoc principale scriptum firmius credatur, & diligentiùs ab omnibus obseruetur, manu propria illud corroborauimus, & ex nostri sigilli impressione illud insigniri iussimus.

Ex iussione præfatæ Serenissimæ Potestatis scripsi:

Ego Philippus Palatinus Notarius, in anno Dominicæ Incarnationis millesimo Centesimo decimonono; & tertiodecimo anno Principatus præfati Domini Roberti Gloriosissimi Principis Capuæ. Datum in Capuano Palatio in mense Octobris, per Indictionem decimam tertiam.

Rannulfi memoria habetur ad annum vsque 1127. quo Romæ adfuit iudicio de iuribus Pisanæ Ecclesiæ habito coram Honorio II. Papa, cuius Bullæ de Rannulfo, alijsque tunc præsentibus Episcopis habetur memoria, eam in serie Pisanorum Archipræsulum retulimus in Vberto. Potuit deinde sequenti anno obijsse Rannulfus, cum anno 1130. Nicolaus huius Ecclesiæ habenas sustineret. Cathedralem Ecclesiam inchoasse Rannulfum legitur in supra relatis versiculis, illamque absoluit Ioannes successor anno 1155.

2. NICOLAVS vir egregius immediatè Rãnulfo successit circa annum Domini 1129. qui cum sanctè Casertanam Ecclesiam rexisset annos paucos, expleuisse videtur tempora multa; plura enim, & digna ad Dei honorem, suique nominis gloriã molitus est, quod successores eius in ipsa Cathedrali, Turrique sacra in marmore perennarunt. Inchoatam enim Ecclesiam penè absoluit, Clerum, Populumque Casertanum impulit ad pietatem, & deuotionem erga Protectorem Michaelem Archangelum, cui dedicarunt Ecclesiam. Charus fuit & amatus Roberto Normando Duce, à quo insigni liberalitate plures Ecclesias, & bona perpetuò à se, suisque successoribus possidenda dono accepit anno 1130. Ad perpetuam suorum, suæque animæ expiationem Robertus tot bona Casertanæ Ecclesiæ est elargitus, quæ vt perpetuo starent, sequenti diplomate, sua manu signato scribi iussit, quod extat in præcitato tabulario eiusdem Ecclesiæ.

In nomine Domini nostri Iesu Christi anno ab Incarnatione eius 1130. de mense Martij die 8.

☞ Notum volo esse omnibus fidelibus meis & amicis, tam præsentibus, quàm futuris, Normandis scilicet, & Longobardis vniuersis degentibus sub nostra tuitione, quoniam Ego Robertus mediante Suessanorum, plurimorumque aliorum, diuina prouidentia,

tia, senio r, Diuino Spiritu compulsus pro redemptione, ac mercede animæ meæ, genitorisque mei, ac meæ genitricis, ac omnium parentum meorum, vt apud pijssimum Dominum de peccatis nostris indulgentiam, atque requiem inuenire valeamus, declaro, quia in præsentia nostrorum militum, & quorundam sacerdotum, aliorùmque restium per hanc chartam offero, atque trado tibi Deo, tibique Domne Nicolae Casertane Episcope, tuisque successoribus per hoc scriptum in perpetuum totas Ecclesias, quæ sunt sitæ in loco Lagnei, in meo feudo, videlicet in loco Tauciani Ecclesiam S. Angeli, in loco Mancuti Ecclesiam S. Mariæ, in loco Æsolæ Ecclesiam S. Mariæ, & S. Ioannis, in loco Pucciauelli Ecclesiam S. Marcelli, & S. Iuliani, in loco Prædolæ Ecclesiam Sancti Laurentij, in loco Lauriano Ecclesiam S. Marcelli ad Ferrarios, in loco Trentulæ Ecclesiam S. Mariæ, & S. Nicolai; quas in perpetuum offero, & trado Deo, & præfatæ Ecclesiæ Casertanæ, & tibi prænotate Nicolae Episcope, tuisque successoribus.

Ad decimationes de loco Salimæ, & de Terra Lanei, qualiter Antecessor tuus tenuit, per hæc nostra præscripta perpetua iura semper habeatis. Quod si quis, diabolica suasione compulsus, hoc scriptum violare, irritumue facere præsumpserit, maledicatur & anathematizetur à Deo Patre Omnipotente, & à Iesu Christo filio eius, & Spiritu Sancto. Habeat societatem cum Anna, & Caipha, & cum Iuda traditore, & insuper decem libras auri purissimi soluere cogatur, medietatem præfatæ Sedi, & tibi Domne Nicolae Venerabilis Episcope, tuisque successoribus, & medietatem nostræ Curiæ, solutaque pœna librarum decem, &c. hæc traditio, concessio, & confirmatio, firma, munita, atque inconcussa maneat in perpetuum: & vt hoc scriptum firmiùs credatur, & diligentiùs ab omnibus obseruetur, manu propria illud corroborauimus, & nostro sigillo illud insigniri iussimus. *Ego Robertus*.

3. IOANNES Quamquassor florebat anno 1153. eius memoria in monumentis habetur.

4. PORPHYRIVS anno salutis 1178. erat Episcopus in hac Casertana ciuitate, cum Robertus de Sancto Seuerino, & Agnes eius vxor Casertæ Comites Ecclesiam in honorem Sanctorum Iacobi Zebedei, Nicolai Myrensis, & Basilij Magni condiderunt, ac à Porphyrio Episcopo consecrari curarunt. Affuere solemnitati Petrus Thelesinus, & Vrsus Sanctæ Agathę Gothorum Episcopi in magna populi frequentia, supra fores eiusdem Ecclesiæ Agnes hæc sculpi carmina fecit.

Præmia promissa spectans Agnes Comitissa,
Hoc ancilla Dei templum Iacobo Zebedei,
Offert qui veri lux est duodena diei.

Ad dexteram portam de S. Nicolao.

Esto memor Nicolae Pater celeberrime Præsul,
Agnetis famula tibi deuota Comitissa,
Quæ te præcipuum elegit habere patronum.

Ad sinistram verò portam S. Basilij nuncupatam hæc leguntur.

Huius vt offensis Basilij Cæsariensis,
Parcere digneris Doctor qui Magnus haberis,
Sumptibus ipsa quidem proprijs tibi condidit aedem.

Aedes hæc à Clericis, deinde à Canonicis Regularibus, mox constructo Cœnobio, concessa est Ordini S. Augustini sub regula Diui Dominici. Porro quæ de eius constructione ac progressu scripsit Paulus Aemilius Sanctorius Archiepiscopus Vrbinas in m. s. lib. de Comitibus Casertæ, non pigebit hic referre, cum maxime ad Casertanæ Ecclesiæ pleniorem cognitionem spectare videantur. Igitur, inquit, Agnes diuino amore inflammata cum aedem sacram in honorem S. Iacobi Zebedei, S. Nicolai Myrensis, cuius per eam tempestatem Barum ex Asia corpus fuerat translatum, & S. Basilij, Magni cognomine nobilitati, erexisset amplis redditibus, concessis decimis & primitijs exornauit, in eandem tracto pietatem viro præcellentis animi atque consilij, is non modo possessiones & latifundia, verum etiam quasdam familias Aliffis, Solipatæ, Sirani, Mataloni, Duraci, Pagi Seripani Moronide, seu Muronis, Limatulæ, Ortholæ, Dacentiæ, Meletinæ & alibi positas famulatui subesse templi voluit, nullo sibi iure reseruato, vt ex diplomate apparet, vbi incipit, *Robertus diuina fauente clementia Caserta aliorumque plurimorum Comes, &c.* Legitur eius subscriptio. Aedem hanc Clerici inter quos Petrus, Gualderius, Ioannes Asij, &c. deinde Canonici Regulares obtinuere; mox etiam sacrata aedes constructo Cœnobio concessa est Monialibus Ord. S. Augustini sub Regula S. Dominici, inter quas in Magistratu seu prioratu effulsere Gattiligryma de Sanctorijs, Casertana de Herbis, Mobilia de Iaquinto, Syffridina de Murrone, Agnes de Cappellano, Catherina de Montorio, Anastasia de Valle, Odolina de Philippo, Elysa de Ramundo, Agnes de Lauro, Geltrudes de Sfortia, Mobilia de Focco, altera Mobilia de Mauello, alia Agnes de Ruffo, Cæcilia de Ambrosio, Adalasia de Grysa, Ioanna de Agnessa, Gattiligryma de Raynaldo, Catherina de Sanguineto, Florisia de Riccardo, Maria de Rogayta, Luca de Castromaris, Thomasina de Clemente, Iuditta de Bernardo, Andrerella de Palmerio, quæ fuit nouissima professarum:

Sub-

A subscriptio erat N. Dei gratia humilis Priorissa. Leguntur in veteribus instrumentis harum sacratarum nomina, quæ cum à ciuibus plerisque ignorentur, licet in lucem edere; sc. Cæciliæ de Gaudioso, Franciscæ de Paganis, Casertanæ de Adelisia, Isabellę de Alando, Helenæ de Martino, Constantiæ de Mottone, Catherinæ de Sanctorijs, Catherinæ Assinitæ, Renatæ Minutulæ, Syffridinæ de Rahono, Margaritæ de Iaquinto, Mariæ de Zerillis, Beatricis de Augustino, Penadiscæ de Mazzia, Franciscæ Cossæ, Adalatiæ de Bernardo, Magdalenæ de Grauto, Catherinæ Gẽtilis, Marthæ Brancaciæ, Franciscæ de Amito, Ioannæ de Zerillis, Catharinæ de Mazzia, Adrianæ de Santiono, Iudithæ de Iordano,
B Athanasiæ de Guglielmo, Beatricis de Valle, Altrudæ de Iaquinto, Theophoniæ de Alando, Rebeccæ de Clemente, Glyceriæ de Zerillij, Chrysostomæ de Sanctorijs, Iudittæ de Cimino, Agnetis de Marcone, Auriliæ de Toro, Andriellæ de Palmerio, Iulianæ de Toraldo, Annæ de Philippis, Margaritæ de Stosio, Cubitosæ de Henrico, Luciæ de Sebastiano, Martinæ de Clemente, Angelæ de Bibaldis, Iacobellæ Ruffæ, Hitenis de Moraldo, Annæ de Simeone, Ioannæ de Guesteria, Aureliæ de Pelagallo, Claræ de Aurilia, Catharinæ de Alexandro, Enriettæ de Ansilia, Petronillæ de Gottifredo, aliarumque plurium sine cognomine quas Sacratis familiares crediderim. Harum Monialium cœnobij cum redditus assidua bellorum procella, & militari licentia penè euanuisset, & res monialium prope ad extremum deuenisset, Antonius Rath
C Comes pietate motus necessitatibus occurrens, multa ex re sua largitus, & colonos seu dotũ ab iniuria, & grassatione tutatus, vt fructus Monasterio prouenirent & accresceret. Sub Comite Balthasare imminuti non modo fructus, verum Monialium numerus ad paucissimas redactus, cum latè omnia ciuilibus externisque armis distraherentur; hinc Alphonsus Aragonius cum factione sua, hincq; Renatus ingruerent, accessit & Patriarcha Alexandrinus, fœdata tunc armis Campania, oppida excisa, exusti pagi, Castellaque & coloni ex agris pulsi, aut miserabili strage consumpti, nulla ætas, sexusque ab iniuria alienus fuit, bellica rabies in omnia diuina ac profana desæuijt. In hac temporum calamitate,
D cum cuncta afflicta, ac prostrata iacerent, Andricella nouissima Monialiũ S. Iacobi professa, euocato Fr. Ioanne de Bouiano à sacris tunc confessionibus, in eius manu iura Monasterij collocauit, atque ad possessionem loci admisit, multum Baldasare Comite adiuuante. Itaque accersuntur F. Benuenutus de Carinanico Prior S. Dominici de Neapoli, & Fr. Dominicus de Calnanisio Capuani postea Monasterij prior, eorumque potestati Monasterium cum iuribus suis traditur, sed Ioannes de Leonibus Episcopus Casertanus indigne ferens in caducam veluti hæreditatem Monasterij transijsse in conspectu Episcopij, fratres de possessione eiecit, redditusque Sancti Iacobi mensæ Episcopali adiunxit. Non quieuere Dominicani, cum eos D. Cæsar Aragonius & Catharina de Rath coniux adiuuarent, sed Fr. Martinus Brancacius Prouinciæ Campaniæ Ferdinãdum Regem adijt, iniuriam & violentiam Episcopi innectus. Res à Ferdinando, cum precibus vrgeretur, Iuliano Tropelensis Episcopo, & Regio Cappellano committitur, sed Episcopus sapientia & auctoritate sua, & Dominicanorum obstinationem fregit, & iudicium tanquam illegitimum damnauit, respuitque; cum vni Romano Pont. sici fas sit iudicare de rebus Ecclesiasticis. Hæc ideo vnũ in locum cuncta coniecimus, ne sæpius repetita lectori stomachum mouerent. Hactenus ille. Cæterum Porphyrius sub Alexandro III. Papa Lateranensi Concilio interfuit anno 1179. post quem nulla alia de ipso extat memoria.

5. STABILIS Casertanus Præsul.

6. ROGGERVS eiusdem Ecclesiæ Antistes, huius, & Stabilis tantùm nomen habemus, tempus verò, quo in hac Ecclesia sederint, non liquet, qui tamen post Porphyrium positi, sunt.

7. I. fortè Ioannes, vel Iacobus, sic notatum legi in Vatic. regest. epist. an. 2. Honorij III fol. 176. ad Neapolitanum electum scripta 6. Kalend. Septembris, cuius initium. *Clamor ascendit. quòd I Casertanus electus filius Sacerdotis in sacris Ordin. bus genitus suo Metropolitano decretũ exhibuit falsum, per quod confirmationem obtinuit, &c.* Mandat Honorius, vt de veritate inquirat. Data est epistola anno Christi 1217. Sequenti verò anno in eodem regestro alia extat epistola eiusdem Honorij ad Capuanum Archiepiscopum num. 361. fol. 77. ann. 3. scripta 3. Kal Aprilis, vt inquirat de electione, personaque Hieronymi electi Casertani, an legitimè sit habita, & epistola 494. fol. 105. eiusdẽ anni Dat. 6. Kal. Iulij scribit Honorius Capitulo Casertano, vt spatio vnius mensis legitimum Episcopum eligat, cum ipse Hieronymi electionem vitio habitam nullam, & irritam declarasset, ex quibus epistolis oportet asserere, quod Ioannes ille, Hieronymusque deturbati fuissent ab asserta Casertani Episcopatus dignitate; Quis verò à Capitulo ex præcepto Honorij assumptus fuerit, ignoratur, nec alia in regestro de hac re extat memoria.

8. ANDREAS Episcopus Casertanus ille est, qui anno Domini 1234. Turrim sacram Cathedralis absoluit. Hæc Gothorum exædificata structura mediam ferè aeris regionem, suo pertingens culmine Ægyptiacas æmulatur pyramides, supra duas bases suam habet sedem, suique fornicatum arcum efficiens operatur, vt ciuitatis platea sua decoretur maiestate, nec altitudine sua Iouis pertimescens fulmina, efficit, vt quinque campa-

panarum sonitum, & concentum per vniuersas totius Casertanæ region s oras audiant incolæ. In ea hæc carmina sculpta legi ntur.

Post Cathedram patris Nicolai dogmate plenus.
Præsul magnanimus Andreas mente serenus,
Cuncta suo studio bona, singula, clarificauit
Quam domibus varijs campanis condecorauit.
Annis completis duobus, hac cernere rector
Mille ducentenis, bis quinis, bis duodenis.
Huic insudauit operi, quod prior inchoauit.

Quanto deinde tempore Andreas Casertanam administrauerit Ecclesiam, quo anno obierit, non liquet; constat tamen Casertanam Ecclesiam destitutam suisse pastore extremis Innocentij IV. temporibus, cum idem Capitulo Casertano inhibuisset, ne ad electionem Episcopi procedere auderet; ne autem longa vacatio in detrimentum Ecclesiæ verteretur, mandauit Innocentius in gratiam Capituli, ac Sifridenæ Comitissæ Casertanæ Priori Fratrum Præd. ac Guardiano Ord. Minorum de Neapoli, vt de prudenti, fideliqne administratore eam prouiderent, qui ad beneplacitum Apostolicæ Sedis in temporalibus & spiritualibus sanctè administraret, id expressit Marinus de Ebulo Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius in lib. 1. sui Formularij, qui extat tam in Vatic. Bibliothecæ tabulario, quam in Archiuio fol. 63. à tergo.

Dilectis filijs Priori Prædicatorum, & Guardiano Fratrum Minorum Ordinum Neapolitan.

Inter curas multiplices, & immensas, quibus assiduè angimur, & distrahimur supra vires, propensior mentem nostram sollicitudo peturget, vt viduatis Ecclesijs per nostræ diligentiæ studium, prouisio, Deo auctore fructuosa proueniat, & salutis. Sanè de Cathedra li Ecclesia Casertana, referente dilecto filio Magistro B. de Neapoli notario nostro, accepimus, quod cum dilecti filij Capitulum ipsius Ecclesiæ dudum pastore vacantis de Pontifice congruo consulere sibi nequiuerunt propter inhibitiones factas per Sedem Apostolicam, ne Capitula, & Collegia Ecclesiarum vacantium Regni Siciliæ per electionem, postulationem, aut nominationem aliquam præsumant sibi de Prælatis absq; ipsius Sedis licentia prouidere, supradicta Ecclesia propter vacationem huiusmodi grauia subijt, & grauiora subitura timetur in spiritualibus, & temporalibus detrimenta, nisi per festinæ prouisionis auxilium succurratur eidem.

A Quia vero non solum prædicti Capitulum, sed etiam dilecta in Christo filia nob lis mulier Sifrideria Comitissa Casertana, quam de fide pura & deuotione sincera circa Deum & Ecclesiam, eiusque ministros, religiosasque personas tam pr ncipales fide digni, quam dictus Notarius coram nobis plurimum commendarunt, feruenter desiderare dicitur, vt eidem Ecclesiæ Casertanæ in tantæ necessitatis articulo de opportuno prouisionis remedio per Sedem Apostolicam consulatur. Nos de vestra circunspectione confisi, præsentium vobis auctoritate committimus, quatenus habentes pre oculis solum Deum, procurationem, & administrationem Ecclesiæ memoratæ, tam in spiritualibus, quam temporalibus alicui personæ idoneæ, per cuius industriam ipsius Ecclesię damna prçterita restaurari valeant, eique instrumenta honoris, &

B commodi, annuente Domino, inposterum procurari per ipsum fideliter, & vtiliter exercendas vsque ad nostræ voluntatis beneplacitum vice nostra committere studeatis: eũdem sollicitè admonentes, vt administrationem huiusmodi sic diligenter, sic prudenter gerere studeat, quod cum ipsum de administratione ipsa dispungere, ad quod eum teneri volumus, oporteat, tanquam fidelis seruus & prudens non indignè de fidelitate, & diligentia commendetur. Vos itaque, quod vobis in hac parte committimus ita prudenter exequi studeatis, quod de ipsius idoneitate,

C personæ dignam coram Deo possitis reddere rationem. Nosque proinde solicitudinis solitæ vestiæ industriam meritò commendare possimus. *Datum, &c.*

Sifridinæ Comitissæ pietas supra ab Innocentio commendata curiositatem nostram excitauit ad eius familiam, actaque inuestiganda. Fuisse illam ex Burellorum gente vetustissima referunt litteræ Caroli II. Regis, quæ extant in regio Neapol. regest. an. 1303. lit. A. pag. 200. à tergo, cuius tenor talis est.

Scriptum est Vice Magistro Iustitiario, &c.

Venit ad maiestatis nostræ præsentiam Ysabella filia quondam Roberti Comitis

D Casertæ ex quondam videlicet, Sifridina Burella, legitima, vt dicitur consorte ipsius, fidelis nostra, & exposcit querelam, quod licet sorores eius ex ijsdem parentibus de bonis maternis maritatæ fuerunt, & dotatæ, remanente ipsa post cæteras in capillis, de ipsa tamẽ propter obitum dictæ matris suæ ab intestato, sequentem nihil dispositum extitit, vel statutum, & sic innupta remansit hucusque in suum graue dispendium, & iacturam. Circa quod asserens, quod bona dotalia omnia ipsius quondam matris suæ videlicet Castrum Strangula-Galli, & Casale Melizani peruenerunt ad quondam fratrem dictæ Ysabellæ præmortuum, ex quo superest quidam

lo-

Iohannutius filius eius impubus, qui ex paterna successione Castrum tenet, & Casale præfatum, quæ Richardus de Raymo procurat nomine baliatus. Suppliciter petit, vt cũ in Castro, & Casali præfatis tanquam maternis, vt dictum est sibi ius spectat, vt dotetur ex illis, prout fuerunt, vt asserit, in maternis bonis huiusmodi sorores eius cæteræ maritatæ, mandari ipsam maritari iuxta paragium, & dotari de Castro & Casali prædictis benignius dignaremur. Nos ergo volentes eidẽ Ysabellæ circa hoc fieri iustitiam, fidelitati tuę præcipiendo mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint euocandi; accepto, quod dicta Ysabella pauper est, summarie de plano, & absque iudicij strepitu facias eidem planæ, & celeris iustitiæ complimentum, ita quod vlteriùs vobis scribere non cogamur. *Datum Neapoli in absentia Protbonotarij Regni Siciliæ per magistrum Petrum de Ferrer Decanum Anicianen. &c. die 20. Iunij 9. Indict.*

Robertus Sifrideriæ maritus ex familia Sanseuerina Comes fuit Casertæ, & Tricarici, teste Ferdinando de Marra, ex qua suscepit Richardum, Contadum & Ysabellam, Richardus genuit ex Berardena Duce Conradũ dictum Cortadellum, hic filium habuit Iannottum dictum Giouannuccium. Sifridina, cum Conrado nepote sub Carolo primo Rege rebellionis petita in Castro Tranensi carceri mancipata, ibidem mortem oppetijt, simili pœna mulctatus est Contadus in Castro S. Mariæ de Monte. De his tribus Casertæ Comitibus, & Sifridina Comitissa in regio regest. Caroli Primi anno 1269. S. 169. à tergo.

Scriptum est eidem secreto, &c. ex parte religiosorum Virorum Abbatis, & Conuentus S. Renati Surrentinæ Diœcesis deuotorum nostrorum, nostræ fuit expositum maiestati, quod licet quondam Riccardus olim Comes Casertanus, & Sefredina mater eius quoddam balneum dicti Monasterij, quod est in terra Castri maris ad annuum censum à dicto Monasterio tenuissent, prout in instrumento inde confecto plenius dicitur contineri; quia tamen dicta Sefridina, & Corradellus filius Comitis supradicti contra nostram excellentiam commiserant, balneum ipsum ob proditionem ipsorum est ad opus nostræ Curiæ deuolutum. Vndè nobis humiliter supplicantes, &c. Ideoque fidelitati tuæ, &c. quatenus, si præmissis veritas suffragatur, prædictum balneum eisdem Abbati, & Conuentui restitui facias, & etiam assignari. Ita tamen quod balneum ipsum infra mensem, postquam illud restitueris, fidelibus nostris locet, à quibus debitum per hoc Curiæ nostræ seruitium impendatur, quod si in prædicto cõstituto non locauerit, illud te volumus ad nostram Curiam reuocare. *Dat. Neapoli 13. Madij, 13. Indict.* Post Sifredinam, eiusque filios, nepotesque Casertanus Comitatus dono datus est à Carolo primo Rege Guillelmo de Bellomonte Francigena, quo defuncto successit filia eius, quæ cum è Gallia discedere noluisset, ad Regiam Cameram redijt, & per Carolum II. Regem Petro Bracherij, deinde Roffredo Caietano Bonifacij VIII. Papæ germano fratri feudali titulo est cõcessus, Roffredo successit Petrus filius, à quo Sigulfius, ab ijs familiæ de Ratta nobilissimæ deuenditus, à quibus ad Aquauiuos transijt, nostrisque temporibus iterum ad Caietanos ex Sermonetæ Ducibus redijt. De Casertanis Comitibus legendi Ammiratus, Marra, cæterique qui de illis abundè scripserunt, satisque sit in gratiam curiosorum hæc pauca delibasse, occasione Sifredinæ Comitissæ; & ad nostram Casertanorum Præsulum seriem, vnde digressi sumus, redeamus.

9 ANDREAS Casertanus Episcopus, cuius vnica mentio habetur anno 1260. longè fuit diuersus ab Andrea prædecessore.

10. PHILIPPVS electus est Casertanus Episcopus ab Episcopo Cardinali Albanensi Apostolicæ Sedis in Regno Legato an. 1268. apud Vvadingum 2. to. Annal. Minor. quo anno decimas solitas petijt à Rege Carolo, vt in regest. regio Caroli I. notatur.

11. NICOLAVS de Flore Capuanus florebat Casertanus Episcopus anno 1279. cuius memoria extat in fornice maioris AræCathedralis ijs versibus exarata.

Annus millenis bis centum terque nouenis,
Et quatuor denis numeratis bis quoque senis.
Præsule mandante Nicolao, quæ fuit ante
Ara carens tecto, tegitur modo marmore septo.
Clausa molendini, retinet quod Siluula bini
Est laudem nacta, per eum tunc temporis acta.

12 SECVNDVS Ecclesiam Casertanam rexit anno 1285. Ecclesiasticæ libertatis acerrimus defensor, de quo hæc habetur in quadam veteri inscriptione. *Mille ducentis octuaginta quinque annis prima Decembris 14. Inditionis, lata sententia excommunicationis per Dominum nostrum Secundum Casertanum Episcopum, lata est, in omnes qui molestantes Ecclesiam Casertanam super possessionem molendinorum suorum, vel fecerint violentiam in præiudicium eius; qui: si: que hoc fecerit, anathema sit.* Desijt administrare Ecclesiam Casertanam hic Secundus sequenti anno 1286.

13. AZO, vel ACTO, qui & Aconus, & Azonus aliquãdo nuncupatur, patria Parmensis Casertanam Ecclesiam post Secundũ ante annum 1290. regendam suscepit, cuius memoria habetur in monumentis huius Ecclesiæ ab hoc anno ad annum vsque 1310. quo obijt sepultus in choro Ecclesiæ Episcopij in marmoreo tumulo, vbi ad pedes eiusdem

depicti

depicti Episcopi, vrbs prostabat Casertana, & hæc verba scripta . A

De Lombardia quem vidit Parma creauit
Et S. Michael Caserta Pontificauit.
Azo pius Præsul hanc Ecclesiam releuauit,
Moribus & vita dotauit & amplificauit.
Hic iacet in Sede, sed cali sedet in ede.
Anno MCCCX.

Supra Ecclesiæ fores S. Agathæ Oppidi Magdaloni Casertanæ Diœcesis Azonis extat memoria, cuius ipse fuit fundator in hæc verba .

Præsul Casertæ construxit opere templum
Azo quod cernis Agathæ deuote modernis,
Quæ Mathalonenses seruat, quoque Cathanienses .

S. Agatha — *Gerardus Legatus Sab. Epis.*
De Caserta — *PP. Nicolaus IIII.* — *De Parma*
S. Angelus — *Rex Carolus II.* — *Azzo Eps.*
Mentem S. Spont. ad h. Dei & P. liberat.
MCC LXXXIX Men. Feb. Ind. II.

Cæterum de eo in notis Casertanis hæc narrantur . *In anno 1310. rexerat Ecclesiã Casertanam Azo Pius, respectu cuius religionis Imperatores diuersas concessiones Casertanæ impertiti fuerant Ecclesiæ, prout ex priuilegijs, hucusque conseruatis inspicitur. Huius Pastoris, quãta fuerit illibata, & intacta vita; ex hoc euidẽtissimè dignoscitur, quod tempore sua mortis, sepultum eius cadauer in choro Canonicorum Cathedralis, dum idem chorus alibi designatus destruebatur; inuentum fuit anno 1610. post trecentos annos incorruptum, & intactum, etiam in vestibus: quapropter nobiliori in loco à Domino Deodato Gentili collocatum ad hac vsque tempora indiuisum perseuerat; vnde speratur, quod inter Sanctos gaudeat, & pro Casertano Clero & Populo sibi quondam commisso roget, & impetret.* Optimus verò & proficuus Præsul fuit, omnemque suam industriam & operam præstitit, vt vetera suæ Ecclesiæ iura in tot bellorum calamitatibus vsurpata recuperaret; eo enim ipso anno 1290. cum quodam Petro Pucherij Casertæ Domino pro iisdem litem habuit acerrimam, quam de communi voluntate definiendo explicauit Guillelmus de Godono auctoritate Berardi Prænestini Card. Siciliæ Regni Legati. Hanc deindè instante Azone confirmauit Carolus II. Siciliæ Rex anno 1304. in hunc modum ab exemplari exscriptum.

C

Carolus Secundus Dei gratia Rex Hierusalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Prouinciæ, & Forchalquerij Comes.

Vniuersis præsentis scripti seriem inspecturis, tam præsentibus, quàm futuris. Operam daturus est Princeps, vt quæ contra fas gesta sint, fructum obtinere non valeant, & quæ benè, rectèque geruntur, firmitatis robore fulgeant. Sanctus Venerabilis Pater Azo Casertanus Episcopus dilectus, fidelis & deuotus noster exponens nouiter coram nobis, quod olim pro dicta sua Ecclesia ex parte vna, & quondam Petri Braherij militis fidelis nostri tunc Domini Casertæ ex altera, de certis, vt infra describitur quæstionibus lis est versata, quam de communi concordia Venerabilis vir Guglielmus de Godorio, tunc Cantor Colimbricens. tunc Salernitanus Electus, & Cancellarius Roberti Primogeniti nostri Ducis Calabriæ, ac in Regno Siciliæ Vicarij Generalis Consiliarius, & familiaris noster dilectus, & Andreas de Capua tunc magnæ nostræ Curiæ Iudex decisione debita determinauerunt quoddã patens scriptum publicum munitum sigillis pendentibus bo. me. Domini Berardi Prænestin. Episcopi, nunc in Regno Siciliæ Apostolicę Sedis Legati, nec non prædictorum Electi, & Andreæ de Capua prædictorum Episcopi, & Petri Braherij ostendit in Curia non abolitum, non abrasum, nec in aliqua sui parte corruptum; continentiæ per omnia subsequentis. Vniuersis præsentes litteras inspecturis, Guglielmus de Bodorio Cantor Colimbriens. D Domini Papę Cappellanus, Reuerendi Patris Domini B. Episcopi Prænestin. in Regno Siciliæ Apostolicæ Sedis Legati Cancellarius, & Andreas de Capua Iuris Ciuilis Professor salutem in Domino. Nouerint vniuersi, quod cum inter Venerabilem Patrem Dominum Azzonum Episcopum Casertanum ex parte vna, & nobilem virum Dominum Petrum de Braherijs Dominum Casertæ super Iure Bannorum, & Affidiarum vassallorum Ecclesiæ Casertanæ, quæ dictus Dominus Episcopus ad eum spectare dicebat, & dictus Dominus Petrus negabat omninò, lis & quæstio verteretur, prædicti Dominus Episcopus pro se, ac Ecclesia sua de Reuerendi B. Episcopi Præ-

Prænestin. Apostolicæ Sedis Legati licentia, & consensu, & dictus Dominus Petrus pro se, ac successoribus suis nobis præcisè, ac liberè decisionem causæ huiusmodi commiserunt. Et nos de quæstione ipsa, ac lite summariè absque iudicij strepitu cognoscentes inter prædictas partes diffinire, ac ordinare, prout nobis videretur expediens curaremus. Nos verò æquitatem sequi volentes potius, quàm rigorem, de prædictorum Dominorũ Legati Episcopi, & Petri voluntate, scientia, & consensu, ac ordinatione in perpetuum valitura sancimus, quod Assisæ, ac Banna per Dominum Petrum, & successores suos nomine Curiæ in ciuitate Casertæ, ac etiam Domino in posterum imponantur, quod super illis de vassallis Ecclesiæ in Curia dicti Domini Episcopi cognoscantur, & ab excedentibus exigantur, & quod dictus Dominus Episcopus medietatem eorundem Bannorũ, & Assisiarum, & dictus Dominus Petrus nomine Curiæ medietatem reliquam consequãtur, & ita in perpetuum inter eos decernimus debere inuiolabiliter obseruari, supplicãs Reuerendo Patri Domino Berardo Episcopo Prænestin. Apostolicæ Sedis Legato has nostræ decisionis, ordinationis, & decreti litteras de mandato nostro per Petrum Nicolai de Guarino Notarium publicum in publicã formam redactas, & sigillorum nostrorum appensione munitas dignetur mandare sigilli sui robore muniri. Lata, & pronunciata fuit dicta ordinatio per supradictos Dominos Guglielmum Cancellarium, & Andream Iuris ciuilis Professorem Capuæ in domo quondã Iudicis Petri de vinea, Anno à Natiuitate Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, Indictione tertia, Pontificatus Domini Nicolai Papæ IIII. anno tertio mense Iunij die vltima, præsentibus religiosis viris Fr. Laurentio Abbate Monasterij S. Leonis de Triuineis, Fr. Thomasio, & reliquis.

Postea nos, qui Ecclesiarum libertatum, & iuris incrementa diligimus, etiam in hoc supplicationibus inclinati, decisioni, ordinationi, & decreto præfatis prout supra notantur, & prouidè lata sunt de certa scientia tenore præsentium gratiosius assentimus, & illa ratificamus, & confirmationis nostræ munimine roboramus.

Datum Neapoli per Bartholomæum de Capua militem Logothetum, & Prothonotarium Regni Siciliæ Anno Domini millesimo trecentesimo quarto die decimaquinta mensis May, Regnorum nostrorum anno vigesimo.

Supplicem libellum anno antecedenti dederat Azo Regi Carolo pro decimis suæ Ecclesiæ vindicandis, quas olim Neapolitani Reges liberaliter Casertano Episcopatui dono dederant, à quo benignè auditus regia fusa liberalitate, omnium confirmationem recepit, vt in priuilegio eiusdem Caroli pleniùs continetur, quod hic libet inserere ab originali desumptum, quod hactenus asseruatur in eiusdem Ecclesiæ tabulario.

Carolus Secundus Dei gratia Rex Hierusalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Prouinciæ Forcalquerij Comes.

Vniuersis præsentes litteras inspecturis, tam præsentibus, quàm futuris ad Ecclesias singulas, & venerabiles Dei domos specialem honestatis reuerentiam, spem & fidem, illas quantum bono modo possumus & fauoribus prosequimur, & gratijs ampliamus. Hæc pro parte venerabilis Patris Azzonis, Dei gratia Episcopi Casertani dilecti & deuoti nostri, & suæ maioris Ecclesiæ Casertanæ oblata culmini nostro petitio continebat; Quod ab olim Catholicorum Regum Siciliæ prædecessorum nostrorũ temporibus Comites Casertæ, alij Barones, milites, & personæ aliæ præfatæ maiori Ecclesiæ Casertanæ diuinę pietatis intuitu, & pro suorũ remissione peccaminũ liberaliter obtulerunt, indulserunt, & concesserunt in Ciuitate Casertæ, & Castris Murroni, Limatulæ, Ducentæ, & Magdaloni, ac in Terra Lanei de pertinentijs Capuæ, de domanio videlicet terrarum ipsarum decimas integras, scilicet in prædicta Ciuitate Casertæ, de calcarijs terrarum, redditibus in pecunia, seu de tarenis, redditibus, gallinarũ, caponum, & aliorum pullorum, de scatieis, porcellis, agnis, spallis, oliuis, iardinis, vuis vindemialibus, omnibus pratis . . . . armentis, iumentorum, bubalorum, vaccarũ, gregibus ouium, & porcorum, pecunia, fidãtiæ, firrancorum, & de omni alia moneta, præterquam de forsafuris in Ciuitate Casertæ, & de Calzarijs, & transituris ter. . . . bus in pecunia, seu de tarenis, redditibus gallinarum, caponum & aliorum pullorum, scatieis, porcellis, agnis, & sgoallis, victualibus omnibus prouenientibus ex casis montis Gloppæ, montis Galliolæ, & cæteris alijs Foretanis Curiæ dicti Castri spectantibus, iuribus, medietatis oliuarum, pomorum omniũ prouenientium tam subtus, quam supra ex Starzia Gentouani, Starzia Fenestræ, Starzia Plantilli, & Starzia Anchillani, Iardino, massariæ, & Iardino Parcipratis, & lupinis prouentibus molendini Gentouani de Scaffo, armentis iumentorum, bubalorum, & baccarũ, gregibus ouium, & porcorum, primitijs pullorum equinorum, pecunia fidantiæ, forestrarum, & de omni alia pecunia, præterquam de Forfaturis in Limatula, de Calgarijs terrarum, redditibus in pecunia, seu de tarenis, redditibus gallinarum, caponum, & aliorum pullorum scaticis, porcellis, agnis, & spallis, toto vino, oliuis, & victualibus omnibus, passaggio lintrium, seu scaphæ, paternis prouentibus molendinorum maiorum, pecunia fidãtiæ forestrarum, scaffo de omnibus armentis iumentorum, bubalorum, & vaccarum gregibus

gibus ouium, & porcorum, de tota moneta, praeterquam de forfacturis in ducenta de calgarijs terrarum, redditibus in pecunia, seu de tarenis, & redditibus gallinarum, caponum & aliorum pullorum featicis, porcellis, spallis & agnis Iure plateatici, seu passaggij, victualibus, & vnis omnibus prouenientibus ex tribus starzijs Domanij dicti Castri, videlicet Starzia Venulæ, Starzia Castaldi, & Starzia Nouelletti, & Iardino Domanij, pecunia fidantiæ Forest-arum, & de Scaffo Armentis lumen torum, Bubalorum, & Vaccarum, gregibus ouium, & porcorum de tota moneta, prerterquam de Forfacturis in Magdalono de Domanio prouentibus Curię maioris omnibus feudis militum existentibus in territorio dicti Castri, prouetibus feudi, quod olim tenuit Petrus de Eroro miles in Cornino, prouentibus fendi, quod olim renuit Guglielmus Carbonus miles in pertinentijs dicti Castri, de omnibus victualibus prouenetibus ex Startijs Curiæ, & pronentibus baiulationis, & iure plateatici dicti Castri & in Terra Lanei de omnibus victualibus. pronetibus de loco Saltano, & de Terra Lanei, de lino, frumento, hordeo, & alijs victualibus prouenientibus ex feudo, quod olim tenuit Gentilis de Aquino milrs in territorio supradicto. Quas quidem decimas, sicut superius describuntur, idem Episcopus, & praedecessores in nomine predictę suæ maioris Ecclesię Casertanæ ab eo tempore cuius iure extat memoria integraliter, vt asserit, perceperunt, propter quod memoratus Episcopus ipsius Ecclesię suę, nomine Celsitudinis nostrę petijt humiliter, vt huiusmodi Decimas eiusdem Ecclesię confirmare de nostrę benignitatis gratia dignaremur. Nos ergo ob reuerentiam Regis Regnum, per quem viuimus, & regnamus ipsius Episcopi supplicationibus in hac parte benignius exanditis, praedictas oblationes, Indulta & concessiones prout prouidè facta sunt, & quatenus decimas ipsas iustè, ac rationabiliter possidentur & tenentur de nostra gratia confirmamus, Iuribus Curię nostrę, & cuiuslibet alterius semper saluis. In cuius rei testimoniū & prędictę Ecclesię Casertanę cautelam pręsentes litteras duplicatas exinde fieri, & aurea Bulla Maiestatis nostrę impressa Typario iussimus communiri. *Datum Neap. per Bartholomaeum de Capua militem, & prothonotarium Regni Siciliæ Anno Domini millesimo trecentesimo tertio. Die nona Iulij prima Indictionis, Regnorum nostrorum Anno decimonono.*

14. Fr. ANTONIUS, Ordo & patria ignotantur, repetitur Casertanus Episcopus anno 1310. in reg. regij Archiuij Neapol.

15. BENEVENTUS à Ioanne XXII. Casertanum Episcopatum suscepit, cuius mētio in Archiuio Reg. Neapol. anno 1322. Interfuit cōsecrationi Fr Petri Borbelli de Caieta Episcopi Calinensis Neapoli celebrata. Excessit anno 1345. Hic etiam litem exercuit cum Casertę Comitibus, eiusque vassallis, quę tandem Roberto Rege mandante per delegatos Iudices sedata est anno 1327. vt ex documento eiusdem Regis habetur, quod hic proponitur ab exemplari.

Robertus Dei gratia Rex Hierusalem & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ Prouinciæ, & Forqualquerij, ac Pedemontis Comes.

Vniuersis praesentis scripti seriem inspecturis, tam praesentibus, quàm futuris. Operam daturus est inceps, vt quæ contra fas gesta sunt fructum obtinere non valeant, vt quæ bene, recteque geruntur, firm taris effectum, vigoris robur sortiantur. Sanè venerabilis Pater Beneuentus Casertanus Episcopus dilectus Consiliarius, & familiaris noster exposuit nouiter coram Nobis, quod orta dudum generis materia inter eum pro parte suæ Casertanæ Ecclesiæ, & homines de Caserta, & Casalium eius Vassallorum ipsius suę Ecclesiæ ex vna parte, & quondam Didacum de la Ratta magnum Regni Siciliæ Camerarium, & Casertæ Comitem, ac successiuè inter ipsum Episcopum, homines, & vassallos praedictos, & Nobilem iuuenem Franciscum de la Ratta Comitem Casertanum filium ipsius Didaei, & haeredem in ipso Comitatu, maiorem nouem annis, minorem quaruordecim, & Odoliriam de Claromonte consortem nobilis Viri Iohādis Ruffi de Calabria Comitis Mōris alti matrem d ċti Frācisci de Diano, militem nostræ Curiæ, magnum Siciliæ Balios ipsius Francisci Balatus nomine ex altera. Partes ipsę ad causam, concordiam, compositionem, pactum, & transactionem deuenerunt nostro ad hoc beneplacito reseruato praesenti instrumento publico infra hæc & alia, ponuntur pleniùs contineri; Cuius instrumenti tenor talis est. *In Christi nomine. Amen.* Anno à Natiuitate eiusdem millesimo trecentesimo vigesimoseptimo, regnante Serenissimo Domino nostro Roberto Dei gratia Rege Hierusalem, & Siciliæ Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Prouinciæ, Foralquerij, ac Pedismontis Comitis, Regnorū verò eius anno duodecimo feliciter amen. Die vigesima septima Martij decimæ Indictionis Neapoli. Nos Barceus Pudericus Iudex Ciuitatis Neap. ad Contractus, Lucas Vidaote de eadem ciuitate publicus vbique per totum Regnum Siciliæ Notarius & testes infrascripti ad hoc specialiter vocati & rogati, praesenti scripto publico notum facimus, & testamur, quod orta dudum materia, & quęstione inter Venerabilem in Christo Patrem Dominum *Beneuentum miseratione diuina Casertanum Episcopum* pro & sua maiori Ecclesia Casertana, ac homines, & Vassallos dictæ Ecclesiæ ciuitatis Casertæ, Casalium Puccianelli, & Putei veteris, Casalium praedictæ Ecclesiæ, & cæterorum Casalium dictæ ciuitatis Casertæ Vasallos dictæ Ecclesiæ ex vna par-

parte, & quondam virum magnificum Dominum Dieghum de la Ratta Casertæ Comitem, magnum Regni Siciliæ Camerarium, ac officialem, & homines ipsius Terræ ex altera super eo quod ipse Comes, & officiales ipsius pro parte sua petebant, & exigebant ab ipsis Vassallis, & hominibus Ecclesiæ Casertanæ, subuentiones, & subsidia, seu dona, prout & quando exigebat, & ipse Comes exigi faciebat à proprijs vassallis & hominibus ipsius ciuitatis Casertæ, seu exigere, & petere poterat secundum Regni Constitutiones, & Capitula, & super eo etiam quod ipse Comes petebat & exigebat, seu per suos officiles peti & exigi faciebat annuatim ab eisdem vassallis Ecclesiæ prædictæ Casertanæ quantitatem pecuniæ pro vindemiatura, quod vulgariter Scalatinum Vindemiarum vocatur, prout ipse Comes per se, & officiales suos exigebat à vassallis proprijs & alijs quibuscunque extraneis annis singulis ad vindemiandum venientibus ad territorium dictæ Terræ, & super eo quod ipse Comes, & officiales pro parte ipsius nitebantur cogere & cogebant vassallos dictæ Ecclesiæ coram se & suis officialibus in iudicio respondere conquerentibus de eisdē, de Causis omnibus prout suos vassallos proprios cogebat, & cogere poterat puniendo eos de delictis commissis, & alijs excessibus, prout de proprijs vassallis faciebat, & super eo quod idem Comes, & eius Officiales pro parte ipsius cogebant, & cogere nitebantur prædictos vassallos Ecclesiæ prædictæ, seu aliquos ex eisdem, gerere officia ipsius Comitis, massariæ, forestrariæ, & alia officia exercere, & eos angariando, & aggrauando in ijs, & alijs pro eorum arbitrio voluntario, prædicto Domino Comite, & eius officialibus asserentibus, prædicta de iure, & approbata consuetudine se facere posse, & se & suos Anteecessores in eodem Comitatu fuisse & esse in possessione, seu quasi possessione exigendi, petendi, & faciendi prædicta, & quælibet prædictorum, à tempore cuius contrarium hominum memoria non extabat. Versa vice dicto Domino Episcopo, hominibus & vassallis dictæ Ecclesiæ prorsus negantibus, & asserentibus prædictum Comitem, & eius officiales prædicta, vel aliqua ex prædictis de iure, vel consuetudine facere non posse, nec debere, & suos antecessores & ipsum minimè fecisse, & esse in possessione, vel quasi prædictorum, vel aliquorum ex eis, asserentibus etiam prædicto Domino Episcopo & vassallis, se grauatos fuisse & esse indebitè, propterea super petitione, oblatione, & receptione certorum pignorum & certæ quantitatis pecuniæ facta dictis vassallis Ecclesiæ per officiales prædictos, & super decimis, & pecunijs bonorum dictæ ciuitatis ipsius Comitis, quas dicto Episcopo petenti idem Comes, & eius officiales præstare, & soluere contra iustitiam denegabant, & super certis sententijs excommunicationis latis propterea per Episcopum dictum, & eius

A officiales, contra officiales ipsius Domini Comitis, & certos vassallos eiusdem ciuitatis Casertæ, & Casalium ei dantes ad prædicta, seu aliquod prædictorum consilium & fauorem ipsi Comiti, vel eius officialibus. Et dum lis, & quęstio prælibata per Illustrissimum Dominum Carolum Hierusalem & Siciliæ Regis Roberti Primogenitum Ducem Calabriæ, ac eius Vicarium Generalem commissa esset nobilibus viris Domino Matthæo de Iuuenario Iuris ciuilis Professori Curiæ Vicariæ, & Regni Iudici, & magistro Iohandi de Barca, habita gratia dicti mei filij maioris, & coram eis dicta causa ventilata, antequam finem acciperet causa ipsa, Comes ipse, sicut Domino placuit, extitit vita functus, vt præmissa omnia asserebantur per partes infrascri-

B ptas, superstite eidem Comiti egregio iuuene Francisco de la Rattha Casertæ Comite, filio & hærede vniuersali ipsius Comitis in Comitatu, & omnibus bonis eius, & causis ipsis, & litibus inter eundem Episcopum pro parte suæ Ecclesiæ & Vassallos ipsius, & dictum Franciscum Pupillum maiorem nouennio, minorem quatuordecim annis, cum voluntate, & authoritate dictæ Adolinæ de Claromonte Montis-alti Comitissæ. Consortis magni Viri Domini Ioannis Ruffi de Calabria Comitis, Matris dicti Francisci, & Viri magnique Domini Odorici de Diano Militis magnæ Regiæ Curiæ magnifici Rationalis Baliorum dicti Francisci, de quorum baliatu per legales litteras, prout tenor ipsarum infra describitur, & solemnitatibus desuper adimpletis per eas

C plenè constat propemodum subsequutis, & certis pignoribus, seu exactionibus factis, propterea per officiales dicti Francisci Comitis, & dictorum Baliorum suorum vt dicitur, de certis bonis mobilibus, & pecuniarum summis receptis, seu ablatis per eos ab hominibus, seu vassallis Ecclesiæ memoratæ, nec non certis excommunicationum sententijs latis propterea per eundem Episcopum, & officialem ipsius, vt asseritur contra prædictos officiales prædicti Francisci, ac nonnullos homines de Caserta, & quoslibet aliunde Vassallos dicti Francisci, & de prædictis querelis diuersis huiusmodi propositis coram Regia Maiestate, & in ea . . . . Tandem Dei

D gratia operante, qui declarat obscura, tollit nodosa, & intellectum dat patulis, ac amicorum interueniēte tractatu idem Dominus Episcopus pro se & familia sua Ecclesiastica, & pro ipsius hominibus, & vassallis præsentibus & futuris vassallis etiam dictæ Ecclesiæ. Et idem Franciscus Comes Pupillus, maior nouennio, minor tamen quatuordecim annis, vt prædicitur, sic ex aspectu corporis apparebat, tum etiam consensu dictorum Baiulorum suorum, & ipsi Balij Baliatus nomine quo supra, & alijs solemnitatibus debitis plenè constat per litteras Regias, & Inuentarium infrascriptum. Ex parte altera considerantes quod ex huiusmodi causa, lis & contro-

A trouersia oriantur, & ipsarum dubius est euẽtus, & ex eis ambæ partes grauarentur, de omnibus, & singulis controuersijs prælibatis vertentibus, & quæ verti possunt propterea infuturum inter partes easdem, Partes ipsæ volontariè, absque vi, dolo, vel circumuentione aliqua ad translationem, pactum, & concordiam subscriptam deuenerunt; videlicet, quod ipse Franciscus Camerarius Comes cum authoritate dictorum Baliorum suorum, & Balij nomine quo supra sponte, & legitimè deuenerunt, & cesserunt dicto Domino Episcopo recipienti, & solemniter stipulanti nomine dictæ suæ Ecclesiæ omne ius, omnemque actionem, quod & quæ eidem Francisco Comiti, & hæredi, & successoribus eius, ac suis insuper, alijque, cui in futurũ, &c. Comitatum prædictum competit, & competere posset in posterum supradictis, & quodlibet prędictorum, illudque eidem Domino B Episcopo pro se, suisque successoribus, & Ecclesia sua prędicta, ac eisdem vassallis pręsentibus, & futuris prędictę Ecclesię pro se, suisque liberis, & successoribus in perpetuum remiserunt, concesserunt, & conuenerunt, & propterea ad prędicta, & quodlibet prędictorum fecerunt Procuratorem in rem suam Episcopum antedictum nomine quo supra, & pactum eis de vlterius non petendo fecerunt, & promiserunt solemniter prędicti Franciscus, & Balij cum authoritate & nomine quo supra eidem Domino Episcopo recipiẽti & solemniter stipulanti pro se, dicta sua Ecclesia, & vassallis prędictis ipsius Ecclesię filijs liberis, & heredibus & successoribus eorundem Vassallorum nullo denique tempore C impetere, seu molestare ipsum Dominum Episcopum, & successores suos, ipsos vassallos, filios liberos, hęredes, & successores eorum in iudicio, vel extra super prędictis, vel aliquo prędictorum, nec se intromittere de dictis vassallis pro bonis, & rebus quę tenent, & tenebunt in posterum à prędicta Ecclesia, hoc excepto, quod si vassalli dictę Ecclesię, vel vassalli dicti Comitis aliqua teneant, vel tenebunt in feudum, ab vtroque, quod liceat ipsis Francisco & Episcopo & hęredibus, & successoribus eorum pro ipsis bonis suis & alijs prout de iure possunt exercere contrarijs ipsam potestatem, quæ de sui iure comD peteret, & ipsum Dominum Episcopum, & eius successores & dictam Ecclesiam permittere vti libere prædictis hominibus, & vassalis suis, & dictæ Ecclesiæ non excedendo iurisdictionem in eosdem vassallos Ecclesiæ, vel aliquos eorundem hæredum liberos filios, & successores ipsorum, vel alterius eorumdem iura; quamque vel controuersiam, vel iurisdictionem ipsius Episcopi, & successorum eius in eorundem vassallos in aliquo turbare, vel impedire, siue subuectionem aliquam ab eis petere, vel exigere, etiam in casu quo à proprijs vassallis ipse Comes, vel alius pro parte sua secundum Regni constitutiones

A iura & consuetudinem posset petere & exigere. Promiserunt etiam ipse Franciscus cum authoritate dictorum Baliorum, & ipsi Balij nullas operas vindemiarum, vel scalasini, seu pecuniam pro eis petere;, vel exigere;, seu peti & exigi facere ab eisdem Vassallis filijs liberis hęredibus, & successoribus eorumdem; vassallis ipsius Ecclesiæ, quibus vtrunque, seu aliquo eorundem, nec etiam prædictos vassallos ipsius Ecclesiæ liberos hæredes, & successores eorundem vassallos ipsius Ecclesiæ Officiales constituere, seu etiam ordinare, nec eos aliter indebite aggrauare, seu etiam angariare. Hoc tamen acto, & reseruato expresè inter partes easdem, quod quandocunque homines, & vassalli dictæ Ecclesiæ, qui ad pręsens sunt, vel per tempora fecerint contra Assisiam dictæ Iurisdictionis factam, & B faciendam inter eandem, & Casalia per ipsũ Comitem, vel suos successores, vel Officiales ipsorum facerent, vel in pœnam contra dictam Assisiam inciderint, quod ipse Dominus Episcopus, & sui successores, vel eorum Vicarij, qui pro tempore fuerint, de ijs cognoscent, & cognoscere debeant, & condemnabunt, & condemnare debeant prædictos Vassallos Ecclesiæ secundum formam Assisiæ antedictæ, & medietatem pœnæ dabunt, & assignabunt, dari & assignari facere teneantur dictis Francisco, & eius hęredibus, & successoribus;, reliquas medietates remanentes dicto Episcopo & eius successoribus. Promiserunt insuper dictus Franciscus cum authoritate qua supra, & ipsi Balij, Balistus nomine ipsi Domino Episcopo pro se, Ecclesia, & Vassallis prędictis restituere, & restitui facere omnia pigno- C ra, & pecuniam, & bona alia accepta per vim dicti Comitis, vt dixerunt, à Vassallis dictæ Ecclesiæ olim de mense Iannarij, & Februarij proximis præteritis, & in alijs temporibus, si extant, & inueniantur, &c. in potestate prędicti pupilli, vel suorum Officialium bona fide, ita quod nulla fraus adhibeatur. Et versa vice prędictus Dominus Episcopus ex iam dicta quæstione, concordiæ, pacti, & conuentionis, siue transactionis pro se & Ecclesia sua, & successoribus spontè & liberè remisit, donauit, & relaxauit eidem Francisco & Balijs, cum authoritate, & nomine quo supra pro eo & suis hęredibus, & successoribus om- D nes Decimas, & primitias quinque annorum præteritorum, quas recipere debebat dictus Episcopus pro parte Ecclesiæ à prędicto quõdam Comite, & successiuè à dicto Francisco, vt dixit, & quas recipere consueuerant, & debuerant Prędecessores eiusdem Domini Episcopi, vt asseritur pro bonis ipsius quondam Comitis, & nunc dicti Francisci in ciuitate Casertana, & Territorio ipsius, & pro quocunque alio tempore, quo fortè prędictus quondam Comes, & eius prędecessores in dicto Comitatu, ipseque Franciscus Episcopis, qui pro tempore fuerunt in dicta Ciuitate, minimè integrè, vel nullo modo prędictis

 Epi-

Episcopis per tempora soluta fuerunt; de quibus decimis, & primitijs debitis pro retroactis temporibus vsque in præsentem diem per prędictum Franciscum, & prædecessores suos prædicto Episcopo & prædecessoribus eius, & ante dictæ Ecclesiæ . . . . . prędictis Balijs, superioribus nomine quo supra, & eidem Francisco cum authoritate dictorum nullo vnquam tempore impetere, vel etiam molestare eum, vel suos hęredes & successores pro prędictis decimis, & primitijs prętrritis non solutis, sed futuras decimas, & primitias ipsi Domino Episcopo & successoribus eius promittunt soluere, prout iustum fuerit in futurum. Promisit insuper prædictus Dominus Episcopus pro se, & Ecclesia sua, ac successoribus eius prædictis Balijs, & Francisco stipulantibus cum authoritate, & nomine quo supra pro remissione, concessione, permutatione, & transactione prędictis dare, tradere & soluere tam nomiue suo, quàm Ecclesiæ, & Vassallorum ipsius Ecclesiæ prælibatæ vncias auri sexaginta per terminos infrascriptos, videlicet vncias triginta per totum mensem Maij proximè futuri, & reliquas triginta per totum quintumdecimum diem futurum mensis Iunij in medietate sequentis, de quibus vncijs sexaginta promiserunt prędicti Balij, & Franciscus cum authoritate eorum emere terras & possessiones in dicta ciuitate Casertana, vel eius territorio, quæ sint, & esse debeant, seu succedant in locum iuris, quod eidem Francisco & suis hęrrdibus, & successoribus fortè competebat, seu competere de iure poterat, habrbat, seu habere poterat, & habere & competere prętendebat super pilmitijs remissis, & donatis eidem Episcopo, Ecclesiæ, & vassallis ipsius, vel aliquo prędictorum, quas possessiones, & bona emēda prędictus Franciscus pacificè & quietè . . . . . emere pro se & suis hęredibus, & successoribus in perpetuum, & fructus, redditus, & prouentus inde percipere tanquam pleni, & veri Domini, & Patroni, non obstante quod fortè posset dici, & diceretur, & probaretur eadem empta deberi Ecclesię, vt pręfertur. Promisit etiam prędictus Episcopus pro se & successoribus suis prędictis, Francisco, & Balijs legitimè stipulantibus, vt supra absoluere, seu absolui facere omnes & singulos Officiales homines, & vassallos dicti Frācisci, quos dictus Episcopus, seu eius Vicarius excommunicauerint à retroactis temporibus pro eo quod pignorauerant, seu iurisdictionem exercuerant, seu quęcunque alia fecerant, & commiserant in prædictum Episcopum, Ecclesiam, officiales, vassallos suos pro prædictis causis, seu aliqua ipsarum quietauit & remisit, atque legitimè promisit idem Dominus Episcopus ex causa dictę transactionis, concessionis, pacti, & compositionis pro parte dictę Ecclesię, & Vassallorum suorum eisdem Francisco & Balijs stipulantibus vt supra non impetere, seu quomodolibet molestare eundem Franciscum, siue hęredem & successores occasione aliqua expensarum, & interesse decursi, seu quæ sunt, si sunt, dictus Episcopus, & sua Ecclesia, & Vassalli ipsius pro causis prædictis, & omnia & singula, prout ambę partes sibi ad inuicem solemniter, & legitimè semper habere rata & firma, & contra ea, vel eorum aliquod non facere, vel venire per se, & eorum hæredes, seu successores, promissa, confessata, contenta, cessa, data, donata & remissa, vel aliter inter eas acta sint, vt supra continentur in iudicio, vel extra de iure, vel de facto, per se, vel alios, publicè, vel occultè venire. Et expressè inter partes prædictas solemni stipulatione fuit inde conuentū, quod denuo Comes Franciscus, eiusque successores non recipiant in vassallos suos homines, & vassallos dictæ Ecclesię, vel aliquem eorundem, nec prædictus Episcopus, & successores sui recipiant in vassallos suos homines, & vassallos dicti Comitis, vel aliquem eorundem, per quod ipsi vassalli, vel aliqui eorundem trahantur fortè intra vassallos eidem Ecclesiæ, vel aliquem eorundem authoritate ducali, vel aliqua alia authoritate Regni, seu Ducali. At si fortè illi, vel aliqui ex eis propterea excommunicati sint, ipse Episcopus illos exindè absoluere teneatur. Pro quibus omnibus, & singulis adimplendis, & inuiolabiliter obseruandis, tam prædictus Episcopus pro se & sua Ecclesia, & vassallis prędictis, quàm prædictus Franciscus omni authoritate prędictorum Baliorum obligauerūt se & hæredes, & successores eorum, ac bona eorum omnia prædicta & subscripta omnia, & singula adimplere & inuiolabiliter obseruare sub pœna vnciarum auri ducentarum, quę pœna solui debeat, &c. per dictum Franciscū Comitem, hæredem, & successores in dicto Comitatu, si contra prædicta, vel aliquod prædictorum forsan fuerit per ipsum Franciscum, hæredem, & successores eius prædictos, aut alium eorundem, seu officiales, vel officialem ipsius aut alios eorūdem commissum, vt videlicet medietas ipsius pœnæ Regiæ Curiæ, & reliqua medietas prædicto Domino Episcopo, & Ecclesiæ, ac successoribus ipsius Episcopo, vel alteri applicetur; & si per dictum Episcopum, & successores suos aut officiales, vel officialem ipsius, vel alterius eorundem contra prædicta, vel aliquod prædictorum factum fuerit, prædicta pœna statim debeat solui in perpetuum per eundem Episcopum, & successores suos, vel alterum ipsorum, medietas pœnæ prędictę sit Domini Nostri Papæ, & reliqua medietas dicto Francisco Comiti, hæredibus, & successoribus eius in Comitatu prædicto, vel alterius ipsorum, quam pœnā pro medietate prædicta ego prædictus Notarius Lucas publicus vt supra, tanquam puta persona pro parte dictæ Curiæ Regiæ à dicto Francisco Comite, pro se, hæredibus, & successoribus suis nunc authoritate, qua supra, & pro parte dictæ Curiæ Domini

Papæ

Papæ à prędicto Episcopo per se et successores suos in sua Ecclesia, et legitimè stipulantibus, et pro reliqua medietate dictus Franciscus Comes authoritate qua supra, et Episcopus per se, et successores eorum fuerint sibi ad inuicem solemniter, et leg.timè stipulāti, suum interesse deponens, et expensarum litis, et extra litem, quę contrs prędictā partem obseruaretur, etc. præmissa omnia, et eorum singula subire contigerit præmissorū occasione, vel causa, de quibus damn's interesse et expensis, statim limplici dicto cum sacramento eiusdem partis, nulla alia probatione et causa requirenda, quia sic inter d.ctas partes fuit specialiter conuentum, et pœna prædicta toties committatur, et exigatur, seu exigi valeat à parte contrafaciente per partē obseruantem prædictas, ac dictam pecuniarū summā, et Cameram Apostolicam, quoties contra eam, vel eorum aliquid ventum fuerit, siue factnm per partem aliquam earundem; qua pœna commissa, vel non commissa, exacta, vel non exacta, in toto, vel in parte, vel gratiosè remissa, omnia et singula prædicta et subsc: ipta nihilominus rata maneant, atq; firma. Et promiserunt sibi partes ad inuicem dictus Franciscus cum authoritate qua supra, et ipse Episcopus exceptioni doli mali, metus, et facti, rei non gestæ, non cogitatæ, vel aliter quam sit conditio indebita ob causam, vel sine causa, et omnibus alijs exceptionibus, et iuribus, tam ciuilibus, quàm canonicis, constitutionum pariter editarum, et edendarum, omnibusque priuilegijs Apostolicis, et regalibus, inpetratis, vel impetrandis, beneficio etiam restitutionis in integrum, et legum d centium generalem positionem non valere, quia voluerunt nullam, etc. per indè ac si omnes casus specialiter fuissent expressi, legi etiam dicenti, donationes vltra dimidiam iusti partem posse restitui. Et pro maiori cautela dicta Domina Comitissa, et dicti Balij dicti Francisci Comitis iurauerunt ad inuicem sibi ad Sancta Dei Euangelia corporaliter tacta per ipsam Dominam Comitissam, et dictum Dominum. Balios ipsius Frācisci, et per partē dicti Domini Episcopi visa, et anteposita, sed non tacta, omnis et singula supradicta vera esse, et inuiolabiliter ea obseruari, et contra eam vllo tempore aliquid non facere, vel verbo, dicto, opere vnquam aliquo. Acto expresè inter partes prædictas, quod pœna . . . . . . per pœnam pecuniariam, vel vna per aliam non tollatur, seu etiam suspendatur; sed ambæ simul, vel separatim exigi valeant, et sine causa eadem, quia præmissa, et subscripta omnia, et singula acta et gesta sunt cotam nobis per partes, et per dictum Franciscum Comitem cum authoritate qua supra ipsius, purè, cum bona fide, sine fraude et dolo, et colludio; et quia supradicta bona feudalia tangnntur, ideo supradictus Dominus Episcopus per se, et successores suos, et prædictos vassallos, et dictus

A Franciscus Comes authoritate dictorum Baliorum suorum, et ipsi Balij reseruauerunt singula supradicta in beneplacito Regio, et assensu suæ Maiestatis Regiæ; prædicti Baliatus erant per omnia congruentię subsequentis.

Robertus Dei gratia Rex Hierusalem, Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Prouinciæ, Foralquerij, ac Pedemontis Comes.

Nobili mulieri Odoliria de Claro-monte Comitissæ Casertanæ, & Marino de Diano militi magnæ nostræ Curiæ Magistro Rationali Consiliario familiari nostro, gratiam suam, & bonam voluntatem, &c.

B Spe certa tenentes, prout ex materno caritatis affectu, qua tu Comitissa inngeris Francisco Pupillo Comiti Casertæ, & hæredi quondam viri nobilis Dieghi della Ratta Casertæ Comitis viri tui conuenire ex te, & ipso suscepto, & quod ex sustentando fidem probitatis, conscientiæ puritate, quibus tu pullulare dignosceris, ipsius pupilli Comitis per nos diligenter, & sollicitè debeatis procurare tibi Comitissæ, nō obstante quod iam ad secunda vota volasti vsque ad nostrum beneplacitum, tibique Marino de Diano, absentia viri nobilis Guglielmi de Marsaco Squillacij Comitis testamentarij Balij eidem Pupillo Comiti constituto in Comitiua Caroli Ducis Calabriæ primogeniti nostri Carissimi in partibus Tusciæ commorantis vsq; ad eiusdem Comitis Squillacij reditum ad has partes duximus tenore præsentium de certa nostra scientia committendum, recepto à vobis solitæ fidelitatis, & de rebus ipsius Comitis pupilli saluandis corporali iuramento ad Sancta Dei Euangelia. Quocirca fidelitati vestræ præcipimus, quatenus baliatum ipsius pupilli Comitis maiori vestra authoritate . . . . reuocantes terras, & bona eius omnia stabilia, feudalia, & mobilia, se seque mouentia recipere ad manus vestras baliatus nomine peruenerint ad opus dicti Pupilli studeatis diligenter, & fideliter procurare, & prouentus omnes bonorum ipsorum integrè recipere, & habere per vos fideliter conseruandos, ipsi Comiti, & competenti eius familiæ eorum Ducat. necessarium iuxta ipsius facultatum exigentiam curabitis ministrare, obseruando modestiam, & sumptum effrenem in locis & terris cohibendo; vineas autem, iardena, hortos, apothecas, & possessiones, quæ bona dicti pupilli Comitis fuerunt congruentibus, & debitis temporibus reparari, & excolere faciatis, prout fuerit opportunum de fructibus & prouentibus terrarum, & bonorum ipsorum, ita quod in damnum, & præiudicium dicti pupilli Comitis non depereant, nec in aliquo deuastentur, & præstito debito tempore Curiæ nostræ seruitio pro terris & bonis ipsius debitum, reliquum quod de fructibus, ac prouen-

uentibus terrarum, & bonorum ipsorum superfuerit, ad opus dicti pupilli Comitis studeatis fideliter, obseruare facientes fieri de receptione terrarum, & bonorum ipsorum stabilium, feudalium, & mobilium, seseque mouentium tria publica consimilia inuentaria continentia statum, & valorem omnium terrarum, & bonorum omnium existentium siue in animalibus, siue in victualibus, aliisue rebus consistant. cū quantitate, qualitate, genere, specie, ac distinctionibus omnium bonorū, & rerum huiusmodi particulariter & distinctè, quorum vnum Cameræ vestræ, aliud magnis Rationalibus magnæ Curię nostrę maiestatis, tertiū penes vos retineatis vestri Ratiocinij tempore producendum. Pręcipimus prætera, & mandamus, quod semel in anno quandiu baliatum ipsius gesseritis, procuretis vnum sufficiens Instrumentum, & ad nostram Curiam destinetis coram dictis Magistris Rationalibus de dicto balistu compntū faciatis. Volumus autem, quod postquam dictus Comes Squillacij venerit in istis partibus resessurus, tu prædicte Marine ab officio præfato resilias, eum volumus sicut prædictum Squillacei Comitem testamentarium, vt prædicitur, baliatum exercere. Concedimus insuper, vt cum vos Comitissa & Marinus personaliter alijs magis arduis negocijs expressè implicari dictum Baliatus officium exercere personaliter nequitis, possitis ipsum per substitutum, vel substitutos idoneos, de quo, vel quibus sit meritò confidendum, pro quibus etiam teneamini exercere.

Datum Neapoli per Ioandem Grillum de Salerno Iuris ciuilis professorem Locumtenentem Protbonotarium Regni Siciliæ. Anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo sexto, die 23. Decembris 10. Indict. Regnorū nostrorum, anno octauo decimo.

Tenor autem Instrumenti publici dicti Inuentarij per omnia talis erat.

In nomine Domini Dei æterni, & Saluatoris nostri Iesu Christi.

Anno ab Incarnatione eius millesimo trecentesimo vigesimo septimo. Regnante autem feliciter Domino Nostro Roberto Dei gratia Gloriosissimo Hierusalem & Siciliæ Rege, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ, Prouinciæ, & Foralquerij ac Pedemontis Illustrissimo Comite, Regnorum verò eiusdē Domini nostri anno octauo decimo, die vigesima tertia mensis Martij, 10. Indict. apud Ciuitatem Capuæ. Nos Ioandes Sebb. dictæ Ciuitatis Capuæ Iudex, Philippus de Marathia de Montorio publicus vbique per totū Regnum Siciliæ Regia authoritate Notarius, & subscripti testes ad hoc specialiter vocati, & rogati, præsenti scripto publico notum facimus, & testamur, quod egregia D. Donna Odoliria de Claromonte, Comitissa Casertæ, & Montis alti, & magnus vir Dominus Marinus de Diano miles Magnæ Regiæ Curiæ magister Rationalis Balius Egregij pupilli

A Francisci della Rattha Comitis Casertæ; Scientes se de multis bonis, & rebus ipsius pupilli Comitis ad Inuentarij confectionem de iure teneri, & quia dicebātur pro maioribus suis seruitijs occupati, & non poterant personaliter vacare, nec adesse confectioni Inuētariorum de terris, & rebus, & bonis ipsius Comitis; Confisi de fide, prudentia, & legalitate discretorum Virorum Iudicis Simonis de Marantio & Notario de Caserta, de Montorio ipsos absentes, tanquam præsentes creauerunt, & constituerunt legitimos Procuratores, & Nuncios speciales ad conferendum se ad terras, & loca ipsius pupilli Comitis ad faciendum Inuentarium particulariter & distinctè de terris & bonis omnibus stabilibus, feudalibus, & mobilibus, se seque mouentibus ipsius pupilli Comitis continens statū, B & valorem omnium terrarum, rerum & bonorum omnium ipsius pupilli Comitis cum distinctionibus opportunis, prout in procuratione cum inserta forma litterarum Regalium vidimus hæc singula, & alia pleniùs contineri. Cuius procurationis tenor talis est.

In nomine Domini Dei æterni, & Saluatoris nostri Iesu Christi.

Anno à Natiuitate ipsius millesimo trecentesimo septimo. Regnante Domino nostro Roberto Dei gratia Inclyto Rege Hierusalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Prouinciæ & Forqualquerij, ac Pedemontis Comite, Regnorum C verò eius anno octauo decimo, feliciter. Amen. Die septima mensis Ianuarij 10. Indict. Neap. Nos Petrus de Madio dictus Calderinus Iudex Ciuitatis Neap. Theobaldus Busalunus de eadem Ciuitate publicus vbiq; per totum Regnum Siciliæ Regia authoritate Notarius, & subscripti testes ad hoc specialiter vocati, & rogati. Præsenti scripto publico notum facimus, atque testamur, quod constitutis nobis in præsentia magnificorum virorum Dominæ Odoliriæ de Claromonte Comitissę Casertæ, & Domini Marini de Diano militis Magnæ Regię Curiæ Magistri Rationalis Baliorum nouiter ordinatorum per sacram Regiam maiestatem Infantis egregij Francisci della Rattha Comitis Casertę, prout apparet per quasdam patentes litteras Re- D gias pendenti sigillo munitas, cuius tenor per omnia talis est.

Robertus Dei gratia Rex Hierusalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Prouinciæ, & Foralquerij, ac Pedimontis Comes.

Nobili mulieri Odoliriæ de Claromonte Comitissæ Casertæ, & Marino de Diano militi magnæ nostræ Curiæ Magistro Rationali Consiliario familiari, & fidelibus suis gratiam suam, & bonam voluntatem.

Spem

A Spem certam tenentes quod ex materna caritatis affectu, quo tu Comitissa iungeris Fracisco pupillo Comiti nato tuo filio, & hæredi egregij viri nobilis Dieghi della Rattha Casertæ Comitis viri tui communiter ex te & ipso suscepto, & quod . . . fidei probitatis inducti, ac bonæ conscientiæ puritate, quibus tu Marine pullulare dignosceris . . . . . . & bona ipsius pupilli Comitis, non obstante quod iam ad secũda vota volasti vsque ad nostrum beneplacitum, tibique Marine in absentia viri nobilis Thomasij Squillacij Comitis testamentarij Balij eidem pupillo Comiti constituto in comitiua Caroli Ducis Calabriæ primogeniti nostri carissimi in partibus commorantis vsque ad eiusdem Comitis Squillacij reditum, ad has partes duximus tenore præsentium de certa nostra scientia recepto à vobis solitæ fidelitatis, & de rebus ipsius Comitis pupilli saluandis, corporali ad Sancta Dei Euangelia iuramento. Quocirca fidelitati vestræ præcipimus, quatenus baliatum ipsius pupilli Comitis ad manus vestras deuentum p. æsētium tenocantes, terras, & bona eius omnia stabilia, feudalia, & mobilia, se seque mouentia recipientes ad manus vestras illa Baliatus nomine ad opus dicti pupilli studeatis diligenter & fideliter procurare, & prouentus omnes bona ipsa integrè recipere & habere, per vos fideliter conseruandos, de quibus prædicto pupillo Comiti, & competenti eius familiæ eorum victui necessaria, & ipsius facultatem exigentiam curabitis ministrare, C fines ipsius obseruando modestiæ, & sumptuum effrenatam licentiam cohibendo; vineas autem, tardena, hortos, apothecas, & possessiones alias, quæ tunc bona dicti pupilli Comitis fuerant, congruis, & debitis temporibus reparari, & excoli faciatis, prout fuerit opportunum, de pecunia recepta per vos de fructibus & prouentibus terrarum, & bonorũ ipsorum, ita quod in damnum, & præiudiciũ dicti pupilli Comitis non depereant, nec in aliquo deuastentur, & præstito debito tempore Curię nostrę seruitio pro suis & bonis ipsius debito releuio, quod de fructibus & prouentibus terrarum & bonorum ipsorum superest ad opus dicti pupilli Comitis studeatis fideliter conseruare, facientes fieri de receptione, & bonorum ipsorum stabilium, D feudalium, mobilium; se seque mouentium tria publica consimilia inuentaria continentis statum & valorem annuum bonorum & terrarum omnium prædictorum per partes, & membra, siue in animalibus, siue in victualibus, alijsue rebus consistant, cum quantitate, qualitate, genere, & specie, ac distinctionibus omnibus bonorum & rerum huiusmodi particulariter, ac distinctè, quorum vnum Curiæ nostræ, & aliud magistris Rationalibus magnæ nostræ Curiæ mittatis, tertiò penes vos retento vestri ratiocinij tempore producendo. Volumus præterea, & mandamus, quod semel in anno quandiu Baliatum ipsius gesseritis procuretis, vnum sufficiens instrumentum & ad nostram Curiam destinetis, coram dictis Magistris Rationalibus de dicto Baliatu computum debitum, &c. Volumus autem quod postquam dictus Comes Squillacii venerit in dictis partibus resessurus, tu prædicte Marine à prędicto officio resilias, cum velimus ipsius tunc per dictum Squillacij Comitem testamentarium, vt prædicitur Balium exercere. Concedimus insuper, vt cũ vos Comitissa, & Marinus personaliter alijs magis arduis negotijs, & expressis implicati dictum Baliatus officium exercere probabiliter nequiritis, possitis ipsum per substitutum, vel substitutos nominandos, de quo, vel quibus sit necessariò confidendum, pro quibus B etiam teneamini exercere. Datum Neapoli per Ioandem Grillum de Salerno Iuris ciuilis professorem locumtenentem . . . . Regni Siciliæ anno Domini millesimo trecētesimo vigesimo sexto, die vigesima tertia Decembris 10. Indict. Regnorum nostrorum octauodecimo. Ipsique Balij volentes regia mandata exequi reuerenter, & solemnia, quæ à iure requiruntur fieri per Ballos adimplere, & præcipuè Inuentarium conficere, facto per vos Inuentario de bonis & rebus ipsius pupilli in Ciuitate Neap. consistentibus, cum personaliter ad terras pupilli ipsius non valeant se conferre, alijs maioribus, vt dixerunt, negotijs impediti, confisi de fide, prudentia, & legalitate discretorum virorum Iudicis Simonis de Mararhia, & Not. de Caserta de mõtorio ipsos absentes, tanquam præsentes, fecerunt, constituerunt, & legitimè ordinauerunt eorum veros & legitimos procuratores, factores, & nuncios speciales ad conferendũ se ad terras dicti pupilli, & de terris, & bonis tam mobilibus, quàm stabilibus cõficiendum tria publica consimilia Inuentaria in singulis terris & bonis eiusdem declarantia, & exprimentia terras, & bona ipsa, & annuũ valorem ipsorum iuxta formam litterarum ipsarum, dantes, & concedentes eisdem procuratoribus in præmissis, & dependentibus, ex eisdem plenam, liberam & generalem potestatem, & promiserunt . . . præsentia, tanquam personæ publicæ stipulatæ nomine omnium, quorum interest, & interesse poterit, se ratum habituros, & firmum quicquid per procuratores eosdem factum, & declaratum fuerit . . . . supradictum deinde ac si particulariter & realiter & personaliter constituentes, ante omnia consenserunt in me prædictum Iudicem in suum, cum scirent ex certa eorum scientia me eorũ Iudicem in hac parte non esse. Vt autem de præmissis plenariè valeat adhiberi fides, factũ est exinde hoc publicum Instrumentum per manus mei Notarij prædicti signo meo signatum sub nomine prædicti Iudicis, & subscriptorum testium subscriptionibus roboratũ, quod scripsi, Ego prædictus Theobaldus publi-

blicus vbilibet per totum Regnū Siciliæ Notarius, qui prædictis omnibus rogatus interfui, & ipsum meo signo consueto signaui & abrasi. & emendaui superius, vbi legitur in vno loco (maioribus vt dixerunt) & in alio loco, & locis non visio, sed errores nihil erāt, qui Iudex Simon, & Notarius Procuratores prædicti volentes procurationem ipsam iuxta formam ipsius . . . . . In præsentia nostra, qui supra Iudicis, Notarij, & testium subscriptorum stipulato die vigesimo tertio mensis Martij prædictæ 10. Indictionis apud prędictam Ciuitatem Capuę de bonis & rebus ipsius Pupilli fecerunt Inuentarium infrascriptum, videlicet. Castrum Ciuitatis Casertę pro maiori parte dirutum, in quo est sala magna in parte discooperta, & sunt ibi portę duę pro clausura ipsius Castri, quasi fractę. Item locus vnus, vbi dicitur lo Parcbitello cū oliuis, fructibus ipsius Castri, & consuetum est vendi in gabella annuatim pro vncijs quindecim, quandoque plus, & quandoque minus, & hoc anno 10. Indictionis venditum est in gabella pro vncijs viginti vna: Item nemus arborum Castanearum, vbi dicitur Mons Caluus, & habet fines ab vna parte Territorium Castri Vallæ, & ab alijs Montes Casertę, & consuetum est vendi omni anno pro vncia vna, & tar. tribus quandoque plus, & quandoque minus. Item petiam vnam terræ cum oliuis & quercubus, vbi dicitur Sanctus Clementus, & procuratur & tenetur in demanium, & habet fines ab vna parte viam publicam, & ab alia rem Roberti Maczoni & Tomasij Faroni. Item Startia vna, quæ dicitur de Sancta Helena cum aliquibus arboribus vitatis & fructiferis, & procuratur, & tenetur in demanium, & datur ad laborandum desuper ad medietatem, et desuper procuratur in demanium, et habet fines à duabus partibus viam publicam, et ab alia Startiam vidij de Castro mari. Item startia vna, quæ dicitur *la Starza de la corte* cum arboribus vitatis, et fructibus, et procuratur, et est in demanium, et datur ad laborandum desuper ad medietatē, & desuper est in demaniū, et procuratur, et habet fines à duabus partibus viā publicā. Item Startia vna, quę dicitur de Arzano, cū arboribus vitatis, et fructiferis, et tenetur, et procuratur in demaniū, et datur ad laborandum desuper ad medietatem, et desuper in demanium procuratur, et habet fines à duabus partibus viā publicam. Item Mons S. Leucij, in quo sunt arbores fructuū, Quercuū, Castanearū, et de Ilicibus, et est in demanium, et iura ipsius venduntur in gabellam anno quolibet pro vncijs decem, quandoq; plus, et quandoq; minus; sed in anno prędictę Indictionis 10. præterito vendita fuerūt iura ipsius pro vncijs decem; Iura ipsius procurantur in demanium, et habet fines ab vna parte Territoriū Murroni, et ab alia est Mōs Roccæ de Capua. Item redditus Casertæ debiti à nōnullis hominibus Ciuitatis eiusdem,

A est et consistit in angarijs, pecunia, operibus vindemiarum, pullis, et debentur dicti redditus in Natiuitate Domini, Resurrectione Dominica, et de mense Augusti, et consueta sunt vendi iura ipsorum annuatim pro vncijs viginti, aliquando plus, et quandoque minus, et hoc anno decimæ Indictionis procuratur in demanium. Item iura Baiulationis tactus cum virga, fustique damnis datis, & cum fit aliqua rixa per homines Ciuitatis eiusdem Baiuli, qui pro tempore euenerit; Iura ipsa debent habere medietatem pœnarū octauo Augusti, ad quam rixantes, damnum dantes, &c. tenentur seruando assisiam Ciuitatis ipsius, & venduntur iura Baiulationis ipsius pro vncijs decem, quandoq; plus, quā-
B doque minus, & hoc anno prædictæ decimæ Indictionis procuratur in demanium Curiæ Baiulationis iuribus, vt asseritur, stabilita est prouisio annua vnciarum septem facta per quondam Dominum Comitem, & confirmatam per Balios ipsius nobili viro Magistro Landulpho Sironiano de Neapoli rationali Cameræ Regio Consiliario, & familiari Regio, & suis hæredibus. Item domus de Plano, quæ dicitur *la Torre* cum curtibus, salis, cameris, cellario, stabulo, furno, coquina, puteis duobus, & palmentis cū portis, fenestris ferratis, & sine ferro, & clausuris opportunis in quibus domibus inuenta sunt bona mobilia infrascripta, videlicet vegetes vnde-
C cim plenas vino latino, quarū tres sunt aorilico, et alię sunt de vino albo, in quibus secundū cōmunē existimationē posset esse de vino puro vsq; ad summā Carratorū octo. Item vegetes vacuæ decem & octo capacitatis carratorum quindecim, & parum plus. Item carratellos vnus de brusco, in quo est aliqua quantitas de Borgneso. Item lauellus vnus de ligno pro carriandis vuis. Item cupellorum duo de ligno pro ponenda farina. Item bares duæ cum coopertorio. Item lecteriæ septem cum tabulis opportunis. Item ballistæ duæ magnę de osso cum tenerijs & cordis ad torno. Item sala dictarum domorum est circundata seggijs de ligno, & est ibi aderizatorium vnū. Item tabulæ pro mensa de ligno quinque sunt, duę tabulæ plecatoriæ, vna magna, & alia parua.
D Item paria quinque chrispellorom. Item tabulæ vigintiquinq; de populo. Item Thūus vnus ferratus pro mensura. Item schritellus vnus de ære pro hauriendā aqua de puteo. Item cassiæ duæ cum coopertorijs. Item balneum vnum de ligno. Item . . . . . vna pro conficiendo panę. Item arcella vna de ligno. Item calderinus vnus de ære fractus, ponderis lib. duodecim. Item puzunettus vnus de ære pond. lib. sex. Item sartago vna de ære pond. lib. quatuor. Item par vnum de bilancijs de ære pod. lib. . . . . Item fiasconi duo de ære pro aqua rosata. Item puzunettus vnus de ære cum coopertorio pond. lib. quatuor. Item torcular vnum necessarium in palmento, cum funiculis oppor-

portonis. Item boues quatuor domati. Item iuga duo pro dictis bouibus, qui boues sunt tres rubei, & allus albus. Item iardenum vnum paruum constructum in ipsis domibus de Turri cum arancijs, limonibus, cedris, & alijs arboribus fructiferis, & pede vno di rosa, & iardenum ipsum est muro circundatum. Item iardenum vnum aliud magnum constructum in ipsis domibus, & circundatum muris cum arboribus fructiferis, & arancijs, & datur ad laborandum desuper ad medietatem, & desuper in demanium procuratur. Item startia vna confinitima ipsis domibus, quæ dicitur starzia feudi Turris cum arboribus vitatis & fructiferis, & datur ad laborandum desuper ad medietatem, & desuper in demanium procuratur, & habet fines à tribus partibus viam publicam. Item . . . . omnium starziarum venduntur in gabella anno quolibet pro vncijs nouem, quandoq; plus, & quandoque minus, sed in anno dictæ decimæ Indictionis præterito, vendita fuerunt pro vncijs decem, & infrascripto anno decimæ indictionis adhuc non sunt vendita. Item feudum, quod dicitur S. Martini, & consistit in iuribus, & bonis stabilibus infrascriptis, videlicet in domibus palatiatis, & palmento vno, & alijs domibus coopertis plincis, & . . . S.Martinus dicitur, per fines ab vna parte viam publicam, ab alia res & bona Angeli Mustani, & aliorum. Item dictum feudum habet iardenum vnum constructum in ipsis domibus cum arboribus vitatis, & fructiferis, & habet fines ab vna parte viam publicam, & ab alia res Diuæ Marinæ. Item habet starziam vnam constructam ipsis domibus cum arboribus vitatis, & fructiferis, scilicet oliuis, & habet fines ferè ab omnibus partibus viam publicam. Item habet starziam vnã, quæ dicitur Starza S.Gloriosi, & habet finem ab vna parte viam publicam, & ab alia res pheudi, quod dicitur de Agnessa. Item habet starziam vnam vbi dicitur Castrata, & habet fines ab vna parte viam publicam. Item starziam vnam, quæ dicitur Starza S.Petri, & habet fines ab vna parte viam publicam, ab alia res . . . . Item redditus dictæ starziæ qui consistit in vassallis, & hominibus ipsius pheudi, consistit in pecunia & pullis, & posset ascendere ad summam vnciarum auri quatuor, & carolenorum vigintiquatuor, quod totum pheudum facta communi existimatione posset in vniuerso ascẽdere ad summam vnciarum auri viginti, & tenetur, & procuratur in demaniũ. Item pheudum Summanæ emptum per quondam dictum Comitem patrem ipsius pupilli, quod prædictus magister Lãdulphus Sirinianus tenebat ex dono dicti Domini Comitis, quod pridie ad requisitionem dictorum Baliorum prædictus magister Landulphus sponte renunciauit pro parte dicti pupilli, prout prædicta omnia dictus magister Landulphus asseruit, & est, & procuratur in demanium,

A & consistit in bonis subscriptis, videlicet in domibus palatiatis, & palmentis, quæ domus sunt in loco, vbi Summana dicitur, & habet fines ab vna parte viam publicam, & ab alia res Casertani de Faguto, in quibus domibus est veges vna plena græco, in qua posset esse carrata vna. Item inuentæ sunt in eisdem domibus vegetes duæ fractę. Item habet iardenum vnum, & startiam vnam constructam ipsis domibus cum arboribus vitatis, & fructiferis, & habet fines à tribus partibus viam publicam. Item habet Starziam vnam, quę dicitur starza *de lo pede* cum arboribus vitatis & fructiferis, & est ei finis startia S. Helenæ, & startia Domini Hercui de Riso. Item habet terram vnam sitam in villa Falciani iuris Ciuitatis prædictæ cum arboribus vita-

B tis, & fructiferis, cui ab vno capite est finis via publica, ab alia domus maioris Ecclesiæ Casertanæ. Item habet terram aliam in pertinentijs Murroni in loco, vbi dicitur. . . cui ab vna parte est finis aquarum, ab alia est mons, qui dicitur mons Maurus. Item habet terram aliam in pertinentijs Limatulæ, vbi dicitur *la Curueta*, cui ab vna parte est flumen, & ab alia, terra Demanij Limatulæ. Item habet terram aliam in Villa Tori de pertinentijs Casertæ, cui ab vna parte est finis terra gallorum, ab alia terra stabilis de Rizio, Item habet terram aliam in loco, vbi dicitur *Corficello*, cui ab vna parte est mons, qui dicitur Virghus, ab alia terra Iacobi Cocci. Item habet terram aliam in loco, vbi di-

C citur *la Calcona*, cui ab vna parte est via publica, ab alia terra Abbatis Ioannis Textoris. Item habet terram aliam in loco, vbi dicitur monte Muso, cui ab vna parte est riuus, ab alia terra Petri de Vito. Item habet Territorium aliud in loco vbi dicitur *la fontana de lo Sambuco*, cui à duabus partibus est riuus, ab alia parte de Caserta. Item habet terram aliam sitam in loco, vbi dicitur *le Cesolle*, cui ab vna parte est Mons Brianus, ab alia Terra. . . . . Item habet terram aliam in loco, vbi dicitur . . . . . cui ab vna parte est nemus, quod Virghus dicitur, ab alia parte est riuus. Item habet domos diuersas in Ciuitate Casertæ, quarum

D ab vna parte est Terra demanij Casertæ, ab alia via publica, & signa prædictarum paruarum terrarum, locorum & bonorum omniũ prædictorum, alij sunt confines. Item habet territorium, quod debetur à nonnullis hominibus, & vassallis ipsius pheudi, & consistit in pecunia, & certa quantitate pullorum, ascendunt ad summam carolenorum vigintiquatuor, quod totum pheudum in vniuersum posset ascendere annuatim ad summam vnciarum auri quindecim, quandoque plus, & quandoque minus, & tenetur, & procuratur in demanium. Item pheudum, quod tenet Riccius de Castro-Mari, consistit in domibus, Vassallis, starzijs, possessionibus, redditibus, & iuribus alijs, de quo præstatur Comiti

A miti Casertæ rectum pheudale seruitium, videlicet cum adhatur, soluitur ex eo pro .emento vnciæ sex, tareni tres, & gr. quindecim. Item feudum, quod tenetur per Pignatellos consistit in domibus, vassallis, startijs, possessionibus, redditibus, & iuribus, alijs, de quo præstatur Domino ciuitatis Casertæ certum feudale seruitium, videlicet cum adhatur soluitur pro adhiamento vnciarum auri vna caroleni vigintiduo, & grana decem. Item feudum, quod tenet Iohandes Antonius de Capece de Neap. vocatur feudum de Casanoua, & consistit in domibus, vassallis, startijs, possessionibus, redditibus, & iuribus alijs, de quo præstatur Domino ciuitatis Casertæ certum feudale seruitium, videlicet cum adhoatur, soluuntur ex eo pro adhoamento B tareni viginti octo. Item feudum, quod tenet . . . filius quondam Domini . . . de Corrado, consistit in domibus, vassallis, startijs, possessionibus, redditibus, & iuribus alijs, de quo præstatur Domino ciuitatis Casertæ certum feudale seruitium, videlicet cum adhoatur, soluitur ex eo pro adhoamento vncia auri vna, tareni viginti tres, & grana vndecim. In cuius rei testimonium, & tam Curiæ Regiæ, quàm dictorum Baliorum, & ipsius pupilli Comitis, & omnium, quorum interest, & interesse poterit certitudinem, & cautelam facta sunt alia tria publica consimilia inuentaria, primum ad cautelã dictorũ Baliorum, & alia duo, vnum mittẽdum & assignandum Cameræ Regiæ & aliud mittendũ C & assignandum magistris Rationalibus magnæ Regiæ Curiæ pro cautela pupilli Comitis prælibati per manus mei Notarij supradicti, signo meo signatum, subscriptione prædicti Iudicis, & subscriptorum testium subscriptionibus roboratum, quod scripsi.

Ego prædictus Philippus publicus vbilibet per totum prædictum Regnum Siciliæ Regia authoritate Notarius, qui prædictis omnibus rogatus interfui, & ipsum meo consueto signo signaui.
Ego qui supra Iohandes Iudex.
Ego Rogerius Marandi . . Casertæ testis sum.
Ego Notarius Petrus . . Bardus testis D *sum.*
Ego Notarius Andreas Philippi testis sum.
Ego Iudex Petrus Ballus testis sum.
Ego Iudex Angelus testis sum.
Ego Iacobus Iudex de Ragone testis sum.
Ego Iudex Philippus de Simone testis sum.
Ego Notarius . . . Adenulfo testis sum.

Quæ omnia supradicta dictæ partes pure consenserunt in me prædictum Iudicem expressum, cum scirent ex certa eorum scientia me ipsum Iudicem in hac parte non esse A . . . . ad futuram rei memoriam, & prædictarum partium, & omnium aliorum, quorum interest, & interesse poterit certitudinem, & cautelam facta sunt; exinde de eo consimilia instrumenta, prædictis veró pro cautela dictorum omnium, & pro . . . & vassallorum suorum, & aliud ad cautelam partis alterius per manus mei Notarij cum signo meo solito signatum subscriptione mei prædicti Iudicis, & manuum subscriptorum testium subscriptionibus roborata, quæ *Ego prædictus Lucas publicus vbilibet per totum prædictum Regnũ Siciliæ Notariusque prædictus in omnibus rogatus interfui, ipsoque meo consueto signo signaui.*

Condidit Benuenutus Hospitale in Oppi- B do Madaloni quod S. Barbaræ vocant, vt ibidem apposita in scriptio meminit.

Hoc Hospitale fecit fieri Benuenutus Episcopus Casertanen. anno MCCCXXXI.

Et ad latera portæ S. Dionysij in eodem Oppido legitur.

Hoc opus fieri fecit Benuenutus Episcopus Casertanus M.CCC.XXXI.

C 16. NICOLAVS Episcopus Muri per obitum Beneuenuti trãslatus est ad hanc Casertanam Ecclesiam à Clemente VI. anno 1345. 16. Kal. Iulij, cassata prius electione cuiusdam Hieronymi habita à Capitulo Casertano, ex reg. Vatic. E. 19. fol. 11. anno 3. Sedit in hac Ecclesia ann. quinque, iterumque ab eodem Pontifice translatus est ad Episcopatum S. Agathæ Gothorum anno 1350.

17. IACOBVS antea Episcopus S. Agathæ eodem die & anno, quo Nicolaus translatus est ad illam Ecclesiam, ipse ad hanc Casertanam transitum fecit anno 1350. vir omnium virtutum genere ornatissimus, cum multos annos laudabiliter præfuisset sub Vrbano V. Pontifice extrema clausit. D Iacet in Cathedrali in Sacello S. Iacobi à se condito, quod prærogatiuis, & indulgentijs condecorauit, vt ibidem inscriptio proloquitur.

Anno Domini M.CCCLXV. Pontificatus in Christo Patris, & Domini Nostri Vrbani Diuina prouidentia Papa V. anno eius III. Die vero X. mensis Decembris IIII. Indictionis.

Nos Iacobus Dei gratia Caser-

sertanus Episcopus fundauimus hanc Capellam nostram, quam construi fecimus ad honorem Dei, & sub vocabulo S.Iacobi Zebedei, & Omnipotentis Dei misericordia meritis, & authoritate, omnibus Christi fidelibus hanc nostram Capellam deuotè visitantibus in die festi eiusdem S.Iacobi, nec non & in die dedicationis istius nostræ Capellæ, & Ecclesiæ, & in singulis festiuitatibus S. Michaelis Patroni eiusdem nostræ maioris Ecclesiæ Casertanæ quadraginta dies de iniuncta pœnitentia, misericorditer in Domino relaxamus, & ex nunc etiam confirmamus quarumcunque Ecclesiarum indulgentias huic nostræ Capellæ quocunque tempore concedentes similiter in perpetuum duraturas.

Ad eius verò tumulum in eodem Sacello, hæc breuis inscriptio prostat legentibus.

Hic iacet corpus Domini *Iacobi Episcopi Casertani sub anno Domini M.CCCLX. cuius anima requiescat in pace.*

Iacobo verò Præsule Casertæ obijt Franciscus de Ratta Comes, sepultus in Cathedrali, hoc habet ad magnificum tumulum Cœnotaphium.

Franciscus de la Ratta Comes Caserta, vir generosus,
Ianica mente fremens, gaudens vbique triumphis,
Ignauiā sternens subcumbere nescius hosti,
Potitur hoc tumulo. Verbi diui requieuit,
Anno MCCCLX. minus vno, luce 2. Apr.
Quem Deus arce sua beet omni dote fœcundans.

Filius fuit Francisci Dieghi de Ratta, & Comitissæ Beatricis de Bautio, cuius tumulus visitur in Ecclesia S.Claræ Neapoli in Sacello Raymundi de Baurio, Dieghus obijt anno 1328. Beatrix verò anno 1336. legendus Ammiratus in descriptione huius familiæ, vbi ex hac gente recēsentur Casertæ Comites, è qua vltima fuit Catherina Ioannis filia, soror Frācisci, quæ nupsit Andreæ Aquæuiuæ Andriæ Duci, intulitque in eam familiam Casertanum Comitatum.

18. Fr. FRANCISCVS, cuius tantùm nomen habemus in monumentis huius Ecclesiæ, putatur sedisse post Iacobum, de quo nulla mentio in regestris Vaticanis, nec in libris prouisionum, obligationumque Prælatorum: fortasse eo sedente iterum exagitata lis est inter Episcopum Casertanum, & Comitē, vassallosque Casertanos anno 1368. iterumque ex regia authoritate sedata videtur, quam Regina Ioanna prima voluit per suum diploma perpetuò firmare. En diploma.

Ioanna Dei gratia Regina Hierusalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Prouinciæ, & Forcalquerij, ac Pedemontis Comitissa.

Regenti Curiam Vicariæ Regni, & Iudicibus eiusdem Curiæ Consiliarijs, familiaribus, nec non Iustitiarijs Terræ Laboris, & Comitatus Molisij, vel eorum alteri ipsorum Locatenentibus præsentibus, & futuris fidelibus nostris gratiam, & bonam voluntatem.

Molesta sunt nobis quæque grauiora nostris irrogata fidelibus, & quæ inferantur Ecclesijs, Ecclesiasticisue personis eo molestius, grauiusque perferimus, quo ipsas specialiter affectu benigno prosequimur, & eorū fauores, & commoda, quantùm honestè possumus, libentiùs procuramus. Saeè pro parte venerabilis Patris Episcopi Casertani Deuoti Oratoris nostri pro se, ac nomine & pro parte suæ maioris Ecclesiæ Casertanæ, & Vassallorum eiusdem Episcopi, quos ipsa Ecclesia Casertana habet in ciuitate Casertæ, & eius Casalibus fidelium deuotorum nostrorum oblata nouiter petitio in nostro Consilio continebat, quod olim iam ante annos quadraginta & plus, viuentes. siquidem claræ memoriæ Domino Rege Robertho Inclyto Hierusalem, & Siciliæ Rege Auo nostro in Domino Reuerendo orta est materia quæstionis inter bonę memoriæ Dominum Beneuenutū Casertanum Episcopum tunc viuentem per se in dicta sua maiori Ecclesia Casertana, ac homines & vassallos dictæ Ecclesiæ ciuitatis Casertæ Casalium Puccianelli, & Putei veteris, Casalium prædictæ Ecclesiæ, & certorum Casalium dictæ ciuitatis Casertę vassallorum dictæ Ecclesiæ ex parte vna, & quondam virū magnificū Diechum de la Ratta Casertæ Comitem, & magnum Regni Siciliæ Cameratiū, & vassallos & homines ipsius Terræ ex altera, super eo quod ipse Comes & officiales ipsius pro parte sua petebant & exigebant ab ipsis vassallis & hominibus Ecclesiæ Casertanæ subuentiones & subsidia seu dona, prout &

quando exigebant, & ipse Comes exigi faciebat à proprijs vassallis, & hominibus ipsius ciuitatis Casertæ & pertinentijs eius, seu exigere & petere poterat secundum Constitutiones & Capitula. Et super eo etiam quod ipse Comes petebat, & exigebat, seu per suos officiales peti, & exigi faciebat annuatim ab eisdem vassallis Ecclesiæ prædictæ certam quantitatem pecuniæ pro vindemiatura, quod vulgariter Scalatinum vindemiarum vocatur, pro vt ipse Comes per se, & officiales suos exigebat à vassallis proprijs, & alijs quibuscunque extraneis cum scalis proprijs ad vindemiandum venientibus ad territorium dictæ Terræ. Et super eo quod ipse Comes, & eius officiales pro parte ipsius nitebantur cogere & cogebant vassallos dictæ Ecclesiæ coram se, & suis officialibus in iudicio respondere, conquerentibus de eisdem de causis omnibus, prout suos proprios vassallos cogebat, & cogere poterat puniendo eos de delictis, & rixis, & alijs excessibus, prout de proprijs vassallis faciebat, & super eo quod ipse Comes, & eius officiales pro partei psius cogebant & cogere intendebant prædictos vassallos Ecclesiæ prædictæ, seu aliquos ex eisdem gerere officia Domini Comitis Massariæ, Forestrariæ, & alia officia exercere, & eos angariando, seu grauando in ijs & alijs pro eorum arbitrio voluntatis prædicti Comitis, & eius officialibus prædicta de iure, & approbatis consuetudine se facere posse, & se & suos antecessores in eodem Comitatu fuisse & esse in possessione, seu quasi exigendi, exercendi, petendi, & faciendi prædicta, & quælibet prædictorum à tempore, cuius in contrarium hominum memoria non extabat. Et vice versa dicto quondam Episcopo, hominibus, & vassallis dictæ Ecclesiæ prorsus negantibus, & asserentibus dictum Comitem, & eius officiales prædicta, vel aliqua ex prædictis de iure vel consuetudine facere non posse, nec debere, & suos antecessores, & ipsum minimè fuisse & esse tunc in possessione, vel quasi prædictorum, vel aliquorum ex eis asserenti bus etiam prædicto quondam Episcopo & vassallis se grauatos fuisse & esse indebitè. Propterea super petitione, ablatione, & receptione certorum pignorum, & certarum quantitatum pecuniæ factis dictis vassallis Ecclesiæ per officiales prædictos, & super decimis, & primitijs bonorum dictæ ciuitatis, & ipsius Comitis, quas dicto Episcopo petenti idem Comes, & eius officiales præstare & soluere contra iustitiam denegabant, & super certis sententijs excommunicationum latis propter ea per ipsum quondam Episcopum & eius officiales ipsius Comitis, & certos vassallos eiusdem ciuitatis Casertæ, & Casalium eius dantes ad prædicta, vel aliquid prædictorum consilium & fauorem ipsi Comiti, vel eius officialibus, & dum lis seu quæstio per Illustrem Dominum Regem Carolum Illustris Hierusalem & Siciliæ Regis Roberti primogenitum

A Ducem Calabriæ, ac eius Vicarium Generalem Reuerendum genitorem commissa esset nobilibus viris quondam Matthæo de Iuuenatio militi iuris ciuilis professori Curiæ nostræ, & Iudici, & magistro Iohandi de Bonamurra de Gaieta dictæ Curiæ Vicariæ Fisci Procuratori, & coram eis diuersis ventilata amp. . . . acciperet causa ipsa, Comes ipse, sicut Domino placuit, exiit vita functus superstite eidem Comiti egregio Iuuene quondam Francisco de la Ratta Casertæ Comite, filio & hærede vniuersali ipsius Comitis in Comitatu, & ciuitate prædictis, & omnibus bonis eius, & causis ipsis & litibus inter eundem quondā Episcopum pro parte suę Ecclesiæ & vassallorum ipsius, & Dominū quondam

B Franciscum pupillum nouēnio maiorem, minorem quatuordecim annis cum voluntate, & authoritate magnificę mulieris quondam Odolinæ de Clatomonte matris dicti Comitis Francisci, & viri nobilis quondam Marini de Diano militis magnę Regiæ Curiæ magistri Rationalis Baliorum dicti Francisci, de quorum Baliatu per literas regias, ac inuentario per eos confecto, & solemnitatibus debitis adimpletis per eos plenè constitit postmodum suscitatis, & certis pignoribus, seu exactionibus factis propterea per officiales Domini Francisci Comitis & dictorum fauore Baliorum de certis bonis mobilibus, & pecuniæ summis receptis, seu ablatis per eos ab hominibus & vassallis Ecclesię memoratæ, nec

C non certis excommunicationum sententijs latis propterea per eundem Episcopum, & officiales ipsius contra prædictos officiales prædicti Francisci, ac nonnullos homines de Caserta, & Casalibus, & aliundè vassallis dicti Francisci Comitis, & de prædictis querelis hominum propositis coram Regia Maiestate, & inter eos diutiùs altercantes; tandem Dei gratia operante, qui declarat obscura, tollit nodosa, & intellectum dat paruulis, ac communi amicorum interueniorum tractatu idē quondam Episcopus pro se & ipsa sua Ecclesia, & pro ipsis hominibus & vassallis eiusdem Ecclesiæ filijs, liberis, hæredibus & successoribus eorum præsentibus & futuris vassallis dictæ Ecclesiæ, & dictus Franciscus Comes pupillus maior nouennio, minor tamen quatuordecim annis, vt prædicitur, cum authoritate,

D & consensu dictorum Baliorum suorum, & ipsi Balij, Baliatus nomine quo supra ex parte altera: Considerantes, quod huiusmodi causæ, lites, & controuersiæ erant & sunt dubiæ, & ipsarum dubius erat euentus, & ex eo ambæ partes grauabantur, supplicantibus & expressè de omnibus & singulis contra vsus prælibatos vtentibus. & quæ vti possent, propterea in futurum inter partes easdem partes ipsæ voluntariè, absque vi, dolo, vel circumuentione aliqua ad transactionem pactum, & concordiam subscriptam inter alia deuenerūt; videlicet, quod ipse Franciscus Casertanus Comes cum authoritate dictorum Baliorum

suo-

suorum et ipsi Balij nomine quo supra spontè, et legitimè renunciauerunt et cesserunt Domino Episcopo recipienti et solemniter stipulanti nomine dictę suę Ecclesiæ omne ius, omnemque actionem, quod et quæ eidem Francisco Comiti, et eius hæredibus et successoribus eius, ac cuicunque alij, qui in futurum tenebit Comitatum prædictum competit, et competere posset in posterum in prædictis, et quolibet prædictorum, illudque eidem Episcopo pro se suisque successoribus, et Ecclesia sua prædicta, et eisdem vassallis præsentibus et futuris præfatæ Ecclesiæ pro se, eorum liberis, et successoribus in perpetuum remiserunt, concesserunt, et donauerunt, et propterea ad prædicta, et quodlibet prædictorum fecerunt Procuratorem in rem suam Episcopum antedictum nomine ipsorum. Et pactum eis de vlterius non petendo fecerunt, et promiserunt solemniter præfati Domini, & Balij cum authoritate, et nomine quo supra eidem Episcopo recipienti, et solemniter stipulanti pro se, dicta sua Ecclesia, et præfatis vassallis ipsius Ecclesiæ filijs, liberis, hæredibus, et successoribus eorundem vassallorum nullo vnquam tempore impetere, seu etiam molestare ipsum Episcopum et successores suos, ipsos vassallos, filios, liberos, hæredes et successores eorum in iudicio, vel extra, super prædictis, vel aliquo prædictorum, nec se intromittere de dictis vassallis pro bonis et rebus, quas tenebant, et tenebantur in posterum à præfata Ecclesia, hoc excepto, quod si vassalli prædictæ Ecclesiæ, vel vassalli Domini Comitis aliqua tenerent, vel tenebantur in feudum ab vtroque, quod liceat ipsis Francisco, et Episcopo, hæredibus, et successoribus eorum pro prædictis bonis; tamen et aliàs prout de iure possunt exercere contra ipsos potestatem, quæ de iure proindè competeret: et ipsum Episcopum, et eius successores, et dictam Ecclesiam permittere vti liberè prædictis hominibus et vassallis suis, et dictæ Ecclesiæ non exercendo iurisdictionem comitialem in eosdem vassallos Ecclesiæ, vel aliquos eorundem hæredes, liberos, filios, et successores ipsorum, vel alterius eorundem in causa quacunque, vel cótrouersia; nec iurisdictionem ipsius Episcopi, vel successorum eius in eorundem vassallos in aliquo turbare, vel impedire, nec subuentionem aliquam ab eis petere, vel exigere, etiam in casu, quo à proprijs vassallis ipse Comes, vel alij pro parte sua secundum Regni constitutionem, iura et consuetudinem posset petere et exigere. Promiserunt insuper ipse Franciscus cum authoritate dictorum Baliorum, et ipsi Balij nullas operas vindemiarum, vel scalatici, seu pecuniam pro eis petere, et exigere, seu peti, et exigi facere ab eisdem vassallis filijs, liberis, hæredibus et successoribus eorundem vassallis ipsius Ecclesiæ quibuscunque, seu aliquo eorundem, nec etiam præfatos vassallos, vel alios vassallos ipsius Ecclesiæ liberos, hæredes, et successores

A eorum vassallos ipsius Ecclesiæ officiales constituere, seu etiam ordinare, nec aliter eos indebitè aggrauare, seu etiam angariare, hoc tamen acto et reseruato inter partes easdem expresśe, quod quandocunque homines, et vassalli dictæ Ecclesiæ, qui sunt, erant, vel pro tempore fuerint contra Assisiam dictæ ciuitatis factam, vel faciendam in terra eadem, et Casalibus per ipsum Comitem, vel suos successores, vel officiales ipsorum facere, vel in pœnam contra dictam Assisiam incidere, quod ipse Episcopus, et sui successores, vel eorum Vicarius, qui pro tempore fuerit, de ijs cognoscent, et cognoscere debeant, et condemnabunt, et condemnare debeant dictos vassallos Ecclesiæ secundum formam Assisiæ antedictæ, et medietatem pœnæ dabunt, et assignabunt, dari et assignari facere teneatur, &c.

B debeant dicto Francisco, et eius hæredi et successoribus, et reliquam medietatem remanere dicto Episcopo, et eius successoribus. Et versa vice præfatus Episcopus ex causa dictæ conuentionis, concordiæ, pacti, et transactionis pro se et sua Ecclesia spontè, et liberè remisit, donauit, et relaxauit eidem Francisco, et Balijs cum authoritate et nomine quo supra pro eo, et suis hæredibus et successoribus omnes decimas, et primitias quascunque dictorum præteritorum, quas recipere debebat dictus Episcopus pro præfata Ecclesia à præfato quondam Comite, et successiuè à dicto

C Francisco, quas recipere consueuerunt, et debuerunt prædecessores eiusdem Episcopi pro bonis ipsius quondam Comitis, et nunc dicti Francisci in ciuitate Casertæ, et Territorio ipsius, et pro quocunque alio tempore, quo fortè præfatus quondam Comes, et eius prædecessores in dicto Comitatu, ipseque Franciscus Episcopis, qui pro tempore fuerunt in dicta ciuitate Casertana integrè, vel nullo modo præfatis Episcopis pro tempore solutæ fuerunt; de quibus decimis et primitijs debitis pro retroactis temporibus vsque in diem dictæ concordiæ per præfatum Franciscum prædecessorem Episcopo præfato et eius prædecessoribus etiam dictæ Ecclesiæ promisit præfatus Episcopus præfatis Balijs stipulantibus nomine quo supra, & eidem Francisco cum authoritate eorum nullo vnquam tempore

D impetere, vel etiam molestare eum, vel suos hæredes, & successores pro dictis decimis, & primitijs præteritis non solutis; tamen futuras decimas, & primitias ipsi Episcopo, & successoribus eius promisit soluere, prout iustum fuerit in futurum. Promisit insuper præfatus Episcopus pro se & Ecclesia sua, ac successoribus eius prædictis Balijs, & Francisco stipulantibus cum authoritate, & nomine quo supra pro remissione, concessione permutatione, transactione præfatis dare, tradere & soluere tam nomine suo, quàm Ecclesiæ & vassallorum eiusdem Ecclesiæ prælibatæ vncias auri sexaginta in certis terminis inter eos stabilitis, de quibus vncijs sexaginta promiserút

prędicti Balij & Franciscus cum authoritate eorum emere certas possessiones in dicta ciuitate Casertæ, vel eius territorio, quæ essent, & esse deberent, seu succederent in locum iuris, quod eidem Francisco, & suis hæredibus, & successoribus fortè cōpetebat, seu cōpetere de eius poterat, habebat, seu habere poterat, & habere, & cōpetere prętēdebat super prędictis remissis & donatis eidem Episcopo, Ecclesię, et vassallis ipsius, vel aliquo prædictorū, quas possessiones, et bona emenda pręfatus Frācīscus pacificè et quietè habere deberet, et tenere pro se et suis hęredibus et successoribus in perpetuum, et fructus, redditus, et prouentus indè percipere, tanquā pleni, et veri domini, et patroni, non obstante quod B fortè posset dici, et diceretur et probaretur quod essent emptæ de bonis Ecclesiæ, vt prefertur, prout hæc, et alia in quodam publico Instrumento exindè confecto cum obseruatione pœnali vnciarum auri ducentarum stipulata per partes ipsas altrinsecus pro medietate, et pro reliqua medietate Regiæ Curiæ, ac renunciationibus, et clausulis opportunis, et sacramentorum appositionibus solemniter vallatę plenius contineri dicuntur, interuento siquidem ad præmissa assensu, et confirmatione Domini Regis Roberthi, prout patere dicitur per Regias literas exindè subsequutas; qui quidē Episcopus nomine, et pro parte C dictę suę Ecclesię, et vassallorum voluit, et exhibuit in terminis supradictis integraliter & ad plenum dicto Comiti prædictas vncias auri sexaginta iuxta tenorem dictorum pactorum, prout patere asseritur per publicum Instrumentum, & ex tunc dicta maior Ecclesia Casertana, & eius Præsules, qui fuerunt in illa pro tempore, nomine, & pro parte ipsius Ecclesiæ Casertanæ, & dictorum Vassallorum, dictique Vassalli ab annis quadraginta, & plus fuerunt, & nunc similiter Dominus Episcopus nomine quo supra, & ipsi Vassalli existunt in possessione, seu quasi dictarū franchitiæ & libertatis, aliorumque iurium prædictorum contentorum & declaratorum in pactis, & conuentionibus supradictis conuentis, & promissis per Dominum quondam D Franciscum Comitem, & eius Balios supradictos; Conqueritur tamen Episcopus ipse pro se, & quo supra nomine, quod magnificus vir Antonius de la Rattha Comes Casertæ filius & hæres D. Comitis Francisci paciscentis in Comitatu prædicto suis iuribus non contentus; quinimmo contra prædictas contentiones, & pacta temerè veniens, seu venire satagens, ipsasque obseruare penitus cōtradicens, nec attendens alias quam graue sit Ecclesiarum iura auferre, & etiam vsurpare, Præfatū Episcopum nomine quo supra, dictosq; vassallos super possessione, seu quasi dictarum libertatis, & franchitiæ, aliorumque iurium contentorum, & specificè declaratorum in pactis, & conuentionibus supradictis per se, Vicarios, seu Officiales & alios suo nomine

A turbat indebitè & multipliciter inquietat, exigendo & extorquendo indebitè à vassallis ipsius subuentiones, certaq; alia iura, ac trahendo eos ad Iustitiam coram suis Officialibus contra tenorem, seriem, atque mentem pactorum, & conuentionum prædictarum, ac libertatis, & franchitiæ contentarum in illis, nec permittendo eosdem, Episcopum nomine quo supra, & prædictos vassallos prędictarum libertatum, & franchitiæ, & aliorū iurium contentorum in pactis, & conuentionibus supradictis possessione pacifica, seu quasi gaudere, non minus in Iuris iniuriam, quàm prædicti Episcopi nomine quo supra, præfatorumque vassallorum eius graue præiudicium, & importabile detrimentum. Propter quod fuit pro ipsius Episcopi parte, pro se quo supra nomine à nostra maiestate deuotius supplicatum, quod prouideri super hoc eis de opportuno maiestatis nostræ subsidio caritate dominica dignaremur. Nos autem grausmina, & molestationes quaslibet ecclesiasticis personis illatas, quas tenemur omni præsidio, auxilio defensare detestabiliter abhorrentes, nec volentes in earum iuribus pati quamlibet læsionem, fidelitatis vestræ harum serie de certa nostra scientia instructi præcipiendo committimus, & mandamus expressè, quatenus vbi vobis, seu vestrum alteri de prædictis superiùs enarratis legitimè constiterit per priuilegia, instrumēta, & cautelas, alias, & aliter, summariè de plano, sine strepitu & figura iudicij, ecclesiastico exposcente fauore, memoratum Episcopum nomine quo supra, dictosque vassallos eius super possessione, seu quasi dictarum libertatum, & franchitiæ, aliorumque iurium contentorum, & declaratorum in pactis, & conuentionibus supradictis per quondam Comitem & eius Balios conuentis, & promissis, atque firmatis, in qua scilicet sunt, & eos esse inueneritis, quandiu eiusdem. . . . causa durauerit officiorum vestrorum temporibus, ac iusti fauoris præsidio, tam vos præsentes, quam alij successiuè futuri, seu, locumtenentes manuteneatis, teneatis, & etiā defendatis auxilijs, consilijs, & fauoribus opportunis. . . . . permissuri præfatum Episcopum quo supra nomine, dictosque vassallos super possessione prædicta, seu quasi per dictum Comitem, eiusque Vicarium officiale, & famulos suos molestatores, seu turbatores illicitos, quosuis alios aliquatenus de cætero molestari, opprimi, vel grauari, quinimmò molestatores, seu turbatores ipsos, quod à quibuslibet de cætero inferendi molestijs, et inquietudinibus omninò desistant, dictumque Episcopum, et præfatos vassallos eius dictarū libertatum et franchitiæ, ac aliorum iurium prædictorum pacifica possessione, seu quasi gaudere permittant per grauium impositiones pœnarum, et exactiones earum pro nostra Curia, si in eas inciderint, alioquin debita, et opportuna iuris remedia, quæ expedire

dire videritis, eos compellatis. Pecuniam verò totam, quam ex dictarum commissione pœnarum vos prædictos indiciarios forsitan continget acquirere, ad nostram Cameram destinetis, significaturi nobis processum omnem, quem habendum duxeritis in præmissis. Itaque ad nos (quod moleste ferremus) querimonia iterata non veniat, nec opus existat denuò vobis scribi. Præsentes autem litteras post debitam & opportunam inspectionem earum pro cautela restitui volumus præsentanti efficaciter perpetuo valituras. *Datum Neapoli per nobilem Thomam de Buffalis de Messina. . . . . militem magna nostra Curia magistrum Rationalem Locumtenentem Prothonotarium Regni Siciliæ dilectum Consiliarium, & fidelem nostrum Anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo octauo. Die quinto Septembris sexta Indictionis, Regnorũ nostrorum. Anno 6.*

19. IOANNES Casertanus Episcopus solitum seruitiũ spopondit sacro Senatui die 9. Februar. 1395. sub Benedicto XIII. Pseudo-Pôtifice, cuius partes sequebatur, vt in Actis eiusdem habetur ex libris solut. Prælatorum.

20. LVDOVICVS proximè reperitur in hac Ecclesia Episcopus anno 1397.

21. LVDOVICVM de Lando Capuanum aiunt fuisse Episcopum Casertanum anno 1413. forte idem cum superiori.

22. LVGERIVS alijs ROGERIVS Casertanus Episcopus obijt Martino V. ad clauum sedente anno 1415. ex lib. de exhibitis sub eodem Pontifice fol. 198.

23. Fr. IOANNES Accresta de Ponte Coruo Ord. Prædic. eligitur in Episcopum Casertanum ab eodem Martino V. ann. 1415. 4. Kal. Maij, vt in eodem lib. notatur, successit demortuo Lugerio.

Hic Campanam maximam conflandam curauit cum hac inscriptione.

Aue Maria gratia plena Dominus tecum. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Mentem sanctam spontaneam & patriæ honorem, Deo & patriæ liberationem me fecit Fr. Petrutius de Theano sub anno 1440. regnantibus Fr. Ioanne Episcopo Casertano, & Ioanne de Raeth Comite Casertano. Iesu Christe adiuua nos.

24. STEPHANVS de Raho electus Casertanus anno 1450. notatur in reg. regest. Neap. cuius electio non extat in Actis Consistorialibus.

25. IOANNES anno 1453. cuius memoria extat in monumentis Capuanis, sed in Actis Consist. eius memoria non habetur.

26. Fr. CICCHVS Ord. Minor. à Ponte curuo electus anno 1459. à Pio II. vsque ad 1476. hanc rexit Ecclesiam; fecitque subsellia Canonicorum in Cathedrali.

27. IOANNES de Leonibus de Galluccio Capuanus, Medicus clarissimus Ferdinandi Regis, competitorem habuit Stabilem Zerillum Caleni Episcopum Casertanum ciuem, & patriæ dignitatem Episcopalem ambientem, præualuit Ioannes vir doctus & facundus, & ad hanc Ecclesiam promotus est defuncto Ciccho anno 1476. 10. Kal. Iulij. Testis fuit testamenti Francisci de Ratta Casertæ Comitis anno 1479. qui plura pro anima sua bona Cathedrali reliquit, restituitque Casalia Pucciauelli, & Putei veteris ad Casertanam Ecclesiam pertinẽtia. Visum est testamentum hoc, ad verbum hic inscribere, cum multum faciat ad ipsius Casertanæ Ecclesiæ cognitionem.

In nomine Domini Nostri Iesu Christi. Amen.

Anno à Natiuitate eiusdem millesimo quadringentesimo septuagesimo nono. Regnante Serenissimo Domino nostro Domino Ferdinando Dei gratia Rege Siciliæ, Hierusalem, & Hungariæ. Regnorum verò eius anno vigesimo feliciter. Amen. Die decima quarta mensis Martij, Indict. duodecima, in Castello Ciuitatis S. Agathæ intus Cameram à parte superiori Salę magnę dicti Castri existentem. Nos Iulius de Venuto de eâdem Ciuitate, in ipsaque Ciuitate, & eius districtu annales. . . Iudex pro præsenti anno duodecimæ Indictionis. Nardus Parillus de Roccha Romana Ciuis eiusdem Ciuitatis, publicus vbique per totum Regnum Siciliæ Regia authoritate Notarius, & testamenti infrascripti ad hoc specialiter vocatus, & rogati, videlicet Reu. in Christo Pater Domnus Ioannes de Galluccio Episcopus Casertanus, Franciscus della Rattha, Dominus Gurellus della Rattha, Petrus Sallatolus legum Doctor, Andreas Seuerinus, Leonardus de Anerfa, Domnus Ranaldus de Casaleno de Caserta, Cobellus Vitabona, Domnus Iohandes Buccalaporta de Ebulis, Iacobus Adaldi, Laurentius Lollo, Domnus Gullus Florillus, Antonius de Raho, de Ebulo, magister Iacobus Cochus, Fr. Aloysius de Neapoli, & Fr. Iohandes Faragonus de S. Agatha Ordin. Minorum præsenti scripto nuncupato testamento publico, Declaramus, notum facimus & testamur ex prædicto die accersitis nobis Iudice Notario & testibus supradictis ad preces & rogatũ Excellentis Domini Frãcisci della Rattha Comitis Casertæ, S. Agathæ, &c. ipsum inuenimus intus dictam Cameram in lectoiacentem, sanum in mente,

rectæ loquelæ, & memoriæ existentem; qui A volens testari, vt dixit, suum solemne vltimũ nuncupatum in modum qui sequitur condidit Testamentum, irritans, & annullans primò omne aliud Testamentum, si quod per eum hactenus appareret sub quacunque forma, & expressione verborum, etiam si de illo esset expressa mentio facienda de verbo ad verbum. Et quia caput, & principium singuli Testamenti est hæredum Institutio. In primis dictus Dominus Comes Testator instituit sibi hæredem vniuersalem in & super omnibus bonis suis mobilibus, & stabilibus, Burgensaticis, & feudalibus, & actionibus quibuscunque, deductis Legatis inferius designatis, posthumum, seu posthumam ex Excellenti Domina Francisca de Gueuara prægnante sua consorte, seu vxore nasciturum, B seu nascituram, & casu quo Posthumus, seu Posthuma ex dicta sua vxore non nasceretur, instituit sibi hæredes magnificas suas sorores carnales Catherinam, & Dianam della Ratta, in & super omnibus suis prædictis. Et inter cętera alia legata, quæ fecit dictus Dominus Comes Testator in dicto suo vltimo nuncupato Testamento ad exonerandam suam conscientiam, & suorum similiter Antecessorum, & pro salute animæ suæ fecit & ordinauit subscripta legata maiori Ecclesiæ Episcopatus Casertæ Casale vnũ, quod dicitur Puccianello, & Casale aliud quod dicitur Puzzo vetere de pertinentijs Ciuitatis prædictæ, quę dixit spectare, & pertinere ad dictam Ecclesiã C ad potestatem concessam Domino Episcopo dictæ Ciuitatis propria authoritate capiendi, & apprehendendi cum iuribus, & pertinentijs omnibus pertinentibus, & spectantibus ad dicta Casalia. Item legauit Capitulo dictæ Ecclesiæ, seu Episcopatus pro annua prouisione suæ Cappellæ sitæ intus dictam Ecclesiam Episcopatus sub vocabulo S. Mariæ ducatos duodecim soluendos, & habendos super redditibus, quos habet dictus Dominus Comes in Ciuitate prædicta Casertæ secundũ quod aliàs dictum Capitulum recolligere cõsueuit. Distributores verò huius præsentis sui Testamenti ordinauit & fecit, ac esse voluit dictas Dominas Comitissas Matrem, & D vxorem suas prædictas vna cum dicto Domino Magno . . . . . cum omni, qua decet potestate, &c. & dictum Testamentum dictus Dominus Testator valere voluit iure nuncupatiui testamenti, etsi iure nuncupatiui testamenti non valeret, seu non valebit, valere voluit iure Codicillorum, donationis, causa mortis, & cuiuscunque alterius vltimæ voluntatis, quibus, seu qua melius de iure valere potest, & debet, quibus quidem legatis sic, vt prædicitur, factis per dictum Dominum Comitem Testatorem auditis, & plenè intellectis per dictum Reu. Dominum Iohandem Episcopum præsentem, & nomine suæ Ecclesiæ, & Capituli præfati intelligentur, & acceptantur statim requisiuit nos prædictos Iudicem, Notarium, & testes, vt de prædictis legatis spectantibus ad suam Episcopalem, & Capitulum ipsius prænominatũ conficere deberemus publicum Instrumentũ tam pro dictæ suæ maioris Ecclesiæ Casertanę Episcopalis cautione, quam etiam tutela Capituli prędicti, ac sua, suorumque in dicto Episcopatu futura in perpetuum memoria. Nos enim aduertẽtes petitiones fore, & esse iustas, quia officium nostrum publicum est, & nemini possumus denegare; & quia iusta petentibus non est denegandus assensus, propterea de prædictis legatis, vt prænominatis spectantibus tantùm, ac pertinentibus ad vtilitatem dictæ Ecclesiæ & Capituli prælibati, hoc præsens publicum Instrumentum, quod scripsi. Ego præfatus Nardus publicus vt supra Notarius, qui prædictis omnibus pro Notario interfui, & meo solito signo signaui, vt supra, &c.

Sedit Ioannes in hac Ecclesia ann. 15. & trãslatus deinde est ad Ecclesiam Aquilanam anno 1493. die 23. mensis Augusti.



29. IOANNES BAPTISTA de Petrutijs Neapolitanus filius Antonelli illius, qui in quadam Villa Petruccia Theanensis ditionis, parentibus Petruccio & Petruccia olitoribus natus, vnde de Petruccijs cognomen accepit, propria tandem virtute, & mirabili ingenio præditus apud Ferdinandum primum Regem vir clarissimus euasit, eiusdemque Regis ab intimis consilijs fuit, ab eo diuitijs, feudis, honoribusque cohonestatus, filios, quos genuit, ex Sabetta vassalla Policastri Comitissa ad dignitates, & honores euexit. Franciscus primogenitus Comes fuit Carinulæ, Secundus Ioannes Antonius Comes Policastri euasit, tertius Ioannes Baptista creatus est Archiepiscopus Tarentinus, anno 1485. Thomas anellus ad honorem Hierosolymitanæ militiæ ex auctoritate regia vocatus, auctus est Capuano Prioratus. Quintus Seuerus delectus est Muranus Episcopus, in tanta rerum felicitate Antonellus beneficiorum immẽmor vnà cum filijs varientis fortunæ miserabile exemplum posteris reliquit; etenim cum filijs, Franciscoq; Coppola Sarni Comite in Ferdinandum con- spi-

spirauit, à quo diro carceri cum alijs mancipatus, ingrati animi pœnas luit, Capitali sententia damnatus, parique pœna eius filij, Comesque Sarnij anno 1487. vna die honoribus, diuitijs, filijsque orbatus est, vt ex eius æui Scriptoribus narrat eruditus noster amicus Camillus Tutinus de fortunæ varietate. Ijs miserijs superstes fuit Io. Baptista tertiogenitus tunc Tarentinus Archiepiscopus coniurationis ignarus, qui tamen iussus est Tarentinam Ecclesiam dimittere, accepto titulo pro ea Madicensis Archiepiscopatus anno 1489. Factusque est Aprutinus Episcopus, quo munere se absoluit anno 1493. & ad hanc Casertanam Ecclesiam translatus est eodem anno die 18. Octobris. Præfuit in ea eximiè quidem, & magna sui nominis fama ad annũ vsque 1514. quo è viuis exemptus est, familiæ suæ postremus. Sunt qui scribant, Antonellum Senis in Etruria ex nobili, vetustaque familia Petruccia natum, posterosque eius Theatæ in Aprutio Ciuitate Petrutiam familiam disseminanisse, quem nostro æuo extinctam narrant ex cœnotaphio, quod Camilla Valeriana sibi postrema Antonello abauo, filijs, nepotibusque eius in Ecclesia S. Andreæ posuit: sed re vera hallucinati sunt, cum lippis, & tonsoribus constet Antonellum obscuris parentibus olitoribus apud Teanum natum, vel ex ipsa Petruccia Villa, vel Petruccio patre, matreque Petruccia, de Petruccijs cognominatum fuisse, vt Pontanus, Camillus Portius, Tristanusque Caracciolus, qui de coniuratione Regni baronum in Ferdinandum Regem scribunt.

30. IO. BAPTISTA Bonciannius nobilis Florentinus Vtriusque Signat. Referend. domesticusq; Prælatus, Leonis X. Pontificis à quo adlectus est Episcopus Casertanus die 3. Octobris 1514. vir probus, qui sub eodem, Lateranensi Concilio interfuit, pluribusque muneribus functus, sub Clemente VII. Datarius, commissarius vota à primis Clericis Regularibus, quos Theatinos vocant in Vaticana Basilica emissa Pontificis nomine excepit anno 1524. die 14. Septembris. Sequenti vero fractam Campanam maximam anno 1525. 21. Nouembris hora 17. reficiendam eodem anno cursuit fusoribus Pino pictore & Vito Germano Sicolis, addita est in inscriptione,

Michael Archangele intercede pro populo Dei,
Iesu Christe adiuua nos.

Ponderi, erat ter decies centum quinquaginta rotolorum. Cathedralis Canonicorum præbendas ad certum optimum ordinem reduxit, ac perpetuo decreto posteris commendauit, vt ex sequenti scripto licet colligere.

A *Ioannes Baptista miseratione diuina Episcopus Casertanensis V. I. D. Sanctissimi in Christo Patris, Domini Clementis diuina prouidentia Papa Septimi Referendarius, & Prælatus domesticus.*

Vniuersis & singulis præsentes litteras, quas perpetuo valere intendimus inspecturis salutem, & sinceram in Domino Charitatem.

Commissum nobis ab Apost. Sede Ecclesię Casertanæ, cui præesse dignoscimur, pastorale officiũ, mentem nostram excitat, inuitat & inducit, vt per nostræ operationis studium Ecclesia ipsa, ac personæ in ea diuino cultui mancipatæ prosperè & salubriter dirigantur.
B Hinc est, quod nos considerantes, quodjindicta Ecclesia nonnullæ maiores, seu pinguiores, & aliæ minores, seu minus pingues præbendæ fore noscuntur, ac dignum & rationi congruum censentes, vt personis e iisdem Ecclesiæ, quæ illi diutius in diuinis seruierunt, vt in eorum indigentijs vberior succedat prouisio sincerè exoptantes, vt in dicta Ecclesia debitus ordo seruetur authoritate nostra ordinaria Dilectorum nobis in Christo Capituli dictæ Ecclesiæ ad hoc accedente consensu. Tenore præsentium statuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus occurrentibus alicuius, seu aliquarum præbendæ, seu præbendarum dictę Ecclesiæ per cessum, vel decessum, seu quamuis aliam dimissionem alicuius, seu aliquorum eiusdem Ecclesię Canonici, seu Canonicorum, illam,
C seu illas, pro tempore obtinentium, seu aliæ quauis vacatione Canonici eiusdem Ecclesiæ, in receptione seniores, seu antiquiores in Ciuitate Casertana residentes, & eidem Ecclesiæ in diuinis actu deseruientes dumtaxat præbendas ipsas sic pro tempore vacantes inter ordinem receptionis eorum gradatim, & successiuè dimissis pręebendis per eos obtentis infra triduum à die vacationis præbendarũ earundem computandarum optari possint, & præbenda, quę inoptata remanserit Canonico nouiter recipiendo cedat. Decernentes & eadem authoritate mandantes, & statuta, & ordinationem nostra huiusmodi in pręebendis, non autem in dignitatibus & officijs declarata perpetuis futuris temporibus seruanda fore non obstantibus alijs dictæ Ecclesię statutis, & consuetudinibus & iuramento confirmatione Apostolica roboratis, cæterisque contrarijs quibuscunque; In quorum omnium fidem & testimonium præmissorum præsentes nostras litteras manu propria subscriptas exinde fieri per Secretarium nostrum cum sigilli nostri appensione etiam subscribi fecimus.

Datum Romæ in Palatio Apostolico sub anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo trigesimo secundo, Indict. quinta die vero 20. mensis Martij, Pontificatus prædicti Domini nostri Papæ anno nono.

Ioannes Baptista Episcopus manu propria.

Obijt

Obijt Romæ Ioannes Bapriſta anno 1532. Clementis VII. ob ſingulares animi dotes inter cæreros familiares chariſſimus. Huius meminit Landinus in Comment. Dantis Poetæ, vbi & memorat Gaſparem Boncianum Io. Baptiſtæ conſanguineū, virum in Repub. Florentina clariſſimum Ioannæ Reginę Neapol. eximiè charum, intimumque à conſilijs, à qua S. Agathæ, Licceti, Monris acuti, Alenli & Trenſeueri feuda nobiliſſima accepit, adminiſtratorque Regni vnà cum alijs plurimis proceribus conſtitutus eſt. Prorulit hæc familia alios & roga, & ſago viros claros, noſtriſq; temporibus Franciſcum Archiepiſcopum Piſanum, de quo ſupra tom. 3. in eius Vrbis Archipræſulum ſerie. Hanc familiam à quodam Guidone Francigena inter Barones Caroli *Magni* primarios, Florentiam traductam fuiſſe narrat Petrus Monaldus in deſcriptione eiuſdem gentis nobiliſſimæ.

31. PETRVS Lambertus Allobrox correctoris maioris iuſtitiæ Præfectus, & Referendarius Apoſtolicus à Clemenre VII. ſubiectus eſt Caſerranus Epiſcopus die 10. Febr. 1533. In Carhedrali erexit Decanatum, & à Paulo III. confirmandum curauit. Præfuit annis octo, Romæ deceſſit anno 1445. ſepultus eſt *in* Liberiana, Baſilica vbi ſub quieſcētis Epiſcopi effigie, & inſignijs in marmore ſculptis legirur inſcriptio.

Petro Lamberto Allobrogi Præſuli Caſertano, vitæ innocentiſſ. viro principalibus libellis litterarū referendis, formandis, caſtigandis præpoſito bene de omnibus merito.

32. HIERONYMVS Verallus Romanus Bertinorij Epiſcopus ad hanc Caſertanā Eccleſiam rranslatus die 4 Octob. 1541. Sedit annos 3. euaſitque Archiepiſcopus Roſſanenſis in Calabria, & S.R.E. Cardinalis, de quo alibi.

33. HIERONYMVS Dandinus Ceſenas genere & doctrina clarus ex Protonotario Apoſtolico intimoq; Pauli III à ſecretis die 14. Nouemb. 1544. electus eſt Caſertanus Epiſcopus. Abſens hanc rexit Eccleſiam an. 2. ad Imolenſem translatus eſt anno 1546. ſub Iulio III. euaſir S.R.E. Card. de quo vide rom. 2. noſtrum in ſerie Imolenſium Præſulum, vbi typographi errorem corrige, qui pro Caſertanenſi Epiſcopo, Gaſſanenſem impreſſit. De Dauid Soano Epiſcopo in 2. tom. egimus, quem ex hac nobili Dandina gente fuiſſe ſcribit noſter Abbas Antonius Libanorus invita eiuſdem ad Herculem Dandinum Comitem.

34 MARTIVS Cerbonius Romanus celebris Iuriſconſultus cum vix vigeſimum ſeptimum annum attigiſſet Caſertano Sacerdotio condecoratus eſt à Paulo III. die 27. Maij anno 1546. Sedit annis tribus, & florenti ætate Romæ extinctus anno 1549. maximum de ſe deſiderium reliquit.

35. BERNARDINVS Card. Maffæus factus eſt huius Eccleſiæ commendatarius & adminiſtrator die 7. Iunij 1549.

36. FEDERICVS Ceſius Card. ex ceſſione Maffæi commendatum habuit Caſertanū Epiſcopatum die 9. Nouemb. 1549. quem dimiſit anno 1552.



37. ANTONIVS Bernardus Mirandulanus doctiſſimus vir ſummuſque Philoſophus ſub Iulio III. hanc obtinuit Cathedram die 12. Feb. 1552. ſed cum regendæ Eccleſiæ parum aptus eſſet, conſultè ac liberè ſe abdicauit à ſua inauguratione anno ſecundo, & in patriā ſecedens cum Ariſtotele quod ſuperfuit vitæ tempus teruit, ſcripſitque in eiuſdē Rhetoricam nobile commētarium, quod eius nepos Annibal publici iuris fecit, & Ferdinando I. Magno Etruriæ III. Duci inſcripſit. In patria exceſſit Antonius anno 1565. & in choro Maioris Eccleſię ſepultus eſt, vbi hæc inſcriptio.

D. O. M.

Antonio Bernardo Mirandulano Ioſeph Bernardus pronepos P.I. Vixit ann. LXII. M.III. Obijt ann. MDLXV. XIII. Kal. Iulij.

38. AGA-



38. AGAPITVS Bellhomus Romanus Cameræ Apostolicæ Clericus, electus est Episcopus die 5. Decemb. 1554. Interfuit Tridentino Concilio, auaritia notatus à Santorio in lib. de Casertanis Comitibus: Castra Pureanelli, ex Pontis-Veteris abalienauit nõ paruo suę Ecclesiæ damno, Catholicæ tamen veritatis acerrimus vindex fuit. Sub Sixto V. coadiutorem cum spe futuræ successionis habuit Marium Bellhomium nepotem suum Episcopum Bethlehemitanum electum 1585. die 23. Septemb. ante patruum Casertæ defunctum & humatum apud Cappuccinos fratres. Agapitus anno præsulatus sui quadragesimo occubuit, salutis vero 1594. in Cathedrali humatur. B

39. BENEDICTVM Madinam Melphitanum, olim celebrem Neapolitani fori causidicum, tunc inter Clericos Regulares vitæ innocentissimæ sacerdotem, inuirum ad Casertanum Episcopatum traduxit Clemens VIII. die vltima Ianuarij 1594. paulo post in Germaniam ad Rodulphum Cæsarem ad Poloniæ Regem Sigismundum, aliosque Germaniæ Principes Nuntium misit, vt illos inter se dissidentes conciliaret, & contra Turcas solemni fœdere in Christi nomine inflãmaret. Varsouiæ in Principum conuentu orationem habuit luculentissimam de ineundo fœdere aduersus communem hostem, quæ Cracouię excusa est, summèque laudata. Legatione benè obita ad Curiam rediit, à Clemente benignè receptus, ad Ecclesiam suam quantocyus licuit properauit, cuius gregem nunquam nisi grauissimis distrahentibus curis deseruit, præcipua eius cura fuit Cleri religio, & reformatio; egenis, infirmis, pupillis, viduisque profusa liberalitate summaque charitate opem ferre, sacerdotia, prouentusque Ecclesiasticos non nisi bonis, ac pijs viris destinare, vectigalia suæ Ecclesiæ adaugere, vt profusius in pauperes dispenderentur, ac demũ omnia peragere, quæ bonũ Pastorem decerent. Hęc fuit in Episcopatu Madinæ vita, quam cum ad annum protraxisset 1604. Episcopatus sui decimo, Neapoli vbi tunc illius Ecclesiæ, Clementis Papæ iussu, vices gerebat in Cœ- C D

A nobio sui Ord. S. Mariæ Angelorum quieuit in Domino, sepultusque est in eius Ecclesiæ cœmeterio: cuius vitam descripsit Silos lib. 2. & 4. Hist. Cleric. Regul.



40. Fr. DEODATVS Gentilis nobilis Ianuensis Ord. Præd. ex Cõmissario S. Officij successit Madinæ die 9. Iulij 1604. sub Paulo V. in Regno Neapolitano functus est Nuncij munere, Neapoli mortalitatem expleuit anno 1616. iacet in Ecclesia S. Catharinæ de Formello, honorifico tumulo, & inscriptione.

Fratri Deodato Gentili patria Ianuensi genere nobili, professione instituti S. Dominici, ingenio prædito & candidis, & doctissimis moribus ornato, summo Philosopho, & eximio Theologo in gubernandis suæ religionis Cœnobijs, quibus quam plurimis præfuit, singularis prudentiæ, & in administrando sanctæ Inquisitionis officio miræ constantiæ, & spectatæ probitatis viro Pontificibus Maximis Clementi VIII. & Paulo V. apprimè charo, ab altero Episcopatu Casertanensi insignito, & ab altero toti Regni Neapolitani Nunciatu decorato, à viuis intempestinè erepto ad maiora properanti, anno suæ ætatis LVIII. agenti. Fr. Vincentius Zuccharinus Eugubinus eiusdem Ord. mærens effigiem hanc memoriæ & grati animi erigendam curauit.

An. MDCXIX.

41. ANTONIVS Diaz nobilis Romanus die 12.Maij 1616. delectus est Episcopus, & Sacræ Congregationis Episcoporum ac Regularium à Secretis, deinde Neapoli Apostolicus Nuncius fuit, Casertanam Ecclesiam resignauit Vrbano VIII. sedente anno 1626.

42. Fr. IOSEPH à Cornea Ord. Prædic. Ducis Castellionis de lacu germanus frater, vir probus & doctus Casertanam euasit ad sedem die 28.Maij 1626. quam cum annis 11. rexisset, ad Squillacensem in Calabria translatus est, inde ad Vrbeuetanam sub Alexandro VII. Pont. Max. quam summa religione pergit administrare.

43. FABRITIVS Suardus Neapolitanus, qui antea Lucerinus Episcopus fuerat, ad hanc Ecclesiam translatus est die 9.Febr. 1637. vix elapso anno mortuus est.



44. ANTONIVS Ricciullus Cutentinus Episcopus Vmbraficensis huc translatus ab Vrbano VIII. die 7.Februarij 1639. supremus fuit Regni Neapolitani Inquisitor, ac tandem Archiepiscopus Cutentinus, vir monumentis suis clarus, de quo alibi.

45. BRVNORVS Sclamanna nobilis Interamnensis ex Episcopo Lucerino, ad hanc Casertanam Ecclesiam translatus est die 10.Martij 1642. Excessit anno 1646. eius cum laude meminit Franciscus Angelonus in Hist.Interamnensi.



46. BARTHOLOMÆVS Crisconus nobilis Neapolitanus, vtriusque Signat. Referendar. ab Vrbano VIII. ex Vnbraficensi Episcopo ad hanc Ecclesiam translatus est die 6.Maij 1647. etenim cum Vmbraticensem perbelle administraret Episcopatum, contigit in Cathacensi citerioris Calabriæ vrbe quædam Iudaizantium secta iam diu disseminata, cum iam occultissime altas radices egisset, ex vicinis Episcopis ad eam funditus euellendam inuentus est nemo magis idoneus quam Vmbraticensis Episcopus, cui à Sancti officij Patribus munus demandatum est: Eò igitur accedente Criscono ingentis animi viro, ita prudenter, celeriterque munus sibi demandatum adimpleuit, vt sectam illam spatio fere centum annorum propagatam aperuerit, fugauerit, ac dissipauerit, quamobrem apud Innocentium X. Pontificem Eminentissimosque Patres fidei quæsitores ob eius nominis famam, ac in laboris præmium, relicta Vmbraficensi, Casertanam accepit Ecclesiam, quam hactenus eximie administrat, cuius modestia haud sinit me in suis laudibus longius progredi, plurimum illi debemus, cum in scribenda antecessorum suorum serie non parum iuuerit nostram qualemcumque industriam. Viuit, diuque viuat dignissimus Præsul Ecclesiæ suæ decus & ornamentum.

SVESSANI EPISCOPI.



SVESSA Campaniæ Felicis vrbs vetustissima paulo remotior à Lyri fluuio in Appia via ante Romæ ædificationē condita fuit, eo ipso amœno colle quo ad Orientem respicit Massicum Montem, à Meridie Gaurum, ab Occasu octo milliarium interuallo à Tyrrheno Mari, à Neapoli duodecim, ab antiqua Sinuessa octo distans. Fuit quondam lata & patens Campaniæ ciuitas, hodie angustioribus contenta limitibus ad tria milia alit mortalium: titulo Ducatus, & Episcopali dignitate decoratur. A quo vero

fit

fit prima fundatione conſtructa difficulter ex hiſtoriarum monumentis erui poteſt. Sunt qui Rau(Gomerium vocant) Iaphet filio Noe nepoti eius fundationem attribuant,& à Sem Patrui nomine nuncupatam ante Christum natum M. M. CLXXIX. ante vero Romam conditam M.CCCCXXVII. quamvacillantibus coniecturis, meram Annij Vverbienſis, & quorundam recentiorum eſſe fabulam antiquarum rerum periti exiſtimarunt. Reiectis fabellis, conſtat Sueſſam antiquiſſimam Felicis Campaniæ fuiſſe, longe tamen diuerſam à Sueſſa Pometia Volſcorum ciuitate, & ferunt Herculeam aliquando vocitatam, vel à templo in eius honore condito, cuius adhuc extant veſtigia. vel quod illuc ille pertrãſiens à Sueſſanis honorifice ſuſceptus, & pro numine ſit adoratus, in cuius memoriam cuſa numiſmata cum excitato leone, quo pro ciuitatis inſigni vſque in hodiernum diem vtuntur, hoc dilẽmate SVESSÆ VETVSTÆ INSIGNIA. Pometiam Sueſſam Volſcorum de qua Silius loquitur & Plinius dictam fuiſſe à Pometiæ ciuibus qui eam inhabitarunt auctores ſunt Liuius, & Dionyſius. Hi enim à Tarquinio Priſco Quinto Romanorum Rege deuicti Sueſſam demigrarunt, benigneque accepti ab eorum nomine deinceps Sueſſam Pometiam, aliquando abſolute Pometiam, et Seſſam dixere: ſed et Auruncam et Auſoniam vocatam lego apud Liuium et Velleium cum Aurunci à Sidicinis populis deuicti in eam ſe recepiſſent anno ab Vrbe condita CCCCXVI. *Inter Sidicinos, inquit Liuius, Auruncosq; bellum ortum; Aurunci à T. Manlio Conſ. in deditionem accepti, nihil inde mouerant, eo petendi auxily ab Romanis cauſa iuſtior fuit; ſed priuſquam Conſules ab Vrbe (iuſſerat enim Senatus defendi Auruncos) metu oppidum deſeruiſſe, profugosque cum coniugibus ac liberis Sueſſam communiſſe, quæ nunc Aurunca appellata, mœnia antiqua eorum, vrbemque à Sidicinis deletam.* Cæterum ſummæ antiquitatis ac potentiæ debetur Sueſſæ, quod illis primis temporibus, quibus Roma Orbis caput adolere cœpit, cũ illis ciuitatibus fuit,quę diu cũ ea certarunt, ac deinceps poſt varia bellorum genera ab Romanis vi captæ, et expugnatæ in eorum poteſtatem deuenerunt. Sub Annibale multas clades paſſa eſt, et ſub Adriano, Antonmoque Imp. plurimum floruit; ſub Conſulibus olim in amicitiam populi Romani recepta, ductaque Colonia eſt anno ab vrbe condita CCCCXL. vt Polybius narrat, et Liuius lib.9. inquit, *Sueſſa & Pontia Colonia deducta ſunt L. Papyrio Curſore quintum, & C. Iunio Bubulco iterum Conſulibus.* Municipium inde fuit, et ciuitate donata, quemadmodum ex Cicerone, veteribuſque inſcriptionibus conſtat, quarum in foro adhuc duæ ſpectantur.

CAIO. TITIO. CHRESONIO. AVG. FIL.
HVIC. ORDO. DECVRION.
QVOD. PRO SALVTE. ET. INDVLG. IMP.
A N T. P I I.
FEL. ET. VOLVN. POP. MVNVS. FAM.
GLADIAT. CVM. SVA. DIE. PRIVAT. SECVND.
DIGNIT. MVNICIP. EDIDERIT.
HONOREM. BISELLI. QVO. QVIS
OPTIMO. EXEMPLO. IN MVNICIP. SVESSAN.
ET. VT. QVAE. DIGITVS. IN. DOMO. EIVS
F L V E R E T
COMMODISQVE. PVBL. AC SI. DECVRIO
FVERETVR. ET TITIO. CHERES. EMERIT
PATRIS. HONOREM. DECVRION. GRATVIT.
D E C R E V I T
ORDO. DECVR. ET AVGVSAL. ET PLEBIS
M V N I V E R V N T.

Alia ibidem.

IMP. CAES. DIVI. TRAIANI. PART. F.
DIVI NERVAE NEP.
TRAIAN. ADR. AVG. PONT. MAX.
TRIB. POT. VI. CON. III.
V I A M
SVESSANIS MVNICIPIBVS
SVA PEC. FEC.

Nuper

Nuper alia effossa est vetus inscriptio sub turri Campanaria ad S. Siluestrum, quam in foro Troghi expoluerunt.

MAVORTI
Q. F. MESSIO EGNATIO LOLLIANO
V. C.
Q. K. PRAEFECTO VRBANO
AVGVRI PVBLICO P. R.
DD. NN. AVG. FIL. CAESARVM
CVRATORI ALBEI TIBERIS
ET GLAVACARVM SACRÆ VRBIS
CVRATORI OPERVM PVBLICARVM
ET MINVCIAE CONSVLARI CAMPANIAE
ORD. POPVLVSQVE
SVESSANVS.

Passim plures veteres inscriptiones Suessæ, eiusque in agro leguntur, & veteris Amphitheatri ruinæ, tẽpla visuntur Herculis & Æsculapij, quæ summam eius vetustatem exhibent. Solum habet amœnum, & omnium rerum ad humanum vsum ferax, cæli aerisque benignitate nullis cedens. Hanc ortu suo viri clarissimi summopere illustrarunt, inter cæteros Caius Lucilius Satyrarum scriptor, & Tropilius poeta Comicus, quorum meminit Eusebius. Hic Augustinus Niphus natus est, in omni scientiarum genere versatissimus, summusque Philosophus, qui sui nominis celebritate patriam quoque celebriorem atque illustriorem reddidit. Consaluus de Cordubabelli fulmen, & Hispanum decus, Suessæ Princeps fuit, cuius posteri adhuc eius Duces sunt. Illam aliquando dominatæ sunt Balzea deinde Marzana familiæ nobilissimæ: De Suessa deque viris illustribus scripserunt Augustinus Niphus, & Lucius Saccus. Cæterum Suessam commendabilem fecit ciuium pietas, qui, vt fert traditio, relicto Idolorum cultu ad veram Christi religionem Petro Apostolorum Principe Euangelium disseminante se se adduxerunt, & semel plantatam fidem mirificis progressionibus dilatatam, Aristonus, Crescentius, Eutychianus, Vrbanus, Vitalis, Iustus, Felicissimus, Felix, Martha, & Symforosa suo sanguine ad perennitatem stabilierunt. Etenim sub Diocletiani sæuissima persecutione corona Martyrij Suessæ condecorati fuerunt, vt scilicet idem Lucius Saccus: Romanũ Martyrologium horum Sanctorum Martyrum agonem in Campania fuisse refert die 2. Iulij. Idem Saccus hallucinatur dum narrat primum Suessæ Episcopum ordinatum fuisse Simitium à B. Petro Apostolo, Romę sub Nerone Martyrio coronatum, cũ Simitius, vel Sinitius Romanus patria Diui Petri Discipulus, non Suessæ in Campania, sed Suessionensis in Gallia primus Episcopus fuerit, inde Remensis, vbi palmam Martyrij sub Nerone sumpsit, corpusque eius ibidem reconditum fuit, agiturque natalis dies prima

C Septembris. Acta breui elogio conscripsit doctus vir Andreas de Suessa quæ in suo Gallesino Martyrologio in hunc modum. *Remis Natalis Sanctorum Martyrum pariterque Pontificum Sixti & Sinicij, Galliæ Belgicæ secunda Apostol.rum. Qui Patria Romani, cum B. Memmio Roma à S. Petro has in partes ablegati: hancque Metropolim auspicato Christo adeuntes, tropbaa ipsius Redemptoris illic prima collocauerunt. Hinc ad Suessiones digessi populum hunc fidei etiam Sacramentis initiarunt. Cui ciuitati Episcopus primus Sinicius à Sixto, Apostolici muneri. coryphao, prafectus est. Tum Sixtus ipsi Remos reuersus, ciuitatem hanc ethnicis spurcitiis prorsus expurgare instituit, fana destruxit, adiculam diuinis officijs consecrauit, Clerum constituit, populumque plurimum Christo acquisiuit. Cum autem decennium Apostolico operi impendisset, cupidus extremi pro Domino subeundi agonis cœlitus imminentis excessu admonitus, post gloriosum certamen, quo Martyr occubuit, ad pramium destinatũ feliciter migrauit. Cuius funus religiose curauit Sinicius: qui & vertente anno eodem*

D *die quo Sixtus, inita pro fidei assertione suprema colluctatione, Remis vbi resederat iussu decessoris, vt ortam Ecclesiam curaret, tuteretque laurea itidem Martyrij redimitus aternam abijt ad gloriam. Eodem vero tumulo est Sixto illatus. Basilica qua in vtriusque honorem subinde constructa est, initium nuncupationemque indidit: tandiu vero ibi vterque quieuit, quousque ad ampliorem honorificationem, intra Vrbem ab Henrico Archiepiscopo delata amborum pretiosa spolia in Ecclesia Sancti Remigij pone altare Sancti Petri, eorum praceptoris, cultu condigno recondita sunt, hactenusque in sacrario illius adis sacris monilibus ditissime, ea qua decet religione obseruantur.* Hæc ille. Sinisij meminit etiam Claudius Robertus in Catalogo Suessionen. Præsulum ex Flodoardo lib. 1. c. 3. Vernero in Fasciculo temporum. Maneat igitur Sinicius Suessionensis Ecclesiæ in Gallia

primus Episcopus. Quis autem Suessanus primus fuerit Episcopus ignoratur, reponit Saccus inter huius urbis Antistites Sanctum Castrensem, sed hic in Africa fuit Episcopus, qui in persecutione Vvandalica à propria Sede cum pluribus alijs Episcopis expulsus circa annum Domini 440. Suessæ appulit, quandoque in agro Suessano degit, vbi ex eius nomine pagus & Ecclesia constructa est: eius acta conscripsit in Capuano Sanctuario Michael Monachus parte 1. Fortunatus Suessæ Episcopus fuit in Concilio Romano sub Symmacho Papa anno 501. & hic primus est, qui Suessanus Episcopus reperiatur: post hunc ad annum millesimum vsque Suessanorum Episcoporum memoria perijt. Suessanus Episcopus priscis seculis Pontificii iurisdictionis fuit, inque Campania Felici enumerabatur, qui iam inde à nascente Ecclesia Episcopali dignitate condecoraretur, donec ex voluntate eiusdē Romani Pontificis Capuani Archiepiscopi Suffraganeus est declaratus anno 968. à Ioanne XIII. Pontifice, quando Capuana Ecclesia in Metropolitanam euasit; nostroq; hoc seculo hactenus sub eodem quiescit arbitrio, priuilegijs, ac dignitatibus à Regibus Principibusque condecoratus, ac satis latam Diœcesim continet, cuius annuus redditus ad scutata illarum partium . . . . . . ascendit, taxatur vero in libris Fisci Apostolici ad flor.200. Templum prope mœnia ciuitatis ruinosū visitur, quod primi illi Christiani nominis cultores in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ construxerunt; ferunt Cathedralem fuisse, quod inde vetustate fatiscente, in mediū vrbis transtulerunt anno MCXIII. cuius dies consecrationis agitur 14. Iulij. Basilica hæc Cathedralis Deiparæ Virgini Diuoq; Petro Apostolo consecrata pulcherrimo opere assurgit, viginti marmoreis columnis suffulta, totidem habet inferior Ecclesia, quam Subconfessionem, seu Cryptam vocant, Sanctorum Reliquijs superbit, inter quas insigniores habētur viuificæ Crucis frustulum, vna spina ex corona Saluatoris nostri, dens vnus S.Marci Euangelistæ, digitus S.Sebastiani Martyris, & brachium S.Leonis Papæ IX. quod olim ab eius corpore abreptum fuisse docet inuentio eiusdem sancti Corporis habita anno 1608.sub Paulo V. in Vaticanæ Basilicæ noua constructione, tunc inuentum est brachio vno carens sacrum pignus, cuius rei certiorem fecit Suessanum Antistitem Sacra Rituum Congregatio. Insignitur Basilica hæc nobili Capitulo vigintiquinque Canonicorum, quorum quatuor dignitate eminent, Primicerij duo, Archidiaconus & Decanus: sunt in ea alij Presbyteri & Clerici diuinum pensum quotidie soluentes. Sparsim per vrbem, ac Diœcesim plura Monasteria, templa, piaque loca, Puerorum Seminarium, Mons Pietatis, Xenodochia, & Episcopale palatium non longè à Cathedrali spectantur. Eminet in ijs Diui Dominici templum, ac

A Cœnobium à Ioanne Antonio Marzzano Suessæ Duce anno 1425. conditum, sub Fratris Antonini Florentini directione, ille qui postea Archiepiscopus Florentinus fuit, & inter Sanctos relatus. Ecclesia & Cœnobium Sanctissimæ Trinitatis Ord.Eremitarum Sancti Augustini, opus Roberti Marzzani Squillaci Comitis anno 1363. Septum S.Francisci Conuentualium extra vrbem in veteris Amphiteatri ruinis ab ipsomet Seraphico exædificatum Monasterium Minorum Obseruantium, hoc in gratiā S. Bernardini de Senis cōdidit idem memoratus Marzzanus Suessæ Dux anno 1433. vbi iacet in magnifico tumulo. Humile, sed deuotum Cappuccinorū Fratrum Cœnobium haud procul à ciuitate distat Beatæ Virgini & Sanctissimæ Trinitati

B sacrum, à Suessanis erectū anno 1540. alterum est septum eiusdem instituti, vbi nouitij instituuntur. Domus Clericorum Regularium infirmis ministrantium, quorum fundator extitit vir pius Camillus de Lellis Teatinus ciuis. Monialiū Cœnobia tria, duo in ipsa Ciuitate, S.Germani scilicet Ord.S.Benedicti nobile, ac diues, fundatum anno 1200. S.Elisabeth regulæ ad S. Annæ, tertium prope mœnia Ord. S. Claræ ad titulum Sancti Stephani Martyris; plures sunt etiam laicorum confraternitates. Porro Episcoporum Suessanorum seriem cum ex diptycis monumentis eiusdem Ecclesiæ, tum ex Romanis Ephemeridibus, diuersisq; auctoribus, in hunc modum concinnauimus.

C



D

1. FORTVNATVS primus Episcopus est, qui reperiatur Suessanæ Ecclesiæ præfuisse, interfuitque Synodis Romæ celebratis à Symmacho Papa anno 499. & 501.

2. MILO Monachus Cassinas Capuani Monasterij Præpositus anno Domini 1071. euasit Episcopus Suessanus cuius meminit Chronic. Cassin. lib.3.cap.26.

3. BENEDICTVS ab Adenulpho Capuano Archiepiscopo anno 1092. ordinatus est Suessanus Episcopus, & confirmationem ab eodem obtinuit omnium bonorum, ac iurium sui Episcopatus, quemadmodum sui

A prędeceſſores ab alijs Archiepiſcopis Capuanis acceperant, hoc ſpeciali diplomate, vbi Diœceſis Sueſſanæ Eccleſię deſignatur, quod exſcripſit Michael Monachus in ſuo Capuano Sanctuario.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Tricesimo ſecundo anno Principatus Domini Pandolfi, & viceſimo octauo Principatus Domini Pandolfi eius filij, glorioſis Principibus, & primo anno Principatus Domini Landolfi . . . . . . ac nepos ſuperius dicti D. Pandolfi magni, & excellentiſſimi Principis, menſe Martio quintadecima Indictione, Adenulfus diuina fauente gratia humilis Archipræſul, Clero, Ordini, & Plebi Ciuitatis Sueſſanę Eccleſię dilectiſſimis filijs in Domino ſalutem. Probabilibus deſiderijs nihil attulimus tarditatis, fratrem iam, & Coepiſcopum noſtrum Benedictum vobis ordinauimus Præſulem, cui dedimus in mandatis, ne vnquam ordinationes præſumat illicitas, nec bigamum, aut qui virginem non eſt ſortitus vxorem, neque illiteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut expęnitentem, vel Curiæ, aut conditioni obnoxium, notatumque ad ſacrum Ordinem permittat accedere, ſed ſi quis huiuſmodi fortè repererit, non audeat promouere. Igitur quoniã te, dilectiſſime frater Benedicte, ad Epiſcopatum pronexímus, concedimus, & confirmamus tibi, tuiſq; ſucceſſoribus Epiſcopatum Sueſſanum, & tuam Sedem, ſicuti iam conceſſum, & confirmatum eſt à noſtris anteceſſoribus, tuiſque deceſſoribus. In primis incipientibus à prima parte, mare: à ſecunda parte, ab ipſo fluuio de Gariliano: de tertia parte riuo, qui dicitur viuo, & quomodo aſcendit per lucum, qui dicitur *Caſtelluzzo* Saracinliſco, & vadit per ſerta de monte, qui nominatur Tortelliteu, qui decernit inter Comitatum Theanenſem, & Sueſſanum, & ſicut vadit directum in riuo, qui dicitur Pontefractus, & proinde exijt in ſilice: de quarta vero parte, fine de Serra de monte Marſico, & quomodo vadit in mare, qui decernit inter Comitatum Calilonenſem, & Sueſſanũ, cum omnibus Eccleſijs, quæ ſunt inter has prædictas fines, & cum iſtis Eccleſijs, quas nominatim declaramus; hoc eſt Eccleſia S. Marię & S. Petri intus iam dictam Ciuitatem, quę eſt tua Sedes: & Eccleſia S. Ioannis ante portam, & Eccleſia S. Marię in Caſtellone, & Eccleſia S. Angeli, ibique & Eccleſia S. Nicolai, ibique & Eccleſia S. Euſtaſij, & Eccleſia S. Nicolai, & Eccleſia S. Siluestri in prędictam Ciuitatem: foras Ciuitatem nominamus has Eccleſias, Eccleſia S. Andreæ, & Eccleſia S. Mariæ, & Eccleſia S. Ioannis, & Eccleſia S. Secundini, & Eccleſia S. Seueri, & Eccleſia S. Agathę, & Eccleſia S. Martini, & Eccleſia S. Nazarij in Pompiniano, & Eccleſia S. Ioannis, & Eccleſia S. Thomæ, & Eccleſia S. Angeli ad Tremola, & Eccleſia Sanctę Marię ad Suptiliano, & Eccleſia S. Angeli, & Eccleſia S. Geruaſij, & Eccleſia S. Mauri, & Eccleſia S. Mariæ in Gualdi, & Eccleſia S. Stephani in Piſcinola, & Eccleſia S. Eraſmi, ibique non longè & Eccleſia S. Vrbani, & Eccleſia S. Laurentij, & Eccleſia S. Roſi, & Eccleſia S. Eleutherij, & Eccleſia S. Barbaræ, & Eccleſia S. Luciæ, & Eccleſia S. Viti, & Eccleſia S. Cęciliæ, & Eccleſia S. Gregorij, & Eccleſia S. Petri de Centora, & Eccleſia Sancti Thomæ de Porcile, & Eccleſia S. Marci de Anticolu, & Eccleſia S. Martini, & Eccleſia S. Eraſmi ad pede de monte & Eccleſia S. Stephani, & Eccleſia S. Mariæ Flaui, & Eccleſia S. Stephani, & Eccleſia S. Donati, & Eccleſia S. Antemi, & Eccleſia S. Mariæ de Baloneo, & Eccleſia S. Petri, ibique & Eccleſia S. Ioannis ad ipſi curre̅nti, & Eccleſia S. Laurentij, B & Eccleſia S. Angeli, & Eccleſia S. Archangeli, & Eccleſia S. Eraſmi de Saltu, & Eccleſia S. Caſti, & Eccleſia S. Felicis de Caſcano, & Eccleſia S. Eraſmi, ibique & Eccleſia Sancti Eraclij, & Eccleſiæ S. Ioannis ad Forum Gariliani, & Eccleſia S. Angeli ad Baloneo piciola, & omnes alias Eccleſias, quę conſtructę ſunt, atque conſtruendę pertinentes ſupraſcriptæ veſtrę Diœceſi cum omnibus hæreditatibus ad eaſdem Eccleſias pertinentibus, quas modo habere, & poſſidere videtur, & quas in antea pro parte ipſarũ Eccleſiarum acquirere potueris, & cum omnibus Presbyteris, omnibuſque Eccleſiaſticis ordinibus ad tuam Diœceſim pertinentibus, C excepto quod non concedimus tibi, tuiſque ſucceſſoribus, Eccleſias, quæ infra tuam Diœceſim conſtructę ſunt, vel conſtruendę ſunt, & hæreditates, ſeruos, ancillas, qui hæreditates prædictorum ſeruorum pertinẽtes noſtro Archiepiſcopatui, ſeu noſtris Abbatijs, quæ modo ibidem habemus, & quæ in antea parare, & conquirere poterimus, quę omnia noſtra, noſtrorumque ſucceſſorum reſerbauimus poteſtati: Afros paſſim ad eccleſiaſticos ordines prætendentes nulla ratione ſuſcipias; quia aliquot eorum Manichæi rebaptizati ſæpius ſunt probati, miniſteria tanquam ornatum Eccleſijs, vel quicquid illud eſt in patrimonio eiſdem non minuere ſtudeas, ſed augere. De redditu verò Eccleſiæ, vel oblationibus fidelium quatuor facias D portiones, quarum vnam tibimetipſi retineas, alteram Clericis pro officiorum ſuorũ ſedulitate diſtribuas, tertiam pauperibus, & peregrinis, quartam Eccleſiaſticis fabricis noueris reſeruandam. De quibus diuino eris redditurus iudicio rationem: ordinationes presbyterorum, ſeu Diaconorum non niſi primi, quarti, ſeptimi, & decimi menſium ieiunij, ſeu in ingreſſu quadrageſimali, atque mediante, veſpere Sabbathi noueris celebrãdas. Sacroſancti Baptiſmi Sacramentum nõ niſi in Paſchali feſtiuitate, & Pentecoſtes, noueris eſſe præbendum, exceptis his, qui mortis vrgerentur periculo, ne inbaptizati

pereant, talibus oportuerit remedijs subuenire. Damus interim in præceptis, vt tu, & successores tui veniatis causa manducādi nobiscum, & cunctis successoribus quando vos accersere facimus ad celebrandum missarum solemnia, seu peragendum quascunque ecclesiasticas causas. Post discessum siquidem tuum, successores tui quot in Episcopatu Suessano eligendi sunt, consensu nostro, nostrorumque successorum veniant Capuam, & à nobis, sine à nostris successoribus consecrationem Episcopatus accipiant, sicut continetur in priuilegio, quod ab Ecclesia B. Petri Apostolorum Princ. ..s accepimus & corroboratum apud nostrum Archiepiscopatum habemus à D. Benedicto Summo Pontifice, & vniuersali Papa. Huius ergo Sedis nostræ B præcepta seruantes, deuotis animis obsequi vos oportet, vt irreprĕhensibile, placidumq; fiat corpus Ecclesię per Christum Dominum nostrum: ex i.. ssione autem prędicto Sancto Antistiti scripsi. Ego Ioannes Diaconus, & Scriba ipsius Sanctę Capuanæ Ecclesiæ, & in sacratissimo eius palatio in annos vigintiquinque Archipręsulatus eius in mense Martio, & quinta decima dicta I. dictione.

Datum 14. *Kal. Aprilis.* Data est hæc bulla, vt ex eadem deducit Monachus anno 1032. namque nominatur Paldolfus Pater, Paldolfus filius, Landulfus nepos, Paldolfus pater fuit Paldolfi cognomento de S. Agatha, qui principatus est ab anno 1001. Paldolfus filius de S. Agatha factus est à patre consors prin- C cipatus anno 1005. Landulfus alterius Paldolphi nepos & alterius Paldolphi filius principatus est anno 1032. & hoc anno scripta est hæc bulla, qui fuit Atenulphi 2. Capuani Archiepiscopi 25. qui factus est Archiepiscopus anno 1008. Cæterum Benedictus diu Ecclesiam Suessanam tenuit, subscripsitque Concilio Romæ habito à Nicolao II. anno 1059. quod extat in Bibliotheca Vaticana n. . . .

4. RISVS Suessanus Episcopus memoratur in monumentis eiusdem Ecclesiæ, videtur vixisse ante annum millesimum.

5. IACOBVS Monachus Cassinas, cuius meminit Arnold. Vuion. lib. 2. Ligni vitæ. Obijt die 7. Kal. Martij ex Calendario Cassi- D nen. sed quo floruit tempore incertum.

6. IOANNES Cassinensis Monachus Episcopus Suessanus subscripsit diplomati Sennectis Archiepiscopi Capuani pro Ecclesia Casertana anno 1113. Arnald. Vvion. habet hunc vixisse anno 1108. ad eam dignitatem vocatus: memoratur quippè hoc eodē anno in monumentis Caietanæ Ecclesiæ.

7. GAVFRIDVS Suessanæ Ecclesiæ Præsul subscripsit priuilegio Honorij II. Papæ concesso Ecclesiæ Pisanæ anno 1126.

8. ROBERTVS florebat anno 1143.

9. HERVEVS, cuius prima mentio habetur anno 1171. in quodam documento inter Suessanos, & Theanenses habito. Idem

A interfuit Laterano Concilio sub Alexandro III. anno 1179. cui scribit Clemens III. Dat. Later. 5. Kal. Febr. 1188. Ind. 7. Testis fuit etiā priuilegio Henrici VI. Imperatoris Cassinēsi Cœnobio elargito an. 1191. & alteri eiusdem Imp. concesso Betardo Asculano Archidiac. an. 1195. quod retulimus in Episcopis Asculanis tom. 1. vbi Greueus, dicitur: aliquando Henricum vocatum video.

10. PANDVLPHVS sub Honorio III. vixit an. 1224.

11. IOANNES an. 1259. & 1264. mentio habetur in monumentis eiusdem Ecclesiæ, obijt vero anno 1283. ex Chron. Suessæ.

12. ROBERTVS de Asprello Ciuis, & Episcopus Suessanus an. 1284. electus, & con- B secratus maximo cum honore, ac deinceps vsque ad an. 1297. de eo in monumentis reperitur mentio, quo fortasse anno defunctus est. Post hunc Saccus reponit quendam Fr. Deodatum de Castelluccio Etruscum Diui Dominici ...cunllatum, quem ex Michaele Pio lib. de vir. Illust. Ord. Præd. vixisse refert circa annum Dom 1299. sed in reg. Vatic. eius electio non reperitur.

13. GVIDO in demortui Roberti locū subrogatur à Bonifacio VIII. an. 1297. 7. Kal. Martij, Pont. an. 3. vt in epist. 8. fol. 207. reg. Vatic. habetur. Non diu Pontifex fuit, ante an. 1301. defunctus.

14. ROBERTVS huius nominis 2. post obitum Guidonis electus est Episcopus Sues- C sanus circa an. 1306. Executor vltimæ voluntatis Ioannis de Taliacozzo militis Suessani, denominatur in reg. regest. Neap. Caroli II. an. 1301. Obijt circa finem an. 1307. vel paulo ante memoratur in regest. Vatic. Clement. V.

15. BERTRANDVS Rector Parochialis Ecclesiæ de Cur Tholosanæ Diœc. defuncto Roberto, ab vna Capituli Suessani parte Antistes electus est, cum ab alia Thomas D. Roberti de Sessa ad eiusdem dignitatis gradus fuisset vocatus, vterque ad Curiam accesserunt, vt Pontificis expectarent arbitrium, discute vtrumque eorum electio, interim Thomas Auenione diem clausit extremū, & Bertrandus de plenitudine potestatis à Clem. V. delectus est Episcopus Suessanus id. Septemb. D an. 1309. Pont. eiusdem anno quarto, ita in reg. Vatic. epist. 796 fol. 167. ann. 4. Clementis. Eius mentio tum in Arch. reg. Neap. tum in monumētis eiusdem Ecclesiæ habetur ad annum vsque 1323.

16. IACOBVS Matthitius de Suessa, patriæ adlectus est Episcopus a Canonicorum Collegio die 31. Martij 1323. cōfirmationem haud obtinuit à Ioāne XXII. vsq; ad an. 1326. reperi enim in lib. solut. Prælat. quod Iacobus cum solitum facto Collegio exsoluisset subsidium die 24. April. eodem anno electus enunciatur. Defunctus fertur circa an. Dom. 1330. In Emortuali Montis Casini, eiusdem Iacobi Suessani memoratur 7. Kal. Martij.

A



17. IOANNES de Paulo nobilis Ciuis Sueſſanus ex Primicerio Patriæ eligitur Epiſcopus anno 1330. cuius merita recenſentur in Elogio ad eius memoriam excitato, in Sueſſanæ Cathedrali poſt annum trecenteſimum ab obitu, qui incidit in annum Christi 1334. B

D. O. M.
Ioanni
Ex Patritia de Paulis familia
viro generis nobilitate claro vniuerſi iuris peritia clariori, vitæ ſanctitate clariſſimo
Sueſſano Pontifici
Ioſeph de Paulo I.V.D. Archidiaconus Sueſſanus Prothonotar. Apoſt. Gentili ſuo trecenteſimo poſt annopietatis monumentum.
CIↃIXXXIV.

Ioannis huius electionem, ſeu confirmationem in regeſt. Vatic. Ioannis XXII. Papæ non videmus, neque in lib. ſolut. P. ælat. de eo fit mentio. Ex hac verò familia de Paulo duo viri vitæ ſanctimonia clariſſimi prodierunt, Iacobus & Thomas Ord. Præd. quorum meminit Theodorus valle in Compendio virorum Illuſtr. Ord. Præd. qui in Neapol. Regno floruerunt.

18 Fr. VGO Ord. Minorum Epiſcopus Sueſſanus, ac Regis Roberti à ſacris confeſſionibus erat an. 1337 cuius meminit regeſt. Neapol. obiit ſub Clemente VI. an. 1343. ſepultus in Eccleſia S. Ioannis Sueſſæ. D

19. ALEXANDER de Miro Canonicus Hydruntinus à Clemente VI. in locum fratris Hugonis creatus eſt huius Sedis Epiſcopus 11. Kal. Maij anno ſal. 1343. Pontif. 2. Ex reg. Vatic. ep. 65. fol. 81. exceſſit eodem ſedente Pontifice anno 1350.



20. Fr. IACOBVS Petruccius Senenſis Ord. Minorũ alumnus Alexandro immediatè ſucceſſit ad eam dignitatem vocatus à Clemente VI. anno 1350. ex regeſt. Vatic. ep. 31. fol. 18. an. Pontif. 9. ſedit plus minus annis ſeptem. Is longe fuit diuerſus ab alio Iacobo eiuſdem Ord. patriæ & familiæ Epiſcopo Alerienſi in Corſica de quo in 3. noſtro tom. egimus.

C




21. Fr. HENRICVS de Grandonibus Florentinus Ord. Prædic. Cœnobij S. Mariæ Nouellæ alumnus ob eximiam eius doctrinã Sueſſanus Epiſcopus creatus eſt ab Innocentio VI. anno 1358. per obitum Iacobi, Apoſtolicæ Cameræ debitum penſum pollicetur eodem anno die 28. Septembris, & recognouit pro Iacobo deceſſore, è viuis exemptus eſt anno 1363. eius meminit regeſt. Vatic. & Chronic. Monaſterij ſupradicti. Grandona familia, quæ & Brandina nuncupabatur in Florentina Republica viros protulit illuſtres, & noſtri Henrici temporibus vexillifer iuſtitiæ fuit Georgius Chelli filius Brandini de Grandonibus, & Andreas Iacobi anno 1394. eadem dignitate condecoratus eſt. Huius gentis inſignia ſcutulata Crux ex zapphyro, auroq; duplici ſerie, teſſerularum in parmula omnino cerulea.

22. Fr:

A



22. Fr. MATTHÆVS de Brunis Florentinus Bruni Beni filius, pronepos B. Ioannis de Veſpiniano, frater Germanus Franci viri doctrina illuſtris, Vrbani V. mox Gregorij II. à ſecretis, fraternas virtutes æmulatus, Ord. Prædicat. amplexus inſtitutum, eodemque in celebri Monaſterio S. Mar æ Nouellæ educatus, virtuteque inſignis ab Vrbano V. electus eſt Epiſcopus Sueſſanus, anno 1365. Id. Nouembris Pontif. 2. Fratri Henrico immediatè ſucceſſit. Per decem omn nò annos hanc rexit Eccleſiam, ſed cum in ſuſpicionem veniſſet Vrbano VI. tunc Sueſſæ degente, ne partes Pſeudo-Pontificis ſequeretur occultè, ab ipſo Epiſcopatu abſolutus, liber quò vellet abire permiſſus, ad Clauſtrum redijt, vbi obijt, ſepultuſque eſt variantis fortunæ exemplar futurus. Huius meminit Petrus Monaldus in lib. de familijs Florentinis.



23. PHILIPPVS de Toralto nobilis Canonicus Sueſſanæ Eccleſiæ in amoti locum Matthæi creatus eſt Epiſcopus Sueſſanus ab Vrbano VI. anno 1383. 7. Kal. Nouembris ex Bulla, datum Sueſſæ. Obijt anno 1392. ex lib. Prouiſionum Prælat.




24. ANTONIVS Monachus, & Abbas S. Mariæ Inſulæ Pontianæ Ordinis Ciſtercienſis Caietanæ Diœceſis, factus eſt Epiſcopus
B Sueſſanus à Bonifacio IX. anno 1392. è viuis ſublatus eſt anno 1402. ex lib. de diuerſis formis. Lucius Saccus in ſuo Catalogo refert hunc vitam produxiſſe poſt annum 1404. & poſt ipſum reponit quendam alium Antoniũ de Zennis an. 1412. ſed in libris Prouiſionum, ſolutionum, obligationum Prælatorum longè diuersè ab illo enumerantur Sueſſani Epiſcopi poſt Antonium, qui aſſeritur obijſſe anno 1402. cui ſucceſſit Dominicus.

25 DOMINICVS antea Epiſcopus Iſernienſis defuncto Antonio ſucceſſit, tranſlatuſque eſt ad hanc Sueſſanam ſedem anno 1402. 15. Kal. Septemb. à Bonifacio IX. Fato functus eſt ſub Martino V. anno 1417. ex ijſdem libris.

26. GENTILIS Epiſcopus Neocaſtrenſis à Martino V. huc transfertur 7. Kalend.
C Febr. anno 1418. cum eſſet Conſtantiæ, oportet exceſſiſſe, vel ad aliam dignitatem tranſlatum fuiſſe ante annum 1425. cum eo anno Sueſſanę Eccleſiæ Cõmendatarius eſſet Card. Tarentinus.

27. IACOBVS Martini de Seſſa ex ceſſione Commendæ Card. Tarentini electus eſt patriæ Epiſcopus à Martino V. anno 1426. 4. Kal. Septemb. ſedit vſque ad annum 1462. quo è viuis exemptus eſt; ſepultus iacet in Cathedralis Sacello Sanctiſſimi Sacramenti, quod viuens ædificauerat.

D



28. ANGELVS Gerardinus Amerinus ſuc-

ſucceſſit Iacobo; hic à teneris annis liberalibus diſciplinis eruditus, iuuenili ardore feruens ad arma ſe conuertens, ſub Alexandro Sfortia militans in caſtris, non minori animi fortitudine, quàm prudentiæ laude verſatus eſt, à quibus litterarum amore reuocatus, ſtudijs, pari animi propenſione ſe adijciens, omnes hiſtoriæ campos ſedulo peragrauit, indagatiſque Pontificij, ac Ciuilis iuris latebris, lauream poſt exacta ſtudiorum curricula, ſumma cum ingenij cõmẽdatione promeruit. Subinde Perusini Gymnaſij rector deſignatus, eo munere digniſſime exacto, ſub Nicolao V. Pont. Max. Accolythus, & Minoris Ordinis Abbreuiator, ac S. Pœnitentiariæ regens, ſub Caliſto III. Maioris Ordinis, & ab Epiſtolis Apoſtolicis adlectus, ab eodem contra Iacobum Piccininum belli Ducem Senenſium rempub. & ditionem Apoſtolicam inuadentem militum legatus miſſus eſt, qua in expeditione propulſato hoſte, ac ditione Apoſtolica defenſa, Senenſiumque rebus firmatis, hoſtem, eiuſque militem in oppido Orbetello tam obſtinatè obſedit, vt æquè prudenter, ac fortiter pacem inter Pontificem ac Piccininum firmauerit, ea conditione accepta, vt ablata Senenſibus reſtituerentur. Mox nouum fœdus inter Pontificem, & Franciſcũ Sfortiam Mediolani Ducem compoſuit, Inde rediens Viterbium ob factiones Gattenſium adiens, perduelles factioſos expulit, coſque pacatos in Pontificis obſequio retinuit. Tum Bononiam iuſſu eiuſdem contendens vt oppida Centi, & Plebis à Bononienſibus occupata, & ablata Epiſcopo reſtituerentur, feliciter in ditionem præſulis reduxit. Caliſto interim è viuis ſublato, in Vrbem reuerſus, à Pio II. Datarius deſignatus, ſtatimque prothonotarius Maioris Ordinis creatus, ad Ducem Mediolani legatus mittitur ad tuendas res Ferdinandi Regis, qui Alfonſo in regno ſucceſſerat. Inde ad componendas controuerſias Allobrogum, & Mediolani Ducum deſtinatus, veteres eorum lites Pontificia auctoritate conciliauit. Inde ad Renatum Andegauenſem Ferdinandi Regis Neapolitani hoſtem Marſiliam profectus, pari felicitate, & animi fortitudine in arduo negocio ſe geſſit. Ea legatione peracta, Renati animo compoſito, in Gallia ſubſtitit Apoſtolico mandato, vt Comitatui Venuſino gubernando & recuperando inſiſteret, atque præeſſet. Carpentoractenſes, qui patriam Renato tradere voluerunt, compeſcuit, exinde ſumma dexteritate Auenionenſem ciuitatem cum Comitatu à Cardinali Auxio ante triginta annos occupatam, ſolus ipſe Apoſtolica auctoritate moderatus eſt. Peracto munere ad Romanam Aulam rediens, ſtatim à Pio in Neapolitanum Regnum mittitur, ad conciliandos Ferdinando Regi Duces, & magnates ab eo diſſentientes. Inde Florentiam Pontificis, & Regis nomine, vt partes Ferdinandi Reſpub. tueretur, re peracta, à Ferdinando Legatus, & Orator regius Pio remiſſus, annuam tributi penſionem in Feſto Diui Petri cum albo equo auratis phaleris inſtructo Pontifici regio nomine pro regno ſoluit, & ſequenti anno idem tributum ipſi Pontifici Pientiæ exoluit, vbi natali ſoli & voluptatis ſtudio, vt ſolemnibus, quibus poſſet ornamentis patriam augeret Sueſſanus Epiſcopus creatus anno 1462. 4. Id. ſeptembris, atque inde in Æmiliam profectus, in rebellantes Malateſtas, eos à principatu deiecit, omnibus, excepto Arimino, illorum oppidis, ac fortalitijs, quæ cum Fano fortunæ vltra tercẽra fuerunt, partim expugnatis, partim neceſſaria deditione in fidem receptis. Quibus rebus compoſitis, totius Prouinciæ præfectura eidem delata eſt. Poſt hæc, expeditione S. Cruciatæ contra Maumeth Turcarum Tyrannum à Pontifice ſuſcepta, cruce ſignatis militibus præfectus, re infecta, cum Pius ipſe in expeditione Anconæ deceſſiſſet, & Paulo II. Succeſſori parum carus eſſet, Neapolim ſecedens, regi cariſſimus fuit, & ab eo ad Paulum, ad Venetos, ac demum ad citerioris Hiſpaniæ Regem legatus pacis, fœderum, connubiorumque ſalutaris auctor fuit, atque à Ioanne Aragonum Rege in Vrbem ad Pontificem remiſſus eſt. Mox à Sixto IV. bis in Galliam Legatus, deinde Auenionenſium Prolegatus renunciatus, Pontificiam poteſtatem ſolide ſtabiliuit, eamque ſumma cum laude adminiſtrauit. Peruſiæ & Vmbriæ deinde præfuit, mox in vniuerſam Germaniam, & ad Cæſarem Legatus, Epiſcopatu Caminenſi donatus eſt, ſeditioſum Concilium ab Archiepiſcopo Maguntino inchoatum non minori fortitudine, quàm induſtria facile diſſoluit. Sub Innocentio VIII. ad Ferdinandum, & Eliſabeth Hiſpaniarum Reges Nuncius miſſus, ea legatione egregie functus, vix Romam regreſſus exorto Pontificem inter, Regemque Neapolitanum bello, iterum Caſtrorum legatus deſignatur, qui cum in eam rem ardentius incubuiſſet, graui infirmitate contracta ſeptuagenario maior obijt apud Veios 3. Non. Auguſti anno 1486. ſummo ſui deſiderio poſteris relicto. Cadauer ſuorum cura Amelia in patriam vectum in Sacello Sãcti Antonij Gerardinorum in templo S. Franciſci inter ſuos conditum eſt, ſtatua marmorea, & ſequenti inſcriptione decoratum.

D. O. M.

Angelo Gerardino Amerino,
Sueſſano & Caminenſi Epiſcopo
de Pontificio culmine, de Gerardina familia, deque omnium hominum genere meritiſſimo, Ioannes Epiſcopus Cathacenſis, Frater Antonius ProthonotariusRe-
gum

gum Hispaniarum Legatus,
Bernardinus, & Baptista Equites Amerini, ac pratores Neapolitani, & Florentini, Fratres dilectissimi Patruo indulgentissimo Posuerunt.
Vixit annos LXXIIII.
mens. IIII. Dies XV.


Ibidem.

Ille Gerardini generis celeberrimus auctor,
Angelus Antistes pulchra Suessa tuus.
Hic iacet, heu qualem amisit sacer Ordo patronum,
Perdidit & qualem gens Amerina patrem!
. . . simili lustrauerat aquora terras
Dum patria vigilans consulit, & Patribus.
Sed minus in gestis alios superaddere fasces
Dum studet immensum non tulit vnus onus.
Concidit ergo alijs, & non sibi, quando peregit
Fortia quod dederat fata secutus iter.

De Angelo cecinit hæc carmina Laureatus poeta Antonius Gerardinus in Pubullia quinta, quæ inscribitur *Illustres*, extantque m.s. apud Angeli posteros.

Externa nam semper erit tu laudis amator
Laudis erit pulis cura relicta tua.
Et tua facta petunt viuum de marmore signum,
Et titulis fuluo est dignior esse tibi.
Quattuor effigiem sistant pater Angele fratres
Ad sella stantes aurea pulchra tua.
Sit pater in dextera Cathacensis fortè Ioannes
Gemmifera Præsul tectus, & ipsa mitra.
Sceptriger ad lauam stet Bernardinus equestris
Ordinis & regis munera semper agens.
Hinc Baptista equites fraterque Hieronymus ambo
Sustineant ampli pallia fluxa sinus.
Hæc ego deinde rudis contentus imagine saxi
Ante tuos oldens carmina fessa pedes;
Grande Gerardini generis per sæcula nomen,
Et lato sparsos gentis in orbe lares.
Antiqua tenebras sub auita culmine terra,
Hæc finis auctoris tecta perire domus?
Instaura patriam meritis, quam moribus ornas,

Et legum & viris dicere cautus opus.
Translatus deinde Suessam Præsul, in vrbem
Iura, forum, ritus, templa, domosque nouas.
Per te Pontificum suprema potentia creuit,
Et per te Regum est accumulatus honos.
Legatus populosque domas, pellisque Tyrannos,
Picenum, Aemilia & Lidio testis erit.
Legatus peragras terras, lustrasque profundum,
Legatus Regum, fœdera sancta iacis.



29. PETRVS, vel Pyrrhus Ajossa de Troia Episcopus ciuitatis Castellanæ, & Hortanæ ab Innocentio VIII. defuncto Angelo ad hanc Suessanam Ecclesiam prid. Non. Septemb. 1486. translatus est in gratiam Ferdinandi Primi Regis, cuius fuit à consilijs. Interfuit coronationi Alphonsi II. anno 1494. die 2. Iunij sub Ferdinando II. Alphonsi filio, teste Bembo in Hist. cum ad Gallos defecisset captus carcerique mancipatus iussu eiusdem Ferdinandi tunc cum morte colluctante capite plexus est. Meminit eiusdem Guicciardinus lib. 3. dum illum Suessæ incautè agentem à Federico Calabriæ Duce captum narrat anno 1496.

30. IOANNES Foracapra Suessanus ex Canonico Salernitano promotus dicitur in Episcopum Suessanum ab Alexandro VI. anno 1493. die 6. Maij per obitum Petri, quod omninò stare non potest, cum Petrus, vel Pyrrhus anno 1494. 2. Iunij coronationi Alphonsi II. interfuerit, & capite truncatus asseratur anno 1496. à Bembo, alijsque eius æui scriptoribus: sed cum acta Consistorialia habeant Ioannem hunc in demortui Petri locum Suessanum fuisse adlectum Episcopum anno 1493. mendum irrepsisse puto in annorum computatione, vel quod vni euenit, alteri tribuatur. Ioannes verò Romæ obijt die

die 25. Nouembris anno 1499. ſepultuſque eſt in Eccleſia S. Petri de Monte-Aureo, vt in Diarijs Alexandri VI. ſcriptum legimus. Saccus ſcribit illum Sueſſæ exceſſiſſe anno 1500. ac ſepultum fuiſſe in Cathedrali, vbi ad tumulum legitur FORACAPRA, quod omninò falſum eſt, niſi aſſerere velimus eius cadauer Roma vectum fuiſſe Sueſſam.

31. MARTINVS Zapata Hiſpanus Alexandri Sexti intimus cubicularius ſecundo à Ioannis obitus die, hoc eſt 27. Nouembris 1499. declaratus eſt Epiſcopus Sueſſanus. Quinque omninò annos hanc rexit Eccleſiam, obijtque extra Romanam Curiam anno 1505. ex Act. Conſiſtorial.

32. FRANCISCVS de Sinibaldis Auximanus Vaticanæ Baſilicæ Canonicus, euaſit Sueſſanus Epiſcopus die 28. Nouembr. 1505. cum Canonicatus retentione, quem an. 1477. per reſignationem Sinibaldi patrui acceperat. Interfuit Lateranenſi Concilio inter aſſiſtentes Epiſcopos anno 1512. mortem obijt anno 1516. de quo in monumentis Archiuij Baſilicæ Vaticanæ ſæpè mentio.

33. FRANCISCVS Guaſtaferrus, nobilis Caietanus ad Epiſcopatum Sueſſanum traductus eſt à Leone X. anno 1516. viginti & ſeptem annos eximiè eam adminiſtrauit Eccleſiam, exceſſit probus doctuſque Præſul die 11. Maij 1543. ſepultuſque eſt in Cathedrali cum hoc epitaphio.

D. IMM. S.
FRANCISCO GVASTAFERRO
CAIETANO
EPISCOPO SVESSANO
M. D. XLIII.

34. TIBERIVS Criſpus Romanus ſub Paulo III. cuius erat ſanguine coniunctiſſimus, Peruſiæ Gubernator, & Adrianæ Molis præfectus, Sueſſanus Epiſcopus adlectus eſt die 29. Iunij 1543. pauloque poſt ob egregium ingenium, admirandamq; Philoſophiæ cognitionem S.R.E. Diac. Card. S. Agathæ creatus eſt, tres annos hanc adminiſtrauit Eccleſiam, factus Amalphitanus Archiepiſcopus eam liberè reſignauit. Sutrij obijt pridie Non. Octobris 1566. vbi ſepelitur in Cathedrali.

35. BARTHOLOMÆVS Albanus Vrbeuetanus Criſpi Card. ex ſorore nepos, ex ceſſione eiuſdem, tamen cum regreſſu creatus eſt huius Eccleſiæ Epiſcopus die 7. Iunij 1546. ſedit omnibus eximiè carus ann. 6. & ad Surrentinum Archiepiſcopatum translatus fuit anno 1552. de quo ibi.

36. GALEATIVS Florimontius Sueſſanus antea Epiſcopus Aquinas, vir doctrina, pietate, & rerum peritia longè clariſſimus ad patriæ ſedem translatus eſt die 22. Octob. 1552. vnus è quatuor Concilij Tridentini Iudicibus fuit, varijſque muneribus pro Romana Eccleſia functus, plenus meritis ac dierum in patria mortalitatem expleuit anno 1567. cum paulo antea ſuæ dignitatis nuncium remiſiſſet, de quo vide quæ de ipſo ſcripſimus tom. 1. in ſerie Aquinatenſium Præſulum.



37. IOANNES Placidus nobilis Senenſis Iacobi filius ex ceſſione Galeatij electus eſt Sueſſanæ Eccleſiæ Epiſcopus die 17. Iunij 1566. cuius cum laude meminit Claudius Ptolomeus; erat enim vir politioris literaturæ cultura clarus, qui cum ann. 25. ſumma prudentia demandatam Eccleſiam rexiſſet, die 20. Ianuarij 1591. deceſſit, ſepultuſque eſt in Cathedrali, nulla inſcriptione proloquente. Teſſerarius aluęolus Placidæ gentis diuiditur auro & oſtro.



38. ALEXANDER Riccardus nobili familia natus ob egregiam virtutem, omniumque ſcientiarum cognitionem Gregorio XIV. eximiè charus, ab ipſo infula Sueſſana condecoratus eſt anno 1591. varijs muneribus egregiè functus extrema clauſit die 16. Maij 1604. in Cathedrali humatus nobili in tumulo hoc habet epitaphium.

D. O. M.
Alexandro Riccardo Epiſcopo
Sueſſano integerrimo, ac liberaliſſimo in pauperes
Viro

Viro omnium disciplinarum
cognitione perfecto grauissimis
laboribus apud
Henr. Card. Caietanum Leg.
in Gallia, in Parisiensi præsertim
obsidione, & in Polonia pro Chri-
stiana Repub. defuncto, de-
mum, ne gregem mutato
Cælo desereret è vita recepto
Fabius Riccardus Reg. Conf.
Fratri de vniuersa familia
opt. mer. Posuit.
Obijt fundatæ salutis ann.
MDCIV.
Kal. Iunias, natus ann. LVI.

Fratrem habuit Alexander Iulium Cæsarem Archiepiscopum Barensem defunctum ann. 1601. cui cœnotaphium posuerat eodem anno, quo ipse excessit.

39. FAVSTVS Rebalius Laudensis vtriusque Signaturæ Referendarius electus est Episcopus die 3. Aug. 1604. mortem obijt an. 1624. Februario mense, iacet in inferiori Ecclesia Cathedrali.

40. VLYSSES Gherardinus della Rosa è Cætonæ oppido ditionis Senensis, Scipionis Burghesij Card. in paucis charus ab Vrbano VIII. Suessanam accepit Ecclesiam anno 1624. die prima Iulij.

THEANI EPISCOPI.



THEANVM inter Campaniæ Felicis vrbes vetustissimum, Sidicinum ad alterius Apuli Theani discrimen nuncupatum situm est in Colle ad Massici mōtis radices, haud procul à Falerno, inter Suessam & Cales propinquiores ciuitates à Suessa in ortu VIII. M. P. à Cales IV. à Copula Metropoli in occasum XII. à Regia Neapoli XXVIII. distans. Quis eam condiderit, certò affi mari non potest, alij ab Ausonijs, alij à Sedicinis Oscorum populis, à quibus initium accepisse, & nomen crediderunt; ante tamen vrbis Romæ exædificationem fuisse Theanum ex Romanæ historiæ scriptoribus facilè erui potest. Etenim celebris est eius memoria bello & pace cū Romanis sæpe peractis apud Ciceronem orat. 2. contra Rullum, Ptolemeū, Vitruuium, Liuiumque, vrbiū in Via Latina sitarum maximam vocat Strabo, *Theanum, inquit, Sidicinum, quod proximè sequitur, post Casinum, ipso cognomine ostendit se ad Sidicinos pertinere, qui sunt Osci, gens Campanorum superstes, ita vt possit Campania dici: ipsa quoque vrbium in Via Latina sitarum maxima*: ab eodem cum Capua comparatum lego Theanum: *At verò in Mediterraneis est Capua, re vera id, quod nomine eius significatur; reliquias enim si ei compares, oppida sunt, excepto Theano Sedicino, quæ vrbs est magni nominis*. In Saninites, Auruncos, Romanosque non semel Sedicinos arma sumpsisse, Liuius narrat, Auruncos ab ipsis victos, patria expulsos, eorum mœnia & vrbes dirupisse, Romanos longè ab eorum mœnibus arma ferre, Dictatorem à T. Victurio, Sp. Postumio Cons. ann. ab vrbe condita CCCCXXI. dictum ob illorum metum dixisse idem commemorat. In amicitiam deinde Populi Romani Sedicini fuerunt recepti, ac post Capuæ deditionem anno vrbis 539. à Fuluio Flacco Proconsule Theano triginta duo Capuani Senatores capite plexi sunt. *Cum hoc*, ait Liuius, *equitatu nocte Theanum profectus prima luce portam intrauit, atque in forum perrexit, concursuque ad primum equitum ingressum facto Magistratum Sidicinum citari iussit, imperauitque, vt produceret Campanos, quos in custodia haberet, & producti omnes virgisque cæsi, ac securi percussit*. Ab Octauiano Augusto, vt Plinius, Frontinusque scribunt Theano ducta Colonia est ab eo tempore quo in societatem & amicitiam receptum est, vsque ad Gothorum, Longobardorumque tempora sub Romano Imperio Theanum fuit, postea in diuersorum Principum, Ducumque, ac tandem in Neapolitanorum Regum potestatem deuenit. Ager Theani vndique fertilissimus est, & amœnus. Protulit hæc ciuitas viros in omni virtute conspicuos, præcipuè sanctimonia vitæ, inter quos S. Vrbanus tertius eiusdem vrbis Episcopus. Sanctus verò Paris natione Græcus semel à S. Prisco Capuano Episcopo Petri Apostolorum Principis discipulo plantatam Christi fidem eliminatis Idolis, factusque à S. Siluestro Papa primus Episcopus anno 333. mirificè constabiliuit. Sanctus Amasius deinde eidem successit, & post ipsum S. Vrbanus, qui Ecclesiam Theanensem sanctissimè rexerunt, & Episcopatum ampliarūt,

quem

quem post plurima secula Romani Pontifices Metropolitanæ Capuanæ suffraganeum constituerunt.

Ioannes XVIII. Pontifex Diœcesim Theanensem distinxit anno 1006. Cathedralis Basilica Sancto Apostolo & Euangelistæ Ioanni consecrata pulchræ structuræ, sed mediocris magnitudinis, tribus nauibus suffulta est: sunt in ea Sanctorum Martyrum, & Confessorum reliquiæ plurimæ: corpora Sanctorum Episcoporum Paris, Amati, Vrbani, Brachium S.Terentiani, corpus S. Albinæ Virginis & Martyris, & S.Iuliani Martyris, & corpus S.Reparatæ Virginis & Martyris, ex reliquijs S.Petri Apostóli, S.Iacobi Maioris, S.Ioannis Baptistæ, & Vrsulæ Virg. & Martyris Lucę Euangelistæ, & Bartholomæi, & Matthæi Apostolorum, cum vna ex costis S.Laurentij Martyris, S.Macharij, Gregorij Papæ, Agapithi & Zenonis, Ioãnis & Pauli, Proti & Hyacinthi: Sacris in ea ministrant Canonici sexdecim ex quibus duo dignitate eminent, quarum prima est Decanatus. Olim Canonici Cardinales denominabantur: Duo sunt in ciuitate antiqua S.Benedicti Monialium Cœnobia, nonnulla virorum, plures laicorum Fraternitates, Mons pietatis. Diœcesis satis ampla est, continet castra & villas decem & octo, casalia sexdecim. Est in hac Diœcesi Commenda S.Paridis. Mensę Episcopalis census est ad ducatos Regni . . . taxatur in libris Cameræ Apostolicæ ad flo 250. Qui in hac sede floruerunt Episcopi, sunt qui sequuntur, quos ex diuersis monumentis alinnde eruimus, cum omnia huius Ecclesiæ documenta in miserabili illo incendio Cathedralis sub Leone X. Pontifice igne consumpta fuerunt.



1. S. PARIDEM Atheniensem, S.Siluester Papa in Ecclesiasticis disciplinis eximiè excultum nostræ salutis anno 333. primum Theanensem Præsulem consecrauit. Etenim, vt acta eius testantur, in postrema Christianorum persecutione in Italiam veniens, Angelo Duce, apud Theanum subsistit; qui cum draconem ingentem (quem Theanenses colebant, temploque illi extructo, cibos quotidie parabant) baculo interemisset, seditione in eum commota pro tanto beneficio (draconem ille accolas noxio flatu inficiebat, cui gratias referre par erat, carcere includitur, ac vrso feroci, & famelico deuorandus obijcitur. Qui cum ad Paridis pedes prostratus illos humiliter lamberet, populus tanto miraculo commotus cum suo Præfecto ad baptismum peruenit. Ipse verò à Theanensibus in Pastorem expostulatus, Romæ à S.Siluestro Episcopus ordinatur. Reuersus Theanum, Ecclesias extruendas curauit, Clericos instituit, inter quos Vrbanum, qui ei in Episcopatu successit, Diaconum ordinauit, cum antea fontem, vbi draconem interfecerat, infectum, sua benedictione expurgasset, vt varijs curandis languoribus prodesset. Cumque aliquot annos sanctissime Ecclesiæ Theanensi præfuisset, Nonis Augusti migrauit ad Christum circa annum Domini 346. cui Theanenses Ecclesiam eius nomini condiderunt, vbi eius sacrum corpus asseruarunt, multisque post mortem claruit miraculis, præcipuusque Theani habetur Protector. Huius meminit Martyrol.Rom. Baroniusque in notis ad hũc diem. Paulus Rhegius in vitis Sanctorum Regni, Ferrarius ex officio Ecclesiæ Theanensis, de eo etiam in actis Sancti Amasij successoris.

2. S. AMASIVS, natione Græcus, successit Paridi circa annum Domini 346. à Iulio primo Pontifice consecratus, cuius Acta breuiter recitantur in Theanensi Ecclesiis in hunc modum. Amasius Græcus Catholicæ Religionis propugnator. Constantij Imperatoris persecutione in Italiã ad Iulium Romanum Pontificem confugit, à quo benignè susceptus mandata accepit, vt per circumpositas illustres Ecclesias Verbum Dei instanter prædicaret: nec mora, à Pontifice cum benedictione dimissus, Soram ciuitatem Campaniæ festinus se recepit, cujus magna pars Arrianæ hæresis detestabili dogmate erat corrupta. Ipsam igitur vrbem ingressus à quadam vidua hospitij benignitate suscipitur. Huic erat filius vnicus senio paralyticus, quem precibus matris insperatæ salutis oratione sanauit, populorum concursu & singulari lætitia, quod diuersarum ciuitatum infirmos se offerentes, omnes inuocato Iesu nomine & sanitati restituit, & redire ad propria incolumes dimisit; nam cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum restituit, leprosos mundauit, & spiritibus oppressos solo imperio liberauit, quibus operibus eius nominis fama per remota etiam loca sumebat augmentum, & quem maior ciuitatis pars conceperat affluentis eloquio propellebat errorem; qua de re quamplures Sorani potentes & nobiles zelo peruersitatis accẽsi, vt eorum sectæ se coniungeret, vel discederet exorarunt, aliàs irreuocabili sententia Augustali, capite plecteretur. Quibus magis

Dei

Dei legi. quam hominum præcepto obedire oportere respondit, à cuius defensione non desititam. Vnde in eum irruentes, & contumelijs, & flagellis ceciderunt, ac ferè mortuū reliquerunt, qui tunc ab vrbe Sorana Deo, & baculo adiutus recessit, & Atinum, deinde Pedemontem Aquinatis, tandem Theanum, corporis vires recuperandi causa se contulit. Audito Amasij aduentu Sanctus Leuita nobilis Theanensis nomine Vrbanus, qui tertius in dictæ Ecclesiæ regimine successit, cum quibusdam fratribus & gaudio ei eit obuiam factus, & recipiens itineris labores releuauit, ac eum à proposito itinere auocauit, vt supernæ dispositionis gratiam expectaret: ne post tanti Pastoris Paridis senectutis grauedine laborantis obitum teneræ adhuc Status Ecclesiæ cogatur hostilis perfidiæ insidias formidare. Paride igitur ad syderea regna translato, Clerus, & populus pro substentatione noui Pontificis in maiori conuenerunt Ecclesia, ac omnes vna voce Vrbanum acclamantes, ad Pontificiam Sedem trahebant, quam humiliter ipse gratias omnibus de sui capitis agens exaltatione recusauit, eis consulens, vt eorum in Senem Amasium Sacerdotem, quē multis commendauit, vota transferrent: cui annuentes ciues, Amasium in Pastorem sibi, & animarum rectorem præficiunt, ac consecrandum Iulio primæ Sedis Episcopo obtulerunt; qui congaudens gratias Domino retulit, eumq; Romæ in Basilica Principis Apostolorum consecrauit, & cum benedictione ad propria remeari dimisit vbi ita sæculatiū exteriorumue curam Sancto Leuitæ Vrbano dispensandam relinquens, se totum diuinis obsequijs, & literis spiritualibus mancipauit: quod quilibet omni languore depressus eius beneficia gustauit. Soranis quoque epistolas, cum somnis admonitus, vt Caput Sanctæ Restitutæ Roman. Virg. & Mart. suo iungeretur corpori misit. Cum verò Theanensem sibi commissam Ecclesiam aliquandiu, & miraculis & exēplis rexisset, suæ conscius mortis cœmeterium sibi cum columnis Ciuium auxilio construi postulauit: in quo monito, & benedicto populo, profusa lachrymarum vi sacrum viaticum sumpsit. Demum eius dies migrationis venit omnibus Ecclesiæ sacramentis communitus, Psalmisque Pœnitentialibus deuotè recitatis, conformatis in Crucis similitudinem manibus, orans, In manus tuas Domine commendo spiritum meū, obdormiuit in Domino, & hymnis & canticis spiritualibus, decimo Kalendas Februarij diligenter est tumulatus. Sed post Sancti obitum Crucis Christi sanguine religione fundata, ferè per orbem in pace pertusa, Sorani illi, qui in Sanctum fuerant debacchati pœnitentia ducti, in eius gratiam, celebremque memoriam Ecclesiā in solo proprio proprijs facultatibus construentes, eamque & beneficijs, & priuilegijs donantes, Instrumentis publicis muniei unt, ad quam annis singulis Clerus, & Soranus populus cum luminaribus accedentes, Amasij transitum deuotè recolebant. Hactenus Acta. Eius sacrum Corpus iacet in Cathedrali, de quo Martyrologiū Rom. Baroniusque in notis, & Ferratius ad hunc diem. Obijt autem S Amasius post annum Dom. 355. Liberio Pontifice, & Constantio Augusto Imp.

3. *S. VRBANVS* Tertius Theanensis Ecclesiæ Episcopus consecratus est post S. Amasium. Is S. Paridis discipulus & Diaconus cum post magistri excessum à populo illi subrogandus esset, quod illum Theani natū, & educatum omnes probè nossent, electionem detestatus est, ac vt Amasium virum sanctissimum eligerent persuasit. Cum autem & ipse Amasius migrasset è vita, summo omnium consensu ad onus pastorale electus, licet reluctans, se tanti muneris indignum diceret, tandem ciuium precibus iustis, passus est se consecrari. Suscepto itaque munere, assiduis prædicationibus populum à vitijs, à contentionibus, & inanibus operibus reuocabat, pauperum curam gerens, ac viduarū & oppressorum defensioni inuigilans. Cumque diuina in eo gratia præluceret, languentes & ægroti ad eum confluebant, quod illū cęcis visum, claudis ambulandi, & mutis loquendi facultatem restituere, & à Dæmone oppressos liberare cernerent. Cum inter visitandam Diœcesim, Ecclesias complures reficiendas, & diuinum cultum restituendum curasset, denique sanctis operibus cumulatus, pijs laboribus perfunctus, ætateque confectus cum obitus sui diem præsciuisset, extructo sibi apud fluuium & portam vrbis inferiorem tumulo, migrauit in Cęlum 8. Id. Decemb. Hæc ex Actis eiusdem Ecclesiæ à Ferrario exscripta. Vrbani meminit Martyrol. Rom. & Baronius in notis, quo verò tempore obierit, in eius vita non apparet, putatur tamen sub Liberio Papa obijsse. Post Vrbanum ferè per quinq; integra sæcula, qui præfuerunt in hac Theanensi Ecclesia desiderātur Episcopi, eorum memoria cum monumentis interiere in illo miserabili Archiuij incendio, quod præterito sæculo accidisse narratur.

4. *LVPVS* Theanensis Episcopus defunctus circa annum Dom. 860. cuius tantum mentio extat apud Leonem Ostiensem in Chronic. Cassinen. lib. 1. c. 32.

5. HILARIVS Diaconus, & Monachus Cassinas immediatus fuit successor Lupi, vt idem Ostiensis testatur eodem lib. capituloue. *His, ait, diebus* (temporibus scilicet Bertarij Abbatis Cassinensis circa annū salutis 860.) *defuncto Lupo Theanensis Ecclesiæ Præsule, Hilarius Diaconus, & Monachus huius Monasterij in eadem Ciuitate Episcopus ordinatur*. Paucis annis præfuisse videtur ex successore; tamen obitus dies, annusque ignoratur.

6. STEPHANVS huius Sedis Episcopus

pus circa annum Christi 866. Oratorium paruum, quod intra Monasterium S. Sophiæ Beneuenti Bertarius Abbas Cassinas compleuerat in honorem Sancti Patris Benedicti, teste Leone Ostiensi lib. primo cap. 35. consecrauit.

7. LEO Monachus Cassinas, ac Theanensis Episcopus florebat anno 879. apud Baronium ex Leonis Ostiensis lib. 1. cap. 40. cũ narrat, Leonem cum Bertario Cassinensi Abbate dissuasisse Ioannem VIII. Papam, ne Landulphum Capuanum Ciuem laicum Episcopum crearet, de qua re extat eiusdem Pontificis epistola ad ipsum Leonem, & ad ipsum electum Landulphum num. 207. Leonis meminit Trithemius de script. Eccles. lib. 4. cap. 268. eidem scripsit Stephanus Papa V. vt in c. Romanus dist. 81.

8. ANGELARIVS ex Monacho & Preposito Cassinensi, 20. Abbas eiusdem Monasterij effectus est apud Theanum anno salutis 884. Successit enim teste Leone Ostiensi c. 45. lib. 1. Sancto Bertario à Saracenis Martyrio coronato post incensum Cœnobium Cassinense, nec multo post Angelarius ab vniuerso Clero & Populo Theanensi in demortui Episcopi locum, ac munus ob insignes virtutes, & egregia promerita subrogatur. Vita ibidem functus est nonis Decembris anno 889. in Cathedrali humatus. Post Angelarij obitum quis eiusdem Ecclesiæ fuerit ordinatus Episcopus non habemus, ac deinceps vsque ad annum nostræ salut. 1006. huius Sedis desiderantur Episcopi.

9. SANDRARIVS floruit circa ann. Dom. 1006. huius mentio extat in Bulla Cœlestini III. ad Theodinum Theanensem Episcopum, qui habet Sandrarium priuilegio cohonestatum fuisse à Ioanne XVIII. Papa.

10. GVILLELMVS interfuit consecrationi Ecclesiæ Cassinensis, præsidente Alexandro II. anno 1071. apud Anonymum Cassinensem.

11. PANDVLPHVS Monachus Cassinas à Paschali II. Theanensis Episcopus cõsecratus est, cuius meminit Petrus Diac. lib. 4 Chron. Cassin. c. 75. Testis fuit Bullæ Honorij II. concessæ Ecclesiæ Pisanæ anno 1126. vir doctus fuit Pãdolphus, & Ecclesiasticæ libertatis acerrimus propugnator. Hic perperam Ostiensis Episcopus dicitur ab Vvione lib. 2. Ligni vitæ cap. 9. ex Petro Diac. Cassin. c. 25. de viris Illust. Cassinen. nuper publici iuris factus à V. C. Io. Baptista Mari.

12. RAVL interfuit Conuentui Capuæ celebrato à Rogerio Rege an 1144.

13. PETRVS Theanensem Sedem suscepit regendam ante annum 1171. eiusdemque memoria extat ad annum vsq; 1191. quo testis fuit priuilegio Henrici VI. Imp. Ecclesiæ Cassinensi concesso, paulò post, decessisse necesse est asserere, cum anno 1193. Theodinus eius successor nobili indulto à Cælestino

A III. condecoratus est. Is anno 1171. aduersus Suessanos Ciues, Herueumque eiusdem Ciuitatis Episcopum de cuiusdam aquæ decursu coram Comite Roberto, Casertæ, Apuliæ & Terræ laboris magno Comestabili, & Iustitiario proclamauit, libellum iudicij profert Camillus Peregrinus par. 1. hist. Principũ Longobardorum tenoris sequentis.

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Anno ab Incarnatione eius M. CLXXI. Regni Domini nostri Secundi Guglielmi Dei gratia magnifici Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ anno 6. mense Iunij, Indict. 4. in præsentia D. Comitis Roberti, Casertæ, Apuliæ, & Terræ-laboris magni
B Comestabilis, & magni Iustitiarij, qui apud Magdalonum Curiã tenebat. Nobis Alexãdro Ioanne, & Bartholomæo Ciuitatis Capuæ Iudicibus, & Valleriano Anersanæ Ciuitatis Iudice, & Ioanne & Donato Iudicibus Magdaloni in iudicio residentibus, præsentibus Ioanne Cateaulcarro, qui ex mandato Domini Comitis, vt Iudex, in Curia sedebat, Atenolfo de Patricio, Petro Fratre, Pandulfo de Marczano, Disolfo filio eius, Riccardo de Citrò Regio Comestabile, Ascitino, Riccardo notario, & alijs quampluribus; Petrus venerabilis Theanensis Episcopus cum Iudicibus, militibus, & Ciuibus Theani proclamauerunt, aduersus Ciues Suessæ, qui in Curia aderant, quod ipsi furtiuè quandam aquam
C inuaserant, & eam ad Ciuitatem Suessæ deriuabant, quam aquam tam longo tempore possederant, quod hominum memoriam excedebat. Herueus verò venerabilis Suessæ Episcopus, Iudices, milites, & alij quampluresCiues Suessæ, qui pro parte Ciuium Suessæ ad respondendum venerant, aquam illorum se furtiuè non inuasisse, sed aquam, quam se quasi possidere dicebant, ex dono, & concessione, & ordinatione Domini Regis Rogerij beatæ memoriæ se possedisse dixerunt; Super quo produxerunt testes Annenm de Riuo Matricio, & Landonem Burrellnm, quos donationi, concessioni, & ordinationi D. Regis
D Rogerij interfuisse dicebant. Item illud aliud allegabant, tempore Simionis Senescalchi de hoc fuisse ortam controuersiam inter ciues Theani, & Ciues Suessæ, & testificatum fuit in præsentia Simionis Senescalchi per Euulum de Mazzano, Anneum de Riuomatricio, & per eundem Simionem Senescalchum, quod prædictus D. Rex huiusmodi aquã Ciuitati Suessę concessit. Item dicebant, quod ex præcepto ipsius Comitis Roberti quidam ex Ciuibus Suessæ, & quidã ex Ciuibus Theani cum ipso Petro Theani Episcopo super ipsa aqua cõuenerant, & ex vtrinsque partis conuentione statutum est, vt ex macerie supra liceret Suessanis aquam habere, & à macerie infra Theanenses aquam haberent. Et de his omnibus Suessani se testes habere dicebant. Pars verò Theanensium ordinationem & concessionem

Do-

Domini Regis in dubium reuocabat. Item ne e mandato Theanẽsium, nec pro aquæ cõtrouersia finienda ante prædictum Senescalchum venerant, & ipsam conuentionem, etsi fuit, vt asserebatur, mandato, vel voluntate Teanensium factam fuisse negabat. Pars itaq; Suessanorum ad probandum quod dixerat, in primis produxit coram nobis Anneum de Riuo Matritio, & Landonem Burrellum, qui vnus post alium sunt nobis testificati, dicentes, se interfuisse, vidisse, & audiuisse quando prædictus Dominus noster Rex Rogerius præsente Euulo de Mallano in Palatio Castri Suessæ stans ad fenestram ordinauit, concessit & donauit Suessanis, vt à partibus Roccæ Monsini, & ab eis pertinentijs aquæ caperent Suessani, & ad Ciuitatem suam aquam ducerent, & præcepit Euulo de Mallano, vt illud eis assignaret, & dixerunt, quod ex tempore prædictæ concessionis ipsam aquam Suessani vsque nunc ad Ciuitatem suam duxerunt. Item produxit Suessanorum pars Risonem Iudicem Suessæ, & Philippum Notarium Græcum, qui vnus post alium nobis testificati sunt dicentes, se vidisse, & audiuisse prædictũ Euulum de Mallano, & Anneum de Riuo matritio in præsẽtia prædicti Senescalchi præsentibus Teanensibus, & prædicto Teanense Episcopo, testificatos fuisse concessionem ipsius aquæ à memorato Domino nostro Rege Rogerio factam & ipsum Senescalchum id ipsum suo testimonio confirmasse, & Petro de Rauello iniunxisse, vt concessionem Domini Regis Rogerij Suessanis adimplere faceret. Demum pars Suessanorum produxit coram nobis præfatum Suessanũ Episcopum, & iam dictũ Anneum, & Boemundũ Suessæ, qui vnus post aliũ nobis testificati sunt se vidisse & audiuisse eo tempore, quãdo Episcopus, nõ Episcopatus honorem fuerat adeptus, ex mandato prædicti Comitis Roberti Suessanos cum Theanensibus de aqua ad prædictam conuẽtionem venisse, vt à macerie supra, aqua esset Suessanorum: à macerie infra Theanensium. A nobis autem præfatis Iudicibus iam dictorũ testium verbis propalatis, pars Theanensium præfatum Anneum de Riuo Matritio, & Landonem Burrellum falsum testificatos fuisse per pugnã se probare velle dicebãt, nos verò præfati Iudices ex præcepto Domini Comitis cum Ioanne Caccauicarro & . . . Ioanne Bello, Riccardo Citri Regio Camestabulo, Atenolfo de Patricio, Petro fratre, Pandulfo de Marczano, Ascitino, Riccardo Notario, in partem iuimus; & habito consilio, reuersi iudicauimus, pugnam in hoc casu locum non habere: tum quia inter Langobardos erat quæstio, tum quia de his, quæ non viderant Theanenses, pugnare non debebant. Et quia prædictus Comes volebat, vt hæc lis rationabiliter finem acceptaret, nostro præcepto prædictus Anneus, & supposita persona, & iam dictus Lando propria manu suum testimonium iureiurando confir-

A mauere: Quo facto, de possessione iudicauimus, vt Ciues Suessani, sicut memoratus Rex Rogerius ordinauerat, aquam ad Suessanam Ciuitatem ducerent, & in possessione aquæ essent, ita quod Theanenses exindè aliquod impedimẽtum eis non facerent, ipsius sanctissimæ Regiæ donationis, concessionis, & ordinationis confirmatione Domino nostro gloriosissimo Regi reseruata. Vt dictum, quod factum est, memoriam non effugiat pro securitate quoque Ciuium Suessanorum, nos qui supra Alexander, & Ioannes Capuæ Iudices hęc omnia in scripto redigenda tibi Petro nos commisimus . . . .

Ego qui supra Alexander Iudex.
B *Ego qui supra Bartholomæus Iudex.*
Ego qui supra Ioannes Iudex.
Ego qui supra Ioannes Iudex.
Ego Vallerianus Iudex.
Donatus Iudex.
Ego Adenolfus de Patricio interfui.
Ego Riccardus Citri Regius Comestabulus interfui.

Post hæc Petrus anno Dom. 1174. Ecclesiã S. Mariæ de Theano Cœnobij S. Mariæ de Capua obnoxiam consecrauit, interfuitque anno 1179. Concilio Lateranensi sub Alexãdro III. celebrato, eodemque anno, eoque C Præsule 9. Kal. Decembris absolutum est nobile Cisterciensis Ordinis Cœnobium Sanctæ Mariæ de Ferraria, quod in sua Theanensi Diœcesi apud oppidum Bayranum quidam Ioannes de Ferrarijs vir religiosus, Monachusque Fossæ nouæ eiusdem instituti Tarracinensis Diœcesis anno Christi 1171. exædificare cœperat in fundo Richardi Comitis de Sangro, qui ob deuotionem, quam erga Cisterciensem Ordinem gerebat, solum donauerat, Cœnobio ex fundatoris nomine S. Mariæ de Ferraria cognomen indidere, Monachi verò vnà cum Petro primo Abbate ex eodem Fossæ nouæ Monasterio euocati fuere. Nouellæ plantationi plura addiderũt bona Tancredus, eiusque successor Guillelmus Siciliæ Reges, alij Principes viri priuilegijs exindè eximijs exornarunt, tum illi, cum alij eorum successores Reges, Lucius, Clemens, Cœlesti- D nus III. Romanorum Pontifices, & alij plures, qui post ipsos Romanam supplerunt Sedem, suis diplomatibus religiosam domum cohonestarunt, Cœlestini diploma placuit hic ad verbum ab exemplari exscriptum recensere, vbi plures digniss mi eius Cœnobij benefactores perennantur.

Cœlestinus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis fil. Nicolao Abbati S. Mariæ de Ferraria, eiusque fratribus, tam præsentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Religioſam vitam eligentibus Apoſtolicum conuenit adeſſe præſidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incurſus, aut eos à propoſito reuocet, aut robur, (quod abſit) ſacræ religionis infringat. Eapropter dilecti in Domino filij veſtris iuſtis poſtulationibus clementer annuimus, vt præfatam Eccleſiam S. Mariæ de Ferraria, quæ in fundo à nobili viro Riccardo quondam Comite de Sangro pia vobis donatione conceſſo ad diuinum obſequium conſtruxiſtis, ſed & cambium quod feciſtis cũ Ven. Fratre noſtro Matthęo Capuano Archiepiſcopo, & Eccleſia Capuana, à quibus recepiſtis duas Eccleſias dirutas, ideſt Eccleſiam s. Martini, in qua Ciſtercienſem Ordinem inſtituere ſtatuiſtis, & s. Lucię cum omnibus tenimentis earum, ſicut habetis in publico Inſtrumento, & locum illum, vbi eſt Eccleſia s. Angeli, cum ipſa Eccleſia & tenimento ſuo in Ius, & proprietatem s. Petri & Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ad inſtar fel. rec. Lucij & Clementis prædeceſſorum noſtrorum ſuſcipimus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus: ſtatuentes, vt quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona eadem Eccleſia in præſentiarum iuſtè, & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principũ, oblatione fidelium, ſeu alijs iuſtis modis Deo propitio poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis. Prædia, quæ contulit vobis Illuſtr. mem. VV. Com. Rex Siciliæ, ſcilicet ſtartiam de Camillano, ſtartiam de Palmento & giardinum Vallerani, ſtartiam s. Stephani, & Pantanolli, & Riuum Ianuli & fontis Stellæ, & s. Petri Lacuſancti, vſum paſcuorum, & omnium ſiluarum in eodem tenimento, Vaiani, ſtartiam de Flali, & pedis montis, quam dedit vobis Tancredus Illuſtris Siciliæ Rex in tenimento Theani; Tenimentum, quod habetis intromonte, & in omnibus partibus eius, & quicquid habetis in Vairano. Prędium, quod contulit vobis Ioannes Notarius iuxta flumen Vulturani, & quicquid vobis contulit Vgo de Prata, quicquid habetis in Territorio s. Angeli, & omnia paſcua in terra eiuſdem Vgonis, & quod habetis in Catalaſca, fundum de ſilua plana, quem habetis ex dono Gimundi. Terram, quam contulit vobis mulier nobilis Marthia, & prædictus Vgo in flumine Lete, vbi habetis molẽdinum follæ. Eccleſiam s. Crucis cum ſuo tenimento: Rationes Eccleſiarum, quas habetis in Neapoli. Beneficium, quod dedit vobis nobilis vir Ioannes Comes Aliſiæ in eadem ciuitate, & domos, & terras, quas ibi habetis. Tenimentum VV. de latina, quod dedit vobis nobilis vir Goffredus de Monte-fuſculo. Prædium quod contulit vobis Comes VV. de Caſerta in tenimento Teneiciæ, quod fuit Ioannis militis Baſſi. Molendinum, quod vobis contulit Comes Rogerius de Molina in Iſernia. Et Molendinum de Pintima, quod dedit vobis Malgerius Torellus, & quod habetis in Petra, & in Martiano, & in Iſernia; domus, apothecam, & terras, quas Ioannes Riccardi dedit vobis in Capua, & domos, quas dedit vobis Petrus Aliſiæ in eadem ciuitate, & quod Sergius contulit vobis in Aduerſam. Sanè laborum veſtrorum, quos proprijs manibus, vel ſumptibus coliris tam de terris cultis, quàm incultis. &c. Liceat quoque vobis Clericos, vel laicos liberos, &c. Prohibemus inſuper ne vlli fratrum veſtrorum, &c. Diſcedentem verò, &c. Quod ſi quis forte, &c. Paci quoque & tranquillitati veſtræ paterna in poſterum ſollicitudine prouidere volẽtes prohibemus auctoritate Apoſtolica, ne quis infra ambitum locorum, ſeu granciarum veſtrarum furtum, rapinamue committere, ignem apponere, hominem capere, vel interficere, ſeu aliquam violentiam temerè audeat exercere. Illud inſuper auctoritate Apoſtolica prohibemus, ne infra dimidiam leucam prope Abbatiam veſtram aliqua de nouo habitatio fiat, de qua vobis debeat ſeruatæ hactenus libertatis, & pacis aliquod præiudicium generari. Ordinationes verò Monachorum veſtrorum à Diœceſ. &c. Decernimus ergo, vt nulli omninò liceat pręfatam Eccleſiam temerè perturbare, &c. Salua Sedis, &c. Si qua igitur infuturum, &c. Cunctis autem eidem loco ſua iura, &c. ſit Pax, &c. Amen.

Perfice greſſus meos in ſemitis † tuis. S. Petrus, S. Paulus.

Cœleſtinus Papa Tertius.

Ego Cœleſtinus Catholica Eccleſia Epiſcopus.
Ego Albinus Albanen. Epiſc.
Ego Octauianus Oſtien. & Vellitren. Epiſcopus.
Ego Ioannes Praneſt. Epiſc.
Ego Petrus Portuenſis, & Sancta Rufina Epiſcopus.
Ego Pandolphus Baſilica duodecim Apoſtolorum Presb. Cardinalis.
Ego Melior SS. Ioannis & Pauli Presb Card. & Pam.
Ego Ioannes tit. S. Stephani in Cœlio Monte Presb. Card.
Ego Centius tit. S. Laurentij in Lucina Presb. Card.
Ego Goffredus tit. S. Praxedis Presbyter Card.
Ego Bernardus S. Petri ad Vincula Presb. Card. titulo Eudoxia.
Ego Gratianus SS. Coſma & Damiani D. Card.
Ego Gregorius Sancta Maria in Porticu D. Card.
Ego Gregorius Sancta Maria in Aquiro D. Card.
Ego Gregorius S. Georgij ad velum Aureum D. Card.

Ego

Ego Ioannes Sancti Sergij & Bacchi D. Card.

Ego Nicolaus Sancta Maria in Cosmedin D. Card.

Dat. Laterani per manum Aegidij S. Nicolai in Carcere Tulliano Diac. Card. Sexto Non. Martij Indict. 11. Incarnat. Domini M.C.XCII. Pontif. vero D. Cœlestini Papa III. anno secundo.

Extat Priuilegium Friderici Imperatoris, & Siciliæ Regis factum Thadæo Abbati Sanctæ Mariæ de Ferraria contra ea quæ fecit Nicolaus eiusdem loci Abbas, qui ab Imperatore propter imperfectionem suam remotus est à regimine Abbatiali, &c. priuilegium desideratur.

Protulit illustris hæc Abbatia viros sanctimonia vitæ claros, floruitque per aliquot sæcula quousque per hominum malitiam, iniuriamque bellorum penè desolata, & in commendam data fuit: pauci hactenus in ea degunt Monachi. Huius Cœnobij professus extitit Benedictus humilis conuersus, qui vitam Eremiticam duxit supra montem iuxta oppidum Venafri, & sanctè, vt vixerat, obijt die 18. Martij anno 1278. claruitque miraculis; ex eo quoq; assumpti sunt ad regimen Abbatiæ S. Mariæ de Arabona eiusdem Ordinis Teatinen. Diœcesis B. Albimannus primus eiusdem Monasterij Abbas, & Sanctillus successor eius in omnia sanctitatis vita venerabiles. Iacet in hac Ecclesia Comes Malgerius Rotelli, qui cum omnia bona sua Monasterio dono dedisset, monasticum habitum sumpsit, in eoque pie obijt anno 1291. sequenti verò sub sequuta est Comitissa eius vxor specialis & ipsa benefactrix, iuxta virum suum sepulta. Placet huius Cœnobij Abbates enumerare, quorum memoria ex monumentis eiusdem ad nos peruenit.

Petrus primus Abbas ex Cellerario Monasterij Fossa noua Tarracinen. Diœc. assumptus anno 1179.

Nicolaus 2. anno 1193.

Thadaeus egregius vir 4. Abbas rexit, ac præfuit eximiè ab anno 1200. ad annum vsque 1227.

Bartholomaeus 6. fuit huiusce Cœnobij Abbas, cuius dies obitus memoratur in veteri m. s. edito Martyrologio 3. Kalen. Octobris, huius Codicis pars extat in Bibliotheca Aniciana.

Ioannes Petrus anno 1321.

Thomas de Coratio 16. Abbas. Obijt 17. Kal. Decemb. ex pranotato Martyrol.

Thomas de Miniano anno 1381.

Nicolaus de Alifa 19. Abbas. Obijt 17. Kal. Iunij.

Andreas de Capua 1418.

Thomas de Aquino anno 1426. vltimus Abbas Regularis resignauit anno 1449. Obijt verò anno 1461. 3. Kal. Octobris.

A *Ladislaus Dentice Episcop. Lucerinus primus Commendatarius anno 1449. hanc tenuit Abbatiam ad annum vsque 1476.*

Io. Card. de Aragonia Ferdinandi Regis filius hanc habuit Abbatiam commendatam anno 1476. obijt 1485.

Hieronymus Card. Recanatensis tit. Sancti Chrysogoni 3. Commendatarius anno 1485.

Camillus de Varano sub Pio IV.

Fabritius Carafa.

Ioannes Baptista Card. Pallotus, qui nunc viuit.

B Cæterum redeamus ad Petrum Theanensem Episcopum, à quo digressi fuimus, hic summo labore, & infracto animo clericos Minianenses suæ Diœcesis ad Cathedraticum soluendũ cohibuit, & cum Guamando Roccæ Romanæ Domino de iuribus Ecclesiæ suæ olim à prædecessore suo acquisitis per liberã donationem Andreæ Guamandi patris diu certauit, tandem cum ad saniorem mentem Guimandus deuenisset, per publicum documentum anno Dom. 1189. ea omnia liberè Petro dimisit, cuius documenti exemplar habetur insertũ in Cœlestini III. bulla ad Theodinum Episcopum Petri successorem, quam mox dabimus in Theodino. Peruenit Petrus ad annum 1192. & bono fine quieuit.

14. THEODINVS. defuncto Petro successit anno 1193. hanc ipsam Ecclesiam cum C laude præcipua administrauit, siquidẽ Theanensem Diœcesim ad antiquam distinctionem traduxit, & eam confirmandam obtinuit à Cœlestino III. vt eiusdem Pontificis bulla promit, cuius tenor ab exemplari apud nos, ita se habet.

Cœlestinus Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabili Fratri Theodino Theanensi Episcopo, eiusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

In eminenti Apostolicæ Sedis specula disponente Domino licet immeriti con- D stituti, fratres nostros Episcopos tam vicinos, quàm longè positos fraterna debemus charitate diligere, & eorum quieti & tranquillitati salubriter auxiliari Domino prouidere; Ea propter venerabilis in Christo Fr. Theodine Episcope tuis iustis postulationibus annuentes ad instar prædecessorum nostrorum fel. record. Pascalis, Adriani, Alexãdri, Lucij, & Clementis Romanorum Pontificum præsentis scripti auctoritate sancimus, vt vniuersi Parochiæ fines, sicut à Ioannis recol. me. XVIII. Papæ Priuilegio, quod Sandrario Episcopo indultum est, determinati esse noscuntur, ita omnino integri tam tibi, quàm tuis successoribus perpetuò conseruentur: scilicet à primo latere, sicut ingreditur aqua de Sexto fluuium Vulturnum, & sicut ipse flu-

fluuius descendit vsque ad montem Anezone, & quomodo ascendit terra ipsius montis, & exit in finem de Melanico à secundo latere, quomodo vadit terra de monte, qui dicitur Petra Molaria, & de monte Maione, & descendit in Decem-pondera, & vadit in stafilum, & descendit . . . de scabello, & in ipsa rigazo mittit in Sagonem, sicut idem Sagon vadit in locum, qui dicitur Balurum, vbi se coniungere videtur Riui, qui dicitur Porti à tertio latere, quando ascenditur sursum per ipsum riuum vsque in Pontem de Censano, & reuoluit per folium inuadit in Pontem fractum, & ascendit in vallonem & progreditur in Cartelera, & exit in vadum, qui dicitur Area, & ascendit in Castellucum, & exinde pergit in rigaginem, quæ ducit iuxta Ecclesiam Sanctæ Mariæ, quæ est in Baloneo maiore, & ipsa rigago mittit in flumine de Gauigliano à 4. latere est idem fluuius, & aqua, quæ dicitur Branta, & vadit in Silicum, deinde pergit in furcam S.Martini, & exinde vadit per ipsos montes, & descendit per vallem de Almagno in supradicta aqua de sexto, intra quos fines Theanensis ciuitas, & Castella continentur hæc, Petra Molaria, Rocca Romana, Riardus, Castrum S.Felicis, Saianum, Castrũ quod nominatur Petra Marzana, Barranum, Pensinæ, Presentianum, Minianum, Caminum, Casale Caspuli, Rocca Banterani, Cucuruzium, Mertula, Gallucium, Rocca S.Crucis . . . Terra Marzanellum, Caianum, Colonia S.Ioannis, Inclusas seu alia nonnulla, Monasteria quoque, seu Ecclesiæ Clericorũ, seu Monachorum. Præterea quæcunque possessiones, quæcunque bona ipsa Theanensis Ecclesiæ in præsentiarum iuste, & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, & illibata permaneant. Porro eiusdem Episcopatus clericos cuiuscunque ordinis sint, & laicorum potestate subtractos sub tuo iure præcipimus permanere adhuc, cum iampridem inter bon. mem. Petrum prædecessorem tuũ, & clericos Minianenses super solutionem Cathedratici quæstio mota fuisset, tandem fel. rec. Lucius Papa prædecessor noster tunc tit. S.Praxedis Presb. & Ioannes SS.Sergij & Bacchi Diaconi Cardinales ex delegatione Romani Pontificis recognouerunt de causa, & receptis, idoneis testibus, quod prædecessores eiusdem Episcopi à singulis Presbyteris Minianen. duodecim denarios per quadraginta annos nomine Cathedratici percepisset, & plurium assertione comperto, quod huiusmodi consuetudo in Capuanæ & Beneuentanæ, & alijs circum adiacentibus prouincijs seruaretur Cathedraticum ipsum, sibi, & successoribus suis à Sacerdotibus præscripti Castri secundũ consuetudinem soluendum, quam vtique sententiam, sicut ab eodem Lucio prædicto Cardinale prolata, & sanctæ mem. Adriano, & dicto Lucio, atque Clemente prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus noscitur confirmata futuris censemus manere temporibus illibata. Præterea libertates, & immunitates à dilecto filio nobili viro Gimundo de Rocca Romana Theanensis Ecclesiæ rationabiliter concessas, sicut in scripto autentico confecto plenius continetur, ratas & eas futuris temporibus illibatas, ad maiorem verò firmitatem scriptum illud de verbo ad verbum huic præsenti paginæ iussimus inserendum, quod sic se habet.

In nomine Domini Nostri Iesu Christi Amen. Incarn. eius 1189. & 23. anno Regni Domini nostri secundi Gulielmi Dei gratia magnifici Regis, mense Februarij Indict. 7. Honori S.Matris Ecclesiæ, eiusque Iuri quisque Christianus tanto propensius debet insistere, quanto in ipsius vtero renascendi sumit initium, & per eam vitæ perpetuæ præstolatur euentum, id est, quod nos Guimundus de Rocca Romana notum fieri volumus tam præsentibus, quàm absentibus, quod cum multiplices, & variæ quæstiones & super distinctis capitulis inter Dominum Petrum venerabilem in Christo Patrem nostrũ Theanensem Episcopum pro parte Ecclesiæ suæ & . . . verterentur, tandem per communium amicorum colloquia ad pacis vnitatem, & concordiam studuimus peruenire; asserebat enim idem venerabilis Episcopus Presbyteros, & Clericos in terra nostra habitantes à nobis & baiuis nostris frequenter grauari & opprimi in illicitis, & iniustis exactionibus, & in tollagijs animaliũ suorum; de tertia quoque parte Decimæ de Demanij nostri quæstione mouebat idem Dominus Episcopus, quod non permittebamus eum habere integre & quietè sicut Pater noster Dominus Andreas bon. mem. olim Roccæ Romanæ Dominus Ecclesiæ suæ cõcesserat, querebatur insuper, quod non permitteremus eũ vti Ecclesia S.Ioannis Inclusas, secundum tenorem Priuilegij sui quod remissum est Theanensi Ecclesiæ per prænominatum Dominum Andream patrem nostrum. Nos itaque ad bonum pacis & concordiæ plenitudinem reformari cupientes habito amicorum, & quorundam fidelium nostrorum consilio, simulque pro animarum Aui, & Genitoris nostri salute, atque pro redemptione peccatorum nostrorum in præsentia Nicolai Theanensis Iudicis, & Petri Notarij, aliorumque subscriptorum testium, ad hanc super prædictis Capitulis concordiam & pactionem studuimus peruenire, Concedimus namque, & perpetua stabilitate firmamus, vt Presbyteri, & Clerici in terra nostra habitantes, qui patrimonum, vel tenimentum laicale à nobis non habent, à nobis, vel à baiuis nostris nullam in personis, vel rebus suis molestiam patiantur, sed ab eis adiutorium exigatur, sed si fortè nobis ex gratia aliquid largiri voluerint, libere

A berè & absque inquietatione animi Deo & Ecclesiæ seruire permittentur. Si verò aliqui sint, qui patrimonium, aut tenimentum à nobis habeant secundum quod exigimus à fratribus eorum, vel pro Iuribus patrimonij seu tenimenti ab eis adiutorium exigatur. Si quis verò clericorum, vel sacerdotum criminaliter, vel ciuiliter, seu de rebus Ecclesiasticis amissarum, vel conuentus ab Episcopo, vel ab alio apud Episcopum fuerint, Episcopi & Capituli Theanensis omnis examinatio, iudicium, & castigatio. Si verò clericus aliquis, vel laicus aliquem sacerdotum, vel clericorum de terra nostra apud Archiepiscopū, qui in terra nostra per Episcopum erit constitutus vel amicabiliter apud Syndicum Cōgregationis nostræ terræ conuenire voluerit, si ibi potuerit diffiniri, liberè erit, si autem per eos terminari nequiuerit, & per alteram partem ad maiorem Ecclesiam fuerit appellatum, siue sententia fuerit retractanda ad cognitionem maioris Ecclesiæ referatur, in ijs autem omnibus, neque nos, neque Baliui nostri in iudicijs, seu coercitionibus clericorum, aut sacerdotum nullatenus nos intermittemus. Clericos verò & sacerdotes terræ nostræ cum processione solemni in Festo S.Ioannis ante Portam Latinam non solùm accedere ad maiorem Ecclesiam permittemus; verùm etiam venire nolentes districtione plenissima compellemus. Præterea laicos homines, & fideles Theanensis Ecclesiæ in Casali Anguillari, & Scarpato seu in alijs adiacentibus locis habitantes, nullis oppressionibus, nullis grauaminibus, nullis exactionibus aliquo modo fatigabimus, aut fatigarè faciemus secundum dominium eorum coercebo, & iudicabo, libera sit Theanensis Ecclesiæ eius Rectorum; & si intestati decesserint, possessiones & bona eorum libere & absque conditione ad Theanensem Ecclesiam deuoluantur. Animalia quoque & bona eorum non capiemus, non capi faciemus, neque nos, neque Baliui nostri de eis, vel de rebus eorum aliquatenus nos intermittemus, hoc excepto, quod in Pascha & in Natiuitate Domini in Vexenijs secundum quod facere antecessoribus nostris consueuerunt, visitabunt, pro eo quod ipsi, & Ecclesiæ eorum securitatem habent in terra nostra, & commodum indè recipiunt in pascuis, lingis, & aquis, sicut alij homines de terra nostra, si verò in vltima voluntate affectu supremæ voluntatis de rebus mobilibus nos amplecti aliquis eorum voluerit, nobis aliquid relinquendo, liberum eis sit nobis sicut cuilibet alio extraneo relinquere secundum coactionem causam nostram, vel Baliuorum nostrorum, tertiā verò partē Decimæ Demanij nostri libere & absolutè cōcedimus Theanensi Ecclesiæ habendam secundū quod Dominus Andreas Pater noster eidem Ecclesiæ concessit. Postremò Ecclesiæ S.Ioannis ad clusas secundum tenorem pribilegij à Patre nostro eidem Ecclesiæ collati liberè & absolutè dimittimus, salpo quod Bonus homo Canonicus, qui ex concessione memorati Episcopi eadem Ecclesiam est adeptus in vita sua pacificè & quietè possideat, & Anniuersaria secundum tenorem priuilegij nostri à Canonicis prædictæ Ecclesiæ fiant. Prædicto autem Bono homine defuncto, Episcopus in demanio Ecclesiam ipsam habeat, eumque liberè, & sine contradictione possideat. Hanc autem nostram concessionem & super prædictis Capitulis, seu constitutionibus, ordinatione, & compositione in manibus tuis Domine venerabilis Pater, Domine Theanensis Episcope pro parte & vice Ecclesiæ tuæ in præsentia memorati Iudicis, & Notarij, & subscriptorum testium per traditionē confirmamus, obligantes nos & nostros hæredes vobis qui supra venerabili Episcopo pro parte, & vice iam dictæ Ecclesiæ contra hanc nostram concordiam, pactionem, atque concessionem nullo tempore venire. Nam si nos, qui supra Guimundus, vel nostri hæredes, vel aliquis pro parte & vice nostra hoc scriptum de hoc quod continet per qualecumq; incendium dirumpère, vel remouere, seu reformare consenserimus, aut in quauis parte refutare tentauerimus, centum Bisantios aureos pœnæ nos & hæredes nostros vobis qui supra venerabili Theanensi Episcopo eiusque successoribus & parte iam dictæ Ecclesiæ componere obligauimus, & omnia supradicta complere; & hæc charta de hoc quod cōtinet firma & stabilis permaneat semper; & de his omnibus complendis . . . nostro vobis qui supra venerabili Theanensi Episcopo dedimus, & fideiussores indè posuimus per conuenientiam, nos ipsos vnde si necesse fuerit ad pignorandum obligauimus nos & nostros hæredes vobis, vestrisque successoribus, & partem dictæ Ecclesiæ de rebus nostris mobilibus, & immobilibus pignorari licita & illicita vsque ad legem, & taliter nos qui supra Guimundus de Rocca Romana, qualiter nobis actum & congruum fuit qui supra venerabili Patri Petro Theanensi Episcopo pro parte & vice memoratæ Ecclesiæ Theanensis notificemus, & te Petrum Notarium, qui interfuisti scribere rogauimus. Scripsi Ego Petrus Notarius, & interfui in territorio Theanensi, vbi dicitur Verclanicum. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat prætatam Ecclesiā temerè perturbare, vel eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia illibata, & integra conseruentur corū, pro quorum gubernatione & sustētatione concessa sunt vsibus omnimodo profutura, salua Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, sæcularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam, sciens contra eam temerè venire temptauerit, secūdò, tertioue monita nisi præsumptionem suā congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisue sui dignitate careat. Cunctis autem eidem

eidem loco iura seruantibus, sit pax Domini A nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructus bonæ actionis, reamque se diuino Iudicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, à Sanctissimo Corpore Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructus bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant, Amen.

Ego Cælestinus Catholica Ecclesia Episcopus.
Ego Octauianus Ostiensis & Velitrensis Episcopus.
B *Ego Petrus Portuensis & S.Rufina Episcopus.*
Ego Pandulphus Basilica 12. Apostolorum Presb. Cardinalis.
Ego Ioannes tit.S.Clementis Card.Tusculanus Episcopus.
Ego Io. Felix Presb. Card.tit. S.Susanna.
Ego Romanus tit. S.Anastasia Presb.Cardinalis.
Ego Guido Presb.Card.tit.S.Maria Transtyberim.
Ego Vgo Presb. Card. tit. SS.Siluestri & Martini tit. Equitij.
Ego Gregorius tit. S.Maria in Porticu Diaconus.
C *Ego Gregorius S.Maria in Aquiro Diac. Cardinalis.*
Ego Gregorius S.Georgij ad velum aureū Diac. Cardinalis.
Ego Lottarius SS.Sergij & Bacchi Diac. Cardinalis.
Ego Nicolaus S.Maria in Cosmedin Diac. Card.

Datum Laterani per manum Aegidij S.Nicolai in Carcere Tulliano Diac. Cardinalis 3.Kalend.Octobris Ind.12.Incarn. Dominica Anno 1193. Pontificatus verò Domini Cælestini Papa III. Anno tertio.

Quanto verò deinde tempore Theodinus hanc rexerit Ecclesiam, vel quo anno obierit, D non habemus, putatur tamen diù in ea administranda desudasse, cuius temporibus Innocentius III. anno 1201. & Fed. II. Imp.anno 1206. & 1222. Thadæum Abbatem de Ferraria vna cum Cœnobio sub eorum protectione receperunt, quorum priuilegia cum multum faciant hic ab exemplaribus exhibemus.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei Dilectis fil. Thadæo Abbati in Monasterio de Ferraria, eiusque Fratribus tam præsentibus, quàm futuris Regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum conuenit adesse præsidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito reuocet, aut robur (quod absit) sacræ religioni infringat. Eapropter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus clementer annuimus, vt præfatum Monasterium Sanctæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ, in quo diuino mancipati estis obsequio sub B.Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes, vt Ordo Monasticus, qui secundum Deum & regulam B.Benedicti, & institutionem Cisterciensium Fratrum in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem Monasterium in præsentiarū iustè, & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo præfatum Monasterium situm est cum omnibus suis pertinentijs in territorio Vagrani startias de perticella de Corneliano, & de Palmento; & quicquid ibidem rationabiliter possidetis. In territorio Thesni startias de Fraxo & Pedis Montis & quicquid aliud ibidem habetis. In Alifia terram, quam habetis in cambio à Notario Benedicto, & Molendinum, quod habetis in eadem terra in territorio Castri Sancti Angeli de Raue Canina limatam, quæ dicitur Perdita, & terram quæ dicitur Gironis, quam dedit vobis Robertus de Fossaceca Miles & quicquid aliud ibidem habetis. Possessiones cum Iure Molendini, quas dedit vobis Ioannes de Mirminiano in Alifia & quæcunque alia ibi rationabiliter possidetis. In ciuitate Suessæ integrum tenimentum possessionum, quas dedit vobis Tallacauzzus Dominus Caiani, Oliueta, Domum, & partem Molituræ Oliuarum omnium Montanorum Castri Miniani cum libertate molendi in eis oliuas vestras, & si qua alia ibidem habetis iustè. In territorio Calui, & Silauimatam, quam habetis iuxta flumen Vulturni in loco, qui dicitur S Stephanus, & terras, quas habetis iuxta flumina in gen. & Appia in loco qui dicitur Startia de Silice. In Capua domos, & possessiones, quas dedit vobis Ioannes de Ricc. Ioannes Concarrus, Marcus de Raino, Sibilia vxorque Ioannis Fratris, Petrus de Alifia, & Iudex Alexander. In Telesia & in V. . . Tenimenta, quæ vobis contulit Comes de Caserta, quorum alterum fuit Ioannis Bassi, alterum Ioannis Forte. In Isernia Molendinum, quod dedit vobis Rogerius Comes de Molisio, medietatem duorū Molendinorum, quam vobis ibidem contulit Petrus de Bruto cum vinea in loco, qui dicitur . . . In monte Rodoñ. quod dedit vobis Landulphus de fino in . . Terram, quam vobis contulit Matthia vxor quondam Ro-

A Roberti Licinij, & Molendinum cum folla, quod habetis ibidem. Terras cum Molendino & oliuis, quas habetis in Pantanis Indracon. Terras, quas dedit vobis Enricus de Monte fusculo in Albiniano, terram, quam contulit vobis Maria de Albiniano, & tenimenta, quæ dedit vobis ibidem Benedictus Calatia. Libertates insuper, quas habetis per Regnum de Plateatrio, Passaggio, & herbatico. Sanè laborum vestrorum, quos proprijs manibus, aut sumptibus colitis tam de terris cultis, quàm incultis, siue de hortis & virgultis, & Piscationibus vestris vel de nutrimentis animalium vestrorum nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos, vel laicos & absolutos è seculo fugientes ad conuersionem
B recipere & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ve nulli fratrum vestrorum post factam in Monasterio vestro professionem fas sit absque Abbatis sui licentia de eodem loco discedere; discedentē verò absque communium litterarum vestrarū cautione nullus audeat retinere. Quod si quis fortè retinere præsumpserit, licitum vobis sit in ipsos Monachos, vel Conuersos regularem sententiam promulgare. Illud districtiùs inhibentes, ne terras, seu quodlibet beneficium Ecclesiæ vestræ collatum liceat alicui personaliter dari, siue alio modo alienari absque consensu totius Capituli, vel maioris, aut sanioris partis ipsius. Si quæ verò donationes,
C aut alienationes aliter quàm dictum est, factæ fuerint, eas irritas esse censemus. Ad hæc etiam prohibemus ne aliquis Monachus, siue Conuersus sub professione vestræ domus cō- strictus, siue consensu & licentia Abbatis, & maioris partis Capituli vestri pro aliquo fideiubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat, vltra pretium Capituli vestri prouidentia constitutum, nisi propter manifestam domus vestræ vtilitatem. Quod si facere præsumpserit, non teneatur Conuentus pro his aliquatenus respondere: licitum præterea sit vobis in causis proprijs, siue ciuilem, siue criminalem contineat quæstionem, fratrum vestrorum testimonijs vti, ne per defectum testium ius vestrum in aliquo valeat deperire.

D Insuper auctoritate Apostolica inhibemus, ne vllus Episcopus, vel qualibet alia persona ad Synodos, vel conuentus forenses vos ire, vel Iudicio sæculari de vestra propria substantia, vel possessionibus vestris subiacere compellat, nec domos vestras causa ordines celebrandi, causas tractandi, vel conuentus aliquos publicos cōuocandi venire præsumat, nec regularem electionem Abbatis vestri impediat, aut de instituendo, vel remouendo eo qui pro tempore fuerit contra Statuta Cisterciensis Ordinis se aliquatenùs intromittat. Si verò Episcopus, in cuius Parochia Domus vestra fundata est cum humilitate & benedictione qua conuenit, requisitus substitutum Abbatem benedicere, & alia quæ ad officium Episcopale pertinent vobis conferre renuerit, licitum sit eidem Abbati; si tamen sacerdos fuerit, proprios nouitios benedicere, & alia quæ ad officium suum pertinent exercere, & vobis omnia ab alio Episcopo percipere, quæ à vestro fuerint indebitè denegata, illud adijcientes, vt in recipiendis professionibus, quæ à benedictis, vel benedicendis Abbatibus exhibentur, ea sint Episcopi forma, & expressione contenti, quæ ab origine ordinis noscitur instituta, vt scilicet Abbates ipsi saluo ordine suo profiteri debeant, & contra Statuta ordinis sui nullam professionem facere compellantur; Pro consecrationibus verò Altarium, vel Ecclesiarum, siue pro Oleo Sancto, vel quolibet Ecclesiastico Sacramento nullus à vobis sub obtentu consuetudinis, vel alio modo quicquam audeat extorquere; sed hæc omnia gratis vobis Episcopus Diœces. impendat. Alioquin liceat vobis quemcunque malueritis Catholicum adire Antistitem gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulatur impendat. Quod si sedes Diœcesani Episcopi vacauerit, interim omnia Ecclesiastica Sacramenta à vicinis Episcopis accipere liberè, & absque contradictione possitis, sic tamen vt ex hoc in posterum proprijs Episcopis nullum præiudicium generetur. Quia verò interdum propriorum Episcoporum copiam non habetis, si quem Episcopum Romanæ Sedis, vt diximus, communionem habentem, & de quo plenam notitiam habeatis per vos transire contigerit, ab eo . . . . consecrationum Altarium, ordinationes Monachorum auctoritate Apostolicæ Sedis recipere valeatis. Porrò si Episcopi, vel alij Ecclesiarum Rectores in Monasteria vestra, vel personas inibi constitutas, suspensionis, excommunicationis, vel interdicti sententiam promulgauerint, siue etiam in mercenarios vestros pro eo quod decimas non soluitis siue aliqua occasione eorum, quæ ab Apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros, pro eo quod aliqua vobis beneficia, vel obsequia ex caritate præstiterint, vel ad laborandum adiuuerint in illis diebus, in quibus vos laboratis, & alij feriantur, eandem sententiam protulerint, ipsam tanquam contra Sedis Apostolicæ indulta prolatam duximus irritandam, nec litteræ illæ firmitatem habeant, quas tacito nomine Cisterciensis Ordinis, & contra tenorem Apostolicorum priuilegiorum constiterit impetrari. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine prouidere volentes auctoritate Apostolica prohibemus, vt infra clausuras locorum, seu granciarum vestrarum nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes

liber-

A libertates, & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ordini vestro concessis, nec nō & libertates, & exēptiones sæcularium exactionum à Regibus & Principibus, vel alijs fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti priuilegio communimus. Decernimus ergo vt nulli omninò hominum liceat præfatum Monasteriū temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum sustentatione, ac gubernatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura, salua Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Eccle-
B siastica, sæcularisue persona hanc nostra constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentauerit, secundo, tertioue commonita, nisi reatum suum cōgrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque dignitate careat, reamque se diuino Iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant.
C Amen.

Fac mecum Domine signum in bonum.

† S. Petrus S. Paulus.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Octauianus Ostien. & Velitren. Episcopus.

Ego Ioannes Albanen. Episc.

Ego Gulielmus Remen. Archiepisc. S. Sabinæ Presb. Card.

Ego Petrus tit. Sanctæ Ceciliæ Presbyter Cardinalis.

Ego Iordanus S. Pudentianæ tit. Pastoris Presb. Card.

Ego Guido S. Mariæ Transtyb. tit. Calixti Presb. Card.

D *Ego Vgo Presbyt. Cardin. S. Martini tit. Equitij.*

Ego Centius tit. S. Laurentij in Lucina Presb. Card.

Ego Goffridus tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis.

Ego Ioannes tit. Sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis.

Ego Cincius Presb. Card. D. Io. & Pauli tit. S. Pamachij.

Ego Petrus tit. Sancti Marcelli Presbyt. Cardinalis.

Ego Benedictus tit. S. Susannæ Presbyter Cardinalis.

Ego Gratianus SS. Cosmæ & Damiani Diac. Card.

Ego Petrus Berrij S. Adriani Diaconus Cardinalis.

Ego Gregorius S. Mariæ in Porticu Diac. Cardinalis.

Ego Gregorius S. Georgij ad velum aureum Diac. Card.

Ego Gregorius Sancti Angeli Diaconus Cardinalis.

Ego Vgo S. Eustachij Diac. Card.

Ego Matthaeus Sancti Theodori Diaconus Cardinalis.

Ego Ioannes S. Mariæ in Cosmedin Diac. Cardinalis.

Datum Anagni per manum Blasij S.R.E. Subdiaconi & Notarij decimo Kal. Ianuar. Indict. 5. Incarnat. Domini anno 1201. Pontificatus verò Innocentij Papæ Tertij an. 4.

Friderici vero priuilegia eidem Monasterio asserta inter plurima vnum libet exscribere.

In nomine Dei æterni Saluatoris nostri Iesu Christi.

Fredericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, & Rex Siciliæ.

Inter cætera pietatis commercia, & insignia Maiestatis illud vberioris fructu colligimus, & perpetuitatis ærario conseruamus, quod venerabilibus locis, & in castris Dei militantibus prouida deliberatione largimur, dum enim beneficiorum stipendijs indigentium releuamus inopiam, dedicatis ad Diuina obsequia fratribus liberiorē famulandi Domino copiam impartimur. Eapropter vniuersis fidelibus nostris, tam præsentibus quàm futuris præsens scriptum cernentibus innotescat; quod mittentes ad nostræ celsitudinis Curiam Thadeus venerabilis Abbas, Conuentus sacri Monasterij S. Mariæ de Ferraria Cistercien. Ordinis significauerunt sublimitati nostræ quod Frater Nicolaus, qui quondam fuerat Abbas eiusdem Monasterij pro imperfectione sua remouendum à cura regiminis se præcognoscens aut qui hostis stimulis instigatur, quædam priuilegia domus inaudita scindens nequitia dissipauit, sicut ex priuilegio Dominæ Imperatricis Constantiæ matris nostræ Felicis Augustæ recordationis inclytæ ipsi Monasterio facto, & nostræ Curiæ præsentato vobis innotuit, manifestè significauerunt etiam nobis quod sigillum priuilegij Domini Imperatoris Henrici Patris nostri Felicis Augusti memoriæ recolendæ eidem Monasterio facti; cum ad edictum nostrum idem priuilegium post generalem Curiam Capuæ solemniter celebratam, nobis assignauerunt, cum alijs priuilegijs Monasterij memorari ex custodis incuria dignoscitur esse fractum, sicut veraciter constat nobis ex ipso priuilegio nostræ Celsitudini præsentato. Propter quod prece supplici petierunt, vt pro

secu-

securitate, ac pace ipsius Monasterij, ipsis, successoribusq; suis & eidem Monasterio concedere, & confirmare dignaremur, quicquid idem Monasterium iuste acquisiuit, vel possidere dignoscitur vsque ad hæc tempora nostri Imperij tam in possessionibus, quàm & in libertatibus, donatione, concessione, & confirmationis Vvglielmi II. Consubrini nostri, & prædictorum Felicium Augustorum Parẽtum nostrorum inclytæ recordationis. Videlicet locum ipsum, in quo idem Monasteriũ fundatum est, & Terras cultas, & incultas, quæ sunt propè idem Monasterium infra & extra riuos Ianuli, & ballanorum, flumen Vvlturni, Montes maiores S.Petri, & S.Eleutherij, & viam publicã, qua per fines 1 ramõtium itur à Petra fixa ad Torum Sindonis, triginta modios Terrarum fraxiti. Præsentisni. Corullanum Pantanellum. Petticella, Startiam S.Petri, locus S. iardinum galerani, duo aratra in bagnoli, vel scalerata Roccæ Dragonis, in Tenimento Theani. Startias de fraxo, & de Pedimentis cum alimentis omnibus, & accessionibus suis, in Prato rotundo, terræ canticæ, & Delfiana. Castelli ad Mare propè flumen venæ quatuor aratra bubus terrarũ, quatuor pet quodlibet aratrũ deputatis. In Alifia startiam de Coruaro cũ molendino quod est ibidem. Et quicquid aliud in possessionibus domorum, nemorum, ac terrarum cultarum, vel incultarum, & vbicunque habet, & possidet, vel idem Monasterium acquisiuit ex dono, & concessione Conradi Marchionis Molisij, Ioannis Comitis Alifræ. Guilielmi Comitis Caserte, Comitis Telesiæ. Rogerij Comitis Molisij, Riccardi Comitis Sangri, Guffridi de Draconis, Vgonis, Rainonis, Simonis, & Matthiæ amitæ ipsorum de Prata. Gismundus de Rocca Romana, Tallacotij filij, & Iacobi nepotis ipsius. Filippi de Bussone. Rainonis, Raonis infsi. Malgerij sorelli militis. Vgonis de Cerolanis, & Vgonis Consubrini ipsius. Tallacotij de Caisno. Roberti de Fossaceca. Pandulphi . . . . . & Iohannis Zitti fratris eius. Mariæ de Albiniano. Roberti Totomonis de Pentomis. Matthęi de Surrento. Roberti de Prata. Simonis Spatarij de Vinclatorio. Guilielmi de Cantalupo, Vgonis de Sancto Petro in fine, & aliorũ fratrum suorum, nec non & Guarinam, Surretellas, pastina de Alderado. Molendinum Corradi cum tornis, & balcatorio. Campum maiorem, & Campum de Capite campi. Montẽ Pedirculi cum libero vsu pascuorum, lignatium, aquarum, & piscarionum Matesij fluminis, & Castris Pedismontis, vineas, domos, Cannabisertũ, & alias terras, domos, & molendi na Ciuitatis Alifiæ cum quadam terra de cesis. Terras, molendina, balcatoria, & causatoria Pratellæ, domos, terras, molendina, & Torsam Ciuitatis Telesiæ, cum tenimentis Iohannis Bassi & Bartholomæi Pagano, terras & molendina Pentimarum. Startiam

A de Silice cum Molendino Clanei, & domo Auersæ. Molendinum & terras quasdam Roberti filij minoris de Capua. Domos, terrasque Mariæ vxoris Mazoleni protoiudicis Capuani protonotarij, & Iohannis de Riccardo. Startiam de Cerro, quandam petiolã terræ arbustatam existẽtem, & alias startias, quas idem Monasterium habet & possidet, vel noscitur possidere titulo oblationis, emptionis, & concambij. In Vairano. In Calatia Ciuitate, ad s.Maximum & s.Damianũ, & s.Germanum, in Alifia, Aglano, Miniano, Capua s. Agatha Beneuentana, Prata, Marchano, Letario, Marzano, Calui ciuitatis, Ciuitatis Suessæ, & Traiecti, Capriata, Venafro ciuitate, Monte rodone, Boiano ciuitate, B Campo claro, Albiniano, Daia, S. Iohanne in Clusa & præcipuè cambium terrarũ s.Angeli de Raue canina ad Geronem. S.Maurũ, s. Stephanum, limatam, peditam, & catalicam, Curtem Iohannis de Nicolao & alias terras Todini. Nos autem precibus eorum eorum intra sacrarium exauditionis nostræ benignè admissis, Considerantes religionem, & honestatem eorum, qui Deo & hominibus placere noscuntur, iam dictum Monasterium cum omnibus supradictis tenimentis, & possessionibus suis, & omnium Ecclesiarũ, vel Grangiarum suarum sub nostra speciali protectione & defensione, in ius regium recipiẽtes præsenti diuali pagina ipso Monasterio præfato Abbati, successoribus, ac fratribus eius donamus, concedimus, & in perpetuum C confirmamus præscripta omnia libera & exẽpta ab omni seruitio, vel qualibet exactione, & de abundantiori quoque gratia nostræ sublimitatis, eidem Monasterio donamus, concedimus, & in perpetuũ confirmamus quicquid de feudis suis. Niel ciuis Beneuentanus, Bartholomæus de Petra pulcina, Nazarius gener eius, Seuerinus Dominus Terræ rubeę, & Tammati). Michel filius eius, & Girardus de Monteleone ipsi Monasterio contulerunt secundum quod continetur in Instrumentis, quæ sunt indè confecta; videlicet palatam totam, & omnes pertinentias eius cũ terris omnibus, quas idem Monasterium habet D in Petra pulcina, terra rubea, Tammaro, Monte leone cum medietate cuiusdam Molendini, quod ibidem. Concedimus etiam & perpetuo robore confirmamus dicto Abbati, successoribus, ac fratribus eius omnes donationes, seu oblationes, quas fecit dicto Monasterio Frater Machabeus cum fratribus suis, de omnibus Ecclesijs & locis, quos ipsi acquisiuerunt cum omnibus tenimentis, & rationibus suis, & quicquid aliud vbicunque idem Monasterium possedit, vel possidet per priuilegia, vel publica Instrumenta, donatione, oblatione, concessione, & confirmatione præscriptorum Regis Vvilelmi Secundi Cõsubrini nostri, & Felicium Augustorum Parentum nostrorum, vel aliarum personarum. Hæc autem prædicta omnia, & singula, terris cultis

cultis & incultis, siluis & nemoribus, pratis, & paludibus, & libero vsu Aquæ ductus faciendæ, ac quæcunque alia idem Monasteriũ in præsenti possidet, vel in antea oblatione, donatione, concessione, & venditione, dante Domino porrerit adipisci, tam de demanio, quàm de feudis, & tenimentis eorum omni iure nostræ maiestatis, seu quibuslibet benefactorum nostrorum quod indè pertineat, nõ obstantibus priuilegijs, seu litteris à nostra Maiestate hactenus impetratis, vel amodò impetrandis eidem concedimus, & in perpetuum confirmamus, de affluenti quoque gratia nostræ liberalitatis eximimus Monasterium ipsum, grangias, & homines ipsi, ab omnibus datijs, collectis, adiutorijs, bannis, publicis, vel priuatis, & defensionibus, Comitum, Baronum, & aliorum fidelium, & officialium nostrorum. Confirmantes eidem omnes libertates, & immunitates, quæ à Romanis Pontificibus, seu ab alijs nostris fidelibus hactenus indultæ sunt dicto Monasterio aliquas in posterum indulgendas. Volumus insuper & mandamus vt nullus infra septa Monasterii supradicti, vel Grangiarum suarum hominem capiat, vel interficiat, vel in aliquo lædere, seu molestare præsumat. Et quicunque criminosus ad prædicta loca confugerit, securus sit, donec ibi permanserit. Iniuriarum, & contumeliarum quoque tumultus, rapinas, rupturas, & violentias in prædictis locis fieri prohibemus. Fugiẽtes, & deserentes sæculum, eique perpetuò renunciantes cum omnibus rebus suis, licitè fratribus prædicti Monasterij ad . . . . tempore & absque alicuius contradictione retinere. Concedimus etiam & dictæ Maiestatis gratia perpetuò cõfirmamus libera pascua pro animalibus suis absque herbatico & glandatico, & absq; exactione qualibet vniuersas demanij nostri terras, necnon & liberum vsum incidendi viridia, siccaque ligna, vbique murandi vias, & aliunde reddendi, & ducendi aquas per terras suas, faciendi molendina, fulloria, & quælibet alia eorum ordini congruẽtia in locis suis, Ea . . . præterea fratres, & homines dicti Monasterij cum rebus suis, terra, marique & fluminibus, ab omnibus plateaticis, passagijs, pedagijs, doanaticis, falangaticis, herbaticis, seu quibuslibet generibus exactionum, vel angariarum. Cõcedentes eidem liberam facultatem vendendi res suas, & alienas emendi ad misuram propriam sine datione, seu qualibet exactione, & habendi Iudices & Notarios, quos voluerint in agendis suis; ac faciendi liticarias in aquis iuxta terras suas, & vt sæcularium iudicia de rebus & personis suis minimè subiaceatur. Nec teneatur alicui contra statuta ordinis eorum iurare. Præterea irritamus pœnitus & annihilamus omnes stipulationes, alienationes factas, vel promissiones, seu pacta, quæ aliquãdo Abbas, seu fratres, vel Rectores cum Conuentu dicti Monasterij fecerunt, aut fecerint in præiudicium ipsius, districtius inhibentes, ne aliquis id, quod dicto Monasterio semel dedit, aut dederit, auferre audeat ab eodem, nullis huiusmodi paginæ litteris obuiantibus à nostra maiestate hactenus impetratis, vel amodò impetrandis. Etsi apparuerint aliquæ litteræ cõtrariæ huiusmodi nostræ donationis, concessionis, & confirmationis, careat effectu. Et licet in omnibus priuilegijs clausula illa de saluo mandato, & ordinatione nostra consueuerit annotari, in isto tamen priuilegio, de speciali gratia iussimus non apponi. Ad huius autem nostræ protectionis, & confirmationis memoriam, & robur perpetuò valiturum, præsens priuilegium per manus Iohannis de Lauro Notarij & fidelis nostri scribi, & maiestatis nostræ sigillo iussimus communiri. Anno, mense, & Indict. subscriptis.

Data Messanæ Anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo secundo, mense Octobris, decima Indictionis. Imperante Domino nostro Friderico Dei gratia Excellentissimo Romanorum Imperatore semper Augusto, & Rege Siciliæ. Anno Romani Imperij eius secundo, & Regni Siciliæ vigesimo quarto feliciter. Amen.

Forte etiam Theodino Episcopo Gregorius IX. suo diplomate idem Ferrariense Cœnobium decorauit in hunc modum.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Dilectis filijs Thadæo Abbati S. Mariæ de Ferraria Cisterciensis Ordinis, eiusque fratribus, tam præsentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum conuenit adesse præsidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito reuocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis infringat. Eapropter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Monasteriũ S. Mariæ de Ferraria, in quo diuino estis obsequio mãcipati, & Ecclesiæ S. Mariæ de Intus ad exempla fel. record. Lucij, & Honorij prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum in ius & proprietatem B. Petri, & Ecclesiæ Romanæ suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. In præsens siquidem statuentes, vt Ordo Monasticus, qui secundum Deum, & B. Benedicti Regulam, atque Institutum Cisterciẽsium Fratrum in eodem Monasterio, & vita Eremitica, quæ in prædicta Ecclesia de intus instituta esse noscuntur perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruentur, & vterque locus Abbatis prouisione regatur, & sub dispositione, & prouidẽtia Abbatis & Fratrum Fossæ nouæ cõsistat, nec alicubi, nisi Monasterio Fossæ teneatur ex debito respondere. Præterea quascũque possessiones, quæcunque bona idem Monasterium in præsentiarum iustè & canonicè pos-

possidet, aut in futurũ concessione Pontificũ, largitione Regum, vel Principum, oblarione fidelium, seu alijs iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisq; successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis, locum ipsum, in quo præfatum Monasterium situm est, & præfatam Ecclesiã S. Mariæ de lutus cum omnibus pertinentijs suis, possessiones. & terras cultas & incultas de Toris & Torellis, cum Vallibus, & limatis positas iuxta flnulum Vulturni, & iuxta terras Sanctæ Ma ·æ Pedis montis & iuxta montes maiores S. Petri, & S. Eleutherij. Terras, quas habetis in Trimontibus, & in Vallanis iuxta viam, & Thotum Sindimi, & iuxta riuũ Vallanorum, terras quas habetis vltra riuum Ianuli, & iuxta fossatum palmæ. Terras, quas habetis in Curta Tobia iuxta riuum Inouli, & Auellancta, ac flumen Vulturni. Grangias quæ dicuntur S. Angeli de Raue Canina, Sanctę Mariæ de Mateso, S. Greg. montis pedaculi, Sancti Spiritus de ponte. Vulturni, de Patinaria, de Nuceria, de Titerno, de Farrali, de Rubente, de Orculis, de Tufaria, de Turri palatij, & de Cannabisito, cum omnibus pertinentijs, & accessionibus suis. Terras quoque cultas, & incultas, quas habetis propè Angleriam, Capua iuxta viam carraram, & stratam cum Palude. Terras, quas habetis in Bellona, & alijs Capuæ pertinentijs cum molendino Trifixi, Possessiones & terras quas habetis in tenimento Auersa ad Pettoritam, & Felicem cum molendino Clanci. Terras, quas habetis in tenimento Caruzzi ad S. Maximum. Possessiones, & terras, quas habetis ad petram Pallicinam, & in Pexco propè eandem petram pollicinam, Pratam pelatam, & Casale S. Angeli de terra rubea cum omnibus possessionibus & terris suis. Possessiones etiam, domos, terras, & molendina, quæ habetis in tenimento Alifia ad Ceruanum, ad Vineas donatas ad Millem & Coruariam. Possessiones, quas habetis in tenimento S. Angeli de Raue canina ad Fontanas, ad S. Maurum, ad S. Cosinam, & ad Postam. Possessiones, & terras, quas habetis in Suessa, in banialibus, in scelerata, in delfina, in Prato rotundo, in Vairano, in Præsentiano, in Pentumis, in Sexto, in Mignano, in Venafro, in monte rodone, in Isernia, in Campo flaro, in Boiano, in Vinclatorio, & in Teleria, Possessiones insuper, domos, olíueta, & terras, quas habetis in S. Germano, in Sancto Victore, in S. Petro in fine, in Thiano, in Prata, & Pratilla, & Valle S. Nicandri, in Baia, in Albiniano, atque in S. Ioanne inclusa, in Beneuento, in Salerno, in Castelnono, in Campota ad S. Marinam de Sella ad Arianũ, ad Sauinianum, & ad Pontem latronem, Molendina, valiatorium, & follam, quæ habetis in flumine Lete, in Riuo Ianuli, & in Tanaro. Campum cum Campo de capite campi materij. Molendinum, & Valiatorium de flumine Toiani, Sirratellas, & Pastina de Alderado cum alijs, quæ habetis in S. Agata, & Caleno, & in Atiliano, libertates quoque, quas habetis per Regnum de Plateatico, viatico, passaggio, & duanatici, felaugarico, & herbatico cum pratis, vineis, terris, viuagijs, pasculs in bosco & in plano, in aquis, & molendinis. In vijs, & semitis, & omnibus alijs libertatibus, & immunitatibus suis. Sanè laborum vestrorum de possessionibus habitis ante Concilium generale, & etiam Noualiũ, quæ proprijs manibus, aut sumptibus colitis, siue de hortis, & virgultis, & piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat, liceat quoque vobis Clericos, vel laicos, liberos, & absolutos è sæculo fugientes ad conuersionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, vt nulli fratrum vestrorum post factam in Monasterio vestro professionem fas sit absque Abbatis sui licentia de eodem loco discedere. Discedentes verò absque communium litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Quod si quis fortè retinere præsumpserit, licitum vobis sit in ipsos Monachos, vel Cõuersos regularem sententiam promulgare, illud districtius inhibentes, ne terras, seu quodlibet beneficium Ecclesiæ vestræ collatum præsumat alicui personaliter dare, siue aliquo modo alienare absque consensu totius Capituli, vel maioris, aut sanioris partis ipsius. Si quæ verò donationes vel alienationes aliorum quam dictum est, factæ fuerint, eas decernimus non valere. Ad hæc etiam prohibemus, ne aliquis Monachus, siue Cõuersus sub professione vestræ domus adstrictus sine consensu, & licentia Abbatis, & maioris partis Capituli vestri pro aliquo fideiubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuò accipiat, vltra pretium Capituli vestri prouidentia constitutum, nisi propter manifestam domus vestræ vtilitatẽ. Quod si facere fortè præsumpserit, nõ teneatur Conuentus pro his aliquatenus respondere. Licitum præterea sit vobis in causis proprijs, siue ciuilem, siue criminalem contineat quæstionem Fratrum vestrorum testimonijs vti, ne pro defectu testium, Ius vestrum in aliquo valeat deperire. Insuper auctoritate Apostolica inhibemus, ne vllus Archiepiscopus, siue Episcopus, vel qualibet alia persona ad Synodos vel Cõuentus forenses vos ire, vel Iudicio sæculari de vestra propria substãtia, vel possessionibus vestris subiacere compellat, nec ad domos vestras causa ordines celebrandi, causas tractandi, vel aliquos Cõuentus publicos cõuocandi venire præsumat, nec regularem electionem Abbatis vestri impediat, aut de instituendo, vel remouendo eo, qui pro tempore fuerit contra statuta Cisterciensis Ordinis se aliquatenus intromittat. Porrò si Archiepiscopi, seu Episcopi, vel alij Ecclesiarum Rectores in Monasterium vestrum,

strum, vel personas ibi constitutas suspensionis, excommunicationis, vel interdicti sententiam promulgauerit, siue etiam in mercenarios vestros pro eo quod decimas, sicut dictum est, non persoluitis, siue aliqua occasione eorum quæ ab Apostolica benignitate indultæ sunt, seu benefactores vestros pro eo quod aliqua vobis beneficia, vel obsequia ex caritate præstiterint, vel ad laborandum adiuuerint in illis diebus, in quibus vos laboratis, & alij feriantur, eandem sententiam protulerint, ipsam tanquam contra Apostolicæ Sedis indulta prolatam decernimus non tenere, nec litteræ illæ firmitatem habeant, quas tacito nomine Cisterciensis Ordinis contra tenorem Apostolicorum priuilegiorũ constiterit impetrari. Præterea, cum commune interdictum fuerit, liceat vobis nihilominus in vestro Monasterio exclusis excommunicatis, & interdictis diuina officia celebrare. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna in posterum prouidere volentes auctoritate Apostolica prohibemus, ne infra clausuras locorum, seu granciarum vestrarum nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates, & exemptiones secularium exactionũ à Regibus & Principibus, vel alijs fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti priuilegio communimus. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominũ liceat præfatum Monasterium temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorũ gubernatione, aut substentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura, salua Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire temptauerit, secundo, tertioue commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore, ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruãtibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen.

Fac mecum Domine signum in bonum. Sanctus † Petrus. S. Paulus.

Gregorius Papa IX.

Ego Gregorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Pelagius Albanen. Episc.
Ego Conradus Portuensis S. Rufinæ Episc.
Ego Guido Prænestinorum Episc.
Ego Oliuerius Sabinen. Episc.
Ego Stephanus Basilicæ XII. Apostolorum Presb. Card.
Ego Thomas tit. S. Sabinæ Card.
Ego Ioannes tit. Sanctæ Praxedis Presb. Card.
Ego Octauianus Sanctorum Sergij & Bacchi Card.
Ego Raynerius S. M. in Cosmedin Diac. Card.
Ego Stephanus Sancti Adriani Diaconus Card.
Ego Aegidius SS. Cosmæ & Damiani Diac. Card.
Ego Petrus S. Georgij ad velum aureum Diac. Card.

Datum Laterani per manum magistri Sinibaldi Auditoris cõtradictarum litterarum Domini Papæ nonis Maij. Indict. xv. Incarnat. Dom. Anno 1227. Pontif. verò D. Gregor. Papæ IX. anno primo.

15. ROFFRIDVS Archipresbyter Sancti Germani anno 1229. electus est Theanensis Episcopus teste Riccardo de S. Germano in Chron. ad hunc annum. *Tunc*, inquit, *Roffridus Archipresbyter S. Germani per Albanensem Episcopum Papa mandante in Theanensem Episcopum est assumptus.* Eius obitus memoratur ab eodem ad annum 1239. *mense eodem*, scilicet Octobris, *Roffridus Theanensis Episcopus apud Cornetum obijt*. Dies verò notatur in Emortuali Cassinensi x. Kal. Nouembris.

16. HVGO electus Theanensis Episcopus, quem consecrandum mandauit Innocentius IV. Pontifex Capuanæ Ecclesiæ suffraganeis, commisitq; Alfano Archiepiscopo, vt cæteros Coepiscopos ad sacrũ ritum peragẽdum euocaret. Litteræ extant in reg. Vatic. num. 332. fol. 387. Dat. 3. Id. Nouemb. anno 12. Pontificatus, qui fuit Christi 1254.

17. GVILLELMVS ex Decano Cathedralis euasit Episcopus. Hic S. Thomæ Aquinati à Theano ad Lugdunense Concilium, properanti anno 1274 comitem se adiunxit. Diu hanc Sedem rexit, obijtque sub Bonifacio VIII. anno 1295.

18. NICOLAVM Episcopum Soranum ad hanc Sedem transtulit Bonifacius VIII, successitque Guillelmo anno 1295. 2. Id. Aug. anno Pontif. 2. vt in reg. Vatic. ep. 323. fol. 77. Testamentum condidit anno 1304 quod extat in Archiuio Basilicæ Vatic. Fasciculo 392. vbi memorantur Amator eius filius, eiusque nepos Oddo de Fumone.


19. ADENVLPHVS defuncto Nicolao hanc Sedem regendam suscepit. Mortuus est sedente Clemente V. anno 1309.

20. GOFFRIDVS de Gallutio Theanensis Rogerio viro nobilissimo patre, Sabia Roberti de Aquila filia sorore Rogerij de Aquila Fun-

Fundorum Comitis matre natus, post Adenulphum in hac Ecclesia se ingessit, cui electioni cū se aliqui opposuissent, Clemens V. Archiepiscopo Neapolitano, Episcopoque Marsicano commisit, vt contra ipsum inquirerent; Clementis litteræ sunt in eius registro anni Pontif. 5. salutis 1310. num. 328. fol. 92. Fortè inuenta est eius electio canonicè celebrata, namque Goffridus viginti & octo annos in ea administranda consumpsit, obijtq; sub Benedicto XII. circa ann. Dom. 1328. vt in regest. eiusdem habetur. A

21. PETRVS Archidiaconus Biterensis à Benedicto XII. creatus est Theanensis Episcopus x. Kal. Aprilis anno 1338. cassata electione Pauli de Gallutio Decani, & Petri Murat Canonici Theanen. à Capitulo in dissensione celebrata. Explicantur hæc in epist. 80. anni 4. Benedicti in eius registro. Mortē obijt Petrus anno 1343. B

22. HOMODEVS cum esset Lateranensis Basilicæ Canonicus, Turensis Ecclesiæ Archipresbyter ad hanc Sedem promotus est à Clemente VI. anno 1343. 17. Kal. Aug. annullata prius electione Capituli facta in persona eiusdē Pauli de Gallutio Decani Theanensis, quem diximus in schismate Canonicorum defuncto Petro electum fuisse, & à Benedicto deturbatū de Sede. Præfuit Homodeus annis 6. obijt verò anno 1349. ex regest. Vaticano.



D


23. Fr. BARTHOLOMÆVS de Papazurris Romanus Ord. Præd. dignus alumnus, doctrina & nobilitate sanguinis clarus per Clementem Sextum Theanensem Sedem assequutus est 3. Kal. Iunij anno 1349. cuius electio habetur in ep. 10. fol. 23. ann. 7. regest. Vatic. translatus deinde est ad Theatinam Ecclesiam anno 1353.



24. MARINVS de Iudice filius Philippi filij Marini Canonicus, & Archidiaconus Amalphitanus successit Bartholomæo, hanc Sedem assequutus est ab Innocentio VI. anno 1353. 9. Kal. Iunij ex reg. Vatic. ep. 47. fol. 77. anno 1. de quo etiam mentio in lib. solut. Prælatorum an. 1356. & 1358. die 8. Febr. pauloque post translatus est ad Amalphitanum Archiepiscopatum, indè ad Tarentinum; tādem sub Vrbano VI. euasit S.R.E. Cardinalis, sub quo miserè obijt an. 1385. vt alibi enarrauimus. Hic an. 1242. die 25. Aprilis ind. 15. Archidiaconus erat Amalphitanus, ac Rector Ecclesiæ S. Angeli in porta ciuitatis Atrani ex instrumento tabularij Amalphitani Episcopij, C vbi Pater, Auusque eius recensentur.

25. IOANNES Marini successor, defunctus est anno 1363.


26. Fr. FRANCISCVS Siculus, Patria Messanensis Ord. Præd. adlectus est per obitum Ioannis 13. Kal. Iunij 1363. ab Vrbano V. sub quo excessit anno 1369. ex reg. Vatic.



27. THOMAS de Porta nobilis ciuis & Canonicus Salernitanus Francisco successit 2. Non. Martij 1369. doctus & probus Præsul fuit, diuque Ecclesiam hanc bene administrauit, cuius obitus dies & annus obscuri sunt.

28. ALEXANDER successit Thomæ, de quo in lib. obligationum sub Bonifacio IX. mentio habetur.

29. IOANNES intrusus à Clemente VII. Antipapa die 12. Iunij recognouit pro Ecclesia Theanensi Sacrum Collegium ex eodem libro.



30. ANTONIVS ab Vrbano VI. legitimus declaratus est Episcopus Theanensis defuncto Ioanne, cuius mentio habetur in reg. eiusdem an. Pontif. 11. qui fuit salut. 1388. 18. Kal. Febr. indè translatus ad Episcopatū Handriensem, & Pennensem à Bonifacio IX. an. 1393. 27. Septemb.



31. NICOLAVS de Diano Theanensis, nobilitate generis, & rerum experientia, ac doctrina vir longè clarissimus, à Bonifacio IX. delectus est Theanensis Episcopus die 23. Octobris 1393. cum esset Ladislai Regis intimus Consiliarius eo volente à Gregor. XII. translatus est ad Neapolitanam Ecclesiam, quam legitimè adipisci haud potuit schismate æstuante; verùm electo Martino V. ab eodē iterum declaratus est Neapolitanus Archiepiscopus an. 1418. diuque in eo Sacerdotio vixit, vt diximus in eius Ecclesiæ Archiepiscoporum serie.

32. Fr. IOANNES Ordin. Minorum Theanensis dicitur fuisse Episcopus in libro oblig. Alexandri V. à quo an. 1409. vt suam possēt sustentare personam, cum à Ladislao Rege, ne possessionem adipisceretur, hactenus fuisset præpeditus, quædam Ecclesiastica beneficia liberaliter accepit. Cæterùm de hoc Ioāne neque in libris citatis, neque in alijs monumentis reperimus quid factum sit.

33. GASPAR de Diano Nicolai fupe-

A riotis ex fratre nepos patruo à Gregorio XII. ad Neapolitanam Ecclesiam trāslatus ab eodem & ipse declaratus est Episcopatus Theanensis Commendatarius ann. Pontificatus 6. Christi 1412. 2. Kal. Iulij. Verùm glisceente schismate, munus cōsecrationis non accepit, tametsi Theanensis nuncuparetur Episcopus, cum à Martino V. an. 1422. Consanus factus est Archiepiscopus, indè ab Eugenio IV. ad Neapolitanam Ecclesiam translatus anno 1438. de quo ibi.

34. IOANNES Christophorus Crispo nus Neapolitanus Iuris Vtriusq; Doctor eximius, per dimissionem Commendæ huius Ecclesiæ ab electo Gaspare factam, à Martino V. creatus est Episcopus 7. Kal. Feb. an. 1418. Sedit maxima sui nominis fama an. 25. fato verò functus est anno 1443. ex Actis Consistor.

B



C

35. MARTINVS de Belinzo Monachus Ordinis Cisterciensis Sacræ Theologiæ vir longè clarissimus Eugenij IV. in paucis charus, ab ipso Theanensis renunciatus 5. Kal. Martij an. 1443. Diu hanc rexit Ecclesiam, & bono fine quieuit circa an. Dom. 1459. de quo Acta Consistorialia.

36. NICOLAVS Fortiguerra Pistoriensis Bartholomæi filius, Iuuenis adhuc nobiliter eruditus, legumque peritia excultus Romā concessit Eugenio IV. ad clauū sedente, exceptus est inter honorarios Aulicos sub eodem Pontifice, Nicolao V. Callistoq; III. diuersis in locis Ecclesiæ operam suam nauauit egregiè, cuius cum Pius II. introspexisset virtutes, illum Theanensem pronunciauit Episcopum, mox Card. Presb. ad titulum S. Cæciliæ creauit ann. 1460. aduersus Ecclesiæ hostes legatum instituit, quibus deuictis, Pio, alijsque Pontificibus magno vsui fuit, cuius integritatem & virtutes maximè commēdarunt Cardinalis Papiensis epistola ad Gardinalem Spoletanum. Pius II. in Commentarijs, Garimbertus, Ciacconius, cæterique qui de Cardinalibus scripserunt. Mortuus est dignissimus hic Cardinalis Viterbij, dum legatione fungeretur anno 1473. corpus exa-

D

cime

nime Romam ad S. Cæciliæ templum delatum in sepulchro marmoreo epitaphium incisum.

Nicolao Pistoriensi cognomento Fortiguerra S.Cæciliæ Presbytero Cardinali expugnato Fano, superata Flaminia, deuictis Sabinis Euersanisque hostibus de Ecclesia benemerito Fratres pientissimi, faciundum curarunt. Is ut foris inuicti, ita domi sententijs dicendis grauis & constantis animi est habitus. Vixit annos LIV. mens.II. dies XIV. MCDLXXIII.

Pistorij Piam domum, Sapientiam Fortiguerrarum appellatam instituit, vbi Pistorienses iuuenes ad omnem scientiam adipiscendam alerentur, in ea eiusdem Card. marmorea statua conspicitur, ad cuius pedes Pistorienses hæc posuere carmina.

Ille ego sum Patriæ verus Pater, inclyta virtus
Tyrrhenæ gentis, gloria & Italiæ.
Surgit in immensum totum mea fama per Orbem,
Qua viget, & notum est nobile Pistorium.
Quæque hæc æternum pateant Gymnasia Musis
Sunt quoque dotata, & munere structa meo.
Denique Nicoleos sum, Fortiguerra, galero
Qui sacro irradians progeniem decoro.




37. VRSVS de Vrsinis de Monte Rotundo Laurentij filius, Baptistæ Cardinalis Sixti IV. germanus frater, Fuluij Card. patruus, Raynaldi Archiepiscopi Florentini & Claricis Leonis X. Pontificis matris patruelis, Romanæ nobilitatis vir primarius, Abbas Commendatarius S.Vincentij de Vulturno Theanensem ascendit ad Sedem an. 1474. 14. Kal. Aprilis. Fato functus est in Pannonia Apostolicæ Sedis ad Regem legatus anno 1495.

38. FRANCISCVS Borgia Hispanus Calisti III. Papæ filius Cameræ Apostolicæ Thesaurarius euasit Theanensis Episcopus an. 1495. die 19. Augusti translatus ad Cusentinam Ecclesiam die 6. Nouembris 1499. sequenti anno purpura decoratus Presb. Card. tit. S.Cæciliæ creatus est ab Alexandro VI. in commendam habuit, deinde Theanensem Ecclesiam, quam ad fauorem alterius Francisci Borgia dimisit an. 1508. Is est ille Cardinalis Borgia, qui cum tribus Cardinalibus Florentiæ substitit, Mediolanumque concessit, vnde Iulium II. Pontificem ad Pisanum Conciliabulum vocarunt: Septuagenarius Regio Lepidi Pisas iturus è viuis abijt anno 1511. prid. Non. Nouembris ibidem sepultus antequam se purpura Iulij decreto spoliatum agnosceret, vt Garimbertus narrat lib. 4. cap. vlt.

39. FRANCISCVS Borgia Hispanus, Card. Superioris propriè affinis, eo cedente factus est Episcopus Theanensis die 5. Iunij 1508. Sedit ann. 23. cessitque ad fauorem Io. Card. Saluiati an. 1531.

40. IOANNES Card. Saluiatus Florentinus factus est huius Ecclesiæ Commendatarius die 3. Iulij 1531. quam dimisit an. 1535.

41. ANTONIVS MARIA Sertorius Mutinensis, Comitis Iacobi Philippi, & Antoniæ Pallauicinæ ex Marchionibus Busseti filius, frater Iulij Archiepiscopi Sanctæ Seuerinæ, nepos Ioannis Matthæi Episcopi Volaterrani, delectus est Episcopus Theanensis die 30. Aprilis 1534. fuit Abbas Nonantulanus, & S. Vincentij de Vulturno, Pistoriensisque Præpositus, extinctus est an. ætatis suæ 38. salutis nostræ 1556. Iacet in Ecclesia S. Siluestri de Nonantula, quam Abbatiam anno superiori cesserat ad fauorem Iulij Archiepiscopi fratris germani; ille verò eam acceperat à Clemente VII. per dimissionem Ioannis Mariæ patrui S. Seuerinæ Archiepiscopi. Nonantulanorum seriem Abbatum dedimus tom. 4. in Episcopis Taruisinis.



42. Fr. HIERONYMVS Michael Nichesolus Veronensis, vetusta, ac nobili familia natus Ord. Præd. alumnus, in Theologica facultate vir egregius, demortuo Sertorio successit die 11. Ianuarij 1557. Claruit in Concil. Trident. Theani obijt anno 1566. vbi iacet in Cathedrali cum epitaphio eius laudes referente.

Hic iacet R. P. D. Hieronymus Nichesola Veronensis, Ord.
Prædicatorum, Episcopus Ecclesiæ Theanen, vir & generis nobilitate, & doctrina clarus.
Obijt anno MDLXVI. currente Augusto ætatis suæ IL.

Ex hac gente Gibertus Episcopus S. Leonis in Calabria floruit, & Galesius Bellunensis fuit Episcopus; de qua legendus Iulius à Puteo eruditissimus nobilisq; Veronensis in elogijs Aduocatorum patriæ.

43. Fr. ARCHANGELVS Blanchus Viglebanensis Ord. Præd. à Pio V. cuius erat à sacris confessionibus Theanensi Episcopatu exornatus die 13. Septembris 1566. mox Cardinalis creatus Theanensis dictus est. Nouem omninò annos hanc rexit Ecclesiam, eamque dimisit anno 1575. Cuius virtutes breui elogio complexus est Ciacconus; mortuum Romæ die 15. Kal. Febr. 1580. sepelierunt in Ecclesia S. Sabinæ in Auentino Monte, hoc Epitaphio ad tumulum inscripto.

D. O. M.

Fr. Archangelus de Blanchis S. R. E. Card. pietate, vitæ innocentia, & doctrina ornatissimus, qui in disciplina Dominicana, & in obeundo munere inquirendi in hæreticos Pij V. Pont. Max. Collega, ab eodem primùm Episc. Theani creatus, mox in Sacrum Collegium Patrum Card. cooptatus, virtutis specimen præbuit, ab summa spe rerum maximarum è medio cursu reuocatus hic situs est. Vixit ann. LXIII. mens. III. dies XV. Obijt MDLXXX.
Cohæredes D. Franciscus Blanchus & Defendens Frater. PP.

44. IOANNES Paulus Marincola vir doctus, qui gesta Pauli IV. scripsit, ex cessione Card. Blanchi delectus est Episcopus Theanensis die 16. Sept. 1575. Sedit ann. 13. ac liberè nuncium remisit Sixto Quinto sedente.

45. VINCENTIVS Branchaleo electus est huius Ecclesiæ Episcopus à Sixto V. die 9. Martij 1588. breuis Pontifex fuit, cum vix septimum mensem in ea dignitate vixerit.

46. VINCENTIVS Seraphinus Asculanus in demortui Branchaleonis locum suffectus est ab eodem Sixto V. Pontifice die 3. Octob. 1588. Præfuit ann. 27. Obijt 1615. Iacet in Cathedrali cum hoc Epitaphio.

D. O. M.

Ossibus, & memoriæ Reuerendiss. Domini D. Vincentij Seraphini Asculani V. I. D. Episcopi Thean.
Obijt ann. MDCXV. mense vero Decemb.

47. ANGELVS de Ciaia nobilis Senensis, Card. Bellarmini ex sorore nepos, à Paulo V. Theanensi Sacerdotio donatus est anno 1615. die 24. Februarij, mortem oppetijt anno sui Præsulatus secundo, salutis verò 1617. sepultus iacet in Cathedrali.

48. MICHAEL ANGELVS Sergosa de Hedia Hispanus præficitur in Episcopum die 27. Febr. 1617. excessit anno 1623. & propè prædecessorem sepulchrum accepit.

49. OVIDIVS Lupari Bononiensis Theani creatus est Episcopus 9. Iunij 1623. obijt 1626. sepultus in tumulo quod sibi viuens in Cathedrali parauerat.

D. Oui-

D. Ouidius Lupari Bononien. Ecclesiæ Thean. Episcopus, nobilitate clarus, pietate clarior, & integritate clarissimus, Hic quietis beunt eius cineribus destinauit An. Domini MDCXXVI. Maij die XXVIII.

50. IOANNES de Gueuara Neapolitanus, genere Hispanus Clericorum Regularium Minorum Generalis, ab Vrbano VIII. ad Theanensem Episcopatum vocatus die 23. Maij 1627. primus fuit, qui in ea Congregatione infulam intulit. Scripsit librum, quem attitulauit. *Orologio spirituale de Principi*, ad Ferdinandum II. Hetruriæ Magnum Ducem, Romæ typis excusum apud Mascardum. In Aristotelis Mathematica Commentarios vna cum additionibus quibusdam ad eandem materiam pertinentibus, Romæ apud eundem Typis editos. aliaque sui ingenij præclarissima monumenta posteris reliquit. Valedixit huic mortali sæculo anno 1641. iacet in Cathedrali vbi hoc Epitaphium prostat legentibus.

Io. de Gueuara in quo pugnauit nobilitas cum sapientia, hæc cum prudentia decertauit, quo extincto familiæ spendor, Theologiæ, ac Mathesis lux, Vrbano Pontifici Max. Hercules non paruulus deest.

Theanense Capitulum Patri ac Præsuli posuit. Obijt die XXIII. Aug. MDCXXXXI. Ann. LX.

51. MVTIVS de Rosis vtriusque Signaturæ Referendarius electus die 14. Iulij 1642. Romæ obijt sub Innocentio X. anno 1653.

52. PAVLVS Squillentes Canonicus Neapolitanus successit Mutio die 7. Decembris 1654.

VENAFRANI EPISCOPI.



VENAFRVM antiqua ciuitas ad radices Apennini montis inter M. Cassinum, & Æserniam haud longè à Vulturno flumine supra collem situata est M. P. à Capua Metropoli distat. Hanc Ptolemæus, Pliniusque in Campaniam Felicem, primamque Italiæ regionem reijciunt, alij in Samnio collocatam volunt. Hactenus nullus veterum scriptorum eius primigeniam originem retexuit, ex recentiorum verò nonnullis fabellis additis, aliqui huius ciuitatis auctorem faciunt Afrum ex posteris Abrahæ, & ab eius nomine, venaque olei appellatam volunt. Nõ desunt qui Venafrum ab Oscorum Italię gẽte vetustissima conditum fuisse asserant, ex Latino, Græcoue compositum, ex Venere, & Aphros, idest spuma Veneris dictum, eo quod locus ipse aptissimus sit generationi, ac felicitati, omnia enim vberrimè gignit, quæ hominibus, pecudibusq; pernecessaria sunt, triticum, legumina, oleum optimum, omnium genera pomorum, pascua, siluas, quibus omne humanum genus pecudumque nutrit. Cęlum habet saluberrimum, pulcherrimam planitiem, atque feracem, montes in gyrum positos, oliueta, vineta, venationes, aucupia, perennes fontes, & incolarum genia acutissima. In regione igitur Campaniæ felicissimæ censetur Venafrum, cuius origo ob vetustatem omninò latet. In eo Coloniam Romanorum fuisse deductam Plinius affirmat lib. 3. de locis mediterraneis. Frontinus de Colonijs. *Venafrum oppidum Triumuiri deduxerunt sine colonis, iter populo dabitur, pedes 20. ager eius limitibus intercisiuis est assignatus, sed summa montium iure templi Deæ ab Augusto sunt concessa.* Merula 117. locum ex deductis Colonijs Venafro attribuit. Augusti temporibus, antea præfectura fuit. Illud penè cum aliquibus Samnij ciuitatibus P. Sylla delesse innuere videtur Strabo, Pompeianæ deindè factionis ex quadam Ciceronis epistola ad Atticum fuisse tradunt. Eius præter relatos

latos auctores honorificè meminere Varro, Catoque de re Rustica, Vitrunius, Appianus, Silius, Ammianus, Frontinus, Orosius, Eutropius, Iuuenalis, Martialis, Venusinusque Horatius, ij præcipuè oleum Venafranum collaudant. Antiquitatem, magnitudinem Venafri, solique vbertatem satis describit Ioannes de Amicis Venafranus in suo Consiliorum libro num.105. Antonius Sanfelicius in descriptione Campaniæ situm luculenter conscripsit. Vincentius Ciarlanti eruditus amicus noster Venafri laudes non tacuit in sua Samnij historia; & non semel, sed parcè laudatus Camillus Pellegrinus in Apparatu ad Capuæ antiquitates. Christiani Euangelij fidem iam inde ab Apostolorum temporibus Venafrum hausisse constans traditio est, cum illa felicissima salutis exordia Nicandri & Marciani Martyrum inuictissimorum sanguine maduissent, Domitiano persequente Imperatore sub Maximo Præside die 23. Martij. Nicandri ciuitatis Patroni ossa in Ecclesia eius nomini dicata conquiescunt. Venafranus Episcopatus antiquus est, non constat tamen quis illum constituerit, vel qui primus hac dignitate condecoratus fuerit. Constantinus primus occurrit huius Ecclesiæ Episcopus, qui sub Symmacho Papa anno salut. 499. Lateranensi Concilio interfuit, post hunc per multa secula desiderantur Episcopi; etenim non semel hæc ciuitas cum cæteris vicinis vrbibus bellorum iniuria, barbarorumque incursionibus penè desolata est. Vnus idemque Præsul Venafranam, Bouianam, Æserninamque Ecclesias aliquandiù rexit, quousque vnicuique attributus est proprius Pastor Ecclesiæ Capuanæ suffraganeus. Ingentibus Episcopatus hic beneficiis à Regibus, Ducibus, Principibusque decoratus est, quamuis eadem bellorum, ac Barbarorum iniuria vetera monumenta extincta, consumptaque fuerint. Taxatur in lib. Cameræ Apostolicæ ad florenos 75. fructus vero ad 1600. scutata illarum partium ascendunt. Amplam habet Episcopus Cathedralem Deiparæ Annunciatæ sacram extra vrbis mœnia, quo in loco volunt veterem fuisse ciuitatem. Diuina in ea Canonici ... celebrant, quorum quinque dignitatibus sunt insigniti: in sex Parochias ciuitas distincta est. Tria virorum Monasteria, quatuor Xenodochia, sex laicorum Confraternitates, animæ fidelium in ea recensentur 3500. Diœcesis in satis amplam latitudinem se extendit, oppidaque nouem, & pagos ... continet. Ecclesiis, & Oratorijs ornata est. Præsulum huius Ecclesiæ seriē, quam modo damus, ex diuersis scripturis, monumentisque eruimus.



1. CONSTANTINVS Venafranus Episcopus anno 499. in Romano Concilio sub Symmacho Papa sedit, cuius successores per sex integra sæcula ignorantur.

2. GERARDVS Venafri, Bouiani, ac Æserniæ Episcopus consecratus est ab Atenulfo Capuano Episcopo an. 1032.

3. PETRVS Rauennas Monachus montis Cassini à Nicolao II. apud Acerras consecratus est Venafranæ, & Æserniensis Ecclesiæ Episcopus, anno 1059. teste Leone Ostiensi in Chron. Cassin. lib. 3. cap. 15. interfuit consecrationi Ecclesiæ Cassin. ann. 1071.

4. LEO Episcopus Venafranus anno 1090. interfuit dedicationi Ecclesiæ S. Martini apud montem Cassinum, cuius meminit Pet. Diac. lib. 4. cap. 8. Chronic. Cassinen.

5. MAVRVS Venafranus, & Æserniensis Episcopus an. 1113.

6. RAYNALDVS in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. celebrato ann. 1179. subscriptus reperitur Episcopus Venafranus: idem Venafranus, & Æserniensis Præsul denominatur in Bulla Lucij III. anno 1182. Dat. Velletri 13. Kal. April. ad fauorem Æserniensis Ecclesiæ, quam in eius Ecclesiæ Episcoporum serie retulimus.

7. N. Venafranus Episcopus à Federico II. Imper. exilio mulctatus, indè carceri mancipatus, in ea necatus occubuit an. 1230. vt scribit Nicolaus Card. de Aragonia in m.s. Hist.

8. R. Episcopus Venafranus, ab eodem Federico Imp. vna cum Episcopis Theaneñ. Calineñ. & Aquineñ. exul factus Iunio mense 1239. Romam venit ad Pontificem Gregorium, & sequenti mense eiusdem anni mortuus est apud S. Ioannem in Laterano, vt scribit Richardus de S. Germano in Chronic.

9. M. RAYNALDVS ex Capellano Stephani tit. S. Mariæ in Transtyberim Presbyt. Card. à Venafrano Capitulo ex mandato Papæ electus Venafranus Episcopus ab eodē Pontifice Innocentio IV. munus confirmationis accepit 15. Kal. Martij anno 1250. id habetur in epist. 140. fol. 132. ann. Pontificat. 9. in reg. Vatic.

10. IOAN-

10. IOANNES huius Ecclesiæ Præsul obijt anno 1299. A

11. ANDREAS de Auersa Bonifacij VIII. familiaris & charus in demortui Ioannis locum, qui sub Celestino V. diem suum clauserat, electus est Venafranus Episcopus 3. Kal. Iunij 1295. ex reg. Vatic. ep. 581. fol. 132. ann. 1. obijt sub eodem Pontifice anno 1299. memoratur in monumentis Fontis laureati anno 1298.

12. IORDANVS ex Canonico S. Mariæ de Carmineta Terracinæ Diœcesis successit Andreæ Kal. Iunij 1299. ad hanc dignitatem vocatus ab eodem Bonifacio VIII. ex eodem reg. Vatic. ep. 29 fol. 143. ann. 5. obijt nondum exacto anno à sua præfectura.

13. DOCIBILIS de Sermoneta ex Archipresbytero de Carmineto suffectus est per obitum Iordani 15. Kal. Apr. 1300. ex eod. reg. ep. 86. fol. 225. anni 8. Bonifacij, item suum obijt anno 1301. B

14. PEREGRINVM Præpositum Ecclesiæ Venafrum Ordin. S. August. Patauinæ Diœcesis Bonifacius ad Venafranam euexit Ecclesiam 9. Kal. Octob. 1301. vt in epist. 235. fol. 63. an. 7. reg. Vat. obijt hic ante annũ 1306

15. SPARANVS de Sancto Seuero regius Consiliarius, successor Peregrini a Carolo II. Rege ann. 1306. benigne rescriptum accepit contra Barones suæ Diœcesis illum perturbantes in coll ne Decimarum ac beneficiorum Episcopatus sui, quæ omnia confirmauit deinde Robertus Rex Caroli successor, hæc memorantur in reg. regio de quo mentio anno 1324. C

16. PETRVS successit Sparano, is qui anno 1326. translatus est ad Ecclesiam Nolanam ex reg. Vatic.

17. IOANNES Goceus antea Episcopus Ameliensis huc translatus à Ioãne XXII. anno 1328. Id. Septembris reg. Vatic. Caput S. Nicandri in theca argẽtea inclusit an. 1344. mortalitatem expleuit anno 1348.

18. Fr. PETRVS de Bossiano Ord. Prædicat. electus à Clemente VI. per obitum Ioannis 1348. 8. Kal. Iulij ex reg. Vatic. ep. 198. fol. 91. fato functus est sub Vrbano V.

19. GVIDO Episcopus Troianus ad hanc Sedem translatus 4. Id. Aug. anno 1366. ab Vrbano V. D

20. NICOLAVS hanc regebat Ecclesiam anno 1387. Hic tanquam hæres q. Nicolai de Prata Archidiaconi Venafrani quædam bona eiusdem per Sancitam concordiam obtinuit anno 1394. defunctus est anno 1396. Bonifacio IX. ad clauum sedente, vt notatur, in libro Prouisionum Prælatorum. Memini me legisse in lib. solutionum Clementis VII. Pseudopontificis Carolum quendam ab eodẽ Antipapa in hac Venafrana Ecclesia intrusum solitum subsidium persoluisse Collegio Cardinalium Clementis anno 1388. die 26. Febr. quem tanquam adulterinum ab hac ferie exulare compellimur.

20. Fr. ROGERIVS de Castro Petræ Ord. Heremitarum S. Augustini defuncto Nicolao delectus est huius Ecclesiæ Episcopus à Bonifacio IX. anno 1396. 13. Kal. Octobris mortalitatem expleuit anno 1399. ex lib. Prouis. Prælat.

21. ANDREAS Flascone de Prata Ecclesiæ Theanensis Decanus eligitur per obitum Rogerij 13. Kal. Octobr. 1399. hanc rexit Ecclesiam per aliquot annos.

22. CAROLVS Episcopus erat Venafranus anno 1420. translatus est ad Bitetensem anno 1422. 2. Id. Aprilis.

23. ANTONIVS Mancinus ex Primicerio electus est Episcopus à Martino V. anno 1427. 15. Kal. Ianuarij sedit plus minus annis 38. valdeque proficuus fuit in hac Ecclesia administranda cuius iura, ac bona vsurpata, regia beneuolentia adiutus indefesso labore recuperauit; moritur anno 1465.

24. IOANNES Gattula de Caieta, Commendatarius Abbatiæ S. Erasmi de Castellana Episcopus Venafranus fuit; electus anno 1465. 7. Kal. Octobris, de quo mentio in monumentis eiusdem Ecclesiæ ad annum vsque 1471. quo è viuis exemptus est.

25. ANGELVS de Albero Hispanus à Sixto IV. creatus est Episcopus 17. Kal. Septemb. 1471. sub Alexandro VI. Campaniæ & Maritimæ Prolegatus fuit. Obijt verò, anno 1504



26. RICCOMANNVS de Buffalinis Tiphernas Romæ natus 1489. 11. Ianuar parentibus Ioan. Petro, & Magdalena de Vitellis, vir doctus, pius, exemplarisque vitæ, eligitur à Iulio II. anno 1504. die 2. Octob. sub quo Lateranensi Concilio interfuit an. 1512. plura eius pietatis monumenta extant in hac Ecclesia, quam sanctè administrauit annos 22. eximia deuotione accensus Hierusalem longa peregrinatione adijt, inuisitque Domini sepulchrum quadragenario minor Romæ obijt, sepultus est in Ecclesia S. Mariæ Nouæ anno 1528.

27. HIERONYMVS Card. Grimaldus die

A die 9. Octob. 1528. constitutus est huius Ecclesiæ perpetuus administrator, resignauit deinde ad fauorem sequentis anno 1536.

28. BERNARDINVS de Soria Hispanus, patria Burgensis ab Episcopatu Rauellen. ad hunc translatus die 2. Iunij 1536. Obijt 1548.



B

29. IOANNES BAPTISTA Caracciolus Pisquitius Neapolitanus Venafranus adlectus est Episcopus die 24. Martij 1548. fuitque Iulij III. Sacelli Apostolici Assistens. Romæ mortalitatem expleuit anno 1557.



C

30. IOANNES ANTONIVS Carrafa Neapolitanus Pauli IV. affinis ad hoc Sacerdotium assumptus est 9. Aprilis ann. 1557. Romæ defunctus est anno 1558.

D



31. ANDREAS MATTHÆVS Aquauiua de Aragonia die 18. Iulij 1558. euasit Episcopus, præfuit annis 15. translatusque est ad Archiepiscopalem Sedem Cusentinam, an. 1573.

32. HORATIVS Caracciolus Pisquitius Neapolitanus electus 17. Septemb. 1573. Obijt 1581.



33. LADISLAVS de Aquino Neapolitanus generis claritudine, ac innocentia vitæ clarus, Venafranus euasit Episcopus die 30. Octobris 1581. quem Paulus V. an. 1617. ex Perusiæ Gubernatore in Sacrum Collegiū cooptauit ad titulum S. Mariæ super Mineruam, Romæ interijt die 12. Februarij 1621. in Comitijs, quibus Gregorius XV. creatus est, in cubiculo Præfecti Sacrarij Apostolici, corpus ad Mineruam funeratum hoc elogio ad tumulum exsculpto.

D. O. M.

Ladislao S.R.E. Card. excellenti & illustri nobilitate D. Thomæ Aquinatis Domus, magnis virtutibus claro in Comitijs non ad summum terrarum, sed ad cælestia diuino numine & beneficio euocati, Obijt anno Dom. MDCXXI. ætatis suæ LXXV.

Ioannes Riccius de Piscia Patrono cariſſimo grati animi ergo monumentum P.

34. OCTAVIVS Vrsinus Romanus, Ladislao subrogatus est die 13. Septembr. 1621. sedit ann. 11. translatus est ad Ecclesiam Signinam anno 1632.

35. Fr. VINCENTIVS Martinellus Barensis Ord. Præd. ex Episcopo Cupersanensi, ad hanc Venafranam Ecclesiam translatus est ab Vrbano VIII. die 12. Kalend. Octobris anno 1632.

SVR-

SVRRENTINA METROPOLIS

Cuius Suffraganei sunt

Episcopi. { Aquensis, seu Vicoaquensis.
Lubrensis, seu Massæ Lubrensis.
Stabiensis, siue Castelli Maris.



SVRRENTVM olim Picentinorum Metropolis in amœnissimo Tyrrheni maris littore ad sinum Crateris, inter ostia Sarni fluminis à Campanis separantis, & Athenæum promontorium inter vrbes Campaniæ hodie habita; modica quidem, & in colle sita, quam Vicus, & Massa vrbeculæ, paruo interuallo dissitę circunstant; à Neapoli in Austrum XXIV. M. P. abest, à Salerno in Africum ferè totidem, ab Amalphi in occasu vix X. Ab Vlysse conditam asserunt; exordium tamen incertum, tametsi fabuletur Annius in Commentarijs à Sara muliere Imperiali sumpsisse principium. Vix quicquā occurrit, quod de Surrento videatur posse narrari, quod Iulius Cæsar Capaccius in sua Neapolitana Historia disertissimè non enarrauerit. Ab ipso igitur pauca, quę de hac vetustissima vrbe dicturi sumus exscribemus, cum ad satietatem, ac perbelle de eius origine, situ, antiquitate, religione, illustribus viris, Ecclesiaque suis recenseat in commentarijs. Surrentum itaque Straboni, & alijs Sorrentum, Σύρεντον Ptolemeo vnica r, quasi Surenetum appellari, & Pontanus scripsit, & Sirenum patefecit habitatio, quamobrem lapides in ea regione olim Sirenum dicti, vt hoc habeat voluptuosius hæc ciuitas, quod cum vna tantum è Sirenibus Neapoli Parthenope contigerit, duas Surrentum habuerit, quasi verò efficacius hominum animos allicere potuisset. A Sirenibus sic fuisse dictam docet Papinius.

Est inter notos Sirenum nomine muros
Saxaque Tyrrhena templis ornata Minerua.

Et inter ea loca Surrentinum Pol. collocat. Et Plinius, *Surrentum cum promontorio Mineruæ Sirenum quondam sede.* Sireum Strabo appellat omnem illam oram, quæ à Sarno flumine, ad Mineruæ (nunc Campanellæ) promontorium, *Stabias*, Aquam, Surrentum, Massam, & paruas illas insulas, quæ Salernitanum sinum spectant, amplectitur. Naturæ miraculo factum videtur, vt quæ ciuitas ad voluptatem, atque animi tranquillitatem condita fuerat, clementissima cœli, & saluberrimi maris aura perfluatur, colles, qui à ventorum meridionalium, & occidentalium impetu regionem tuentur, omni fructuum genere vndique vberrimos habeat, inter duos durissimo saxo montes erectos Vicanum, atque Massanum huiusmodi planissima in rupe haud altius è mari eleuata, variarum arborum lætissima scena ridens, quæ ad quinque millium passuum tractum exornat, est posita, vt rupes leui è saxo, quo

Nea-

Neapolitani concinnandis feneſtris vtuntur, in frigidiſſimis antris aquarum ſcaturigines ſuppeditet, oculiſque ſe pulcherrimam veluti littoralem murum obijciat. Patet ad Caurum planities, quã nihil poſſe amœnius excogitari, qui viderint, facilè exiſtimabunt; perpetuo enim continentur viridario, dumque eius iter teritur, aut frondium opaco nemore contegimur, aut herbarum florida ſtramina premimus, aut fructuum ſuauitate ſaturamur. Inde Bacchus in craterem liquores fundit, inde teneririmas vitulas lacte ſaginatas turrita Cibele, quæ ibi ſuas collocari ſedes à Deorum concilio impetrauit, non ad ſacrificiorum ritus, ſed ad iuuandos, & exhilarandos mortales tapeä mittit cum liberalitate, vt tunc ſe diuitem præbeat, cum delicatiori cibo lautiſſimè homines veſcuntur, cum, inquam ſapidiſſimos fructus, quorum tellus redundat excellentia & copia, terra, mariq; viciniæ ſumma cum felicitate diſtribuat. Romana in antiquis aquæductibus magnitudo conſpicitur, quando per planitiem, lateritij operis ruinæ vagantur, & faciunt aquæ, ad quarum bonitatem nullæ accedunt, varijs curſibus ductus irriguos, quorum perennitas maiori laude regionem reddit celebriorem; Dum in occidentali hac planitie Surrentum ſedet, curui, longique littoris ſinum veluti Amphitheatrum proſpicit, Veſuuij fœdi oris ruinas admiratur, Neapolitanorum ferè voces audit, Pauſlypana viuaria dinumerat, Puteolana prodigia, & Baianas amœnitates ſpectat; Miſenatibus aquarum Caſtellis non inuidit, & æquoris alibi placidos receſſus huiuſmodi contemnit; vt cum Papinio in Surrentino Polij dicat,

Mira quies pelagi, ponunt huc laxa furorem
Aequora, & inſani ſpirant clementius Auſtri.

Atque ita, vt cum Lyeus corollis redimitus littora & antra petit, Nymphæ cochlearum theſauris comas implicitę ex vndis ad amores prodeant, & dum ſuos ibi caniſtros Pomona connectit, Tethis omnia piſcium genera ex algoſo gurgite, vel odoris ſcopulis promit, vt nihil Surrentino ſolo feracius, aut iucundius qui viderint, iudicare poſſint. Aequor ſcilicet nitidis aquarum fontibus, placidorum ſinuum receſſibus, ſcopulorum viriditate, & feracitate, vmbroſis ſpecubus, ex quibus dulcium aquarum guttæ exſtillant, aquatilium piſcatu celeberrimum. Mare inexpugnabilem vrbem reddit, ex quo vndiq; negatur acceſſus. Mœnibus, aggeribuſque fortiſſimis è terra munitur, in quibus tamen ad quingenta numerantur capita, ſi vero pagos adcenſeris ad mille centum ſeptuaginta numerabis. Sed quid vrbem? pomarium potius dicam, quod vndique citrea mala, & medica, floreſque ſemper olet. Suntque & voluptati & lucro propterea quod quicquid Surrenti naſcitur, non tantùm à Neapolitanis, ſed ab omnibus gentibus deſideratur. Quid aquæ Surrentinæ? Quid aquarum pręclara illa monumenta vigintiſeptem Seruatorum piſcinis, maximum Romanorum opus, maximum vrbis decus? Habet Surrentum ex ſitu, ex rerum copia, ex ſua nobilitate ſplendores, nihil erit abſque aquarum admirabilibus piſcinis. In ipſo ingreſſu, non arcus, aut porticus hæc Ciuitas adeuntibus; ſed nobiliſſimarum aquarum caſtella obijcit, quę veluti Romæ triumphantis lumina inter alios illuſtrium rerum radios nitet. Aquæ gelidæ, ſalubres inter ſe mutuò perbellè commeantes, perlucidæ, puræ, ſuaues, omnis penitus qualitatis expertes, tenues dum bibuntur, & coquuntur facillimè, vt ab alijs aquis alienæ magis potatæ, quàm guſtatæ delectent, & iuuent, & ſine medicamento bibentibus, nullã iecori, aut viſceribus pondere, aut frigiditate moleſtiam afferentes. Quapropter non immeritò nobilium cœtus ædilitio munere maxima ſolertia eis vacat. Nihil tamen ſub cælo beatum. Pulchritudinis ſpeciem omnem Surrentina ciuitas amiſit, cum Piali Baſſanus anno 1558. idibus Iunij, die quo Diui Antonij Patauini feſtũ celebratur CXX. longis nauibus præfectus, inſpectante Neapoli, barbaram ſæuitiam oſtentans, noctu inopinato in vrbem impetu facto, ciuibus partim in captiuitatem redactis, partim perterritis & in fugam per vicinos colles coniectis, Surrentum, Maſſamque vaſtauit, dirupit, incendit; miſerrimamque matronarum, & ſacrarũ Virginum raptu calamitoſiſſimo effecit. Ad duo millia hominum captiua ducta ſunt. Sitam huius vrbis ambiguunt pagi, Prior, Formura, Ceſaranus, Baranicus, Lauaturus, Caſola, Sanctus Anellus, Gangorus, Carottus, Caſſanus, Meta, Ponſmaior, Alimonus, Sanctus Ligorius, S. Auguſtinus, Legitimus, Formæ, Maianellus, Gomella, Cermona, Traſaiellus, Arbor, Mortorus, in quibus pręter delicias ruſticarum viget fœminarum cultus.

Nihil vicinis Rebuſpublicis Surrentina ceſſit, quæ Colonia quoque à Romanis deducta eſt, & quæ etiam Municipiorum Magiſtratus habuit, vt ex antiquis lapidibus, in quibus multa, quæ ad antiquorum monumenta pertinent, elucescunt. Habemus reipublicæ nomine etiam municipium, cum ſub Gratiano Reſpublica dicatur, poſterioribus enim huſce temporibus alio pacto Reſpublica Surrentina dicitur, quam quo ſub Gręcis floruit. Quod clarius declarat *Ordo & Populus*, ſub quo ſtatu Helenæ Imperatrici vouent etiam *Surrentini*, veluti & Neapolitani.

PIISSIMÆ. AC. VENERABILI. D. N. HELENÆ. AVG.
MATRI. D. N. MAXIMI. VICTORIS.
AVG. CONSTANTINI.
ET. AVIÆ. DD. NN. CONSTANTII
ET. CONSTANTIS
ORDO. ET. POPVLVS. SVRRENTINORVM.

Atque is lapis in maiori Ecclesia Surrentina positus cum Neapolitano conferendus est, hic enim illum declarat, quippè Auiam Constantini, & Constantis eam dicit, qui Cæsares tantum in Neapolitano dicuntur. Patronos quoque Coloniæ leges, & M. Vlpium Pupienum habuere Surrentini. Gladiatorum habes spectacula, ludosque Circenses, Quinquennalitatis prætereà Magistratum, Sed Reipub. Surrentinæ meminit nuper effossus lapis propè Cathedralem, quem cum alijs Antonius de Pezzo modernus dignissimus Archiepiscopus in atrio Archiepiscopalis Palatij collocauit.

INSTAVRATORI ORBIS
TERRARVM PERPETVO
AC PIISSIMO IMPERATORI
D. N. FLAVIO VALERIO
CONSTANTINO.
MAXIMO. PIO
FELICI SEMPER VIC-
TORI S. AVG. RESP.
SVRRENTINORVM. D.D.

Alius.

L. ARRVNTIO P. F. L. N.
MEN. RVFO EISDIO PROCV
IO. VIX. ANN. XXIIII.
HVIC DECVRIONES STATV-
AS DVAS ALTERAM EX
PECVNIA PVBLICA ALTER-
RAM EX ÆRE A POPVLO
CONLATO IN FORO PO-
NENDAS DECREVERVNT.

Alius etiam ibidem inuentus lapis, sic inscriptus.

CAI. FLAVIO
GRATIANO
SEMPER
AVGVSTO.

Plures alias Romanas Inscriptiones affert Capacius, ac de Surrento prosequitur, Suos etiam Surrentina ciuitas sub Imperatoribus habuit Duces. Guimarus Salernitanorum Princeps, Normannorum ope, capto Surrento, Ducem eius ciuitatis Guidonem fratrem constituit. Anno 1071. consecrationi Ecclesiæ Cassinensis Sergium Surrentinorum cum Sergio Neapolitanorum Duce interfuisse scribit Anonymus. Robertus quoque Nortmannus Salernitanorum, Amalphitanorum, Surrentinorum, Apulienfium, Calabriensium, atque Siculorum Dux fuit. In Basilij Imperio commemoratur Marinus filius quondam Domini Sergij, dudum Præfecti, & Fortioris ciuitatis Surrenti. Comitis, & Præsidis Surrentini mentio fit in Actis Sancti Tāmarij. Et quidem præter Duces, Comitesque Surrento nobiles ciues omni propè memoria maximo ornamento fuerunt, siue belli, siue pacis artes tractantes, quorum memoriam retexuit idem Capaccius; at nil sic Surrentum illustrauit, quàm paulò post Christianam fundatam salutem, Euangelij lucem, vel ab ipso Petro Apostolorum Principe, vel ab eius discipulis susceptisse, totque protulisse Sanctos, quos colit: Ibi Renatus, Valerius, Athanasius, Baculus, Antoninus Abbas, quorum nomine, tutela, miraculis, regio nitet, & beatissimi Ciues existimantur ibi die 14. Kalend. Aprilis solemnis fit commemoratio Sanctorum, Quarti, Quartilli, Quintillæ, Marci, nouemque iterum Sociorum, qui martyrio in hac Ciuitate coronati sunt, quorum meminit Martyrologium Romanum, eorumque Ecclesia præterito sæculo à Carmelitis restituta est. Cæterùm haud absurdum erit arbitrari, primis illis Christianæ salutis sæculis plures à Romanis Pontificibus Surrento Præfectos, qui Ecclesiam illam desequientibus Christiani nominis persecutionibus regerent, & informarent ad salutem, quorum nominū vsque ad Renatum, qui vixit anno 425. nulla extat memoria. Post Renatum Episcoporum series continuata est, tametsi nomina aliqua interciderint. Templum Cathedrale titulo SS. Apostolorum Philippi & Iacobi vetustum fundarunt prisci illi Præsules, quod Ioannes XIII. Pont. Max. in Archiepiscopalem erexit, vt fertur, post annum 968. Leopardo ordinato primo Archiepiscopo, eidem Lubriensi, Stabiensique adiunctis suffraganeis, quibus accessit Aquensis, seu Vico-Aquensis. Romano Pontifici immediatè subijciebatur Surrentina Ecclesia, antequam in Metropolim erigeretur. Cathedralis itaque antiquæ structuræ, sed mirificè exornatæ, quinque dignitates sunt, Archidiaconatus, Primiceriatus, Cantoratus, Decanatus, ac Thesaurariatus. Duodecim in ea sunt Canonici, cum septem hebdomadarijs, alioque minorum gentium clero

clero, diuino cultui destinato. Canonici ex vetusta consuetudine purpureis Mozzettis, vt vocant, hebdomadarij verò cæruleis vtuntur, intra mœnia duo Sanctimonialium Benedictini Ordinis Monasteria spectantur, piæ Ædes pro mulieribus mundi illecebras fugiétibus, ac Puellarum Virginum seruatorium, nouem virorum Cœnobia, quorum habetur præcipuum S.Renati, Monachorum Cassinensium nobile extra vrbis mœnia exædificatum, vetustum quidem & priuilegijs permultis illustre: Sanctæ Euphemiæ Ordinis Minorum Conuentualium, S. Francisci de Obseruantia, S.Mariæ ad Portum Capuccinorum Fratrum, S.Vincentij Ordin. Prædicatorum, Annunciationis S.Augustini Congregationis Carbonariæ, S.Mariæ de Monte Carmelo, S.Ioseph Discalceatorum eiusdem Ord. & nupera domus S.Antonini Regularium Clericorum Theatinorum, duæ in Diœcesi Abbatiæ Consistoriales S.Petri à Cappella, & S.Petri de Marittonica, Laicorum plures Confraternitates, Hospitale, Pietatis Mons ad solamen egenorum, & Puerorum Seminarium ad Ecclesiasticam disciplinam dissemiandam, Diœcesis perangusta est, septem Parochijs distincta regitur, S.Archangeli nempe, Sancti Athanasij, S.Mariæ de Caserlano, S.Angeli, S.Mariæ de Mortula, Sanctissimæ Trinitatis, & S.Mariæ ad Lauram: beneficia perplura simplicia, parui tamen valoris. Mensæ Archiepiscopalis annuus census vix ad mille & centum scutata ascendit, in libris Cancellariæ Apostolicæ taxatur floren. 50. Huius ciuitatis modo dabimus Præsulum seriem ex varijs auctoribus, monumentisque satis ieiunis erutam, pleniorem daturi, si suppeditassent monumenta, quæ miserabili ruina à Turcis cremata fuerunt.



1. N. Surrentinus Episcopus prædecessor S.Renati memoratur in Actis eiusdem Sācti, nomen tamen non exprimitur. Vixit ante annum 425. alijs 430. alijs 440. Obijt vero circa annum Domini 450.

2. S. RENATVS Cheothedrus Andegauensis patria, eiusdemque ciuitatis Episcopus

A solitariæ quietis studio Romam, mox Surrentum se contulit; vbi vitam diu ab omni non modo labe alienam; sed ab hominum etiam cœtu seiunctam duxit: donec clarius in dies eius fama sanctitatis illucescente, è latebris vbi se abdiderat repugnāter extractus in eius vrbis Episcopali tunc Sede vacante sedere coactus est. Addunt eum vnicum illius secessus socium habuisse nomine Valerium, patria Surrentinum, quem sui instituti sectatorem, motumque egregium imitatorem probè studijs omnibus pietatis excultum, demum post obitum dignitatis, ac muneris reliquit hæredem. Electum referunt Surrentinum Episcopum circa annum Domini 450. vel 430. vt alij volunt, obdormisse verò in Domino

B post paucos annos 3. Nonas Octobris. Locus, quem S.Renatus sua præsentia cohonestauit, iam piorum ciuium munificentia in Ædem eiusdem Sancti nomine, ac patrocinio nobilem traductus est, cui adiectum est ex sacra Benedicti familia insigne cœnobium, eamque religiosissimè Patres egregiè instructam, atque exornatam seruant. Compertum etiam, exploratumque est, & certa Patrum traditione manauit, cum corpore Diui Valerij, quod in huiusmodi æde religiosè asseruatur, partem quoque corporis S.Renati condi, colique, prona scilicet Surrentinorum in suos tutelares obseruantia, ac pietate. Anno 1603. in eadem Basilica inuenta sunt Sanctorum horum Episcoporum corpora, & authorita-

C te Sacrorum Rituum Congregationis, solemni ritu sub primario Altari condita sunt hac inscriptione proloquente.

Alexander Cardinalis Florentinus

Sanctorum Episcoporum, Renati, & Valerij Surrentinæ ciuitatis, eiusque patronorum corpora, quæ sub primario altari Basilicæ veteris collocata fidelium antiqua traditio credidit, atque colit, inuenta sunt sine nomine sub eodem Altari; nec alia ab il-

D *lis existimata Apostolica authoritate in nouam Ecclesiam translata sub primario itidem Altari sunt solemni ritu recondita à Monachis huius Monasterij Cōgregationis Cassinensis Anno salutis MDCIII. die XIIII. Nouembris, ex decreto Apostolicæ Congregationis Sacrorum Rituum sub die XXI. Augusti MDCIIII.*

Ma-

Magna est controuersia inter Surrentinos, & Andegauenses de existentia corporis S. Renati. Surrentini apud se ex Actis eiusdem, ac traditione Patrum, cum ex aupeta innentione seruatum volunt. Andegauenses in Ecclesia Cathedrali Renati se exuuias sacras venerari dicunt. De loco hæc referunt in monumentis. Produnt (inquiunt Andegauenses) historiæ nostrates, Infantem quendam ante Baptismum mortuum, à S. Maurilio Andegauensi Episcopo Beati Martini discipulo ad vitam reuocatum fuisse, eique quasi bis nato, ea causa Renati nomen impositum: hunc verò Maurilij disciplina institutum eidem in Episcopatu successisse, quem Episcopatum cum per aliquot annos sanctè, sapienterque gessisset, limina Apostolorum visitasse, indeque Surrentum profectum ibi aliquandiu solitariam vitam egisse, tandemque eiusdem ciuitatis Episcopum factum, ibidem feliciter obijsse. Addunt monumenta nostra, Legatos ab Andegauis post mortem missos ad repetendum corpus Episcopi sui, qui cum à Surrentinis repulsam passi fuissent, ad summum Pontificem confugerunt, cuius iussu corpus Andegauis redditum fuerit, & ab ijs in patriam transportatum. Habemus præterea Acta authentica, quibus constat idem sanctum corpus sæpius ab Episcopis nostris translatum fuisse, & tandem in Ecclesia Cathedrali positum; sed anno salutis 1562. cum ab Hæreticis Caluinianis in ignem coniectum fuisset, illis defugientibus, reliquias superstites collectas tandem à Carolo Andegauensi Episcopo in capsam inauratam trãslatas fuisse, vbi in hunc vsq; diem quiescunt ad Altare S. Renati quod est in capite Ecclesiæ, impositæ. Ex porrò magna in veneratione habentur, & cum ciuium, tum adnenarum concursu religiosè frequentantur, præcipuè à mulieribus sterilibus. Locus denarijs, & votiuis imaginibus eorum, qui eiusdem Sancti ope beneficia diuina consequuti sunt, vndique ornatus est. Hæc Andegauensium pia Renati traditio. Idem ferè habet Andreas de Saussay tom. 2. Gallicani Martyrologij; sed ne verbum quidem de Renati ordinatione in Surrentina Sede. Stupendum addit miraculum, Renatum ex diuina promissione à sterili matre genitum, pauloq; post defunctũ, quem Sanctus Maurilius Episcopus Andegauensis septem annos integros in monumento iacentem, excellentissimo (vt ait Petrus venerabilis Abbas Cluniacensis) miraculo ad vitam suscitauit. Quod etiam in hymno eius nomini scripto legitur.

Ventre conceptus sterili parentum
Nasceris fletu, lachrymis Renatus
Præsulis, Christo Duce, visus vnda
Surgis ab vrna.
Surgit vt cadens rosa rore tacta
Rore ceu surgit folijs apertum
Lilium surgit veluti profusus,
Rore Hiacynthus,
Surgis è mortis gremio futurus,
Fulgidum vitæ speculum; futurus
Forma virtutum celebris; futurus
Aetheris astrum.

Diuersum tamen à Saussay refert Capaccius de S. Renati à mortuis resurrectione ex Actis eiusdem, Renatus, inquit, Honorato Cheothedro viro Senatore, & Bononia Primaria fœmina natus est Andegaui circa annum Domini 400. post Gratiani decem Imperio ad Theodosium delato. Steriles cum se cognouissent parentes, Maurilium Andegauensem Antistitem sanctitate vitam præstantem adeuntes, obtestati sunt, vt precibus Deum exoraret, vt ijs procreandi filij tandem aliquando potestas concederetur. Id quod factum est. Adultum deinde Renatum Maurilio Seni commendarunt. Sed graui morbo correptum ad Maurilium ducentes, cum eum morbo iam liberatum animaduertissent, Renatum appellarunt; quasi verò ex mortuis ad viuos redijsset. Quo nomine antea appellauerint, scriptores non meminere. Antoninus Archiepiscopus Florentinus puerum hunc à mortuis excitatum scribit, & post Maurilium Pontificem in eius locum à suis ciuibus esse suffectum: hæc ille. Saussayus habet, Renatum Nefrido in Cathedra Andegauensi successisse & Thalasio eandem sedem commendasse, cum ad limina Apostolorum visitanda iter arripuisset, qui ei successit. S. Maurilius obijt, eodem Saussayo teste anno salutis 436. die 13. Nouembris. Claudius verò Robertus in sua Gallia Christiana refert ex Breuiario Rothomagensi ob tum Renati in annũ 410. Nefridus Maurilij successor ordinatur anno 436. qui corpus S. Maurilij transtulit. Huic successit S. Renatus circa annum Domini 450 qui Episcopus Surrentinus euasit paulo post, relicto successore in Andegauensi Ecclesia Thalasio in Concilio Andegauensi ordinato anno 453. Ex qua annorum computatione videtur asserendum, S. Renatum ad Sedem Surrentinam moderandam accessisse circa annum Domini 450. non verò ann. 425. vel 430. vt Diptycæ Surrentinæ Ecclesiæ scribunt. De Renato non agit Martyrol. Rom. agitur tamen eius dies festus solemni ritu apud Surrentinos, vbi vetus officium cum eiusdem Sancti Actis recitatur peruetustis, de quo Ferrarius; vitam ipsius præter relatos anthores scripsit Dauid Rhomeus Presbyter Surrentinus, gratis tamen Renatum, quem Surrentini colunt, diuersum à Renato Andegauensi facit. Sunt etiam qui scribant Renatum neque vnquam fuisse, neque Andegauorum Episcopum esse potuisse, de qua re legendus Ioannes Launoy Parisiensis, aduersus quem extat Apologia Capituli Andegauensis pro Sancto Renato Episcopo suo.

3. S. VALERIVS de Apreda Surrentinus D. Renati in Sancta conuersatione discipulus & in

& in Episcopatu successor circa annum Domini 453. eiusdem Sancti templo adiunctam ædem ædificat, cum Sanctissimè Surrentinam Ecclesiam per aliquot annos rexisset, euolauit ad cælos 17. Kal. Febr. & in templo eius & Renati nomine excitato conditus est, cuius Acta recitantur in Homelijs, quæ extant in Metropolitana m.s. die eiusdem festo, quorum initium, *Operante diuina misericordia redijt & omnibus votis operata solemnitas, &c. Annua reuolutione festiuitas, &c.* De Valerio agit Ferrarius hac die & in Catalogo SS. Italiæ.

4. ROSARIVS Romano Concilio interfuit anno 499. cuius etiam mentio habetur in Diptycis Surrentinæ Ecclesiæ ann. 487. post hunc aliqui desiderantur Episcopi.

5. IOANNES præerat Surrentinæ Ecclesiæ anno 580. ad quem scribit S. Gregorius de s. Agathæ reliquijs collocandis, vt cum postulauerit ab eo Sauinus Abbas Monasterij s. Stephani insulæ Cabis, vt eius Martyris reliquias ibi collocandas iuberet, eò Ioannes se conferet, & si nullum corpus ibi constiterit humatum, prędicta sanctuaria solemniter collocet. In Synodo præterea habita ab eodem Pontifice in vrbe Romana anno 595. imperantibus Mauritio, Tiberio, & Theodosio, inter alios Episcopos subscribit Ioannes Episcopus ciuitatis Surrentinæ, idemque subscribit priuilegio, quod Gregorius Pontifex concedit Gailardo Abbati s. Medardi Monasterij Suessionensis. Tum verò Ioannem misisse scribit Iustum clericum capitularem, qui Pontifici nunciaret aliquos Monachos Monasterij in Surrentina Diœcesi à proprij Abbatis regula abscedere; quapropter Anthemio Subdiacono mandat, vt Monachos, qui publicè vxores sortiti fuerant, ad sua Monasteria transmittat. Extrema clausisse Ioannem tesetunt anno 598.

6. AMANDVS Presbyter Oratorij s. Seuerini in Castro Lucullano Neapoli, electus Episcopus Surrentinus ann. Christi 599. die 22. Martij ordinatus, de quo idem Gregorius ad Anthemium Subdiaconum; *Postquam is, qui ad Episcopatum Surrentinæ ciuitatis electus fuerat, aptus nobis visus non est, Amādum Presbyterum Monasterij S. Seuerini, quod in Castro Lucullano situm est elegerunt. Ea propter experientia tua præcipimus, vt eundem Presbyterum excusatione postposita, sub omni ad nos studeat festinatione transmittere, quatenus petentium desideria cum Christi auxilio, si nihil est quod eum impediat, impleantur.* Subdiditque vt simul cum fortunato Neapolitano de eius vita & actibus diligenter inquirat. Præter Episcopi electionem noto Clementinam Patritiā tunc Neapoli, vel in Castro Lucullano fuisse. Sic enim ait; *Ne autem gloriosa filia nostra Clementina hoc molestè suscipiat, ad eam experientia tua pergat, vt cum eius voluntate hoc faciat, sin autem reniti fortasse voluerit, huc eum sicut diximus sine mora experientia tua trāsmittat. Alicuius fortasse Ducis Neapolitani filia erat, aut affinis, quando* maxima ex parte Duces Patritiatus honore insigniebantur, de cuius electione à Surrentinis facta ad eandem scribit. Conqueritur idem Pontifex cum Anthemio, Monachos, quos in Surrentina ciuitate pro complenda Antonini voluntate transmiserat, pecuniam ab ipso acceptam ad emendas possessiones expendere. Quocirca ipse prouideat, vt solidos incautè erogare non debeant. Huius Episcopi hanc seruant Surrentini memoriam in D. Felicis & Baculi.

HIC REQVIESCIT SACERDOS DEI AMANDVS EPISCOPVS SANCTÆ ECCLESIÆ SVRRENTINÆ, QVI SEDIT ANNOS XVII. DIES XXI. DEPOSITVS EST DIE XIII. MENSIS APRIL. IND. V. IMPERANTE D. N. HERACLIO R. AVG. ANNO VII. ORATE PRO ME SANCTE PATER.

Annus Amandi obitus incidit in annum Christi 617. quem veluti Sanctum virum venerantur Surrentini.

7. S. ATHANASIVS Surrentinus fuit Episcopus diuersus à S. Athanasio Neapolis Episcopo. Hāc sedem sortitus est post Amandum anno salutis 617. de quo non extant acta; sacra tamen anniuersaria celebrantur 6. Kalend. Februarij. In Basilica eius hæc mentio in quodam lapide.

Anno Domini Incarnation. M.C.LXXIII. tertia die Iunij Ind. VI. ad honorem Dei, & gloriosæ Genitricis Mariæ, & Sanctorum Renati, Valerij, Athanasij, Baculi, & Antonini, in omni verò anniuersario die Consecrationis huc omnibus aduenientibus pridie . . . . . criminalibus decennialibus corpus Sancti Athanasij sacro sacris Ost:

De Athanasio loquitur eruditissimus Antonius Caracciolus clericus Regularis in mo-

monumentis sacris Neapol. Ecclesiæ ad finem vitæ S. Athanasij Episcopi Neapol. & in Scholijs vitæ S. Antonini Surrentinorum Patroni.

8. AGAPITVS Surrentinus Episcopus floruit anno 645. Hic Surrentum à Rodoaldi Beneuentanorum Ducis rabie, oratione, & ieiunio illibatum seruauit. De qua re Mar. ius Vipera in Chronologia Episcoporum Beneuentanorum. Anno 643. Arechius Dux, qui Ducatum Beneuentanum quinquaginta tenuerat annis, obdormiuit in Domino, & Ayonus eius filius ei successit, & Dux III. extitit, qui dum contra Sclauos ex Dalmatia egressos Sipontum obsidentes, fortiter agere conatur, fuit extinctus anno 644. cum anno & mensibus quinque Beneuentanorum Ducatum rexisset, & Romoaldus post eum regnauit, & Dux IV. fuit, & Ayonis mortem vindicauit Sclauosque ex obsidione fugauit, Ducatumque in pace reduxit. Qua tempestate Rodoaldus Dux cum toto suo exercitu Surrentum irruit, & vndique obsedit, adeo vt Agapitus Surrenti Episcopus suos Ciues spe salutis destitutos vltro se tradituros esse, cognoscens, ita apud illos ad fortiter bellandum adhortatione, & apud Deum assiduis ieiunijs, precibusque noctu, dinque præualuit, vt non sine claris miraculorum signis, meritis præcipuorum Episcoporum Renati, & Valerij fretus, ciuibus salutem, vrbique libertatem impertiuit. Nam Rodoaldi aurum, argentumque Sanctorum illorum sepulchris extra vrbem sitis suppliciter offerentis, vouentisque maiora, si vrbe potiretur, manè expertectus exercitus foris extra templum proiecta, omnia repetere; vnde quidam ex militibus vastandi animo ingressi, illicò à Dæmone abrepti, eousque vexati, donec ante Sanctorum tumulum miserè expirarint. His Dux & exercitus commoti, obsidione soluta, Dei, sanctorumque experti pro ea vrbe tutelam, statim se se Beneuentum receperunt. Hæc ex gestis Sanctorum Renati & Valerij. quæ etiam leguntur in m.s. Codice Ecclesiæ Surrentinæ in eorundem Sanctorum Encomijs his verbis conceptis.

Operante diuina clementia redit communibus votis optata solemnitas, & lux annuæ festiuitatis effulsit natalis nobis Sacerdotum, atque Christi Confessorum Renati, & Valerij diem prouehens: quem & vester notus auditus, atque Sanctorum Dei spiritum circumfulgent, m facet inuisibiliter ... entus adornat. Lætari nos etenim oportet & exultare in Domino Deo nostro fratres ... n ventris distentione sæua, sed proba mente ... tione, qui satiat in bonis desiderium ... m, omniumque vota pia deuotione ... it, & sereno iugiter confirmat optata. ... ergo de virtutibus Sanctorum Dei Renati & Valerij parua de pluribus, quæ per eos Dominus fecit, ad laudem & gloriam nominis sui recensenda sunt: non otiosum aduenientibus ad eorum festiuitates videatur,

A expiatas adhibere aures, quatenus ijs flagitantibus desuper corpore, ac corde vegeti ad sua valeant properare. Tempore, quo omnipotens Deus mortalium est iratus sceleribus, & Longobardorum gens ad vindictam totius Italiæ cuncta vastasset: Vir barbarus typo superbiæ elatus, ad suam perniciem cum suo ferali exercitu Rodoaldus eorum Dux vna cum alijs ducibus deuenit Surrentinam ciuitatem, vt eam quomodo adire posset, quæsiuisset. Et cum diebus ac noctibus nulla vicissim daretur requies præliandi aduersus eã. Obsidione circumuallatos, & circumquaque vicini adstantes, ad desperationem eo vsque peruenerunt, vt sponte se ciues certatim darent. Et cum nullum etiã egressis humanitatis auxilium dari prece sula posse pro... icerent:

B prostratus tunc cunctus populus clausus, immo intra vrbem lacrymabiliter Deo preces effundebant. Vir interea prædictus barbarorum, atque tyrannorum Dux per... ns ad tumulos Sanctorum Renati & Valerij hanc deuotionem exponens: aurum & argentum eis offerens: vt si eorum intercessionibus in prædictam Surrentinam vrbem valuisset ingredi, plurima, atque meliora illis ornamenta deferret. Quod cum vir, & sacerdos Domini Agapitus agnouisset (nam eo tempore ipse præerat vrbi) gregem suum verbo, & operibus studiosius informans: nec nocte, nec die quiescens, Deo preces suppliciter fundere. Vacans ieiunijs, & orationibus, assiduisque lamentis: sacrificium Deo semetipsum

C immaculatum sæpius offerens, sanctorum confisus meritis, Renati, & Valerij Christi Sacerdotum, & Confessorum, quorum oratu, & adminiculo vsque nunc perstitit tuta, vt ab instante efferæ gentis obsidione, & cruentis eorum manibus cum conciuibus vrbem dignaretur eripere. Credens, quod nihil est eis, quum volunt, impossibile. Nam se sequentibus ita pollicitus est Redemptor noster dicens. Quodcunque fidentes in nomine meo, petieritis, fiet vobis. Vndè & blando eos sermone fretus de Dei pietate alloquitur dicens, pœnitentiæ fructibus ita Domini eltius in mi-

D sericordiam conuertetur, si pedoribus (idest pedum fætoribus) præteritis derelictis, eius, præceptis puro inhæseritis corde, Quia Deus sub cuius nutu consistunt iustorum animæ, non præmijs, neque oblationibus, seu adulationibus suadetur, & in sacrificijs & holocaustis gentium non delectatur, sed cor contritum & humiliatum non spernit sicut dicit Psalmographus, & clamauerũt ad Dominum, cum tribularẽtur, & de necessitatibus eorũ liberauit eos. Et Propheta ait. Humiliemus Domino animas nostras. Et Propheta alius testatur dicens: Conuertimini ad meum ieiunio & fletu. Cuius hortatui obtemperantes, crebrisque precibus Sanctorum, ac ieiunijs insistentes peruigiles: eorum cessum est Confessorum intercessionibus, vt prædicta vrbs, quæ iam obsidionibus circumuallata manebat, bar-

barorũ illæsa euaderet, & ipse confusus nihilominus, cum ea, quæ attulerat, foris ab eorum Ecclesia proiecta ab omnibus reperirentur: & ita de prædicta demum vrbe abscederent. Sic enim diuina clementia operante, nefandissimum eius vulgus tremore concussum est, vt cuncti in fugam lapsi verterentur. Interea vnus ex ijs, qui ad sarcinas remanserat cum sociis suis, dixit socijs suis. Audacter in eorum Ecclesias ingredimini, & cuncta inde diripite. At illi cum ingressi fuissent, & cuncta exinde vastare cupientes: illicò à spiritu immundo arrepti terratenus acriùs vexabantur: & vltionis diuinæ in se sensere vindictam, ausi accedere, quo eis minimè licuit. Denique circa eorum tumulos vsquequaque vexati sunt: velut prisca monumenta testantur, vt ipsorum pandatur cruor diffusus, vexatione dæmonum vsque in præsentem diem: Et tandiù ibidem à spiritu immundo possessi sunt, donec spiritum exhalarent. Idcircò talia per electos suos Dominus operatur, vt ostenderet quia qui illos contemnunt, cum procul dubio contemnunt, & ideo sunt ignobiles. Ita Saulo contra suos sæuienti, de cælo, inquit, Quid me persequeris? cum non ipsum vtique, sed membra eius insequeretur & Qui vos spernit, me spernit. Tunc accepit omnes illorum timor talia contuentes, & nequaquam vltra ausi sunt in eorum domicilijs, vt vastatores accedere. Per idem tempus dum prædictam vrbem ipsa gens obsideret, quidam senex, effigiem Sancti præferens Renati, inter eosdem nefandissimos hostes, medium se obtulit, quem sæpius inter se videntes, æstimabant quendam villicum, cum eum cernerent. Tunc moliti sunt capite eum truncare; ipse autem subitò ab oculis eorum euanuit, vnde dubium non est, quod ipse Sacerdos, atque Confessor Christi Renatus extiterit ad custodiam huius ciuitatis: in qua eius venerabile quiescit corpus. Quem congruit, vt deuotè vigilijs & orationibus continuis celebremus: cognoscentes & inconcussè retinentes, quia vnusquisque sciat patrocinia à Deo sibi collata, sicut dicit psalmus: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam. Ergo fratres oportet nos semper eorum Ecclesijs occurramus, & videamus diabolum victum. & Christi Confessores vincentes, & eorum triumphales intuentes coronas, atagamus temporalibus interesse coronis festiuitatibus. gaudentes & exultantes cum hymnis & canticis Domino Deo nostro Iesu Christo: vt mereamur in æterna cum eis, natalis eorum festiuitate lætari; vbi regnant cum Domino Deo nostro Iesu Christo, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Annua nobis reuolutione festiuitas celebranda est. In qua Sanctorum Renati & Valerij, Sacerdotum Christi, & Confessorum miracula longum est enarrare. quæ toto sunt penè iam orbe latius terrarum diffusa. Eodem namque tempore, quo prædicti latrones bar-

A bari oppido depopulati sunt eandem Surrentinam vrbem: & multos captiuorum cepere: contigit quemdam Felicem nomine, villicum per capillos detentum trahere ad decollandũ, manibusque post terga ligatum. Cumque prædictus Barbarus eum traheret, venerunt ad pontem super vastum riuum stratum, qui vsque hodie nuncupatur, velut in prisca, magnus structura in quo arcus ad eius laudẽ depictus videtur esse. Prædictus quippe Barbarus eius caput omni abscindere conamine intendens, Tremefactus villicus, hanc orationem fudit ad Dominum dicens; Deus Sanctorum Renati & Valerij, sine cuius nutu nec folium defluit arboris, aut pluuiæ gutta, vt arua madida reddat, & germinare ea faciat;

B cuius nutu vniuersus regitur orbis: qui thronos cælorum contines, & tribus appendis digitis telluris molem: & statuisti in pondere montes, & colles in statera; abyssosque intueris, & tuorum precibus electorum hæc, quibus præesse eos ad munimina statuisti, ab omni secura hoste seruasti: & huic sæpe præfatæ Surrentinæ vrbi nostræ veridicos Renatum, atque Valerium Sacerdotes, & famulos tuos patronos dedisti: quam multoties à nefandissimæ Longobardorum gentis insidijs visibiliter munitam reddiderunt; Subueni nunc mihi, & de huius atrocis manibus speculatoris eripe me, eorum meritis & precibus, quos perspicuos virtutum opifices externi accolę, ab Orbis cognouere finibus: Cuius in neces-

C sitate Sancti Confessores non dedignati sunt purissimæ subuenire orationi. Itaut statim de manu prædicti barbari euaderet, & in profundam riui illius altitudinem se præcipitaret; dum autem tam eminens esset riui illius altitudo, in nulla parte læsus est corporis; sed sanus, atque incolumis, vt potuit ad prædictam Surrentinam vrbem reuersus est. Postea verò præfatus Barbarus, qui eius conatus est auferre animam, credens eum obijsse, vt à plerisque, nempe eiusdem vrbis diffamatum est incolis, quod villicus ille sanus, atque incolumis haberetur, non credidit. Sed vt certiorem se ex incredibili auditu redderet, ad præfatam vrbem itinere cœpto deuenit.

D Quem diu, multumque quæsitum, tandem reperit, vidensque eum admiratus est: & sciscitari ab eo cœpit, quomodo aduiueret, quem opinatus fuerat, vt tanta riui profunditas penè omnes exanimes suscepisset. Cui Felix ait, Deus Sanctorum Renati & Valerij, qui me à tua seruauit machæra: cuius etiam munimine hæc vrbs eorum adiumento à vestris liberata est manibus: ipse mihi præstitit, vt sospes & sine aliqua contritione membrorum à tanta euaderem altitudine. Cui barbarus ait obsecrans, quæso te, perduc me ad Ecclesias, vbi eorum recondita sunt corpora. Cui assentiens, vtrique properauerunt, gratias simul agentes Deo, qui quotidie in Sanctis suis mirabilia operari non desinit. Cui est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Cor-

Corroborantur ea penitus certè, quæ in Sancto Eloquio dicuntur, Glorioſus Deus in Sanctis ſuis, mirabilis in maieſtate, faciens prodigia: excitans perditos ad ſalutem, & reuocans incredulos ad fidem. Et iterum; Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius. Nam & hoc ab eorum laude minimè protelandum eſt, quod ego, ita vt tantis decet præconibus, non queo digne dicere, ſed quamuis balbutiendo, præſumens feram. Ille qui iratus eſt, vrbem fortiter dimicando inuadere, ideſt, ferus Rodoaldus Dux Longobardorum, & Sanctis Domini Confeſſoribus, ac ſi blandiens, aurum, argentumque offerens ſuaderi, vt gregis ſibi commiſſi oſtēderet æmulos & pecunia prodere, quem inſtanter precibus tegere alternis, & fouere perpetuo non deſiſtunt, & tanto enixiùs ſui ſtudent gregis inſectari hoſtes, quanto vt immunè eum ab hominibus exhibeant: Non diù lætatus eſt de triumpho, vt ſperauit: nam intra vnius anni ſpatium eorum interceſſionibus, quibus niſus eſt perferre iniuriam, Deo æquius vlciſcente, qui dicit; Mihi vindictam, & ego retribuam, vitæ tempus cum regno finiuit. Ingens eſt enim Sanctorum gloria, & felix corona beatorum Renati & Valerij Confeſſorum, Chriſtique ſacerdotum, qui talibus meruerunt ciuibus ſociari, & agnum ducem ab omni procul labe alienī, ſequentes: cum illo nunc ſpiritu ſolummodò permanent: poſt modicum duplicia poſſeſſuri; quia ipſe ait; Pater, volo, vt vbi ego ſum, & illic ſint mecum. Et, Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Et Propheta. In terra ſua duplicia poſſidebunt. Et quid mirum, ſi patronatum patriæ, eo annuente, aſſecuti ſunt, à quo tantum in cælis ſunt adepti triumphum, vt quibus voluerint, poſcentibus ſuffragia ſibi illata diuinitus præſtent? ipſo teſtante Domino; Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis huic monti, Tranſi, & tranſiet, & nihil impoſſibile erit vobis. Et Pſalmus; Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. Et Ieſus Sirach. Sapientiam Sanctorum narrent populi: & laudem eorum nunciet Eccleſia. De alijs enim virtutibus, quas per eos Dominus quotidie operatur: nec lingua poterit, nec ſermo ſufferre. Eorum verò orationibus, multi aduerſis oppreſſi languoribus quotidie ſaluantur: eorum interceſſionibus cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, triſtes lætificantur, infirmi ſaluantur, & multi vexati à ſpiritibus immundis quotidie curantur. Sunt enim veri amici Dei: qui totis viribus niſi ſunt eius præceptis hærere quantocyùs. Vt ipſe ait; Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis, & perpeſſi, & plagas, vincula, & carceres, & in eius nomine cum ſuis dilectoribus deuicerunt mundum: & aereas ſummo cum niſu debellarunt poteſtates, ſciētes non eſſe aduerſus carnem, & ſanguinem luctamen: ſed aduerſus ſpiritualia nequitiæ, quæ ſunt in cæleſtibus. His autem cunctis: Corde mundo exultant in Domino: cuius promiſſa aſſecuti ſunt, vt eum intuerentur, & eius præmijs perenniter fruerentur: Deus enim noſter ſimplicibus adhęret, & petentes ſe non deſerit, vt gaudium eorum in eo plenum ſit. Quia ergo anniuerſaria temporum eorum nobis natalitia cumulata proueniunt, lætemur in eorum feſtiuitate, vt ſicut in cælis triumphatores exultant, ita & nos in terris poſiti, de eorum beneficijs gratulemur. Credentes nos eorum orationibus ab hoſtium inſidijs atque cunctorum, imminentibuſque periculis, & contagijs liberari. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum Deo Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.



9. S. BACVLVS Brancaccius Neapolitanus patria, ſcientia rerum diuinarum, ac vitæ ſanctitate illuſtris, Sedem Surrentinam excepit, defuncto Epiſcopo, nullo quidem certo annorum calculo, vixiſſe tamen creditur circa annum ſalutis 660. Fama eſt, & conſtans à Patribus deriuata traditio, Baculum ex generoſa, vetuſtaque Brancaccia gente natum eſſe, quæ inter reliquos Regni proceres generis claritate, ac nobilitate conſpicua eſt. Addunt virtute, & ſingulari vitæ ſanctimonia tanta potuiſſe Baculum apud Deum gratia, vt eius meritis, ac virtute plurima patrata fuerint miracula. Itaque prædeceſſoribus ſuis non impar, poſtquam Surrentinam Eccleſiam aliquot adminiſtraſſet annos ad Cælum euolauit 4. Kal. Septembris. Patronus, ac Diuus Tutelaris acclamatus, vt teſtantur, quæ in peruetuſto officio die eius feſto leguntur.

Gloria Sanctorum cum ſit Deus ipſe Deorū,
Hunc decet hac hora noſtra prius ire per ora.
Parthenope natus BACVLVS fuit iſte beatus;

His meruit latum Surrenti Episcopatum,
Perque pios mores sacros conscendit honores.
Vir Domino gratus cuncti sine labe reatus.
Iure patronatus nostros depelle reatus,
Pelle malos mores, miseros auerte furores,
Vt solito more festum celebremus honore.
Mœnia Surrenti virtute tuere potenti.
Debilibus palma sis, fontibus arcus & arma.
Tempore præcinctus, foris vt vincamus & intus;
Pacis ad accessum tutum concede recessum.
Cum nuribus matres, cum natis respice patres,
Sis pius & multis viuentibus, atque sepultis.

Sepelierunt Baculum primo loco in vrbis muro, deinde in mediam vrbem transtulerunt in Aedem Diuo Felici Nolano dicatam, quæ Idolorum templum fuerat, & Sagarum domicilium. Adduńt præterea Romærus de SS. Surrentinis, & Fercarius ex Capaccio miraculum, quod Sergio presbytero contigit qui postea Stabiensiũ Episcopus fuit, is cũ Aram S. Baculi quatuor columnis testudinẽ illius fulcientibus ornasset, tantus, tamque suauis odor ex illius corpore afflabat, vt etiam extra Ecclesiam diffusus sentiretur. Cum autem Sergius columnam humero substinere conaretur, statim dimidia corporis parte debilitatus, viribusque destitutus est, donec prostratus in terram, veniam ob irreuerentiam, & opem à S. Episcopo petens, pristinæ sanitati restituatur. Sancti Baculi Acta ita in m. s. codice e ecclesiæ Surrentinæ leguntur.

Beatissimus igitur Baculus Neapolitanæ vrbis ciuis fuit, hic & nobili genere, & nobilis extitit sanctitate: Sed generis prosapiâ nobilitas superauit sanctæ conuersationis, quantumque à spiritalibus mundana vincuntur commercia: tantum sui generis dignitatem transcendit sanctitas propriæ actionis. Hic namque suorum parentũ filius, indè multorum iam spiritualium pater extitit filiorũ. Sed & illi quidem carnaliter ediderε filium, quandoque moritur; iste verò spiritualiter genuit filios in æternum victuros, Sic vtique terrenis cælestia, carnalibus spiritualia, humanis præponuntur diuina, Sanctus ergo iste sic nobilitatem suam pijs adornauit operibus, sic fama sanctitatis eius longè, latèque excreuit: vt à vicinarum vrbiũ populis iam Christi famulus haberetur, & in sanctis studijs crederetur esse perfectus, quoniam supra montẽ ciuitas abscondi non potest, & in domo posita Dei lucerna caritatis, sua, lumina præferebat.

Sub idem tempus Surrentinorum Ecclesia, proprio destituta pastore, hunc seruum Domini Baculum Episcopatus apice subli- A mare decreuit. Nec mora, communi voto, pari desiderio vir Domini expetitur & trahitur: & Surrentinæ Ecclesiæ Cathedra sublimatur. His itaque ritè expletis, cœpit vir Domini & pastoralis curæ officio incumbere. & prioris vitæ non relinquere puritatem. Mandatorum Domini viam ostendens populo, à mandatis Domini nullatenus oberrabat, humilitate humilis, castus prædicabat irreprehensibiliter castitatem. Innocens innocentia virtutem plenus virtutibus commissum sibi populum edocebat. Sanctus hic illud erat, quod quemlibet esse volebat: verè quidem Saluatoris discipulus factus, prius quidem ipse facere: postmodum verò nouerat B etiam edocere, vt virtute sancti operis, virtus conualesceret sanctæ conuersationis. In vinea enim Domini die & nocte desudans, fructum boni operis, & sui lucra talenti reportabat ad ipsum. Talis profectò sanctissimi Antistitis fuit vita, tanta vtique & doctrina, cunctis miraculis & signis omnibus præferenda. In hac totis visceribus spe laborauit cœlestium præmiorum. In hac se per prospera & aduersa, per læta & tristia longo exercuit tempore. In hac quoque diem clausit extremum, præmia suorum recepturus laborum. Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Postquam Beatissimi Baculi sanctissima anima relicto corpore migrauit ad cœlos: C Surrentini ciues eius sanctissimum corpus in ipso ciuitatis muro pro eiusdem ciuitatis custodia venerabiliter facto oraculo sepelierũt. Multis autem euolutis temporibus in sinum, atque medium præfatæ vrbis recogente necessitate, venerabile corpus eius transtulerũt. Erat namque in iam dictæ ciuitatis medio templum idolis consecratum: in quo prophanus horror gentiliũ, multas posuerat effigies simulachrorum: hic tanta delusio dæmonum, tantus contrariæ potestatis fiebat concursus, vt nulli impunè facilis pateret accessus; hunc enim suis phãtasmatibus corpore: illum debilitabant mente: & huic repentinum incutiebant terrorem: illi mortis discrimina D intentabant. Denique ipsum quoque principem ciuitatis iuxta præfatum templum, propè solis occasum equitantem in specie ludentium mulierum, dæmonum copiosa turba circundedit: illis eum vnguibus & morsibus parantibus dilaniare: totumque sibi certatim conuellere. Vni illarum, quo erat accinctus gladio brachium amputans, concito equo tremebundus euasit. Res miranda, & nisi qui viderant, fidem facerent, non credenda, Nam idoli brachium die postera quasi ferro abscissum, in terra inuenerunt. Iuuentum cum cæteris simulachris sustulerunt, & sublata in mare proximum proiecerunt, in quo eam, quam in terris adhuc videntur exercere sæuitiam: & eam, quam nequeunt super terram, sub ipsis aquis adhuc intentare credun-

duntur malitiam. Nam ipsum mare Surrētini portus: quod ante illud tempus omni serat tempestate immune, nullis astuabat procellis: postmodum, vt cætera maria & procellis, & pelagi tumultibus mansit obnoxium.

Hoc autem quis ignoret, huius sancti meritum idola comminuisse, in mare proiecisse, templum, quod sui corporis pignore mox visitaturus erat, mundasse? Quisquis enim hoc denegat, nec rerum ordinem, nec temporis respicit qualitatem. Tot namque, tātique ciues machinationibus delusi, huius almi Præsulis auxilium contra tentamenta dæmonum implorare & vt iam dictum est, salubri reperto consilio, sancti corporis reliquias, solo excepto brachio, in prædicto loco posuerunt, eiusdem ciuitatis adhibito Præsule: atq; ipso templo in honore S. Felicis Nolanæ vrbis Episcopi consecrato. Quo facto cunctis sublatis terroribus inimici, Surrentini populi optata pace potiti sunt. O grande viri meritum, ô amplissimum beneficium sanctissimi patronatus. O inuictum totius patriæ & inexpugnabile munimen, intus & extra incursus hostium superator. Foris homines, intus homines prosternuntur: terrenam, spiritualemque pariter diripientes substantiam, armis cœlestibus excluduntur. Sine vulnere vincuntur, mille & decem millibus à dextris cadentibus, & sinistris, fidelissimo Dei populo non appropinquatur. Omnipotenti ergo agamus gratias omnium liberatori, protectori, atque defensori, eiusque famulos dignis veneremur obsequijs. Vitam pariter imitemur, & mores, vt cuius opem in terris cognouimus, in cœlis eius patrocinijs perfruamur.

Post prædicti templi consecrationem, tempore nonnullo emenso, eiusdem custos templi Sergius nomine, ciborium quatuor columnis innixum supra altare fieri cura diligenti præcepit. Dumque supra sacri corporis tumulum vnam ex quatuor cæteris longiorem columnam in terram deponere voluisset: Facta fouea, atque tellure eiecta, tāta odoris suauitas processit è tumulo, vt omnium hominum nares, & vniuersū repleret ambitum vrbis. Dic ergo quæso, quæ rosæ? quæ lilia? quæ aromata? his queant odoribus coæquari? Recedunt violæ: thura refugiunt, & omnis veris gloria delitescit. Istę profecto sunt paradisi delitiæ, angelicæ fragrantiæ, cœlestia odoramenta. Ecce fratres, quantum sit in cœlis homo, in terris dignatur ostendere Deus, & quanta gloria apud Deum spiritus hominis perfruatur, ante homines hominis corpus solet ostendere, vel extinctū. Et quia iste Sanctus nimis omnium caruit fœtore vitiorum: mortuus vnguentis est angelicis delibutus. Quocirca & nos repellamus à nobis nunc omnium inquinamenta facinorum: vt in æternum cum eo cœlestis gloriæ odorem speremus.

Superiori contiguum aliud annectimus A miraculum, vt quod continuo gestum est: cōtinuò fidelium auribus intimemus. Dum eam, de qua superius diximus, columnam, idem Custos Sergius in partem sacri tumuli inconsultè supposito humero, & sine debita ipsi loco reuerentia vellet impellere, suæ temeritatis nō indebitam pœnam incurrit, cœlestique animaduersione percussus, totoque fortiter latere afflictus, venis omni sanguine destitutis, emarcuit. Cumque alteram sui partem viuam: & alteram videret præmortuam, atque percussa membra à percussione columnæ ferre minimè posset, ante sacras reliquias lachrymis obortis procubuit. Nec ante ab oratione surrexit, quàm se sibi redditam cerneret sanitatem: superna cessante B protinus vltione; vnde postea, & sancti loci reuerentiā, & melioris vitæ amplexus est puritatem: in tantum videlicet, vt bonæ vitæ excrescente religione, Stabiensem Ecclesiam factus Episcopus gubernaret. Hoc autem ad laudem, & gloriam nominis sui ipse Deus est dignatus: vt de tanti Patris merito nemo dubius remaneret. Addamus igitur & aliud beati viri miraculum: vt quàm sit Sanctus iste egregius, hominibus innotescat: nec pluribus verbis, quam opus sit: quoniam ad alia festinamus. Barbaris Gaietanos, Neapolitanos, atque Surrentinos fines depopulātibus, & cæde, incendioque cuncta vastantibus, vir Domini Baculus cum Antonino, Renato, C Athanasio, & Valerio custodibus apparuit, eosque subito percussos timore, à finibus repulit Italię: decem illorum nauibus cum omni populo amissis. Sic itaque in foueam, quam parauerant, prolapsi sunt. Et in caput iniquorum propria est reuersa malitia, Christianisque populis ad prælium diuinitùs excitatis, & Sanctorum prædictorum protectis precibus, cuncta illa Barbarorum pestis, vt præfati sumus, interijt. Precemur igitur indiuiduam Trinitatem, vt tantorum meritis patronorum, nobis nostrorum criminum veniam largiantur. Quod nobis concedat Deus, cui sit honor & laus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

D

In Festo Sancti Baculi Surrentinæ Ciuitatis Episcopi, in vtrisque Vesperis.

Hymnus.

Pontifex Cæli, superum Sacerdos
Christe, diuini gregis Agne sacrum
Manna pro mundo crucis igne nostra
Victima sume.
Sume, quæ supplex tibi vota noster
Pontifex offert Patris ante vultum
Defert, ac eius prece nos salute
Perpete dona.

Dona

Dona Surrenti populo superna
Confer, ò Eua decus, ò Adami
Vita, frumentum cumula, falernum
Auge & oliuum.
Si tibi quondam placuere vota
Prasulu nostri, placeant per illum
Nostra, qua flexis genibus quotannis
Vota dicamus.
Huius è vita colimus recessum
Qua decet pompa celebri: beatum
Huius ascensum per mane dulci
Promimus hymno.
Atrium Regis superum tropheo
Cum triumphali subijt virenti
Baculus lauro, redimitus, astra
Victor adiuit.
Sint Deo grates triplici perennes:
Laus Patri, Nato bonitas, vtrumque
Qui pari nectit serie suprema
Lux sit amori. Amen.

AD NOCTVRNVM.

Hymnus.

Si nocte sacra Bacculi
Confessor alme cælites
Te voce laudant consona
Dum luce clares annua:
Quo tu refulges lumine
Obscura cordis nubila
Vmbrasque mentis horridas
Dispelle Præsul candide.
Carbone nigro nigrius
Cor languet atro crimine
Scelesta mens nigredine
Picis ingrescit tetrius.
Tu clara vincis sidera
Qui claros inter Angelos
Nitescis vt carbunculus
Diffulget inter gemmulas.
Tu caca nostra lumina
Illuminato Baccule
Mi Pastor Illustrissime
Tue nitore gloria.
Vt talpa terram quærimus
Vmbras amando vt noctua
Tu nos beate Pontifex
In astra claros erige.
Sit Trinitati gloria
Patri Potestas, Filio
Laus: vtriusque Flamini
In vnitate gratia.
Amen.

AD LAVDES.

Hymnus.

Bacculi laudes celebrat decora
Laude Surrenti populus: Sabaa
Thura succensis facibus per aras.
Clerus oburet.

A *Magnus in terris, super astra maior*
Pontifex in ster meritis, vt Album
Lilium candet, veluti coruscus,
Lucifer ardet.
Nostra stellanti licet ore vota
Cælitum Regi, miseris ab alto
Mox polo nobis geminata regis
Dona rependat.
Qua fuit summa bonitate clarus
Clara nos vita rudimenta sancta
Edocens olim, redolente Diuum
Nectare pauit.
Luce, qua fulget radiante Pastor
Angelos inter rutilos vagantem
Hunc gregem ducat per amœna regni
Prata superni.
Bella debellet fera, peste pulsa
B *Impetret pacem, domita furentum*
Bile Turcarum, geminent Falerni
Vina & oliuum.
Laus Patri summo sit, vbique grata:
Sit decus Nato: Tibi sint perennes
Opis, ò dulcis Paraclete grates
Nunc & in æuum. Amen.

10. IAQVINTVS Surrentinus Episcopus in Concilio VI. Constantinopolitano sub Agathone Papa celebrato anno 680. ita subscriptus reperitur. *Iaquintus Episcopus Surrentinus Prouincia Campania.* Huius meminit lapis vetustus positus in Ecclesia Sancti Renati, forte ibi sepulti, nomen leges Iaquintij, ibidem in acrostichis IA-C VHNTVS.

Iaquintus à Deo sanctificatus, in Episcopali honore
Consecratus, in numero Apostolorum venit sociatus
Plerunque sacrificando ad laudem . . . .
Am tor fuit superna legis, diuina seruando pracepta,
Super benignitate dilexit charitatem; pradicta
Charitate. . . . .
Vbi arduum adeptus Antistitis nomine fulgebat
Quem suis CHRISTVS pastorem ouibus dederat
Vt in grege illius Senatus ingrede. . . .
D *Hic namque vultu noscitur fuisse mirifico animo,*
Dulciori verbo, mellifluo amore, promptus voluntate
Honestus in charitate. . . . .
Neque superna virtutis excelso obsequemur auxilio,
Vt qui æternus pastor pastorem huius sepulchri
Reposuit Sanctorum suorum. . . . .
Tantam in eo Sanctissimo Viro Saluator largitus
Est gratiam, vt fouendo pauperes, diligendo suarum

Ouium

Omnium animas, iam inquit CHRISTO suo præsentari.
Vivus vita noscitur fuisse prospicuus, in iudicio mitis,
In viduis, pupillisque amator, in peregrinis misericors
Et consolator. . . . . . .
Sanctitate connexus perenni vitæ præmia promeruit
Esse professus, ibique Sanctorum merita amplexus
Ad astra perrexit illæsus.

Relegens capita versuum nomen reperies, cuius nomen CHRISTO protegente in perenni gratia hæreditatem promerente adhærentem, obsecro vos homines, legentesque quod providentes ut vas tanti Sanctissimi viri Sepulchri nemo audeat violare, nec pedibus calcare, per ipsum obtestor qui venturus est sæculum per ignem iudicare.

Qui in Surrentina Sede post Iaquintum præfuerint, ferè per annos ducentos, non habetur: etenim inuadentibus Turcis Surrētinam ciuitatem, ab ipsis etiam fuerunt monumenta contrita, penitusque deleta magna Surrentinæ Ecclesiæ iactura, & venerandæ antiquitatis lacrymabili detrimento.

11. PHILIPPVS, quem volunt fuisse Surrentinum Episcopum eo tempore, quo S. Antoninus Abbas Surrentum venit. Obijt Sanctus Antoninus anno 830., vt placet Caracciolo.

12. STEPHANVS Sergij Neapolis Ducis & Consulis filius, germanus frater Sancti Athanasij Episcopi Neapolitani, Surrentinus fuit Episcopus anno 870. vt in vita eiusdem Diui habetur. Acta eiusdem ignorantur, præter hæc pauca, incertum quo anno mortalitatem expleuerit; sed & successores eius per integrum ferè sęculum ignorantur.



1. LEOPARDVM volunt diptycæ huius Ecclesiæ primum fuisse Archiepiscopum Surrentinum, sed longe aberrant, cum ad eā

A dignitatem fuisse euectum narrent à Ioanne IX. cum verisimile sit sub Ioanne XIII. Pontifice post annum salutis 968. hoc decus Ecclesiæ Surrentinæ accessisse, tametsi non desint qui scribant ante millesimum Surrentinum Archiepiscopatum haud fuisse institutum: vtcunque sit, constat Capuanam Ecclesiam primam omnium in Campania, totoque Regno, teste Baronio, in Metropolim erectam extitisse. Cæterùm cum nec vetustæ scripturæ, nec certa monumenta sint, quæ lucem suppeditent, in vanum laborare videntur qui diuinare contendunt, mihi verò cum Baronij sententia arrideat, cæteris nec abnuo, nec astruo.

2. SERGIVS huius Sedis secundus Ar-
B chiepiscopus sedit circa annum Domini millesimum, paulò post, vt ferunt, ad Neapolitanam Ecclesiam translatus. Post hunc reponunt diptycæ quendam Philippum Hispanū, quem volunt sedisse eo tempore, quo S. Antoninus Abbas Surrentum venit, sed meo quidem iudicio hallucinantur, cum S. Antoninus Surrenti obierit circa annum Dom. 830. vt Caracciolo placet, longo quidem tempore antequam Ecclesia Surrentina Archiepiscopali dignitate donata sit. Philippus verò quisquis ille fuerit, inter Episcopos annumerauimus.

3. N. cuius nomen ignoratur.

4. IACOBVS recensetur Surrentinus
C Archiepiscopus. Acta ignoramus.

5. IOANNES Archiepiscopus Surrentinus anno 1059. subscripsit Concilio Romano sub Nicolao II. Papa. Interfuit consecrationi Ecclesiæ Cassinensis anno 1071. apud Anonymum Cassinensem.

6. BARBATVS eandem Surrentinam Ecclesiam regebat anno 1110. quo Gregoriū Presbyterum in Stabiēsem ordinauit Episcopum, eundemque misit ad Paschalem II. pro confirmatione obtinenda. *Barbatus Dei gratia Archiepiscopus Sedis Sanctæ Surrentinæ Ecclesiæ omnibus fidelibus orthodoxis Clero, ordini & plebi existenti Ecclesiæ Stabianæ, per Apostolicam institutionem Archiepiscopatui nostro subiectis, dilectis filijs salutem in Domino. Probabilibus vestris desiderijs ni-*
D *hil attulimus tarditatis etiam confratrem nostrum scilicet Gregorium Presbyterum vobis ordinauimus Episcopum, eique dedimus in mandatis, ne unquam ordinationem præsumat facere illicitam, nec bigamum, aut qui virginem non est sortitus uxorem, neque illiteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut expotentem, vel Curiæ, aut cuilibet conditioni obnoxium ad sacrum ordinem permittat ascendere, &c.* Idem Barbatus concessit Ecclesiam S. Angeli eidem Gregorio, & Sergio Stabiensibus Episcopis.

7. VRSVS Surrentinus Archiepiscopus, quod antecessor Barbatus Stabiensi Episcopo donauerat, ipse etiam Ioanni Episcopo asseruit anno 1142. qua donatione Vrsi memoria

ria ad posteros perennauit.

8. ALFERIVS Surrenti nobili genere natus, ex Archidiacono electus est Surrentinus Archiepisc. Cœlestini III. Papę temporibus. Consecrauit Ecclesiam S. Mariæ de Auro ad metam Surrenti pagum anno 1206. quo ab Innocentio III. priuilegium obtinuit pro se, suisque successoribus, obedientiæ ac reuerentiæ statutis temporibus præstandæ ab Episcopis Suffraganeis, Ecclesiasticis, sæcularibusque totius Surrentinę prouinciæ, quod hactenus obseruatur, huiusce priuilegij exéplar cum aliis perijt in direptione à Turcis Surrenti illata. Alferij machinatione, ac potentia Surrentina Ciuitas à Regia Federici II. authoritate recessit, & Othoni IV. Imp. intæ... ob quam rem tum etiam simonia expetitus apud Innocentium III. à Matthæo Archidiacono accusatus anno 1213. ad excusationem accessit, sed cum ab aduersatio premeretur, ad Simeonem fratris sui germanum virum præpotenté confugit, is per metum aduersarij eum testes deterruisset, delata ad Innocentium violentia, præcepit per suas literas Archiepiscopo Neapolitano, vt Alferium ab officio Pontificali suspenderet. Epistola hæc extat in regest. Vatic. num. 149. an. pontif. 16. eiusdem Innocentij sequentis tenoris.

Neapolitano Archiepiscopo.

Constitutis in nostra præsentia Venerabili fratre nostro Alferio Archiepiscopo, & dilecto filio Matthæo Canonico Surrentin. dum idem M. accusationis concepto libello eundem Archiepiscopum deferret de crimine simoniæ, asserens nihilominus eum crimini læsæ maiestatis obnoxium, eo quod, vt dicebat, eodem Archiepiscopo machinante, Surrentin. Ciuitas à regia fidelitate recessit, & reprobo iurauit Othoni, ac ipsum Archiepiscopum excommunicatum celebrasse diuina, cum post talem machinationem, per quá machinatores huiusmodi latam à Sede Apostolica excommunicationis sententiam incurrerunt, diuina præsumpserit celebrare. Archiepiscopus antequam describendi libellum fieri sibi copiam postularet, in personam accusatoris, quod esset inimicus, & conspirator excepit, allegans interdicédum ei aditum accusandi, cum secundum instituta canonica inimici, & conspiratores in nullius debeant accusationé admitti. Ad quod pars aduersa respondit, quod cum tanta sit labes simoniacæ prauitatis, vt serui aduersus dominos, & criminosi quilibet admittantur, & in prodendo crimine læsæ maiestatis socius criminitæ factionis, non solum auditur, quinimò præmio & honore donatur, super præmissis exceptiones huiusmodi accusationem elidere non valebant; præsertim, cum publicæ vtilitatis intersit, ne crimina remaneant impunita. Fuit autem ad hæc ex aduerso responsū, quod cum in decreto Anacleti Papæ caueatur

A expresse, accusatorem esse non posse, qui ante hesternum diem, aut nudius tertius inimici fuerunt, ne irati nocere cupiant, vel læsi vlcisci & inoffensus accusatorum quæratur affectus, & non suspectus. Ac Constitutio Calixti Papæ generaliter interdicat conspiratorem in alicuius accusationem admitti, nec in aliquo Canone sit expressum, quod inimicus, ac conspirator in exceptis criminibus audiatur, ne quod Sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosis adinuentionibus attentetur: circa præmissa prohibitioni standum est generali, præsertim secundum æquitatem canonicam, non viam debere malignitatibus aperire. Inter hæc autem de

B causis inimicitiarū & conspirationis Archiepiscopus interrogatus respódit, quod memoratus M. ipsi Archiepiscopo, & cū Archidiaconum, & cū in Archiepiscopum fuit assumptus, se opposuit aduersarium manifestum. Præterea cum quidam Neapolitanus insisteret in mortem fratris Archiepiscopi machinatus, & per amicos ipsius eijceretur de propria Ciuitate, quidam magnates, quos dictus Neapolitanus consanguinitatis linea contingebat, eiectionem illius ad iniuriam reputantes, eundem induxere Matthæum, vt cum quibusdam alijs, in damnationem ipsius Archiepiscopi conjuraret. Porrò priorem causam non duximus admittendam, maximè cum reconciliatio fuerit subsecuta, prout ex narratione

C ipsius Archiepiscopi notabatur. Super alia verò, quā inficiabatur M. fuit pro ipsius parte propositum, quod non est interdicta subiectis omnis coniuratio in Prælatum, quia cum secundum decretum Gel[a]sij Papæ quisquam Clericorū confidere non debeat [illegible] Apostolicæ se immunem, si in [illegible] ad [illegible] salubriter Apostolica [illegible] auctoritas, Episcopum viderit exced[e]ntem, & non protinus ad aures Romani Pontificis deferre curauerit, in pestilentem Prælatum non immeritò possunt coniurare subiecti, exemplo quadraginta Episcoporū Illyricæ, ac Græciæ, qui per promissionem in scriptis factam conuenientes in vnum, à Timotheo, qui p[er] [illegible] tum Imperatoris Anastasij, fuerat in [illegible] tinopolitanum assumptus Episcopu[m] [illegible]

D [illegible] serunt. Verùm asserente Archiepi[scopo] [illegible] fomite malignitatis in eum coniura[sse] [Mat]thæum, & hoc se legitimè probat[urum] [illegible] ad vltimum, consentientibus p[artibus] [illegible] duximus prouidendum, vt Archi[episcopus] [illegible] correctum libellum accipiens super [illegible] omnibus responderet, reseruata sibi facultate probandi, quod idem M. ex malignitate coniurauit in ipsum; [illegible] vero conceptio talis [illegible]. In nomine Domini. Amen. Anno [illegible] M. CC XIII. Pontificatus Domni Innocentij III. Summi Pontificis anno 16. mense Octobris 7. Idus eiusdem. Apud vos Domine Innocenti Dei gratia Summe Pontifex, Ego Matthæus Canonicus Surrentinus defero Dominum Alferium Surrentinū

Ar-

Archiepiscopum lege Canon. reum de Simonia, quia dico ipsum promisisse Archidiaconatum Surrentin. Ioanni Ciroleon olim Canonico Surrentino, vt consentiret electioni suæ in Ciuitate Surrent. in Camera iuxta triclinium Episcopij, tempore Domini Cœlestini III. Summi Pontificis mense Ianuarij, itē defero eum reum de crimine læsæ maiestatis; quia Ciuitas Surrentina recedendo à fidelitate regia, iurauit Othoni ipso hoc procurante, tempore Domini Innocentij Tertij Summi Pontificis in Ciuitate Surrenti in Palatio suo, mense Maij. Et defero eum multoties postea celebrasse diuina in Ecclesia Surrentina, cum per sententiam vestram credam eum ob hoc excommunicationis vinculum incurrisse. Ego dictus M. profiteor, me hunc libellū inscriptionis dedisse. Oblato tandem libello, pars Archiepiscopi allegauit, quod erat minus legitimè in quadam sui parte conceptus eo quod non continebatur in ipso, quo anno fuerint crimina obiecta commissa. Cum enim libelli conceptio continere debeat mēsem, & consules, sub quibus crimen dicitur fuisse commissum, & antiquitus consules cōsueuerūt annales, videtur quod admissi criminis annus exprimi debeat in libello. Frustra etiam mensis iuberetur apponi, si anni, cuius est mensis, non habetur aliqua certitudo. Ad quod pars accusatoris respondit quod in forma concipiendi libellum, de anno non inuenitur expressum; sicut nec dies ita nec annus admissi criminis debet apponi, ne subornationi testium occasio præbeatur. Nec propter hoc, quod in foro Ciuili debent exprimi Consules, licet Consules essent antiquitus annui, sequitur, quod certus annus sit exprimendus, cū ijdem Consules diuersis vicibus, & pluribus annis gerere potuissent officium Consulatus; vndè per expressionem nominis eius de certo anno constare non posset. Et cum in denominatione mensis non constet, cuius anni mensis existat, non ita per expressionem mensis, sicut & anni ad subornandum testes occasio posset assumi. His autem & alijs hinc indè propositis, cum ad vltimum accusator expresserit, Archiepiscopum eo anno commisisse Simoniæ crimen obiectum, quo fuit Archiepiscopatum adeptus, promittendo Archidiaconatum Ecclesiæ Surrentin. I. Ciroleon quondam Canonico Surrentino, si consentiret in ipsum, ac de tempore, quo prædicta Ciuitas iurauit Othoni, satis manifestè constaret, ad contestationem litis, inficiante Archiepiscopo crimina sibi opposita, est processum, confessus est tamen, quod postquam Ciuitas iurauit Othoni, multoties celebrauit. Productis autem ex parte Archiepiscopi quibusdam testibus ad probandum exceptionem obiectam, cum huiusmodi protestatione M. scilicet quod post publicationem, depositionem illorum, si vellet, posset obijcere in personas, quia illis Archiepiscopus contentus esse nolebat, depositiones ipsorum minimè publicantes, receptionem testium, tam super principali, quam super exceptione prædicta de consensu partiū fraternitati tuæ duximus committendam: per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus testes, quos vtraque pars duxerit producendos diligenter examines, & eorum dicta fideliter conscripta ad nos sub tuo conclusa sigillo transmittas, præfigens partibus terminum competentem, quo nostro se conspectui repræsentent. Cæterùm, quoniam à principio protestatus est præfatus M. nobilem virum de Surrent. germanum Archiepiscopi memorati, & quosdam alios ipsius Archiepiscopi consanguineos, multa impedimenta per suam potentiam præstitisse, quò minus probationis copiam in nostra præsentia secum habuerit, cum quosdam induxeric ad iurandum, ne aduersus Archiepiscopum aliquid dicerent, & alios minis, & terroribus à perhibendo testimonio nituntur arcere. Nos ex officio nostro super hoc prouidere volentes, mandamus, vt generalem feras excommunicationis sententiam in omnes, qui aliquod impedimentum ipsi M. præstare præsumpserint in testibus producendis. Illos autem, quos, sicur dictum est, iurare constiterit, quod contra Archiepiscopum nihil dicerent, denuncies iuramento huiusmodi non teneri, quo minus valeant in hac causa perhibere testimonium veritati. Si quis autem de consanguineis Archiepiscopi aliquos de testibus præsumpserit impedire, quia verisimile non videtur, vt eo inuito talia fierent, & ob hoc non caret scrupulo societatis occultæ, eò quod si voluerit, poterit prohibere, cum secundum legitimas sanctiones ostendat se iniquam litem fouere, ac experiri debeat Iudicis auctoritatem elusam, qui defensionis copiam subtrahit aduersario, eundem Archiepiscopum ab officio Pontificali suspendas, & facias sublato appellationis obstaculo manere suspensum, donec illum fecerit à tali præsumptione cessare. Tu deniq; frater Archiepiscope, &c. *Datum Laterani 8. Idus Nouembris Pontif. nostri anno 16.*

9. PETRVS huius Ecclesiæ Archipræsul erat anno 1230. oportet illum obijsse circa annum Domini 1239. nam eo anno sedes hæc vacabat, cuius curam gerebant Federici II. Imp. ministri, vt ex litteris eiusdem liquet, Dat. propè Mediolanum die Octobris eodem anno, quæ extant in regio regest. Neapol.

10. PETRVM Episcopum Calinensem ad Archiepiscopalem Sedem Surrentinam translatum commendat Innocentius IV. Capitulo Surrentino anno 1252. 10. Kal. Aprilis anno Pontificatus sui 9. ex regest. Vatic. epist. 159. fol. 136. videtur hic Petrus esse ille, qui die 13. Aprilis anno 1259. sub Alexandro IV. cum alijs decem Episcopis, interfuerat coronationi Manfredi spurij in Regem Siciliæ ob id ab eodem excōmunicatus, & Archiepiscopali honore priuatus est, de qua depositi-

poſitione agit Durandus in 3. par. Speculi in tit. de accuſat. in § 2. verſ. Deponitur autem. Eadem ſententia mulctauit Clemens IV. coſdem vndecim Prælatos eo quod adhæſiſſent Manfredo Principi Tarentino, qui Regnum Siciliæ occupauerat, & eius coronationi interfuerat. Dat. Viterbij anno 2.



11. LVDOVICVS de Alexandro Angeli filius Neapolitanus, quem Capaccius Archiepiſcopali dignitate Surrentina fulſiſſe ſcribit ſub Carolo primo anno 1266. exſcripſit Capaccius ex Scipione Mazzella. De hoc ego nec vllum verbum vidi in regeſt. Vatic. fides ſit apud ipſos, niſi forte ille ſit Archiepiſcopus Surrentinus ad quē anno 1268. Clemens IV. ſcripſit vt ciuitatem Auerſanā ad cor redeuntem ab excommunicatione abſoluat, incipit *Cum Ciuitas*, &c. *Dat. Viterbij* 18. *Kal. Octob. anno* 4. epiſt. 557. in regeſt. Vaticano.



12. IOANNES de Maſtro Iudice nobilis Canonicus Surrentinus à Capitulo electus Archipræſul confirmationem obtinuit à Nicolao III. anno Domini 1278. 10. Kal. Iulij, ann. Pontif. primo, notatur in epiſt. 119. fol. 173. Obijt anno 1284. Ex hac familia fuit Iulius Epiſcopus Vulturariæ & Montis Corbini.

A 13. MARCVS Mirabellus Epiſcopus S. Marci prædefuncto Ioanni ſucceſſit anno 1285. 5. Kal. Martij, huc translatus ab Honorio IV. reiecta electione à Capitulo celebrata, tum Bartholomæi de Sabriario Neap. tum Arnoldi Troiæ Canonici in diſcordia electi, id habetur in reg. Vatic. epiſt. 320. fol. 87. anno p. Honorij. Mortuus eſt Marcus circa annum Domini 1305.

14. FRANCISCVS hanc eandem Surrentinam Eccleſiam obtinuit ex electione Capituli, & ex confirmatione Clementis V. ann. 1. ſui Pontif. 3. Kal. Martij anno Christi 1306. petit decimas à Regia Camera anno 1309.

15. RICCARDVS Surrentinus Præſul, mortuus eſt anno 1320.

16. Fr. MATTHÆVS de Capua (an B Ciuis Capuanus fuerit, vel Capuana familia natus, incompertum mihi eſt) Ord. Minorū alumnus fuit, & Roberti Regis & Sanciæ eius vxoris in paucis charus, in demortui Riccardi locum Archiepiſcopus Surrentinus renunciatus eſt à Ioanne XXII. 5. Non. Octob. ann. Pont. 5. ſalutis verò 1320. quo tunc à ſacris confeſſionibus Ducis Calabriæ Roberti Regis filij erat, memoratur in reg. regeſt. Neap. ann. 1327. Fuit vnus ex executoribus teſtamenti quondam Mariæ Reginæ Caroli II. Regis vxoris anno 1326. & quondam Caroli ſupra memorati Ducis Calabriæ anno 1338. paulò poſt ex hac vita diſceſſit.

17. PETRVS ſucceſſor Matthæi ſub Benedicto XII. anno 1341. deceſſit.

C



D

18. ANDREAS Serſale nobili gente natus ex Surrentino Canonico, Surrentino Sacerdotio ornatus eſt ab eodem Benedicto XII. anno ſalutis 1341. Pontif. eiuſdem 7. die 7. Id. Martij ex regeſt. Vatic. epiſt. 372. peruenit ad annum 1349. quo mortali vita exuitur.

19. PETRVM ex Epiſcopo Barutenſi ad Surrentinā Sedem tranſtulit Clemens VI. anno 1349. 9. Kal. Iulij, ex eodem regeſt. ep. 22. fol. 30.

20. GVIL-

A 20. GVILLELMVS Ecclesiam Surrentinam regebat anno 1360. cuius etiam mentio anno 1366. in regio regest.

21. FRANCISCVS anno 1378. mortem obijt 1390.



B

22. ROBERTVS Brancia Amalphitanus Canonicus morum probitate, genere illustris, ad Surrentinam Ecclesiam euectus est à Bonifacio IX. anno 1390. 10. Kal. Aprilis. Sedit in hac Sede laudabili memoria annis ferè viginti, translatusque est ad Amalphitanam Ecclesiam anno 1410. vbi & decessit 1423. de quo in eius vrbis Archipræsulum serie nostra, de quo etiam in Surrentina Metropoli renouata est memoria, Iulio Pauesio Archiepiscopo in hunc modum,

C

Quem non euehit ad æthera virtus?

En Robertus Brancia cum Surrentinæ Diœcesis Antistes præesset, Amalphiæ Clerus Summum Pontificem exorauit vt sibi eum in Præsidem concederet, nam eius virtutis gloria, & vitæ probitas multum efflorebat. Huic verò Maximus Pastor acquieuit. Sacellum hoc in ingressu chori etiam ab eo extructi, erexit. Inde à Reuerendiss. Iulio Pauesio Archiepiscopo Surrentino maioris Ecclesiæ decoris causa fuit euulsum. Hic modò ab hæredibus ex eadem familia iterum vnanimiter erectum.

M.D.LXXVI.

D

23. ANGELVS successit Roberto anno 1410. post annos ferè tres ad S.Seuerinæ in Calabria Archipræsulatum translatus est anno 1413. 8. Kal. Iunii.


24. BARTHOLOMÆVS de Miserata adlectus est Archiepiscopus anno 1413. 12. Kal. Ianuarij.



25. BERNARDVS Caracciolus Pisquitius Neapolitanus germanus frater Sergiani Magni Regni Neapolitani Siniscalchi, huius Ecclesiæ gubernacula suscepit à Martino V. Papa anno 1423. ex Historia Caracciolæ familiæ. De quo tamen nulla extat mentio in Actis Consistorialibus, neque in libris obligationum, ac Promotionum Prælatorum eiusdem Pontificis.

26. BARTHOLOMÆVS Archiepiscopus Surrentinus obijt anno 1440. fortè idem cum superiori, qui potuit vsque ad hunc annum Surrentinam Ecclesiam rexisse, cui successit Antonius, ita in Actis Consistor. Eugenij IV.

27. ANTONIVS Episcopus S.Agathæ, in defuncti Bartholomæi locum Surrentinus factus est Archiepiscopus anno 1440. 3. Idus Aprilis. inde Auriacensis euasit Episcopus, per obitum Bertrandi anno 1442. vt Acta referunt Consistorialia.



28. DEMETRIVS Palangola Surrentinus

nus ex Archidiacono factus eſt patriæ Archiepiſcopus 16. Kal. Nouembris 1442.



29. MATTHÆVS Brancia huius Eccleſiæ Archipræſul vna cum Roberto fratre Archiepiſcopo Amalphitano anno 1453. arbitri conſtituuntur in diuiſione bonorum, quę Robertus Archiepiſcopus Galeatio, & ſororis eius nepotibus donat apud Capaccium. Matthæi mentio extat in monumentis huius Eccleſiæ anno 1445.

30. DOMITIVS Falangola Surrentinus ciuis, Archiepiſcopus mortem obijt anno 1470. de quo hæc leguntur in maiori Eccleſia.

Hic iacet corpus Reuerendiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Domini Domitij Archiepiſcopi Surrentini filij quondam Domini Franciſci Falangolæ de Surrento militis, qui obijt anno M.CCCC.LXX. die VIII. menſis Ianuarij. III. Ind.



31. SCIPIO Cicinellus Neapolitanus

A inter Montaneæ Sedilis nobiles natus, præficitur huic Eccleſiæ anno 1470. menſe Ianuario à Surrentino Capitulo poſtulatus, cuius poſtulationis documentum libet hic referre ab exemplari.

Anno à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo, regnante Sereniſs. & Illuſtriſs. Domino noſtro Dom. Ferdinando Dei gratia Rege Siciliæ, Hieruſalem, Vngariæ, regnorum verò eiuſdem duodecimo, die verò 11. menſis Ianuarij, 3. Indict. Surrenti:

☞ Venerabile Capitulum Maioris Eccleſiæ Surrentinæ congregatum in loco prædi-
B cto ad ſonum campanellæ, modo, & loco ſolitis, aſſeren. coram nobis, Reuerendiſs. in Chriſto Patrem & D. Domitiũ Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopum, prout Domino placuit, ab hoc ſæculo demigraſſe, & dictam maiorem Eccleſiam in præſenti non habere Archiepiſcopum, & volens dictum Capitulũ de aliquibus Vicarijs; Sede vacante, dictam maiorem prouidere, confiſum dictum Capitulum de fide & cæteris, &c. Venerabilium virorum Presbyterorum Nardi Curialis Archidiaconi Surrentini, Presbyteri Hieronymi Guardati Primicerij Surrentini, & Presbyteri Chriſtophori de Maſſo de dicta ciuitate Surrenti ſpontè conſtituit, ordinauit, & fecit dictæ maioris Eccleſiæ Vicarios, Sede
C vacante, præſentes ad manutenendum, & regendum, & gubernandum dictam maiorẽ Eccleſiam in locum Archiepiſcopatus, & omnia & ſingula faciendum, quæ fuerint opportuna, & generaliter, &c. dans, &c. promittens &c. obligauit, vt autem, &c. quibus ſic peractis, &c. Iudice Petrillo Cariulo, magiſtro Antonio de Anlixio, Mancio Trapano, Tomaſio in Caponanta, Presbytero Antonio Scoppa, & Richardo Mareſca, Antonio de Angelo, & Nicolao de Paſtana teſtibus.

Eodem die apud Chorum prædictum. Venerabile Capitulum Congregatum vt ſupra aſſeruit coram nobis ex . . . informatione percepiſſe, ſacram vrgentem maieſtatem ſupplicaſſe Sanctitati Domini Noſtri pro
D Reuerendiſs. V. I. D. Domino Sipio Cicinello de ciuitate Neapolis, de Archiepiſcopatu ciuitatis Surrenti nouiter vacante, dictumque Capitulum coram nobis tunc contemplationi dictæ regiæ maieſtatis, tam contemplatione dicti Domini Sipij, quàm nobilitate, ſcientia, & bonis moribus ſic decorati poſtulauit eundem Dominum Sipium in Archiepiſcopum Surrentinum, aſſerendo dictum Capitulum, ſi opus erit, Sanctitati Domini Noſtri ſupplicaturum pro eodem Domino Sipio, offerendo ſe dictum Capitulum pro dicto Domino Sipio ad omnia ſibi grata paratiſſimum, quibus omnibus ſic peractis, &c. præſentibus prædictis, &c.

Sic poſtulatus Scipio in gratia Ferdinandi

Re-

Regis, à Paulo II. confirmatus est Archiepiscopus, munusque consecrationis accepit in Ecclesia S. Renati die prima Aprilis ab Episcopo Stabiensi suffraganeo, assistentibus alijs tribus Episcopis, vt in publicis tabulis notatum legi.

Anno à Natiuitate eiusdem millesimo quadringentesimo septuagesimo. regnante Serenis. & Illustris. Domino nostro Domino Ferdinando Dei gratia Rege Siciliæ, Ierusalem & Vngariæ, regnorum verò eius anno duodecimo feliciter Amen.

Die Dominico primo mensis Aprilis 3. Indictionis apud Chorum Monasterij S. Renati Surrentinæ Diœcesis. Dudum prędicto die nobis, qui supra Iudice, Notario & testibus infrascriptis ad requisitionem & preces nobis factas pro parte Reuerendiss. in Christo Patris & Domini, Domini Sipij, Dei, & Apostolicę Sedis gratia Archiepiscopi Surrentini personaliter accersitis ad Chorum prædictum, & dum essemus ibidem inuenimus dictum Dominum Archiepiscopum vna cum Reuerendo Domino N. Episcopo Stabiensi, & tres alios Episcopos videlicet, Episcopum Æquensem, Episcopum Lubrensem, & Episcopum Acerranum, qui quidem Dominus Episcopus Stabiensis in Altari maiori dicti Monasterij missam cantauit, eundemque dictum Dominum Archiepiscopum consecrauit, Bullam Sanctissimi Domini nostri Dom. Pauli diuinæ prouidentia Papæ Secundi per iuramentum publicè legit, & iurãdo corã nobis ipsas inuiolabiliter obseruare, &c. quibus omnibus sic peractis &c. præsentibus Iudice Iannotta Gota, Domino Episcopo Stabiensi, Domino Episcopo Equensi, Dom. Episcopo Lubrensi, Dom. Episcopo Acerrarum, Dom. Rainaldo Anaphora, Presbytero Naro de Curiali Archidiacono, Andrea Brancia, Tomasio Brancia, Ioanne Marasso, Petro de Amone, Antonio Domini Sarite testibus. Parum in hac dignitate viuit Scipio, diuturniore vita dignus. De Ciciniella prænobili gente legendus Mazzella.



32. IACOBVS de Sanctis Surrentinus anno 1478. Archiepiscopus Surrentinus erat; quo anno Sibyllam Malegnanam in Abbatissam Sancti Ioannis Os-aurei Ordin. S. Benedicti Canonicè electam consecrauit, vt scriptum ab eo diploma docet, ibi se Iacobum de Sanctis denominat, quod antea erat incognitum.

Iacobus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Surrentinus,

Illorum vota placenter exequimur, & eis vt fructificent, opem in Domino gratam damus, quos ex virtutis instinctu in ampliationibus diuini cultus, & operis iugi delectatione pullulare cognoscimus, & virere. Sanè etiam intelleximus, quod die quinto mensis Maij præsentis anni, nonæ Indict. venerabilem & religiosam mulierem q. Dominam Vănellam Molegnanam de Surrento immediatam Abbatissam Venerab. Monasterij S. Ioannis Os-auri de Surrento, sicut Domino placuit, viam vniuersæ carnis ingressam fuisse, etiam exequias canonicè celebratas fuisse, & postmodum suum cadauer ecclesiasticæ sepulturæ traditum fuisse, postmodum quidam Dominæ Abbatissæ mortem, & futurum exequiarum celebrationem Dominam Sororem Phileram Spasianam, sororem Franciscam Spasianam, sororem Ipolitam Molegnanam, sororem Marcellam de Magistro iudice, sororem Arminam Domini Vrsonis, & sororem Angelellam Molegnanam de dicta ciuitate Surrenti Moniales dicti Monasterij eodem die de electione futuræ Abbatissæ in ipso Monasterio procreande tractasse; quamobrem volentes regimini, & necessariæ gubernationi ipsius Monasterij citius quantum possit prouidere, Spiritu Sancto cooperante circa electionem dictæ futuræ Abbatissæ se ad inuicem concordasse, & electionem huiusmodi Abbatissæ concorditer pari voto nemine discrepante ad sonum campanæ more & loco solitis fecisse, & sic vnanimiter & concorditer atque pari voto nominasse & elegisse in Abbatissam dicti Monasterij Venerabilem & religiosam mulierem Dominam sororem Sibiliam Molegnanam dictæ ciuitatis Surrenti Monialem dicti Monasterij ab antea in dicto Monasterio, & ordine S. Benedicti expressè professam, tanquam dignam, idoneam, & sufficientem, ipsamque post huiusmodi electionem posuisse in Sede Abbatissali ipsius Monasterij, cantando & dicendo *Veni Creator Spiritus* cum suis sequentijs, & demum dictam sororem Sibiliam professam, & electam, vt supra dictam canonicam electionem, de ea factam huiusmodi Abbatissatus præfati Monasterij vna cum cæteris Monialibus ipsius Monasterij infra tempus à iure statutum ad nos Canonicè transmisisse, & præsentari fecisse cum instantia à nobis petentes humiliter ipsam per nos confirmari debere in dicto Abbatissatu, & sibi fieri mandare litteras opportunas. Nos verò videntes dictam electionem canonicè, &

legitimè esse factam per dictas Moniales ipsius Monasterij, quæ tunc erant, & nos pluries in dicto Monasterio de præfata Domina Sibilia Professa in ordine & Monasterio vt supra est expressum diligenti studio inquirere incepimus super moribus, vitæ honestate, idoneitate & probitate dictæ sororis Sibiliæ in Abbatissam vt supra electæ, & sic esse idoneam, & aptam spiritualis, & temporalis regiminis & gubernationis ipsius Monasterij, & bonorum eiusdem, & quia per inquisitionem & inuestigationem eandem per nos de ea factam comperimus dictam sororem Sibiliam in ordine vt supra ab antea professam, & in Abbatissam vt supra electam & idoneam, sufficientem, & promptam, atque aptam spiritualis & temporalis regiminis & gubernationis præfati Monasterij & bonorum eiusdē, ipsamque esse omni exceptione maiorem, dictam electionem de ea factam approbauimus, & approbamus, atque confirmamus, nec non ipsam sororem Sibiliam in Abbatissam vt supra electam, & per nos confirmatam, & approbatam creamus, ordinamus, & facimus tam in spiritualibus, quàm in temporalibus Abbatissam in dicto Monasterio, & in omnibus bonis eius, atque iuribus ad ipsum Monasterium spectantibus, & pertinentibus, quoquo modo, dantes, tradentes, & concedentes eidem sorori Sibiliæ vt supra in Abbatissam electæ, creatæ, & confirmatæ, administrationem, gubernationem, & regimen dicti Monasterij, & bonorum eiusdem iuxta constitutiones, ordinationes, & statuta Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, Sanctique Benedicti, & Canonicarum sanctionum, & demum per aliquos dies præfata Domina Abbatissa nobis petijt cum instantia sibi per nos impartiri debere munus sanctæ Consecrationis, & benedictionis. Quare vt præmissa in Domino salubrius acta sint, atque videantur eidem Dominæ Abbatissæ, vt supra professæ præsenti & petenti munus sanctæ Consecrationis, & benedictionis in eodem Monasterio contulimus, atque dedimus iuxta statutum, morem, & obseruantiam Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ in talibus editā & ordinatam, inuestientes postmodum eandē Dominam Sibiliam Abbatissam vt supra per baculum pastoralem, seu Abbatissatus, ac annuli impositionem canonicè, & legitimè de præmissis, ac ipsam inducentes in corporalem & vacuam possessionem omnium & singulorum præmissorum vigore & authoritate præsentium, in cuius rei testimonium, & dictæ Dominæ Sibiliæ Abbatissæ vt supra cautelam, & certitudinem, & plenam fidem omnium & singulorum, quorum vel modo inde interest, & poterit interesse de præmissis omnibus fieri iussimus has præsentes nostras institutionis literas nostro Pontificali pendenti sigillo, & subscriptione nostræ propriæ manus munitas, & roboratas.

Actum & Datum Surrenti in nostro Archiepiscopali Palatio Surrentino sub Anno Domini Nostri Iesu Christi millesimo quadringentesimo septuagesimosexto, die vigesimo mensis Maij Nonæ Indictionis, Pontificatus Sanctissimi In Christo Patris, & Domini Nostri, Domini Sixti Diuina prouidentia Papæ IV. anno quinto. Quæ omnia scripsi Ego Notarius Nardus Cannabarius de ciuitate Massa Lubrensis habitator dictæ ciuitatis Surrenti publicus per totum Regnū regia authoritate Notarius, & Curiæ Archiepiscopalis Surrentinæ Actorum Magister, de mandato, & commissione præfati Domini Archiepiscopi, & in fidem & testimonium præmissorum meo consueto, & solito signo signaui. Excessit Iacobus anno 1479.



33. NARDVS Mormile Neapolitanus clara, vetustaque familia, Patre Iacobatio natus, Iurisprudentiæ insignis Laureatus Iacobo successit die 12. Maij 1480. Eximiè sedit an. 13. obijtque anno 1493. Hic Iacobatio Patri, & Aloysio Fratri prædefunctis cenotaphium posuit Neapoli in Ecclesia Sanctæ Mariæ in Cosmedin; Sacelloque familiæ suæ hisce verbis exaratum:


Iacobatio Moriminio, qui vixit LXXIII. & Loysio eius F. Iuueni, quàm immaturè præcepto N. Archiepiscopus Surrentinus, Bernardinus Patri & Fratri dulciss. Anno Domini MCCCC. LXXXVIII.

Ibidem quoque Bernardinum Fratrem anno 1492. funerauit, eidemque epitaphium hocce inscripsit.

Bernardino Iacobi F. Morimino, qui Hetruſco, Hydruntinoque bello Alphonſi Ducis Calabriæ ductu ob. expectatam virtutem Pratorianis Equit. præfuit. Mox patri ſocius in Lucaniam ad extruendas oppidorum arces miſſus, dum cura interiori fatigat animum, propè Metapontum languore correptus interijt. Nardus Archiepiſcopus Surrent. Fratri B. M. relatis in Patriam oſſibus P. Ann. Sal. MCCCCLXXXXII.



34. MENELAVS de Iannarijs Neapolitanus Maſſotti, & Ioannellæ de Alexandro nobilibus procreatus parentibus, vir egregijs moribus ornatus ab Epiſcopatu Acernenſi ad Surrentinam Eccleſiam translatus eſt per obitum Nardi anno 1493. die tertia Auguſti. Exceſſit anno 1499. iacet Neapoli in Eccleſia Sancti Petri Martyris in maiorum ſuorum ſepulchro, & ſacello, nulla inſcriptione proloquente.



35. ALOYSIUS Mormile Nardi Supe-

A rioris germanus frater euaſit Surrentinus Archiepiſcopus anno 1499. vix biennio Pontifex fuit, obijtque anno 1501.

36. FRANCISCVS Romelinus Hiſpanus Vrbis Gubernator ab Alexandro Sexto Surrentinus Archiepiſcopus delectus eſt die tertia Martij anno 1501. ab eodem S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus, poſt annos vndecim eam ad fauorem Giberti Nepotis ceſſit, ſuffraganeum habuit in Eccleſia hac quendam Ioannem de Falcone, ipſe verò Romæ obijt anno 1518. Archiepiſcopus Panormitanus, Epiſcopuſque Cardinalis Albanenſis, de quo ibi, cuius memoria, Surrenti extat in quadam Baſilica, vbi legitur.

B *Franciſcus Remolinus Hiſpanus. Aedem ſub titulo Sanctorum Philippi, & Iacobi Minoris dicatam amplificauit.*

37. GISBERTVS Remolinus Franciſci ex fratre nepos die 22. Octobris 1512. à Iulio II. dictus eſt Surrentinus Archiepiſcopus, ſub eodem, ac Leone X. Concilium Lateranenſe ſuo ſuffragio iuuit, fato functus eſt anno 1525. Clemente VII. Pontifice ſedente

C



38. Fr. PHILIPPVS de Strozzis Florentinus, Laurentio & Camilla Saſſetta D nobilibus natus parentibus anno 1478. ordinem Prædicatorum profeſſus eſt in Cœnobio Diui Marci, ſub famoſo illo Hieronymo Sauonarola anno 1494. Quinque germanos fratres habuit in ea ſancta religione ſocios, quorum vnus Thomas ſui Ordinis Generalis Procurator euaſit; ipſe verò poſtquam Vicarium Generalem Ordinis egiſſet, ob morum candorem, præclaramque doctrinam à Clemente VII. ad Archiepiſcopalem hanc Surrentinam Sedem aſſumptus eſt anno 1525. die 18. Auguſti varia fortuna ferè ſemper illam adminiſtrauit; Romæ cum eſſet in illa Borboniana depopulatione, ab impijs & auaris militibus bis & ſemel captus pecunia ſua bis ſe

redemit, tertiò à Pompeio Columna liberatus, tædioque humanarum rerum affectus Ecclesiæ suæ nuncium remisit, cum regressu tamen, vt mos illorum temporum erat, die 20. Iunij 1530. plures deindè & tranquillè Romæ transegit annos, vbi 30. Iulij 1545. diem obijt suum, sepultusque est in Ecclesia S. Mariæ ad Mineruam in tumulo, quem antea sibi, suisque viuens parauerat, vbi legitur.

PHIL. STROZ. ARCHIEP.
SVRRENT. FIERI
AC SVIS P. M.D.XLI.



39. FLORENTIVS Coquerel Decanus Ecclesiæ B. Mariæ de Lanto Attrebatensis Diœcesis, petente Carolo V. Imper. electus est Archiepiscopus Surrentinus à Clemente VII. die 20. Iunij anno 1530. consecratus deinde fuit 27. Decemb. eiusdem anni in sacrario Ecclesiæ S. Mariæ super Mineruam à Laurentio Episcopo Polignanensi, assistentibus Vegliensi & Iustinopolitano Episcopis. Sedit an. 15. mortem obijt sedente Paulo III. ann. 1545.



40. BERNARDINVS Siluius Piccolomineus de Aragonia ex Amalphitanis Ducibus, cum esset Episcopus Aprutinus, consentiente Philippo Strozzio ad Surrentinam

A hanc Ecclesiam translatus fuit anno 1545. die 13. Aprilis. Obijt sub Iulio III. anno 1552. Corrigenda est nostra Aprutinorum Episcoporum series, vbi ex amanuensis nostri incogitantia pro Surrentino *Suessanus* scriptum fuit, dum translationem Bernardini ab Ecclesia Aprutina enarrauimus.

41. BARTHOLOMÆVS Albanus Nicolai filius Vrbeuetanus ex Episcopo Suessano ad Surrentinam Ecclesiam translatus à Iulio III. anno 1552. die 22. Octobris. Romæ mortalitatem expleuit eo ipso ann. 1558. quo Surrentum à Turcis captum, ac penè dirutum est.

B



C 42. Fr. IVLIVS Panesius Brixiensis Ord. Præd. Vir sanctimonia, doctrina, & experientia longè clarissimus, cumque per omnes ferè gradus ad Commissariatum, vt vocant, Sancti Officij gradum fecisset, Vestanus Episcopus declaratus est, mox Surrentinus Archiepiscopus 20. Iulij anno 1558. Tridentino Concilio interfuit sub Pio IV. Apostolicæ Sedis Nuncius fuit Neapoli primum, mox in Belgio, ac Neapolitani Archiepiscopatus Generalis Vicarius, de Surrentina Ecclesia, deque Apostolica Sede benemeritus mortalitatem expleuit anno 1571. Id. Febr. Neapoli iacet in Ecclesia S. Catherinæ à Formello, æde D. Annunciatæ relicta hærede, vt
D præ foribus in eius memoriam proloquitur marmorea exarata inscriptio.

Iulio Pauesio Brixiano ex Ordin. Præd. Sacræ Theologiæ Magist. Vestinorum Episc. Surrentinorum Archiep. Generali Commissario S. Officij Inquisitionis, & Nuncio Apostolico in hoc Regno Pij V. Flandriæ Nuncio, vitæ integritate, & omnium virtutum genere ornato, Oeconomi

Sacræ

Sacræ Aedis Annũciatæ ex testamento hæredes PP.M.DLXXV. Obijt III. Id. Feb. MDLXXI.

Palatium Archiepiscopale extruxerat Pauesius prope Cathedralem anno sui Præsulatus primo, atque hæc adscripsit ad parietes.

Iulius Pauesius Brixianus Archiepiscop. Surrentinus paulo post miserrimã direptionem huic præclaræ vrbi cum vniuersæ Ciuitatis vel internecione, vel captiuitate à Turcis illatam, hasce ædes eodem exitio incensas, & solo æquatas suo ære, suaque sponte ad publica commoda piè non minus, quam benignè à fundamentis instaurauit, atque exædificauit. M.D.L.IX.

Iulij elogium scripsit, ac edidit Octauius Rubeus in lib. de Viris Illustribus Brixianis, ac Michael Pius de Viris Illustribus Ordinis Prædicatorum.



44 LAELIVS Brancaccius Neapolitanus hanc Surrentinam Ecclesiam regendam suscepit à Pio V. anno 1571. die 20. Iunij & cũ fedisset annos tres ad Tarentinam translatus est. Hic Basilicam Cathedralem throno illustrauit, & portas egregio opere marmoreo cũ hac inscriptione.

A

Lælius Brancaccius Archiepiscopus Surrentinus templum auxit, & fores erexit. M.D.LXXII.



B

45. IOSEPH Donzellus Pedemontanus, ex monte Regalensi Ciuitate I. V. D. excellens, Cameræ Apostolicæ Fiscalis Procurator delectus, est Surrẽtinus Archiepiscopus die 14. Iulij 1574. in Etruria apud Serenissimum Franciscum Magnum Ducem Nũcius fuit, deinde Vrbis Romæ Gubernator, vir prudens, ac doctus, cũ per decem & quatuor annos piè, sanctèque Ecclesiam sibi creditam administrasset, ac varijs ædificijs illustrasset è vita discessit anno 1588.

C



D

46. MVTIVS Bonioannes Patritius Romanus Sixti V. familiaris ob egregiam indolem, rerumq; peritiam ab eodem fuit adlectus Surrentinus Archipræsul die 27. Aprilis 1588. & in Lusitaniam Apostolicæ Sedis Nuncius missus, eo in munere duos transegit annos, ad Aulam reuersus immaturo fato sublatus anno 1591. sepultusque est in Ecclesia Sancti Augustini prope Sacellum S. Monicæ in maiorum sepulchro, cui Horatius frater, & alijs hoc posuit Cœnotaphium.

D.O.M.

D. O. M.

Horatius Bonioannes Patritius Romanus antiquiss. familiæ suæ Sacellum Sancti Sanctorum veteri nomine appellatum, quò decentius exornari posset, sublatis diuersis loculis extra ordinem sublime positis, ossa maiorum, suorumque Gentilium Episcoporum, & Mutij fratris Opt. Archiepiscopi Surrentini in hoc vnum Sarcophagum commune sibi, posterisque suis inferenda curauit. M. DC. I I I I.



47. CAROLVS Baldinus Neapolitanus Vtriusque Iuris peritissimus in Neapolitana Academia diu Ius Canonicum interpretatus à Gregorio XIIII. die 18. Februarij 1591. Archiepiscopus Surrentinus creatus est. Ex quæ ad religionem pertinebant ab eo notari & cognosci in Regno Neapolitano Summi Pontifices demandarunt. Decessit summæ existimationis Præsul anno 1598.



48. HIERONYMVS Prouenzalis

A Neapolitanus, vir nobilis, qui inter illustres doctos Philosophos antea adscitus, animo tamen, & candidis moribus religioni addictus, Aristoteli, Galeno, atq; Hippocrati, D. Thomam, Sacrosque Theologos anteponens, tantum in ijs studijs profecit, vt insignis Philosophus illustris Theologus euaserit, atque ita, vt Romam profectus in Clementis VIII. Pontificis aulam fuerit acceptus, à quo post Ferrariensem reditum, eius opera vso, fuerat laudante Aula Archiepiscopatu Surrentino decoratus anno 1598. die prima Iulij. Nihil illo viro comius doctiusque. Regulares Clericos Theatinos recepit, tradita eis D. Antonini Vrbis tutelaris Ecclesia anno 1606. In
B Cathedrali Sacellum Sacrarij in honorem D. Ianuarij Martyris à fundamentis extruxit, dotauit, sacrisque reliquijs exornauit, ibique sepulchrum sibi viuens statuit. Vixit in hac dignitate summa sui nominis fama ann. 13. mens. 7. ac piè, vt vixerat, mortalitatem expleuit anno 1612. 11. Kal. Aprilis anno ætat. suæ 78. tunc ad Poloniæ Regem à Paulo V. Pontifice Apostolicæ Sedis Nuntius destinatus.

C



49. IOANNES Antonius Angrisanus Neapolitanus Clericorum Regularium Præpositus Generalis, Hieronymi decessoris consanguineus hanc Sedem obtinuit à Paulo V. anno 1612. cui Antonius Caracciolus vitam S. Antonini Abbatis Surrentini dedicat anno 1628. quo etiam Præsule Vesuuius Pompeianum, Herculanum, & innumera oppida
D combussit anno 1631. Sedit laudatissimè Ioannes Antonius 30. annis, & in senectute bona decessit 1641. de quo legendus Silos p. 2. Hist. Clericorum Regularium.



50. ANTONIVS del Pezzo Neapolitanus vir suauissimis moribus, & doctrina, quos cum generis nobilitate exornat, ex Polisianensi Episcopo, Surrentinus euasit Archiepiscopus die 20. Nouembris 1641. qui cũ inter cęteras virtutes familiarem habeat eruditionem, & venerandæ antiquitatis peritus sit, Antecessorum suorum Acta, ex paucis monumentis, quæ in illa miserabili Surrentinæ Ciuitatis Turcarum direptione superfuerũt, exquisita diligentia collegit, eorumque nomina, & insignia in Archiepiscopali Aula depingi curauit, nobisque ea omnia suggessit, quæ nostrum possent iuuare laborem. Synodum celebrauit anno 1654. quam emisit in lucem ad augendam diuini cultus pietatem, disciplinamque ecclesiasticam feruentius seruandam. Pergit religiosa administratione Surrentinam suam Ecclesiam regere & exornare, verbo & exemplo gregem sibi commissum ad Christianas virtutes excitare, cuius cæteras virtutes, ne eius modestiam oneremus, libenter silentio præterimus. Patruum habuit Antonius, à quo lac pietatis primum sumpsit, Cæsarem Episcopum Sulmonensem Virum insignem, & fratrem patruelem Clementem ex Ordine Clericorum Regularium virum pientissimum, omnique laude dignissimum Episcopum Aquilanum, mox Stabiensem. Protulit vbiq; & semper gens Pezzia viros, tum belli, tum pacis artibus admirandos. Ioannem militum egregium ductorem mirificè laudat Scipio Mazzella in descriptione Regni Neapolitani, qui primus ex Colonia Agrippina Germaniæ Ciuitate, gentem suam nobilissimã sub Alphonso primo Rege Salerni inter nobiles constabiliuit, quam deinde Reges honoribus, feudis, diuitijs, ac priuilegijs exornarunt: Lucas Pyrrhi frater, Ioannis nepos militari virtute clarus inter Patritios Romanos ex S.C. adscriptus, familiæ nõ paruum addidit ornamentum: Alios plures viros clarissimos recẽsuit idem Mazzella, quorum virtutes hæreditasse visus est noster Antonius, dignissimus Archiepiscopus, cuius egregia facinora aliorũ fœcundiores calami exornabunt, cum satis hic fuerit eius virtutes delibasse.

AEQVENSES, seu Vici Aequensis EPISCOPI.



AEQVAM (quam Vicum appellant) antiquam vrbem in montibus fuisse, non longè à Surrento ædificatam vetera ædificia, & monumenta, & sinus eius ab antiquis proceribus, & Imperatoribus habitatus, demonstrat. Gothorum immanitate postea vastata, ac penè diruta fuit. Nouam vero Ciuitatem à Carolo II. Rege circa annum MCCC. exædificatam ex inscriptione patet, quo sæpissimè ad animi tranquillitatem diuertebat, Vicum Aequensem ab antiqua illa vrbe appellauit haud longè situm inter Surrentum, & Stabiam, Neapolim spectans à decẽ & octo milliarijs. Aprico & clementissimo cælo, hilari, atque vberrimo agri solo, delicatiora poma, delicatissima vina profert, qualia degustari ad sanitatem & voluptatem desiderantur. Aedes Ioanna II. Regina ibi condidit, Regulorum tunc domicilium, Principis nunc Musæum, atque oblectamentum. Vrbis amœnitatem, situmque perbellè descripsit Iulius Cæsar Capacius. Templum maximum, & Parochia ab Aequa ad nouam Ciuitatem Vicanam translatæ sunt ab eodem Carolo conditore. Hic Bonifacium VIII. exorauit, vt illic Episcopalem vellet Sedem, vel transferre, vel denouo instituere, ipse vero adiutrices manus admouit, addito censu, quo pro Episcopali mensa vterentur futuri Episcopi. An vero Aequensis vetusta Ciuitas Episcopali fuerit dignitate exornata, nõ satis constat; tametsi in monumentis quidã Bartholomęus Aequensis Episcopus repetiatur anno 1294. cuius etiam habetur memoria anno 1297. Sed & Ioannes Rufali erat Aequensis Ecclesiæ Archidiaconus anno 1285. cũ à Rauellensi Capitulo electus est Rauellensis Episcopus, vt ex regest. Vatic. alibi diximus. Constituta igitur Vico Episcopali dignitate, primus Pręsul delectus est Ioannes Ciminus, & Surrentino Archiepiscopo datus est suffraganeus.

Ba-

Basilica Cathedralis titulo SS. Cyri, & Ioannis ad mare posita ab Alphonso I. Rege exornata sex dignitatibus nobilitatur (si vera sunt, quæ mihi sunt transmissa) Archidiaconatus nempe, Primiceratus, Archipresbyteratus, Decanatus, Cantoratus & Thesaurariatus, cum octo Canonicis; sed in supplici libello Aloysij Ricuij electi pro expeditione ad Vrbanum VIII. Pont. Max. porrecto, vnica tantùm dignitas Archidiaconatus cum septem Canonicis recensetur, quorum vnus curam gerit animarum, quæ hodie centenum non excedunt numerum. Vnum est in ciuitate Cœnobium Oliuctanæ Congregationis ad S. Franciscæ Romanæ, extra verò mœnia domus satis ampla Clericorum Regularium Theatinorum S. Mariæ de Tora, Fratrum Minorum de Obseruantia, S. Mariæ à Chica, Cœnobium satis pulchrum s. Viti Martyris Cælestini Ordinis, & Eremitarum Camaldulensium in Monte s. Mariæ Hierusalem, tresque laicorum fraternitates. Diœcesis angusta est quatuordecim circumscripta locis, seu oppidis, totidemque Parochialibus Ecclesijs cum suis Rectoribus. Pauperrima est hodie episcopalis mensa; cuius fructus vix ascendunt ad ducatos Regni quinquaginta supra ducentos, taxatur in libris fisci Apostolici ad Florenos 99. Qui verò nouiter creatus est Episcopus ad vrbem veniens à Longa, Ferrariaque gente excipitur, & in bonis Ecclesiæ constituitur administrator. Præter Longam, Ferrariamque familiæ aliæ sunt in hac ciuitate nobiles. Ex hac natus est Ioannes Baptista Porta sapientissimus Astronomiæ magister, nouusque interpres prospectiuæ, quam Græci vocant Opticam, scriptis suis orbi notissimus. Ioannes Vincentius eius frater germanus in speculatiuis præcelluit. Antonius Agellius Acerni Episcopus Clericorum Regularium Theatinorum & patriæ decus, Hebraicæ linguæ & Chaldeæ peritissimus, Psalmorum genuinæ, & germanæ explicationis interpres facundus, cuius scripta typis edita in sacris Bibliothecis maximi fiunt. Marcus & Innocentius Parascandoli fratres eiusdem instituti Clerici, vitæ sanctimonia clari fuere, quibus addam Iuniperum eiusdem familiæ Parascandolæ, ac Minoris Ordinis de Obseruantia alumnum integritate vitæ, & doctrina conspicuum, cuius meminit Lucas Vvadingus lib. de script. Ord. Seraphici. Cæterùm Episcopi, qui in hac Sede floruerunt, sequentes sunt ex Vaticanis regestris, monumentisque huius Ecclesiæ eruti,



1. IOANNES Ciminus Vici ortus à Bonifacio VIII. circa annum Domini 1300. primus Vici Æquensis Episcopus creatus est, qui haud diu in ea dignitate superuixit, decedensque in Ecclesiæ Cathedralis Sacrario, vrnaque marmorea conditus est cum hoc epitaphio:

In nomine Domini Nostri
Iesu Christi Amen.
Hic iacet corpus Ioannis Cimini Vicani Episcopi, istius
Episcopatus, nec non istius Cappellæ fundatoris, anima cuius requiescat in pace; qui migrauit
ab hoc sæculo anno Domini
MCCC.

Pluribus bonis Ioannes dotauit sacrarium, quæ ab eius iure hoc tẽpore longè sunt aliena; Ex familia posteri qui sunt, iuris patronatus gaudent.

2. Fr. LANDVLPHVS, alijs Rodulphus, Neapolitanus Ordinis Prædicatorum huius Ecclesiæ adlectus est Episcopus ab eodem Bonifacio circa annum Domini 1301. qui cum esset vir doctissimus & gratia Regis polleret, eo petente à Clemente V. Papa translatus est ad Archiepiscopalem Sedem Acherentinam, & Materanam anno 1306.

3. Fr. PETRVS de Andria eiusdem Ord. Prædic. Landulpho successit, ad hanc dignitatem vocatus à Clemente V. Id. August. anno 1306. vt ex reg. Vatic. ep. 393. Hic pro decimis egit cum Comite Vici, qui coactus est soluere, quippe causa decimarum est spiritualis.

4. IOANNES huius Ecclesiæ Præsul memoratur in regio regest. Neapolit. anno 1224.

5. TESSELINVS Fontana Abbas S. Petri ad Curtim Ordinis S. Benedicti electus est Episcopus Viciæquensis anno 1330. Ciuis erat Massæ Lubrensis, vt innuit documentum, quod ipse inscripsit anno 1334. 15. Octobris

bris dum Romæ moraretur, ad generalem ſuum Vicarium Andream Liparolum.

6. IOANNES Epiſcopus Vici, mortuus eſt anno 1343.

7. Cæſarius Planula Canonicus Neapolitanus eligitur Epiſcopus in demortui Ioannis locum à Clemente VI. anno 1343. Id. Iunij, anno Pontif. 2. in reg. Vatic. ep. 43. Porrò poſt obitum Ioannis, Capitulum in partes ſeceſſit, vna eiuſdem, Petrum de Baia Squillacenſem elegit, altera Auguſtinum Canonicum Iſclanenſem. Clemens vtramque electionem vitio celebratam irritam declarauit, ac Cæſarium hunc ex plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis in Viciæquenſem Epiſcopum præfecit: Petrum verò de Baia Antiſtitem Caſtellanetenſem creauit. Quinque omnino annos ſedit Cæſarius, exceſſitque anno 1348.

8. Fr. IACOBVS de Sora Ord. Minorum ſucceſſit Cæſareo 5. Non. Octobr. anno 1348. ab eodem Clemente VI. ad hanc dignitatem euectus, cuius meminit reg. Vatic. epiſt. 107. tol. 72. memoratur idem in reg. Neapol. anno 1376.

9. Fr. LVDOVICVS obijt anno 1393.

10. RICCARDVS Gattula Canonicus Æquenſis conſtituitur huius Eccleſiæ Præſul à Bonifacio IX. anno 1393. Non. Decemb. Exceſſit 1414. ex lib. obligat.

11. GALIARDVS Abbas Monaſterij S. Mariæ de Olearea Ord. S. Benedicti Amalphitanę Diœceſis eligitur Epiſcopus an. 1414. 4. Kal. Octobr. à Ioanne XXIII. ex eodem lib.

12. IOANNES Longus ciuis & Primicerius Æquenſis ad patriæ ſedem ſublimatur à Martino V. anno 1422. die 16. Octob. doctus fuit & humanus, hanc rexit Eccleſiam triginta ferè annos. Deceſſit Nicolao V. ſedente 1451. de quo huiuſmodi verſus lib. 10. Hermathenæ Laurentij Longi Parmenſis Clerici Regularis Congregationis Summaſchæ leguntur.

Longus erat magnus vir nomine, reque Ioannes,
Quo nullus maior vir pietate fuit.
Gratia nomen ei dederat, meritumque tiaram,
Vt ſuperis eſſet gratior, atque Deo.
Egregiè ſacri paſtoris munere functus,
In patria acceptus iure propheta ſua.
Viuet io Longus longa per ſæcula fama,
Hoc cognomen ei ſcilicet omen erat.

13. SALVATOR Muſca Tropeienſis proximè poſt Ioannem, hanc ſuſcepit Eccleſiam anno 1451. 5. Id. Octobris, quanto tempore in ea dignitate floruerit, quoue anno & loco obierit, obſcurum mihi eſt, vltima tamen eius memoria extat in eius quodam documento anno 1473.

14. MATTHÆVS obijt anno 1494. ex Actis Conſiſt.

15. PTOLOMEVS de Ptolomeis nobilis Senenſis ex Theſaurario Eccleſiæ Lucerinæ à Pontifice Maximo Alexandro VI. inauguratur anno 1494. die 19. Martij, ſedit cum fama prudentiæ ann. 26. ſub Leone X. mortalitatem explenit 1520.

16. FERDINANDVS Marcheſius nobili familia ſatus in terra Graniani Litterenſis Diœceſis eligitur Epiſcopus anno 1520. die 8. Auguſti ſub Paulo III. fato ceſſit anno 1541.

17. NICOLAVS Sicardus Stabienſis ad hanc ſedem electus anno 1541. Obijt anno 1558.

18. Fr. DOMINICVS Caſablanca Siculus Meſſanenſis Ord. Præd. Summus Theologus in Vico Æquenſi Sacerdotio ſubrogatur Nicolao an. 1558. interfuit Tridentino Concilio, defunctuſque eſt anno 1564.

19. Fr. ANTONIVS Sagra Melitenſis eiuſdem Ord. Præd. religioſus hanc eandem Sedem aſſequutus eſt anno 1564. die 17. Nouembris. Hic in ordine ſuo famoſus, varijs linguis peritus Syriam, Meſopotamiam, Aſſyriam, Ægyptum, aliaſque Orientis peragrauit regiones, Apoſtolici Commiſſarij munus adimplenit, mores, rituſque illarum partium Chriſti fidelium ad normam Romanæ Eccleſiæ traduxit. Romam reuerſus à Pio V. benignè acceptus laborum præmio Epiſcopus creatus eſt, inauguratus ad Eccleſiam ſuam benè regendam profectus, in ea integra fama virtutum per multos annos vixit, relicto poſt mortem magno apud populos ſui deſiderio. Neapoli mortalitatem expleuit anno 1582. iacet in Eccleſia Diuæ Annunciatæ. Aedes Epiſcopales vetuſtate ſua fatiſcentes reſtituit, vt ad parietes proloquitur lapis.

Fr. Antonius Sagra Melitæus
Ord. Præd. Vici Præſul has ædes
vetuſtate collapſas in meliorem,
amplioremque formam reſtituit,
vt ſibi poſteriſque ſuis vſui foret, à partu Virginis
MDLXVII.

20. CONSTANTINVS de Lanoya ex Sulmonenſibus Principibus Gregorij Secundi Boiani Ducis filius, ex Monacho Caſſinenſis Cœnobij electus eſt Epiſcopus anno 1582. ſeptem omninò menſes in ea dignitate vixit: cuius cum laude meminit Arnoldus Vuion lib. 2. ligni vitæ. De hac familia legendus Carolus de Lellis de nobilibus Regni Neap. familijs p. part.

21. PAV-



21. PAVLVS Regius de Vrseolis Neapolitanus, Ferrante & Victoria Salernitana nobilibus ortus parentibus, in iuuenili ætate amœnioribus disciplinis, iurisque prudentiæ operam dedit, ductaque vxore Victoria Roccha pari nobilitate fœmina filium sustulit Ferrantem; Vxore demortua, ad ecclesiasticam vitam se totum dedit, sacras litteras amplexus Theologus euasit, & in ea facultate lauream suscepit: clatuit apud omnes maximè ob eruditionem sacrarum rerum, & prudentiam cum pietate coniunctas, quibus celebratus à Gregorio XIII. Vici-Aequensis Episcopus delectus est anno 1583. Neapoli consecratus in Diuæ Annunciatæ delubro, statim ad pauperem sponsam profectus, ab ipsa nunquam diuelli potuit, vt pinguiorem assequeretur, quam summè coluit per annos 25. populumque sibi concreditum verbo & exemplo ad pascua salutis traduxit, & vt officio boni Pastoris fungeretur, vitas sanctorum vbique & semper conquisiuit, inuentasque permultas vulgari sermone ipse conscripsit, & è tenebris elicuit, atque ita cum multa recondita ignorarentur, ipsius industria, & auctoritate cognoscuntur: cuius in Martyrologij Romani notis multis in locis cum laude meminit Baronius. Scripsit præter Sanctorum Vitas, plura alia opera vulgari sermone concinnata; *La Siracusana opera Morale in rime & in prosa. La Serenide Poema Spirituale. lib. 4. distinta. Lib. 5. Rime Spirituali. Vn libro di Discorsi intorno le Virtù Cardinali. Vn lib. di Sermoni intorno le Virtù Theologali. Vn lib. di Dialoghi intorno la felicità, e la miseria con la breuità della vita humana. Vn lib. della consolatione del Consiglio. Vn lib. della dignità & officio del Vescouo. Vn lib. dell'origine de Clerici e Monaci. Vn lib. intitolato il Censore, contenente alla sentenza di Platone contro l'Histori ci & i Poeti ignoranti, & Plebei. Vn lib. de gl'Huomini Illustri Italiani in arme & in lettere. Due libri di Tragedie Historiche e Spirituali.* Alia item sui ingenij monumenta posteris reliquit, summè laudatus ab Aegidio Scalionio Ordin. Minimorum in vita S. Ianuarij heroico versu descripta, quam Regio attitulauit, & Felix Renda in alia suorum

A operum dedicatoria epistola. Vitam eius, ac gesta fusius scripsit Io: Baptista de Tufo Ord. P. æd. Desijt esse inter viuos anno 1607. iacet in Cathedrali in sepulchro, quod sibi viuens ac successoribus parauerat cum hac inscriptione,

Paulus Regius Episcopus
Aequensis pium iudicans non solum sibi certum in sua Ecclesia
monumentum constituere, sed etiã
& Episcopis successoribus suis
hoc itidem vbi post laborum me-
B *tam quiescant constituit An. sal.*
MDLXXXXVI.

Ibidem ad eius marmoreum simulachrum leguntur duo hæc carmina.

Inspice viuentem, Musis hic ille serenus
Qui clarus fama, clarior ingenio.
Obijt anno M. DC. VII.
Aetatis suæ LXII.

C Alia in eadem Aede à se aucta, & instaurata prostat legentibus inscriptio.

Paulus Regius Aequensium
Episcopus, gente Vrseola, familia Regia Neap. nobili gente
natus, scientiã Theologus, profes-
sione iureconsultus. Huius Re-
gni Sanctorum gestis conscriptis,
alijsque sacris vigilijs piorum
commodis in lucem editis, cam-
panaria turri ære suo erecta,
splendore Cathedrali Ecclesiæ
D *addito, humanæ conditionis me-*
mor marmoreum sibi monumen-
tum viuens hic poni mandauit
Anno salutis M.D.LXXXIX.

Porrò ex Vrseola gente, ex qua natus gloriabatur Paulus, non pauci Venetiarum, & Dalmatiæ Duces prodiere, Gradensis Patriarcha fuit Vrsus, Vitalis eius frater Tocellanam rexit Ecclesiam, de quibus in quinto nostro tomo. Petrus quoque S. Romualdi discipulus, alijque insignes viri prodiere.

Nea-

Neapoli sfinem fecit in Ferrante Pauli legitimo filio, quem lacrymabili funere prosequutus est ad sepulchrum. Ferunt Vrseolæ gentis propagines etiam Anconæ, Forosempronij, Foroliuij, Panormi, ac Beneuenti adhuc vigere.



22. ALOYSIVS de Franchis Neapolitanus Patritius Clericus Regularis, dignus habitus est, qui Paulo in Episcopatu succederet; à Paulo V. ad hanc dignitatem vocatus die prima Octobris 1607 Præfuit & profuit ann. 2. mens. aliquot; & ad Neritonensem Cathedram translatus est die 26. Ianuar. 1611 cui Clerus Aequensis grati animi monumentum erexit in Cathedrali.

Domino Aloysio de Franchis
Vincentij filio Neapol. Patritio
Clericorum Regularium ornamento, Viciaquensis magna cum ciuium exterorum beneuolentia, biennium, atque semestrem Præsuli, è medio optimæ ipsius administrationis cursu ablato, & Pauli V. Pont. Max. iussu ad ampliorem Neriti Salentinorum Diœcesim profecto
Clerus grate memoriæ ergo posuere
An. sal. M. DC. XI. mense Martio.

23. HIERONYMVS Sarrianus Neapolitanus ex Comitibus Casalduni Clericus Regularis successit Francho die vltima Ianuarij 1611. inter multa, quæ piè in Cathedrali reliquit monumenta, sacellum Diui Caroli Mediolanensis Archiepiscopi exornauit, vt ex inscriptione liquet.

Carolo Borromeo S. R. E. Card. Archiep. Mediolan. Pastorũ lumini, sacellum pictura, paramentis, & altaris ornatu præstanti deuotè locatum, attributa dote ducatorum quinque pro onere Missæ vnius in hebdomada in perpetuum Hieronymus Sarrianus ex Comitibus Casalduni Neap. Episcopus Aequen. fundator posuit Anno salut. Dominicæ
M. DC. XVI.

Eodem anno Palatium Episcopale reparauit, ac noua adiecit ornamenta. Sedis laudabili exemplo ann. 16. Neapoli defunctus est die 22. Aprilis in Monasterio S. Mariæ gratiarum anno 1627. iacet ibidem in maiorum suorum sacello.



24. ALOYSIVS Riccius Neapol. equestri familia natus, legali scientia, & scriptis editis vir longè clarissimus electus post obitum Hieronymi die 20. Nouemb. 1627. cuius præstantissimas dotes expresserunt in marmore Canonici Aequenses in ipsa Cathedrali Ecclesia, quæ ipsissimis verbis ad eius marmoreum simulachrum in Ecclesia S. Mariæ de Stella leguntur, vbi terræ admandatus fuit, cum obijsset Neapoli die 6. Ianuarij 1643.

Aloysio Riccio
Equestris Ordinis Parthenopeo Episcopo Aequensi, vitæ integritate, doctrina, præstãtia præcellenti præclarissimosq; maiores

Michaelem Alphonso I. consiliarium, Viceprothonotariū, Locumque magni Camerarij tenentem, Romanos ad Pontifices, Germanos ad Cæsares pro pace Legatum.

Perloysium potestate inclytum nothos ad ius legitimæ sobolis asserendi Antonium Regij Archiepiscopum, itemque Michaelem Gallis Regibus Conuentui Burgundiæ Præsidem Viceprothonotarium, legatum ad Summos Reges, insigni fato monitus prætervecto, Patruo benemerentissimo Octauius Riccius posuit anno sal. M.DC.XXX.

25. ALEXANDER Raulius Anagninus electus die 23.Febr. anno 1643. excessit anno 1647. in Cathedrali sepultus.

26. THOMAS Imperatus Neapolitanus successit Raulio die 27.Maij 1647. obijt 1656.

27. IOANNES Baptista Rapuccius electus 19.Feb.1657. viuit.

LVBRENSES
seu Massæ Lubrensis
EPISCOPI.



MASSA Campaniæ Felicis recentioris nominis ciuitas à Sorrento Metropoli quinque passuum millibus in eminentiori quodam loco à natura munitissimo ad maris littus procul sita, vt à duabus eiusdem nominis Italiæ Ciuitatibus discerneretur, Lubren-


A sis appellatur. Distat Neapoli XXX. passuum millibus, intercepto gurgite Neapolitano contra Capreas Insulam. In montis cacumine, quod Promontorium Mineruæ, seu Prænussum, & Athenæum veteres scriptores appellarunt. Delubrum Mineruæ sacrum erat ab Vlysse conditum, cuius meminere Statius, Plinius, Strabo, alijque, ac prope ipsum oppidum Mineruium, ne procul ab hominum cœtu Mineruæ Templum exulare videretur, de quo loquutum esse Liuium arbitratur Capaccius in huius vrbis descriptione, dum ait, *in oppido Mineruio duas portas, & muri aliquantulum de Cœlo tactum*; Illud incolæ, qui Christi fidem primùm amplexati fuerant, funditus diruerunt cum oppido, aliorumque ad cliuum montis, quod Massam
B dixerunt, & Templum ad litus maris opportuniori loco, in honorem Virginis Mariæ exædificarunt, quod corrupto vocabulo in memoriam prisci Templi, de Lobra nuncuparunt; quocirca vt Capaccius scribit, Massa Lubrensis à maioribus dicta, omnium ore scriptisque nomen retinet.

Alij arbitrantur dictam fuisse Massam ab soli commoditate, vbertateque, quasi bonorum sit Massa, vnde Paulus Portellus;

Maiores Massam dixerunt nomine, namque,
Affluit omnigena commoditate solum.
Cunctorum hic etiam collecta est Massa bonorum,
C *Vt meritò hic Massa nomen habere putes.*

Sed vtcunque res sit, de eius origine, nomine, destructione, nouaque exædificatione variè arbitrantur scriptores: illud sanè constat, Lubrensem Massam perantiquam Campaniæ Felicis esse vrbem, tametsi non semel destructa, quæ extat, nupera sit ciuitas, non longè à veteri constructa. Paruit Romanis, Normannis, Sueuis, Francis, hoc tempore Catholici Regis suauissimum iugum experitur, & quod dignum existimatur, nunquam
D Regulorum seruitutem promeruit. Situm vrbis, agri amœnitatem, vbertatemque describit Capaccius, & nupera eorundem descriptio à quodam Massensi ciue in lucem edita est. Celebrat traditio apud Lubrenses, seu Massenses populos, illum primum ipsis Euangelium intulisse, cuius prædicatione Surrentum, aliæque finitimæ ciuitates ad Christi fidem fuerunt perductæ, in cuius rei argumentum has coniecturas afferunt, aliqua scilicet priscis illis temporibus condita templa, illud in honorem Beatissimæ Virginis de Lobra, quod aliquando pro Cathedrali habuerunt, D. Petro Apostolorum Principi ad litus maris dicatum, marmoreis columnis erectum, vndique depictum vermiculato pauimento stratum, & Abbatiæ titulo ornatum, ibi religiosos viros ex Diui Benedicti familia habitasse

tasse fama est, loco scilicet ab hominum consuetudine remoto; In vertice montis Templum D.Constātio Massensium Patrono erectum, cuius sacrum corpus ibidem pleriqúe asseruari asserant, eiusque dies festus solemni populorum concursu agitur 14.Maij. Ecclesia S.Saluatori, & Nicolao vetustissima anno 1172.consecrata Altera S.Agathæ,alięque sparsim exædificatæ ostenduntur. Lubrensis Episcopatus (ita inscriptum lego in Vaticanis monumentis) antiquus est inter recentiores iam inde à suo exortu in ijs numeratus, qui Surrentinum Archiepiscopum venerantur,& agnoscunt. Volunt Massenses eo tempore fuisse erectum, quo Surrentina Ecclesia Archiepiscopali dignitate exornata fuit; atque adeo eidem suffraganeum constitutum. Primi eius ciuitatis Episcopi, cæterorumque, qui successerunt nomina ad annū vsque 1289. interciderunt, siue scriptorum incuria, siue iniuria temporum, vel Turcarum deuastatione, vnde hiulca, & ieiuna erit nostra Lubrensium Episcoporum narratio. Primò quoque tempore, Lubrenses Episcopi Templum Diuæ Mariæ Annunciatæ Cathedralem intra mœnia veteris Massæ habuerunt, vetustate deinde fatiscens, ac penè totum ruinosum anno 1465. funditus destructa, ac solo æquata Massa, cecidit cum cæteris templum ipsum Cathedrale, & ad vetustum D.Mariæ de Lobra Episcopi dignitatem transtulerunt, quam deinceps Hieronymus Castaldus Episcopus nobili constructa noua Ecclesia eidem Beatissimæ Virgini dicata in loco Palmæ nuncupato transtulit, anno 1512. Hæc Basilica multis opibus tum sacris, tum profanis est amplificata. Diuina officia à numeroso Clero, Canonicis duodecim cum Archidiacono, Primicerio, & Cantore in hac Basilica dignitatibus,duobus hebdomadarijs, alijsque sacerdotibus, & clericis celebrantur. Diœcesis,quā totam constare dicunt ex vestigijs antiquæ ciuitatis Massæ & ex 24. pagis, distinctis quidem, sed breui spatio inter se dissitis, nouem continet Parochias, tria virorum Cœnobia, & nobile Societatis Iesu Collegium,septum Virginum vnum,& aliquas laicorum fraternitates. Episcopalis mensæ fructus est 700. ducatorum illarum partium; taxa verò in libris Cameræ Apostolicæ Flor. 33. Lubrensis ciuitatis Patroni antiqui fuere SS.Constantius, Erasmus, & Cataldus Episcopi, quibus ex decreto Synodali sub Mauritio Centino Episcopo anno 1628. adiuncti fuere SS.Franciscus, Ignatius Loyola,& Philippus Nerius. Porrò Episcopi, qui in hac Lubrensi Ecclesia floruere, non omnes, sed sequentes pauci enumerantur.



1. N. nomen non exprimitur ex Episcopo Lubrensi iussu Honorij III. Papæ translatus est ad Ecclesiam Luccrinam multo tempore vacantem, anno 1220. Extat epistola in reg. Vat. eiusdem Honorij ad Archiepiscopum Beneuentanum, vt absoluat Episcopum Lubrensem,illumque transferat ad Ecclesiam Lucerinam, Dat. Id. Ianuar. an. Pontif.4.epist. est num.346 fol.68.

2. Fr. PETRVS, Ordo ignoratur, patria Surrentinus ex familia Vrsa nobili genere natus Lubrensis Episcopus anno 1289. in Sicilia carceri mancipatus, pro cuius liberatione, alijsque redimendis captiuis Carolus Rex facultatem concessit Ioanni Eusebio Abbati de Surrento Siciliam transfretandi, vt in regest. reg.Neap. fol.44. anno 1289. scriptum est.

3. FRANCISCVS Lubrensis Episcopus anno 1303. Ecclesiam S.Mariæ de Plostilianis in agro Surrentino consecrauit, vt inscriptio proloquitur.

In nomine Dei & Beatæ Mariæ
Anno Domini millesimo III.
Indict. prima.
Nos Franciscus humilis Lubrensis Episcopus in Octaua S. Martini Christi Confessoris consecrauimus Ecclesiam S.Mariæ de Plestilianis de loco Marani, in qua concessimus quadraginta dies de indulgentia in perpetuum.

Hic forte Franciscus fuit ille Lubrensis Episcopus,qui anno 1299. pro redditibus suæ Ecclesiæ diu laborauit contra vassallos in Actis Regum Neapolitanorum. Translatus est Franciscus ad Asculanam Ecclesiam in Apulia à Clemente V. anno sal.1311. 5.Non.Iulij in regest. Vatic. epist.684. fol.167. ann.6. eiusdem Pontificis.

4. FRANCISCVS successit Francisco

ex Episcopo Asculano ann. 1311. tempus quo ex hac mortali vita discesserit in regest. Vatic. non exprimitur.

5. MAGESIVS, vel Magnesius longo tempore hanc rexit Ecclesiã, deinde ad Tranensem Archiepiscopalem Sedem translatus est à Clemente VI. ann. 1348. Non. Nouemb. pontific. 7. epist. 176. fol. 78. notatur in regest. Vatic.

6. Fr. PAVLVM Florentinum Zucchari filium ex Soderina familia suspicantur nõnulli fuisse, qui cum esset vir doctus, & nobilis Alumnus Ord. Prædic. ex celebri Cœnobio S. Mariæ Nouellæ, ad hunc Episcopatum assumptus est 4. Id. Nouemb. anno 1348. à Clemente VI. cuius electio extat in regest. Vatic. an. 7. eiusdem ep. 96. fol. 66. Sedit plus minus ann. 7. Meminit eiusdem Seraphinus Razius de Viris Illust. Ord. Præd. & monumentis supradicti Cœnobij, vbi habitum sumpserat religionis.

7. IOANNES electus Lubrensis Episcopus solitum subsidium soluit sacro Senatui anno 1351. die 24. Nouembris in obligat. ac solut. libris. Post hunc ferè spatio septuaginta annorum desiderantur Episcopi.

8. N. huius Ecclesiæ Episcopus obijt sub Eugenio IV. an. 1434. nomen non exprimitur in Actis Consistorialibus.

9. BACTINVS, & Vnatinus Ripanus Presb. Ecclesiæ Surrentinæ delectus est Episcopus Lubrensis ab Eugenio IV. anno 1434. 3. Non. Martij. Reperitur vixisse vsque ad annum 1466. in Actis Consistorialibus. Sub hoc eodem Præsule anno 1465. Massa iussu Ferdinandi primi Regis funditus diruta est, quam deinde reædificarunt non longè à priori loco.

10. IACOBVS Scannapecus Cauensis Pandutij Regij Consiliarij, & Agnetis de Griffis filius successit Bactino ann. 1466. 18. Kal. Febr. obijt an. 1506.

11. HIERONYMVS Castaldus Srabiẽsis electus Lubrensis Episcopus anno 1506. die 5. Iulij. Hic Cathedralem Sedem transtulit ab antiquo Templo S. Mariæ de Lobra, ad ædem Deiparæ gratiarum anno 1512. mortem obijt an. 1521.

12. PETRVS de Marchesijs hunc obtinuit Episcopatum à Leone X. anno 1521. die 12. Aprilis. Quo Præsule inceptum est Cœnobium Eremitarum Fratrum S. Augustini apud Ecclesiam S. Mariæ de Misericordia ab Vniuersitate Massæ ijsdem cõcessam an. 1523. defunctus est Petrus anno 1544.

13. HIERONYMVS Borgius Neapolitanus refertur inter literatos sui temporis Poetas, cum à Paulo III. cui longa familiaritate carus erat, anno 1544. die 18. Iulij Lubrensis Episcopus delectus esset, & à Rodulpho Cardinali Carpensi inauguratus fuisset, ingeniosum ad eundem concinnauit Epigramma.

Nobilitate potens, virtute potentior idem
Lux ò purpurei maxima, spesque Chori.
Tu mihi Pontificis donas insignia, bysso
Loricam ex niueo? tu galeamque seni?
Quis iuuenum contra Stygium me fortior hostem
Ibit? ero auspicijs victor & ipse tuis.
Vt mihi misisti viridem Rodulphe galerum,
Sic roseum mittas cum pater orbis eris.

Extat hoc epigramma cum alijs plurimis ab eodem Borgio conscriptis in libello, qui nondum lucem aspexit apud doctum amicũ nostrum eruditissimum Leonem Allarium, vbi & inscriptio apponenda in Sacello Christi Redemptoris, D. Mariæ sacro, quod ipse Borgius extruxerat, ac dotauerat, ita notatur ad marginem libelli.

Hieronymus Borgius castæ Philosophiæ cultor, à Paulo III. Pontifice Max. spontè vocatus, & electus Episcopus Massæ Lubrensis. Sacellum hoc Christo Deo à Magis adorato, ac Diuæ Mariæ Virgini Deiparæ dedicauit: aramque cum dote statuit in qua quotidie sacrificaretur. Anno Virginei partus. MD.XXXXX.

Senex erat Hieronymus, cum ad onus Episcopale accessit, quod nondum elapso anno libens volens, ad fauorem nepotis remisit, & post aliquot annos Romæ mortem oppetijt.

14. IOANNES Baptista Borgius Neapolitanus ex patrui resignatione Lubrensis Episcopus euasit anno 1545. die 18. Martij. Præfuit ann. 16. fatoque functus est ann. 1560. postquam miserabilem Massæ vastationem à Turcarum classe illatam proprijs vsurpasset oculis anno 1558. die 13. Iunij.

15. ANDREAS Bellonus Messanensis, nepos ex sorore Ioannis Mercurij Cardinalis, ex Decano Messanensi die 27. Iunij 1560. creatus est Episcopus Lubrensis, inter Patres Conc. Trident. vnus fuit.

16. IOSEPH Pharaoneus ex proceribus Messanensibus natus successit Bellono, deinde translatus est ad Cotronensem Ecclesiam anno 1581. die 27. Nouemb. de quo ibi.

17. IO. BAPTISTA à Palma Ciuis & Episcopus Lubrensis fuit ad eam dignitatem vocatus à Gregorio XIII. anno 1581. quo Præsule Minimi S. Francisci de Paula apud Massenses recipiuntur, Cœnobio constituto apud veterem Ecclesiam SS. Processi, &

Mar-

Martiniani, nobilis Liparulorum familia censum ad substentationem Fratrum addidit, & Templum D. Paulitano Francisco sacrum reædificauit, vt inscriptio ad parietes posita docet.

Deiparæ Virgini Patronæ Valetudinis Templum Diui Francisci de Paula; socijs cultoribus Cœnobium, annuumque censum pro alimentis. Franciscus Caprearum Episcopus è prisca, illustrique familia Liparulorum Alphonsus, Antonius, Iacobus fratres, Andreas patruus Neapolitani Nardo Episcopo Nicoterensi Patruo vtriusque iuris peritissimo feudorum monumentis inclyto eius post fata obsecuti fundarunt. Anno Dom. M.IↃLXXXII.

Anno 1584. assentiente Episcopo Palma, fratribus Ordinis Minorum de Obseruantia tradita est vetus Ecclesia S. Mariæ de Lobra olim Episcopalis Sedes, à pijs Ciuibus additum Cœnobium, & in meliorem faciem collapsa Ecclesia restituta est. Decessit autem Palma sub Clemente VIII. Pontifice, ac terræ mandatus est in Cathedrali, facelloque suæ familiæ, ad cuius tumulum hæc carmina scripta leguntur.

Quam pius in Patriam fuerit, pastorque benignus
Palma, memor semper Massa Lubrensis erit.
Aureolis, census centenis duxit, vt olim,
Commodiùs viuat, qui sacra sceptra gerit.

18. LAVRENTIVS Asprella Lucanus successit Palmæ à Clemente VIII. Papa creatus Episcopus, mortem obijt anno 1605. cuius temporibus Massæ initium sumpsit nobile Patrum Societatis Iesu Collegium anno 1600.

19. Fr. AVGVSTINVS Quintius Epidaurensis Ord. Prædicatorum ad hanc Sedem translatus est anno 1605. die 17. Augusti, è viuis abijt anno 1611.

20. HECTOR Gironda Nepos ex sorore Ioannis Baptistæ Constantij Archiepiscopi Consentini, hanc eandem Sedem Lubrensem assequutus est die 24. Febr. 1611. mortalem sarcinam reposuit anno 1626.

21. Fr. MAVRITIVS Centinus Ord. Minorum Conuentualium; Cardinalis Centini nepos, ab Vrbano VIII. fit Episcopus Lubrensis anno 1626. die 9. Februarij, sex ferè annos sedit, deinde translatus est ad Militensem Ecclesiam in Calabria, vt suprà diximus tom. I. in Militensium Episcoporum serie. Extat eiusdem in hac Cathedrali memoria, quàm penè collabentem restaurauit.

Hanc Aedem Deiparæ gratiarum Parenti sacram translatam à Hieronymo Castaldo. Anno MDXII. à maris littore Episcopali Sede in Cathedralem erectam à Petro Marchesio Episcopo ann. MDXLIII. viij. Iulij consecratam: Iam penè collabentem Mauritius Centinus Asculanus Episcopus, reparato fornice, conflatis, ampliorique loco positis organis, suggesto erecto, populeo, inauratoque laqueari ornatam in hanc formam redegit. Anno salutis CIↃIↃCXXXI.
Vrbano Octauo Pont. Max.
Philippo IV. Rege.



22. ALEXANDER Gallus Neapolitanus Iacobi Iurisconsulti clarissimi filius Lubrensi Ecclesiæ præficitur ab Vrbano VIII. anno 1632. 8. Kal. Decembris. Sedit omnibus gratus ann. 12. defunctus est anno 1644.

23. IOANNES VINCENTIVS de Iulijs Neapolitanus hanc Sedem obtinuit ab Innocentio Decimo anno 1645. die 15. Maij. Viuit.

STABIENSES seu Castri Maris EPISCOPI.



CASTRVM Maris (vulgo *Castell' à Mare*) vrbs est Campanæ Felicis in finibus Picentinorum, quæ ad Ostium Sarni iuxta Mare occurrit, Stabiense cognominatum, quod propinquo, aut eodem fortè loco antiquæ Stabiæ sitæ fuerint. Sedent in curuo illo amœnissimo ad Montis Aurei radices (Gaurum dicunt) vbi in occasu ille vergere incipit, Mineruæ promontorium efficiens à Surrento Metropoli sex inde milliaribus procul, à Regia Neapoli octodecim milliaribus distans. Stabiæ vrbs deleta est à L. Sylla bello sociali anno conditæ vrbis DCLXIV. eius reliquias vicina loca incoluisse innuit Plinius lib. 3. cap. 5. qui de ea sic loquitur; *In Campano autem agro Stabia oppidum fuere vsque ad Pompeium & L. Carbonem Consules pridie Kal. Maias; quo die L. Sylla legatus bello sociali id deleuit, quod nunc in villas abijt.* Stabiæ meminit Ouidius, Galenus, Columella, alijque veteres Scriptores, eius tamen exordium omninò incertum. Ex antiquis C igitur ruinis noua hæc Ciuitas Castri Maris creuit, & à condita ibidem Arce, quam Carolus I. Alphonsusque I. Reges magnificétius restituerunt, Castrum, seu Castellum Maris nuncuparunt, tametsi Antistites vbique & semper, adhucque vetustum Stabiensem titulum præseferunt. Maritimos habet commeatus, optimique portus vtilitate à Regibus exædificatos. Bacchus è littore lætatur, & Olera vbertimè solum procreat, & omnem circum oram pascit. In Ciuitate & pagis ad mille capita numerantur; quapropter ad quinque millia hominum in eo sinu incolere dicitur. Sub Regum dominio, atque demanio ob fidem, qua Reges prosequuta est, diù fuit, quo vsque Carolus V. Imp. inter alia, quæ ad dotem Margaritæ filiæ pertinebant, Octauio Farnesio Parmæ Duci Castrum Ma-

A ris constituit. Iam Octauij successoribus felicissimè paret & viget. Qui de hac vrbe, nobilibusque viris, ac familijs maiorem cognitioné haurire desiderant, Capaccij adeant historiam Neap. lib. 2. cap. 10. Cæterùm quis Stabianis populis Christi fidem seminauerit, quis primus ijsdem fuerit Episcopus, haud satis erui potuit, cum Ecclesia illa monumentis destituatur; vetus tamen traditio tenet, Apostolorum discipulos ibi sicut in alijs circumadditis vrbibus Euangelium propagasse, & anno salutis 499. Stabiæ proprium habuisse Pastorem Vrsum, qui sub Symmacho Papa subscripsit Romanæ Synodo. Stabiensis Episcopus à primis temporibus Romano Pontifici proximè subiacebat, donec Romani iidem Pontifices Surrentini Archiepiscopi illũ B Suffraganeum fecerunt. Cathedralis, quæ nobilis structuræ est, decentisque magnitudinis, Beatissimæ Virgini Mariæ consecrata est. Quinque insignita est dignitatibus, quarum prima est Archidiaconi, duodecim Canonici, cum alio promiscuo Clero ibidem diuinum pensum exoluunt. Episcopium Cathedrali contignum est commodum, satisque amplum. Quinque Parochiæ ibi sunt, octo Virorum, & duo Sanctimonialium cœnobia, aliquæ laicorum fraternitates, Xenodochium vnum, aliaq; pia loca visuntur, sed quod perspicuum est Societatis Iesu Collegium ad iuuenes in omnium scientiarũ genere erudiendos. Præter ipsam Ciuitatem, duoque suburbia nulla alia est Diœcesis. Stabiensis Ecclesiæ in libris Fisci Apostolici taxa est Flore- C norum 60. nongenta propè scutata illarum partium annuum censum cõstituunt. Huius Sedis Episcoporum series sequens est, quam ex varijs monumentis deprompsimus, satis ieiunam.

D



1. VRSVS Stabianus Episcopus clarus fuit in Synodo prima Romæ congregata sub Symmacho Papa anno salutis 499.

2. LAVRENTIVS Stabiensis Præsul Episcopatum inijt anno 600. salutis nostræ, vel 601. inchoante. Obijt anno 2. Heraclij Imp.

Imp. qui fuit Christi 612. Id quoque tradit inscriptus lapis, qui Aequis Capaccio teste, seruatur his verbis.

In hoc tumulo quiescit V. B. Laurentius Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Ciuitatis Stabiensis, qui vixit annis plus minus xxxx. sedit in Episcopatu xij. depositus die IIII. Kal. Martiarum Ind. xv. Imperante Heraclio Aug. anno secundo.



3. S. CATELLVS Stabiensis Episcopus, & Patronus, cuius festiuitas 19. Kal. Februar. celebratur. Vixit Eugenij II. & Valentini Pontif. temporibus anno 827. Eius vitæ sanctitatem, optimique Pastoris mores S. Antonini Abbatis societas, & consuetudo reddidit clariorem. Cum enim Beneuentanorum Ducis barbaries Cassinas Monasterij aliaque Campaniæ Cœnobia euertisset, Antoninus Stabias diuertit: tanta cum Catello familiaritate coniunctus est, vt cum in difficili, & scopuloso Gauri Montis culmine solitudini se committere decreuisset, Catellum quoq; è Ciuitate ad se euocarit. Catellus cum à Sanctissimi Viri consuetudine disiungi non posset, contemplationis ardoribus inflammatus (D) ad ima descendere recusabat; ideo ab Oppidanis apud Eugenium II. Pontificem anno 827. accusatus, Romam accersitus, in carcerem detrusus est, pauloque post defuncto Eugenio, à Valentino Eugenij successore solutus, Stabias rediit. Ibi miraculis clarus obdormiuit in Domino Stabianorum effectus Patronus. De eo clara mentio in vita & gestis Sancti Antonini Abbatis nuper ab eruditissimo viro Antonio Caracciolo ex antiquis exemplaribus in lucem edita, notisque illustrata, vbi Capaccii, Romeri, Paulig; Regij errores dissipantur, & corriguntur. Verisimile enim esse arbitratur obiisse B. Antoninum anno 830. hoc est duodecimo postquam

(A) è Campania è Benedictino Monasterio profugisset Stabias, Valentino Papa sedente. Catelli etiam meminit Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, & Martyrologio Sanctorum, qui in Romano non sunt.

4. SERGIVS vixit circa annum Christi 700.

5. STEPHANVS florebat anno 982. post hunc plures desiderantur huius Ecclesiæ Præsules.

6. GREGORIVS ex Presbytero Stabiēsis Episcopus ordinatus est à Barbato Archiepiscopo Surrentino anno 1110. vt supra retulimus ex diplomate Barbati, cui idem Archiepiscopus Ecclesiam S. Angeli in Monte Gauro concessit.

(B) 7. *SERGIVS* Gregorio successit, cui etiam ab eodem Barbato Archiepiscopo concessa est Ecclesia S. Angeli cum suis pertinentijs anno 1120. Fortasse, vt innuit Capaccius, Sergius iste ille est, qui post Idolorum templū Surrenti euersum, & D. Felici Episcopo Nolano dicatum, quo S. Baculi corpus transtulerant, quod columnam altaris, in quo Baculus condebatur, non pio animo sustinere voluit, lateris dolore oppressus & dimidia corporis parte debilitatus aliquandiu vixit, profusis verò multis lachrymis Baculo supplicans sanatus est, & Pontifex Stabianorum factus. Hæc ille, sed plura ante sæcula euersum Idolorum templum Surrenti & D. Felici dicatū, vnde mihi suspicio est, longè diuersum esse (C) Sergium hunc ab illo, qui virtute S. Baculi sanus factus est.

8. IOANNES Stabiensis Episcopus vixit Vrsi Archiepiscopi temporibus, à quo an. 1142. eiusdem Ecclesiæ S. Angeli confirmationem recepit, vt ex monumento, quod mox dabimus, patebit.



9. PALMERIVS Stabiensis Episcopus longo tempore hanc Ecclesiam rexit, eius prima mentio anno 1196. item anno 1201. vsque ad annum 1230. præcipuo siquidem studio hoc anno Ecclesiæ suæ iura apud Federicum II. ad cuius gratiam propiori gradu accesse-

accesserat, sartatecta præstitit, atque inuiolata. Ecclesiam S. Angeli in Montis Gauri fastigio à SS. Catello, Antoninoue Abbate exædificatam, quam plures Surrentini Archiepiscopi prædecessoribus concesserant, recuperauit. Orta lis erat anno 1230. (verba sunt Capaccij) sub Federico Imp. qua hanc ad se Ecclesiam pertinere Guarnerius quidā contendebat. Sed dum pro Episcopo Stabieñ Petrus eius Ecclesiæ Archidiaconus iura cōtra Guarnerium prosequeretur, & magnam Imperialem Curiam regeret, Henricus de Morra Magister Iustitiarius, aduocatis Simone & Henrico de Tocco, Roffrido de S. Germano, & Petro de Vinea eius magnæ Curiæ Iudicibus, Imperator decreuit, vt quoniam Stabiensis Episcopus in quo bellorū tempore eam Ecclesiam Henrico Theutonico Castri Maris arcis præfecto commēdauit, ne aliquid detrimenti pateretur, multasque alias ob caussas Guarnerius restitueret Episcopo. Qua de re sententia subiecuta est, in qua præter magnæ Curiæ Magistratus, & sententiarum eius temporis methodum, Barbati & Vrsi Surrentinorum Archiepiscoporum mentio fit, qui veluti Episcopos Stabienses eligebant, ita etiam Ecclesiam S. Angeli Gregorio, Sergio & Ioanni Episcopis concesserunt; quemadmodum idem Imperator Palmerio Episcopo & Abbati Matthæo concessit. Quā etiam Ecclesiam cum ad Regem spectare aliqui dicerent, Gualterius Catanensis Episcopus & Regni Siciliæ Cancellarius, Palmerio eius possessionem pacificè dimisit. Hinc Episcopi aliquot Stabienses in lucem prodierunt, qui aliquo pacto delitescebant, sententiæ documentum aliquot prætermisit, his verbis conceptum est.

Proposuit Petrus Archidiaconus Stabiensis pro parte Episcopi Stabiēsis, nomine ipsius Episcopi, & Ecclesiæ suæ, cuius procurator & œconomus est, quod constitit contra Guarnerium, quod ipse possidet, & tenet Ecclesiam S. Angeli de Monte aureo ad ipsum Episcopū, & Ecclesiam suam Stabiensē, de iure spectātem, quam Ecclesiam dictus Episcopus assignauit custodiendam tempore turbationis Henrico Theutonico olim Castellano Castri Maris pro seruitio & honore D. Imperatoris, ne per ipsam Ecclesiam, & loca, in quo sita est dicta Ecclesia, ipse D. Imperator, vel fideles sui possent in aliquo damnificari; vndè cum turbatio cessauit, & dicta Ecclesia spectet ad Episcopum, & ad Ecclesiam suam, sicut prædictum est, petijt nomine dicti Episcopi ipsam Ecclesiam à dicto Guarnerio sibi restitui cū omnibus iustis rationibus, & pertinentijs suis saluo iure, &c. Guarnerius litem contestando respondit dicens, se, ipsam petitam Ecclesiam tenere cum pertinentijs suis, ignorat tamen Ecclesiam petitam ad Episcopum, & Ecclesiam Stabiensem pertinere saluis omnibus rationibus suis. Lite igitur contestata, præfatus Guarnerius constituit procuratorem

A *suum magnif. Benedictum de Isernia, & ex parte verò præfati Archidiaconi ad probandū de iure Ecclesiæ, fuerunt quædam instrumenta in iudicio præsentata, in vno quorum vidimus contineri, qualiter olim Barbatus Surrentinæ Ecclesiæ Archiepiscopus cōcessit dictā Ecclesiam S. Angeli cum omnibus pertinentijs suis Gregorio tunc temporis Episcopo Stabiensi inter cætera, quæ eidem Episcopo concedebantur. In secundo instrumento similiter vidimus denotari, qualiter idem Barbatus Surrent. Archiepiscopus inter cætera, quæ concessit Sergio tunc temporis Episcopo Stabiensi, concessit nominatam Ecclesiam supradictam S. Angeli cum omnibus suis pertinentijs.* B *In tertio instrumento similiter continebatur, qualiter Vrso Archiepiscopus Surrentinus Ioanni Episcopo Stabiensi eandem Ecclesiam S. Angeli cum pertinentijs suis concessit. Præsentauit etiam idem Archidiaconus quoddam scriptum Palmerio venerabili Episcopo Castri Maris indultum* (nota quot nominibus ciuitas fuerit appellata) *olim à dicto nostro Serenissimo Imperatore tunc Rege, in quo continebatur, quod idem D. noster concessit, & confirmauit prædicto Episcopo Ecclesiam S. Angeli cum omnibus iustitijs & tenimentis suis, secundum quod eam idem Episcopus, & Ecclesia sua vnquam melius tenuit, & possedit. Ostendens etiam priuilegium D. nostri Imperatoris, in quo manifestè vidi-* C *mus, quod idem D. noster Imperator post felicem coronationem suam concessit, & confirmauit Ecclesiæ Stabiensi, & Palmerio prædicto Episcopo Ecclesiam S. Angeli, quam spectare credebat ad sua Regalia; & quia venerabilis Stabiensis Episcopus quædam priuilegia & authentica scripta D. Imperatori ostendit, qualiter prædicta Ecclesia S. Angeli ad ipsum spectaret de iure, visis rationibus Episcopi, mandauit D. Imperator eidem Abbati Matthæo, quatenus visis litteris eandem Ecclesiam cum tenimentis & rationibus suis secundum quod sibi extiterat assignata, prædicto Domino Episcopo resignaret. Item ostendit aliud scriptum sigilli Domini Gualterij Catanensis Episcopi, & Regni Siciliæ tunc Cancellarij roboratum, in quo inter cætera vidimus contineri, quod idem Cancellarius,* D *cum de mādato Regio venisset ad partes Terræ Laboris inquirens Ecclesias & alias rationes suas, cum dictum fuisset ei, quod Ecclesia S. Angeli de Monte aureo ad Cancellaria demanium pertineret, dum ire ad eam intenderet, vidit priuilegia & alias rationes, quas idem D. Palmerius Venerabilis Stabiensis Episcopus de eadem Ecclesia præsentauit. Quibus visis Ecclesiam ipsam S. Angeli de Monte-aureo cum omnibus pertinentijs suis ad præfatā Ecclesiam Stabiensem de iure spectantem dimisit pleno iure pacificè possidendā. Item præsentauit aliud instrumentum confectum per D. Henricum de Vinepia tunc temporis Castellanum Scafati, & Castelli Maris robo-*

roboratum subscriptionibus Gualterij de Berelumo Iudicis Salerni, & Gualterij Iudicis Summa, in quo vidimus contineri, quod Notarius Thomas de Cicala constitutus ab eodem D. Henrico procurator pro parte Curiæ posuit contra Dominum Palmerium Episcopum Stabiensem, petendo ab eo & Ecclesia sua Cappellam S. Angeli de Monte-aureo, quam dicebat spectare ad Curiam Domini Imperatoris; super quo per negationem Episcopi lite contestata, inductis probationibus pro parte Episcopi; quia per priuilegia & instrumenta plenè probatum fuit de iure Ecclesiæ Stabiensis, fuit idem Episcopus ab impetitione dicti procuratoris pro parte Curiæ constituti, sententialiter absolutus. Eandem Imperator sententiam edidit, & Archidiacono pro Episcopo agenti Ecclesiam resignauit, iussitque, qui contra agerent, condemnandos. Hæc acta fuerunt anno 1230. post quæ de Palmerio Episcopo nil aliud reperitur, neque etiam de eius successoribus quicquam inueniri potuit vsque ad annum 1283.




10. THEOBALDVS Episcopus Stabiensis memoratur in regio regest. Neap. an. 1283. eiusdemque, vel forte alterius, cum nomen non exprimatur, fit mentio in eodem regest. anno 1295. cum supplici libello Regi exponitur ab Episcopo Castri Maris pro recuperandi decimis Stabiensis Ecclesiæ. Eodem anno translatus est ad Taracinam Ecclesiam à Bonifacio VIII. pontifice 1. die 6. Id. Apr. ex regest. Vatic. ep. 68. fol. 16.

11. P. fortè PETRVS, vel Paulus, ita notatur in eodem regest. regio anno 1334. ac sequenti.

12. ANDREAS Stabiensem Ecclesiam obtinebat anno 1309. vt ex eodem regio regest. habetur.

13. PETRVS obijt anno 1326.



14. Fr. LANDVLPHVS Caracciolus Neapolitanus Ord. Minorum nobilis alumnus, Parisiensis Magister, Scoti discipulus ex Custode Terræ Laboris, Stabiēsis fit Episcopus ab Ioanne XXII. anno 1326. consecratus anno 1328. Sedit annos quinque, & translatus est ad Archiepiscopalem Sedem Amalphitanam, de quo ibi.

15. N. successit Landulpho eodem ann. 1331.

16. Fr. GVILLELMVS in hac Sede florebat anno 1343. ex regio regest. Vatic.

17. PETRVS Stabiensis Episcopus obijt anno 1358. sepultus in veteri Cathedrali cum hoc epitaphio.

Hic iacet corpus Venerabilis
Patris Domini Domini Petri
Dei gratia Episcopi Stabiensis
qui obijt anno Domini
M. CCCLVIII. die prima
mensis Maij II. Indictionis,
cuius anima requiescat in pace.
Amen.



18. MATTHÆVS de Alaneo Amalphitanus

tanus ex nobilissima huius agnominis familia oriundus, isthic à nobis immediatè post Petrum subiungitur, ex duobus instrumentis Amalphiæ rogatis à Sergio de Amuruczio Notario Amalphitano an. 1360. die 12. Aug. Ind. 13. Ludouici Regis anno 12. Ioannæ Reginæ 18. quo Matthæus Episcopus Stabiensis quædã patrimonialia stabilia sita in Ciuitate Amalphi Antonello de Alagno nepoti suo dedit. In altero alia bona eadem die elargitus est Episcopus iste Tuczillo de Alagno filio quondam Petrilli de Alagno nepoti suo. Huius tamen Matthæi electionem non inuenimus in regestr. Vaticanis, de quo nil aliud occurrit.

19. IOANNES Monachus S. Agathæ Cataniensis, florebat Episcopus Stabiensis anno 1366. apud eruditum amicum nostrum Ioannem Baptistam de Grossis in Decachordo Cataniensis Ecclesiæ, de quo in reg. Vatic. nil protsus legimus.

20. PAVLVS huius Ecclesiæ Pontifex decessit sub Vrbano V. Papa anno 1370. ex Vatic. regest.



21. MARINVS de Iudice Canonicus Amalphitanus, decretorum Doctor, Papæ Cappellanus, & Causarum Palatij Apostolici Auditor euasit Stabiensis Episcopus an. 1370. 12. Kal. Martij ad hanc dignitatem ab Vrbano V. vocatus, anno pontific. 8. vt in regest. Vatic. lib. 1. quanto tempore hanc ille rexerit Ecclesiam, an idem sit Marinus de Iudice, qui Tarentinus deindè euasit Archiepiscopus & Cardinalis sub Vrbano VI. sub quo necatus est, ignoro; tametsi mea sententia est diuersus ab Marino de Iudice, qui mortuus est Amalphitanus Archiepiscopus.

21. HVGO Gallus fuit Episcopus Stabiensis an. 1380. & cum esset Clementis VII. Pseudopontificis assecla; ab Vrbano VI. dignitate priuatus est.

23. IVLIANVS huius Ecclesiæ Episcopus renunciatus est ab eodem Vrbano; sed cum deinceps eidem Antipapæ Clementi adhæsisset, ab eodem diris innodatus episcopali dignitate spoliatus est, ita habemus in lib. Prouisionum Prælatorum.

24. GENTILIS de Tusto Canonicus Amalphitanus à Bonifacio IX. in priuati Iuliani locum Stabiensis delectus est Episcopus anno 1392. 15. Kal. Iulij, excessit è vita sequẽti an. 1393. ex eod. lib.

25. Fr. ANTONIVS Arcomanus Ord. Præd. successit Gentili an. 1393. Id. Decemb. præfuit annis penè sex, & mortalitatem expleuit an. 1399. ex eod. lib.

26. Fr. IACOBVS de Gallucio eiusdem Prædic. Ordinis alumnus Stabiensem Pontificatum obtinuit an. 1399. 14. Kal. Iulij, obijt anno 1402. ibidem.

27. MARINVS de Sancta Agatha Canonicus Firmanus, scriptorque litterarum Apostolicarum eiusdem Ecclesiæ sublectus est Episcopus à Bonifacio IX. an. 1402. 5. Non. Martij.

28. LEXIVS, siue Aloysius Certa Ioannis filius Ciuis Stabiensis, Episcopus patriæ, electus à Martino V. anno 1421. die 7. Septẽbris promisit solitum subsidium Sacro Collegio, cuius marmoreus lapis extat ante Maioris Ecclesiæ altare, frater vtrinque coniunctus Matthæi, Martini, & Iacobi Andreæ Certæ anno 1434.

29. LVDOVICVS Certa Aloysij Gentilis successor, mortem obijt anno 1447. in lib. Prouis. Prælatorum.

30. NICOLAVS Amphora Subdiaconus Surrentinus reperitur electus Episcopus Stabiensis in eodem lib. an. 1447. Id. Maij. Is Basilicam imagine decorauit sub titulo Sanctæ Mariæ ad Mare, & dum plures annos vixit, quamplura ecclesiastica bona alienanda permisisse traditur apud Capaccium. Interfuit coronationi Alphonsi II. Regis die 2. Maij an. 1494. mortuusq; est an. 1496.

31. ANTONIVS Flores Rom. Rotæ Auditor, vir insignis & omnigena virtute clarus ab Alexandro VI. Stabiensis Episcopus pronunciatus est die vltima Iunij anno 1496. sibi coadiutorem adsciuit eũ spe futuræ successionis Petrum nepotem anno 1503. die 4. Decembris.

32. PETRVS Flores ex coadiutore, patruo successit anno 1510. interfuit Lateranensi Concilio sub Iulio II. Decimoque Leone, & sub Paulo III. ad Caietanam Ecclesiam translatus est ann 1537. de quo vide Caietanorum Episcoporum seriem to. 1.

33. IOANNES Fonseca Hispanus ex nominatione Caroli V. Imp. ac Vtriusque Siciliæ Regis à Paulo III. creatus est huius Ecclesiæ Episcopus die 14. Martij anno 1537. sub eodem Paulo, Iulioque III. Trid. Conc. interfuit, fato functus anno 1562.

34. ANTONIVS Laurens Neap. nobili familia Amanthea, vir gratissimus, maior Regius Cappellanus Stabiensi throno exornatus est à Pio IV. anno 1562. 9. Octobris ex Phi-

Philippi II. Hispaniarum Regis, cuius erat à consilijs præsentatione. Quindecim annos summa cum tranquillitate hanc administrauit Ecclesiam, decessitque Neapoli an. 1577. exceptus sepulchro apud Ecclesiam S. Mariæ Gratiarum cum hoc epitaphio.

D. O. M.

Antonius Laureus
Nobili familia Amanthea
oriundus Stabiensium Episcopus,
Regij Sacelli Antistes, Publici
Gymnasij Præfectus, Neapol.
Collegij primarius vetere Iuris-
prudentia, consilij magnitudine
spectata in rebus maximis fide,
Philippo Reg. à consilijs, &
patria æquè charus.
Hic situs est
Vix Ann. LXXIX. obijt anno
MDLXXVII. Bartholomeus,
Carolus, & Iacobus Laurei Pa-
truo B. M. cum lachrymis PP.

35. LVDOVICVS à Grauina de Maiorinis Canonicus Regularis Lateranensis vir doctissimus successit Laugo, à quo editus est clypeus militantis Ecclesiæ ad Patres Conc. Trident. & tractatus de vero Sacerdotio ad Reginam Angliæ. Obijt an. 1591. Huius cũ laude meminit Pennoctus Histor. Tripart.

36. IOANNES Minus Hispanus electus 13. Septemb. 1591. translatus deinde est ad Acheruntinam, & Matheransm Ecclesias an. 1598. de quo ibi.

37. VICTORINVS Mansus Monachus Cassinensis ad hanc Ecclesiam euectus à Clemente VIII. anno 1599. prima Februarij, paucoque post translatus ad Arianam Ecclesiam, vir fuit doctissimus, qui inter multa scripta edidit, de modo procedendi in causis Regularium criminalibus, de vanitate mundi, & solida hominis felicitate. Explicationem libri Ecclesiastes Salomonis, Harmoniam Theologicam. De Ecclesiasticis magistratibus, & de Sacramentis in genere. Antistes Romano Senatu dignus, de quo in Arianis Præsulibus redibit sermo.



38. HIERONYMVS *Bernardus* de Qniros *Hispanus* Monachus Cisterciensis Ordinis, vir doctus, ac præcipua religione insignis à Clemente VIII. creatus est Episcopus Stabiensis an. 1600. die 15. Iannarij. Sedit ann. 5. translatus deinde est ad Puteolanam Ecclesiam an. 1605. die 31. Augusti, vt in Puteolanis Episcopis narrauimus.

39. HIPPOLYTVS *Riua* Neapolitanus Clericus Regularis in omni disciplinarum genere versatus ad hanc Ecclesiam promotus est anno 1605. die 31. Augusti. Duo & viginti annos hanc benè rexit Ecclesiam, mortalitatem expleuit sub Vrbano VIII. an. 1627. in Cathedrali iacet.



40. ANNIBAL Mascambrunus Beneuentanus nobili familia natus, morum comitate, ac eruditione varia illustris, *Hippolyto* datus est successor die 30. Aug. 1627. Scripsit de existentia Corporis Bartholomæi Apostoli apud Beneuentum, aliaque sui ingenij monumenta reliquit, & cum sedisset in hac Sede ann. plus minus 18. Neapoli præpropero fato extinctus, Archiepiscopus Reghinus à Catholico Rege designatns, ibidem tumulum accepit.

41. ANDREAS Massa Ligur in demortui Annibalis locum successit die 18. Septembris 1645. translatus deinde est ad Ecclesiã Gallipolitanam die 25. Septemb. 1651.

42. CLE-



42. CLEMENS del Pezzo ex Principibus S. Pij Caianelli Ducibus Ciuitæ Marchionibus nobili genere natus, renatus Mediolani in Clericorum Regularium Ordine, diuinis, humanisque litteris eruditus, egregius, eloquentissimusque Verbi Dei concionator euasit, nec defuit in eo prudentia, & in rebus agendis summa sagacitas, quibus non semel cum in Germania apud Cæsarem Legatus esset, difficillima negocia explicauit; & regiam gratiam promeruit: Ad Philadelphiensem titularem infulam ascendit, mox Aquilanum Sacerdotium, inde Stabiense accepit die 27. Nouembris 1651. quod cum eximia sapientia, zeloque iustitiæ & pietatis ad paucos administrasset annos, immatura morte præuentus diem suum obijt anno 1652. temporaneo tumulo in Cathedrali depositus, Neapolim transferendus in Ecclesiam S. Mariæ de Victoria sui Ordinis, suæque familiæ sacello ab ipso ex pario, varioque lapide exornato, ac D. Caietano Thienæo dicato, vbi sequēs Cœnotaphium legitur ab Antonio del Pezzo fratre patruele Archiepiscopo Surrentino positum.

A

D. Clementi del Pezzo
Natalium, virtutis, infularum fastigijs magno,
Quem Austriaco Cæsari destinatum
Summis rebus explicandis, parem
Oratorem Aula retinuit
Eloquentia celebrem, & pietate
Romanus Hierarcha
Porphyriensem Antistitem,
Hispanus Rex
Aquilanum, mox Stabiensem voluit
Ad tanti viri decus, digladiante gloria

B

Quod ordinis sui parenti
Sacellum hoc erexerit
Ad illecebram patrimonij,
Vbi cinerem seruaret suum
D. Antonius del Pezzo
Archiepiscopus Surrentinus
Epigraphem hanc appinxit
Vt amoris, & sanguinis nexum
firmaret in saxo
M. D. C. LII.

Eius cum laude meminit non semel laudatus Ioseph Silos p. 2. Hist. Cleric. Theatin.

43. IOANNES Parredes Hispanus electus die 2. Augusti 1655. successit Clementi del Pezzo.

C

ITA-

ITALIA SACRA
FERD. VGHELLI
Abbatis Ordinis Ciſtercienſis.

PROVINCIA XIV.
ſiue
APRVTIVM,

In qua Teate vnica vtriuſque Aprutij Metropolis cum vnica quoque ſuffraganea Eccleſia, Anſanoque libero Frentanorum Archipræſulatu accuratè expenduntur.

QVOD noſtratibus Aprutium Vlterius, veteribus Valeria Prouincia fuit, dicta à Valeria via, quæ à Tiburtinis incipiens per Marſos tranſiens Corfinium vſque ducebat, eratque eadem via ciuitas Valeria nomine, memorata Straboni. Hanc ipſam prouinciam Veſtini, Pelignique etiam populi inhabitabant, quorum Metropolis erat Amiternum hodie *Aquila*. Quod autem Aprutium Citerius vocant, Marrucinorum quorum caput Teate, Frentanorum vbi Anſanum, Samnitium regiones fuerunt. Fines vero vtriuſque conſtitui ſolent ab Ortu

A Apuli Dauſi cum amne Phiterno: ab Occaſu Sabini & Picentes cum Truento flumine: qua Septentrio eſt, mare Adriaticum: qua Meridies, Picentini, Campani, Marſi, Æquicoli, ſecundum Apenninum montem vltra citraque ex parte habentes. Regio ſumma gaudet cœli ſalubritate, & incredibili incolarum frequentia; amœna eſt & commoda verſus mare, ſed montibus aſpera in Mediterraneis. Quamobrem Aprutium dicta ab abruptis montium præcipitijs exiſtimatur,
B croco & animalibus innumeris abundans. Cæterum haud modò mihi conſilij eſt de Aprutij originibus, populis, rebuſque ab ipſis præclare geſtis ſcribere, cum apud pleroſque alios hoc ipſum poſſit haberi, neque de omnibus inclytæ huius Prouinciæ Epiſcopati-

bus, cum ex iis aliquot, qui immediatè Romanum Pontificem agnoscunt in nostro primo Tomo inter exemptos Romanæ Prouinciæ recensuimus, sed tantum in hac decimaquarta nostra Prouincia de Teatina Metropoli, eiusque Ortona suffraganea Ecclesia, atque de Ansano exempto regioque Archiepiscopatu more nostro sermonem instituere. A

Nec silentio hic obruendum puto, quod in hac Prouincia antiquitus erant Episcopatus Amiterninus, cuius ciuitas Mediterranea fuit Metropolis Vestinorum, vt colligitur ex Catone in originibus, Strabone, ac Varrone, qui 4. de lingua Latina, nominis originem eam prodit, dictos scilicet Amiterninos quod circa amnem Aternum incolant. Plinius Amiternum in Sabinis ponit, ea de causa, quod Amiternini, vt tradit idem Varro libro quinto, à Sabinis venerunt. Amiterninus Episcopus fuit S. Victorinus Martyr, qui sanctitate, & miraculis clarus. Sacerdotium Amiterninæ vrbis totius populi electione adeptus est, postmodum sub Nerua Traiano apud Cutilias vbi putentes & sulphureæ emanãt aquæ B cum alijs Dei seruis relegatus ab Aureliano iudice iussus est suspendi capite deorsum, quod cum per triduum pro nomine Christi passus fuisset, gloriosè coronatus victor migrauit ad Dominum, cuius corpus Christiani sapientes honorifica sepultura Amiterni condiderunt. Natalis eius ex Rom. Martyrol. agitur 5. Septembris. Alius porro hic est à Sancto Victorino germano Sancti Seuerini Septempedoni, vt praclarè Baronius obseruat. Amiterno autem diruto loci illius Episcopi is erat titulus; N. Episcopus Castrorum Amiterninæ ciuitatis, vt videre est apud S. Gregorium lib. 1. Dial. cap. 4. Amiterni 24. Iulij passio Sanctorum militum octuaginta trium, quorum cohortis Principes fuerunt Florentius & Felix, vt constat ex m.s. codicibus Aquilanis, ex Mart. Rom. Furconiensis antiquus Episcopatus in Vestinis quondam sedes fuit suffraganea Romani Pontificis, ab Alexandro IV. in Aquilam nouam vrbem translata, & titulum duntaxat Furconiensis Ecclesiæ retinere constituit; Sed iam ipse etiam obliteratus est, & Aquilanus appellatur. Episcopus Furconiensis in Concilio Romano subscripsit sub Agathone Papa, & Sanctus Raynerius Furconiensis Episcopus fuit, cuius natalis agitur ex Mart. Rom. 30. Decemb. De translatione Furconiensis Ecclesiæ in Aquilã nouam egimus in 1. nostro Tomo. Sed duobus à Iulia Noua Aprutinæ Diœcesis oppido stadijs extare templi peramplì vestigia referunt, & circumquaque multas ædificiorum ruinas, vbi indigenæ affirmant fuisse olim Sedem Episcopalem, sed nullum habent fundamentum, ad probandum quod ibi fuerit Episcopatus. Crediderim autem macerias esse antiqui oppidi S. Flauiani, quod ob cæli inclementiam Iulius Aquiuius in Iuliam nouam à se conditam transtulit, vt Leander attestatur. In hoc oppido asseruatur caput, & corporis pars Sancti Flauiani Episcopi, reliquam in Teatina Metropoli honorificè venerantur: Fortassis, vt credunt indigenæ, potuit Flauianus iste Sanctus eiusdem loci esse Episcopus, in cuius honorem S. Flauianum oppidum dixerunt. Atque hæc de hac Prouincia veteribusque deletis Episcopatibus sufficiant, nunc ad Metropolim Teate transeo.

TEATINA METROPOLIS,

Cui vnicus suffraganeus est Episcopatus Ortonæ.



TEATE antiquissima quondam vrbs Marrucinorum Princeps, nunc Aprutij Metropolis, in edito, amœnoque colle condita exstructaque est, atque ita posita haud longè à supero mari, vt mediterranea fit, suisque collabentem pedibus conspiciat Aternum flumen, cuius origo adeo peruetusta, vt aliquibus eius indagandæ originis cupidis fabulosa etiam quædam adiiciendi occasionem dederit; etenim alij in fictam Titeam, quam Vestam vocant, eius retulere principium, & nomen, postea in Teate deriuasse, quod hodie vulgus appellat *Teti* & frequentius *Chieti*. Alij ab Hercule, vel ab eius socijs, aut à Græcis è Tegea Arcadiæ oppido appulsis ante Troianum bellum DLX. annis, vel paulo ante Ilij excidium à Thetide, Achillis matre, vel paulo post ab ipsomet Achille in matris honorem conditam fuisse, & nomen accepisse volunt. Nec desunt, qui scribant, Teate conditores non alios fuisse, quàm Italos Aborigenas, siue Autochthonos, quales se esse gloriabantur Athenienses, cuius rei disquisitionem alijs libenter relinquimus, cum satis nobis constet Teate antiquissimam Marrucinorum vrbem fuisse ante ipsam Romam conditam, & caput gentis, maximè, vt innuit Strabo capite 5. vbi in vniuersum de Vestinis, Pelignis, Marsis, & Marrucinis. Silius magnum vocat Teate. Memoratur Statio lib. 4. Silu. vbi de Vesuuij montis incendijs, agrorumque circumuastatione ad Marcellum.

A

B

C

—Procul ista tuis sint fata Teate
Nec Marrucinos agat hæc insania montes.

Meminerunt præterea Teate Plinius, Ptolomæus, Itineraria, Mela, Volater. Pacius Vberrus, Leander, Cluuerius, pluresque cum antiqui, tum recentiores scriptores. Eius antiquitatem monent vestigia, quæ etiam nunc extant, antiqui Amphitheatri Herculis templi, veterum inscriptionum, statuarum, numismatum, cæterorumque id generis monumentorum, quæ passim inueniuntur. De Teate antiquo, eiusdemque origine & nobilitate luculenter scripsit doctus amicus noster Lucius Camarra Iunior nobilis Teatinus. Hanc ciuitatem Coloniam Romanorum aliqui fuisse scribunt, quod nec Plinius, nec Frontinus, neque vllus antiquus lapis testatur. Post Vespasiani tempora municipium fuisse aliqui autumant. Floruit qua opibus, qua armis Romano florente Imperio, donec Italiæ Barbarorum attrita incursionibus, & ipsa visa est cecidisse, & in Longobardorum deinde potestatem deuenit, qui eam ob loci opportunitatem, amœnitatemque inter cæteras finitimas vrbes excoluerunt, tituloque Comitatus condecorarunt. Sed ijs dominantibus penè perijt (si Scipioni Mazellæ credimus) sub Caroli Magni Regnum, expugnante Pipino filio, tunc triginta duo millia ciuiũ circiter in ea occisa sunt, atque si non in totum excisa, magna ex parte deformata est, Ita permansit quousque à Normannis Principibus restauraretur. A Normannis ad Suenos defecit, deinde ad Francos, ac tandem ad Hispanos, sub quorum leni iugo tuta quiescit, qui Regiam Aprutij Prouinciæ Curiam in ea firmarunt, & speciosum Comitatus titulum Præsulibus Teatinis abiecerunt, quem præ-

decessores à Dragone Normanno visi sunt A accepisse. Hæc vrbs cælo satis vtitur benigno, ac salubri, atque in omni memoria viris & sago & toga, tum sanctitate illustribus grauis, fœtaque fuit: ad decem millia alit fidelium, pulchris ædificijs, ciuiumque nobilitate patet, vberrimoque solo gaudet; digna quippe, vt ab omnibus vicinis populis inuideatur. Cæterùm Teate, vt constans fama est, viuente Apostolorum Principe Petro sacram suscepisse fidem, & tunc primum habuisse pastorem non insipienter gloriatur; tametsi ex alumnis Petri quis primus fuerit, qui Euangelium disseminauerit, vel qui primus ibi ordinatus sit Episcopus signatè non habet, quorum nomina in illo Christianarum persecutionum æstu intereidisse fatetur. Iustus Sipontinus B Presbyter, Florentius & Felix germani fratres vna cum Iusta virgine, diuino afflante spiritu, Teate cum appulissent, eo scilicet tempore, dum Maximilianus in Christi fideles crudelissimè deseuiret, fidem, quam olim à Petri discipulis Teatini audiuerant, constabilierunt, & post ipsos alij Christi Martyres, & Sancti Confessores mirificè propagarunt, inter quos omnium clarus Sanctus fuit Iustinus alter ciuis & Episcopus Teatinus, cuius cura Christianus cultus Teate mirum in modum adauctus est, itaut expugnata Idololatria, constabilita Sede Teatinaque Diœcesi, templa Christo Domino, eiusque Virgini Matri, & Sanctis dedicata fuere. A Iustino igitur C sanctissimo Præsule & Patrono, qui paulo post Siluestrum I. Papam, vel eo viuente potuit floruisse, coacti sumus asserere fidem Christi Teate altas, stabilesque egisse radices, atque seriem nostram ab ipso exordiri Teatinorum Præsulum. Non sum tamen nescius, nonnullos ex recentioribus ad laudem ingenij scriptum reliquisse ante Iustinum decem & tres Sanctos fuisse Episcopos, quos nominatim recensent, auctoritate ducti cuiusdam vetustissimi Kalendarij Ecclesiæ Teatinæ; sed cum alij ex iis simplices Confessores in eo scribantur, alij cuius ciuitatis fuerint Episcopi ibi non indicentur, non video, cur hæc noua Episcoporum additio, fidem illorum adimere non possit; sed de hac re iudicent alij; interim ego, nec abnuo, nec astruo, & à Iustino D ex iis, quorum nomina ad posteros perennauit, omnium clarissimo, nostram incipiemus narrationem. Verùm Episcopi, qui post aliqua sæcula à Iustino in hac Cathedra sederũt Comitis titulo, pluribusque nobilissimis Toparchijs, & vassallis, cum à Regibus, Principibusque viris condecorati fuissent, à summis quoq; Pontificibus insigniti sunt priuilegijs, inter quæ quod & Sãctæ Sedi immediatè subiecti erant, donec à Clemente VII. anno sal. 1527. Ecclesia Teatina Metropolis declarata est, eidem pro suffraganeis attributis Pennensi, Adriensi, & Ansano Episcopis, sed ij deinceps cum iugum excussissent, Ortonæ nouus Episcopatus eidem datus est suffraganeus.

Archiepiscopalis mensæ annuus census ducatorum 1250. explere dicitur; taxatur verò in libris fisci Apostolici flor. 500. Quod autem spectat ad Templa, Metropolitana Basilica titulo S. Thomæ Apostoli, & Diui Iustini Episcopi vrbis Patroni in loco patenti constructa ampla, & vetustate nobilis, pluribus Sanctorum corporibus, & innumeris condecoratur reliquijs. Constat Capitulum vna dignitate Archidiaconatu, quatuordecim Canonicis, qui eidem inseruiunt Ecclesiæ cum decem Hebdomadarijs, duobus Sacrarij Custodibus, Ceremoniarum magistro, alijsque plurimis minoris generis Presbyteris, ac Clericis. In ciuitate præter Cathedralem tres sunt aliæ Parochiæ, plures visuntur Ecclesiæ, & Oratoria decentissimè ornata. Nec desunt hospitalia, nec Seminarium Clericorum, cum hoc tempore religiosorum virorum Monasteria recensentur, Dominicanorum fundatum circa annum Domini 1280. Conuentualium Sancti Francisci circa illa tempora constabilitum. Eremitarum S. Augustini conditum anno 1316. Sancti Francisci de Paula ad S. Mariam de Contrata institutum anno 1602. Societatis Iesu Collegium bono omine Teatinæ vrbis in ædibus Donati Aluci pij fundatoris cœptum est anno 1593. vna cum noua Ecclesia, quam Diuis Stephano Protomartyri, & Ignatio Loiolæ dedicarunt. Monasterium Clericorum Regularium ministrantium infirmis, quorum Institutor fuit Camillus de Lellis Teatinus ciuis, genere, & sanctimonia vitæ clarus, suum initium sumpsit anno 1605. vbi Ecclesia Sanctissimæ Virginis Annunciatæ constructa est. Suum quoque domicilium habent Regulares Clerici Scholæ piæ ad Sanctæ Annæ erectati anno Domini 1636. à pia liberalitate Ioannis Francisci Vastauignę nobilis Teatini. Duo sunt in ciuitate Monialium Cœnobia, vnum S. Claræ, alterum S. Mariæ de Sancto Petro. Extra verò mœnia fratres Minorum Obseruantium ad S. Andreæ, Cappuccinorum ad S. Ioannis Baptistæ sua incolunt Cœnobia, & Cælestini Monachi habent Abbatiam S. Mariæ de Ciuitella. Diœcesis Teatina nobilis & ampla, cuius fines optimè constitui poterunt, si veterum Marrucinorum limites rectè determinentur, octuaginta circiter oppida & castra complectitur; quorum aliqua quinquaginta millibus à Metropoli distant. In ea Monasteria aliqua sunt, & plures fuerunt Abbatiæ insignes: quarum maxima est S. Clementis de Pescara, quæ etsi in Pinnensi Diœcesi fundata fuerit à Ludouico II. Imp. à Summis tamen Pontificibus Teatinæ aliquando tributur, donec nullius declarata Romano Pontifici immediatè subiecta facta est: S. Ioannis in Venere vetustissima temporibus S. Benedicti fundata, celebris aliquando fuit, sic & S. Mariæ de Arabona Ordinis Cistercienfis, quæ cum alijs aliquot à Sancta Sede commendantur, de quibus infra aliqua proferemus. De Ecclesiæ Teatinę

dignitate, diœcesi, Episcopis, Cœnobijs, Ecclesijs, Sanctorumque Lipsanis Historiam scribere cogitauerat supra laudatus Lucius Camarra, pluraque monumenta congesserat, sed morte præuentus Nicolao Toppio Concini viro Clariss. opus perficiendum reliquit, cuius in suo antiquo Teate cum laude meminit. Teatinorum porrò Præsulum seriem sexaginta ab hinc annis summo labore, summaque diligentia ex veteribus membranis Teatini tabularij concinnauit vir antiquarum rerum peritissimus Sinibaldus Barôcinus Ariminensis Canonicus Teatinus, quam nuper è latino in vulgarem sermonem translatam sibi astruere conatus est vir bonus Hieronymus Nicolinus in sua Teatinæ ciuitatis Historia: nos verò ex ipsa Baroncini serie, quæ m.s. extat apud nos, alijsque auctoribus, monumentisque nostris sequentem proferimus.

TEATINI EPISCOPI.



1. S. IVSTINVS ciuis, Episcopus, & Patronus Teatinus, cuius corpus in Metropolitana seruatur. Festum agitur Kal. Ianuarij. Eius vitæ siue bellorum, siue temporum iniuria deperditę historiam reparare nonnulli conati sunt; verùm cum inter se de tempore, quo Iustinus floruerit non conueniant, & quę à Sancto Iustino Presbytero Sipontino patrata fuere, qui imperante Maximiliano cum fratribus suis Florentio, & Felice, ac Iusta, Teate aliquando verbum Dei disseminauit, oscitanter Iustino Episcopo attribuunt, cæcutire visi sunt. Ego verò, vt alieno iudicio non aberrem, multis de causis Iustinum Teatinum Episcopum longè diuersum à Iustino Presbytero Sipontino, & vt sanctitate præcipuum, ita Teatinorum Episcoporũ omnium, quorum memoria extat, antiquissimum esse credo. Nam licet ab omni prorsus memoria hominum eius acta, siue res gestæ exciderint,

A ac propterea obscurum sit, sub quibus Principibus, aut Summis Pontificibus tantus vir floruerit (siquidem ex miraculorum eius post mortem gestorum monumentis, quæ in antiquis membranulis exarata apud Ecclesiam Teatinam posterorum memoriæ conseruata per annos ferè trecentos, vt ex ijsdem membranulis apparet) nihil tale certè expiscari potest, quis tamen inficiabitur, cum ab antiquissimo tempore in hac vrbe Teatina habuisse templum in sui honorem dedicatum? vbi etiam hodie summa veneratione colitur, & Kalendis ipsius Ianuarij memoria eius quotannis summa celebritate agitur, eo ipso die, quo & Dei filius natus ex Virgine primum in Circuncisione sanguinem fudit, & Sal-

B uatoris nomen accepit. Et quidem In antiquissimo Martyrologio manuscripto in membranulis, quod seruatur in sacrario Ecclesiæ Teatinæ, habetur de Circuncisione Domini, & Sancto Iustino mentio huiusmodi. *Kal. Ianuarij Circuncisio Domini. In Teatina ciuitate Natalis Sancti Iustini Episcopi, ac Confessoris.* Item etiam in similis Missalis manuscripto Calendario hoc modo. *Kalend. Ianuarij Circuncisio Domini. Basilij, & Iustini.* Qui duo libri cum ex quibusdam orationibus appareat, quod fuerint scripti tempore Guillelmi Regis, quippe, qui tunc viuebat, si de primo Rege Guillelmo intelligimus (duo enim fuerunt huius nominis vtriusque Siciliæ Reges) cognomine Malo,

C certum est eum fuisse creatum Regem anno Domini 1150. qui vixit licet partim cum filio, annis 21. si de secundo qui cognominatus fuit Bonus eiusdem Mali secundo-genitus, successit in regno anno 1170. & cum regnasset ann. 26. sanctè & religiosè obijt ann 1185. vter ipsorum Rex fuerit tunc temporis, à quo liber ipsorum numerabuntur anni vsque ad hæc nostra tempora, profectò, inuenientur plusquam quingenti. Præterea (quod ad ostendendam ipsius Ecclesiæ Sancti Iustini antiquissimam fundationem non minus interest) in quodam libello donationis factæ in manibus Episcopi Actionis anno 1065. à qui-

D busdam Borrellis nominatur Episcopus Teatinus Sancti Thomæ Apostoli, & Sancti Iustini Confessoris, ad quorum honorem donationem huiusmodi fieri asseritur: idem apparet ex altero donationis documento, de Castro Orni anno 1113. tempore Gulielmi tunc Episcopi Teatini. Imò de Ecclesia Sancti Iustini, & de Canonica ibidem ædificata tempore Ludouici Pij habetur mentio in Actis Theodorici huius nominis primi Episcopi Teatini, anno Imperij eiusdem 29. salutis verò 840. quæ quidem omnia altiora principia, & multo antiquiorem memoriã de Sancti Iustini temporibus innuere videntur. Merito igitur primus locus ante omnes Episcopos Teatinos Iustino competit sanctissimo Præsuli, qui ciuis, & Teatinus Præsul, Teatino, inquam, genere satus asseritur

in inscriptione sequenti, quam circa confessionem seu altare Sancti Iustini fieri mandauit Episcopus & ciuis Teatinus alter nomine Marinus de Tocco anno salutis 1432. qui ibidem eiusdem Sancti reliquias honorificè condidit. Porro inscriptio ijs mendosis carminibus in lapide sculptis prostabat legentibus.

Continet hac almi Iustini Præsulis artus
Concha, Teatini Teatino genere sati,
Est qui magnipotens vrbis Teatina defensor,
Obtentor precis, orans pro supplice quoque,
Extitit & fido, cum quo quam gratia Celsi,
Præluslris fuerit, descripta miracula promunt.
Ergo procumbe vouens, qui sis, qui venis ad arcam,
Qui Thetis Antistes recondidit ossa Beati
Genitus à Tocco deuota mente Marinus,
Et Clero canente, votiua supplice plebe:
Anni eum Christi mille trigintaque duo,
Et centum quater erant, Mayque Kalenda.

Quanti verò meriti Beatus Iustinus fuerit apud Deum ex multitudine, ac simul magnitudine miraculorum clarissime patet, vnde meritò Teatini eius nomini deuotissimi, præcipuum cum sibi patronum delegerunt, atque argenteum simulachrum cælati operis à medio sursum, quod adhuc visitur dedicarunt anno 1445. Brachium eiusdem theca argentea inclutum honorificè, ac religiosè seruatur in sacrario, cuius aspectu sæpe ipsa vrbs ab incendijs mirabili virtute liberata legitur. Monumenta nonnulla de hoc Sancto collegit Sinibaldus Baroncinus, atque opusculum conscripsit; libellum quoque miraculorum eiusdem, quæ Sanctus post obitum egit, eunlgauit. Eiusdem vitam scripsit Paulus Regius, sed sursum deorsum acta confundit, ac multa ad laudem ingenij enarrauit, illumque portentosè refert obijsse anno 1132. die 28. Aprilis, quæ dies translationis fuit corporis eiusdem Sancti in nouo ædificato sacello & ara ab Episcopo Marino, vt superiùs dictum est. Nouissimè Lucius Camarra iunior historiam S. Iustini meditabatur conscribere, sed morte præuentus inchoatam, incultamque reliquit. Cæterum carmina illa à Marino, eo in sacello olim apposita calce fœdata fuère ab Archiepiscopo Marsilio Perutio, qui sacellum & altare nobilioribus, pulchrioribusque marmoribus, ac lapidibus exornauit, aliamque inscriptionem in ipsius Altaris lateribus incidendam iussit.

Aram Sancti Iustini Præsulis, & ciuis Teatini sacris cineribus dicatam miraculis illustrem, Marinus de Tocco Præsul, Comes, & ciuis Teatinus structura marmorea magis conspicuam reddidit.
M. CCCC. XXXII.

In alia parte Altaris ita legitur.

Sancto Iustino huius Ecclesiæ Episcopo & Patrono Aram cum sacello cultui sacro & miraculorum nobilitati iam per æuum imparem, Marsilius Perutius de Mandolpho Archiepiscopus, & Comes Theatinus, in hanc longe ornatiorem formam pietatis ergò restituit.
Anno Iubilei M. DC. XXV.

Iustini dies Natalis pluribus abhinc sæculis ab Ecclesia Teatina die prima Ianuarij solemni ritu agebatur, donec à Paulo Tolosa Archiepiscopo anno 1616. in Synodo eodem anno celebrata ad maiorem Sancti celebritatem translata est ad decimamquartam eiusdem mensis.

Cæterum visum est Iustini Presbyteri Sipontini fratrumque suorum Florentij & Felicis Christi martyrum, vna cum Iusta sanctissima Virgine acta hic exhibere, qui aliquando sua prædicatione Teate illustrarunt, vt Iustus Sanctus Teatinæ vrbis Episcopus & Patronus, à Iustino Sipontino diuersus agnoscatur, quorum acta à quibusdam corruptissime elata fuerunt ac confusa, vni attribuendo, quod alteri competere videbatur. Acta Sipontinorum ex veteri m. s. membranaceo codice eandide excepta mihi dono dedit bon. mem. Gaspar de Simeonibus amicus meus doctus nobilis ciuis Aquilanus, qui sub Pontifice Innocentio X. Romæ obijt Breuium Principum a Secretis.

Acta Sanctorum Iustini Presbyteri Florentij, Felicis, & Iustæ.

Per vniuersum Terrarum orbem multa mirabilia fecit Deus, & facturus erit; Cœlum, & terram suo verbo creauit, sydera cœli, & bestias terræ, & pisces aquarum suo imperio fecit. Hominem ad imaginem, & similitudinem suam condidit (Multum enim plus diligit Deus hominem, quam ipse se diligat homo) & tanta fuit eius pietas, & charitas, quod misit Filium suum in mundum, vt redimeret genus humanum à peccatis suis ... & dum

& dum in carne humana fuit, mortuos suscitauit, infirmos curauit, leprosos mundauit, cæcos illuminauit, dæmones effugauit, in cruce positus, & in sepulchro iacuit, & die tertia resurrexit, & iussit discipulos suos, vt per vniuersum mundũ suã doctrinam docerent, & euangelizarent omnes gentes, & baptizarent eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Tunc misit duos visitatores mundi in Italiam, quorum nomina vocãtur Petrus & Paulus, innumerabiles enim populi per illos crediderunt, & multi etiam vsque ad martyrium peruenerunt, & sic passi ac coronati sunt.

Deinde per annos audientes de eorum doctrina tres germani fratres, qui habitabant in ciuitate Sipontina, quorum nomina sunt Florentius, Iustinus, & Felix ad Apostolorum doctrinam cum nimio amore conuersi sunt. Iustinus vero plus erat dissertor linguæ, & in sermonibus eruditus, quam alij. Denique parentes eius ad doctrinam dederunt eum Episcopo, qui in vrbe erat. Igitur Episcopus post annos viginti Beatum Iustinum ad Presbyteratum elegit, & cum in eadem ciuitate habitaret Iustinus presbyter docebat fratres suos disciplinam timoris Dei. Audiens autem Beatus Florentius de actis Virginis Mariæ, matris Dei, votum vouit, vt si Dominus sibi dedisset filiam, ad eius doctrinam eam traderet. In illo autem tempore nata est Infantula nimis speciosissima, quam videns Florentius, lætatus est valde ipse, & parentes eius. Tunc dederunt eam Iustino Presbytero, vt illam baptizaret, & eius nomine Iustam vocaret; Cum autem esset adulta Beata Iusta, in laboribus spiritualibus assiduè vacabat, & ad Ecclesiam frequenter conuersabatur. Dedit ei sensum, & pulchritudinem. Interea locutus est Iustinus Presbyter fratribus suis; Disciplina enim Domini nostri Iesu Christi nos admonet, quod qui dimiserit patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit; Et alibi; Tradent enim vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos, & qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Illi autem cum audissent, dimiserunt omnia pro Christi nomine, & exierunt de ciuitate Sipontina, & ambulauerunt secus mare Adriaticum, & contra Occidentem pergebant, & cum iter agerent, tanta erat moderatio, & loquacitas Beatæ Iustæ, quod de labore vel fatigatione itineris paululum sentiebant. Cum peruenissent ad ciuitatem Teatinam, morati sunt ibi per dimidium annum. Beata enim Iusta sic erat intenta de spirituali doctrina, vt escam, quam ei Dominus per parentes dabat, pauperibus diuidebat, & quod de cælestibus poterat audire omnia in corde suo retinebat. Pergebãt omnes in ciuitate, vel qui in circuitu eius habitabãt, & ibant ad prædicationẽ Iustini presbyteri, & quidã homo nobilis in eadẽ ciuita-

A te, qui habebat filiũ ægrotum, quasi ad exitum pergenẽ, prostrauit se ad pedes Sanctorum & dixit; Obsecro vos, vt dignemini sanare filiũ meum, antequam anima eius egrediatur de corpore. Illi autem cum audissent, nullam moram facientes, ibant ad domum eius, & dum vidissent illum iacentem quasi mortuũ, ex toto corde Dominum rogauerunt, & dixerunt, Domine Iesu Christe, qui filium Reguli sanasti, & leprosos mundasti, dignare sanare adolescentulum istum, vt cognoscant hi omnes, quia tu es benedictus in sæcula sæculorum, & cum omnes respondissent, Amen. Statim surrexit de lecto & cœpit benedicere Deum Patrem omnipotentem Creatorem Omnium. Dum pater infantis videret illum B sanum, cœpit adducere aurum, & argentum, & vestimenta pretiosa, vt tribueret eis, illi autem noluerunt recipere, & dixerunt; ista munera sunt necessaria illis, qui terrena quærũt. Beata Iusta dixit eis, opportunum nobis est, vt accipiamus, & pauperibus diuidamus, quia Propheta dixit; Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. Beatus Laurentius, dixit, omnes thesauros Ecclesiæ pauperibus tribuit, Illi autem accipientes, pauperibus, & orfanis dabant omnia, post duos autem dies audierunt quod multi hæretici, & in Domino non credentes habitarẽt in loco, qui Furcone dicebatur; & dixerunt ad inuicem. Quare hic moram facimus, quid, nobis proficit? Pergamus ad illos, & doceamus eos C disciplinam Domini, Populus vero dicebat, omnes homines fugiunt de loco illo, & quomodo vultis vos ire? Responderunt Florentius, & Felix, & dixerunt, qui fortes hostes vincit, fortior spolia capit, & qui plus laborat, plus habet gloriam æternã; Exierunt de ciuitate illa quinto decimo Kal. Madiarum, & venerunt in Furconem, in vicũ, qui Offidius dicebatur, & viderunt plurimam partem populi ad simulacrum ire, cuius nomen Idolum Iouis dicebatur, portantes aromata, & incensum, vel lucernas. Erat autem in ipso vico Christianus, cuius nomen erat Hilarius, ille autem cum omni familia Dominum cæli colebat, & eleemosynam assiduè faciebat, & hospites in domo sua recipie-D bat, hic cum vidisset Sanctos Domini defatigatos ante domum suam iacentes, dixit ad eos, surgite, & comedite antequam populus reuertatur, quia si viderint vos, lapidibus vos obruent; & illi statim intrauerunt, & comederunt, & cum comedissent, benedixerunt illum dicentes. Qui benedixit Abrahã, Isaac, & Iacob, ipse benedicat te, & domum tuam, & omnes habitantes in ea, & multiplicetur semen tuum, & sit benedictum in sæcula. Deinde surgebant mane, & pergebant per castella, & villas prædicantes, & euangelizãtes verbum Dei; innumerabiles enim populi per eos crediderunt. Videntes autem Pontifices Idolorum, quod populus ad eos conuertisset, irati sunt valde, & miserunt legationes

nes Romam ad Maximianum Imperatorem, dicentes: Sunt enim tres viri, qui præceptis tuis non obediunt, sed seducunt populum. Tunc Maximianus Imperator direxit cum eis milites, & spiculatores, si non adorassent Deum Iouem, capita eorum punirentur; Vnus autem Iuuenis, cuius nomen erat Aurelius, & erat potentissimus valde, & habitabat in ciuitate Cona, videns pulchritudinem Beatæ Iustæ, conglutinatus est animus eius ad eam, & celauit in corde suo longo tempore, & cum iam substinere non posset, dixit ad eam, Rogo te Iusta, audi consilium meum, & salua eris, si tu consentias mihi, & adores Dominum meum Iouem, & relinquas Dominum tuum, beatam te faciam esse super omnes mulieres istius loci, & te in coniugio meo sociabo. Beata Iusta respondit, hoc quod dicis vanum est, & inutile; Vis vt dimittã Dominum Creatorem omnium, & adorem Idola vana manufacta, quæ nec mihi, nec tibi proderint, tunc inter se multum contendens, quasi vna hora; & iterum dixit Aurelius, & si Dominum nostrum adorare non vis, tantum consenti mihi, vt lucreris ætatem tuam, Beata Iusta respondit, nec Dominum tuum adoro, neque tibi consentio, & cum nihil proficere potuisset, reuersus in domum suam, & præ nimio dolore iactauit se in stratu suo, & anxiabat. Die autem altera dum aurora lucis prorumperet, surrexit, & abijt per vniuersos amicos suos, & nobiles, & petiuit eis, vt in absconso darent ei aurum, & argentum, & gemmas, lapides pretiosos, margaritas, & serica vestimenta, & ostendit omnia B. Iustæ & dixit; Ista, & alia multa tu lucraberis, si cõsilijs meis adhæseris: at illa in furore magno dixit ei; Vade Sathana, quia Diabolo similatus es, & opera eius agis, qui Dominum nostrum Iesum Christum voluit seducere, sicuti seduxit Adam, & vxorem suam Euam, aurum, & argentum, & omnia regna mundi ostendit ei, sed nihil accepit; Ego enim tantum vereor illum, & timeo, quia magnus est, & metuendus. De his omnibus nihil accipio: Aurelius dixit; Et quomodo tu sine viro es? quia anni tui iam sunt decem, & octo. Iusta respondit; Expertum tibi sit, quia alium virum habeo, qui pretiosior est te, & potentior, & anulum in digito meo misit, & cingulum auro textũ mihi tradidit, & gemmas, & margaritas in collo meo posuit, & sanguis eius faciem meã ornauit, & os suum frequenter os meum osculatum fuit, & in suo thalamo requieui; nõ est enim iustum, vt priorem dimittam, & alium accipiam; Aurelius autẽ cum hæc audisset, iratus est valde, & dixit, si virum illum scire possum, te, & illum pessimè condemnabo. Beata Iusta respondit; Et ego enim te non timeo, neque tormenta tua pauesco, tormenta mea modicũ tempus sunt, sed tu de tormentis tuis per decem millia annorum non poteris venire ad finem, tunc Aurelius reuersus fuit, & reddidit thesaurum

A vnicuique, à quibus acceperat, & constituit diem aptum, quando eam violenter posset accipere: Hilarius enim habebat in domo sua nepotem cæcum, & iam quatuor annĩ erant quod lumen non viderat, tunc rogauit Beatam Iustam diligentissime, vt visum redderet illi: at illa expandit manus suas ad Cœlum, & dixit; Domine Iesu Christe te confiteor corde, & ore, tu qui es misericors, & pius, tu qui es magnificus, & gloriosus, exaudi me famulã tuam; Domine qui cæco nato oculos aperuisti, & eum te videre fecisti, aperi oculos viri istius, vt videat lumen, & exaudiuit Dominus orationẽ illius, eadẽ vero hora vidit lumen; Audiẽtes autẽ alij cæci de ciuitate Cona, veniebant ad B. Iustam, & illu-

B minabantur omnes; Die quadam ibat Beata Iusta cum duabus mulieribus secus aquã, quæ dicitur Vera, videns illam Aurelius, itinere arrepto post illam, cum decem viris, vt violenter acciperent eam, Respiciens autem Beata Iusta, vidit eum post se venientem, excalciauit se festinanter, vt transiret aquam, cumque iam prope aspiceret Aurelium præ timore nimio cecidit in aquã, & dimisit calceamenta, quæ in manu tenebat, & fugit foras longe à Vera, quantum homo lapidem iactare potest, ad radicem montis Offidij, cumque voluissent arripere, tanta cæcitate comprehensi sunt, vt nullus eam videre posset; (putant multi, quod Mons Offidius se aperuisset, & suscepisset eam) at ille repletus ira, & fu-

C rore cœpit angustiare, & mandauit ad Aquilinum amicum suum & ad alios amicos suos, vt venirent, & circumirent montem Offidiũ; mons itaque Offidius ex vno latere nemorosus erat nimis, at illi colligentes multitudinem virorum, ac seruorum, circumierunt montem Offidium, & omnes vias, quæ circa ipsum montem erant, & non inuenerunt eã, sicque fatigati sunt, & angustiauerunt, nec loqui poterant, nec ad domum suam reuerti; Audientes hoc Christiani cœperunt flere, dicentes, ò si videant oculi nostri famulam Dei Iustam, quædam mulier; quæ cum Beata Iusta fuerat, intrauit in Veram, & inuenit calceamenta Beatæ Iustæ sicca, quasi in arido iacuissent, accepit ea in manibus suis, & re-

D uertebatur ad domum Hilarij, vbi erant cõgregati Christiani: at illi accipientes, & præ nimio amore osculabantur calceamenta. Beata Iusta sedebat in antro ad radicẽ Montis Offidij, descendit enim Angelus Domini, & sedit iuxta eam, dedit ei manducare, & bibere, & rogabat eum Beata Iusta, vt gressus, & labia redderet illis, qui eam quæsierunt, exaudiuit eam Angelus Domini, reuersi sunt vnusquisque in domum suam, & cœperunt laudare Dominum, dicentes, *Magnus est Dominus Beatæ Iustæ, & ipse diriget consilium eius*, Sancta autem Iusta exijt de spelunca, & perrexit ad domum Hilarij, & inuenit ibi patrem suum Florentium, & Felicem, atque Iustinum *Presbyterum*. Reuersi sunt Custodes

Ido-

Idolorum de Roma; & inuenerunt Sanctos Dei congregatos. Cum vidisset eos Iustinus presbyter, fugit cum duobus Clericis suis contra Septentrionem in montē, qui dicebatur Tuberaiū, & moratus est ibi cum pastoribus per vnam hebdomadam, & cœpit ad eos loqui magnalia Dei, in tantum immonuit, vt omnes crederent, & baptizati sint, & vocatum est nomē montis, Mons Christi, vsque in hodiernum diem, & quod opus Christi initiatum est in illo; Tunc custodes Idolorum ligauerunt Florentium, & Felicem, & Beatam Iustam, & portauerunt illos cędendo, ad ciuitatem Cunam, ad templum Iouis, & dixerunt, aut sacrificate Dijs, aut diuersis pœnis puniemini; Responderunt omnes simul, & dixerunt, Melius esse nobis mori, quam Dominum nostrū dimittere, & Idola vana adorare, & colere. Maledicti sunt omnes, qui confidunt in Idolis, similes fiant illis, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis, & cū diù contemnerent, & non potuissent superare illos, imperatum esse spiculatoribus, & pontificibus templi, vt decollarent illos. Cum pergerent ad locum, vbi decollandi erant, clamabat Iusta voce magna dicens, Quare me derelinquis Pater sancte, & quare tecum non morior, Respondens Florentius, Expecta modicum, dulcissima filia mea, quia maiora tibi debentur certamina, tunc decapitati sunt in agro iuxta flumen Abbellinum octauo Kal. Augustas, & dimiserunt corpora eorum in ipso loco. Audiēs hoc Beatus Iustinus descēdit de monte & nocte sepeliuit corpora eorum in vna maceria, & reuersus est ad mōtem Christi. Tunc pagani miserunt S. Iustam in carcerem vsque in diem quintum. Post quinque vero dies extraxerunt eam ligatam de carcere, & accenderunt caminum ignis, plusquam succendere consueuerant, vt iactarent ibi Sanctam Dei Iustam, & dixerunt ad eam; Nunquid nō times flammas istas? Beata Iusta respondit; Et vos non timetis flammas æternas inferni? Cum hoc ad eam loquerentur, venit mulier cuius filius vnicus fuerat mortuus, prostrauit se ad pedes Beatæ Iustæ cum fletu magno, & dixit; Obsecro te Beata Iusta, vt suscites filium meum. Dum vidisset eam Beata Iusta flentem, pietate commota est, oculos, & manus ad Cœlum leuauit, & dixit; Domine, qui suscitasti Lazarum de monumento, & vnicum filium matris viduę viuificasti, tu digneris suscitare mortuum istum, vt cognoscant omnes quia tu es gloriosus super omnem terram, in illa autem hora surrexit puer, & paulatim cœpit ambulare, cum autē vidisset hoc Aurelius, credidit & conuersus est ad Deum, volens thesaurum multum dare, vt solueret Beatam Iustam, at illa rogabat eum, ne impediret passionem suam, rursum loquutus est ei Aurelius, & dixit, Parce mihi Sancta Dei hoc, quod in te exercui, Beata Iusta respondit, Indulgeat tibi Dominus omnia peccata tua; Cumq; vi-

A dissent duo æquissimi, & fortissimi mortuū pergere, cœperunt cædere illum dicentes; Tu es finxisti mori, adiuuet te Iusta, si potest, & cum modicum illum cęcidisset, statim cęci facti sunt, & non videbant lumen, vnus autē ex illis audacior apprehēdit dexterā alterius, & cœperunt ire, tunc ceciderunt ambo pariter, & vnus fregit brachium, & alius nares, vt impleretur Euangelium Domini, dicens, cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadent, in illa autem hora missa est Beata Iusta in caminū ignis ardentis, & dū missa fuisset, venit ventus validus & euertit flammas super illos, qui caminum accenderant. Stetit autem Beata Iusta in camino tribus diebus, quasi super herbam viri-
B dem, videntes autem Pagani, quod non potuissent illam per flammam superare, acceperūt lanceas, & sagittas; & perforauerunt caput eius. Aperuit os suum Beata Iusta, & dixit ad illos, O miseri, & stulti, quare non emendatis vos, dum lucem habetis, quia veniet tempus, quando vultis vos emendare, non potestis; tunc expandit manus suas ad cœlum, & dixit, Domine Iesu Christe suscipe spiritum meum, quia iam hora est, vt veniam ad te; Statim verò vt orauit, clausit oculos, emisit spiritum. In illa hora vero apparuit nimbus teterrimus, & coruscauit valde, & multi mortui sunt de Paganis. Vidētes autem increduli timuerūt timore magno, & crediderunt. Deinde obtulerunt corpus
C Beatæ Iustæ, & per consilium portauerunt ad radicem Montis Offidij ad speluncam, vnde Angelus Domini cum ea loquebatur; & sepelierunt ibi eam sub die Kalendarum Augustarum. longe enim distat ab vrbe Roma itinere dierum trium prope ad ciuitatem Conam fere miliaria duo. Venientes autem infirmi de longinquis partibus, sperabāt adhuc vitam esse in corpore, pergentes ad tumulū eius salui reuertebantur. Plurima mirabilia fecit in vita sua, sed magis post mortem, omnes namque populi adducentes magistros artifices, & fecerunt Basilicam ante os Speluncæ, largam, atque excelsam, populi vero sicut robustissimi fuerunt in malum, ita fortes fuerunt in bonum. Audiens hæc Beatus Iustinus Presbyter descendit de monte, & abstulit
D Corpora Sanctorum Florentij, & Felicis, & recondidit illos iuxta sepulchrum B. Iustæ, & docuit populum mensibus quinque; Tunc adduxerunt ei hominem vexatum in corpore, & rogauerunt eum, vt subueniret illi, qui cum appropinquasset ad B. Iustinum, locutus est Dæmon audientibus cunctis; Si tu es Iustinus, ego sum Belial, & leuauit se sursum cum ipso homine, & ferijt eum in terra, videntes autem populi fugerunt omnes, & solus Iustinus remansit, & appropinquauit sibi, fecit signum Sanctæ Crucis in pectore eius, & dixit; Ecce Crucem Domini, fugite partes aduersæ vicit Leo de Tribu Iuda, radix Dauid, tunc exijt Dæmon ex eo, brachija tortis, &

ca-

caligās cœpit vlulando in aëra volare, & nūquam comparuit. Vixit autem Iustinus Presbyter annos lxxxiv. & finiuit bonæ memoriæ in die pridie Kalendarum Ianuariarum. Venit autem Hilarius cum multitudine populorum, & sepeliuit eum in agro suo iuxta viam in villa Offidiæ, & destruxerunt Idolorum templa, portantes lapides fabricauerūt Basilicam magnam super eum, vbi populi offerentes vota, & dona multa, Regnante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor, virtus, & gloria in secula seculorum. Amen.

2. QVINTII Episcopi Teatini non tantum nomen, sed tempus etiam habemus ex Concilio Romano primo sub Symmacho Papa anno 499. cui subscripsit vna cum Valentino Episcopo Amiternino, cætera eius Acta ignorantur, quemadmodum & successorum nomina obscura sunt ad annum vsque 840. Si vnum Barbatum adimes, quem volunt sub Gregorio Magno Teatinum Episcopum fuisse.

3. BARBATVM Episcopum, de quo S. Gregorius Epist. lib. 4. cap. 39. mentionem fecit, scribunt Teatinum Episcopum fuisse anno 594. coniectura ducti, quod Gregorius defuncto Orthonensi Episcopo, eius Ecclesiæ visitationē illi delegauit, quod viciniori Episcopo competere videbatur; finitimus tunc erat Teatinus Episcopus, quamobrē astruere conantur, Barbatum, siue Barbatum illum Episcopum haud potuisse esse, nisi Teatinum: an vacillet coniectura hæc, illis examinandū relinquo. Circa hæc tempora, vel pauló post martyrio coronatus est S. Cætheus, quem Peregrinum appellant, Aterninus Episcopus, qui in Aterno flumine præcipitatus pro fide palmam sumpsit martyrij, cuius meminit Martyrol. Rom. Idibus Iunij. Acta describit Petrus de Natalibus lib. 5. Hunc moderni volunt Teatinum fuisse Episcopum, cuius Lipsana aiunt in Cathedrali religiosè asseruari. Crediderim tamen leuibus coniecturis, cum Aternum oppidum, cuius fortè Episcopus erat Cætheus, longè diuersum sit à Teate, & corpus Cæthei miraculosè per flumen Aterninum ad mare Adriaticum, indè ad litus Iardertinæ ciuitatis delatum ibi cōquiescere asseratur à Petro Aquilino. Qua verò fide nuper in Archiepiscopali aula Cætheus inter Teatinos Episcopos depictus sit, iudicent alij.

4. THEODORICVS huius nominis primus Gallus, vel Germanus circa finem Imperij Ludouici Pij, Caroli Magni Imperatoris filij, Teatinę Ecclesię Episcopus creatus est, fauore fortassis eiusdem Ludouici, quem diem obijsse constat post annum Domini 840. quo tempore Theodoricus in Synodali Constitutione de cōsensu Cleri, ac iuxta ordinationē Caroli Magni Imper. vt probabile est, sui Episcopatus Ecclesiam reparasse videtur, quæ fortasse paucis ante annis iussu Papini Italiæ Regis, eiusdem Caroli Imp. filij (qui cum Longobardorum Imperium extinguere conabatur), cum ipsa ciuitate incendio conflagrarat. In Ecclesia S. Iustini Canonicam cū Ecclesia S. Saluatoris, & S. Agathæ atque Xenodochio construxit, vbi regularem, & ecclesiasticam viuendi normam ad antiquam consuetudinem reformauit: Canonicam quibusdam religiosis viris ad habitandum concessit, quos in documento singilatim nominat, & in eiusdem confirmatione vocat (vndè Monachalis instituti professionis ijdē fuisse creduntur) attributis eisdem vel restitutis certis redditibus, ex quibus sibi victum & vestitum parare possent, vt patet ex ipsiusmet Theodorici Episcopi testimonio, ac particulari memoria ab ipso formata, quæ aliunde transcripta postmodum à quopiam inserta inter vitas m. s. Sanctorum Patrum peruetustas, quæ cum alijs codicibus asseruantur in Archiuio Ecclesiæ Teatinæ, & habetur scripta post expositionem Symboli Athanasij, cui præscriptus est titulus. *Sufficit fides Catholica, &c.* & ante prologum vitæ S. Antonini Martyris, quisquis sit auctor expositionis. Cuius quidem rei narratio cum non parum prodesse possit ad hæc illustranda tempora, & ad cognitionem quorundam locorū territorij, vel Diœcesis Teatinæ, quæ ibi recensentur, placuit hic eam attexere, est autem huiusmodi.

In nomine Dei & Saluatoris Nostri Iesu Christi.

Ego Domnus Theodoricus Sanctæ Teatinensis Ecclesiæ licet exiguus Episcopus, cū Synodali more in præfata resideremus, præsentibus nobiscum Presbyteris & Diaconibus, nec non & cuncto Clero prælatæ Sedis, ibique Christo Domino coöperante in custodiam rectitudinis Sanctæ nostræ Ecclesiæ statueremus, vt ad meliorem quidem statum Ecclesiasticum in aliquo exerceremus consuetudinem, quæ antiquitus fuerit reconcilianda, ibique inter cætera cum cōsensu omnium prædicatorum Canonicam instituere certificauimus, habentes normam firmitatis eo quod à Domino Imperatore Augusto per diuersa Episcopia iam diu ea fieri præceptū est, & quia hic propter obitum antecessoris mei remansi, idcirco prompto animo illis consentientibus Canonicam recōciliamus in Ecclesia Beati Iustini cum ipsa Ecclesia Sancti Saluatoris cum terris & vineis, cum colonibus, & omni pertinentia sua, & in Ecclesia S. Agathæ, quod est Synodoclica ibi cōstituta cū seruis & ancillis, cum terris & vineis, quę sunt in Grenaci, in fonte Saumasia, & sub ipso monumento, à S. Andrea cum terris, & vineis, & in Arizafali, & in Ganzano in terris & vineis, & in omni pertinentia sua, & in Casa Ostri cum duobus suis colonibus, & in Cerretello cum terra, & vineis, & in Paternello in ipsa curte cum cellis & omnibus seu con-

fuetis

fuetis & colonicibus & cum omni subiacentia, vel pertinentia sua, & quod est in Karamo maiore cũ omni subiacẽtia, vel pertinẽtia sua, & cũ ipsis rebus, quæ sunt in Karamo minore, & cũ colonicibus suis, & in Riuo, & Pescarano ad ipsum fontẽ, ad ipsum Tribrum, quod est subtus viam, & supra viam cũ omni pertinentia sua. & in Mortiano maiore, quod est super via & subtus via cum colonicibus suis, & in fonte Tetali, vbi dicitur vinea Bonnalli, super viam, & subtus via, & in Guarini & in terris & vineis, & in omni pertinentia sua, & in Mortiano minore, vbi dicitur super Riuus Ruscaoli cum terris, & vineis, & colonicibus suis, & in Plonmata cum terris & vineis, & colonicibus suis, & in Scalelle, & in fonte Anteperge, & in Castangeto, & in Caselle cum terris, & vineis & colonicibus suis. Insuper statuimus medietatem de ipsa piscatione, quæ est in Ipse de fauro quę pertinet de ipsa Curte de Campo Dominico cum ipsa plebe S. Ioannis, quæ in ipso Castello stare videtur cum omni pertinentia sua; Sic constituimus & tradidimus pro amore & timore fratrum Ecclesiæ Sancti Ioannis, quorum nomina introeuntium alacri animo & mente humili in caritate confirmati ista sunt; Leo Præpositus Gundefrid, Gasulphus presbyter, pro cuius amore ibi cõstituimus prędictam plebem S. Ioannis cum ipsa piscatione, & Theopo Gualdefred. Ioannes Leopardus, Lambertus, Luitprand, Antefred. Lanfred. Murtianus. Giselpertus, Decanus, & portarius, quẽ scholæ Cantorum, & Scribarũ magistrum ordinauimus. Ad victum verò & vestitum dedimus illi Ecclesiam S. Iustini, vbi & ipsam Canonicam ad honorem S. Thomæ construximus cum rebus, & vineis, villis, casalibus, appendicijs, atque colonicibus suis, cunctaque ibidem pertinentia. Nobis verò reseruauimus medietatem ex ipsis luminarijs ad honorem S. Thomæ Apostoli. & dedimus propter adiutorium boum paria xx. boues decem, iumenta vij. pecora, & porcos C. Hæc quoque firmiter studuimus perficere ad honorem & laudem almi Thomæ, seu ad stabilitatem Imperij pijssimi Imperatoris. *Anno propitio Imperij Domini Lodoici Imperatoris xxvij. per Indictionem tertiam hoc factũ est xij. die mensis Madij.* Scriptum fuit hoc documentum anno 840. quo Ludouicus Pius Imp. ex hoc sæculo migrauit. Hic addendũ appositè videtur, quod Sigonius in procemio libri de Episcopis Bononiensibus scriptum reliquit, probare intendens, qualis ab initio fuerit Christianæ Ecclesiæ gubernatio, & quanta in ea partem, & quandiũ ij qui Monachalem vitam profiterentur, haberent. *Cæterum*, inquit, *Christianam Ecclesiam initio iam indè ab Apostolorum memoria ducto, Clerici tantummodò tenuerunt, qui sacra sidelibus ministrarunt. Clero verò adiecti Monachi sunt, qui meditationibus diuinis intenti solitaria sibi plerunque extra vrbes vita domicilia compararunt (quorum defluentem deniq; disciplinam arctis admodum legibus S. Benedictus astrinxit) Post autem Canonicos regula seueriores vita deuinctos Sãctus, vt fertur, Augustinus induxit, qui se quoque Monachorum exemplo in cœnobia retulerunt: Atque hi quidem cum soli fermè per mille amplius annos Ecclesiam obtinuere, secundum, vt Pontificum Romanorum, Episcoporum Seminarium extiterunt. Vndè iure Seuerus scripsit, se plerosque ex Monachis S. Martini socij Episcopos conspexisse. Summos autem Vrbium Episcopos ipsi pro potestate Romani Pontificis allegere. Deinde permissu Pontificum Carus, populusque sublextt, quorum maximè vitam, doctrinamque laudauit. Haud fermè quicunque nisi è Clero, & Cœnobijs esset, quorum maiore ex parte ipsi laicorum incolæ celebrabant.* Ex ijs igitur omnibus colligere possumus, Ecclesiam Teatinam diu Monachos, & regularis obseruantiæ Canonicos habuisse, quorum multi, & hic fortasse Theodoricus in primis ad Episcopale munus Cleri, populiq; suffragiis assumptus fuerit, & sic etiam clarius innotescit, vt in principio diximus, ipsũ Theodoricum Episcopum indixisse in illa Synodo se velle Canonicam instruere, & reconciliare in Ecclesia Beati Iustini, in illo verbo *instruere* materialem habitationem, & *reconciliare* spiritualem Canonicam, idest morum, & collapsæ regulæ reformationem intellexisse.

5. LVPVS Teatinæ Ecclesię Episcopus, cuius meminit Anastasius Bibliothecarius, & ex eo Baronius anno 844. cum consecrarioni Ludouici filij Lotharij Imp. in Longobardorum Regem sub Sergio Papa II. interfuisset, corruptè tamen pro Teatinæ Ecclesiæ, Textinæ scribitur. In codice Farnesianæ Bibliothecæ Teatinæ Ecclesiæ Episcopus Lupus legitur subscriptus, vt me monuit vir clariss. Lucas Holstenius Vaticanæ Basilicę Canonicus, ac Põtific. Bibliothecæ Præfectus, cuius eruditioni & humanitati multum me debere fateor.

6. PETRVS post Lupum sufficitur, cuius nomine anno 853. Versum Archidiaconum Ecclesiæ Teatinæ interfuisse Concilio Romæ celebrato sub Leone IV. Pontifice, testatur Card. Baronius to. 10. Annal. Eccles. ad hunc annum num. 58. Hæc tantum Petri memoria peremnauit ad posteros; quo fortasse Præsule, vel alio eius successore, celebre Monasterium S. Clementis Papæ & Martyris Ord. S. Benedicti in Aprutina Prouincia iuxta fluminis Piscarij decursum exstructum est à Ludouico II. Imperatore, & ab eodem flumine denominatum, & Casaurense aliquando dictum, vbi corpus, vel saltem pars corporis S. Clementis Papæ ab Adriano II. eidem Imp. dono datum honorificè requieuit. Ecclesiæ huiusmodi ostium æneum satis mirificè fusum, auroque purissimo incrustatum, nullo vnquam tempore intermoritura fundatoris munificę-

tia

tia Diuo Clementi dicatum est. Miraculorum omnium, Castrorum, Terrarum, Villarum, ac totius Abbatię iurisdictionis compēdium, & veluti speculum, in quo vetustissima Imperatoris exprompta, & indubitata tanti Pontificis translationis monumenta spectantur. Historia digna est, vndè merito hic eam adnotare visum est. Supra arcum igitur medium portæ, quæ ænea est, extat à capite sculpta vrbs quædā his verbis in medio ROMA. Inde videtur Papa sedens, qui capsulam tenet in manibus onustā, & ossibus plenam Sancti Martyris Clementis cum his litteris ADRIANVS PP. II. coram Pontifice extat cum genu curuo & capite inclinato Imperator cum his verbis, LVDOVICVS IMP. qui capit cum veneratione capsulam è manu Pontificis, sub quo hi duo versus legūtur, quibus Pontifex alloqui videtur Imperatorem.

Ecce Pater Patriæ magnum tibi confero munus
Clementis corpus, Tu sacrum suscipe funus.

Post Imperatorem extat quidam oblongis vestibus indutus, qui ensem in manu tenet cum his verbis à latere. SVPPO COMES. Post ipsum Comitem videtur sculptus idem Imperator, qui deuotè Capsulam illam imponi iubet supra animal quoddam, & transmitti ad Monasterium ab ipso ædificatum ipsis verbis sub Imperio LVDOVICI CÆSAR. post quem videntur sculpti duo Monachi, qui obuiam eunt capsulæ, vt eam recipiant, cum his verbis FR. CELSVS, FR. BEATVS, & post ipsos Monachos videtur sculptum templum Sanctissimæ Trinitatis, à quo egressi fuerant Monachi, & vbi reliquiæ asseruari debebant, cum his verbis TEMPLVM SS. TRINITATIS sub istis verbis extant incisi duo versus, quibus Ludouicus Imper. alloquitur.

Martyris eximij Clementis suscipe corpus
Insula Piscaria, Paradisi floridus hortus.

Post videtur sculptus Imperator cum his litteris LVDOVICVS IMP. qui porrigit sceptrum dominij cuidam Abbati, qui primus fuit In Monasterio, iuxta quem litteræ sunt ROMANVS ABBAS PRIMVS, subtus autem hic versus legitur.

Sceptro firmamus: regimen tibi sume rogamus.

Post ista videtur quidam vestibus oblongis indutus cum his litteris à latere SISEMANDVS MILES qui Sceptrum tenet in manibus cum hisce verbis. CÆSAR VESTRA SIT HÆC INSVLA PISCARIÆ. Ex quibus verbis clare colligitur, hunc dominum

A fuisse temporalem Insulæ. Post ipsum videtur Episcopus, qui tenet Insulam in manibus sculptam, eamque offert Imperatori, qui eā recipit. Circa Episcopum hæc verba leguntur GRIBALDVS EPISCOPVS, circa autem Imp. ita LVDOVIC. IMP. Tenet Episcopus in manibus scriptum huius tenoris DAMVS VOBIS OMNE IVS NOSTRVM DE HAC INSVLA. Vnde colligitur Gribaldum Episcopum Pinnensem, qui alias Grimaldus dicitur, omne ius concessisse Ludouico Imperatori de Insula ista, subtus autem hi versus leguntur.

Insula Piscaria, quæ nostri iuris habetur
B *Libera perpetuò tua Cæsar iure vocetur.*

Retro Imperatorem videtur sculptus Comes quidam togatus ensem gestans cum hisce litteris HERIBALDVS COMES, huius rei fortasse testis. Hæc porta illa ænea continet rei peractæ peruetustum, ac nobile documentum, quod cum scripta huius Cœnobij historia ad amussim conuenire videtur. Erat tunc temporis Insula ista Piscariæ Pinnensis Episcopi, sed cum Imperator Ludouicus, alijque potentes Principes plura oppida & loca Teatinæ Ecclesiæ obnoxia dono dedissent, non semel in Pontificum diplomatibus illud Teatinæ, seu in Teatina Diœcesi connumeratum lego, quousque ad tollendas
C lites, quæ longo temporis spatio Abbatem inter, & Teatinum Episcopum intercesserunt, tanquam iurisdictionem Episcopalem haben. & immediatè Apostolicæ Sedi subiectum liberum & exemptum adiudicatum est, vt infra suo loco enarrabimus. Cæterum Abbatiam hanc corporis S. Clemētis Papę & Martyris insignitam suffragijs, Imperatorum, Regumque exornatam priuilegijs, Pontificū illustratam diplomatibus, vt insignem ita Romanæ Sedi immediatè subiectam. Castrorum, ac Terrarum fuisse numerositate nobilem ditione per quam ampla refertam ex priscis Imperatorum codicibus, ac maiorum traditione, tum & historia eiusdem fundationis
D scripta nullus est relictus posteritati ambigēdi locus. Huiusce Abbatiæ Historiam ex m. s. lib. Chronicorum, ac instrumentorum, de rebus & possessionibus eiusdem Abbatiæ, qui extat Parisijs in Bibliotheca Regia, Franciscus Duchesne in tom. 3. Francorum scriptorum emisit in lucem. Hanc ipsam ex alio vetustissimo hœdino codice exscriptam, ac fideliter vnà cum Pontificum, Imperatorum, Regum priuilegijs mihi humanissimè dono dedit Illustrissimus Petrus Columna Philippi Comestabilis filius, germanus frater Hieronymi Columnæ Cardinalis, huius Abbatiæ perpetuus Commendatarius, qui nuper diem suum clausit extremum; quæ cum plura contineat

alia

alij à prima editione, visum est iterum ad calcem huius sexti tomi exhibere.

7. THEODORICVS secundus nutu Dei ad dignitatem Episcopalem euectus est, & consecratus circa annũ Domini 880. Ioanne VIII. Papa sedente, cuius Pontificis Epistola decretalis legitur, quæ est num. 226. scripta huic Theodorico, ac simul etiam Heodicio Firmano, Ioanni Aprutino, & Helmannio Pinnensi Episcopis, vbi ostendit mulierem, quæ vi, minisque coacta, religionis habitum susceperat ad vota seruanda non teneri, huius tamen causam illis diffiniendam commisit. Quod si oriatur difficultas, eos, vel eorum Legatos cum ipsa muliere ad se venire iubet. Obijt Theodoricus Episcopus anno Dom. 888. octauo Idus Iunij sextæ Indictionis.

8. ATINOLPHVM, siue Atinulphũ post Theodoricum sedisse credunt, de quo mentio habetur, in nonnullis codicibus m. s. Bibliothecę antiquæ S. Iustini Cathedralis, nimirum in codice officiorum Amalarij Fortunati Episcopi Treuirensis, & in altero Historiæ Ecclesiasticæ Eusebij Cæsariensis Episcopi, in fine hæc leguntur verba. *Istum librum fecit scribere Dominus Atinulphus Pontifex & Episcopus in Basilica S. Thomæ Apostoli, & B. Iustini Confessoris, & aliorum Sanctorum. Sicardo indignus Presbyter scripsit; omnes, qui ex eo legitis orate pro me indigno peccatore.* In alio autem hæc leguntur similiter in calce codicis. *Istũ librum fecit scribere Dominus Atinolphus Pontifex cum Canonicis suis. Omnes, qui in istum librum officiorum legitis, orate pro illo. Sicardo Presbyter scripsit. omnes qui in isto legitis orate pro illo indigno peccatore.* Cæterùm quo anno Atinolphus electus, vel consecratus fuerit, aut quo tempore discesserit, incertum est: quemadmodum quot, quiue fuerint Episcopi Teatini hisce temporibus spatio annorum propè centum, quod inter Theodoricum secundum, & Rimonem Episcopos excurrit, obscurum est. Deinceps verò continuata & certior Episcoporum series habebitur. Non est tamen ambigendum, quin Theodorico in Episcopatu Teatino successor datus fuerit, licet eius nomen ignoretur, qui fortasse inter illos septuaginta quatuor Episcopos cõnumerandus est, qui Rauennæ Ioanne IX. Pontifice, & Lamberto Imperatore præsentibus anno 904. cõuenisse scribuntur, in qua Synodo præter alia de Formosi Papæ causa, & cæteris rebus, quæ egere correctione in Ecclesia videbantur, sancitum est, vt si quis Sanctorum Patrum decreta contempserit, & gloriosissimorum Imperatorum Caroli Magni, Lotharij, & filij eius Ludouici de Ecclesiasticis Decimis in eorum capitularibus constituta non obseruauerit, & eas alicubi, quàm in baptismalibus Ecclesijs iniussu Episcopi dederit, & qui dederit, & qui recipit auctoritate Sedis Apostolicæ & Sanctæ Synodi communione fidelium remotus sit. Hoc ideo notasse hic volui; quia per hæc tempora planè constat apud Teatinos Longobardorum leges cum Capitularibus prędictis vt plurimum in vsu fuisse. Huius autem Concilij Acta Mutinæ apud Canonicos Ecclesiæ scripta reperiri tradit Sigonius Hist. de Regno Italiæ lib. 6. in Ann. Domini 898.

9. RIMO Episcopus Teatinus vixit temporibus Ioannis XII. & Othonis Magni Imperatoris, nescitur tamen creationis suæ dies & an. quidue dignum, aut quę pia opera egerit, sed tantùm in vetustis codicibus m. s. qui asseruantur in sacrario Ecclesiæ Teatinæ notatur, quod obierit ann. Dom. 964. Indict. septima 12. Kal. Septembris. Crediderim, illum fuisse Teatinum Episcopum, qui anno 962. die 6. Kalend. Septembris interfuit consecrationi Ecclesiæ celebris Monasterij Sancti Bartholomæi de Carpineto Pinnẽsis Diœcesis vna cum Pinnensi, Aprutino, Valuense, & Marsicensi Episcopis, in quo Monasterio à Bernardo Lindoni Comite Pinnensi constructo, atque ditato delatum est brachium dexterum Sancti Bartholomęi Apostoli, & collocatum in maiori Altari, ab Archiepiscopo Beneuentano eiusdem Comitis patruo; Rem narrat Chronicon eiusdem Monasterij lib. 1. quod extat apud me m. s.

10. LIVDINVS Rimoni suffectus creditur circa annum Dom. 965. satis autem constat, quod anno sal. 972. Othonis Magni temporibus, Imperij eius anno vndecimo, Othonis verò filij anno 5. Liudinus Episcopus de consensu Capituli, in emphiteusim, vt vocant, locauit, & dedit ad tertiam generationem Castrum Spulturium cum omnibus pertinentijs suis cuidam Fulcerio Balaberio cum onere annuæ solutionis census denariorũ centum soluendorum mense Septembri, sibi, vel successoribus suis, asserens Castrum dictum cum omnibus suis, nempè terris, vineis, pomis, arboribus, siluis, & alijs existentibus in Comitatu Pinnensi, & quorum fines, & limites & flumen *Piscariæ*, & Mare Castri Moscufi, aliorumque vicinorum locorum pertinentia attingebant ad Episcopatũ S. Thomæ pertinere, vel, vt inquit ipse, *de rebus eius esse testabatur*. Hæc antiqua membranula scripta Teate manu Azzonis Iudicis & Notarij primi, anno, & mense Septembris, Indict. 15. quæ asseruatur in Archiuio Archiepiscopalis Teatinæ Ecclesiæ. Subscribunt se eidem documento præter Liudinum Episcopum, Gisus Archipresbyter & Primicerius, & alij. Erant, vt vides, priscis his temporibus in Teatina Ecclesia trẹs illæ enumeratæ in documento dignitates. Eo etiam Præsule Comes erat Teatinæ ciuitatis Transmundus ille, vt Leo Ostiensis, & Sigonius de Regno Italiæ referunt, quod cum Raynaldo & Oderisio Marsorum Comitibus coadunato exercitu Capuam per quindecim dies obsedit, ac latè omnia peruastauit, mortis vlci-

stendæ causa Landenulphi Capuani Principis in Ecclesia S. Marcelli à perfidis ciuibus crudeliter occisi, cum ei Transmundus esset affinitate coniunctus. Hoc accidit anno 991. Obijt Liudinus Episcopus ann. Domini 1008. Ind. 6. septimo Id. Martij, vt in margine notatur antiquissimi m. s. codicis sacrarij Teatinæ Ecclesiæ. Vixit iste in Episcopatu annos plus minus 43. Arbitror non leui suspicione hunc Episcopum fuisse origine Gothum, quod indicare videtur eius proprij nominis pronunciatio. Gothi eum, quem nos Ludouicum pronunciamus, Liudinum, seu Luduin dixere, hinc apud Cassiodorum Variar. lib. 2. Rex Italiæ Theodoricus scribens Ludouico Regi Francorum vtitur hoc titulo, Luduin Regi Francorum, Theodoricus Rex.

11. LVPVS huius nominis secundus, antea vt credunt, Ecclesiæ Teatinæ Primicerius, ille idem, qui Liudoni documento subscripsit, licet de tempore, quo vixerit, neque cui successerit, vlla prorsus hucusque reperiatur memoria. Nomen tamen eius habemus ad calcem antiquissimi codicis Teatinæ Ecclesiæ in expositione ignoti authoris in quinque Prophetas, vbi in fine legitur, quod ipse Lupus huiuscemodi codicem Christo Domino in Ecclesia B. Thomæ Apostoli offert, subdens, *si quis eum inde alienauerit Anathema sit*. Et in alio Codice antiquæ Bibliothecæ S. Iustini, ad finem Hist. Pauli Orosij, hæc verba legentibus prostant. *Ego Lupus Episcopus offero hunc librum Domino Nostro Iesu Christo in Ecclesia B. Thomæ Apostoli, si quis eum indè alienauerit, anathema sit, Amen*. Et hæc de Lupo 2. habent Diptycha Teatinæ, quæ omnia adaptari posse videntur Lupo primo, & vnum crediderim Lupum præfuisse in Ecclesia Teatina, nisi me coniectura fefellit.

12. ARNOLPHVS, seu Arnulphus fuit circa hæc tempora Teatinus Episcopus, quonam verò tempore præcisè hanc Ecclesiam regendam susceperit, an immediatè Liudino successerit, vel post Lupum illum secundum, si fuit, mihi hæc scribenti incompertum est. Hoc tamen constat ex quodam vetusto documento Archiuij Teatinæ Ecclesiæ, quod anno Dominicæ Incarnationis 1049. mense Martij. Ind. 2. commutationem quandam fecit Arnolphus (proprij documenti verbis vtor) *de quibusdam petijs terra sitis in Comitatu Teatino in Villa de Casa Ostri in ipsa valle & Sancta Maria, &c.* in quodam Polando filio Alberti, de quo rogatus fuit quidam Notarius & Iudex nomine Conu. Teate. Eo etiam fortè sedente Præsule Transmundus Comes Teatinus alterius Transmundi Ducis, & Marchionis filius anno Dom. 1012. vt proloquitur vetus monumentum, *donat, tradit, atque concedit Monasterio, & Ecclesia, quæ ædificata est in honorem B. Stephani Papæ, quæ sita est in supradicta Ecclesia, & Territorio Teatino vocabulo à Raone, & Benedicto tunc Abbati, posterisque & successoribus suis, pro anima sua, & Actonis Comitis aui sui, & pro anima Adelrida Comitissa Auiæ suæ, & pro anima Transmundi Ducis, & Marchionis patris sui, seu genitoris, & pro anima Segegaida Comitissæ genitricis suæ, & pro anima Actonis Comitis germani sui, & pro anima Marrocia Comitissæ coniugis suæ, & pro anima Bertæ alterius coniugis suæ, & pro anima Actonis, & Landulphi Comitum suorum filiorum, & pro omnibus parentibus suis, qui amodo deinceps de suo genere legitima masculina linea nati fuerint ipsam Ecclesiam B. Marci Euangelistæ, quæ sita est in Territorio Teatino vocabulo Guelmi, & terras circumcirca dictam Ecclesiam pro mensura modiorum mille ducentorum habentes in prope fine terræ supradicti Comitis Transmundi à pede fine fluminis Attinebi cum aqua sua, & cum totis molendinis de ambis lateribus, quæ res sunt in loco, qui dicitur Gualdo, qui est ipsa Ecclesia, quæ ædificata est in honorem B. Ioannis Baptistæ, & B. Firmani Confessoris, & Beatorum Martyrum Eustachij, Agapiti, Thomæ & Theonisti, & terra in circuitu dicta Ecclesiæ pro mensura modiorum octingentorum & habent fines cum prosineuia circa alios suos confines, &c.* Scriptum Teate per manus Adelperti Iudicis & Notarij, cui subscripsit ipse Transmundus Comes cum tribus alijs testibus.

Anno 1020. quidam Petrus, Dodocto, & Doho germani fratres Leonis filij donant, & confirmant Monasterio Sanctissimæ Trinitatis sito in Comitatu Teatino iuxta fines Castri Sancti Boni, *in loco, qui nominatur ad ano Virgini, & Grisoni tunc Abbati quædam bona sua in Territorio Teatino in loco, qui vocatur ad arato, &c.* Actum Teate per manus Dodati Notarij. Anno verò 1027. Pandulphus Comes montis Oderisij filius Oderisi *construxit Monasterium Sancta Maria de Nuce*, quod deinceps Abbatis dictum est de Valle Anglonis Triuentinæ Diœcesis, illudque dotauit ijs bonis, vt in documento, *Ipsa Rocca, & Casale dicta Rocca cum tenimentis suis, & ipsa tenimenta cum vijs intrandi, & exeundi in arboribus, stratibus, & omnibus rationibus suis, nihil sibi, vel successoribus suis reseruando, & obligat se, & successores suos ad obseruantiam sub pœna mille solidorum Constantini, & isti sunt confines Territorij Rocca Abbatis. In primis à monte calato incipit, & ipsum montem calatum totum & descendit in Muula, quæ dicitur Muula Basraonis, & ab ipsa Muula descendit in Riuo, qui dicitur fossatus quo tenditur ad lacum Magrantarum, qui est propè in fine territorij Cantalupi, & ab ipso lacu protenditur ad fontem de Drago, quæ est in fine territorij Cantalupi, & ab ipso fonte protenditur ad terram, quæ dicitur filij Adami: ab ipsa terra ascendit in terram ciuitatis, quæ est in capite Lariæ & per ipsam terram descen-*

dit

dit in Vallonem, qui dicitur Osente, vbi iungitur cum riuo Lusernali, qui dicitur Caramello, & vadit per ipsum Osentem vsque in riuo, qui inuenitur omni tempore aqua, & ab ipso riuo ascendit ad fontem Auellanæ, & ab ipso fonte ascendit ad Abietem qui manet in confinibus territorij R..i, & territorij Castri Castillionis, & ab ipso Abiete protenditur vsque ad lamam Camasiarum, & ab ipsa lama descendit vsque ad lacum Angloneñ, & ab ipso lacu vadit in antea in Vallone Rogi, & per ipsum, & Vallonem protenditur vsque ad fontem de Sparuera, & ab ipso fonte vadit in antea, & redit ad priorem finem, & mediat in posterum dictam Roccam vocatam Roccam Abbatis, &c. Donationis documentum datum est per manum Auxouerici Iudicis & Notarij in loco prædicti Monasterij. Donationem prædictam confirmauit postea Rogerius primus Siciliæ Comes & Italiæ Rex, Rogerij primi Comitis filius, qui se Christianorum Adiutorem, & Clypeum nominat anno Regni sui primo, vt patet ex eius originali diplomate sigillo plumbeo suto Dat. Messanæ per manus Vidonis Protonotarij sui 5. Octobris 1130. Indict. 8 in quo fit specialis mentio eorum, quæ eidem Monasterio conceduntur, & confirmantur vltra prædicta, *Ecclesia S. Quirici de Gipso, Ecclesia S. Ianuarij de Gipso, Ecclesia S. Iustæ de Rocca de Osente, Ecclesia S. Nicolai de Cruce, Ecclesia S. Helenæ de Cantalupo, Ecclesia S. Iustæ de Belmonte, Ecclesia S. Viti, Ecclesia S. Gregorij, & Ecclesia Sancti Laurentij de Belmonte cum terris, siluis, aquis, aquarumque decursibus, vrat s, atque molendinis.*

Anno verò 1028. eodem Præsule fortasse Arnulpho, imperante Conrado, Acto Comes Transmundi Comitis filius, donat & concedit iuxta legem Luitprandi Longobardorum Regis pro anima sua, & pro anima Transmūdi Comitis & pro anima Marrociæ Comitissæ vxoris suæ, genitorū suorū, & pro anima Gislæ Comitissæ vxoris suæ Monasterio S. Trinitatis sito in Comitatu Teatino ad duas Virgines, & Ioanni tunc Abbati eiusdem Monasterij petium terræ propè ipsum Monasteriū de sua hæreditate modiorum septuaginta, &c. Datum per Benedictum Iudicem & Notarium, anno 1044. Credinulphus Dominus Teatinus exædificauit Abbatiam Sanctæ Mariæ inter montes, quam pluribus suis bonis ditauit, instituitque ibi primum Abbatem Isbertum Sacerdotem Anachoritam. Hæc tametsi ad Arnulphum Episcopum, neque ad Teatinam Ecclesiam directè videntur attinere, visa sunt tamen obiter notanda, ne penitus deperiret memoria, & ne simul obliuioni inuoluerentur nomina Comitum, qui quondam Teatinam ciuitatem illustrem reddiderunt.

13. ACTVS, vel Acto ex Marsorum Comitibus vir longè clarissimus successit Arnolpho in Episcopatu Teatino ab Ecclesia Marsorum translatus à Victore Papa II. anno Domini 1056. de qua translatione ipsi Actoni amātèr gratulatur Nicolaus Papa II. in diplomatis sui proœmio, quo omnes terras, possessiones, iura, Ecclesias, plebes, & omnia, quæ antea possidebat, Episcopatui Teatino confirmat, Diplomatis exemplar integrum damus ex Archiuio Canonicorum Vaticanæ Basilicæ à me scriptum.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilecto Confratri Actoni Sanctæ Teatinæ Ecclesiæ Episcopo, vniuersisque successoribus tuis in Ecclesia eadem canonicè promouendis in perpetuum.

Etsi iubemur, dum tempus habemus ad opus bonum operari, maximè tamen ad domesticos fidei, vnde omnibus Ecclesijs Christi, pro ea, quę nobis credita est dispensatione, sollicitudinem nostram debentes, sic debemus inuigilare longinquis, ne in aliquo absimus propinquis, Itaque ad suggestionem tuam charissime Confrater, & Coepiscope, ac te, quem à reu. mem. Domino nostro Victore ex Episcopatu Marsicano ad Teatensem promotum gaudemus. & antecessoribus nostris, atque nobis fideliter & iugiter deseruire in S. Romanæ Ecclesiæ cura cognoscimus, Episcopatum Teatensem cum omni sua integritate, & pertinentia, sicut ant quis, & iustis limitibus determinatur, confirmamus, scilicet à Staffilo inter montes, & ipso monte de Vrsa, & quomodo pergit in Coya, & ponit terminum in aqua, subtus terra vsque ad aquam sonulam, & quomodo pergit vsque in montem de Teste, & vadit per viræ montem, & qualiter pergit vsque mons Claui, & quomodo pergit ipso fluuio de Trinio vsque in littoribus maris, & iuxta mare vsque in Piscariam, & redit in priorem finem, quod est ipso staffilo. Igitur statuentes Apostolica auctoritate confirmamus Tibi, successoribus tuis, nec non Ecclesiæ tuæ ciuitatem Teatensem, & Castellum Tribullianum, & Curtem Cisternæ, Curtemque de Patroncello, nec non Castellum de Genestrale cum Plebe S. Michaelis, montem quoque Hilardi cum Cappella Sanctæ Trinitatis, Plebem S. Martini de Turri, & partem de Aterno cum Plebe Sanctorum Langutiani, & Domitiani, & partem de Portu, ac Castellum de Sancto Ioanne cum sua Cappella, Castellum quoque de Plebe S. Hilarij cum eadem plebe, & Castellum de Villa magna cum Plebe S. Michaelis, Plebem etiam S. Mariæ de Caramancio, & Castellum de Luco, Castellum quoque de Petra, Plebemque s. Ioannis de Albateco, Castellum Pulueri cum sua Cappella, Plebem etiam s. Stephani in Baxamo, & Plebem de Buulanico & Plebem s. Martini de Terra Doni Tresidij, & montem Perge cum Sancto Angelo, & sedibus molendinorum, Plebemque de Iuliano, & Plebem s. Cęciliæ, ac Ple-

bem de Piro Coatino, & Plebem de Oueule, A Plebem quoque s. Mariæ in Bari, & Plebem s. Mariæ in Domó, & Plebem de Attiſſa, & Monaſterium s. Mauri, & Plebem s. Nicolai de Monte Oderiſir, & montem Acuto, & in furca & vltra Piſcariam Terras eidem Epiſcopatui pertinentes. Hæc omnia, & multa alia prædicto Epiſcopatui pertinentia, quæ hic non ſunt deſcripta, confirmamus; Plebes ſcilicet, & Cappellas, & Caſtella, Cortes cum omnibus ſuis pertinentijs, & decimationibus, atque oblationibus fidelium mortuorum, atque viuorum, nec non primitijs, ac omnibus dationibus Epiſcopatui canonica auctoritate pertinentibus. Si quis autem, quod abſit, de his omnibus, quæ prædiximus, temerario auſu, ſiue Imperator, vel Marchio, aut Comes, aut aliqua perſona laica, aut aliquis B Epiſcopus, ſiue Abbas, Monachus, vel Presbyter infringere, vel minuere, aut retinere, præſumpſerit contra tuam Eccleſiam, vel cótra tuam voluntatem, & ſucceſſorum tuorum ſtatuentes Apoſtolica auctoritate, ſub diuini Iudicij interminatione, vt nulla vnquam magna, vel parua cuiuſcunque dignitatis, aut Ordinis perſona, ſicut ſupra in præfati ſumus, te, vel ſucceſſores tuos de prænominatis bonis Eccleſiç tuæ, vel de omnibus ad eam iuſtè pertinentibus inquietare, vel moleſtare audeat, nec aliquis Archiepiſcopus, vel Epiſcopus in ſua Diœceſi quicquam pro conſtitutione ordinare, vel agere ſine tua, ſucceſſorumque tuorum licentia audeant, ſed contrarietate remota eccleſiaſtica cum ſuis Iuſtitijs perpetualiter quieta remaneat. Qui C verò hæc, quæ à nobis pro intuitu promulgata ſunt infringere, vel in aliquo tranſgredi, ſicut diximus, præſumpſerit, omnipotentis Dei iram incurrat, & nostro anathemate confoſſus pereat, ſed & cum Diabolo damnatus gemat, & inſuper ſciat ſe daturum centum auri libras, medietatem ſacro noſtro Palatio, & medietatem ipſi prædicto Epiſcopo. Qui verò pro intuitu obſeruator in omnibus extiterit, cuſtodiens huiuſmodi noſtri priuilegij conſtituta ad cultum Dei reſpicientis, benedictionis gratiam à miſericordiſſimo Domino Deo habeat, & vitæ æternæ particeps eſſe mereatur in ſæcula ſæculorum. Amen.

Scriptum per manus Creſcentij Notarij & Scriniarij S. nostræ Romanæ Eccleſiæ menſe D Maio die ſecunda, Indictione duodecima Locus ✝ ſigni Domini Papæ. *Dat. Romæ 6. Non. Maij An. Domini Noſtri Ieſu Chriſti* 1059. *per manus Humberti Sanctæ Eccleſiæ ſilua candidæ Epiſcopi, & Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarij Anno primo Pontificatus Domini Papæ Nicolai II. Indictione duodecima.*

Huius Actonis Epiſcopi tempore Comes Teatinus erat Transmundus quidam. De quo Sigonius lib. 8. hiſt. reg. Ital. ſcriptum reliquit, quod anno 1055. tres Apoſtolicæ Sedis Legati anno ſuperiori Conſtantinopolim à Leone Papa IX. cauſa hæreſis, oborta à Michaele Patriarcha Conſtantinopolitano, qui primam Sedem fauente Conſtantino Græco Imperatore ſibi vindicabat, miſſi, poſt benè peractam legationem, Romam, cum magnis muneribus redeuntes, & per Apuliam iter habentes, ab eodem Comite per [illegible], & auaritiam, vt inquit, deſpoliati ſunt. Anno 1058. vt ex antiquis membranaceis monumentis habetur, Zarellus, ſiue Sarellus filius Raynaldi de Comitatu Teatino donat Actoni Epiſcopo, & Sancto Thomæ Apoſtolo Eccleſiā S. Mauri in territorio Teatino vocabulo in Burba, Eccleſiam S. Saluatoris intus Caſtrum Caſtellare, & aliam Eccleſiam S. Saluatoris ante Caſtellum de Ceteſolo in caſis & alijs omnibus eorum pertinentijs, & ſunt terræ modiorum 250. & fines aſſignantur à capite vertex montis de Ballano, à pede flumen Sangri. à lateribus terræ Comitis Actonis. Donat etiā Molendinum in ſupradicto flumine Sangri. Anno 1059. Acto interfuit Romano Concilio à Nicolao II. celebrato, quo ſe ſubſcripſit poſt Pandulphum Epiſcopum Marſorum. Anno verò 1060. Morellus Iiperini filius, & Cono, atque Bernardus germani fratres iuxta facultatem ſibi traditam per legem Longobardorum, & Capitulare Caroli Magni dono dederunt eidem Actoni Epiſcopo Teatino, & ſucceſſoribus ſuis, de rebus proprijs in loco, *qui nominatur fluuius Fauri, idest vnam petiam terræ pro molendino ædificando menſura modij vnius cum ipſa forma de ipſo molendino, & habet capuſine fluuium fauri, & ipſa arcata de ipſo molendino, pede ſine terra, quæ ipſis donatur, ſi remanſit &c.* Aliam donationem habemus Actoni Epiſcopo factam à Borrello Borrelli filio, alioque Borello Borelli filio anno 1065. die 15. menſis Maij, Indict. 3. de Caſtro Lecti ſito in Comitatu Teatino, cū omnibus bonis, iuribus, ac pertinentijs ſuis, quæ cum plurimi facite ad illa Actonis illuſtranda tempora, illam exhibeo ab exemplari.

In nomine Domini. Anno Incarnationis Dominicæ 1065. die 15. menſis Maij, Ind. 3.

Ego Borellus filius Borelli, & Borellus infans filius ſupradicti Borelli, bona & ſpontanea voluntate cogitauimus diem mortis & æterni iudicij, & ſperauimus, atque deſiderauimus habere Dei Omnipotentis miſericordiam pro mercede, & redemptione animarum noſtrarū, & pro redemptione animæ genitoris, & genitricis noſtræ, cum Dominus dictatis ſit dicere *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi*; declarauimus etiam ſicut in edicto Longobardorum continet pagina, quā Dominus Luitprandus Rex in ſuo Capitulare inſtituit, vt ſi quis Longobardus de rebus ſuis in Eccleſia, aut in locis Sanctorum donare aliquid voluerit, in omnibus

bus habeat potestatem, & quantumcunque donauerit, firmum & stabile permanere debeat, quia in locis Sanctorum, nec thinx, nec lanechilt impedire debet, eo quod pro anima sua fecerit, & Dominus Carolus Imperator in suo Capitulare sic affixit, vt si quis Longobardus de rebus suis pro anima sua chartulam donationis cuilibet facere voluerit, absolutè faciat vnusquisque de rebus suis quod velit, & nouerit, & quia nullum aliud melius est inter virtutes eleemosyna, quam de proprijs rebus in Sanctis Ecclesijs aliquid tribuere, modo verò ea videlicet ratione nos supradicti Borrellus, & Borrellus aliquantulum de rebus nostris pro anima nostra, & parentum nostrorum donauimus in Episcopio S.Thomę Apostoli & Iustini Confessoris tibi Actoni Episcopo, quod situm est in ciuitate Teatina, vbi nunc præsenti tempore Acto Episcopus regnum tenere videtur, hoc est de re nostra, quæ nobis ad conquisitum nostrum obuenit, & est ita res in Comitatu Teatino in vocabulo in Domo, vbi Sancta Maria *allo letto* vocatur, idest integra Ecclesia Sanctæ Mariæ cum ipso Monasterio cum cellis, casis, intrinsecùs & extrinsecùs cum dotibus & libris & oratorijs suis, vel ornamentis Ecclesiarū, sicut ad supradictum Monasterium pertinet: & insuper concedimus in Episcopio S.Thomæ ipsum Castellum de *lo letto*, & omne ædificium, & firmamentum ejus, & cum introitu & exitu suo, & cum ipsa Ecclesia, quæ in eodem Castello est dedicata cum cellis & dotibus, & libris, & oratorijs, seu ornamentis, cum casis & rebus consuetis, ita vt qualiter nobis dare debent tal ter vobis persoluant cum ipsorum datis, quæ nobis debent, & cum omnibus pertinentijs, vel subiacentijs suis, & cum molendinis, & locis molendinorum, & sicut omnes istæ res de ipso Castello infra fines modiorum mille quingent. de terra habent fines à capite fine Casa longa, & fine Pesco Dodati Ioannis Boni, pede fine Albertono de vno latere fine fossato sicco, ab altero latere, fine terra, quæ supradicto Borello remansit, & concedimus nos supradicti in ipso supradicto Episcopio Ecclesiam Beati Petri vocabulo ad ipsa Taranta cum cellis, & dotibus, & libris & Oratorijs suis, vel ornamentis Ecclesiarum, & cum ipsa pertinentia, quomodo ad eandem Ecclesiam pertinet, & sunt ipsæ supradictæ res infra fine mod. 12. à capite & pede, & ex omni parte est terra Borelli, & alia Ecclesia S. Martini, quæ ibidem est dedicata cum cellis & dotibus, & libris, vel ornamentis Ecclesiarum, & cum ipsis pertinentijs, quas filij Tedaldi in eadem Ecclesia antea delegarunt, & est ipsa pertinentia infra fines modiorum sexaginta, à capite caius & pede, & ex omni parte est terra Borelli, est alia Ecclesia Sancti Christiani vocabulo in Palcna cum cellis & dotibus & libris, & Oratorijs suis, vel ornamentis Ecclesiarum, & cum pertinentia sua, quæ est infra fines modiorum 400. à capite & ex omni parte est terra Borelli. Infra ista prænominatos fines cum supradicto Monasterio, & Castello, & in supradictis Ecclesijs, & cum vineis, vineaticis, campis, siluis, pratis, pascuis, saletris, oliuetis, pomis & arboribus fructiferis, & infructiferis, & in aquis, aquarumque cursibus, & vsibus aquarum & cum omnibus & in omnibus quantum supra se, vel infra se habent in integrum per hanc cartulam donamus, & concedimus pro anima nostra, & parentum nostrorum, quod exinde nullam in supradictis rebus fecimus nobis reseruationem, vel hæredibus nostris, seu ad quemlibet hominem, sed in integrum qualiter prælegitur sic concedimus, hæc omnia in Episcopio S.Thomæ Apostoli, & tibi Actoni Episcopo posterisque & successoribus tuis ad habendum, & possidendum, vt inde faciatis sicut de alijs rebus vestris facere debetis, absque alicuius contradictione, vel calumnia. Si quis verò huius rei minorationem, aut inuasionem, seu disturbationem facere tentauerit, tam nos, quàm nostri hæredes, seu quilibet homo, sciat se in tremendo iusti Iudicis examine rationem esse redditurum, & pro hac causa in Sanctorum Patrum maledictionem incurrendo, & cū Iuda traditore, qui ab Apostolorum agmine segregatus est, damnandum in stagnum ignis, & sulphuris ardentis. Hoc etiam repromittimus vobis Actoni Episcopo, posterisque, & successoribus tuis atque obligamus tam nos, quam hæredes nostros ex omnibus supradictis rebus, quas pro anima nostra & parentum nostrorum in Episcopio S.Thomæ tradidimus, si exinde aliquid retollere, vel minuere, seu foras eijcere præsumpserimus, aut si hanc chartulam concessionis irrumpere, vel falsare tentauerimus, vel si vobis & successoribus tuis à nobis, seu à nostris hæredibus defensata non fuerit, cuius exinde nostrum culpa claruerit, componat vobis, vel successoribus tuis, vel in supradicto Episcopio pœnam auri optimi libras quingentas. Et cartula ista concessionis, & donationis in supradicta ratione amodò & semper firma & stabilis permaneat. Quam verò cartulam à supradicto Borrello, & Borrello, vt superiùs scripsi, ego Cono Iudex & Notarius Indictione supradicta, & die mensis supradicti. *Acta in Teate feliciter.*

Eidem Actoni Episcopo, & in ipso Episcopio S.Thomæ Apostoli, & in ipsa ciuitate Teatina anno 1067. mense Aprilis Acto Comes Transmundi filius pro anima sua, & pro anima genitoris sui donauit *de rebus, quæ sibi in hæreditate contigerunt infra Comitatum Teatinum in vocabulo ipso Castello de Puzzo Corbario idem integram ipsam Ecclesiam Beatæ S.Victoriæ cum cellis & dotibus & libris, & Oratorijs seu ornamentis, &c.* Alia bona donasse notantur in chartophylacio scripto ab eodē Iudice & Notario Conone. Plura alia donationis documenta habeantur

tur Præsulatus Actonis scripta, ad quem ægrotantem Alphanus Salernitanus Archiepiscopus sapphicum scripsit. A

Multa promittis tibi, quæ nocere
Dire debebunt, neque te solutus
Proteget risus, nec honor iuuabit
Præsulis Attho.
Sacra mendacem canonum statuta
Præsulem damnant, vetat, atque vulgus
Legis in contractibus approbando
Dicere quidquam.
De suo lectas grege sponte vacans
Sex mihi mirabile forte munus
Tunc inauditum quod erat Casino
Teste dedisti. B
Namque sex harum velut intimatas
Prima cum Nino Babylonis altos
Condidit muros, Cataclysmus illa
Sensit in Arca.
Omnium linguis auium fecunda
Te loqui planè docuit, beatus
Si tuis sciret modo sic Latina
Reddere verba.
Artium septem studijs & omni
Penè doctrina fuerat perita
Teque Timæum socio Platonis
Tertia scripta.
Quarta quæ felix recreatis aurem C
Semper à cauda tibi sufflat aptam
Nec suis cælum nisi te leuarit
Cornibus ibit.
Semiueslitum genuit cucullo,
Quinta causarum comitem tuorum
Pontium, cum quo sine fine mendax
Totus haberis.
Febribus te sexta tuetur atris.
Floribus lætus speciebus herbis
His tuo fiet stomacho salubris
Potio truei.
Si petes, noli mihi Præsul Attho
Vltra mentiri, cole sic amicum
Vt decet fidum, tibi mox nec vlla
Causa nocebit.

At parum profecit Alphanus amicum exorans ad suam bonam valetudinem medicis potionibus procurandam; quamobrem cum ad clauum Teatinæ Ecclesiæ ann. 15. sedisset, animam efflauit anno sal. 1071. ætatis suæ 38. apud Romanam Curiam, corpus eius Casinum delatum, ibidem honorificè conditum, atque hoc elogio exornatum ab eodem Alphano. D

Præsulis Athonis tumulasti membra Casini,
Marsia cui tribuit iussa priora tuis.
Istius vnde domo manauit origo parentum
Regibus à Gallis linea ducta docet.
Principibus Marsis satus est de stirpe Quiritum,
Mane cum Sedis Thetis honore dedit.
Istius nam Genitrix operum tibi virgo locauit,
Monstret vt Ecclesia iura laborque sua.
Vnus amicorum, qualis cum' vtiliores
Marsia, vel Thetis nouit habere fuit.
Ante ... ies septem quam sol in piscibus esset,
Annos triginta natus & octo fuit.

Actonis Præsulatu apud Boccanicum oppidum propè Teate ad Cælum euolauit B. Aldemarius Capuanus Cassinensis Monachus anno 1070. qui plura Cœnobia in Teatina Diœcesi condidit, cuius corpus religiosè colitur ibidem in Monasterio à se constructo, eius vitam scripsit Petrus Diaconus Cassinensis, quam typis euulgauit Michael Monachus in sanctuario Capuano. Nec silentio inuoluendum videtur, quod huius Actonis Episcopi Teatini temporibus ann. 1062. in Aterni, seu Piscaria Teatinæ Diœcesis oppido insigne miraculum accidit omni sæculo memorandum, nam de cerea imagine Saluatoris Nostri Iesu Christi à Iudæis in eodem oppido commorantibus supra quadam antiqua tabula lignea in Crucifixi similitudinem expressa, acubus, & lancea perforata sanguis emanauit, qui adhuc in ampulla vitrea asseruatur, & religiosè colitur apud Ecclesiam Teatinam se frequenter populo ostenditur exosculandus, cuius rei historiam in calce perantiqui Codicis m.s. eiusdem Ecclesiæ continentis Sancti Gregorij Magni vitam à Gulielmo Diacono Teatino Exberranni filio dono dati, hic verbatim recitare libet.

Incipit tractatus de Passione Domini facta in Ciuitate Aternensi.

In tam magno mysterio, in tam admirabili Sacramento, in tanto miraculo cunctisque generationibus abscondito, in tota serie veteris legis non testificato, à prophetis non præcognito, sub gratia Euangelij à nemine reuelato, ab Ipso Christo, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt, non manifestato: nostris autem temporibus, in quibus fines sæculorum deuenere, mirabiliter complero feruet animus meus, non ad doctos, non ad perfectos quoq; sed ad simplices & ineruditos fida narratione promere quæcunque notitia & sagaci sciscitatione potui super his perquirere. Non enim eo animo, nec ea præsumptione hæc scribo, vt existimem pusillanimitatem ingenij mei parem huic oneri ferendo, sed quia nulla lingua debet silere laudes Cōditoris. Refero hæc non in persuasibilibus humanæ sapientiæ, sed in simplicibus verbis, vt hæc magnalia Dei in multis innotescant, & clarescant futuris generationibus.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo secundo, gubernacula Sedis Romanæ

manu Papa Alexandro ter quaterque beato, inter grauissimos turbines & insidiantium inexplicabiles infestationes moderante. Regni autem Romani insignia victoriosissimo Rege Henrico gestante, gens praua Iudaeorum, & exasperans, in ciuitate Aeternina, quae est iuxta flumen, quod vocatur Piscaria, habitans, nondum ab antiqui furoris debacchatione manus incontinentes refrenans, nondum satiata opprobrijs, derisionibus, illusionibus, contumelijs, terroribus Saluatori nostro ingestis, quasi iam vetustate sui obsoletis incredulitate magistra, mutuis incitant se sermonum stimulis ad cruentandum denuò manus adhuc de prima effusione sanguinis stillantes, multis se exacuunt consilijs, & exhortationibus frequentissimis. Ad ignominiam Christianitatis vniuersae conantur, moliuntur, quaerunt, cogitant, qualiter possint in Christum tendere, & execrationes, & transgressiones patrum, quas fecere Christo ambulanti in carne, saltim imaginariè, reiterare. Tandem firmato sermone nequam, vt mucrone anathematis perceuteretur quisquis eorum facta non imitaretur. In proxima quarta feria ante celebrandam immolationem agni immaculati, iam inclinante die, & nocte infidelitatem eorum nouo marcore opacante, armant se, accingunt se ad illudendum soli iugati. Ne mireris quisquis es, quod protraho sermonē, refugiens indicare id, quod est triste, quod tamen necesse est, licet tardè proferre. Tu quidem fideliter gestis, & iam hic suspenso animo exitum rei videre gliscis: naturale enim est quodammodo, vt rarò satis properetur festinantibus. Mihi autem inter dicendum riget coma, horror vehemens occupat omnia membra: moriuntur in ipso palato quae efferre debeo verba: balbutit lingua: mens moerore graui refugit meminisse piacularia flagitia: gelante sanguine cuncta glaciantur potētia: & cū vix resumptis viribus recolo atrocissimum facinus, dulcius est torrente lacrymarum totum me dissolui, quàm aliquid de tam dira insultatione nostri Reconciliatoris effari. Verumtamen velim nolim, cum multis singultibus illam, cum inenarrabilibus gemitibus, & defluentibus per genas lacrymarum imbribus edam. Ingressi Synagogam decem numero, in tabula lignea iam carie, vermibus exesa imprimunt ceram, quae partē in se, & lineamenta corporis Dominici, & Crucis imaginariam exprimeret formam: manibus, pedibusque acus infigunt, Capiti in modum coronae acus circumponunt, primique armiductores sceleris Iuda, Samuel, Mel, tetenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra; iaculantur tela, vibrant quassatis lacertis spicula, latus vtrunque aperiunt lancea. Qua rabie peracta, nocte vrgēte redeunt scelerati ad scelerata domus suae iubilia laetantes super vesania sua, quasi qui inuenit spolia multa. Mutuò dant fidem nemini se prodituros tanti facinoris atrocitatē.

A In crastinum autem cum sol iubar radiorum vbique spargeret, vt, quod in vero sole mysterij delituit, fulgore suo panderet, more solito ingrediuntur execrationis domum, & mira dispensatione Domini, vident laticem cruoris per effigiem diffusum: vident guttas sacrosancti Sanguinis terratenus stillasse, & minutiatim puluerí adhaesisse. Illicò animo consternati, & rea conscientia torquente terribiliter sunt exterriti. Vae nobis, inquiunt, si Christiani haec rescìscunt, certè nulla spes viuendi, nulla fiducia, securè moriendi. Sicut nouum sacrilegium commisimus, noua supplicia, poenas inauditas, exitium factis nostris dignum, ac exterminium recipiemus. Stant trepidi auribus arrectis, quaeque vicina per-
B lustrant crudelibus & sanguinolentis oculis, si quis assistat proditor sceleris. Sed cum mille ingenijs pertractarent, qualiter haec occultè celent, nil hoc tutius, nil hoc ad abscondendum excogitant efficacius, quàm vt curiosè, diligentissimè rasa tabula, terra etiam, vbi cecidit sanguis, glebatim guttas colligant, & in vase vitreo admodum modico repositas, in secretissima parte abscondant: dicunt, & faciunt. Effigiem etiam informem materiam glomerando diffingunt. Et qualiter nullum vestigium, & nullum indicium, nullum signū supersit, ex quo percipiatur, callidissimè timore magistro argumentantur. O infelicissimi Iudaei, quorum cor lapideum in stylo ferreo conscriptum, & vngue adamantino scul-
C ptum. O insensati, quorum iniquitatem reuelabunt Coeli, aduersus quos terra consurget in die furoris Domini. O miserrimi quid hoc factum tergiuersatione calliditatis vestrae offuscare frustra nitimini? O frontis durissimae . . . , impudentissimum, quondam dato pretio corrupistis eos, qui dicerēt, venerunt discipuli, & corpus eius sunt furati, & cogitastis tali techna obnubilare magnificam gloriam Resurrectionis Domini; tamē omnis opera vestra funditus est cassata. Et hoc figmentū mendacij vestri praecinuit Dauid Psalmista: In multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici tui Domine. Nec etiam similiter in vanum laboratis, cum occultare disponitis mysterium diuinitatis: omnia
D enim haec occulta vestra & abscondita tempore suo luce clariùs patebunt, & mira nouitate sui, animos omnium, qui andierint miro ardore in se incitabunt. Certè in vniuerso mundo quandoque praedicabitur, & per omnes vicos & plateas, & castella, & ciuitates super hac magnificentia, & cāticum nouum, & laus plurima in ore omnium cateruatim Domino decantabitur. Vos ipsi tempore illo multitudine miraculorum illecti, subita flamma incensi, veterem hominem exuti, & stola candida baptismatis, niueoque agni vellere induti, Domino confitebimini, & in diebus illis ea quae nunc tanto studio occultatis, spōte vestra in omnibus gentibus annūciabitis, & implebitur Dauidica vaticinatio:

Lingua canum suorum ex inimicis ab ipso. Et iterum. Inimici defecerunt frameæ in finem. Item deficiant peccatores ex terra, & iniqui ita vt non sint. Et, Esaias: Reliquiæ, inquit, ex Israel saluæ fient. O mira erga nos, & circa Iudæos diuinæ pietatis dignatio. O inæstimabilis caritatis dilectio. O altitudo scientiæ & sapientiæ Domini, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, quam inuestigabiles viæ eius. O quàm admirabilis dispositio Sacramenti à sæculis absconditi. Hinc Dauid; Mirabilis facta est scientia tua ex me Domine, confortata est & non potero ad eã. Item ipse: quàm magnificata sunt opera tua Domine, nimis profundæ sunt cogitationes tuæ: Item, quis Dominus magnus, sicut Dominus noster, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus. Item, multa fecisti tu Domine mirabilia tua, & cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi. Et Salomon Sapientia Domini præuidet omnia, quis intelligauit? Item ipse; Radix sapientiæ eius cui reuelata est? & astutiam illius quis agnouit? Item ipse, quoniam mirabilia sunt opera Domini solius & gloriosa, & absconsa, & opera illius inuisa hominibus, Domine Dominus noster, licet spiritus tuus effugiat disciplinæ effictum, & auferat se à cogitationibus peruersis, & non intret in corpus subditum peccatis; tamen ad glorificandum opera tua oculos nostros interioris hominis illumina. Mirabilia sunt enim, Domine, opera tua, & cum ea scrutatur anima mea, inuenio magnalia hæc nostris temporibus completa, tanto mirabiliora, quanto à præteritis sæculis non sunt audita. Humani generis causa cum esses inuisibilis, & interminus, non ex virili semine, sed ex mystico spiramine, & virtute Spiritus sancti obumbrante te, pudorem humani exordii non recusasti, aluo virginali conceptus, naturam carnis nostræ per huius admixtionis societatem sanctificandam in te accepisti; partum, vagitum, pœnas, onusque naturæ nostræ, contumelias, sine neuo peccati transcurristi, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia humani lege partus progrediẽs humilitate tua, nobilitatem, contumelia tua honorem conferens nobis, nato tibi famulati sunt Cœli melliflui facti; stella mox noua luce, nouo ductu, nouo satellitio ancillabitur tibi: Deitas tua nequaquam quiuit latere, signorũ prodente varietate: Nouo genere potentiæ, mutauit originem vnda, aqua vinum iussa fundere: Cæcis lumen restituisti, lepram luridam tactu placido fugasti. filium vnicum matris viduæ cum iam efferretur, tanto loculo suscitasti: putrem Lazarũ ad superos prodire fecisti: filium cuiusdam de turba spumantem, dentibus stridentem, & arescentem, elisum in terra, frequenter missum in ignem & aquam, comminando spiritui immundo liberasti: fluxum sanguinis constrinxisti: de quinque panibus, quinque millia hominum saturasti: stagnum fluctuãs sicco vestigio peragrasti, petram percussisti, & torrentes aquarum emanare fecisti, in passione tua, cum de torrente in via bibisti, sanguinem & aquam de latere tuo produxisti, vitæ portitor gustãs mortem morsu momordisti, male potens imperium Diaboli, portas æneas, & vectes ferreos confringendo deuicisti, carnem tuam sine corruptione suscitasti, clausis ianuis ad discipulos intrasti, fœnum carnis nostræ altis sideribus inuexisti, alia perplura, quæ sciẽs prætereo, quis priua deficiet vox quam numerentur, mira fecisti: Granum scrobi terræ iniectum facis surgere, aliud in sexagesimum, aliud centesimum: terram hibernali glacie concretam tempore certo vernare facis, venustate fructuum suorum singulis quibusque in fœtu suo decorè pullulantibus, & vberibus plenius pubescentibus, secundum genus suũ. Per manus etiam Sacerdotum, siue bonorum siue peccati compede detentorum, panem in carnem tuam, & vinum in sanguinem inuisibiliter cotidie transferens. Et hæc omnia quæ retuli quasi vilescere facit ipsa diuturna assiduitas & obliuisci facit quodãmodo mysterij nostris temporibus completi, inexplicabilis omni linguæ & omni æuo inaudita, nouaque nouitas. A sæculo enim non est auditum, ex cerea imagine vndam sanguinis emanasse. Nunc verò factum & audiuimus, & vidimus, & inibi crebrescẽtibus miraculis omnem scrupulum ambiguitatis abscidimus, & fide firmissima tenemus, quia Dominus prospexit de excelso sancto suo, de cœlo in terram iterum aspexit, vt audiat gemitus compeditorum & soluat circumplexos funibus peccatorum; videns enim Deus, & Dominus noster, quoniam omnes declinauimus, & simul inutiles facti sumus, & non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum, & quod aduersarius noster non solum circuit quærens, quem deuoret, sed validissimè & tenacissimè dentem in ipsis membris Ecclesiæ in tantum infixerit, vt improuidentia Pastorum totum olile auida . . . .

sit omne caput languidum, & omne cor mœrens, & pestis vsque ad verticem . . . .

& quia computrui . . . .

steriore operum . . . .

fessionem euomui . . . .

antidoro mederi . . . .

in baratro prostitutus absorpto, vt qui in facie monentem audire noluimus, vel post tergum clamantem, tantoque mysterio in se ipso iterum atque iterum passo reconciliare volentem audiamus. Ergo verissimè credamus, quod sicut in illa sacrosancti Sanguinis vnda gratis abluti sumus, de filijs mortis, filij vitæ, filij libertatis, filij adoptiui facti sumus. Similiter vi sublata, &c. Sed ad historiam redeamus; Igitur placuit Deo, elapso iam fere triennio id palam fieri ad ipsius nominis gloriam & Iudæorum tanti facinoris patratorũ confusionem. Accidit enim vt Samuel primarius sceleris auctor conuicinum suũ Abra-

ham

siam nōm ine atrociter nescio qua de causa commotus ignominiosis eum verbis lacesse ret, & contra pari modo lacessit non dictis modo, sed factis, & dum adhue vulnus doloris inflicti, recens & impressum in mente Abraham esset, quæreretque occasionem qualiter victus vicem renderet talionis, accidit vt alter Abraham Iudæus, qui paucos ante dies aliunde illac permeans, transiret prope inimicum suum, cui non iniurias & ignominiam solum à Samuele sibi illatam, sed prorsus de cerea Saluatoris crucifixi imagine & de sanguine ab ea emanato totum factum narrauit ordine. Quod Abraham aduena diligenter in corde notauit. Qui postmodum inde discedens, lanceamque qua Dominica latera sunt aperta nescio quo casu acquisitam in manu gestauit, quam transmisit, dū fuit in itinere cū quadam muliere in stupri flagitio deprehensus. Eleazarius tandem venit ad oppidum Septi, vbi tunc morabatur Transmundus Comes Teatinus, à cuius prudenti vxore ita dulci persuasione mollitus est, vt relicto iudaismo Christianam religionem sit amplexus, baptizatus itaque vocatus est Nicolaus. Appropinquante autem Paschali festo dirigitur nuncius Comitis ad ciuitatem Aternensem, qui indicat Castaldo quatenus requirat solitas impensas ad curias deferendas à populo Iudæo. Nuncius vero nutu Dei longe aliter quam sibi præceptum fuerat mādata detulit, iubetque vt vniuersus populus Iudæorum secunda feria Paschæ, apud Septam intersit Comitis Curiæ. Illi autem nihil veriti, nihil suspicantes mali fronte constantissima veniunt ad curiam Cestoni. Sed dum Comes vt fieri solet in secretioribus partibus palatij cum suis optimatibus quibuscūq; necessarijs deliberandis operam daret, Iudæi in patentiore parte domus cōsident, expectantes; atque dum Comiti consilijs expedito obuiam ad salutandum properent, hic subito inter reliquos clientes quibus curia illa plurimum abundabat, huc, atque illuc cursitantes conspiciunt Abraham Iudæum aduenam illum factum Christianum: debebat autem Samuel Iudæus eidem baptizato nescio quot Bizantios persoluere, pro quibus ijsdem Samuel paucos ante dies iussu Comitis bona parte rerum suarum est multatus, cuius damni vulnere adhuc in pectore ebulliente inuehitur atrociter in eundem baptizatum & ob[illegible] asperrimè. Hic Nicolaus nacta nocendi, & menti suæ morem gerendi causa, quod diu in penu cordis vigili custodia sigillatum occultauerat, libera fronte edidit. Tune, inquit, in Comitis curia audes lattare verba ca[illegible]ina? certe modo te traxerunt ad hanc Curiam extermini sui disposita facta, & vehementer verbis ac zelo plenis, iactauit in eum improperia, & patefecit ordine de cerea imagine Saluatoris quam crucifixerat triennio ante. Quod Samuel contra audacter negabat, Nicolaus vero huius rei testem appellabat Abraham illum Iudæum ibi præsentem à quo dudum audierat hoc detestabile facinus ipsi dum forte transiret apud ostiū suum, sed ille ob metum mortis respondente se nescire quibus ipse temulentus latratet, ad magnos verborum strepitus Comes ipse cum multis alijs accurrit, & quamuis ferè omnes qui audiebant deliramenta esse putarent, Comes tamen sanioris, & prudentioris mentis cæteris, non hæc quasi somnia putauit, & quia de saxea gente Iudæorum nihil potest dici, quod non possit credi, aliquid de his esse haud difficile credidit. Iussit itaq;

B eos cessare à pugna verborum, & parcere verbis conuitiorum. Si vultis, inquit, probare quæ dicitis, vel negatis, dirimat veritatem pugna certaminis, congredientibus vobis in crastino cum testibus datis. Profitentur ambo in crastinum cōgredi duello, [illegible] Abraham, torquente conscientia diffidens nimium causæ suæ, excogitauit viam euadendi certamen huiusmodi, sociosque conuenit vt optimates familiares Comiti adirent & magnam pecuniarum summā pollicerentur, quatenus in hoc discrimen non versarentur, & ne dum proferrent pecuniam euidenti signo prodere viderentur etiam culpam. Fingunt innocentiam, sed cum pollicitantibus huiusmodi nihil proficerent, & Comes tanto fortior ad

C repudiandum eorum munera fieret, quanto est certior de culpa, non potuit Abraham præscriptum discrimē effugere, in quo victus est acclamante populo præ gaudio. Continuo præcipiti cursu volat nuncius ad Ciuitatem Aternēsem, vt inue[illegible]iar & tollar ad opus fisci vniuersā Iudæor[illegible] supellectilē, quæ dum diriperetur, & asport[illegible]ur inter cætera etiam ampulla vitrea, vbi sanguis Domini latuit, tollitur nemine sciente, quod talis esset sanguis. Dū hæc agūtur Comes apud Septam à Iudæis in tormentis habitis rei veritate per diligentem inquisitionem extorsit; qui dum singuli volunt se excusare, & in alios culpam retorquere, omnia vt gesta sunt produnt. Comes audito quod sanguis, qui ema[illegible]uit repertus fuerit (non enim antea sciuit) v[illegible]

D quis habeat inquisiuit, pœnis terribilibus minatur afficere, si non m[illegible] pe[illegible]. Fassus est Samuel Mel eius socium [illegible] in ampulla sanguinem & conseruasse apud se in arca, qui à sæculo migrans generi suo custodiendum & nunquam reuelādam reliquit. Accersitus Mel gener non negauit habere domi quandam ampullam [illegible] parua[illegible], sed quid [illegible]tus esset ignorasse se dixit. M[illegible] [illegible] A[illegible]rnum Comitis filius ad id [illegible]rendum & inuenit iam ip[illegible] ampul[illegible] peruenisse in manus vxoris Ca[illegible], [illegible] detulit protinus summo gaudio ad Comitem patrem, qui ad remo[illegible]rdam omn[illegible] ambiguitatem mandauit de ipso sanguine vt h[illegible] experimentum, iubens superimponi ardentibus

bus pretiosis in thuribulo congestis, quod cum facere tentat vnus Sacerdotum, subita caligine obtutus oculorum horrore percussus exanimis cecidit, & aliquandiu in extasi obstupefactus iacuit. Ex hoc euidentissimo signo has veras guttas veri sanguinis esse claruit. Mox Comiti cupido incessit adipiscendi salutiferam ceram, in qua expressa est imago Saluatoris, propter quod multos Iudæorum in tormentis habuit, vbinam esset fateri nolentes, tandem vnus eorũ nomine Samuel Aternum reuerti permissus specie inquirendi, certas, vanas, & callidas tentat illusiones: cumq; ad paratũ patibulum duceretur, falsus est se eam apud Septam commendasse cuidã fœminæ, ad quam præpropere missus fidus nuncius, qui ita esse inuenit: inuenta sunt etiã Comitis inquisitione lancea & tabula illa, super qua cerea imago fuerat in crucifixi formã delineata, & vtraque in Sancti Saluatoris Ecclesia reposita sunt, quæ erat super flumen Piscariæ in propugnaculo ciuitatis ædificata, & continuo ipsorum Iudæorum synagoga mutata est celebri & solemni ritu in Ecclesiã ligneã licet materia foret parietibus, vt sic mutus passione Christi prius rubens, posset plagam lacrymarũ imbribus mundari, & vbi filius Dei negabatur, & crucifigebatur, Sancta Trinitas vnus Deus prędicaretur, & glorificaretur. Cæterum apud Septam sanguinis illius virtute multa sunt patrata miracula. Quidam à dæmone obsessus liberatus est, nec minora operata sunt in Aternensi Ecclesia vbi dicta tabula & lancea asseruabantur, & cum horum miraculorum fama & rei nouitas vbique percrebresceret ad nouam Hierusalem (sic enim ad huius facti memoriam non immerito noua est nuncupata Ecclesia, quæ prius fuerat synagoga Sathanę vt etiam hodie vocatur) magnus fit concursus populorum cum magna deuotione. His etiam compuncti Iudæi duodecim abiecto Iudaismo Christianam fidem amplexi sunt. Comes vero cum quæreret à cõuocatis Episcopis, & cæteris religiosis viris quid de miraculoso sanguine apud Septam, vt est iam dictum, asportando agendum esset, responderunt omnes esse consulendum Summum Pontificem, qui cum portandum esse statuit ad ipsã ciuitatem Aternensium, vbi placuit Christo, vt latus eius perfigeretur, & sanguis effunderetur. Conuocatis itaque apud Septam vicinis Præsulibus, & Abbatibus, & aliis Religiosis viris, Clericorum & populorum cœtibus in festo Apostolorum Petri & Pauli maxima qua potuit reuerentia & solemnitate, Comes ipse & Comitissa eius vxor preciosi Sanguinis ampullam transferendam curauerunt, & tam ipsi quam ceteri omnes nudis pedibus solemnioris processionis pompam annunciauerunt & cum appropinquassent Aternem, ciuitati obuiam habuerunt eiusdem ciuitatis Clerum & populum, & alios, qui in magna frequentia ab altera parte fluminis

A confluxerant, solemnibus vestibus indutos, & sanctorum Reliquias deferentes, & ipsam lãceam. Portatur Sanguis ad Ecclesiam Sancti Saluatoris, & in capite scalæ ipsius Ecclesiæ ab astantibus Episcopis discooperta est pretiosi Sanguinis ampulla, qua deuotè, & præ lętitia flentem populum benedixerunt. Hactenus Historia, cuius auctor creditur ipse Acto Episcopus, qui ad soluendos funes peccatorum illuc aduentasse dicitur. Cæterum ad huius rei memoriam Robertum Guiscardum memorati Transmundi Comitis consanguineum, qui per hæc eadem tempora viuebat, & Ducatum Apuliæ expulso Bailardo Hunfridi fratris filio occupauerat, alterã Ecclesiam nobili musiuo opere totam orna-

B tam sub titulo sanctæ Hierusalem in ciuitate Panormi extruxisse, vt Fazelus tradit Hist. Siculæ decadis 1. lib. 8. facile crediderim.

14. TEVXO Actonis successor consecratus fuit à Gregorio VIII. Pontifice anno 1073. testem habeo epistolam eiusdem Papæ in vol. 3. epistolarum Decretalium lib. 1. pag. 616. In breui Indiculo huius Ecclesiæ Præsulum habemus Teuxonem obijsse circa annũ salutis 1077. Nil aliud certum de eo proditum reperitur. Ad huius autem tempora spectare crediderim quæ leguntur in quodam instrumento donationis in antiqua membranula scripto, vbi habetur, quod quidam Nirus Ardinghi donat Ecclesiæ Teatinæ, cui tunc præfuit (forsan ibi Vicarius absente Epi-

C scopo) Benedictus presbyter, & Sacrista *vnam petiam terræ in Comitatu Pinnensi modiorum* 300. *vocabulo à Cisaricalde*, &c. anno Dom. 1076. Hunc autem esse Benedictum ex ſtimo, qui in officio Sacristæ Ioanni succedens inuentarium fecit ornamentorum, supellectilium, librorum, & aliorum mobilium Ecclesiæ Teatinæ, quæ reperit, hoc vsus proœmio. *Omnibus*, inquit, *in Christi fidelibus Teatina vrbis Clericis, & laicis, Ego Benedictus ea, quæ intra Ecclesiam reperta sunt Ioanne decedente ex hac vita Sacrista, omni remoto dubio cupio notificare, quæ omnes huc accedentes intelligite reperta hac in*

D *Ecclesia sunt hæc*. Et omissa memoria aliarum rerum, dum de cod icibus agit, numerat librum de nominibus clericorum, tres libros Comitum, & simul librum Epistolarum cum tabulis argenteis, qui etiam nunc asseruatur in inferiori sacrario dictæ Ecclesiæ, sed spoliatis tabulis illis argenteis.

15. RAYNVLPHVS, fuit Raimo, vtroque enim modo vocatum inuenio, Gregorio VII. Summo Pontifice Clauum sedente, anno 1078. regebat Teatinam Ecclesiam, cui anno 1087. Transmundus Comes donat Castrum Sculculæ, situm in Comitatu Pinnensi in Valle de Piscaria *Vna cum Mura, & Carbonaria cum introitu & exitu suo pertinentia, consistentia in terris, siluis & vineatinis, quæ simul terrasaciunt quatuor millia modiorũ &c. fines assignantur in membranula, à capite*

pite Laſtiolani, à capite pertinentia Spulſurij, ab vno latere ſuus Porciani, ab altero latere fluuius Piſcariæ. Cuius donationis instrumentum ab ipſomet Comite, & tribus teſtibus ſubſcriptum, actum dicitur Pinnæ die 14. Octob. 10. Indict. an. prædicto per manus Azonis Iudicis & Notarij.

Sequenti anno 1087. idem noſter Epiſcopus Raynulphus cōcordiam inijt, ſiue quoddam cambium egit cum Abbate S. Ioannis in venere ſuper quadam iuriſdictione in Caſtro Scoricoſæ, cuius concordiæ Epiſcopus ipſe ad futuram rei memoriam literas dedit huiuſmodi ſub tenore.

Notum eſſe deſidero omni tam laicorum, quam clericorum turbæ in Chriſto quidem manenti quietē, qualiter ego Raynulphus Teatinæ Sedis Præſul cambium quoddam ad vtilitatem Eccleſiæ Sancti Thomæ, cuius Vicarius, licet indignus dicor, & ſum, nec non & ſucceſſorum meorum, quandoque ſuccedētium cum Ioanne venerabili S. Ioannis in Venere Eccleſiæ Abbate confirmauerim, atque ad finem perduxerim: eſt autē ipſū quidem, vt ad finem tendamus, cambiū quoddam, cui ab ipſius terræ incolis nomen Mucelæ Scorchioſa imponitur Caſtrum, quod ipſe ſupradictus Abbas in vſum, & proprietatem ſupradictæ S. Thomæ Eccleſiæ dedit abſq; omni moleſtatione, & contradictione cū maxima ipſius Caſtri pertinentia, ſcilicet, & ab vno latere, ſicuti tenentia pertinet ad ipſum ſupradictum Caſtrum vſque in terminos Caſtri, quod dicitur Giruli, ex altero latere, ſicut fuit illa Eccleſia, quæ modò eſt deſtructa, & vadit recto tramite ad aliud foſſatum, & ſicut prætenditur illud foſſatum vſque ad Metas telluris S. Mariæ & S. Nicolai intra hæc ſupraſcripta confinia ſcribit, ipſe ſupradictus Abbas mihi ſupradicto Antiſtiti, ſucceſſoribuſq; meis omnia ſicut pertinent ad ipſum ſupradictum Caſtrum, & ſicut continētur intra ſupranominatos terminos, & firma, atque amica pactione ſtabiliuit. Inſuper & idem in ſuo proprio dominio de alia ſua terra, quæ vicina eſt circum ſupradicto Caſtro conceſſit, & firmiter dedit ipſius ſupradicti Caſtelli incolis, paſcua, nec non & ligna, herbam quidem ad vſum gregum ſuorum, ligna verò ad incendendum tali tenore, herbam & ligna eis dedit quatenus ipſi ſupradicti Caſtelli incolæ ſingulis annis pro ipſa herba, & lignis vt ſupradictum eſt, duo opera, vnum in ſeminando, aliud in metendo. Hæc autem tali lege ſancita, vt ſi ipſe, vel aliquis ſucceſſorum eius hanc conſtitutionem, & ſupradictum cābium moleſtauerit, ſiue mutauerit, & ipſe ſupradictus Abbas ſiue ſui ſucceſſores, ſic & idem quiſpiam alter moleſtare præſumpſerit, mihi ſupradicto Raynulpho ſucceſſoribuſque meis in defenſione pro poſſe ſuo adiutor, firmuſque defenſor non extiterit, libram auri ſupradictæ Eccleſiæ S. Thomæ perſoluat, & tamen cambium firmum permaneat. Amodo, fratres cariſſimi, quibus noſſe datū eſt & intelligere, qualiter ego ſupradictus Raynulphus S. Ioannis Eccleſiam contradiauerim cambio animaduertitis. Ego quidem decimas ſeptem Caſtrorum, ſcilicet Baleniani, Paræ, Boderocci, & Valle & Sancto Vito, & lo Vaſto, Meruli, & lo Vaſto Octauiani, & medietatē Palleti ſupradicto Abbati & proprietatē S. Ioannis Eccleſiæ tradidi, ita quod eodem iure quo cætera, quæ in Epiſcopatu meo tenet, Caſtella teneat; Hęc autem omnia tali ſunt lege legata, vt ſuprà dictum eſt, Ab Incarnatione Dom. noſtri Ieſu Chriſti anno 1087. 3. Kal. Febr. per Ind. 10. *Actum in Teate feliciter, huius teſtes ſunt Præpoſitus Manfredus, Petrus Decanus cum Hungrello, Barbo Stangardula.* Hoc documentum ratum habuit, & aſſeruit Matthæus, huius Monaſterij Abbas anno 1322. temporibus Raynuldi Teatini Epiſcopi. Per multa antea ſæcula conditum hocce cœnobium fuerat à S. Benedicto Monachorum occidentalium Patriarcha in hac Diœceſi in loco iuxta portum Veneris, vbi fluuius Sacer mare ingreditur Adriaticū, quem dono acceperat à Iuſtiniano Imp. ann. 12. imperij die 15. Septemb. intuitu tamen S. Placidi eius nepotis. Huius meminit Zacharias Papa in priuilegio Montis Caſini ex appendice Leonis Oſtienſis, & Chronic. eiuſdem lib. 2. cap. 88. lib. 3. c. 9. Celabris fuit Abbatia hæc inſignis Principum, Pontificum ornata priuilegiis, quæ tandem cum in commendam incidiſſet, à Clemente VIII. Eccleſiæ S. Mariæ de Vallicella ad puteum album, vt vocant, de Vrbe, & presbyteris eiuſdē Oratorij S. Philippi Nerij pijſſimis filijs perpetuo vnita fuit. Inter cætera eiuſdem Abbatiæ priuilegia, quæ extant in eorū tabulario aliqua exſcribere mihi licuit, quæ exhibeo, vnum Henrici III. conceſſum an. 1047. alterum Henrici VI. aſſertum anno 1195. à Federico II. filio confirmatum anno 1227. ſic enim ſe habent.

In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis HENRICVS diuina fauente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Cum S. Eccleſiæ honeſtati, & vtilitati prudēter prouidere ſtuduerimus, inter eius membra numerari, & agnitioni filiorum Dei confidimus adſcribi. Quapropter omnium Chriſti, noſtrique fidelium, tam futurorum, quam præſentium ſolers induſtria nouerit, qualiter IOANNES venerabilis Abbas Monaſterij S. Ioannis Baptiſtæ poſiti in Territorio Teatinenſi iuxta Mare in loco *Venere* vocitato, & cōſtructo à Trāſmundo Comite filio Marchionis Tranſmundi eo ordine vt ſub Imperiali poteſtate ſemper maneret. Noſtram adijt excellentiam, petens quatenus tam dictū Monaſterium ſub noſtram tuitionem reciperemus, & per noſtrum præceptum cum omnibus ſuis pertinentijs confirmaremus, cuius

cuius dignis precibus annuentes Monasteriū prænominatum sub nostram defensionem recepimus, & quicquid ad idem Monasteriū nunc pertinet, vel in futuro alias pertinuerit cōfirmare decreuimus, hoc est, res, & proprietates, quas simul in vno tenenti XII. millia modiorum videntur conuenienti, & vsuali sanctuariæ esse capaces in circuitu ipsius Ecclesiæ, cui est ab vno latere Riuus Olibelli, ab alio flumen Sangri, à tertio latere Actonis Comitis & Episcopi S.Thomæ, à quarto mare cum piscatoribus suis, & medietatem portus, qui est in Rocca Sangri, medietatemq; portus, qui est in fauce de portu Arnalili, & cum omnibus molendinis pertinentibus ad ipsum Monasterium. Nec non Castellum Murato cum suis pertinentijs, ac Ecclesiā S. Dominici, & Ecclesiam S.Ioannis, & Castellum de Latrano cum eorum pertinentijs, & Ecclesias S.Eusanij, Sanctique Benedicti, S.Helenæ, S.Laurentij cum suis pertinentijs Ecclesias S.Mariæ in Caldaria, S.Pauli, S.Michaelis in Aorendiæ, & quartam partem portus de Ortona. Ecclesias S.Apollinaris, & S. Anselmi, S.Ioannis cum Castello de riuo maiori cum molendinis in flumine sub Sorulle, positis & Ecclesiam S. Laurentij, & sextā partem de Ecclesia S.Saluatoris in Comitatu Termolensi, Ecclesias S.Ianuarij, & S.Laurentij iuxta Piscariam cum quarta parte trāsitorij ipsius aquę, & Ecclesiam S.Ioānis quę est in Plano de Piscaria, & S.Romani cum suis pertinentijs Ecclesiarum Pauli, S.Ioannis iuxta Piscariam, & S.Michaelis, S. Ioannis & S Crucis, Ecclesiam S.Ioannis in Comitatu Pennensi, & Ecclesias S.Ioannis, Sanctiq; Donati. In Comitatu Ampulcrensi cum omnibus suis pertinentijs. In Principatu Beneuenrano, Ecclesias S.Ioannis, & S. Mariæ cum eorum pertinentijs, omnibusque rebus mobilibus, & immobilibus, & Ecclesiam S.Benedicti cum Castello, quod paruum dicitur cum molendinis & fluminibus & terris, vineis, villis, castellis suis, pascuis, campis, siluis, aquis, molendinis, piscationibus, seruis, & ancillis, ædificijs, & omnibus vtentibus, Castellum Rocchæ, dictam Ecclesiam S.Zachariæ, & Castellum de Girull, Castellum Rigorusti, Castellum de Riuo Petri, Castellū Moro, Castellum de . . . . Castellum de . . . . . . octingentos modios de terra, Castellum de Senella, Castellum de Linati quantum ad ipsum Monasterium pertinet, Castellum Castillioni, Castellū Aymoni, Ecclesiam S.Petri, Castella duo in plumbum, Satelliano extra Castellum de Srillo, Vetum S.Angelo, & S.Ioanne combuste: Castellum de Casale, & Salliano, Castellum de Tegole, Castellum de S.Angelo, & Roiano cum omnibus ad idem Monasterium iure pertinentibus, ea videlicet ratione, vt prædictus Abbas, suique successores liberè teneāt, & quando Abbas natura cōcesserit, ipsi monachi licentiam Abbatem eligendi habeant quem voluerint, & vt nullus Episcopus, Dux, Comes, Marchio, aut aliqua Regni nostri magna, paruaque persona prædictum Abbatem, aut Monasterium in aliquibus destruere præsumat, vel aliquam iniuriam inferre. Si quis hoc infregerit, mille libras auri componant. Quod vt verius credatur cartam inde scriptam manu propria corroborantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum Domini Henrici Tertij Romanorum iustissimi Imperatoris Augusti.




Henricus Cancellarius vice Hermundi Archicancellarij recognoui. Datum Kalendis Martij Anno Dominicæ Incarnationis 1047. Indict. 15. Anno autem Domini Henrici Tertij, ordinationis eius 18. regnantis quidem octauo: Secundi Imperantis primo. Actum in fluuio Senelli. In Dei nomine feliciter. Amen.

In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis. Henricus Sextus diuina fauente clementia Rom. Imp. semper August. & Rex Sic. &c. Inter cætera quæ in actus pios expēdimus, quibus magis Deum propitium nobis reddimus, & speciali victima deuotiùs placamus, hoc solum arbitramur esse potissimū, hoc nostris potius vtilitatibus applicamus, cum Ecclesijs & locis venerabilibus consideratione pia conferimus. Inde est quod nos intuitu Regis Regum Creatoris omnium, cui totius nostræ felicitatis incrementum debemus, ob remissionem etiam animarum nostrorum parentum, ac longæua nostri conseruatione Imperij, nec non & exuberanti nostræ munificentiæ gratia præsenti nostro priuilegio confirmamus Monasterio S. Ioannis in Venere, Abbati Oderisio fideli nostro, & successoribus suis omnia Castella & obedientias, quas tempore prædecessorum Regum Siciliæ, Regis scilicet Rogerij, Gulielmi Primi, & Secundi ipsa Ecclesia tenuit, & possedit, scilicet in Terra Tearina in demanio Roccam S.Ioannis, Fossamcæcam, Ciuitatem Sangri, Castellum Tressæ, Casale Diuæ Iustæ, Casale Perani Casale Lentisci, Casale S.Eusanij, Casale Piruli, Casale Caldariæ, Castellum S.Viti, Roccam de Sclauis, Castellum Antusæ, Castellum Balegnani, Casale S.Apollinaris, Castellum Murarum, Obedientiam S.Martini de Thermulis cum cellis suis, Obedientiam S.Petri de Gnastnimonis, Obedientiam Sancti Petri de Reste, Obedientiam S.Mariæ cū cellis suis, Obedientiam S.Petri in Maurano, Obe-

Obedientiam S. Eusânij, Obedientiam S.Mariæ in Caldaria: In Ortona quintam partem portus Ortonæ, Ecclesiam S.Petri, Ecclesiam S.Pauli, Ecclesiam S. Marci cum cellis suis, Obedientiam S.Mariæ in Trinio: In Lanzano Ecclesiam S.Longini, Obediētiam S.Crucis de Alento, Ecclesiam S. Pantaleonis. In seruitio autem Castrum Octauiani, Casale S.Thomæ, Ecclesiam S.Thomæ, Ecclesiam S.Agnetis, Casale S.Apollinaris, Casale S.Angeli de Gruttis, Ecclesiam S.Romani, Casale Guastimeruli, Ecclesiam S. Ioannis de Malo transuerso, Castellum Faræ Brodoroccæ, Ecclesiam S.Pauli de Triniliano, Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Rosa, Ecclesiam S. Nicolai de Setto, Ecclesiam S.Mariæ in Palleto, Ecclesiam S.Mariæ in Guastozymonis: In Terra vero Pennensi in demanio Ciuitatem Siluæ, Castellum Murialti, Mestinianum, Casale Royanū, Fara Boccaceti, Obedientiā S.Mariæ in Penzano cum Casali suo, Obedientiā S.Mariæ in Valle, Obedientiam S.Mariæ de Frisano cum cellis suis. In seruitio autem Castellum Ilicis, Castellum Belforti, duas partes de Podio Camardensium, Castellum Tezani, Castellum vetulum, & aliud Castellū S. Ioannis filij Tribuni, Casalerenum, Seorranum, Montem Gualterij, Castellum Montis Sicci, Castellum Bozzi, Podium de Rosa, Castellum Arsitæ, Ecclesiam S.Ioannis de Riuosonnoli, Ecclesiam S. Michaelis in fine, Ecclesiam S.Siluestri de Ilice: In Aprutio in demanio Montem paganum, Cimum furcum, Casale S.Martini in Bomano, Podium Morelli, Ecclesiam S. Ioannis in Bomano, Ecclesiam S.Stephani de Podio Morelli, Ecclesiam Sancti Donati de Sauinello cum cellis suis, saluo mandato ordinationis nostræ & hæredum nostrorum. Quæ liberalitatis nostræ confirmatio, vt in perpetuum eidem Monasterio Abbati, & successoribus suis firma, stabilisq; permaneat, & nulli in aliquo liceat contraire, præsens inde priuilegium conscribi & Maiestatis nostræ sigillo iussimus communiri. Statuentes, & Imperiali præcipientes edicto, vt nulla persona humilis, vel alta, ecclesiastica, vel sæcularis hanc nostram confirmationem infringere audeat, vel aliquibus calumnijs perturbare præsumat; quod qui fecerit, præter indignationem nostram, quam grauiter incurret, centum libras auri purissimi componat, medietatem Cameræ nostræ, reliquam partis iniuriam persoluendam. Huius autem rei testes sunt Henricus Vormatiensis Episcopus, Golfegetus Patauiensis Episcopus, Henricus de Calandinis, Robertus de Veno, Corradus Dux Spoleti, & R. sie. Vicarius, Vgo de Maula, & alij quamplures. Ego Corradus Imperiali authoritate Cancellarius vnà cum Gualterio Troiano Episcopo Regni Siciliæ & Apuliæ Cancellario recognouimus.

A

Signum Do-
VI. diuina
tia Rom. Imp.
& Regis Sici



mini Henrici
fauente clemē.
semper Aug.
liæ.

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nonagesimo quinto Regnante Domino nostro Henrico VI. Imperatore semper Augusto, & Rege Siciliæ, anno Regni eius vigesimoquinto, Imperij verò eius quinto, & Regni Siciliæ primo. Dat. apud Esculum de Marchia per manus Alberti Protonotarij Imperialis prima die mensis Martij Indict. xiv.

B

Cæterùm de Raynulpho est monumētum in calce antiquissimi m.s. missalis Bibliothecæ Teatinæ Ecclesiæ, quæ S. Iustini nuncupatur, hoc modo.

Notum sit omnibus Clericis, & Laicis; quod ego Raynulphus Teatinæ Sedis Episcopus, licet indignus, emi Castellum, quod Sancti Pauli nuncupatur super Piscariam situm à Goffrido de la Vulturara, concedente, atque fauente Geruasio Domino suo, pro qua concessione ei de meis rebus dedi, eaque conditione Castrum illud cum omnibus suis pertinentijs comparaui, vt ex eo faciam quicquid velim, siue destruere, siue ædificare, seu vendere, vel donare, pro corpore, vel anima, siue mea Ecclesia, siue alia, siue, pro consanguineis, seu extraneis. Postremò, vt in mea foret potestate faciendi ex eo quicquid mea expeteret voluntas, nullum que pro eo, neque Goffrido, neque suis hæredibus facere debeo seruitium, neque vllius hominis donationem, nec ego, nec ille, cui illud dedero; excepto quod per vnumquemq; annum vnius militis per quadraginta dies ei dare debeo seruitium in Marchia, si Comes Robertus in aliquo loco ipsius Marchiæ expeditionem fecerit, sin autem ex hac parte Beneuenti pane, & vino, & carne ipsius Goffredi, & meo bordeo, si me sommonuerit, si autem me non summonuerit, in sua sit prouidentia. Quod si miles dextrarium, aut loricam in obsequio illo perdiderit, mihi Goffridus, vel suus hæres reddere debet, & tamdiu ei nullum debeo facere seruitium, quoadusque mihi, quod amisi, reddat. Hoc ideo insinuare curaui, vt neque Goffredus, neque sui hæredes, nec à me, nec à meis successoribus aliquid aliud exigere valeant, nisi obsequium quod suprascriptum est. Ego verò meorum conscius delictorum Castellum illud cū omnibus suis pertinentijs Ecclesiæ S.Thomæ, quæ in Ciuitate Teatina sita est, pro meis delendis facinoribus tribui. Huic compara-

C

D

tioni interfuere Draconariensis, Florentinen. & Vulturariensis Episcopi, & Vuillelmus de Nonanta senex, & Iuuenis, & Landulphus de Laguardalia pater & filius, qui mihi mediatores fuere. Et Onfredus filius Radulphi, & Petrus Malismanibus, & Vuillelmus Balistarius, alijque quamplures, &c.

In eodem libro est aliud monumentum de eodemmet Episcopo tenoris subsequentis.

Notum esse desidero omnibus tam Laicis, quàm Clericis, quomodo Drogo, qui alio nomine vocatur Tasso frater quidem Comitis Roberti confessus est peccata sua apud Aternum in Ecclesia Sancti Leguntiani & Domitiani mihi Randulpho Teatinæ Sedis Præsuli, cum tribus alijs Confratribus meis, atque Coepiscopis Vgone scilicet Aprutinensi Episcopo, atque Iozelino Termulensi Episcopo, nec non Ioanne Draconariensis Sedis Præsule, & pro ipsa peccatorum suorum manifestatione secundum canonum instituta veram iniunximus sibi pœnitentiam, quam ipse gratuita accipiens mente, vt ea redimeret, omnes homines qui sui iuris, suæque dominationis erant in ciuitate Teatina tradidit ipse cum domibus, vineis, alijsque terris, atque cum omni possessione sua Ecclesiæ Sancti Thomæ, mihique eius Vicario, quamuis indigno, necnon & successoribus meis in vsum & proprietatem. Pro hoc dono constitui ego supradictus Randulphus cum cæteris Clericis meis, alijsque sapientibus, quorum consilio vsus sum, quatenus in Crypta S.Iustini de his locis permaneat omni tempore, omnique die celebretur missa pro fidelibus defunctis, & pro anima ipsius supradicti Drogonis: ad ipsum verò Altare supra Cryptam positum, quod est sacratum in honorem Sanctæ Mariæ Genitricis Dei, & S.Thomæ Apostoli Domini ad omnes Missarũ celebrationes specialiter præ cæteris memoria habeatur. Hoc autem eadem constitutione, vt de Drogone (qui & Tasso) suprascripsimus de Roberto suo fratre concessimus pro Ecclesijs Teatinæ Sedi, mihi, successoribusque meis ex parte illius in Aterno datis Ecclesia scilicet Sancti Saluatoris cum suis pertinentijs, & S.Hierusalem cum suis pertinentijs, Castelloque Furcæ cum suis pertinentijs, vnde cum toto Clero cum Teatina permanet Ecclesia supra & subter vt supra prænotatũ est, celebrari Missam decreuimus. Hac itaque constitutione vti Comite Roberto, & Tassoni suo patri concessimus, concessimus etiam Vuillelmo filio Tassonis, sicut superius scriptum est, pro Lastiniano, quod ipse Ecclesiæ nostræ donauit, eodemque tenore, vt nullus ex eo aliud seruitium requirat præter id, quod ipse sua bona voluntate facere voluerit, &c.

Paulò antea, hoc est 1095. quam ista agerentur à Raynulpho Episcopo, Robertus Comes Comitum, vt ipsemet specioso titulo cõdecoratur, donauit Raynulpho ac Ecclesiæ Teatinæ, Ecclesias S.Hierusalem, & S.Saluatoris, aliasque quas idem commemoranit Episcopus in supra relato documento in hæc verba, ab exemplari membranaceo. Anno 1095. *Robertus Comes Comitum pro salute animæ suæ & remedio peccatorum parentum, & propinquorum, concedit Raynulpho Episcopo Teatino, & successoribus Episcopis Ecclesias S.Hierusalem & Sancti Saluatoris in Pista, quas ipse Comes tenet in proprietatem cum omnibus possessionibus earum & Castello Furci cum omnibus suis pertinentijs restituendo Ecclesiæ Teatinæ plebem Sanctorum Leguntiani, & Domitiani ad pedem cum Aterni, & ad portam quæ respicit contra mare Ecclesiam S.Thomæ Apostoli, exterius verò Ecclesiam S.Nicolai, terras, vineas, domos, homines, intus & foris & decimas & pontus & portus, & oblationes viuorum, & mortuorum. Vltra Piscaria verò Castellum Sculcula Castellum Lastimonium, & Castellum S.Cacidij cum omnibus eorum pertinentijs. In Buclanico Ecclesias S.Saluatoris & S.Angeli cũ decimis Castellũ & plebem S.Siluestri, & decimas S.Angeli in Tribenio, & decimas Castellorum omnium, quæ in Teatino Episcopatu sub nomine nostro sunt demanio, & quæ Ecclesia Teatina in septo tenet, & Ecclesiam S.Nicolai de monte Oderisij, & Ecclesiam S.Saluatoris, quæ est infra Castellum, & Ecclesiam S.Petri, quæ est foris ad partem Castelli cum earum pertinentijs, &c.*

Eodem Raynulpho Præsule Vrbanus II. Ecclesiam Teatinam inuisit, omniaque priuilegia eiusdem, omnia bona & iura, & feuda, & ipsam ciuitatem Teatinam, & Ecclesias, quas habet, diploma ita temporum iniuria exesum est & lacerum, vt legi non possit, nisi hæc pauca verba. *Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei. Dil. in Christo filijs Clericis & Laicis Principibus & militibus per Teatinum Comitatum salutem, ac Apost. bened. Cum disponente Domino ad Teatinam accessissemus Ecclesiam, venerabilis Confrater noster Raynulphus ipsius Ecclesiæ Episcopus scriptis proprijs . . . in fine Datum 13. Kal. Maij . . . per manus Ioannis S.R.E. Diac. Card. . . .* Hoc priuilegium instãte Raymundo Episcopo Carolus II. exemplari fecit, vt in schedula notatum priuilegiũ vidi, sed ipsum non legi exemplatum. Vltima Raynulphi mentio habetur anno 1102. quo tempore Episcopus Valuensis Ioannes illum conuenerat ad Sanctum Pelinum in dedicatione Ecclesiæ S. Alexandri. Postremò annus Raynulphi obitus remanet certus ex nostris cartis; excessit enim anno 1105. vir certè omni æuo memorandus, & actorum gloria illustris.

16. ROGERIVS Bursellec solo nomine, & cognomine, & proxima Raynulpho successione cognitus est, vixit Paschalis II. tempore, noster indiculus refert anno 1107. in manibus eiusdem Rogerij Episcopum quendam

Rogerum & Robertum eius filium de Bursellec, donasse Ecclesiæ Teatinæ S. Thomæ Castrum S.Cesidij, quo etiam anno obijsse hunc Episcopum octauo Kal.Maij habet.

17. GVILLELMVS primus demortui Rogerij sedem occupauit anno 1107. Paschale II. Pontifice, à quo priuilegium obtinuit confirmationis, ac donationis Comitis Roberti de Loretello, & Tassionis eius fratris factæ Episcopo Raynulpho. Priuilegij exemplar exscripsimus ex Archiuio Canonicorum Vaticanæ Basilicæ huiuscemodi verbis conscriptum.

Paschalis Episcopus seruus seruorum Dei. Vniuersis fidelibus per Teatinam Parochiam, siue Comitatum sal. & Apost. bened. Ex Prædecessoris nostri sanctæ me. Vrbani II. Papæ scripto comperimus, quod nobilis memoriæ Comites Robertus, cui de Loretello cognomen fuit, & frater eius Tassio possessiones quasdam, vel Ecclesias Teatino Episcopo contulerint, siue reddiderint, & in ius proprium, siue dominium perenniter possidendas scriptis proprijs confirmauerint, & Roberti quidem donatio hæc continebat. In Aterno Plebem Sanctorum Legontiani, & Domitiani, ad pedem autem ipsius vrbis, & ad Portam, quæ respicit contra mare Ecclesiam S.Thomæ Apostoli, exterius verò Ecclesiam s.Nicolai, terras, vineas, domos, homines intus & foris, decimas, & oblationes viuorum & mortuorum, & vltra Piscariam terras in pertinentia Sculculæ, Castellum Genestrale, Castellum S.Cæsidij cum pertinentijs suis, & vnam Ecclesiam in Buclanico dedicatam in honorem S.Saluatoris, & S.Angeli, cum decimis Comitis, & Decimas Castellorum in Teatino Episcopatu, quæ sub ipsius Roberti dominio erant, & quod Teatina Ecclesia in Castro Septi tenebat. Tassionis autem restitutio & confirmatio hæc annotabat, scilicet, Teatinam vrbem, Treuellianum, Villam magnam, montem Filardum, Ecclesiam S.Mariæ in Bari, S.Blasij in Lanciano, S.Leucij in Atissa, S.Mariæ, S.Georgij in Ortona, Montem acutum cum Ecclesia S.Nicolai. Præter hæc in eodem Prædecessoris nostri scripto, Rainulphus bon. mem. Teatinus Episcopus industria sua & pecunia ecclesiastica in Ecclesiæ dominium hæc recepisse narratur. In monte Oderisij Ecclesiam S.Saluatoris, S.Nicolai, S. Petri, cum beneficijs illarum, Monasterium S.Mauri cum beneficio suo, in ciuitate Luparelli Plebem S.Petri cum pertinentijs suis, Monasterium S.Mariæ de Letto cum Casali, alijsque ad Ipsum pertinen. In Abatico Plebem S.Martini cum pertinentijs suis. In Caramanico plebem S Mariæ cum possessione sua, in Turre Plebem S.Ioannis; fratris etiam nostri Guillelmi Episcopi, qui ad præsens Ecclesiam Teatinam possidet, relatione cognouimus, quod idem Rainulphus Episcopus post id tempus à prædicto Roberto Comite in Aterno Ecclesiam S.Saluatoris, & Sancti Ierusalem ad Episcopi dominium acquisiuit. Vltra Piscariam verò ad montem Siluanum Sanctam Mariam in Riuolo, & Castellum Lattiniani. In Teatino autem Comitatu Castellum S.Pauli, & Castellum, quod Furca dicitur, in Buclanico Plebem S.Siluestri, in Giffi Plebem S.Mariæ cum pertinentijs suis. Idem etiam Rainulphus Episcopus ab Vgone Abbate S.Ioannis de Ardano commutatione facta Mucelam recepit, quæ iuxta Ortonam est; Robertus verò prædicti Roberti Comitis filius eidem Episcopo Castellum Sculculæ reddidit. Porrò successor eius supranominatus Episcopus Guillelmus Tassionis filius Castellum Montis polum, Iulianum, & Ornum cum omnibus suis pertinentijs se acquisiuisse significauit. Nos itaque supradicti Confratris nostri Guillelmi Episcopi precibus exorati prædictam prædictorum Comitum & Guillelmi Tassionis donationem salua Sedis Apostolicę confirmamus authoritate, sub diuini obtestatione Iudicij statuentes, vt nulli omninò viuentiū liceat, vel quæ à prædictis personis concessa sunt, vel quicquid hodie Teatina Ecclesia iustè possidet, vel in futurum auxiliante Domino iustè poterit adipisci, auferre, vel ablata retinere, minuere, vel temerarijs vexationibus fatigare; sed præsenti Episcopo, eiusque successoribus firma semper & illibata permaneant. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, sæcularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentauerit, secundo, tertioue commonita nisi satisfactione congruâ emendauerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reáque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei & Domini Nostri Redemptoris Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem Teatinæ Ecclesiæ iura seruantibus sit pax Domini Nostri Iesu Christi, quatenus & fructum hic bonę actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. *Dat. Beneuenti per manum Ioannis Diaconi 15. Kal. Augusti Ind. 8. Incarnationis Dominicæ Anno* 1115.

Roberti Comitis de Loretello meminit Platina in vita Calixti Papæ II. Guillelmus verò mortem obijt anno 1117. 8. Idus Iunij.

18. ANDREAS immediatè suffectus est Guillelmo, de quo nihil aliud habemus, quod in medio proferamus, nisi quod anno 1118. Iura Episcopalia concessit Præposito Atissano, tametsi neque id quidem authenticis admodum documentis comprobetur, non diu Pontifex fuit, eodemque anno defunctus.

19. GERARDVM Episcopum Teatinum creatum fuisse & consecratum anno salut. 1118. 3. Non. Iunij habemus in m.s. Cod.

Teatinæ Ecclesiæ, in quo [illegible]tur Acta Apost. & Apocal. in fine, *Ann. Dom.* 1118. *fuit consecratio Domini Gerardi Episcopi.* Addit Indiculus 3. *non. Iun.* Eodem anno 1120. Cono, atque Robertus Gisonis filij donarunt Castrum Orni cum omnibus suis pertinentijs: Donatio scripta fuit per manus Gildonis Diaconi, & Notarij Ecclesiæ Teatinæ sub his præcisè verbis.

In Dei nomine, atque Indiuidua Trinitatis. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vigesimo, Indict. 13. 4. Non. Iulij, Ideoque nos Cono, atque Robertus filij Gisonis de Comitatu Teatino cogitauimus diem mortis, & æterni Iudicij, & speramus Dei Omnipotentis habere misericordiam pro mercede & redemptione animarum nostrarum; & ideo quia Dominus Luitprandus Rex in suo Capitulo sic dixit; Vt si quis res suas in loca sanctorum, vel Xenodochia donauerit, stabile debeat permanere, & quia Dominus Carolus Imperator in suo capitulo sic constituit, vt si quis Longobardus statum humanæ fragilitatis præcogitans pro salute animæ suæ de suis rebus facere cartulam donationis seu concessionis, absolutè faciat vnusquisque quod voluerit & nouerit. Modo verò in ea videlicet ratione; Nos supradicti germani fratres Cono, & Robertus concedimus pro animabus nostris Tibi Girardo Episcopo ad proprietatem Episcopatus Sancti Thomæ Apostoli, qui situs est in Comitatu Teatino intus in ciuitate Teatina, vbi nunc præsenti tempore supradictus Gerardus regimen tenere videtur in ipso Episcopatu damus pro animabus nostris de rebus proprietatis nostræ quæ nobis in hæreditatem obuenit à supradicto genitore nostro in Comitatu Teatino ipsum Castrum Orni in omnibus suis pertinentijs, quæ ad ipsum Castrum pertinent, habet . . . à capite est ipsa Mangane, & descendit ad Bennam, & sicut decurrit, ascendit vsque ad *Siluam* Sbetti, & deinde pergit ad caput Arosi, & descendit ad cauam intra Ornum, & Ote, & descendit ad caput de Vora . . & descendit ad Bennam Campi, ab vno latere est Cauaula inter Modium, & Ornum, & quomodo ipsa Sinaida decurrit ad Bennam, & à pede quomodo ipsa Benna ascendit ad ipsas Casas Benedicti Ferronis Marsini, quæ ibi videtur decurrere, & ascendit per ipsos limites à capite ipsorum limitum est Sinaida, & vadit in Pizzillum, ab alio latere vadit per ipsos limites ad Mortulam, & per Mortulam pergit per limites ad ripam Manganæ infra istos prænominatos fines cum omnibus, & in omnibus cum Ecclesijs & cellis, & libris, & dotibus & Oratorijs, & ornamentis earundem Ecclesiarum, & cum vineis, & vineaticis, cum terris cultis, & incultis, cum casis, & rebus manualibus, & casis censuatis, & datis illorum, & cum molendinis, & lacis molendinorum, & quomodo nobis pertinet de ripis & riuis, de pratis, atque pascuis, de salettis, atque siluis, de oliuetis, & ficarijs, de omnibus, & in omnibus rebus quantum infra se, vel supra se habeat supradicti fines, & insimul faciunt modiorum mille octingenti & amplius. Si inuentum fuerit infra supradictos fines infra istas prænominatas fines, sicuti superiùs legitur, cum omnibus & in omnibus quantum infra se, vel supra se habent, in integrum per hanc chartulam donationis & concessionis donamus, & concedimus pro animabus nostris in Ipso supradicto Episcopatu, & tibi Gerardo Episcopo, posterisque, & successoribus tuis ad proprietatem de supradicto Episcopatu amodò & deinceps & semper in futuris temporibus possidendum, habendum, & faciendum, sicut de alijs rebus ipsius Ecclesiæ. Si quis autem huius nostræ donationis, seu concessionis, minorationem, aut molestationem facere præsumpserit, aut disturbare quæsierit, tam de nostris hæredibus, quàm de alijs hominibus sciat se in tremendi Iudicij examine rationem redditurum, atque iram summæ & indiuiduæ Trinitatis incurrat, & descendat super eum Sanctorum Patrum maledictio, & habeat partem cum Iuda traditore, qui ab Apostolico agmine segregatus est, & cum impijs sacrilegis sit sequestratus, & pars illius sit in stagnum ignis ardentis. Insuper repromittimus, & obligamus nos supradicti Cono &, Robertus, vel nostri heredes in ipso iam dicto Episcopatu, & tibi supradicto Episcopo, vel posterisq; & successoribus tuis, quibus ex nostris culpa claruerit, pœnam argenti librarum centum componamus, & cartula ista donationis seu concessionis omni tempore firma, & stabilis permaneat, &c.

Hodie Castrum Orni dirutum est, feudum autem ipsius Ecclesia Teatina pacificè possidet: sed an iuxta confines antiquos superius descriptos, nescio.

Eidem Episcopo, Raynaldus filius Mainardi, & Mainardus filius Racteri donant, & concedunt ad proprietatem Episcopatus Sancti Thomæ Apostoli Castrum Iuliani cũ suis pertinentijs cum medietate de Sancto Petro in Campis, & cum medietate de suis pertinentijs cum Ecclesijs, & cellis & libris, & dotibus earum, & Oratorijs & ornamentis earundem Ecclesiarum cum vineis, & vineaticis suis; & pratis, siluis, & molendinis, & alijs; quæ omnia insimul faciunt summam modiorum 4000. Hæc habentur in quodam antiquo instrumento scripto in membrana cartula. Anno Domini 1124. Fit conuentio inter eundem Episcopum, & ductores supradictos, & paciscitur, vt dictum Castrum Iuliani detur ipsis Raynaldo & Mainardo in emphiteusim, & Castrum Montupuli vendetur ipsis, si erit vendendum, &c.

Gerardus verò Episcopus, quo die, vel loco obierit, obscurum est; censetur tamen excessisse circa annum Domini 1125. Hic tempo-

cte sui Præsulatus ad usum & proprietatem Ecclesiæ Teatinæ nonnullos sacros codices transcribere fecit & donauit, qui hucusque visuntur in Ecclesiæ Teatinæ Sacrario, seu Bibliotheca, inter quos illud est volumen continens Acta Apost. & Apocalyp. Ioannis Euangelistæ, in cuius calce hæc Ipse notauit. *Huius libri opus, in quo continentur secundum Lucam Acta Apostolorum, & Apocalyps. Ioannis Apostoli. Ego Gerardus Teatinæ Ecclesiæ indignus Episcopus pro salute animæ meæ fieri præcepi, vt Deus Omnipotens precibus Beati Thomæ Apostoli, atque Iustini, & aliorum Sãctorum, qui ibi requiescunt, ad quorum honorem liber iste scriptus est, indultor meorum delictorum pius inueniatur. Si quis autem hunc librum ab Ecclesia sua auferre præsumpserit, ex parte Dei, & Sanctæ Mariæ Virginis, & Beati Thomæ Apostoli, illum anathematis vinculo subiacere indicamus. Me itaque, qui hoc fieri præcepi, omnes, qui legerint librum istum in mente habere cum charitate Dei illos valdè rogo & precibus nostrorum Sanctorum, & eorum dignè suscipiar in æterna tabernacula iustorum.* Hunc illum Episcopum Teatinum crediderim, cuius meminit Ioannes Furatus in vita S. Berardi Episcopi Marsorum, vbi mendum irrepsit ex amanuensium incuria, vt pro Gerardo, Berardum scriptum sit. Aptè conuenit Gerardo, quod mendosò Berardo tribuitur. Hæc tantum libasse sufficiat, ne series Teatinorum Præsulum nouo, fictoque Episcopo Berardo excrescere videretur.

20. ACTO II. anno Dom. 1125. Episcopatus gubernacula suscepit. Hic de consensu Capituli sui ob amorem, ac donationẽ, quam fecit Acto Comes Carimulæ & Dominus montis Oderisij Ecclesiæ Teatinæ, concessit Ecclesiæ Sancti Nicolai de mõte Oderisio, & Berardo eiusdem Ecclesiæ Præposito, successoribusque eius Episcopalia iura, decimarum mortuorum oblationum synodalium, procurationum prædicti Offridi, aliorumque locorum, qui in chartula nominantur, ius item puniendi Clericorum excessus, excommunicandi, deditque etiam quartam testamẽtorum, hoc tamen adiecto, quod Præpositus teneatur recipere ab Teatino Episcopo sacrum Chrisma, & alijs inferioribus distribuere. Annus obitus Actonis præcisè ignoratur, creditur tamen circa annum Christi 1130. obijsse.

21. RVSTICVS Teatinæ Ecclesiæ præfuit anno 1130. quo Præsule Guillelmus Comes de Loretello confirmauit Teatinæ Ecclesiæ, quæ Robertus auus suus, & Robertus filius illius, pater ipsius anno 1137. ex veteri membranacea chartula in hæc verba. *Guillelmus Loretelli Comes Comitum pro salute animæ suæ & parentum suorum rogatus à Rustico Episcopo Teatino, vt donet quæ Comes Robertus de Loretello auus suus, & Robertus filius prædicti Comitis, pater ipsius Guillelmi dederunt Ecclesiæ Teatinæ confirmaret; propterea confirmat in Aterno, & Piscaria Plebem Sanctorum Leguntiani, & Domitiani ad pedem autem ipsius vrbis, quæ respicit cõtra mare Ecclesiam S. Thomæ Apostoli, exterius verò S. Nicolai, & terras, & vineas, domos, homines intus & foris & decimas, pontus, & portus, ac oblationes viuorum & mortuorum, Castellum Furcæ, Castellum Genestula, & vltra Piscariam Castelli Scalcula & Castellum Lastignani, & Castellum S. Cosidij cum illorum pertinẽtijs & Ecclesiarum in Buclanico dedicatam in honorẽ S. Saluatoris & S. Angeli, & plebem S. Siluestri cum decimis Comitis, & decimis S. Angeli in trisinio, & decimas Castellorum, quæ in Teatino Episcopatu sunt, & quæ Ecclesia in septo tenet, & Ecclesiam S. Nicolai in monte Oderisij cum Ecclesia Saluatoris, quæ est infra Castellum, & Ecclesia S. Petri, quæ est foris ad pedes Castelli cum pertinentijs suis, &c.* Excessit Rusticus circa annum 1140.

22. ROBERTVS Teatinus electus nominatur in diplomate Rogerij Siciliæ Regis mense Nouembris 1140. quo anno Alexander Prior Eremi Maiellæ, vt scriptum habetur in quadam antiqua membranula Archiuij Teatinæ Ecclesiæ, asserit sibi fuisse concessas ab eodem Episcopo Roberto in vsum D. Heremi S. Saluatoris de Maiella decimas & oblationes tam viuorum, quàm mortuorum, Castrorum Gipsi, Pinnæ & Altini cum hoc tamen pacto, quod quolibet anno ipse Prior, & fratres, eorumque successores darent Ecclesiæ Teatinæ quatuor Romanatos in Paschate. Anno Dom. 1141. Ind. 4. 10. Kalend. Iunij quidam Albertus Abbas (vt ipsemet asserit) Sancti Stephani de Riuo ad mare, volens suam Ecclesiam ampliare, rogauit Robertum tunc Episcopum Teatinum, vt Ecclesia S. Ioannis in Vallo, & S. Trinitatis cum suis rebus, quæ sitæ sunt in pertinentijs montis Sorbi sibi & supradictæ suæ Ecclesię concederet, quod sibi etiam de consensu Capituli concessum fuit sub tali conditione, quod salua esset potestas Regis Rogerij, & filiorum eius, Roberti Episcopi, eiusque successorum Episcopalium iura nunquam amitterentur, & quando ipse Episcopus, vel sui Legati, suique successores ad eandem Ecclesiam adirent, prout donauerit honorificè reciperentur, & præfatus Albertus Abbas cum obligatione successorum censum annuum trium Bizantiorum per vnum quemque annum rerum mobilium dare promisit, &c.

Idem Robertus subscripsit alij priuilegio 1144. à Rogerio Rege concesso Monasterio S. Laurentij de Auersa Ord. Sancti Benedicti. Annus, quo Robertus obijt, obscurus est.

23. ALANDVS, seu Alannus, siue Almandus, ijs nominibus dictus reperitur in vetustis tabulis, florebat Episcopus Teatinus anno 1150. fuit autem filius Ricciardi de monte, qui, vt in veteri Missali m.s. notatur,

tempore Regum Normannorum obijs 2. Id. Maij, vbi etiam scriptum habetur, quod anno Dom. 1135. eodem die carne soluta est eiusdem Ricciardi mater nomine Robba. Hic sanè Alandus ille esse putatur Teatinus Episcopus, qui cum quondam Roberti Comitis de Loretello intimus esset & amicus, atque maioris Regni Siciliæ Admirantis, ille idem qui apud Regem Guillelmum maxima pollebat auctoritate, & propter affectatum regnum & regium sanguinem, ac præcipuos regni Barones pessum dare studebat in Regis potestatem datus cum Ricciardo Mandra (an potius Monte?) eius patre exercitus Comitis Roberti Loretelli Duce, & alijs multis viris egregijs apud Panormum neci crudeliter traditi sunt, vt Fazelus narrat. Cæterùm Alandus ab eodem Roberto de Loretello Roberti Cupersani Comitis filio, & Regis Guillelmi consobrini, ex matre Iuditta, vt idem Fazelus testatur, dono accepit decimas demanij Episcopatus & Parochiæ Teatinæ, vt in membranacea charta, vbi hæc. *In nomine Domini nostri Iesu Christi, & ad honorem Diui Iustini anno 1157. Regni Guillelmi primi anno 4. Robertus Comes de Loretello pro animarum Regis Rogerij, & Ducis Rogerij filij dicti Regis, nec non pro animabus Roberti Comitis Cupersani patris dicti Donatoris & Iuditta sua matris, atque pro redemptione peccatorum eiusdem dat, & concedit Ecclesia S. Thoma Apostoli Teatino Episcopo Alanno decimas totius introitus de toto tenimine sui demanij, quatenus Diœcesis Episcopi protenditur; scilicet de datijs, de plateis, de campis, de vineis, & de animalibus, decimas quoque pontis Piscaria & portus, &c.* Extat sigillum argenteum cum effigie Sanctissimæ Virginis cum Filio, & ab altera parte ROBERTVS COMES LORETELLI. Cætera Acta Alandi ignorantur.

24. ANDREAS huius nominis II. legitimis comitijs declaratus est Episcopus post Alandum, Alexandro III. Pontifice. Habemus præ manibus priuilegium ex authentico Archiuij Vaticanæ Basilicæ Andreæ ac successoribus eius concessum ab eodem Pontifice anno 1173. In quo iura & bona Teatinæ Ecclesiæ confirmantur, priuilegij exemplar sic se habet.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabili Fratri Andreæ Teatino Episcopo, eiusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum. In eminenti Sedis Apostolicæ specula disponente Domino constituti ex iniuncto nobis à Deo Apostolatus officio fratres nostros Episcopos sincera charitate diligere, & Ecclesijs sibi commissis suam debemus institiam conseruare, pro ipsarum quoque statu nos oportet satagere, atque earum quieti, & vtilitati salubriter auxiliante Domino prouidere. Eapropter Venerabilis in Christo frater Episcope tuis iustis postulationibus clementer annuimus, & prædecessorum nostrorum Sanct. mem. Nicolai II. Paschalis II. & Eugenij III. Romanorum Pontificum vestigijs inhærentes, B. Thomæ Teatinam Ecclesiam, cui Deo authore præesse dignosceris, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. Statuentes vt quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum iustè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis præstãte Domino poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc proprijs duximus exprimenda nominibus; Parochiam Teatinæ Ecclesiæ, sicut antiquis, & iustis limitibus terminatur, scilicet à Staffilo inter montea, & ipso monte de Vrsa, & quomodo pergit in Coza, & ponit terminum in aqua subtus vsque ad aquam Sonnlani, & quomodo pergit in montem de Reste & vadit per ctinis montem, & qualiter pergit vsque mons selani, & quomodo pergit in ipso flumine, qui dicitur trinium vsque ad littora maris, & per littora maris vsque in Piscariam, & redit in priorem finem, videlicet in prædicto Staffilo. Prætcrea ipsam Teatinam ciuitatem, Castellum Treuellianũ, Villam magnam, montem Filardi, Castellum Orni, Castellum Scurcula, Castellum S. Pauli, Castellum, quod dicitur Furca, Castellum Genestrulæ & Castellum S. Cosidij cum eorũ pertinentijs; vltra Piscariam verò, Castellum montis Siluani, Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Rigoli, Castellum Scalculæ, Castellum Lastiniani, Ecclesiam S. Mariæ de Populo, Ecclesiam S. Iustæ cum pertinentijs suis, in Aterno, Plebem S. Legunriani, & Domitiani, Ecclesiam S. Thomæ, Ecclesiam Sancti Saluatoris, Ecclesiam S. Ierusalem, & Ecclesiam S. Nicolai cum omnibus earum pertinentijs; decimam pontis, & portus Aterni, in Buclanico, Ecclesiam S. Saluatoris, & S. Angeli cum decimis Comitis, Plebem S. Siluestri, decimas Comitis, in Castello S. Angeli trium finium, & decimas Castellorum, quæ in Teatino Episcopatu sub dominio Comitis Roberti de Rotello fuerunt, & quod Teatina Ecclesia in Castello Septi tenet, Ecclesiam S. Mariæ in Bari, Ecclesiam S. Blasij; in Lanciano Monasterium Sancti Martini de Pallitta, Ecclesiam Sancti Leutij, in Atissa cum omnibus pertinentijs suis, Monasterium Sancti Ioannis in Arclano, Monasterium Sancti Angeli in Cirnaclano cum omnibus pertinentijs suis; in monte Odensi Ecclesiam S. Nicolai, & medietatem Ecclesiæ S. Mariæ, Ecclesiam S. Saluatoris, & Ecclesiam Sancti Petri cum pertinentijs suis, Monasterium S. Mauri cum beneficio suo, Monasterium S. Salui, Ecclesiam Sancti Nicolai de Heremitano; in Ortana Ecclesiam Sanctæ Mariæ, & S. Georgij cum earum pertinentijs, Monasterium Sanctæ Ma-

riæ in Basilica: in ciuitate Luparelli Plebem Sancti Petri cum pertinentijs suis, Monasterium Sanctæ Mariæ in Palatio, Ecclesiam Sancti Iacobi de Turcella cum pertinentijs earum, Monasterium S.Pancratij, Monasterium Sanctæ Mariæ de Letto cum Casale, alijsque ad ipsam pertinentibus, Monasterium S.Martini in Valle, Ecclesiam S.Iustini in Casule, in Castro Bissi Plebem Sanctæ Mariæ cum pertinentijs suis, Plebem S.Martini filiorum Tresidij, Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Casa Candidellæ, Ecclesiam S.Petri in Castro Lori, Ecclesiam S.Mariæ in Biano, Ecclesiam Sancti Basilij, Monasterium S.Petri in Campis, Ecclesiam S.Nicolai de Sunnio vieulo, Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Latro; in Abbatcio Plebem S.Martini cum pertinentijs suis, Ecclesiam Sancti Francisti de Plebe, Plebem de Iuliano, Plebem S.Cęciliæ, Plebem de Pizzocortano, Ecclesiam S.Luciæ de Argelli, Ecclesiam Sancti Lini, Plebem de Ouele, Plebem Sanctæ Mariæ in Valle, Plebem Sanctæ Mariæ de Caramanico, Plebem S.Ioannis de Abbatcio, Ecclesiam S.Cosidij, & Ecclesiam S.Pontij de S.Valentino in Castello de Iocco, Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Percle, Ecclesiam S.Eustasij, Ecclesiam Sancti Martini de Farainter montes Ecclesiam S.Ioannis de Pedara, Ecclesiam S.Ioannis de Cantalupo, Ecclesiam Sancti Saluatoris de Limari, Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Sparpalia, Ecclesiam S.Nicolai de Ilice, Ecclesiam Sancti Saluatoris de Valle surda, Ecclesiam S.Mariæ de Valle Caruncli, Ecclesiam Sanctæ Trinitatis de Faragine, Ecclesiam Sancti Ioannis in Valdo cum omnibus pertinentijs earum, Ecclesiam Sancti Petri de Troia, Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Tasso. Decernimus ergo vt nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione, ac substentatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura, saluo iure Beati Petri proprietatis & Apostolicæ Sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, sæcularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam, sciens contra eam temerè venire tentauerit, secundò, tertioue commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini Nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant, Amen Amen.

Ego Alexander Cath. Eccl. Episcopus.

† *Ego Hubaldus Ostiensis Episcopus.*

† *Ego Bernardus Portuensis, & S.Rufinæ Episcopus.*

† *Ego Guillelmus Presb. Card. tit. S.Petri ad vincula.*

† *Ego Bozo Presb. Card. S. Pudentianæ tit. Pastoris.*

† *Ego Petrus Presb. Card. tit. S.Laurentij in Damaso.*

† *Ego Ioannes Presbyt. Card. titul. Sancti Marci.*

† *Ego Manfredus Presb. Card. tit. S.Cæciliæ.*

† *Ego Petrus Presbyt. Card. tit. Sanctæ Susannæ.*

† *Ego Oddo Diac. Card. S.Nicolai in Carcere Tulliano.*

† *Ego Cinthius Diacon. Card. Sancti Hadriani.*

† *Ego Hugo Diac. Card. S.Eustachij iuxta Templum Agrippæ.*

† *Ego Vitellus Diac. Card. SS.Sergij & Bacchi.*

† *Ego Hugo Diacon. Card. Sancti Angeli.*

Dat. Anagniæ per manum Gratiani S.R.E. Subdiaconi & Notarij 4. Kalend. Octobr. Indict. 7. Incarnat. Domin. anno 1173. Pontif. verò Domini Alexandri Papæ III. an. quartodecimo.

Idem Pontifex Alexander III. nobile concessit priuilegium Monasterio S. Ioannis in Venere in hac Diœcesi constructo, vt supra relatum est, quod hic libuit exscribere, cum iura & bona eiusdem recenseantur.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei.

Dilectis filijs Oderisio Abbati Monasterij S. Ioannis in Venere; Vniuersis fratribus tam præsentibus, quàm futuris regulariter substituendis in perpetuum. Vox clamātis in deserto parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Monet nos iter rectitudinis ingredi, quoniam fortitudo simplici via Domini recta: ergo petentibus non est denegandus auditus, quia seruorum Dei quieti pro nostro est officio prouidendum, quatenus à sæcularibus tumultibus liberi in via Domini simplicibus animis fortiter ambulare præualeant; Quapropter fili in Christo legitime Ordinis Abbas, tuis, tuorumque fratrū iustis deprecationibus exorati ad honorem S. Dei Genitricis, & Virginis Mariæ, S. Præcursoris Domini Baptistæ Ioannis Cœnobium eius nomini dedicatum, in quo omnipotenti Domino vnanimiter deseruitis in Apostolicæ Sedis gremio perenniter consouēdum præstante Deo auctoritate præsentis priuilegij communimus, priuilegiorum siquidē formam sequentem, quæ vestro Cœnobio à nostris prædecessoribus sanctis, videlicet Leone,

ne, Victore, Nicolao, & Vrbano collata ſunt A
vobis, veſtriſq; ſucceſſoribus illa omnia per-
petuò poſſidenda confirmamus, quæ Tranſ-
mundus Comes Tranſmundi Ducis, & Mar-
chionis filius in Comitatu Teatino, Pinnenſi,
Apruntienſi, Firmano, & Termulano, veſtro
noſcitur Monaſterio obtuliſſe, cætera quoque,
quæ aliorum oblatione fidelium in ius veſtrũ,
& dominium deuenerunt, videlicet in Comi-
tatu Teatino has cellas S. Ioannis in Malo
trauerſo, S. Zachariæ, S. Benedicti, S. Rom.ni,
S. Seuerini, S. Mariæ ad Cappellam ſecus Orto-
nam, S. Pauli & S. Petri cum Burgo, qui ex la-
tere eſt. Item Eccleſiam S. Georgij, S. Phi-
lippi de Palatio, S. Angeli cum tertia parte
portus Ortonæ, S. Mariæ iuxta riuum qui di-
citur Fricius in Curte Ateana, SS. Martyrum B
Legontiani & Domitiani cum mille modijs
terræ iuxta ſe in Curte de Agrame, S. Calari,
& SS. Virginum Aureæ, & Petronillæ, S. Am-
broſij, S. Martini S. Stephani, ad collem in
Beſſi, S. Crucis cum duodecim marnatis ho-
minum, S. Angeli intra oppida ſeptem, exad-
uerſo S. Nicolai, item cellam S Ioannis in
Rocca cum oppido ſuo, S. Thomæ cum op-
pido ſuo, S. Parmanni, S. Euſinij cum Ca-
ſtello ſuo; S. Apollinaris cum Caſtello ſuo,
S. Nicolai cum Caſtello ſuo, S. Mariæ Inca
cum Caſtello ſuo, S. Mariæ in Crypta Trinea,
S. Angeli in Peſclo, S. Angeli in Ortecle cum
oppido ſuo, S. Marci, S. Quirici, S. Luciæ in
Argelli, S. Pantaleonis, S. Crucis in Alento
cum oppido Mucela, S Anſuini, S. Ioannis in
retro, S. Pauli in Piſcaria cum oppido ſuo,
S. Laurentij in Piſcaria cum quarta parte de C
tranſuerſo eiuſdem fluminis, & quarta portus
eiuſdem, S. Nicolai cum oppido Sangro, San-
ctæ Cantianæ in Caſtello Palledo, S. Martini
de filijs Teodaldi, S. Petri in Batinario cum
fara ſua, S. Agathæ S. Pancratij, S. Iuſtini de
Caſole, S. Petri in Lauro, S. Petri de Linari cũ
Caſtello ſuo, S. Petri cum Caſtello Reſſe, San-
cti Petri in Parlaſi, S. Mariæ in Valle, S. Mariȩ
in Eramo, S. Viti in Portule. Oppida verò hęc
Foſſam cæcam, Caſtellum muratum, Rocca
de Sclauis, Giruli, Laternum, Montes Octa-
uiani, Guaſtura, Meruli, Porcile, Milianico,
Caſtellum vetus, Balerianum, Faram Bene-
dicti filij Vberti, faram filiorum Bederochi, D
Montem S. Silueſtri, Petrarium, Senellam,
Caſtellinum, Caſtrum Aymonis, Turricellam,
Monte collis Marſini, Ilicem, Riuum iuſtũ,
Maclam, Scorrioſam, Caſale S. Benedicti, Mo-
rum Riuum, Petri Peſchi. In Comitatu Pin-
nenſi cellam S. Mariæ Anfriſano, S. Mariæ in
Ponzano cum Caſtello Caſa-vetere, S. Mi-
chaelis in Boccarieto cum fara ſua, & fara de
Saratico, S. Michaelis in fine cum fara & po-
gio ſuo, S. Petri in Campo rotundo, S. Mariæ
in Loquiſno cum pogio ſuo, S. Mariæ in Ri-
uo Sonuli, S. Ioannis in Aquauiua cum Caſali
ſuo, S. Petri, S. Ioannis ad Ponticulum, S. An-
tonij, S. Mariæ in Rignlo, S. Saluatoris in Ca-
ſa nigra, S. Margaritæ in Legoniano, S. Ioan-
nis in Carpeneto, S. Angeli in Riuo turbido,
S. Mariæ in Valle, S. Nicolai in Plomba, San-
cti Laurentij iuxta Gomarium, S. Ioannis
ad Caſam Comuſte, Caſtellum ad mare, Spel-
tore, Furcam Conſenga, Montem ſyluarium
Ciuitatem S Angeli, Ilicem, S. Crucis, Caſam
Lariti, Ilicem Tralltoninm, Pizanum, Scur-
ranum, Montem Valterij, Monticulam, Spa-
tulam ruptam. Arſetam, Biſenum, Antianũ,
Ranchi, Syluam, Mitialianũ, Caſulæ murum,
Altum Caſtellum vltra montem peditarum,
S. Ioannis de filijs Tribuni. In Comitatu A-
prutien. Cellam S. Ioannis in Gomano cum
Caſtello ſuo, Cerrum biſurch, S. Donati in
Salinello cum Caſtello Palmæ, S. Stephani ad
Mura, & Eccleſiam S. Angeli, montem paga-
num, Graſſianum, Ripam filiorum Azonis,
Pogium Mulorum Morelli, Curtem de Pedo-
niano totam, Curtem totam de Bucelliano,
tertiam partem Curtis de Semproniano, In
Comitatu Firmano cellam S. Nicolai cum
Caſtello Paterno, Monteronem, medietatem
Curtis de ſupplica, integrã Curtem de Aqua-
uiua, Montem bolarium, Caſtellum Roda-
ctariſci, Caſtellum Colinari, Eccleſiam San-
cti Paſſicis. In Comitatu integram Curtem
de Palueniano, In Comitatu Camerino Ter-
ræ cum ſuis cultoribus. In Curte Ceſepalum-
bi mediam curtem de Viſilliano, quartã par-
tem Curtis de Albano. In Comitatu Cellam
S Martini, S. Mariæ in contro, cum ea Eccle-
ſiam S. Ianuarij, S. Victorini, S. Laurentij, ſex-
tam partem, S. Saluatoris: apud Liſinam, cel-
lam S. Archangeli Ferrariæ, cellam S. Nico-
lai, in Ciuitate Eccleſiam S. Mariæ ad vineã
Talliaram. In Principatu Beneuentano Ec-
cleſiam S Mariæ, S. Ioannis in Barſica, Cellã,
S. Anaſtaſij, in Ciuitate hæreditatem Leo-
nis Pinnini integram. In Dalmatia apud Bel-
lumgradum cellam S. Thomæ, ſimiliter etiã
Teloneum mercatorum, & pretium deci-
maſque & oblationes mortuorum, ex omni-
bus abſque contradictione, vel qua tenetis.
Præterea per prȩſentis decreti paginam Apo-
ſtolica auctoritate ſtatuimus, vt quæcumque
in Cellis, in Eccleſijs, in oppidis, villis, ſyluis,
paſcuis, fluminibus, portibus, littoribus, pi-
ſcarijs, tam maris, quã fluminum, molendi-
norum, aquarum diſcurſibus in ſeruis, ancil-
lis, & quibuslibet rebus mobilibus & immo-
bilibus hodie veſtrum Cœnobium iuſtem
poſſidet, vel in futurũ iuuante Domino iuſtȩ
acquirere poterit, firma vobis veſtriſque ſuc-
ceſſoribus, & illibata permaneant. Chriſma
verò, conſecrationes altarium, ſeu Baſilica-
rum, ordinationes aliorum Clericorum, qui
ad ſacros ſunt Ordines promouẽdi, à quocũ-
que volueritis Catholico accipiatis Epiſco-
po. Intra totius Abbatiæ terminos nullus Epi-
ſcopus niſi à te Inuitatus Synodum celebra-
re, vel clericos conſtringere, vt intelligas cu-
ram hanc ad ſollicitudinem pertinere non
aliter, quàm vice tibi à nobis indulta; ob-
eunte verò te eiuſdem loci Abbate, vel tuo-
rum

rum quolibet successorum nullus ibi qualibet astutia, vel violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilij sanioris, secundum Dominum, & Beati Benedicti regulam elegerint; Electus autem ad Romanum Pontificem consecrandus accedat. Vos vero, filij in Christo legitimi, oportet collatam vobis gratiam in omnibus constitutionibus, & tantis Sedis Apostolicæ beneficijs dignis operibus respõdere, nec libertate hac in occasionem carnis, & velamine malitiæ abutamini, inquanto à secularibus tumultibus liberiores estis, tantò amplius placere Domino totis mentis & animæ viribus procuretis. Decernimus ergo, vt nulli omnino liceat præfatum Monasteriũ temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia & tuta conseruentur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura, salua Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua in futurum Ecclesiastica, sæcularisque persona contra hanc nostræ constitutionis paginam temere venire tentauerit, secundo, tertioue commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione emendauerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, ita quod se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat; Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen, Amen, Amen.

Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

† *Ego Hibaldus Ostien. Episc.*

† *Ego Bernardus Portuensis S. Rufinæ Episcopus.*

† *Ego Ioannes Presb. Card. SS. Ioannis & Pauli tit. Pammachij.*

† *Ego Albertus Presb. Card. tit. S. Laurentij in Lucina.*

† *Ego Vitellius Presb. Card. tit. S. Petri ad vincula.*

† *Ego Boso Presb. Card. S. Pudentianæ tit. Pastoris.*

† *Ego Ioannes Presbyter Cardinalis Sancti Marci.*

† *Ego Theodinus Presb. Card. S. Vitalis tit. Vestinæ.*

† *Ego Manfredus Presbyter Cardin. tit. S. Cæciliæ.*

† *Ego Petrus Presbyter Cardinalis tit. S. Susannæ.*

† *Ego Matthæus S. Mariæ in Cosmedin Diac. Cardinalis.*

† *Ego Vincentius Diaconus Cardinalis S. Adriani.*

† *Ego Vgo Card. S. Eustachij iuxta templum Agrippæ.*

† *Ego Laboratus Diac. Card. S. Mariæ in Porticu.*

† *Ego Raynerius Diac. Card. S. Georgij ad Velum aureum.*

Datum Anagniæ per manum Gratiani Sãctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi, & Notarij xvj. Kalendas Iulij, Indict. ix. anno Dominicæ Incarnationis M.C.LXXVI. Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ Tertij anno xvij.

Sub hoc Episcopi tempore constructa videtur Ecclesia SS. Petri & Pauli in regione Feriæ intus ciuit. vt narrat Exastichon illic in lapide exaratum supra fores ipsius.

A. D. M. CLXVIII.

Maxime Doctorum, nunc sumere dona tuorum
Ianitor ætherei digneris Apostole Regni,
Cum precibus collata tuo temploque beato
Hæc pro seruorum commisces denique quorum
Ablue, destrue, crimina, cunctaque Petre beate.

Eodem quoque sedente ædificata fuit Ecclesia S. Ioannis de Furca bubolina in arca eiusdem leguntur hæc pauca verba.

D.D.M.C.LXXII.Ind.IIII. VV. B.

Diu in hac Sede fuisse Andream referunt Diptycæ; tamen quo anno diem suum obierit, non scribunt.

25. PETRVS II. creditur suffectus fuisse Andreæ, cuius memoriam ad posteros transmisit Henrici VI. Imper. priuilegium concessum Monasterio Cassinensi anno 1191. cui ipse cum alijs Episcopis testis fuit, quo anno, vel initio subsequentis obijsse asserendum est; nam anno 1192. Bartholomæus Teatinam regebat Sedem, vt mox dicemus.

26. BARTHOLOMÆVS ad hanc dignitatem vocatur eo ipso anno 1192. quo cõcessit Comiti Berardo Laoreti, eiusque hæredibus in tertiam generationem legitimam Castrum Montis Siluani, quod est feudum, vt in documento eo anno condito asseritur, in quo fit mentio de recuperatione Vallis magnæ, & furcæ, quæ in manibus erat Baronũ, & assentiente Regia Maiestate venerunt in demanium Ecclesiæ Teatinæ; vt ex priuilegio Constantiæ Imperatricis, eodem anno tenimentum Sculculæ ad Ecclesiã Teatinen. pertinens, olim occupatum à Comite Iozalino eiusdem Berardi socio restitutum fuit iuxta

con-

confines deſignatos à tribus teſtibus productis de Spulturio, tribuſque alijs de Ciuitate Teatina. Idem Epiſcopus anno 1194. conceſſit & confirmauit Abbati S. Mariæ de Caramanico decimas & oblationes mortuorũ eiuſdem Eccleſiæ S. Mariæ, & S. Angeli, & Salſe de Rocchetta cum certis alijs iuribus; hæc indiculus noſter de Bartholomæo, qui habet illum in Epiſcopatu plures annos vixiſſe; Hic fortè ille eſt Teatinus Epiſcopus, cuius habetur mentio in Decretalibus cap. Tenor de ſentent. & re iud. Clemente *Papa* III. Pontifice. Sub hoc eodem Præſule erat Comes ille Teatinus R. id eſt Riccardus, quem Innocentius III. præponi mandauit cuſtodiæ & tutelæ Ciuitatẽſis, cuius Comes dudum obierat tempore quo Federicus II. adhuc infans erat, & ſub tutela Innocentij. Extant literæ duæ Innocentij de hac ipſa re, vna ſcripta Epiſcopo, Baronibus, Militibus, & vniuerſo Populo Comitatus Ciuitaten. conſtitutis, altera Clero & Populo Ciuitaten. quæ habentur in regeſtr. eiuſdem Pontificis. Porrò Ciuitas hæc eſt in Apulia Daunia, vt ſcribit Leander diſtans à Florentiola milliar. decem & octo.

Anno 1208. die vigeſima nona Septembris vnà cum Anſuſo Epiſcopo Furconenſi Eccleſiam S. Pamphili conſecrauit, ibi aſſerunt memoriam extare ſub ijs verbis, ſed pro Bartholomæo Gregorium mendosè à quodam poſteriore ignaro fuiſſe ſcriptum, & aliqua addita ob ſummam inſcitiam ſcribentis, quæ hic apponere volumus, ne Epiſcopi multiplicentur, inaniter, & ſine certa, vel ſcientia, vel ſaltem coniectura probabili; nullibi enim lego Gregorium Teatinis præfuiſſe Præſulem: memoria autem eſt huiuſmodi.

Anno M. CC. VIII. menſis Septembris XXIX. XII. Indict. D. . . . , Venerabilis Epiſcopus Teatinus rogatus à Capitulo Eccleſiæ S. Pamphili dedicauit & conſecrauit iſtam Eccleſiam Sancti Pamphili ad honorem Dei Omnipotentis B. Mariæ Virginis, & S. Pamphili, & ad ſubiectionem Romanæ Eccleſiæ immediatè dicta Eccleſia S. Pamphili pertinet. Item eodem anno menſe Octobris, tertio eiuſdem eodem modo conſecrauit idem Epiſcopus altare B. Virginis poſitum in confeſſionibus dictæ Eccleſiæ S. Pamphili per prædictum Epiſcopum, & D. Anſuſum Venerabilem Epiſcopum Furconienſem; In quo die dedicationis annuatim indultæ sũt annorum duorum, & dierum annuatim de criminalibus. Remiſſiones dedicationis dicti altaris B. Mariæ Virginis annuatim ſunt vnius anni.

Eodem anno 1208. permiſſu Bartholomæi Epiſcopi fundata eſt in hac Diœceſi Abbatia S. Mariæ de Arabona Ord. Ciſtercienſis ductis Monachis è Monaſterio Sanctorum, Vincentij & Anaſtaſij ad Aquas Saluias extra vrbem Romam eiuſdem Ord. primus Abbas Beatus Albimanus tunc Monaſterij de Ferraria inſignis Sanctimoniæ Monachus, cui ſucceſſit Sanctillus pari ſanctitate conſpicuus. Viſuntur miſerabiles tanti Cœnobij ruinæ, Teatinorum Ciuium nobile monumentum, quorum eleemoſynis & pietate conſtructum olim fuerat.

Interea Bartholomæum infracti animi virum Federico II. Imperatori charum, plura Eccleſiæ ſuæ iura in Piſcaria recuperaſſe docent tabulæ hoc ipſo anno conſcriptæ, *Regnante*, inquiunt, *Federico II. Imperatore Angelus, & Calarenus regij Camerarij Ciuitatis Piſcariæ audientes, quod Eccleſia Teatina à tempore non modico de Eccleſia S. Saluatoris deſtituta fuerat, intuentes ſeruitia D. Bartholomæi Epiſcopi Teatini facta Regi Federico II. authoritate regia, & omnium Conciuium voluntate per antiquiores homines Piſcariæ fecerunt numerari omnes poſſeſſiones, & rationes, quas Eccleſia S. Saluatoris tempore quo erat ſub dominio Teatinæ Eccleſiæ habuerat, & medio iuramento depoſuerũt Raynaldus Cappellanus S. Thomæ, Robertus de Speltoria, Angelus Palmentio, Cõſtantinus Clementis Iancolli, Nicolaus Caſalinus, & Petrus Ioannis Petri, ac teſtati ſunt ſe vidiſſe tempore pacis, ſcilicet, Regum Guillelmi primi & ſecundi in Eccleſia S. Saluatoris Abbatem Conſtantem, & Abbatem Guillelmum, & Canonicos in ipſa Eccleſia S. Saluatoris reſpondere Eccleſiæ Teatinæ tãquam Dominæ, & quod Eccleſia S. Saluatoris habebat domos, &c. reſignarunt Eccleſiam prædictam S. Saluatoris, & eius poſſeſſiones in manibus prædicti Domini Bartholomæi Epiſcopi, ſaluo mandato Regis Federici, & vt dicta reconductio, & reſignatio ſit ſtabilis, per manus Rogerij & Ciuitatis Piſcariæ Notarij has literas fieri rogauimus.* Hoc eodem anno, die 14. Octobris, Bartholomæus omnium priuilegiorũ Eccleſiæ ſuæ à Romanis Imp. alijſque Summis Pontificibus, aſſer-

torum

torum confirmationem obtinuit ab Innocentio III. Priuilegij exemplar extat in eodem Archiuio Canonicorum Vaticanæ Basilicæ à me exscriptum, quod exhibemus, tametsi ferè omnia contineat, quæ in alijs supra relatis ex eodem tabulario.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei.

Venerabili fratri Bartholomæo Teatino Episcopo, eiusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

In eminenti Sedis Apost. specula disponéte Domino cõstituti, ex iniuncto nobis à Deo Apostolatus officio fratres nostros Episcopos sincera charitate diligere, & Ecclesijs sibi commissis suam debemus iustitiam conseruare, pro ipsorum quoque statu nos oportet satagere, atque eorum quieti salubriter auxiliante Domino prouidere. Ea propter Venerabilis in Christo frater Episcope tuis iustis postulationibus clementer annuimus, & ad exemplar fel. mem. Nicolai, Paschalis, Eugenij, Alexandri, & Clementis Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum B. Thomæ Teatinam Ecclesiam, cui Domino authore præesse dignosceris, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio cõmunimus, statuentes, vt quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum iustè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis, præstante Domino poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis. Parochiam Teatinæ Ecclesiæ, sicut antiquis, & iustis limitibus terminatur, scilicet à Staffilo inter Montes, & ipso Monte de Vrsa, & quomodo pergit in Cola & ponit terminum in aqua subtus terra vsque ad aquam Sonutam, & quomodo pergit vsque in montem de teste & vadit per crinis montem, & qualiter pergit vsq; montem Sclaui, & quomodo pergit in ipsum flumen, quod dicitur Trignum vsque ad littora Maris, & per littora maris vsque in Piscariam, & redit in priorem finem, videlicet in priori Staffello. Præterea ipsam Teatinam Ciuitatem, Castellum Triuilianum, Villam magnam, Montem Filardi, Castellum Orni, Castellum Mucela, Castellũ s. Pauli, Castellum, quod dicitur Furca, Castellum Genestrale, Castellum s. Cesidij, cum eorum pertinẽtijs; vltra Piscariam verò Castellum montis Siluani, Ecclesiam s. Mariæ in Rigoli, Castellum Sculculæ, Castellum Lastiniam, Ecclesiam S. Mariæ de Palatio, Ecclesiam s. Iu-

A stæ cum pertinentijs suis. In Aterno Plebem s. Legontiani, & Domitiani, Ecclesiã s. Thomæ, s. Saluatoris, Ecclesiam S. Ierusalem, & Ecclesiam s. Nicolai cum omnibus eorum pertinentijs, Decimam Pontis & Portus Nicini, in Bucelania Ecclesias s. Saluatoris, & s. Angeli cum Decimis Comitis, Plebem s. Siluestri, Decimas Comitis in Castello s. Angeli, in Castello trium fontium, & Decimas Castellorum, quæ in Teatino Episcopatu sub dominio Comitis Roberti de Rotello fuerũt, & quod Teatina Ecclesia in Castello Septi tenet, Ecclesiam s. Mariæ in Bari, Ecclesiam s. Blasij, in Lanciano, Monasterium s. Martini de Palecto, Ecclesiam s. Leciri in Atissa cum

B omnibus pertinentijs suis, Monasterium s. Ioannis in Arclano, Monasterium s. Angeli in Cornacula cum omnibus pertinentijs suis, in monte Oderisij Ecclesiam s. Nicolai, & medietatem Ecclesiæ s. Mariæ, Ecclesiam s. Saluatoris, & Ecclesiam s. Petri cum pertinentijs earum, Monasterium s. Mauri cum beneficio suo, Monasterium s. Salui, Ecclesiam s. Nicolai de Eremitorio in Ortona, Ecclesiam s. Mariæ & s. Georgij cum earum pertinentijs, Monasterium s. Mariæ in Basilica in Ciuitate Luparelli, Plebem s. Petri cum pertinentijs suis, Monasterium s. Mandi in Palatio, Ecclesiam s. Iacobi de Turcella cum pertinentijs suis, Monasterium s. Pancratij, Monasterium s. Mariæ de Lecto, cum Casali,

C alijsque ad ipsum pertinentibus, Monastériũ s. Martini in Valle, Monasterium s. Iusti in de Cosule, in Castro Gessi Plebem s. Mariæ cum pertinentijs suis. Plebem s. Martini filiorum Tresidij, Ecclesiam s. Mariæ de Casa Candidella, Ecclesiam s. Petri in Castro Lori, Ecclesiam s. Mariæ in Biario, Ecclesiam s. Blasij, Monasterium s. Petri in Campo, Ecclesiam s. Nicolai de Summo viculo, Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Lacento in Abbareio, Plebem s. Martini cum pertinentijs suis, Ecclesiam s. Ioannis de Plebe, Plebem de Iuliano, Plebem s. Cecolidi, Plebem de Pizzo Corbario, Ecclesiam s. Luciæ de Argelli, Ecclesiam sancti Lini, Plebem de Orcula, Plebem s. Mariæ in Valle, Plebem s. Mariæ de Caraman co, Plebem s. Ioannis de Abbareio, Ecclesiam sãcti Cesidij, & Ecclesiam s. Pontij de s. Va-

D lentino. in Castello de Tocco, Ecclesiam sancti Mandi in Pescle, Ecclesiam s. Eustachij, Ecclesiã s. Martini de Fara inter mõtes, Ecclesiam s. Ioannis de Pedara. Ecclesiam s. Nicolai de Cantalupo, Ecclesiam s. Saluatoris de Linari, Ecclesiam s. Mariæ de Sparpalia, Ecclesiam s. Mariæ de Ilice, Ecclesiam s. Saluatoris de Valle surda, Ecclesiam s. Mariæ de Valle Corunelli, Ecclesiam ss. Trinitatis de Fragne, Ecclesiam s. Ioannis de Vicaldo cum omnibus pertinentijs earum, Ecclesiam s. Petri de Troia, & Ecclesiam s. Mariæ de Tasso. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominũ liceat prædictam Ecclesiam temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas

... retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conseruare eorum, pro quorum sustentatione, & gubernatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura, saluo B.Petri iure proprietatis, & Apostolicæ Sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, sæcularisque persona hanc nostræ concessionis paginam sciens contra eam temerè venire tentauerit, secundo, tertioue commonita, nisi congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino Iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redẽptoris nostri Iesu Christi aliena sit, atq; in extremo examine districtæ vltioni subiacear. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Amen.

† *Ego Innocentius Gatbolica Ecclesie Episcopus.*
† *Ego Ioannes Albanen. Episc.*
† *Ego Nicolaus Tusculan. Episc.*
† *Ego Cintbius tit. S. Laurentij in Lucina Presb. Card.*
† *Ego Cincius SS. Ioannis & Pauli Presb. Card. tit. Pamachij.*
† *Ego Benedictus tit. S. Susanna Presbyt. Cardinalis.*
† *Ego Rogerius Sancta Anastasia Presb. Card.*
† *Ego Georgius S. Georgij ad Velum aureum Diac. Card.*
† *Ego Guido S. Nicolai in Carcere Tulliano Diac. Card.*
† *Ego Ioannes S. Maria in Via lata Diac. Card.*
† *Ego Ioannes SS. Cosmæ & Damiani Diac. Card.*
† *Ego Pelagius S. Lucie in Septisolio Diac. Card.*

Dat. per manus Ioannis S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card. S. R. E. Cancellarij 14. Kal. Nouemb. Indict. 12. Incarnationis Dominicæ Anno 1208. Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno 10.

Dederat antea, hoc est anno 1204. idem Innocentius priuilegiu Oddoni Abbati & Monasterio S. Ioannis Baptistæ in Venere, quod cum nonnulla contineat, quæ in alio Alexandri III. eidem Monasterio afferto non reperiuntur, visum est hic exscribere ab exemplari tabularij Ecclesiæ Nouæ vt saltem hic conseruetur.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Deí.

Dilectis filijs Oddoni Abbati Monasterij Sancti Ioannis in Venere, eiusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam profitentibus in perpetuum.

Vox clamantis in deserto, parare viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri, monet nos iter rectitudinis ingredi, quoniam fortitudo simplici via Domini recta. Ergo petentibus non est denegandus auditus, quia seruorũ Dei quieti pro nostro est officio prouiden. quatenus à sæcularibus tumultibus liberi, in via Domini simplicibus animis fortiter præualeant ambulare. Eapropter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium quod ad honorẽ Dei Genitricis & Virginis Mariæ Sanctique Ioannis Baptistæ constructum esse dignoscitur ad exemplar fel. rec. Leonis, Victoris, Nicolai, Vrbani, Alexandri prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes vt Ordo Monasticus, qui secundum Deum ac B. Benedicti regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur perpetuis ibidẽ temporibus inuiolabiliter obseruetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem Monasterium in præsentiarum iustè ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, siue alijs iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus proprijs duximus exprimenda vocabulis; Locum ipsum in quo prædictum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentijs suis, possessiones, & alia bona omnia quæ in Teatino, Pennen. Aprutien. Firman. & Termulan. Comitatibus obtinetis. In Comitatu Teatin. has cellas videlicet sancti Ioannis in Maltrauerso, s. Zachariæ, s. Benedicti, s. Romani, s. Seuerini, s. Mariæ ad Cappellam secus Ortonam, s. Pauli & s. Petri cum Burgo ex latere eius, Ecclesias s. Georgij, s. Philippi de Palatio, s. Angeli cum tertia parte portus Ortonæ, s. Mariæ iuxta riuum qui dicitur Griuus, in Curte Antean. Sanctorum Martyrum Leguntiani & Domitiani cũ mille modijs terræ iuxta se, in Curte de Agrame s. Calixti, Sanctorum Martyrum Aureæ & Petronillæ, s. Ambrosij, s. Martini, s. Stephani in collem, in Gitti, s. Crucis cum duodecim mansatis hominum, s. Angeli iuxta oppidum Septem. In Curte s. Nicolai, cellas s. Ioannis in Rocca cum oppido suo, s. Thomæ cum oppido suo, s. Farmani, s. Eusanij, cum Castello suo, s. Apollinaris cum Castello suo, s. Nicolai cum Castello s. Viti, s. Mariæ in Caldaria cum Castello suo, s. Mariæ in Gri-

pta

ptã femnea; s. Mariæ de Trodio cum cellis suis, s. Angeli in Pesulo, s. Angeli in Ochreca cum oppido suo s. Marci, s. Quirici, s. Luciæ in Argeth., s. Pantaleonis, s. Crucis in Alueto oppido Mucela, s. Ansuini, s. Ioannis in Ragio, s. Pauli in Piscaria cum oppido s. Laurentij in Piscaria, cum quarta parte de transuerso eiusdem fluminis, & quarta portus eiusdem s. Nicolai cum oppido Sangro. Sanctæ Canfionç cum Castello Pallito, s. Martini de filijs Thedaldi, s. Petri in Banniario cũ fara sua & cellis, videlicet s. Bartholomæi de Varanna, s. Blasij de Monte nigro, & s. Nicolai de Plazzano, Ecclesiæ s. Agathæ, s. Pancratij, S. Iustini de Casulo, s. Petri in Lauro, s. Delinara cũ Castello suo, s. Petri cum Castello Resse, s. Petri in Patlari, s. Mariæ in Valle, s. Mariæ in Heremo, s. Pauli, s. Mariæ de Rota, s. Quirici de Riuo plano, s. Mariæ in Basilica, s. Viti in Portule. Oppida verò hæc Fossamezcam, Castellum muratum, Roccham de Sclauis, Girusi, Laternum, Lentiscum; montem Octauiani, Guastum Meruli, Porcile, Milianica, Castellum vetus, Balleñianum, Faram Benedicti filij Vberti, Faram filiorum Boderocchi, Montem s. Siluestri, Perranum, Senellam, Castellionem, Guastum Aymonis, Torricellam, medietatem Collis Martini, Ilicem, Diuum Iustum, Mucellam Scorciosam, Casale s. Benedicti, Morum, Riuum Petri, Pesclorum. In Comitatu Penneñ. Cellas s. Mariæ in Rosano cum Castello Casa vetere, s. Michaelis in Boccacerto cum fara & cellis suis, & fara de Saratico s. Michaelis, in fine cum fara & podio s. Petri in Campo rotundo, s. Mariæ in Lochiano cum podio suo, s. Ioannis in Riuosonuli, s. Ioannis in Aquauiua cum Casali suo, s. Pelini, s. Ioannis ad Ponticlum, s. Antini, s. Mariæ in Riuulo, s. Saluatoris in Casa nigra, s. Margaritæ in Legoniano, s. Ioannis in Carpeneto, s. Angeli in riuo turbido, s. Mariæ in Valle; s. Nicolai in Plomba, s. Laurentij iuxta Gomanum, s. Ioannis ad casam cõbustã, Castellum ad mare speltore, Turricã, Cosenzam, Montem Siluani, Ciuitatem sancti Angeli, Ilicem s. Crucis Casam lauce, Ilicem Titilianum, Tezzanum, Scuranum, Montem Gualterij, Motulam, Spatulam, Ruptam, Arsetam, Biferrum, Auianum, Ranchi Siluo, Micilianum, Casole, Murum altum, Castellum Vedum, Montem Petrinũ & Ecclesiam s. Ioannis in Gomano cum Castello suo, Carrum Bubulcum, Ecclesiam sancti Cæsarei, s. Donati in Salincello cum Castello Palmei & s. Stephani ad Mura, Ecclesiam s. Angeli, Montem Pagani, & Casale s. Martini in Gomano, Gassianum, Ripam filiorum Azzonis, Poggium Felicis Morelli, Curtem de Podoniano totam, Curtem totam de Bucelliano, tertiam partem Curtis de Semproniano. In Comitatu Firman. cellam S. Petri cum Castello Paterno, Monteronem, medietatem Curtis de supportica, integram Curtẽ de Aquauiua, Montem Bouarium, Castellum Rode da articii Caprillæ, Colbari, Ecclesiam s. Pastoris. In Comitatu Asculano, totam Curtem de Saluinizoo. In Comitatu Camerinen. terras cum suis cultoribus. In Curte Gesapalumbi mediam Curtem de Castelliano, quartam partem Curtis de lana. In Comitatu Termulan. Cellas s. Martini, s. Mariæ in Coronule, cum Castello de Oliuastro, Ecclesias s. Ianuarij, s. Victorini, s. Laurentij, sextam partem prouentus Ecclesiæ s. Saluatoris. Apud Lesinam cellam s. Archangeli, in suburbio Ferrariæ cellam s. Nicolai. In Ciuitate Rauennæ Ecclesiam s. Mariæ ad vineam Talliottam. In Principatu Beneuentano Ecclesias s. Mariæ & s. Ioannis. In Mursia cellã S. Anastasij. In Ciuitate Ernian. hæreditatẽ Leonis Prinum integram. In Dalmatia apud Bellumgradum cellam s. Thomæ similiter, & Talconcum mercatorum, & Pontium, decimasque, & oblationes mortuorũ ex omnibus, & absque contradictione aliqua teneatis. Chrisma verò, Oleum sanctum, consecrationes Altarium, seu Basilicarum, ordinationes Monachorum & Clericorum cęterorum, qui ad sacros sunt ordines promouendi à quocumque volueritis Catholico accipiatis Episcopo, intra totius Abbatię terminos nullus Episcopus, nisi à te inuitatus Synodum audeat celebrare, vel Clericos constringere, vt intelligas curam hanc ad tuam sollicitudinem pertinere specialiter tibi ab Apostolica Sede indultam. Obeunte vero te nunc eiusdem loci Abbate, vel tuorũ quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia vel violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilij sanioris secundum Deum, & Beati Benedicti regulam prouiderint eligendum. Electus autem ad Romanum Pontificem benedicendus accedat. Vos autem filij oportet collatam vobis gratiam in omnibus custodire, & tantis Sedis Apostolicæ beneficiis dignis operibus respondere, nę libertate hac in occasionem carnis, & velamen malitiæ abutamini, sed quantò à sæcularibus tumultibus liberiores estis, tanto amplius placere Deo totis mentis & animi viribus procuretis. Decernimus ergo vt nulli hominum omnino liceat prædictum Monasterium temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia illibata & integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione, ac substentatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura, salua Sedis Apostolicæ authoritate. Si qua igitur in futurũ ecclesiastica, sæcularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentauerit, secundo tertioque commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei & Do-

& Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vitioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant, Amen. Amen, Amen.

† *Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.*
† *Ego Octauianus Ostien. & Veliternen. Episcopus.*
† *Ego Petrus Portuen. & Sanctæ Rufinæ Episcopus.*
† *Ego Ioannes Albanensis Episc.*
† *Ego Petrus tit. Sanctæ Cæciliæ Presbyt. Cardinalis.*
† *Ego Iordanus S. Pudentianæ tit. Pastoris Presb. Card.*
† *Ego Vgo Presbyt. Card. S. Martini tit. Equitij.*
† *Ego Ioannes tit. S. Priscæ Presbyt. Card.*
† *Ego Cencius S. Ioannis & Pauli tit. Pammachij.*
† *Ego Gregorius tit. S. Vitalis Presbyter Card.*
† *Ego Benedictus Ecclesiæ S. Susannæ Presb. Card.*
† *Ego Gratianus SS. Cosmæ & Damiani Diac. Card.*
† *Ego Gregorius S. Georgij ad velum aureum Diac. Card.*
† *Ego Vgo S. Eustachij Diaconus Card.*
† *Ego Matthæus Sancti Theodori Diac. Card.*
† *Ego Ioannes S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card.*

Datum Romæ apud S. Petrum per manum Ioannis S. R. E. Subdiaconi, & Notarij 4. Nonas Decembris, Indict. 8. Incarnationis Dominicæ anno 1204. Pontificatus vero Domini Innocentij Papæ Tertij anno septimo.

Anno 1213. nostrum Bartholomæū Ecclesiam Sanctæ Mariæ Castri Musillaris consecrasse docet membranula, quæ in eadem Ecclesia conseruatur cum Sanctorum lipsanis ab ipso eidem dono datis. Et anno 1219. Federicus II. Imper. quandam reuocauit confirmationem ab Imperiali Curia vitio extortam à Teatinis ciuibus, nonnullis, vt asserebant ipsis concessis à Teatino Episcopo. Sed Anno 1223. instante Bartholomæo Berardus de Raiano alterius Berardi filius, cui ab eodem Episcopo olim locatum fuerat in emphiteusim Castrum montis Siluani, condemnatur ab Henrico de Mora Imperiali Iustitiario ad Castri restitutionem ob non solutum canonem, & enormem Ecclesiæ Teatinæ læsionem, iuxta Imperatoris promulgatam legem; lata sentētia fuit Foggiæ mense Decembri: & scripta per Guillelmum de Tocco Imperialem Iudicem & Notarium, quam subsequenti anno 1224. idem approbauit Imperator. Post hæc vnica remanet Bartholomæi memoria in aureo diplomate Friderici II. Dat. Brundisij Anno 1227. mense Augusti, in quo in gratiam eiusdem Episcopi confirmantur ea omnia, quæ Pater Henricus VI. Imper. eidē Ecclesiæ Teatinæ Bartholomæo, ac successoribus liberaliter asseruerat ann. 1195. ac sub Imperiali protectione susceperat. Diploma Federici cum insertione alterius Henrici Patris in hæc verba confectum est ex authentico copiali.


Federicus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, Hierusalem, & Siciliæ Rex.

Inter cætera, quæ diuinæ pietatis intuitu conferuntur, illud credimus Creatori omnium gratum, & acceptabilius residere, quod Ecclesijs Dei, & locis Religiosis pia liberalitate donatur; præsertim cum in confirmandis beneficijs, & largiendis laus Imperiali dignitati accrescat. Inde est, quod vniuersis fidelibus nostris notum esse volumus tam præsentibus, quàm futuris, qualiter Bartholomæus venerabilis Episcopus Teatinus fidelis noster ad præsentiam nostram accedēs ostendit nobis quoddam priuilegium vno sigillo munitum à Domino quondam Imperatore Henrico Patre nostro Diuo Augusto inclytæ recordationis eidem Episcopatui Teatino piè indultum, supplicans Excellentiæ nostræ humiliter & deuotè, vt priuilegium ipsū, & ea quæ continentur in ipso innouare, concedere, & confirmare sibi de nostra gratia dignaremur, cuius tenor talis est. In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis. Henricus Sextus diuina fauente clementia Romanorū Imperator semper Augustus, Rex Siciliæ; Inter cætera, quæ in actus pios expendimus, quibus magis Deum propitium nobis reddimus & speciali deuotione placamus, hoc. solum arbitramur esse potissimum, & huc potius nostris applicamus vtilitatibus, cum Ecclesijs & locis venerabilibus consideratione pia cōferimus. Inde est, quod nos intuitu Regis Regum, & Creatoris omnium, cui totius nostræ felicitatis incrementa debemus ob remissionem animarum parentum nostrorum, ac longæua nostri conseruatione Imperij, nec non & exuberanti nostræ munificentiæ gratia præsenti nostro priuilegio cōcedimus, & perpetuò confirmamus Episcopatui Teatino, & prædicto Episcopo fideli nostro, & successoribus suis omnia Castella, Casalia, & Ecclesias, quæ tempore prædecessorum Regum Siciliæ, Regis Felicis Rogerij, Guilielmi primi, & secundi ipsa Ecclesia Teatina tenuit & posedit, scilicet in Terra Teatina in demanio Ciuitatem Teatinam, Castellum Triuliani, Castellum Furcæ, Castellum Villæ magnæ, Castellum Scorchosæ. In beneuētio Castellum Muclæ, Castellum Cinni

Item

Item in demanio siluam & territorium Sambuceti in pertinentijs Aterni, & decimam pontis, & portus ipsius loci Aterni, necnon & Ecclesiam sanctæ Ierusalem, s.Leguntiani, & Domitiani loci prædicti cum Cappellis, iuribus & pertinentijs eorundem. In terra verò de Penna in demanio Castellum Montis Siluanj, s.Mariæ in Riuulo cum Casali suo, villā Sculculæ cum territorijs & filiis eius. In seruitio autem Castellum Lasten. ann. saluo mādato & ordinatione nostra, & hæredum nostrorum, & vt hæc liberalitatis nostræ concessio & cōfirmatio in perpetuum eidem Ecclesiæ Teatinæ, prædictoque Episcopo,& successoribus suis firma, stabilisque permaneat, & nulli in aliquo liceat contraire præsens indè priuilegium conscribi, & Maiestatis nostræ sigillo iussimus communiri, statuentes & Imperiali præcipientes Edicto, vt nulla persona, humilis, vel alta, ecclesiastica, vel sæcularis hanc nostram concessionem, & confirmatione infringere audeat, vel aliquibus calumnijs perturbare præsumat, quod qui fecerit, vltra indignationem nostram, quam grauiter incurret, centum libras auri purissimi componat, medietatem Cameræ nostræ, reliquā passo iniuriam persoluendam. Huius autem rei testes sunt Henricus Guaricamensis Episcopus, Goluigerius Pictauien. Episcopus, Henricus de Calendinis, Robertus de Venna, Conradus Dux Spoleti,& Regni Siciliæ Vicarius, Comes Hugo de Macela, & alij quamplures. Ego Conradus Imperialis Aulæ Cancellarius vnà cum Gualterio Troian. Episcopo Reg. Siciliç, & Apuliç Cancellarius recognouimus.

Signum Domini Henrici Sexti, diuina fauente clementia Romanorum Imperatoris semper Augusti, & Regis Siciliæ.



Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nonagesimo quinto. Regnante Domino nostro Henrico Sexto Imperatore Romanorum semper Augusto,& Rege Siciliæ. Amen. Regni eius vicesimo quinto, Imperij verò quinto, & Regni Siciliæ primo. Datum apud Esculum de Marca per manum Abbatis Prothonotarij Imperialis Aulæ primo die mensis Madij, Indictione tertiadecima. Nos igitur præfati Episcopi deuotionem, & fidem, quam erga personam nostram habere dignoscitur, diligentiùs attendentes intuitu, & Beati Thomæ Apostoli in cuius nomine dicata Ecclesia Teatina dicitur & fundata, necnon & pro remedio animarum felicium Augustorum patris & matris nostræ memoriæ recolendæ, pro nostra quoque salute, tam ipsum priuilegium, quām ea omnia, quæ continentur in ipso, prout superius sunt expressa, eidem Ecclesiæ Teatinæ, & dicto Episcopo, successoribusque suis de nostra gratia innouamus, concedimus,& perpetuò confirmamus saluo seruitio, quod Curiæ nostræ inde debetur, saluo insuper mandato, & ordinatione nostra, & hæredum nostrorum. Ad huius autem innouationis, concessionis, & confirmationis nostræ memoriā & robur perpetuò valiturum præsens priuilegium scribi, & maiestatis nostræ sigillo iussimus communiri. Anno, mense, & Indictione subscriptis.



Datum Brundusij anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo septimo, mensis Augusti quintadecima Indict. Imperāte Domino Federico Inuictissimo Dei gratia Romanorum Imperatore semper Augusto, Hierusalem & Siciliæ Rege; Anno Rom. Imp. eius septimo, Regni Hierusalem secundo, Regni verò Siciliæ trigesimo feliciter. Amen.

Ex his igitur constat, qua virtute, qua sollicitudine optimus hic Præsul per tot annorum curricula eximie Teatinam Ecclesiam administrauit, illustriorem, ditioremque reddidit, cum tot bona, & iura recuperasset, vel de nouo acquisiuisset. Cæterùm Bartholomæus quando, vel vbi communi mortalium fato vitam amiserit, non constat; post annum certè 1227. accidisse fatendum est. Asseruabat olim Ecclesia Teatina argenteum thuribulum huius Præsulis donum, in quo expressa erant sub infulis eius gentilitia insignia, quæ supra retulimus cum his literis sculptis. Anno D. M. CC. XV. 10. IND. Hoc vetus Bartholomæi monumentum elapso æuo, haud sine venerandæ antiquitatis iniuria conflatum fuit, & ad alium Ecclesiæ vsum conuersum.

Dabis veniam lector, si extra chorum hoc in loco me saltare videbis; cum fundationem legeris Cœnobij sancti Spiritus de Ocra Ordinis Cisterciēsis in Furconiensi Diœcesi, quod non longè ab hac Teatina distat, à Berardo Albæ Comite anno 1222. liberali munificentia ædificati, ac B. Placido Ocrensi eiusdem Ordinis Viro sanctissimo dono dati; placuit, inquam, hic fundationis documentū ab ipso autographo exscriptum vnà cum eiusdem Placidi vita recensere. quæ ex lapsu memoriç

in Episcopis Aquilanis, qui Forconiensibus successere, silentio obruimus, en documentum.

In nomine æterni Domini.

☞ Anno Incarnationis eius 1222. mense Nouembri, Indict. 10. tempore Domini Honorij Papæ III. Regnante Domino Federico Dei gratia inclyto Rom. Imp. Augusto, & Illustrissimo Rege Siciliæ feliciter. Nos Berardus de Ocra Dei & Imperiali gratia Comes Albæ, vnà cum Domina matre nostra Roalda de Ocra, diuino lumine inspirati, vt felicitatis gratiæ participes effici mereamur Omnipotentis Dei, resurrectionis futuræ benedictionem merentes à Deo promissam pro præsenti consequi de ipsius felicitatis gratia mereamur, Omnipotenti Deo aliquid de bonis à Deo nobis concessis piè offerre proposuimus. Ne igitur humanæ fragilitatis illicita suasione, pio sublato proposito, retributio subtrahatur æterna; cum operationis propositum festinanter ad effectum deberet perduci; & quia sancta mater Ecclesia quotidie parturit, & congregatio fidelium iugiter augmentatur, & crescit, præcipuum beatitudinis opus fore eligimus tantum locum ad nouam Ecclesiam sub religionis Cisterciensis dogmate construendam inuenire, & ad ipsius cōstructionem, & perpetuam substentationem taliter prouidere, quod fratres ibidem conuenientes dignè Deo seruire, & ieiunijs, & orationibus deuotissimè vacare, necnō pro Christianorum delictis Domini misericordiam assiduè valeant implorare. Ea propter præsentis scripti donatione duximus declarandum, quod bona, & spontanea nostra voluntate ob seruitium Domini Nostri Iesu Christi, & Gloriosæ Genitricis eius Virginis Mariæ, pro salute animarum D. Federici Dei gratia Illustrissimi Rom. Imp. semper Augusti, & gloriosissimi Regis Siciliæ, & D. Constantiæ eadem gratia Serenissimæ Imperatricis semper Augustæ, & Excellentissimæ Reginæ Siciliæ, & D. Henrici Roman. Reg. magnificentissimi eorum filij, & pro remissione peccatorum suorum: pro animabus quoque D. Berardi de Ocra, & D. Roaldæ vxoris eius parentum nostrorū, & D. Comitissæ Sibiliæ vxoris nostræ, & omnium filiorum, & cōsanguineorum nostrorum in manus fratris Placidi de Vena Ocrensis offerimus Omnipotenti Deo, damus, atque concedimus, & irreuocabiliter tradimus, & confirmamus in pura eleemosyna, & oblatione locum, qui vocatur Prætula in Forconensi Territorio, & in Territorio Ocrensi ad Ecclesiam in honorem Dei, & Beatæ Mariæ gloriosæ Virginis cōstruendam sub religione Cisterciensis Ordinis Abbatiam ordinandam, cui Sanctus Spiritus nomen impositum est, in qua nihil iuris, seu dominij nobis, vel hæredibus & successoribus nostris reseruamus, sed vt quietè & liberè Deo seruire, ac deuotè ieiunijs, atque orationibus ibi conuersantes vacare, & pro eorum delictis veniam valeant à Deo postulare, & à peruersorum hominum improbitate nos & hæredes nostros rationabiliter tueri, pro posse statuimus. Ad hæc itaque, Monasterium, & perpetuam substentationem, quæ in ipso loco in præsentiarum tradita talibus finibus denotatur. A superiori parte . . . . via, quæ dicitur Cacconaria posita per transuersum rectè ascendēdo per Traginale maius vsque ad cacumen ipsius Traginalis rectè per scrimiam montis, sicut aqua pendit ex hac parte, & vsque ad confinia, quæ sunt in Territorio Castri Varilis, & descendit vsque ad terram Donati, & Bernardi de Amicone, & ad terram Lauræ Petri Ioannis Roberti. Cōcedimus insuper prædicto Monasterio omnia intra præscripta confinia nunc & in futurum existentia, quantum ad ius, & demanium nostrum spectat, terras scilicet cultas, & incultas cum vineis, arboribus fructiferis, & infructiferis, siluis, & pascuis, aquis, aquarū decursibus, & cum omnibus, quæ infra se, vel super se habent, vel habere poterunt, cum introitibus, & exitibus, & omnibus vtilitatibus suis ad habendum, tenendum, laborandum, & iure proprietatis perpetuò possidendum, & absque aliqua nostra & hæredum, & successorum nostrorum contradictione secūdum Cisterciensem regulam ædificandam, in domibus, molendinis, fullonibus, & alijs, quæ in futurum habebit. Damus etiam, & concedimus præfato Monasterio pro nobis, nostrisque hæredibus, & successoribus in perpetuum plenam libertatem, & omnibus seruitutibus, oneribus, & grauaminibus illud immune esse statuimus. Concedentes, & firmam authoritatem præstantes, vt quicunque nostrorum hæredum de bonis suis stabilibus prænominato Monasterio vendere, aut donare, siue pro animarum salute, siue pro temporali præmio aliquo modo voluerit offerre absque nostra, vel nostrorum hæredum & successorum contradictione liberam exindè habeat potestatem, tam in terra demanij, quam in terra seruitij nostri secundum consuetudinem Cisterciensis Ordinis prædicti Monasterij liberam potestatem habere sancimus, & statuimus, & ordinamus. Firmiter inhibentes, vt medium miliare propè Monasterium ipsum nulla noua sæcularis habitatio fiat. Animalia quidem prælati Monasterij, & homines ipsius vbicunque per terram nostram ad commodum Monasterij liberum aditum, atque reditum habeant, & constructa pascua, & ligna suscipiant sine alicuius contradictione, tam in montibus, quàm in planis, & alijs locis, pascuis, atque siluis. Insuper concedimus & firmiter ordinamus, vt omnia præscripta iam dicto Monasterio exhibita, & quæ in antea illi, siue pro temporali, siue pro spirituali retributione data fuerint secundum præscriptam libertatem, atque

A ordinationem liberè habeant, & quieto iure possideant, cum omnibus conditionibus, & vtilitatibus, iustitijs, & rationibus suis. Ita quod nos, neque hæredes & successores nostri exindè ipsum audeant molestare, vel ci modo quolibet contradicere. Quicunque autem nostrorum heredum hanc nostræ oblationis, donationis, & concessionis paginam ausu temerario infringere, aut molestare tentauerit, pœnam quinquaginta librarum auri se nouerit incursurum, medietatem Cameræ nostræ, & reliquam prædicto Monasterio exhibiturum. Si autem nos, heredes, & successores nostri eam quomodolibet infringere, aut il... è molestare tentauerimus, in pœnam centum librarum auri nos incursuros voluntariè obligamus, medietatem Imperiali magnitudini, & alteram medietatem Monasterio soluturos. Et pœna soluta, hæc nostra oblatio, atque donatio semper firma & illæsa remaneat, vt omnia scripta in posterum possint firma, & inuiolabilia iugiter permanere. Præsentem autem paginam per manus Fortisbrachij nostri Iudicis, & Notarij ad futuram memoriam conscribi & testibus roborari iussimus, & sigillo nostro communiri.

Dominus Ber. de Coll. rogatus testis.
Dominus Raynaldus de Siginolphi rogatus testis.
Dominus Ioannes Petrutij rogatus testis.
Dominus Marinus Bonttij rogatus testis.
C *Dominus Ioannes de Pagantei rogatus testis.*
Dominus Paulus de Paganica rogatus testis.
Dominus Raynaldus de Baril rogatus testis.
Presbyt. Raynaldus Agonimus rogatus testis.
Notarius Petrus de Ascilo rogatus testis.
Max. Rayñ. rogatus testis.
Fortis brachij Iudex & Notarius Domini Comitis Berardi de Albe præcepto ipsius Domini Comitis hoc scriptũ propria manu scripsi & signaui † locus signi.

D Accessit ad donationem Berardi Comitis auctoritas Thomæ Furconiensis Episcopi post annos quatuor fundandı Cœnobium in hunc modum.

Nos Thomas Episcopus Furconiensis.

Pro salute animæ nostræ damus, & concedimus fratri Placido, & fratribus licentiam Monasterium construendi ad honorem Sancti Spiritus in Territorio de Ocra in loco, qui dicitur Pretula, qui secundum Ordinem & Regulam Cisterciensis Ordinis viuere debeant, tam in officijs, quàm in alijs regularibus disciplinis, abijciendo omnem potestatem, & dominium, & nihil nobis in dicto Monasterio reseruando, nisi illud tantùm quod aliæ Domus Cisterciensis Ordinis consueuerunt Diœcesanis Episcopis exhibere, & specialiter reseruamus nobis & successoribus nostris de prædicto Monasterio ea, quę Monasterium Casęnouæ Pennensis Diœcesis exhibet Pennensi Episcopo, & damus, concedimus præfato Patri Placido, eiusque fratribus, & eorum successoribus in iam dicto Monasterio . . reseruantur. Ad cuius memoriam, & perpetuã firmitatem præsens scriptum fieri fecimus nostro sigillo roboratum. *Datum Furconia die 6. Decemb.* 1226.

Thomas iste, ille idem est, quem in Catalogo nostro Aquilanensium Episcoporum sub litera T. expressimus Furconiensem Episcopum. Vide tom. I. pag. 424.

B *Vita B. Placidi Rhodiensis Cisterciensis Ordinis Monachi à Rogerio Casænouæ Monacho eiusdem synchrono conscripta hactenus inedita.*

Placidus ex Rhodio Amiternini agri oppido oriundus parentes infirmos, eosque agricolas habuit, sed Christianam religionem ore & opere profitentes. Is liberorum tertius, paruulus pecudes pascebat, & cum sibi mater panem daret, illum, vti benignus & munificus, atque paupertatis amantissimus cæteris pastoribus distribuebat, domumque reuertens sopori ieiuna membra dedebat. Dominicam cantabat orationem, nec illis (vt pueri assulent) vanitatibus delectabatur, sed parentibus obediens, ac humilem se cunctis exhibens, grauitatem plusquam senex seruabat. Pueritia egressus, vinculis ferreis se colligauit, corpus suum incredibiliter castigans. Charitatem tantam profitebatur, quod ab ea nulla iniuria, nec infirmitas mentis, aut corporis ipsum seiungeret. Fortitudine spirituali item plenus fuit, humilitatem plurimam veneratus est. Nunquam se æqualibus alijs præponens, iustitiam ipsam Deum amans, ac timens obnixè colebat, paupertatem quoque amans, sibi pro victu necessaria in eleemosynas hilaris erogabat, Ecclesias etiam frequenter visebat. Ad oppidum rediens, psalterij lectionem à scholaribus pueris discebat, vt eam in agro, siluæque campis meditaretur. Demùm è patria discedens, ad B. Iacobi limina proficiscens, vbi per annum moratus, domum rediens, grauissimam incurrit ægritudinem, qua per lustrum ita afflictus est, vt nec de cubili surgere, nec caput tollere posset, nullo interim pharmaco vsus; hanc tamen æquo animo tulit, conualescensque Apostolorum, Beatique Michaelis phana inuisit, cum antea Oratoria frequentaret. Sed cum in conuersationis fluctibus requiem minimè inueniret, quendam Eremitam Mõtem Cornu

nu incolentem adiuit, sub quo Monachi habitu indutus, ieiunijs, orationibusque per annum vacans, ad Diui Nicolai Cœnobium inde non longè migrauit: & post annū ad Ecclesiam Saluatoris à Sano, à quo etiam loco aufugit; nam cum iuuenis decoro esset aspectu à Præposit sorore tentatur, quam fuga arrepta contempsit. Casentini montem conscendens, vbi quinque mensibus latuit; sed impudicis mulierum illius oppidi cantilenis inde discedere conatus in rupe sub Ocre Castro 12. annis mansit. Verùm enim verò omnibus innotescens, à pluribus visebatur ob miracula ad illum proficiscentibus, qui tamen ob difficilem ascensum interdum frustra laborantes ad locum non perueniebant, donec Simeon Sacerdos de rupe cecidit. Quod vir Dei ægrè ferens, supra Præulam (sic enim locum superiorem prætulis plenum vocant) incolam opacum se transtulit, ibique sub tugurio inter siluarum ligna ab hominibus se abscondens, foliorum, herbarum, & radicum esu viuebat, vbi Dominus cartam manu tenens illi apparuit, ad eam legendum inuitans: cui recusanti, seque nescire dicenti, aperuit Dominus intellectum, in eaque carta orationes, quas pro se populoq; suo assiduè dicebat (pro omnibus namque semper Christiana pietate orabat) millies die, noctuque genua flectens, *Pater noster*, & *Aue Maria* pronuncians, eleemosynas, cæteraque opera bona vidit. Domini igitur voce consolatus alacriùs incepto perstitit, Psalmos quotidie legens. Nunquam condimento, nec carnibus vescebatur, semper (diebus Dominicis exceptis) ieiunans, ac vltra consueta ieiunia certum, & quatuordecim quadragesimas persoluens. Nihil coctum gustauit 12. annis ante obitum singulis hebdomadibus per tres dies panem renuit. Cumque aliquando totam quadragesimam in oratione, & contemplatione vigilare decreuisset, Diabolus tot in eum congessit pediculos, vt mirum in modū concuteretur. Cum verò ad Pascha perueniset, reputans se frustra ob continuam pediculorum vexationē illis sanctissimis diebus laborasse, plurimùm lacrymabatur, cui tres colūbæ sese obtulerunt, quarum vna manicam dexteram, altera sinistram, tertia verò os intrauit, & pediculis se liberatum sensit. Nunquam per 37. annos in lecto quieuit, humine iacuit, sed stans, aut sedens, & innixus vsque ad suæ vitæ extremum modicè dormiebat, miram abstinentiam alacriter agens. Sicque corpore castigato, dæmones, montem, in quo erat, obsidētes effugauit. Nunquam capiti nouaculam admouit, nunquam rusticanum cilicium, quo erat indutus, lauit, mundi delicias aspernatus, miro tamen fragrans odore, ine squalore, ac sudoris fœditate rubicundus, atque candidus existebat. Cognatos omnes ad Deum seruiendum trahere conatus est, alios ad Domini sepulchrum mittendo, alios in via in Domini erudiendo, & cœpta occasione

A plures conuocauit. Nam semel orans, multos, inter quos Principes, & magnates ante se cernit, illosque à viro fulgenti veste induto incitatus obediendo benedixit, statimque Præulam à Berardo de Ocre Comite obtinuit, in qua cellulas erexit, arboresque plantauit, deque eius supercilio aquas deduxit. Congregatis fratribus Monasterium instituit Ordinis Cistercienfis, per diem, tanquam vnus ex illis laborans, noctuque Deo laudes persoluens, à quo etiam visione exhilaratus est, in qua nepotem ad Imperatoris Curiam profectum mortuum & eius animam vidit, fratribus diem, horam & locum referens, quod paulo post verum fuisse compertum est. Nec ipsum propheticum latuit; nam

B cum Nicolaus à Fossa duos habe et filios, altero amisso, acriter flens ad eum venerat magnis doloribus compulsus, mirabatur se præcipitem daturum, si alter ante decederet. Cuius stultissima verba vir sanctissimus increpans, dixit eum ante filium moriturum, & filium magnum coram Principibus, potentioribusque futurum. Patre namque mortuo, filius Romam profectus, clarus apud Pontificem, Cardinalesque habitus est, fratribus etiam, qui cum eo erant, de paupertate conquerentibus, cum nec victum haberent, rerum copiam, quæ post eius mortem consequuta est, prædixit. Morte verò imminente graui oppressus morbo, nolens gustare carnem, medicinasque tenens, inconsuetæ vitæ duritie

C permansit. Nam Domina Vallis Ocrensis mittebat die Sancto Paschæ Farinulam carnis hœdinæ cōfectam, qua degustata, cum à portante in illa carnem esse audiuisset, grauiter id ferens tota die fleuit sicque morbo inualescente à fratribus, & alijs, qui ad illum visendum venerant, ad Ecclesiam ab ipso inferius ædificatam deportatur, ad cuius recessum se se montis arbores, quasi id sensissent, inclinabant. Quo Rogerius Casænoræ Abbas venit, & eius confessione audita, Missaque celebrata, Sancto Dei corporis, & Sanguinis Domini viatico muniuit, atque prædictus Abbas, Abbatiæ nomine domum Sancti Spiritus cum omnibus hominibus à Viro Dei sub regula Beat Patris Benedicti & Cister

D ciensis Ordi is institutis sibi commissam accepit. Quibus peractis Feria quinta [illegible] Pentecostes [illegible] Anno Domini æ Incarnationis 1248 Idibus Iunij oculis ac manibus in Cælum semper intentis [illegible] in sinu Abbatis, & quod quod erat [illegible] Deo Placidus placidè reddidit, cuius corpus ita clarum, ac pulchrum apparuit, [illegible] septennis pueri speciem præferret. Qu[illegible] igitur missa, funereque celebrato pop[illegible] canticis, & hymnis clamantes cer[illegible] deleris Placide? a longè conuenerunt præ miraculorum multitudine stupentes, Deumque laudantes, quem quarto tandem die sepelierunt. Hæc autem miracula post mortem ab eo edita sunt. Vndecim à Dæmone oppressi liberati. Claudus

vnus ; & alter , qui claudus & incuruus erat, sanatus. Cæcus visum recepit. Muta locuta est. Duo lateribus contractis. Quidam manu contracta, & obliqua, Paralyticusque restituti sunt ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Placidi sacra lipsana in S. Spiritus Aede honorificè requiescunt, *ubi festum quoque eius quotannis Idibus Iunij celebratur*. De hoc Cœnobio plura essent dicenda, quæ breuitatis gratia omittimus, fortassis alio in loco de eo redibit sermo; sed ad Teatinos Episcopos redeamus.



27. RAYNALDVM nescio quem post Bartholomæum fuisse Episcopum Teatinum scribit auctor Indiculi nostri, illumque vixisse affirmat sub Gregorio IX. anno 1226. quod nullo modo stare potest; etenim eo anno in viuis erat Bartholomæus, qui subsequenti 1227. à Federico Imper. confirmationem priuilegiorum Ecclesiæ Teatinæ accepit Augusto mense, vt supra retulimus. Si Raynaldus iste verè successor Bartholomęi fuit post hunc annum 1227. ad hanc dignitatem vocatum esse omninò fatendum, & ante annum 1234. vel saltem in finem anni 1233. fato obiisse, vt mox patebit. Cæterùm cum in literis Petri de vinea nomine Federici II. Imp. scriptis vnam inuenerim ad Comitem Casertanum in fratris sui Episcopi Teatini obitu consolatoriam, suspicatus sum, an Raynaldus iste ille fuerit Comitis Casertani frater, quod satis mihi probabile videtur, etenim si hac tempestate Raynaldus de Aquino Thomæ filius Casertę Comes erat, cuius germanus frater Landulphus S. Thomæ Aquinatis pater, sed Raynaldus Comes erat, & vxoratus cum Federici Imperatoris filia, qui ad Corradi Imp. Federici filii tempora peruenit, vt eius æui scriptores habent. Fortasis Raynaldus Casertę Comes, pręter Landulphum, alium habuit germanum fratrem, eodem nomine vocatum, qui factione Federici euasit Teatinus Episcopus, siue igitur Raynaldus, seu alio nomine vocatus fuerit, ille, qui proximè Bartholomęo successit, ex hac nobilissima Aquina gente natus fuit, & Casertę Comitis germanus frater. Porrò Federici Imper. literæ ita leguntur apud ipsum Petrum de Vineis.

Consolatur Comes Casertanus ab Imperatore Federico II. de morte Episcopi fratris sui.

☞ Audito nuper, quod mordentis omnia mortis impietas N. Venerabilē Theath. Episcopum fratrem tuum, fidelem nostrum, tibi nunc ad pręsentiam nostram venire parato, non sine plurium detrimento subtraxit, passionibus tuis satis affectuosè compatiendo doluimus: & si ope, vel opibus recuperari defunctum, aut alia compassione tedlini natura permitteret, nostra propterea libenter aperuissimus æraria, & alia quælibet opportuna præsidia misissemus. Sed quia quod semel subripuit mors debitrix, mors amara non reddit, dolori tuo, quem multi tecum libentissimè partirentur, consolationis argumenta porrigimus, & gratiæ nostræ remedia propinamus. Deuotioni tuæ mandantes, quatenus astringas lachrymas, refrenes suspiria, & more constantis viri, tristitiæ limites prouide nobis placituros imponas.

28. GREGORIVS de Polo nobili gente natus factus est Teatinus Episcopus à Gregorio IX. anno 1234. hoc enim ipso anno in quodam assecurationis documento, quartus eius Præsulatus annus recensetur, quo idem confirmat iuspatronatus Ecclesiæ Sancti Nicolai de Salle Monasterio S. Mariæ de Arabona Ordinis Cisterciensis. Eidem anno sequenti Gregorius Pontifex Perusij degens cōmisit suo speciali diplomate, vt totam suam Diœcesim lustraret, reformareque studeret, tum Clericos, tū Regulares in ea constitutos, facto initio à se ipso, vt religiosius rem peragetet dignam. Diploma non vidi; aiunt tamen in Archiuio Teatinæ Ecclesiæ asseruari.

An hic Gregorius consanguineus fuerit, siue gentilis Ioannis illius Romani Senatoris cognomento de Polo, cuius in vita Federici II. Imp. meminit Petrus Messia, veluti audacissimi viri, quique Romanis ansam præbuit, & contra Gregorium Papam, tunc pestilentiæ causa ab Vrbe absentem sub specie quadam libertatis vindicandæ auctor fuit, firmiter asserere non auderem: obitum Gregorij ignoramus, habemus tamen eo decedente, longo temporis spatio Teatinam Ecclesiā pastore vacuam fuisse. Hac tempestate defunctus est Federicus Imp. apud Ferentinum anno 1250. quamobrem aliquot Neapolitani Regni Prouinciæ, Campania præsertim, & Aprutium sponte ad Ecclesiæ Romanæ gremium sese submittentes deuenerunt, qua de causa, Innocentius IV. Petrum Capocciū Diac. Card. impigrum virum cum valida militum manu, Regni Legatum instituit. In postero anno 1251. arma mouens Aprutium

In-

A ingreditur, & dum in Castris apud Piscariam esset, diploma cudi fecit ad fauorem ciuitatis & Ecclesiæ Teatinæ, quo ipsam ciuitatem Castra & Villas eiusdem immunes fecit ab omni militari seruitio, omnia quoque priuilegia largitione Principum, aliorumque Teatinæ Ecclesiæ concessa benigne asseruit. Diplomatis tenor talis est ab exemplari tabularij eiusdem Ecclesiæ.

Petrus miseratione diuina Sancti Georgij ad velum aureum Diac. Card. Apostolicæ Sedis Legatus.

Dilectis in Christo Consilio, & Communi Teatiñ salutem in Domino.

Vt vestrarum vtilitatum beneuolentiam Sanctæ Matris Ecclesiæ ac nostram sentiatis fauorabiliter promotricem præsentium vobis auctoritate cōcedimus, vt ciuitas Teatina, & alia Castra, & Villæ Ecclesiæ Teatinæ, videlicet villa Tribulliani; villa Seulculæ, Castrum Scorciosæ Castrum villæ Mariæ, Castrum Fossæ Baleulinæ, Castrum montis Siluani sint immunia & libera ab omni seruitio bonæ memoriæ Regis Guillelmi Primi & Secundi, & reuocamus onus eis impositum iniustè per quondam Federicum Principem Romanorum specialiter quatuor militum impositorum Ciuitati prædictæ, adijcientes,
C quod cum Castrum villæ Magnæ, & Furcæ fuerint & esse debeant in Demanio Ecclesiæ Teatinæ, sicut per priuilegium quondam Imperatricis Constantiæ dicitur apparere, & quondam Friderici prædictorum per sententiam depositionis contra eum latam concesserit in Baroniam prædicta Castra Guillelmo de Rocca, & Berardo de Cona: quod reducantur in pristinum statum reuocamus, & ad demanium Ecclesiæ Teatinæ Insuper deuotioni vestræ concedimus, quod homines Villę Tribulliani, villę S. Pauli, Castri Furcę Balculinę, Castri Turris, Castri Ripæ, Castri & Casalis S. Hilarij, & tertię partis pro indiuiso Castri S. Ioannis, & S. Felicis, qui promiserunt, & iurauerunt perpetuò habitare in Ciuitate vestra & esse conciues vestri, & pro maiori parte mihi receperunt incolatum saluis redditibus, & seruitijs Dominorum suorum perpetuò debeant esse ciuitatis eiusdem, & Ecclesiæ Teatinæ, tam ipsi, quàm alij, qui ad habitationem ipsius Ciuitatis voluntariè venerint in futurum, omnia quoque priuilegia indulta ipsi Ecclesiæ Teatinæ per Romanos Pontifices, Principes Romanos, Imperatores, Reges, Comites, & Barones, & quoscunque alios. Similiter confirmamus, omnia priuilegium, si quod alias in præiudicium & iniuriam vestram, vel ipsius Ecclesiæ concessimus, reuocantes. Concedimus quoque vobis, quod sitis liberi & immunes in Piscaria ab omni exactione pedagij, plateatici, & Duanæ, & ab omni exactione, occasione, vel ratione alicuius mercaturæ, quæ ibidem processu temporis faceretis, supra criminalibus verò volumus & mandamus, vt viuatis sicut alij de speciali patrimonio S. Petri. *Datum in Castris apud Piscariam 11. Kal. Maij Anno Domini* 1251.

29. LANDVLPHVS patria Neapolitanus ex Sacello Richardi Diac. Card. S. Angeli ab Innocentio IV. Teatinę Ecclesię post diuturnam vacationem Episcopus electus est anno 1252. Idib. Ianuarij, pontif. sui anno 9. vt ex literis ad ipsum scriptis, eodem die clarè habetur in Vatic. reg. num. 95. fol. 136. & in alijs num. 105. fol. 127. ad Capitulum Teatinum datis, quibus ipsum Landulphum à se electum commendat. Duobus plus minus annis eximiè pręfuit, eodemque Pontifi-
B ce mortem oppetijt.



30. ALEXANDER de Capua Innocentij IV. Cappellanus Teatinam Sedem demortui Landulphi accepit anno 1253. eundem ab se electum Innocentius Capitulo Teatino commendat in literis Vatic. reg. num. 115. fol. 166. ann. Pontif. 12. Dat. Anagnię 4. Kalend. Septembris, quo anno ait Indiculus noster, in eius gratiam scripsit Innocentius hominibus ciuitatis Teatinę, vt Alexandro restituant molendina, & alia, quę de eius Episcopali mensa occupauerant, eique tanquam spirituali, ac temporali patri fidelitatis &
D obedientię iuramentum præstent. Ann. 1256. vt Indiculus idem testatur, Al[illegible] IV. eiusdem Episcopi intuitu mandat Episcopo Pinnensi, & Abbati Casęnouę Ord. Cistercien. sis, vt reuocare faciant omnes concessiones in bonorum, iuriumque Teatinę Ecclesię pręiudicium factas. Anno [illegible] idem Pontif. x reuocat omnes donationes, & alienationes factas de rebus Ecclesię Teatinę à Federico II. Imper. eiusque fautoribus: mandat idem, eodem Episcopo instante Iserniensi Episcopo, vt iuxta consuetudinem nonnullos Abbates, aliosque Teatinę Diœcesis Prælatos ad prestandum Episcopo Teatino, quem electum vocat, fidelitatis iuramentum sub ecclesiastica censura, & appellatione postposita

sita compellat. Idem, cum nonnulli religiosi, & alij clerici sęculares prętextu exemptionis nollent eidem Episcopo obedientiam pręstare, nec ad visitationem ipsum recipere, nec procurationes ratione visitationis persoluere, aliaque commisit idem Pontifex Valuensi Episcopo, vt causam cognosceret, & quod iustum esset decerneret, appellatione remota, ex eis literis. *Dat. Viterbij Id. Augusti, Pontificatus* 3. quo anno facultatem tribuit Alexandro Episcopo amouendi ab omnibus beneficijs illos, qui ea (vt ipse expresserat) non vt legitimis possessionibus possiderent, ac se in illis temerè intruserant aliquo casu, & quod honestis clericis ea conferat Apostolica authoritate. Idem Alexander sub *Dat. Laterani* 11. *Kal. Aprilis ann.* 2. scribit Abbati Arabonæ, vt compellat Lancianenses à depopulatione, & iniurijs, quibus Castrum Sricosæ infestabant, quod iure ad Teatinam pertinebat atque de illatis cogeret ad satisfactionem. Hic Episcopus Alexander anno Dom. 1259. (vt narratur in quodam instrumento initæ concordiæ inter Raymundum Episcopum Teatinum, & Bernardum, & Carolum de Roiano super Castrum montis Sylnani anno Domini 1323.) concessit in emphiteusim Bernardo de Roiano auo paterno prædicti Bernardi, & Caroli dictum Castrum montis Syluani pro solutione annui census duarum vnciarum auri soluendarum in festo S. Iustini, & octaua Resurrectionis Domini, & pro seruitio vnius militis faciendo supradictæ Ecclesiæ Teatinæ & Episcopo cum necessarium esset seruitium vnius militis pro exercitu generali, prout alios Barones seruire Regiæ Curiæ oportebit ad requisitionem ipsius Episcopi, & pro seruitio duorum militum ad defensionem dictæ Ecclesiæ Teatinæ intra Diœcesim pro diebus quindecim ad defensionem Ecclesiæ Teatinæ, reseruatis sibi Episcopo, & successoribus cognitione appellationum causarum, & vncijs auri duodecim soluendis pro consecratione omnibus futuris successoribus, ab omnibus dicti Castri, hoc pacto etiam adiecto, quod ipsi Barones annuatim debeant Ecclesiam Teatinã, & episcopum visitare, & quod deficiente tertia generatione legitima, Castrum deuoluatur ad dictam Ecclesiam Teatinam cum meliorамentis. Hæc, Indiculus ex instrumentis eiusdem Ecclesiæ, quæ non vidimus.

Cæterùm Alexander ante annum 1262. oportet obijsse, annus tamen, diesque ignoratur.



34. M. NICOLAVS de Fossa Ord. Cisterciensis Monachus, olim Ecclesiæ S. Maximi de Furcone Canonicus, tunc Ioannis Episcopi Card. Portuensis Cappellanus, ab eodem electus est Teatinus Episcopus anno 1262. facultas eligendi eidem religiosissimo Cardinali tradita fuerat ab Vrbano IV. Datum Viterbij 5. Kal. Iulij, Pontif. 2. ex reg. Vatic. & ab eodem Pontifice mox confirmatus, consecrationis munus accepit: Vir fuit pius, doctus, & Ecclesiæ sibi commissæ valde studiosus; quæ autem ab eo gesta ad me peruenerunt, aliqua hic recitabo. Anno 1264. sui Præsulatus 2. confirmauit Berardo, seu Bernardo de Roiano locationem Castri montis Syluani, quam Alexander antecessor asseruerat his editis inter cætera conditionibus. *Quod si dictum feudum deficeret ante tertiam generationem vxores defuncti tenerētur deferre facere mortui cadauer ad Ecclesiam Teatinam*. Eodem anno literas habuit ab Vrbano IV. quibus præcipitur vt Ordinem S. Benedicti inducat in Eremum Sancti Spiritus de Maiela in sua Diœcesi situm, quæ deinde euasit in celebrem Abbatiam Ordinis Cœlestinorum à S. Petro de Morone mox Pont. Max. sub Cælestini V. nomine nuncupato, qui primus Eremum incoluit sub Sancti Benedicti regula. Vrbani literæ sunt hæ.

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei.

Venerabili Fratri Episcopo Teatino salutem, & Apostolicam benedictionem.

CVm sicut ex parte dilectorum filiorum Rectoris, & fratrum Eremi Sancti Spiritus de Maiella tuæ Diœcesis fuit propositũ coram nobis, quod ipsi, qui nullius Ord. Obedientiæ sunt adstricti, Ordinem B. Benedicti profiteri, eique incorporari desiderant, & ipsius informari etiam institutis. Nos eorum propositum fauore beneuolo prosequi cupientes, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si est ita, vt eis facultatem propriam suffrageris, adeout idem Ordo possit ibidem perpetuis temporibus obseruari, eundem Ordinem in Eremum ipsam

ipsam, si expedire videris, inducens, eosque incorporare Ordini memorato sine iuris præiudicio alieni. *Datum apud Vrbem veterem Kal. Iunij, Pontificatus nostri anno secundo.*

Nicolaus igitur rem sibi à Pontifice commissam summa diligentia prosequutus, Eremum, ac fratres in Diui Benedicti Ordinẽ ritè cooptauit, primumque instituit Rectorem Petrum illum de Morone, suoque diplomate stabiliuit, Datum Teate eodem anno 1264. die 20. Iunij. Sed cum deinde sedente Gregorio X. Nicolaus accepisset, Petrum ab eodem Pontifice Ordinis sui confirmationem, & ab Ordinarijs exemptionem accepisse, ita exarsit in Virum Sanctum, eiusque asseclas, vt nouum Ordinem in totum conuellere cogitaret, omnemque mouit lapidem, quo ipsum destruere posse videretur. Quamobrem Petrus humilitatis, & patientiæ dono inbutus Deum exorauit, vt Nicolai auerteret iram, illumque placabilem redderet. Interim infirmatur Episcopus, & ferè ad portas mortis deducitur, qui ad cor rediens Sanctũ Virum exorari fecit, vt sui misereretur, futurus nouelli sui Ordinis benignus Protector. Petrus verò precibus Episcopum Domino commendans, sanitatem non sine miraculo impetrauit. Nicolaus, quem transuersum egerat ira, & ambitio, diuino flagello correctus, Petrum, eiusque Ordinem summa deinde charitate amplexus priuilegijs & Diœcesana iurisdictione cuso diplomate immunem facit anno 1274. Anno 1266. Nicolaus cum Capituli sui assensu Ecclesias S. Martini de Palleto, & S. Ioannis de Arelan. suæ Diœcesis cum iuribus, & suis pertinentijs reformãdas contulit Abbati, & Monasterio S. Viti de Piscaria Ordinis Cisterciensis Pennensis Diœcesis. collationem deinde confirmauit Clemens IV. hoc diplomate, quod exscripsimus ex Archiuio Monasterij Ferrariæ eiusdem Ordinis, cuius erat filia Abbatia S. Viti eo in loco condita ante annum 1200.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei.

Dilectis filijs N. . . . Abbati, & Conuentui Monasterij S. Viti de Piscaria Cisterciensis Ordinis Pennensis Diœcesis salut. & Apost. bened.

Meritis vestræ religionis inducimur, vt vos illa prosequamur gratia, quæ vobis fore dignoscitur opportuna. Sanè petitio vestra nobis exhibita continebat, quod venerabilis frater noster N. . Episcopus Teatinus S. Martini de Palleto, & S. Ioannis de Arelañ. Ecclesias tunc vacantes, & ad collationem ipsius Episcopi pertinentes cum omnibus iuribus, & pertinentijs suis, Capituli Teatini ad id accedente consensu, vobis & Monasterio vestro contulit reformandas, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, collationem huiusmodi, sicut proinde facta est, ratam & firmam habentes, eam authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio cõmunimus. Nulli ergo hominum, &c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem, &c. *Dat. Viterbij iij. Kal. Iunij. Pontificatus nostri anno secundo.*

Ab hoc anno 1266. omnes chartæ de Nicolao tacent per annos quinque. Anno verò 1271. habemus documentum, quo Nicolaus Castrum Orni, accedente Capituli consensu, in emphiteusim tradidit Aldoinjo de Bisaciis, & Philippæ vxori eius. Vertente anno concordat cum hominibus Villæ Magnæ, vt singuli homines dictæ Terræ tenerentur *soluere quolibet anno Ecclesiæ Teatinæ tarenum vnũ auri in loco collecta exigi solita in festo Sctæ Mariæ de mense Augusti per omnes Barones à proprijs vassallis.* Eodemque anno in Regio Regestro A. Caroli Primi fol. 130. Hęc scribuntur. *Episcopus Teatinus conqueritur apud Regem, quod cum ipse ratione suæ Ecclesiæ possideat ciuitatem Teatinam in demanio, prout sui prædecessores possederunt, Matthæus de Plessiaco cum ibi nullum ius haberet ad instantiam Abb. Senobaldi eiusdem Ciuitatis, suorumque sequacium, Episcopi amulorum, variè Episcopum, & ciuitatem turbabant sub prætextu regij mandati de capiendo Theobaldum de Fossa, eiusque sequaces, quos Abbas, regios proditores esse asserebat, & ipse Matthæus eum Camilla Castrorum . . . . hostiliter accessit, domumque eiusdem Episcopi, & nepotum suorum disrobauit, &c. Arausinus etiam frater suus, Iacobellum eiusdem Episcopi vallettum ense percussit. Et quia sui nepotes voluntariè ante Regis præsentiam comparere volebant, iubet Rex Iustitiario, quod capta de hoc fideiussione, Episcopum, nepotes, nec alios faciat amplius molestare. Et in eadem forma scribitur Matthæo de Plessiaco, quod desistat à molestando.*

Ex his elicitur, aliquando Episcopum Teatinum dominum fuisse Teatinæ ciuitatis ratione Demanij suæ Ecclesiæ; quomodo autem eodem tempore fuerint in hac ciuitate Comites, dum Episcopi domini eiusdem essent, obscurum mihi est.

Anno 1273. Carolus Primus Rex tunc Almæ Vrbis Senator ad instãtiam Episcopi Nicolai per suas literas committit Iustitiario Apuliæ Goffredo de Modellis, *vt videat de donationibus, quorundam bonorum Episcopatus Teatini & aliarum Ecclesiarũ eiusdem Diœcesis, & faciat ea restitui summariè & de plano, quæ tamen ante eius aduentum in hoc regno occupata fuisse inueniantur, quæ verò post eius aduentum fuissent occupata, non nisi ordine iudiciario, at prohibet, quod manus non extendat ad ea, quæ Regia Curia tenet, vel alij possidenda tradiderit.* Circa huius commissionis tenorem prædictus Iustitiarius inquisitionem committit duobus Canonicis

n officiis Teatinis; qui omnia perfecit. ti f. ne, & curà diligenti Teatina Ecclesia per plura bona, & immunitates antea occupata recepit, exultante præ gaudio Nicolao Episcopo Regi charo, qui tantæ rei promotor extiterat. Nolo prætermittere, quod cum Thomassia de Paleatea Monopelli Comitissa pro sua pia devotione cuperet vt in Castro suo Guardiæ Gralij Teatinæ Diœcesis, fratres Ord. Minorum reducerentur, ac de veteri, incommodoque loco, quem hactenus inhabitauerant, nouum conderent Monasterium apud Ecclesiam S. Syri, Episcopum Nicolaum precibus exorauit, cuius benignè pro petitioni eum annuisset, de consensu Capituli sui Ecclesiam illam Ordini & Fratribus Minoribus perpetuò per suum diploma tradidit, & concessit anno 1276. Diplomatis verò talis est tenor ab exemplari.

Nicolaus miseratione diuina Teatinus Episcopus.

Vniuersis ac singulis præsentes litteras inspecturis salutem in vero salutis authore.

Consentaneum est & tam in spiritualibus, quàm in temporalibus iuri satis conueniens, vt iusta petentibus non denegetur assensus: præcipuè cum petitio sapit in ijs, quę diuino cultui pertinent, & per id non infertur alicui, sed potius conferatur. Cum itaq; illustria mulier D. Thomasia de Paleatea, egregia Comitissa Monopelli suis deuotis precibus supplicaret nobis, & nostro Capitulo Teatino, quatenus auctoritate pia ad nos pertinere agnoscitur, quandam Ecclesiam vacantem S. Syri sitam in Castro Gulij de solita consueta gratia concedere dignaremur Ordini Fratrum Minorum, pro eo, quod antiquus locus eorum, quem hactenus habuerunt, foret inutilis tam in ratione praui itineris, quã in ratione distantiæ non decentis, occasione, quorum in opportunitatibus spiritualibus, & temporalibus commodè subueniri non poterat, ipsi D. Comitissa, & habitatoribus in Castro præfato per fratres Ordinis memorati. Nos itaque, qui ex debito nostri officij, & plantare in Deo sacram religionem tenemur, & plantatam congruis fauoribus ampliare, cũ assensu, & voluntate nostri Capituli Teatini prædictæ D. Comitissa deuotis precibus annuentes, & tam ipsorum Fratrum, quos affectu paterno complectimur, quàm habitãtium in Guardia commoditati fauorabilem præstantes assensum, eandem Ecclesiam S. Syri Ordini Fratrum Minorum commorandum, ac ibidem perpetuo Domino famulandum, duximus concedendam. Verùm quia dicta Ecclesia Parochialis extitit, & Cimiterium habet, ne in Parochialibus præfatæ Ecclesiæ in posterum defectus aliquis committatur, nè etiam dictę Ecclesię in aliquo vllo vnquam tempore ipsam Parochiam & Cimiterium præfato Ordini Minorum plenariè & liberè duximus condonandam, promittentes pet nos, & nostrum Teatinum Capitulum nostrosque successores prædictam donationem, & concessionẽ omni tempore, & firmam habere, & in nullo vnquam futuris temporibus modo aliquo contrauenire. Vndè ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum, & in robur donationis & concessionis prædictæ & perpetuæ firmitatis ac ipsorum Fratrum cautelam præsens scriptum donationis, & concessionis communiri fecimus tam impressione sigilli nostri, quàm nostri Capituli supradicti. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & donationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Thomæ Apostoli, & Iustini Cõfessoris, quorum patrocinio fungimur, se nouerit incursurum. *Dat. Guardiæ 4. Id. Martij anno 1276.*

Vltima memoria in Chartophylacijs Teatinis de Nicolao habetur an. 1277. quo ab eodem ex consensu Capituli S. Mariæ de Baro, quæ Ecclesia subdita & suffraganea Ecclesiæ Teatinæ erat, vendidit etiam & concessit ad censum annuum Villam Storciosæ pro annuo censu vnius auri vnciæ nobili Viro Roberto de Massa gallica consanguineo illustris Mattildis de Cortiniaco egregiæ Comitissæ Teatinæ his conditionibus adiectis, quod si ante finitum dictum tempus centum annorum Robertus ipse, & eius hæredes & successores & linea rectà deficerent, intelligeretur subrogata in ijsdem conditionibus prædicta Comitissa, Matilda & eius hæredes & successores quousque compleretur numerus annorum cẽtum, reseruatis Ecclesiæ Teatinæ & S. Mariæ in Baro operis, & decimis prędialibus ab hominibus dicti Casalis, saluis etiam Ecclesia, & iuribus S. Siluestri, in quibus fuit expressè cautum, quod prædicti Robertus, & Comitissa, eorumq; hæredes, & dependentes nullatenus se intromittant, &c. Vixisse Nicolaũ plus minus annis 20. habent diptycæ nostrę, obijsse verò anno 1282. mense Martio scribit noster Indiculus ex documento Berardi Episcopi Prænestini Apostolicę Sedis in Neapolitano Regno de Latere Legati, vbi exigitur quædam pecuniæ pars eidem debita à Capitulo Teatino, Sede tunc vacante.

35. THOMAS ex Præposito S. Nicolai de monte Oderisio Teatinæ Diœcesis tunc Cappellanus Cardinalis S. Mariæ In via lata, defuncto Nicolao electus est à Capitulo Teatinus Episcopus anno 1282. confirmationem tamen non accepit vsque ad annum 1286. vndecimo Kal. Aprilis ab Honorio IV. vt ex epistola 340. fol. 91. reg. Vatic. an. 1. eiusdem Pontificis colligi potest. Iam consecratus anno 1288. primum lapidem iecit in nouæ molitione Ecclesiæ S. Agathæ intra Vrbem Tea-

Teatinam sitæ in loco Triuigliano, vt versus ibidem in lapide sculptus commemorat.

Annis millenis centum bis, & octuagenis
Octo fundata domus est tibi Virgo Beata
Agatha donatur, & ab hoc, qui carmina fatur.
Sum Celamensis Raynaldus, & ipse Tetensis
Publicus, & Ciuis scriptor mihi credito viris.
Cum Margarita sit & hoc consorte perita
Sunt hæc facta die Decembris mense Lucia
Quarto Pontifice Nicolao frena regente.
Orbis Secundo Carolo regnante secundo
In Teta Ecclesia residente Præsule Thoma
Qui primum lapidem benedictum fundat ibidem.
Quisquis es his cum socijs pro quolibet ora.
Annis Ecclesia tribus huic post immediatè
Præsul hic Ecclesiam coniungit, atque beata
Consilio sano Maria de Triuiliana.
Hasque meo signo solito pro robore signo.

Anno 1292. Thomas noster probauit, quæ Nicolaus in gratiam Thomasiæ de Palcarea Mohopelli Comitissæ fratribus minoribus concesserat in Castro Guardiæ Grelij, cui addidit Cœmeterium B. Mariæ eiusdem Castri. Audi tabulas publicas.

Thomas miseratione diuina Theatinus Episcopus omnibus & singulis præsentes literas inspecturis salutem in eo, qui est vera salus.

Consentaneum est, vt quod rationabiliter, & vtiliter petitur, liberaliter largiatur. Hinc est, quod vtilitate communi pensata per egregium Virum Dominum Gualterium de Palearea bonæ memoriæ Illustrem Comitem Manopelli procuratum extitit, vt Cimiterium Guardiæ à Sancta Maria de eadem Terra ad quandam Ecclesiam, vbi nunc Fratres minores Domino famulantur, transferretur, quod authoritate piæ mem. Domini Nicolai quondam Episcopi Teatini causa rationabiliter existente extitit effectui mancipatum, & cum magna deliberatione translatum, ita quod à triginta quinque ferè annis vsque ad hæc tempora cum pace Cleri & populi sic extitit obseruatum; Verum quia in desiderio erat mulieris egregiæ D. Thomasiæ de Palearea illustris Comitissæ Manopelli, vt quod à Domino patre suo extitit pro vtilitate communi rationabiliter procuratum & authoritate Pontificali salubriter concessum, à Clero & populo concorditer obseruatum perpetui roboris haberet firmitatem, nobis

A humiliter supplicauit, vt eiusdem authoritate, qua ad nos pertinere dignoscitur de solita gratia benignum præstaremus ad hoc assensum. Nos igitur, qui ex debito nostri officij debemus attendere quod rectis dispositionibus nihil debet difficultatis afferri; maximè cum ijs nihil inferatur alicui, sed potius conferatur, præfati prædecessoris nostri vestigijs inhærendo, ad id quod à tanto Domino vtiliter extitit procuratum authoritate Pontificali salubriter ordinatum, à Clero, & populo tam longo tempore concorditer obseruatum, & à tanta Domina deuota Teatinæ Ecclesiæ filia tam humiliter postulatum grato concurrentes assensu, quod cum tanta deliberatione actum

B est, ratum & firmum habentes, deliberatione prævia irrefragabiliter sancimus, statuimus, concedimus, & ordinamus, quod prædictum Cimiterium apud prædictam Ecclesiam S. Francisci de Guardia, vbi prædicti fratres Domino famulantur perpetuò debeant de cætero remanere, approbantes nihilominus laudabilem consuetudinem inter ipsos Clericos, & fratres hactenus concorditer obseruatam, vt in celebrandis exequijs sibi inuicem deferant, & charitate fraterna mutuò se honorent; Mouere namque debet prædictam D. Comitissam potenter, & nos prædictis petitionibus annuentes quod apud prædictam Ecclesiam Sanctæ Mariæ iure prohibente prædictum Cimiterium esse non competit,

C pro eo quod in eius circuitu strepitus iudicialis exercetur, & rerum venalium foris ibidem continuè tenetur. Vnde ad futuram memoriam, & perpetui roboris firmitatē præsens scriptum nostrum sigillo pendenti fecimus communiri. *Datum in Ciuitate Teatina vigesimaprima Ianuarij, anno Domini 1291.*

Has Nicolai, & Thomæ Episcoporum donationes, seu magis concessiones post annos nonaginta ratas habuit Ægidius Cardinalis Albornotius Vrbani V. in Italia Apostolicæ Sedis Legatus, suoque diplomate affirmauit anno 1367. quod placuit hic exscribere ab exemplari.

Aegidius miseratione diuina Episcopus Sa-
D *bin. Apostolica Sedis Legatus, Dilectis in Christo Guardiano, & Conuentui Ordinis Fratrum Minorum de Castro Guardia Grelij Teatina Diœcesis salutem in Domino.*

Cum à nobis petitur, quod iustum est & honestum, tam vigor æquitatis, quam Ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad effectum debitum perducatur. Sanè oblata nobis pro parte vestra oblationis series continebat, quod bon. mem. Nicolaus Episcopus Teatinus certis iustis causis motus pariter & inductus Parochialem Ecclesiam S. Cyri de Castro Guardiæ Grelij Teatinæ Diœcesis, in qua locus vestri B. Francisci, vbi præsentialiter residetis, postmodum fuit constructus ad degendum & morandum ibidem, & per-

perpetuò Domino famulandum. Guardiano, qui tunc erat, & vobis Conuentui apud Ecclesiam aliam tunc temporis habitantibus, de sui Capituli Teatini assensu & voluntate, concessit, & tam ipse, quàm præfatum Capitulum Parochiam eiusdem Ecclesiæ S.Syri cũ Cimiterio liberè donauerunt, promittentes pro se, & suis successoribus concessionem & donationem huiusmodi omni tempore firmã & ratam habere, & nullo tempore aliqualiter contrauenire, & subsequenter bon. memor. Thomas Episcopus Teatinus dicti Nicolai successor similibus, & alijs rationabilibus causis suadentibus præmissa ratificauit, & approbauit, & insuper Cimiterium Beatæ Mariæ de Castro Guardiæ prędictę, ne ibidem iudicialis strepitus, & venalium rerũ forus, prout fieri contra debitum consueuerat, exerceretur, vlterius de voluntate & consensu sui Cleri & populi Castri prædicti præfato loco vestro concessit, ac statuit, voluit & ordinauit, ipsũ Cimiterium Fratribus eiusdem loci, qui Cimiterium huiusmodi longo tempore habuerant, deberet perpetuò remanere, ac laudabilem cõsuetudinem inter Clericos dicti Castri, & fratres supradicti loci vestri hactenus concorditer obseruatam, vt videlicet in celebrandis exequijs sibi inuicem deferrent, & fraterna caritate in Domino, mutuò se honorarent, etiam approbauit, prout in patentibus litteris Episcoporum, & Capituli prædictorum sigillis communitis, quarum tenorem pręsentibus inseri fecimus, plenius continetur. Nos igitur, qui pręfatum Ordinem vestrum inter cæteras religiones præcipuæ deuotionis affectione prosequimur, vestris in hac parte supplicationibus fauorabiliter annuentes, quod super præmissis per Episcopos prædictos prouidè factum est, ratum, & gratũ habentes, id authoritate qua fungimur, confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio cõmunimus. Tenor verò litterarum Nicolai Teatini Episcopi prædicti talis est: Nicolaus miseratione diuina Teatinus Episcopus, &c. vt superius. Tenor verò litterarum supradicti Thomæ, præfati Nicolai successoris talis est. Thomas miseratione diuina Teatinus Episcopus, &c. vti supra. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ cõfirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prę sumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. *Datum Assisij Idibus Aprilis, Pontificatus Domini Vrbani Papæ V. anno Quinto. Bernardus de Regio.* Cæterum Thomas ætatem produxit vsque ad Cælestini Quinti Pontificatum, sub quo defunctus est: cui statim successorem dedit quędam Franciscum de Andria Ortonensis Ecclesiæ Archipresbyterum; sed is tantùm electus, nec dum consecratus à Bonifacio VIII. Cœlestini successore ab ea dignitate reuocatus Teatinam Ecclesiam vacuam reliquit, regressusque est ad priorem suum Ortonensem Archipresbyteratum, vt mox ex regest. Vatic. enarrabimus. Porrò Cœlestinus Ecclesiam Teatinam speciosa indulgentiæ thesauro perpetuò cohonestauit. En diploma ab exemplari.

Cælestinus Episcopus seruus seruorum Dei.

Vniuersis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem & Apostolicam benedictionem.

Vitæ perennis gloria, qua mira benignitas Conditoris omnium sacram coronæ aciem Ciuium supernorum à redemptis pretio Sanguinis fusi de pretioso Corpore Redẽptoris meritorum debet acquiri virtute, inter quæ illud esse prægrande dignoscitur quod vbique, sed præcipuè in Sanctorum Ecclesijs Maiestas Altissimi collaudetur. Cupientes igitur vt Ecclesia Teatina congruis honoribus frequentetur. Omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui ad dictam Ecclesiam in singulis festiuitatibus Sanctorũ Thomæ Apostoli & Iustini, in quorum honore vocabuli prædicta Ecclesia est cõstructa, & in anniuersario die dedicationis eiusdem Ecclesiæ, ac per octo dies festiuitates ipsas immediatè sequentes, deuotè accesserint annuatim de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, vnum annum, & quadraginta dies de iniunctis sibi pœnitentijs misericorditer relaxamus. *Datum Theate. 5. Kal. Nouembris, Pontificatus nostri, anno primo.*

35. Fr. RAYNALDVS Ord. Prædicatorum, doctrina, & in rebus agendis vir clarissimus, & Bonifacio VIII. charus Thomæ successit, irrita tunc declarata Cœlestini prouisione de Francisco Andriensi, electus anno 1295. 11. Kal. Maij, vt legitur in Epistola Bonifacij num. 84. fol. 21. regest. Vatic. an. 1. eiusdem Pontificis. Vix inauguratus cum esset vir potens in opere & sermone apud Carolũ II. Siciliæ Regem, ab eodem obtinuit, vt Vniuersitas Teatinæ Ciuitatis eligere possent Iudicem annualem ad bene, ac quietè rempublicam gubernandam. Scripsit Carolus in hæc verba, quæ extant in regio regest. Neap. lit. B. fol. 267. ann. 1295.

Carolus Secundus, &c.

Si gratiam debemus Ecclesijs, merito nos benignos, & placidos inuenit Teatina mater Ecclesia, ad quam sincero dirigimur deuotionis affectu. Ergo per venerabilem Patrem fratrem Raynaldum Teatinum Episcopum dilectum & deuotum nostrum nostrę maiestati exponitur, quod pro bono statu Ciuitatis Teatinæ, quæ est ipsius Ecclesiæ, vtiliter expedit aliquem exterum in annuum sibi prefici

præfici Iudicem ad ciuilia, qui causantibus iustitiam faciat, & hominum pacem seruet, Nos & ipsius Ecclesiæ commodis, & ciuium incrementis ad intercessionem eiusdem Patria Episcopi benignius attendentes, de certa scientia nostra præsentium tenore concedimus, vt Vniuersitas Ciuitatis eiusdem singulis annis, si velit aliquem etiam exteram, cuius sit nota fides, & fidelitas cognita in huiusmodi sibi Iudicem eligere valeat, & dictus Episcopus iuxta cõsuetum morem in talibus confirmare, qui & iurisdictionem debitam in ipsis causis ciuilibus habeat, & in bono pacis ad honorem, & fidelitatem nostram, & hæredum nostrorum dictum hominum statũ seruet, iure nostro, & cuiuslibet alterius semper saluo; In cuius rei testimonium præsentes litteras fieri, & pendenti maioris nostri sigilli iussimus communiri. *Datum Neap. die 28. Maij, nona Indict.*

Sequenti anno 1296. idem Carolus Rex instante Raynaldo mandat restitui Castra Lactiniani, Furcæ, Montis Syluani, Scocciosæ, Orni, & Surculæ Ecclesiæ Teatinæ, eodemq; anno facultatem concessit Teate celebrandi nundinas in S. Laurentij festo. Et anno 1298. Raynaldus in emphyteusim dedit Aginulpho de Luczinardo partem illam Orni Castri, quã olim possederunt nepotes Guillelmi Episcopi pro annua responsione tarenorum aureorũ quindecim, reseruatis Ecclesiæ Teatinæ causis appellationũ. Diœcesim lustrauit Raynaldus an. 1300. relicto vicario Francisco de Spoleto Canonico Teatino. Iubileum à Bonifacio Romæ indictum solemni ritu publicauit, qua de re in Cathedrali ante Altare maius hæc insculpi fecit.

Anno Domini MCCC. *hoc opus factum est,*
Annus centenus Romæ est semper Iubilaus
Crimina laxantur, cui pœnis ista donatur.
Hæc declarauit Bonifacius & roborauit.
A pœna & culpa absoluantur corpora multa.

Annus obitus Raynaldi esse debet 1303. vel in fine antecedentis 1302. Nam Matthæi successoris electio calculum historicum premit. Illum tamen in viuis fuisse ann. 1301. mense Aprilis docet sententiæ documentum, quod ipse post diutinam litem habitam inter Abbatem S. Clementis & Ecclesiam Teatinam confici fecit ad fauorem Abbatis eodem ann. 1301. quod cum multũ faciat ad iura asserenda, & statũ rei illius æui agnoscendum, hic ab exemplari eiusdem Abbatiæ exhibemus.

In Christi nomine. Amen.

Anno Incarnationis eiusdem M.CCCI. mensis Aprilis die penultimo eiusdem 14. Indictione, Pontificatus D. Bonifacij Papæ VIII. anno septimo. Nos Ser Angelerius de Caramanico, & Ser Matthæus de Lanzano Canonici Teatini præsenti scripto publico de-

A claramus, testamur, & notum facimus quod dum R. P. D. Fr. Raynaldus Venerabilis Episcopus Teatinus contra Religiosos viros Abbatem, & Conuentum Monasterij S. Clementis in Piscaria Ordinis S. Benedicti, qui se cùm nonnullis alijs eorũ Ecclesijs, Parochijs, & Parochialibus iuribus, ac castris, & locis in sua Diœcesi constitutis plena se contendebant libertatis prærogatiua gaudere, procedere intendere iuxta formam nouæ Constitutionis SS. Patris D. Bonifacij Papæ VIII. quæ incipit. *Cum persona*, eosque requiri, & moneri fecisset semel, & pluries, vt saltem per procuratorem idoneum certis locis, & terminis sua præsentia comparerent, priuata & alia documenta sua ostensuri iuxta tenorem

B Constitutionis, per quæ possit de ipsorũ libertate constare. Tandem prædictorum Abbatis, & Conuentus procurator eorum eodem Episcopo comparens in locis, & terminis constitutis ab eodem D. Episcopo humiliter petijt, & cum instantia postulauit, vt ad hæc idem D. Episcopus iuxta formam constitutionis eiusdem, viros idoneos deputaret, qui D. Episcopus petitiones eius legitimè tã quam consonas iuri admittens, vt negotium sine omni suspicione procederet, & parceretur partium laboribus, & expensis. Nobis in forma subscripta suas literas destinauit sub suo vero, & noto sigillo ceræ rubeæ sigillatas, cuius forma ab vtroque latere in acutum erat ad similitud nem frondis

C lauri & in superiori parte erat figura Iesu Christi inter columnas posita, & immediatè post eam erat figura B. Virginis cum filio in brachijs: similiter inter columnas posita, sub qua figura Virginis erant duæ figuræ Sanctorũ, & vnaquæq; figura erat inter duas columnas posita, & in pede sigilli erat Imago Episcopi genuflexi, & in circuitu eiusdẽ sigilli legebatur, S. Fratris Raynaldi Episcopi Teatini quarũ literarum tenor est talis, Frater Raynaldus permissione diuina Episcopus Teatinus eum benedictione salutem in Domino. Olim iuxta tenorem Constitutionis Sanctiss. P. D. Bonifacij Papæ VIII. quæ incipit. *Cum persona*, Religiosos viros Abbatem, & Conuentum Monasterij S. Clementis in Piscaria Ordinis S. Benedicti, qui se cum quibusdã

D Ecclesijs, locis & Parrochijs in nostra Diœcesi constitutis asserunt plena libertate gaudere; requiri fecimus, & moneri vt certis locis & terminis per se, vel Procuratorem idoneum, & sufficientem in nostra præsentia comparerent super sua libertate priuatiua, & alia documenta ostenderent, & iura sua proponerent, si qua considerent se habere, in quibus locis & terminis eis comparentibus legitimè coram nobis: tandem quia sumus varijs, & arduis Ecclesiæ nostræ negotijs occupati, & volumus vt negotium sine omni suspicione procedat, & partium parcatur laboribus, & expensis, vos de quorum prudentia industria, & legalitate tanquam experti

prem-

. . . . . promptam inuenisse recolimus & fidem, districtè præcipiendo mandantes quatenus Deum habentes præ oculis assumpto vobiscum notario publico, viro vtiq; prouido, & fideli, ad acta omnia huiusmodi negotij inscribenda, & etiam publicanda in locis congruis, & idoneis, prout visum fuerit expedire, inueniatis in vnum, & pars altera ad vestram præsentiam accessura priuilegia, instrumenta, testes & alia documenta, & ipsum Monasterium quarumdamq; Ecclesiarum suarum locorum, & Parochiarum in nostra Teatina Diœcesi constitutarum sauetia libertatem recipiatis, quæ duxerimus producenda, inquirentes de certa scientia, & alijs circumstantijs, & iure nostro, nostræque Ecclesię Teatinæ receptis à testibus de veritate dicenda debitis iuramentis quæ vobis videnda committimus cum inspectione etiam oculorum, si visum fuerit expedire, vt inuenire possitis plenius veritatem. Et demum omnibus inspectis, & diligenter consideratis de plano sine omni iudicij solemnitate ac strepitu, pręsente, vel absente procuratore nostro secundum prudentiam vobis datam per diffinitionem, & declarationem vestram in scriptis statuatis, decernatis, & declaretis quod super ijs per vtramque partem vobis iustum videbitur, & honestum, nos pro nobis, & successoribus nostris quicquid per vos factum fuerit in præmissis, & quolibet præmissorum, & circa ipsa ratum, & firmum promittimus habere, testes autem qui fuerint nominati si se odio gratiæ, vel timore subtraxerint per censuram Ecclesiasticam compellatis veritatis testimonium perhibere, incipiant testimoniũ & perspicuum facere videlicet . . . .
al[illegible] cart[illegible], & aliorum quorum interest clausam patentes literas patenti sigillo nostro fecimus communire, & apud Villam magnam in domibus nostris sub anno Dom. M. CCCI. mensis Martij die 22. 14. Indict. Nos itaque mandata infrascripta volentes exequi reuerenter accessimus ad loca propinqua, in quibus melius sciri poterat veritas de prædictis, & dd. Abbatis, & Conuentus præsentare ad nostram præsentiam, accersitis eisdem mandauimus vt certis diebus & locis sua priuilegia, testes, & documenta, ad hoc tauentia si qua cõfiderent se habere ostenderent & producerent coram nobis, in quo Territorio idẽ procurator nobis suos articulos obtulit huiusmodi continentiæ. Ponit, & offert probare Fr. Guilielmus procurator Oeconomus Syndicus, seu actor Abbatis, & Conuentus Monasterij S. Clementis in Piscaria quod Ecclesia S. Nicolai cum cellis suis videlicet Ecclesiæ S. Barbaræ, & S. Siluestri pro duabus partibus in Ecclesia S. Euphemiæ. Item Ecclesia S. Crucis in pertinentijs Caramanici. Item Ecclesia S. Nicolai de Cardia in pertinentijs Roccæ de Caramanico. Item Ecclesia S. Mariæ in Pensula cum cella sua, Ecclesia S. Angeli. Item Ecclesia S. Cesidij. Item Ecclesia SS. Trinitatis in pertinentijs Roccę cum medietate cellæ suæ S. Mariæ de Salle in pertinẽtijs Caramanici. Item Ecclesia S. Martini de Piscaria in pertinentijs Albatigij. Item Ecclesia S. Mariæ de Fara cum Parochia sua. Item Ecclesia S. Mariæ de Bononiano cum Castro suo, Clericis Parochijs & Ecclesijs fitis in eius pertinentijs, quæ cõsueuerunt per Monachos gubernari. Item Ecclesia S. Ioannis de Frascarijs in pertinentijs S. Valentini. Item Ecclesia S. Bartholomæi de Horta. Item Ecclesia S. Mariæ de Monte in pertinentijs Bononiani. Item Ecclesia S. Nicolai in pede Roccæ, quæ consueuerunt gubernari per Clericos seculares. Item Ecclesia S. Laurentij de Insula cum ipsa Insula Clericis & Parochijs, & Ecclesijs suis, quæ in eius pertinentijs sunt, & fuerunt semper immediatè & pleno iure subiectæ Monasterio S. Clementis in Piscaria, & exemptæ & liberæ ab omni Ecclesiastica, & Episcopali iurisdictione, & Abbates qui pro tempore fuerunt, & qui nunc est in Monasterio supradicto ibidem instituerunt & destituerunt curam, etiam animarum commiserunt Clericis in Ecclesijs Parochialibus, & Parochianis mãdantibus visitauerunt, correxerunt, & omnia habuerunt alia exercuerunt, concesserunt, ordinauerunt, & ministrauerũt in illis, quæ ad Ecclesiarum iurisdictionem pertinent, & ipsi Clerico populi, & Parochiæ prædictarum Ecclesiarum & Castrorum fuerunt semper liberi & exempti ab omni Episcopali Iurisdictione, & potestate de antiqua, & probata consuetudine à longis, & longissimis temporibus, & etiam tanto tempore cuius contrarij memoria non extitit. Item quod prædictum Monasterium S. Clementis immediate spectat ad Romanam Ecclesiam, & est ei pleno iure subiectum, liberum, & exemptum ab omni potestate, & Episcopali iurisdictione, & ipsa Romana Ecclesia per se, & Legatos suos instituit, & destituit, confirmauit, visitauit, & correxit procurationes, & decimas, ac subuentiones. In capite recepit ibi item, & omnia alia exercuit ibidem quę ad iurisdictionem & potestatem Ecclesiasticam pertinent de consuetudine antiqua, & approbata à longis, & longissimis temporibus, & etiam tanto tempore cuius contrarij memoria non extitit. Item quod de his omnibus, & singulis est publica vox, & fama communis, & vulgaris opinio, & credentia, & sic tenetur.

Quibus receptis continuatis diebus assumpto nobis viro prouido, & fideli Notario Berardo de Pacentio auctoritate Sedis Apostolicæ publico Notario prout per eiusdem Sedis literas constitit euidenter ad acta huiusmodi negocij conscribenda, & in omnibus forma dicti mandati diligentius obseruatur, testes ipsos prius præstito iuramento, tã super ipsis articulis, quam super alijs veritatem negotij exigentibus recepimus, & examinari curauimus diligenter quęrendo ab eis de

de loco, tempore, causa scientiæ, & alijs circumstantijs diligenter, & deinde præsentata nobis ex parte Monasterij quamplurima privilegia Sedis eiusdem & Capitula, ad libertatem eorum plenè facientia [illegible] facti quoque scribendi causam præcitis [illegible] inspeximus & intelleximus diligenter. Quibus omnibus expletis & attestationibus [illegible] publicatis, & demum prout convenit [illegible] omnibus ritè [illegible] ad diffinitionem [illegible] iuxta mandati formam processimus.

Verum quia intentio [illegible] libertate plenaria [illegible], & [illegible] Monasterij prædicti [illegible] Castrorum, Pa[illegible] & Clericorum prædictorum, nec [illegible] quam per privilegia, [illegible] veridicas multorum fidelium [illegible] & alia [illegible] nobis constit[illegible] Dei nomine invocato, habito [illegible] deliberatione pro habito negotio [illegible] consulto, & omnibus legitimè observatis Deum, & iustitiam præ oculis habentes [illegible] & diffinitivè in scriptis [illegible] statuimus, & declaramus prædictum Monasterium Ecclesiæ Romanæ in omnibus immediatè subiectum, & liberum, & exemptum ab omni iure, & iurisdictione Episcopali, & Ecclesiæ Teatinæ, nec non Ecclesias dictas cum Parochijs, Parochianis, Parochialibus iuribus, animarum curis committendis, castris, & locis, aliisque pertinentiis, & iuribus suis plenè ac liberè ad ipsum Monasterium in omnibus pertinere, & ab omni iurisdictione Episcopali, iure etiam Ecclesiæ Teatinæ liberas, & exemptas. Lata, & reiterata fuit hæc iuxta Ecclesiam S. Mariæ de Caramanico dicto Notario, subscriptus testibus, & alijs probis viris præsentibus, anno, mense, [illegible] & Indictione prætitulatis, ad cuius rei memoriam, ac perpetuam firmitatem, & omnium, quorum interest, vel poterit interesse, cautelam, præsens scriptum publicum per manus prædicti Not[illegible] Berardi scribi, & in publicam formam redigi mandavimus, & sigillorum nostrorum appensione fecimus communiri. Quo scripto Ego Notarius Berardus auctoritate Sedis Apostolicæ publicus Notarius assumptus ad acta huiusmodi conscribenda, & quia interfui mandato prædictorum Iudicum, necnon eorundem subscriptionibus roboratum lata, & recitata est hæc sententia publicè apud Caramanicum iuxta Ecclesiam S. Mariæ i[illegible] testibus videlicet Magistro Nicolao Archipresbytero S. Nicolai, D. Riccardo Archipresbytero S. Mauritij, D. Petro Archipresbytero S. L[illegible], D. Petro Angeli Rubei, D. Roberto [illegible], D. Nicolao Filosmeno D. [illegible] Thomasij, D. Angelo Petri, D. Berardo [illegible], Mag[illegible] Antonio notario p[illegible] notario Nicolao Iacobi publico notario Nicolai Angeli publico, Raynaldo D. Raynaldi Mattarello, Leonardo Nicolai, Ionata Cæsario Simbaldo Lauliti, Nicolao Thomasij S. [illegible] Petro Petri Abramundi Benedicto Petri Alfieri de Caramanico, & Magistro Petro Magistri Petri de Sulmone, & [illegible] multis alijs astantibus, anno, mense, die, & Indictione prætitulatis supra in nona linea, [illegible] & [illegible] vigesimanona linea ubi legitur sua [illegible] ria manu punctaui.

Ego Ser Angelerius de Caramanico Canonicus [illegible] ad hac deputatus seu delegatus una cum prædicto Ser Matthæo de Lanzano, ut supra legitur hanc sententiam protuli, meo signo signaui, & sigillum appendi.

Ego Ser Matthæus de Lanzano Canonicus Teatinus, seu delegatus una cum prædicto Ser Angelerio ut supra legitur hanc sententiam protuli, propria manu subscripsi, proprioque signo signaui, & sigillum appendi.

Ego qui supra Magister Nicolaus &c.

36. MATTHÆVS seu Matthias, utroque nomine vocatum lego, ex Archidiacono D[illegible] in Ecclesia C[illegible] & Cameræ Apostolicæ ex Clerico, à Capitulo Teatino electus [illegible] defuncto Raynaldo confirmatur à Bonifacio VIII. anno 1303. 4. Kal. Maij ex ep. 1 ac reg. est. num. 125. fol. 334. an. 9. [illegible] Pontificis Mortuus est ante consecrationem in Romana Curia.

37. PETRVS è Muthonensi Episcopatu ad Teatinum transit eodem anno 1303. 14. Kal. Aug. eodem Bonifacio iubente, quem in translationis diplomate virum prædicat omnium virtutum cumulatissimum, in nostra inquit, & nostrorum domo nutritum, quem conuersatio placida, & accepta [illegible], ac alia merita probitatis per familiarem experientiam nos nobis ac [illegible] nostris o[illegible] tibus [illegible] extat diploma [illegible] Vatic. reg. ep. 139. fol. 3[illegible] 8. an. 9. [illegible] Bonifacij. Sequenti anno 1304. con[illegible] cum Abbate S. Marini de Valle de [illegible] bus Episcopalibus sibi soluendis, ac successoribus. Anno verò 1309. ex plenitudine [illegible] Episcopali sibi à Roman. Pontifice cōce[illegible] [illegible] dedit Monialibus S. Mariæ [illegible] Teatæ Ordinis Cisterciensis carne[illegible] [illegible] earumque Monasterio indulgentias clargitus est his, qui manus adiutrices porrigerent ad Ecclesiam ipsam vitro deduc[illegible] aliàs eidem Ecclesiæ ex [illegible] subsequenti anno 1310. [illegible] Archiepiscopus, Papæ V [illegible] Panormitanus, Bartholomæus Aquilanus, & Petrus ipse Teatinus Episcopi: anno 1312. die penult. mensis Aprilis Viennæ, ubi Clemens V. Concilium generale congregauerat, Petrus noster [illegible] ex Patribus qui assidebant con[illegible] O[illegible] Archipresbytero sui Episcopalis iuris contemptore, quamobrem Petrus Card. de Columna huius [illegible] datus Commissarius iuridice citari mandauit ipsum Archipresbyterum ad personaliter comparendum, & causam dicendam quare Ordinario suo Teatino obedientiam præstare noller. Cæterum. Pe-

ANN[illegible]

trûs cum esset infracti animi Præsul contra Querendam Ioannem de Polena Ciuitatis Ftici Præfectum, qui Castrum Lastinianorum, Teatinæ Ecclesiæ obnoxium occupauerat, ac Regiæ Cameræ adiudicauerat, litem mouit, ad Sanciæ Reginæ interpellatus iudicium, quæ ab Petro benè de veritate edocta Castrũ restitui fecit Ecclesiæ Teatinæ ann. 1317. quo Petrus dum Diœcesim lustraret, in latrones, eorumque antesignanos Domicellos Castri Sculcolæ, qui illum spoliarunt, & in carcerem manciparunt quoadusque pecunijs se redimeret, impotens tunc Episcopus iuramento se adstrinxit ad persoluẽdam quandam pecuniæ summam, dummodo liber ad suam Ecclesiam adire permitteretur, quod factum est: sed cum Petrus non haberet vndè solueret, Pontificem certiorem fecit, & absolutionem obtinuit à iuramento, quod per vim, & metum à latronibus extortum fuerat: latrones verò diris tunc innodati fuerunt, donec dignam satisfactionem Episcopo præberent. Eo sedente Præsule constructa est Ecclesia S. Andreæ in Casali S. Victoriæ propè Ecclesiam S. Mariæ in Baro, & Ecclesiam S. Mariæ de Tricallio extra portam Piscariæ. Sedit Petrus ann. plus minus decem & septem, excessitque in Atissa suæ diœcesis oppido anno sal. 1320. Vacauit Teatina Ecclesia anno vno cum dimidio.

38. Fr. RAYMVNDVS cognomine de Mausaco natione Gallus, patria Massiliensis Ord. Minorum Episcopus Albensis in Insubria ad hanc Teatinam Ecclesiam translatus est à Ioanne XXII. 9. Kal. Martij 1321. ex regest. Varic. Successit prædefuncto Petro, tametsi Canonicorum Cathedralis Collegium post mortem eiusdem per viam compromissi elegisset Fratrem Guillelmum de Gigniaco Ord. Minorum Raymundi germanum fratrem, qui cum Auenionem accessisset, ab Apostolica Sede ad confirmationem obtinendam sensit sui Ordinis procuratorem rei gestæ aduersarium. Ioannes Papa implicitam litẽ demandauit cognoscendam Petro Presbytero Cardinali S. Susannæ: sed cum vnum & amplius annum lis tenuisset, Ioannes tædio affectus electioni suæ in manibus Pontificis liberè nuncium remisit, qui statim Episcopum Teatinum Raymundum, vt dictum est, declarauit, transtulitque ab Ecclesia Albensi. Eodem anno suæ translationis euasit ob suam eximiam virtutem Caroli Illustris Calabriæ Ducis filij, ac Vicarij Roberti Regis Cancellarius, Consiliarius, intimusque familiaris, à quo, anno sequẽti 1322. accepit confirmationem omnium, quæ ante ipsum Imperatores, & Reges, tum & Innocentius III. cæterique Romani Pontifices concesserunt Ecclesiæ Teatinæ, vt in regest. eiusdem Caroli scriptũ inuenitur lit. E. fol. 14. & 24. Sequenti anno 21. Octob. pro exequutione testamenti sibi commissa à Conrado de Aquauiua substituit Abbatem Stephanum de Gordano eius Vicarium, concordiam inijt cum Ortonensi Archipresbytero in causa iurisdictionis, cum Baronibus Ecclesiæ Teatinæ subditis aliquando implicatissimas lites habuit, quas tandem summo Ecclesiæ suæ decore & vtilitate composuisse notatur pluribus in documentis, quæ in Archiuio Teatinæ Ecclesiæ extare dicitur. Compulit an. 1322. Ioannẽ Furcæ Castri Dominici Ecclesiæ suæ feudatariũ ad obedientiã, & ad ipsam cognoscendã Ecclesiã singulis annis certo censu persoluendo, & quod tenerentur singulis annis in Festo S. Thomæ prandiũ facere Capitulo Teatino, vel pecuniam soluere. Publico documento subscripserunt Beneuenutus Casertanus Episcopus, Henricus Copiccius de Neapoli, & Petrus de Alt Canonicus Ecclesiæ S. Nicolai de Baro. Suffraganeum habuit Bartholomæum Episcopum Gilciensem, qui anno 1326. quasdam Indulgentias concessit Monialibus S. Mariæ Magdalenæ. Idem, inuentarium summa diligentia de rebus ac iuribus ad suam Ecclesiam pertinentibus, atque in librum illum Thesaurum nuncupatum accuratè digessit, posterorumq; memoriæ mandauit. Cæterùm Raymundus cum nimio amore erga suos consanguineos premeretur Castrum Orni ad Ecclesiam suam pertinens absque Sedis Apostolicæ beneplacito, anno Domini 1324. in nepotem suum Petrum de Argello, & Castrum Lastiniani in alium nepotem Marcellum Mauracum liberaliter transfudisset, acriter à Ioanne Pontifice reprehenditur, tunc mandatum est, atq; commissum Episcopo Cassinensi, alijsq; Prælatis, vt ipsum Raymundum iam ad Auersanã Ecclesiam translatum cogerent ad omnia liberè restituenda Ecclesiæ Teatinæ, quæ ab ipso alienata fuerant; translatus fuerat Raymundus ab Ecclesia Teatina ad Auersanam ab eodem Ioanne anno 1326. nono Kal. Martij, in qua decessit ann. 1336.



39. IOANNES Crispanus de Rocha nobilis Neapol. successit Raymundo electus à Ioanne XXII. an. 1326. non. Kal. Martij, etat tunc temporis Neapolitanæ Ecclesiæ Canonicus

nicus,& Apostolici Palatij Auditor, omnium virtutum, & eruditionum genere ornatus, Iurisprudētiæ eximiè doctus, sui æui celebratissimus, scripsit teste Gesnero in sua Bibliotheca super Constitutiones & Pragmaticas Regni Siciliæ. Eius cũ laude meminit Petrus Fel. in sua prax. crim. [illegible]asserit eius opera inter illa [illegible] de cap. haberi. Quæ verò spectant ad eius Acta, plura habentur instrumēta in Archiuio Cathedralis, quibus quanta fuerit eius in recuperandis alienatis bonis à suo prædecessore sollicitudo & labor facilè colligi potest. Omnia enim priuilegia, & iura suæ Ecclesiæ diligenti conatu in vnum volumen collegit, & ab Roberto Rege eorum confirmationem obtinuit. Ei scribit Ioannes Pontifex anno 1228. contra hæreticos Fraticellos, eorumque Sectatores ab ipso dãnatos, vt diligenti perquisitione eos à Neapolitano Regno euellat, & dissipet, si fortè in eo prauam doctrinam disseminassent. Vindex fuit acerrimus ecclesiasticæ immunitatis, Clericorum mores correxit, bonis profuit, malis flagellum adhibuit, vt ad meliorem frugem reducerentur. Monasterium Castri Præto ij vniri curauit Monasterio S. Mariæ Magdalenæ Monialium Ordin. Cistercienſis, cui plura bona donauit anno 1327. quo anno alterum Monasterium in Castro Paterni eidem Diuæ Mariæ Magdalenæ tunc ædificatum à sorore Gentilina de Marchilone eidem Cœnobio Teatino perpetua vnione connexuit, vocari mandauit Monasterium illud Decanatum, ipsiusque Præpositum à sororibus eligendum, Decanam ab ipso confirmandam sub Regula S. Benedicti & Ordinis Cisterciensis salutaribus disciplinis. Primam Monasterij Decanam electam confirmauit ipsam Gen[illegible]m. Sedit Ioannes [illegible] ia sua virtute [illegible] Regi charus,& familiaris, annis no[illegible] [illegible]que anno 1335. apud suum Episcopium. De hac peruetusta, [illegible] nobili Crispa[illegible] legendus Carolus Borrellus in Vin[illegible].Neap. nobilitatis.

40. PETRVS Ferrus nobilis P[illegible]ernas [illegible]a Anagninus, mox Marsorum Episcopus, ad hanc Teatinam Ecclesiam tra[illegible]atus est à Benedicto X[illegible]. anno 1336. 6. Id Mai; trās[illegible] is eius c[illegible]am ita recitat Benedictus in [illegible] is Vatic.reg.an.2.mim.300. Vacante nimqu[illegible]copali Sede Teatina per obi[illegible] [illegible]tulum Teatinum prępudiosè in parte[illegible] diuisum, duos elegit, pars quidē [illegible] & [illegible]ior Thomã Cypriani, illũ eũdem, qui [illegible] cu[illegible]sit Marsorum Episcopus, minor vero [illegible]rum pars Andreã, Bartholomęi eiusdem Eccle[illegible]æ Canonicum: interim Pontifex proui[illegible]em h[illegible]iusmodi sibi specialiter reser[illegible] deindè cum Andreas electioni de se factæ nuncium remisisset, Thomas alter electus ad Apostolicam Sedem se contulit obtinendę confirmationis gratia; dum hæc agerentur, Capitulum Teatinum minus sibi constans, de facto tertium elegit quendam Giraldum de Valle Neapolitanum Canonicum. Idem autem Thomas edoctus Auenione de Papæ reseruatione speciali, electioni & ipse libens volens renunciauit. Pontifex nulla & irrita declarata Giraldi electione, Petrũ hunc Ferrum virum eximium ab Ecclesia Marsorum, ad hanc Teatinam transtulit, sed ille paulò post suam translationem morte præuentus, Auenione, vbi tunc erat, decessit 14. Kal. Decembris eiusdem anni 1336. ibique humatus. In Episcopis Marsorum p.tom. Memini me scripsisse, Petrum Romæ defunctum fuisse, cum reuera non Romæ, sed Auenione, vbi tunc Romana Curia erat. Cæterùm Thomas ille Cypriani à Capitulo electus ille idē est, qui ab eodem Pontifice Benedicto factus est Episcopus Marsorum in translati Petri loco, mortuusque est Teate in patria sua anno 1248. ac sepultus in Cathedrali ante altare maius in cornu Euangelij, vbi adhuc visitur sepulchrum vnà cum effigie iacentis Episcopi insignis, cum inscriptione sequenti.

Hic requiescit corpus Reuerendi Patris Domini Domini Thome de Ciuitate Theatina Episcopi Marsicani, qui obijt anno Domini MCCCXLVIII. die 10. mensis Martij prime Indictionis, cuius animam Creator, & Redemptor omnium benedicere, & collocare dignetur cum sanctis Angelis suis in vitam æternam. Amen.

Eius insignia in eodem sepulchro depicta cernuntur, tum & in tabulatis tecti transuersæ nauis eiusdem Ecclesiæ his coloribus distincta. Stella in parte inferiori clypei posita cærulea est in campo aureo, lilium in campo superiori aureum in campo cæruleo, tres fasciæ transuersæ à manu dextera æqualiter in sinistram descendentes, media latior & superficialior cæruleum colorem, duæ reliquæ à lateribus album præseferunt;
Sed ad seriem redeamus.

41. BEL-



41. BELTRAMINVS Parauicinus è Casilio Pago plebaniæ Niricini Mediolanensis Diœcesis, cum esset tunc Cantor Ecclesiæ Burdegalensis in Gallia, & ob præclaras eius animi virtutes Benedicto XII. acceptus ab ipso sufficitur Petto in Ecclesia Teatina anno 1336. 4. Nonas Decembris ex regest. Vatic. ep.544. ann.2. Hunc fuisse Apostolicæ Sedis Nuncium ad Petrum Aragoniæ Regem scribit Bzouius ad annum 1337. Vicarium habuit Paulum de Cappella Canonicum Sancti Angeli de Vrbe, nominatum anno 1339. in cattula Roberti Lexinensis Episcopi, qui eo ipso anno indulgentias relaxauit omnibus Christi fidelibus piè visitantibus Ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ Monialium in Teatina ciuitate constitutam. Absens hanc Teatinam Ecclesiam rexit plus minus tribus annis, & ad Comensem Ecclesiam translatus est 8. Kalend. Decemb. subsequentis anni 1339. mox anno 1340. factus est Episcopus Bononiensis in Æmilia, vt in 2.tom. scripsimus; de quo etiam egimus in 5.tomo.

42. GVILLELMVS III. Capoferrens de Sancto Victore nuncupatus Oppido Cassinensis Diœcesis ex Thesaurario Ecclesiæ Turonensis in Gallia, & Papæ Notario, creatus est Episcopus Teatinus ab eodem Benedicto XII. anno 1340. 16.Kalend. Aprilis; ita in reg. Vatic. epist.35. ann.6. Generalem suum creauit Vicarium Petrum Capoferreum de Sancto Victore nepotem suum Canonicum Teatinum: memoratur in regio reg. ann.1343. regius Consiliarius, & familiaris. Hic anno 1349. diris deuouit, & hæreticum publicè declarauit Franciscum de Turre ciuem Teatinum, eiusque vassallum, qui bona Ecclesiæ Teatinæ nequiter diripuerat, & magna ex parte destruxerat, multosque clericos & laicos eiusdem Ecclesiæ fideles, & vassallos crudeliter occiderat, quin & ipsum Guillelmum Episcopum per plures annos à Ciuitate, suaque Ecclesia exulare coegerat; quamobrem Clemens VI. commisit Neapolitano Archiepiscopo, vt in Franciscum animaduerteret, qui, diligenti informatione ductus, in eundem rebellem Pontificia auctoritate excommunicationis, ac bonorum priuationis sententiam tulit. Anno 1352. Guillelmus ex

A hac mortali vita discessit. Cæterùm eo defuncto, Teatinæ Ecclesiæ sacrorum Senatus, contra reseruationem, & dispositionem Clementis Papæ Nicolaum Masciolum Archidiaconum Teatinum substituit Episcopum, qui Auenionem ad confirmationem obtinendam profectus, oleum & operam perdidit; interim Pontifex viduatæ Ecclesiæ administratorem constituisse narratur Benedictum Colmnnam Romanum Episcopum Bisaciensem, ille idem, cui Franciscus Petrarca Epistolam scribit, & Episcopum Teatinum vocat, cuius auctoritate nonnulli scribunt, Benedictum successisse Guillelmo, alij Bartholomæo de Papazuris, & Præsulem fuisse Teatinum. Sed reuera Benedictus administrator B fuit, non Præsul Teatinæ Ecclesiæ. id clarè vnicum eiusdem docet documentum indulgentiæ ab ipso, anno 1353. concessæ Ecclesiæ S. Mariæ de Caramanico Teatinæ Diœcesis; documenti exemplar extat apud me tenoris sequentis.

Vniuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis. Benedictus miseratione diuina Bisaciensis Episcopus, & Ecclesiæ Teatinæ administrator per Sedem Apostolicam in temporalibus & spiritualibus Generalis constitutus salutem in Domino. Cum ad promouenda sempiterna gaudia sanctorum suffragia sint nobis plurimùm opportuna, & præcipuè Matris Christi; C propterea loca Virginis gloriosæ sunt à nobis deuotione præcipua veneranda, vt eius intercessionibus communiti, quod fragilitas nostra non obtinet, apud suum filium Vnigenitum Iesum Christum ipsius mereamur intercessionibus obtinere. Cupientes, igitur vt Ecclesia Sanctæ Mariæ de Caramanico in singulis festiuitatibus ipsius Virginis, ac in dedicatione ipsius Ecclesiæ congruis honoribus frequentetur, vniuersitatem vestram monemus, & hortamur in Domino, quatenus ad eandem Ecclesiam cum deuotione ac humilitate spiritus accedatis, Nos verò de Omnipotentis Dei misericordia, Beatæ Mariæ Virginis, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum meritis confidentes, omnibus verè pœ- D nitentibus, & confessis, qui eandem Ecclesiam in dictis festiuitatibus cum oblationibus annis singulis visitabunt, vnum annum, & quadraginta dies de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer in Domino relaxamus. *Datum apud Caramanicam quarta Martij xij. Indictionis.*

Administrasse hanc Ecclesiam Benedictum plus minùs anno vno elici potest ex Bartholomæi Guillelmi successoris translatione, quæ incidit in annum 1353. 9.Kal. Iulij, vt mox dicemus.

42. BAR-



43. BARTHOLOMÆVS de Papazzuris Romanus Ord. Prædicatorum Episcopus Teanensis, ab Innocentio VI. transfertur ad hanc Teatinam Ecclesiam per obitum Guillelmi anno 1353. 9. Kal. Iulij, nulla, & irrita declarata electione à Capitulo Teatino facta post Guillelmi obitum, viuente tunc Clemente VI. de persona Nicolai Mascioli Archidiaconi Teatini, vt in regest. Vatic. ann. 1. Innocentij habetur in epist. 48. fol. 76.

Anno Pontificatus sui primo, Bartholomæus à Ioanna, & Ludonico Regibus, Consiliarij, Cappellani, ac familiaris titulo honoratus est; regium brachium ab eisdem accepit ad Clericos quosdam suæ Diœcesis, laicosque compescendos, quorum vita indigna prorsùs & intolerabilis erat. Vicariû tunc habuit fratrem Nicolaum de Pinea Romanum Ord. Præd. Generalem, qui cum esset ingentis animi vir, Episcopum maximè iuuit, & Clericos ad Ecclesiasticam vitam peragendã adduxit, & à laicis & Baronibus Ecclesiæ Teatinæ obnoxijs iuramentum fidelitatis accepit. Hæc ex tabulis, quæ etiam docent, contentionis aliquid fuisse Bartholomæo Episcopo cum Antonio Cantelmo hærede Berardi de Royano montis Siluani beneficiario iure domino, alijsque Dynastis, sed maxima illi fuit contentio cum Francisco illo de Turre ab antecessore suo excommunicato, cuius audaciam, tyrannidemque tandem oppugnauit, adiutus Teatinorum ciuium potentia, quos Innocentius VI. suo diplomate impulerat anno Pontificatus 5. salutis 1357. in hunc modum ab exemplari, quod extat apud me

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei,

Dilectis filijs, Vniuersitati ciuitatis Teatinæ salutem & Apostolicam benedictionem.

☞ Habet venerabilis fratris nostri Bartholomæi Episcopi Teatini grauis ad nos prolata conquestio, quod Franciscus de Turre ciuis Teatinus vassallus Ecclesiæ Teatinæ, qui olim fidelitatis nexus, & reuerentiæ fi-

A lialis prorsùs oblitus, bonæ mem. Guillelmum Episcopum Teatinum prædecessorem ipsius Bartholomæi pluribus annis de ciuitate Teatina eidem Ecclesiæ in spiritualibus, & temporalibus pleno iure subiecta exulare coëgit, ac bona, & iura ipsius Ecclesiæ nequiter diripuit, & pro magna parte distraxit: multis etiam tam Clericis, quàm Laicis eiusdem Ecclesiæ fidelibus & vassallis crudeliter interemptis, quique suis culpis & demeritis ita exigentibus per dictum Guillelmum Episcopum de hæresi condemnatus, & per dilectum filium Frãciscum de Messina Ordinis Fratrum Prædicatorum Inquisitorem hæreticæ prauitatis, & auctoritate Apostolica velut hæreticus publicè denunciatus est. De prædictis & alijs detestandis excessibus per eum commissis, nulla pœnitudine ductus, sed in obsti-
B nata nequitia perseuerans, Ciuitatem ipsam, quam in personis, & bonis ipsius Tyrannica feritate miserabiliter dudum oppressit, conatus est, & machinatur quotidie vna cum nonnullis viris pestiferis suis in hac parte complicibus, armata manu violenter intrare, aspirans more solito ad totalem destructionem eorundem, ciuitatis, ac Ecclesię, & aliorum fideliũ eorũdem. Nos igitur, qui præfatum Episcopum, & Ecclesiam paterna dilectione prosequimur, talia non immeritò execrantes, vniuersitatem vestrã rogamus, & hortamur, attentè vobis nihilominus in vestrorum remissionem peccaminum per Apostolica scripta mandantes, quatenùs prouidè attendentes, quod fauor, qui eisdem Episcopo, & Ecclesiæ in hac parte impenditur, etiam vestris
C commodis applicatur, præfatis Episcopo & Ecclesiæ, suisque officialibus aduersus præsumptores huiusmodi præbeatis in præmissis, tanquã deuotionis filij, ob nostram, & Apostolicæ Sedis reuerentiam, consilium, auxiliũ, & fauorem, ita quod ijdem Episcopus, & Ecclesia vestris in hac parte suffulti præsidijs, prauorum incursus non metuant, nosque deuotionem vestram possimus in Domino meritò commendare. *Datum Auenione Kal. Ianuarij Pontificatus nostri anno quinto.*

Bartholomæi verò frequens mentio habetur in Regestris Regijs ad annum vsque 1362. quo tandem fessus laboribus ad Patracensem in Peloponneso Ecclesiam translatus est die
D 12. Augusti, in qua dignitate obijsse narratur anno 1365. in lib. Prouis. Prælatorum Vrbani V. fuit Bartholomæi in Teatina Ecclesia Vicarius Nicolaus ille Masciolus Archidiaconus an. 1359. qui sex ante annis, vt diximus, à Capitulo electus, repulsam tulerat à Clemente, & Innocentio VI. ob reseruationem factam viuente Guillelmo Episcopo.

44. Fr. VITALIS Bononiensis patria, Ord. Seruorum Beatæ Virginis Mariæ olim Generalis, tunc Episcopus Asculanus in Piceno die 13. Kal. Augusti 1363. ad hanc Teatinam Ecclesiam translatus ab Vrbano V. cuius ob suam præclaram doctrinam acceptus

& cha-

& charus erat. Hic, vt Archangelus Gianius in Annal. Seruorum scribit, cum sui Ordinis Generalis esset, ab Innocentio VI. ad Soldanum Ægyptiorum Principem Legatus missus fuerat, vt contra Turcas communes inimicos illius animum concitaret, ac bellum inferre persuaderet, dū Cypriorum Rex ex alia parte bellum eidem intulisset. Egregiè functus legatione V.talis, ad Innocentium reuersus, ab ipso destinatus ad infulam, mors Innocentij honorem abstulit, quem statim eius successor Vrbanus compleuit, e narratur, & Asculana, mox Teatina cohonestauit Ecclesia. Translatum ad Teatinam illum Ioanna Regina cum omnibus bonis & iuribus Ecclesiæ Teatinæ sub regia protectione suscepit, atque auxilium, & fauorem omnem elargita est, quo posset ille decimas, & bona ablata recuperare, scriptis literis ad Iustitiarios, Iudicesque Aprutij, quæ extant in tabulario Teatino. Anno 1368. litem habuit cum Cœlestinis Monachis Ciuitellæ Monasterij super censum vnius ceræ libræ quolibet anno soluendum Episcopo Teatino, post duos annos concordiam inierunt. Hoc eodem anno, ac Vitale permittente in Cathedrali recondita sunt sub altari eximiè exornato, vbi adhuc requiescunt corpora Sāctorum Flauiani Episcopi, & Alberti Confessoris, satagente Francisco Conradi Archipresbytero Ortonensi, & Canonico Teatino, vt ostendunt inscriptiones ibidem in lapide scriptæ, vna circa fenestrellam stipitis Altaris à facie interiori, craticula ferrea obserata, hoc modo.

A. D. M.CCCLXVI. die 16. mensis Nouembris VI. Ind. fuit reconditum in hoc altare corpus beati Alberti Confessoris.

Et in sinistra parte fenestrellæ.

Hoc opus fecit fieri Abbas Francisc. us Corradi de ciuitate Teatina Archipresbyter Ortonensis, & Canonicus Teatinus.

Et in frontispicio lapidis Altaris prædicti de Sancto Flauiano ita se habet inscriptio.

Hic etiam feliciter requiescit corpus Sancti Flauiani Episcopi & Confessoris.

Hoc corpus fortasse per eadem tempora repertum fuit, & tametsi ibi expressum non habeatur cuius ciuitatis fuerit Episcopus,

A vel quo tempore vixerit, putarunt nonnulli Teatini viri eruditi, quos patriæ amor transuersos egit, non alterius hunc Sanctum Flauianum, nisi Teatinæ vrbis Episcopum; sed cum in satis vetusto indiculo Episcoporum Teatinorum, neque vllum verbum inuenerim de Flauiano hoc Episcopo, crediderim, hallucinatos eos fuisse, qui Flauianum Episcopum Teatinum astruunt. In Martyrologio Romano die 4. Iulij memoratur Flauianus Secundus Episcopus Antiochenus, cuius corpus incolæ oppidi Iuliæ nouæ Atriensis Ducatus, olim S. Flauiani appellatum anno Domini 1004 ad ripam Truntini fluminis mare naui aduectum à templi honore cultum, inde successu tēporis eodem nomine appella-

B tū oppidum conditum fuisse narrant: vbi etiā nunc eiusdem templi & oppidi manent vestigia, è cuius ruinis postea factum est haud inde procul in salubriori situ à conditoris nomine Iulij Aquauiuæ Atriensium Ducis Iulia noua appellatum. Quo etiam dicti Sancti Flauiani corpus, vel corporis pars maior decenter asseruari dicitur. De translatione huiusmodi præter antiquorum loci continuatam traditionem, extare aiunt in dicta veteri Ecclesia Sancti Flauiani sub imagine eius dem Sancti memoria tenoris sequentis.

Induperatie Galla,
Huc me Flauianus conduxit,
Per mare Patrarcam,

C *Intus reclusum in Arcam,*
Et dudum fui quando,
Quartoque milleno anno,
Et ecce sum vobiscum,
Et iustum teneo fiscum,
Pro vobis Altissimum rogo
Cauete ne decipiar ego.

Possem dubitare ex satis valida coniectura, partem corporis Flauiani ex ruinis Oppidi Flauiani Teate fuisse translatam, & totum pro parte acceptum e. in scriptione notatū; id tamen non ausim affirmare, atque suprascriptæ Flauiani trāslationis histor æ nec abnuo, nec astruo. Nec defuerunt, qui sanctum

D hunc Flauianum, eiusdem oppidi aliquando fuisse Episcopum volunt, ac Flauianensem Episcopatum primis temporibus ex sancti nomine dictum, sed hoc gratis assertum crediderim, quidē veteribus huius prouinciæ Episcopatibus scripserunt. Cæterum, vt ad Vitalem Episcopum, vnde digressi sumus, redeamus, pauca de eo in monumentis, præter ea, quæ superiùs dicta sunt, reperiuntur, neque annus, diesque obitus eius determinatè habetur; excessit tamen vel anno 1373. vel ineunte fine præteriti 1372. facilè colligi potest ex successoris Eleazarij electione.

 45. ELEA-



45. ELEAZARVS de Sobrano Guillelmi Ari[illegible]ni Comitis & Franciſcæ de Celano filius quartogenitus, nepos S. Eleazari; nobiliſſimæ ſuæ gentis Sobranæ opibus Florenti Caſtellorumque, ac Toparchiarum veteri dominatu, tum apud Salyos, tum inter Apulos infulæ ac purpuræ ſplendorem addidit. Is iuuenis bonæ indolis ſcholaris, ſed ſæcularibus vitijs innodatus ad meliorem frugem conuerſus a Diua Brigitta, optimam ab ea viuendi formam accepit, quæ in lib. 7 reuelationum cap. 5. refertur: [illegible]tur Brigittæ Sanctis admonitionibus eruditus Eccleſiaſticam vitam amplexus, literis exornatus poſt aliquor annos à Gregorio XI. Vitali demortuo datus eſt ſucceſſor Nonis Septembris 1373. quo anno Brigitta ad Cælum euolauit, eius mentio pluribus documentis habetur in Eccleſiæ tabulario, inter quæ in vno ab ipſo ſubſcripto eius gentilitia viſuntur in rubea cera inſculpta, Leo nempe reptans corona decoratus. Habuit Vicarium virum egregium Clementem de Diciniano, cuius doctrina, & in a[illegible]ndis prudentia exinde Teatinam Eccl[illegible]am adminiſtrauit annis ferè quinque ab Vr[illegible]o VI. inter Presbyteros Card. coop[illegible] eſt anno 1378. ad titulum S. Balbinæ, factuſque S.R.E. maior P[illegible] m[illegible]obrem Clemens VII. Pſeudo [illegible]x Epiſcopatu Teatino priuauit, e[illegible] que[illegible]it quendam Thomam Braneaccium [illegible]em auctoritate Reginæ Ioannæ conatus e[illegible] Teatinam Eccleſiam intrudere. Ver[illegible]te ſincera Teatinorum deuoti[illegible] Vrban[illegible] obtinuiſſe viſus eſt Ecc[illegible]ra, ex tenore quarundam litera[illegible] [illegible]emen[illegible]is ad Regi[illegible]ã, quæ repertæ ſunt [illegible]bulario eiuſdem Eccleſiæ, huius te[illegible].

Cariſſima in Chriſto filia. Fide digno[illegible]ru[illegible]atu percepimus non modicum d[illegible]ſplicent[illegible], quod in ciuitate tua Teatina non [illegible]cet clericali charactere inſigniti, perdition[illegible] & temeritatis alumni, ſuæ ſalutis immemores, in tantam furor[illegible] proruperunt audaciam, & vt proprius loquar, nefandam veſaniam, quod nos & aliquos fratres noſtros

A Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, nonnulloſque Prælatos, ac viros aliàs magni ſtatus Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſponſæ noſtræ, noſtros, ac Tuæ Serenitatis fideliſſimos ſeruitores prophana voce excommunicatos denunciare proceſſuſque & varios, vt ita loquamur, exceſſus factos per illum Belial filium Bartholomæum Pregnanum, olim Barenſem Archiepiſcopum, qui Sacroſanctam Romanam Eccleſiam, & Petri Sedem quantum in eo eſt fœdare, & inconſutilem Dei tunicam, ardore ambitionis accenſus, nullum ad Deum h[illegible]bendo reſpectum, lacerare conatur, In dicta ciuitate Teatina in Campanili Maioris Eccleſiæ prædictæ Ciuitatis, in quo aliqui ex nefandiſſimis prælibatis ſe ba-

B liſtis, & alijs armorum generibus munientes, candelis accenſis & extinctis, & noctis præſertim tempore publicare nõ ceſſant in ſponſæ noſtræ noſtrumque vilipendium, atque tui Regalis faſtigij vituperoſum cõtemptum, & ſi celeri non ſuccurratur remedio, pernicioſum exemplum, Inter quos caput facinoris eſſe dicitur quidam Clemens nomine, ſed Demens effectu, qui Vic[illegible]ius fuit Elziari de Sobrano olim Epiſcopi Teatini Anti[illegible]cardinalis in reprobum ſenſum dati, quem iuſto iudicio Epiſcopatu priua[illegible]mus, pro quo dictus Demens adhuc nititur Eccleſiam retinere, & venerabilem fratrem no[illegible]um Thomaſium Braneacium e[illegible]m Teatinum, cui de dicta Eccleſia pro[illegible]imus, ni[illegible]tur impedire. Qua-

C propter cum i[illegible]a non intendamus, ſicut nec poſſumus, nec debemus aliqualiter ſub diſſimulatione tranſire, præfato Electo commiſimus, quod contra omnes adhærentes præfato Bartholomæo intruſo in dicta ciuitate & Diœceſi Teatina procedat, vt in noſtris Bullis Apoſtolicis proind[illegible] confec[illegible]is lat[illegible]us continetur, & vt noſt[illegible] mandata liberius exequatur, Celſitudinem Tuam per noſtra Apoſtolica ſcripta requirimus, & hortamur, vt eidem Electo tui potentis ſec[illegible] brachij auxiliũ prompto fauore impe[illegible]d[illegible]s & impendi mandes, dilationibus o[illegible] n[illegible] b[illegible]s proci[illegible] iactis. Nihilominus, vt præd[illegible]orum & aliorum eidem intruſo adhære[illegible]m nefan[illegible]iſſima ſcelera celerius compeſc[illegible]ntur, Tuæ Serenitat[illegible] c[illegible]mittimus, quod per te & officiales tu[illegible]s,

D [illegible]dictos adhære[illegible]tes & conſimiles, q[illegible]nt tam nefando ſcele[illegible] inquinati, c[illegible]is Ordi[illegible]s, gradus, ſeu dignitatis ex[illegible]t, capi facias, abſque eo quod tu, ſe[illegible]o[illegible]c[illegible]ales tui, ſeu illi, quibus comm[illegible]ſe[illegible]is, [illegible]am excommunicationis al[illegible]q[illegible]ali[illegible]r[illegible] curratis; quin immo Altiſſimi [illegible]ria [illegible] be[illegible]di[illegible]ionemque noſtram meritò [illegible]. Q[illegible]circa Serenitatem Tuam, de [illegible] [illegible]b experto fiduciam pleniorem [illegible]mus per viſcera miſericordiæ Ie[illegible] C[illegible]riſti, vt contra dictos ſceleratiſſim[illegible] [illegible]hærentes ſic dexteram tuæ potentiæ extend[illegible]s, quod prædictorum nequitia conteratur, & alij exemplo eorum territi diſcant à talibus abſtinere.

Hæc

Hæc ibi, quæ ad hæc illustranda tempora, in eo præcipuè, quod spectat ad Schismatis historiam mirificè conferunt. Thomas ille Brancacius, de quo in litteris Clementis, extat etiam mentio an. 1379. die 19. Martij in lib. oblig. eiusdem Clementis. Hic cum Abbate Massello Caracciolo à Cardinale Gentili de Sangro Vrbani Legato Neapolim ductus, cum Leonardo de Gifano, ac Iacobo de Itro Cardinalibus Clementis Pseudopôtificis publicè in Ecclesia S.Claræ Cardinalitijs vestibus & Episcopalibus exutis, schisma abiurare cum ijs coactus est die 4. Septembris 1382. Verùm qua causa deinde Eleazarus ab Vrbano rubeo pileo, & omnibus dignitatibus priuatus fuerit anno 1385. nusquam inuenio, nisi fortè fuerit propensio, quam habuisse legitur ad Ioannam Reginam, cui addictissimus erat Ludouicus Ariani Comes eius frater, implacabilis Caroli III. Regis inimicus. Post hæc Acta ipsius ignoramus. Superuixisse tamen Vrbano, tabulæ eius testamenti anno 1394. ab ipso conditæ docent, si vera sunt quæ refert Paulus de Angelis in descriptione Liberianæ Basilicæ; vndè vel eo anno 1394. vel paulo post illum naturæ debitum soluisse dicendum est. Non est autem hic reticendum, quod pertinere videtur ad laudem doctrinæ & pietatis eius. Siquidem anno 1379. vnus fuisse reperitur eorum septem Cardinalium, quos Vrbanus Papa examini canonizationis S.Brigittæ præposuit, quam Eleazarus ab adolescentia dilexit, & coluit, eiusque consilia in vita rectè instituenda semper complexus est, & Catherinæ Brigittæ filiæ, vt illa Apostolica auctoritate ad Sanctorum numerum adiungeretur, operam danti sedulo præsto fuit. Patruum habuit Eleazarus, alterum huius nominis Eleazarum Ariani Comitem, qui, cum Delphina Virgo Sanctissima castitatem coluisset, Parisijs, vbi à Roberto Siciliæ Rege, & Prouinciæ Comite ablegatus ad Carolum Francorum Regem cognomento Speciosum in habitu Franciscano anno ætat. suæ 28. salutis 1323. die 27. Septembris ad cælestis Regni præmia beatissimo fine quieuit, apud Minores Parisienses primò sepultus, eodemque anno, vt præceperat Aptam Iuliam translatus est in Ædem D.Francisci, magnis in vis coruscans signis diuinæ clarificationis. Sponsum deindè post annos plurimos secuta est Delphina eodemque tumulo recondita. Anno post ab Sancti Eleazarij transitu, mortales exuuias reliquit Guillelmus eius patruus, S.Victoria Massiliensis Abbas, & Diensis Episcopus, magnæ innocentiæ & virtutis Præsul ille idem, qui nepotem sanctis instituerat disciplinis. Porrò qui primus in Neapolitano Regno Suberanam nobilissimam gentem disseminauit, Ermengardus fuit, filius Eleazarij, vir in Prouincia Prouinciæ potens, quem secum duxit Carolus primus vtriusque Siciliæ Rex, & Ariani Comitem, & Puteoli Dominum fecit anno 1294. Obijt anno 1310. suosque reliquit filios Eleazarum, qui Sanctus, Guillelmum & Eustasium. Guillelmus vxorem habuit Robertam Bernardi Sangiorgij Comitis Apicij filiam, eaque defuncta duxit Franciscam de Celano, ex quibus suscepit Ludouicum, Armenzanum, Ioannuccium, & Eleazarium Episcopum Teatinum, & Cardinalem. Ludouicus primogenitus Comes fuit Ariani, & Asculi viuente patre Guillelmo, vxorem duxit Mariam Richardi Marzani filiam, qua demortua, alteram duxit Margaritam Sanseuerianam, ex qua suscepit Ermenganum Ariani Comitem; ex Ermengano, & Catherina Ascuccia nati sunt Ludouicus Ariani Comes, & Algiosus; Ludouici filius fuit Erminganus Septimus Ariani Comes, & vltimus ex Suberana gente, qui vxorem habuit Altobellam Carafam, & à Ioanna II. Regina Comitatu Arianensi spoliatus fuit anno 1415. sicque nobilis hæc familia in Regno Neapolitano desijt esse, nec vlla alia de ea reperitur memoria. Hæc de Eleazarij nostri Episcopi gente, deque eius Actis satis sit dictum, qui maiorem cognitionem de ea haurire desiderant, Carolum de Lellis adeant, de nobilibus familijs Regni Neapolitani. De Sancto Eleazaro agunt Andreas Sausay in Martyrologio Gallicano die 27. Septembris. Ferrarius in Catalogo ad hunc diem, ac bo. mem. noster Lucas Vvading. in Annal. Minor. tom. 3.



46. IOANNES de Comina nobilis Ciuis Teatinus Monachus S.Benedicti expressè professus Abbas S.Liberatoris de Maiellano eiusdem Ord. successit immediatè Eleazario inter Cardinales relato, ad hanc dignitatem vocatus ab Vrbano VI. ann. 1378. vt ex lib. oblig. Bonifacij IX. habetur. Iam inauguratus erat die 19. Martij 1379. & sequenti anno Commissarius Apostolicus declaratus in Aquilana Diœcesi ab eodem Vrbano, vt indicat liber de diuersis formis eiusdem Pontificis. Varia fortuna hanc texit Ecclesiam, feruiente tunc schismate inter Vrbanum, & Clementem VII. Caroli III. valdè charus

fuit

fuit, cuius fauore, & auxilio sectatores Pseudopontificis à Teatina Ecclesia exulare coegit. Coluit summo amicitiæ vinculo innodatus Neapoleonem Vrsinum egregium Comitem Monopelli, Regni Siciliæ Magnum Logothetam, eiusque testamento anno 1385. die 3. Iunij testis fuit, & executor cum fratre Amplo Episcopo Legouicense, Agnete Sanseuerina Comitissa vxore, & Leone Iordano filio suo: Ioannes verò Episcopus noster, vt chartæ loquuntur, & lib. Prouis. Prælat. habet, peruenit ad annum 1396. quo apud suam Ecclesiam mortalitatem exuit.




47. GVILLELMVS Carbonus Neapolitanus nobili gente satus, frater germanus Francisci Cardinalis Carboni ex Archidiacono Aquileiensi vir eximie doctus, ac prudentissimus eligitur in successorem Episcopi Ioãnis à Bonifacio IX. anno 1396. 15. Kalend. Septemb. hic autem cum anno 1398. ad Curiam Romanam iter haberet, à Landulpho de Columna captus, spoliatus, & in dedecori carcere mancipatus, quamobrem Bonifacius indignatus Landulphum diris deuouit, quousque Guillelmum liberum dimitteret, eique omnia ablata restitueret; liber igitur factus Guillelmus, vt erat vir mansuetus, & pius, à Pontifice persecutori suo veniam impetrauit, qui cum Ecclesiam Teatinam mira dexteritate, & fructu per multos annos administrasset, effudissetque propemodum opes in pauperes à Ioanne XXIII. creatus est Presbyt. Card. ad titulum S. Balbinæ anno 1411. & commendatam habuit S. Mariæ de Arabona suæ Diœcesis Abbatiam. Huius non meminere Ciacconus, neque Panuinius; fuisse tamen Guillelmum Cardinalem creatum ab Ioanne docent literæ Martini V. Papæ, quibus transtulisse affirmat, Nicolaum Spoletanum Episcopum ad hanc Teatinam Ecclesiam vacantem per assumptionem olim Guillelmi Episcopi, qui à vinculo Teatinæ Ecclesiæ absolutus à Baltassare tunc Ioanne XXIII. ad Cardinalatus honorem assumptus fuerat, Datum Mantuæ Kalend. Februar. ann. 2. literæ extant in lib. de diuersis formis Martini V. fol. 233. Cæterùm quo anno Guillelmus Cardinalis fato functus fuerit, quoue in loco, incertum; putatur tamen illum obijsse Neapoli ante creationem Martini V. ac sepultum iuxta fratrem suum Frãciscum Episcopum Cardinalem Sabinensem, cum Capitulum Neapolitanæ Ecclesiæ quotannis celebret anniuersarium Guillelmi die 22. Nouembris, quo die potuit obijsse. Fuit Guillelmi aliquando Vicarius quidam frater Franciscus Ord. Minorum olim Episcopus Vrbini, de quo memini me in Præsulum Vrbinensis Ecclesiæ serie perpauca dixisse, nec illum fuisse ex eo Ordine Minorum, sed tantùm intrusum in ea Ecclesia à Clemente VII. Pseudopontifice quoad vtique verum fuit, & ab ea expulsus ab Vrbano VI. tamen ille iam consecratus titulum retinuit, & mendicare coactus est, vicem agendo Guillelmi in Ecclesia Teatina. Hic anno 1399. indulgentiam elargitus est Ecclesiæ S. Laurentij Castri Gipsij hoc cuso diplomate.

Frater Franciscus Ord. Minorum professor, olim Episcopus Vrbinensis, Generalis Vicarius Reuerendissimi in Christo Patris Domini Domini Francisci miseratione diuina tit. S. Susannæ Presb. Cardinalis Commendatarij venerabilium Monasteriorum Sancti Ioannis in Venere, & Sancti Liberatoris de Maiella, ac specialis Vicarius Reuerendi in Christo Patris, & Domini Domini Guillelmi Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Teatini.

Pia Mater Ecclesia de animarum salute sollicita deuotione fidelium per quædam munera spiritualia, remissiones scilicet, & indulgentias inuitare consueuit ad debitum famulatus honorem Deo, & sacris Ædibus impendendam, vt quanto crebriùs, & deuotiùs illuc confluit populus Christianus assiduis Saluatoris gratiam precibus implorando, tanto celeriùs delictorum suorum veniã, & gloriam Regni cælestis consequi mereatur. Cupientes igitur, vt Ecclesia S. Laurentij posita in Territorio Castri Gipsij in contrata viæ molendini, & vt congruis honoribus frequentetur & à Christi fidelibus iugiter veneretur, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui ad dictam Ecclesiam accesserint in festo S. Laurentij deuotè visitauerint in die prædicto quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentijs in Domino misericorditer relaxamus. *Datum in Castro Gipsij die 20. mensis Iulij, septimæ Indictionis sub nostro Pontificali sigillo, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri Domini Bonifacij diuina prouidentia Papæ Noni Anno x. Amen.*

48. NI-



48. NICOLAVS de Viuianis de Ceperano Episcopus Spoletanus ad hanc Teatinā Ecclesiam translatus est à Martino V. Papa Kalend. Febr. ann.1419. successit immediatè Guillelmo; etenim cum Ioannes XXIII. ad purpuram vocasset Guillelmum ad titulum S. Balbinæ tunc Teatinum Episcopum, atq; prouisionem huiusce Ecclesiæ sibi specialiter ea vice reseruasset, antequam Episcopum designasset in Constantiensi Concilio à Papatu depositus est, atque priuatus; eidem successit Martinus V. qua tempestate cum à nonnullis in dubium reuocarū fuisset, an aliquis, præter Romanum Pontificem, prouisionem Ecclesiarum facere posset, vt etiam aliarum tunc vacantium promotionem, declarauit Martinus hæc tantum ad Romanum Pontificem spectare, quamobrem Ecclesijs tunc viduatis transtulit Nicolaum virum pacis, ac tranquillæ vitæ studiosissimum, ex diplomate eiusdem ad Clerum, populumque Teatinum de translatione Nicolai, Mantuæ, pontif. 2. scripto die & anno supra relato. Seruatur diploma in tabulario, Guillelmi quidem Carboni Cardinalatus locupletissimum testimonium, ac nobile documentum. Nicolao verò Præsule propè Teatem anno 1420. Teatinorum munificentia fundatus est Conuentus S. Andreæ Ordin. Minorum à venerabili viro fratre Dominico Ianuensi, diuini verbi disertissimo Prædicatore, qui ibidem post aliquos annos defunctus. Sedit Nicolaus in hac Teatina Ecclesia summa cum laude, & pari vtilitate, ac commodo ann.9. Romæ defunctus est anno 1428. Sepultus in Ecclesia Sanctæ Mariæ Maioris, vbi adhuc in marmorea tabula cum effigie iacentis Episcopi legitur inscriptio prætereuntium pedibus penè corrosa & antiquata, integrum exscripsit Laurentius Schrader in lib. monumentorum Italiç fol. 152.


Hic iacet Dominus Nicolaus de Viuianis de Ceperano venerab. Episcopus Teatinus, & Audientiæ Contradictarum Auditor, cuius anima requiescat in pace. Qui obijt anno Domini MCCCCXXVIII. die Sancti Leonardi.



49. MARINVS de Tocco, ciuis Teatinus, Iuris vtriusque Doctor sui æui celeberrimus, Romanæ Rotæ Auditor fuit, Episcopus euasit Aprutinus sub Gregorio XII. trāslatus indè à Martino V. ad Recanatensem, & Maceratensem Ecclesias ann.1418. postea eodem iubente Martino anno 1419. Id. Ianuarij ad patriæ Sedem regendam transitum fecit. Hic eodem anno, vt habet Indiculus noster, in executione commissionis Ioannis Archiepiscopi Neapolitani olim de mandato Ioannis XXIII. contrà Franciscum de Riccardis, qui indebitè occuparat & detinebat Castra Montis Syluani & Furcæ, quæ idem Pontifex mensæ Episcopali Teatinæ incorporauerat, ne amplius alienari posset. Dimisit tandem idem Franciscus ipsum Castrū Montis Syluani Ecclesiæ Teatinæ anno 1431. & absolutus fuit ab excommunicatione, iterūque mandante Eugenio IV. Castrum ipsum in emphyteusim accepit ab ipsa Teatina Ecclesia. Sequenti anno nobile sepulchrū construxit, ac Altare Diui Iustini Episcopi, & Confessoris in Cathedrali, vbi reposuit sacra eiusdem Diui Protectoris Lipsana, ad rei memoriam carmina in marmore in eo inscribi fecit, quæ supra relata leges in Iustino. Excessit Marinus anno 1438. quem in Episcopis Maceratensibus tom.2. patria Venetum ex incogitantia fuisse scripsimus, cum reuera ex familia de Tocco Teatina natum accepimus ex monumentis, cuius insignia sunt illa quæ hic apposuimus. Marini quoque ætate vixit Bartholomæus de Tocco, eius affinis, Episcopus Valuensis, & Sulmonensis, non Neapolitanus, vt in Catalogo Episcoporū earum Ecclesiarum monuimus, sed Teatinus, qui iacet in Cathedrali Sulmonensi eo epitaphio exarato, quod ibidem exscripsimus, vbi insignia Tocchæ gentis spectantur, ea siquidē,

quæ Marino fuerunt. Hoc dictum velim, vt errata nostra, quæ candidè fatemur, prudens corrigat lector.

50. IO. BAPTISTA de Bruna Sacri Apostolici Palatij Auditor demortuo Marino successit, electus ab Eugenio IV. anno 1438. 9. Kal. Nouemb. ita in Actis Consistorialibus eiusdem Pontificis habetur. Interfuit sequenti anno Florentino Concilio, vbi electus, & confirmatus Teatinus Episcopus se subscripsit: Hanc Ecclesiam administrauit plus minus ann. 7. eamq; nondum consecratus dimisit anno 1445. vt in iisdem Actis Cõsistorialibus Eugenij IV. legitur.



51. COLANTONIVS, Valignanus Teatinus nobili gente natus ex Abbate Commendatario S. Salui ad clauum Teatinæ Ecclesiæ venit ex cessione Ioannis Baptistæ electi, vt patet ex Actis Consistorialibus Eugenij IV. anno 1445. idibus Martij, cuius honorificè meminit Blondus in Italiæ illustratæ libro, tametsi corruptè ex Bolegnanorũ familia pro Valignanorum scribat. Litem habuit cum Præposito Terræ Gypsi, qui iura Episcopalia, tanquam antecessoribus suis ab Episcopo Andrea olim cõcessa an. 1118. cõtendebat: qua etiam tempestate contra Franciscum de Riccardis de Ortona pro feudo Castri Syluani in Romana Curia decertauit, tulitque fauorabilem sententiam ad Ecclesiæ suæ fauorem anno 1454. Erat Valignanus ob præclaram prudentiam, & rerum politicarum experientiam Regi Alphonso in paucis charus, pro quo diu apud Rempublicam Venetam Oratoris munere functus est, quo tempore plurimos tam sacros, quam profanos libros à propriis originalibus exscribere fecit per Cõsilium domesticum suum, & Teatinũ doctũ Canonicum, quos dono dedit Ecclesiæ suæ. Fecit etiam pulcherrimum calicem aureum conflari, qui adhuc in hac Ecclesia ex pia eius liberalitate visitur cum argenteo vasculo ad sacra olea asseruanda. Episcopales ædes auxit, & ornauit, adiuncta præcelsa Turri à fundamentis ad Ciuitatis decorem, Episcoporumque commoditatem, vbi hæc inscriptio legitur,

Ad Ciuitatis, & patriæ suæ decorem Colantonius Antistes has ædes fieri fecit anno redemptionis humanæ MCCCCLXX.

Eo quoque Præsule factam fuisse apparet imaginem argenteam S. Iustini Episcopi cælati operis à medio sursum, quæ hodie visitur, cum à tergo legatur,

Hoc opus fecit magister Nicolaus de Guardia Giles anno salut. MCCCCLV.

Quo etiam tempore fores Cathedralis magnificentissimè extructæ fuerant, marmoreis statuis Beatissimæ Virginis Mariæ, S. Thomæ Apostoli, ac S. Iustini Episcopi exornatæ; & Sanctorum Martyrum corpora Leguntiani, & Domitiani die prima Iulij 1466. recondita fuerunt sub Altare Natiuitatis Domini in eadem Cathedrali Ecclesia. Nicolai aliquando suffraganeus fuit Nicolaus Episcopus Florentinensis ex nobili familia de Podio, qui pro gentilitijs stemmatibus gerebat figuram Agnus-Dei retrospicientis & dextro pede Crucis vexillum deferentis. Acta Colantonij Præsulis non excedunt annum 1487. quo, vel initio sequentis, excessit, in Cathedrali, suorumque Valignanorum sacello sepultus traditur.



52. ALPHONSVS de Aragonia, Ferdinandi I. Regis Neap. filius nothus, Teatinorum Pontifex fuit adlectus ab Innocentio VIII. die 27. Feb. 1488. Sedit annos octo, eoque munere se abdicauit nondum consecratus anno 1496. interfuerat antea coronationi Alphonsi II. Regis fratris sui die 8. Maij 1494. solemni pompa celebratæ cum pluribus

A

alijs Regni Præsulibus. In administranda Ecclesia ista vsus est Alexandro de Marra Archiepiscopo S. Seuerinæ, & Iacobo de Mainerijs Episcopo Adriualensi. Cæterum post suam abdicationem voluntariam, quid egerit Alphonsus, vel quando, quoue in loco obierit, incertum; certum tamen fuisse Ferdinandi I. filium, & Alphonsi II. fratrem indicant plura monumenta, tum Ecclesiæ Teatinæ, tum regij regest. in quibus Alphonsum Regis filium viuente Ferdinando, deinde regnante Alphonso II. Regis fratrem, & Teatinum Episcopum se se denominat.

53. IACOBVS de Bacio Neapolitanus vir nobilis & vtriusque iuris eximius Doctor, per spicua sapientia præditus ex cessione Aragonei adlectus est Episcopus die 16. Nouēb. 1496. vix annus secundus fluxerat à sua inauguratione, cum vocaretur ad tumulum, boni, pijque Pastoris fama relicta.

B

54. OLIVERIVS Card. Carrafa hanc Ecclesiam commendatam accepit ab Alexandro VI. die 2. Feb. 1499. quam ad fauorem Bernardini nepotis, cum regressu tamen, resignauit die 20. Decembris 1501. De Oliuerio plura leges supra in Archiepiscopis Neapolitanis.

C



D

55. BERNARDINVS Carrafa Oliuerij Card. ex fratre nepos, miles, & Prior Neapolis Ordinis Hierosolymitani, ex patrui resignatione adlectus est Episcopus Teatinus die 20. Decemb. 1501. sub Iulio II. euasit Patriarcha Alexandrinus anno 1503. Neap. obijt designatus Archiepiscopus Neapolitanus anno 1505. iacet in Sacello S. Stephani Ecclesiæ S. Dominici nobili tumulo, quem Hieronymus eius frater excitauit, & inscriptione ornauit in hunc modum.

Ossibus & memoriæ Bernardini Carafæ Episcopi, & Comitis Teatini Patriarchæ Alexandrini positum Hieronymus Carafa fratri vnanimi fecit, Vixit annos XXXIII.

Morte iudicante satis eum vixisse diu cui nihil ad vllam vel virtutis, vel prudentiæ, aut literarum laudem addi vlterius posset, contra grauiter conquerente fortuna abreptam sibi facultatem amplissimi honoris, quem iam apparauerat illi deferendi, fato functus est anno salutis Christianæ M.D.V.

Bernardini Patriarchæ Alexandrino librū de honesta disciplina inscripsit Petrus Crinitus. Post Bernardini obitum ratione regressus Teatina Ecclesia ad Oliuerium Card. redijt, is post paucos menses iterum, eam in Ioannem Petrum nepotem transferendam curauit.



56. IO. PETRVS Carrafa alter ex fratre nepos Oliuerij Card. vir singularis integritatis, doctrinæ, tantæque sinceritatis, vt in eo egregias cadentis patrui virtutes reuiuiscere viderentur, quibus omnium hominum amorem & gratiam cum promeruisset, ex Canonico Neapolitano, Iulijque II. Papæ Cubiculario, Episcopus Teatinus pronunciatus est die 30. Iulij 1505. mox Apostolicus Nuncius Neapolim ad Ferdinandum Regem Catholicum missus post annum Tea-

A tem vrbem solemni ritu ingressus est die 20. Iunij, eamque Ecclesiam ijs virtutibus regendam suscepit, quæ sacrum Antistitem videbantur decere. Cleri disciplinam ex Pastorũ absentia fere collapsam, summo labore, & charitate, suoque exemplo restituit, sæcularium que prolapsos mores reparauit, adeòque omnia benè constituit, vt breui tempore Ecclesiam suam optimè institutam haberet, ac si tùm primùm priscorum Antistitum feliciora tempora renasci censerentur. Romam post aliquot annos reuertitur, & Concilio Laterano inter Patres assedit, sententiasque grauissimas dixit Leone X. Pontifice, à quo in Angliam ad Regem Nuncius delegatus, tres omnino annos eo in munere consũpsit. Exacta legatione in Hispaniam cum Carolo Austriaco mox futuro Imperatore traiecit, probata interim eius virtute, à Consilijs Regijs, & Regij Sacelli Præfectus renunciatus est, auctusque opimo Brundusino Sacerdotio, ad id trãslatus à Leone die 21. Decembris 1518. cum retentione prioris Ecclesiæ Teatinę. In Italiam regressus Brundusinam Ecclesiam inuisit. Reuocatus ad Aulam ab Adriano VI. apud ipsum & Clementem VII. successorem gratia & auctoritate valuit; sed instinctu diuini spiritus, rerum fluxarum contemptu, meliorisque vitæ affectu ad pedes Clementis VII. Pontificis die 24. Augusti 1524. infulas Teatinam, Brundusinamque, ac cætera ecclesiastica beneficia, bonaque sæcularia abdicauit, paucisque post diebus vnà cum Caietano Thieneo, Bartholomæo Colle, & Paulo Consiliario in Vaticana Basilica paupertatis, castitatis, & obedientiæ vota emisit, nouumque Clericorum Regularium Ordinem bono Reipublicę Christianæ omine instituere cœpit, qui Teatini à Teate Ciuitate, cui Carrafa diù præfuerat, sunt nuncupati. Ordinem approbauit Clemens anno 1528. cuius primus Præpositus adlectus est ipse Carrafa, qui cum non semel honores ex humilitate detre[illegible] obedientia tandẽ victus, purpuram [illegible]cepit ad titulum S. Clementis à Paulo I[illegible] anno 1[illegible]35. qui ei Ecclesiam Teatinam o[illegible]m ab [illegible] dimissam tunc pastore vacantem red[illegible]dit anno 1[illegible]37. mox translatus ad Neapolitanam, illam dimisit. Demum cum esset Episco[illegible] Card. Ostiensis renunciatus est S[illegible]mm[illegible]s Ecclesiæ Pontifex anno 1555. Paulus IV. appellatus. De quo legendi Caracciolus, Cattald[illegible]s, S[illegible]os, alijque, qui vitam eiusdem abundè [illegible]pserunt. Et nos supra de eo egimus in [illegible] [illegible]piscopis Neapolitanis.

TEATINI ARCHIEPISCOPI.



1. FELIX Trophinus Bononiensis, vir integer & singularis probitatis ab intimo cubiculo Clementis VII. Carrafæ sufficitur die 24. Augusti 1524. quem non multò post idem Carrafa solemni ritu, Romæ consecrauit die 31. Augusti. Possessionem verò adipiscitur per procuratorem die 9. Octobris. Is fuit vltimus Episcopus, & primus Archiepiscopus Ecclesiæ Teatinæ. Etenim an. 1526. Clemens ipse VII. Pontifex ad Caroli V. Imper. & Teatinæ Ciuitatis preces, Cathedralem Teatinam meritis multis decoratam in Metropolitanam erexit, attributis Suffraganeis Lancianensi, Pennen. & Adriensibus Episcopis, ac Felicem Episcopum Datarium suũ, fide & probitate morum virum clarissimum, sibique gratum Primum Archiepiscopum creauit, vt in sequenti diplomate erectionis Archiepiscopatus legitur ab exemplari exscripto.

Clemens Episco[illegible] [s]eruus seruorum Dei.

D *Ad perpetuam rei memoriam.*

Super vniuersas Orbis Ecclesias, eo disponente, qui cunctis imperat, & cui vniuersa deseruiunt, meritis licet imparibus constituti, leuamus in circuitu a[illegible] Dominici oculos nostræ mentis [illegible]s Pastoris inspecturi, quid Ecclesiarum ipsarum statui congruat, quid operis [illegible]ijs, earumque statum prosperũ & fel[illegible] debeat, & diuino tulti præsi[illegible]o [illegible]o cuncta ex sui benignitate pro populo [illegible] suorum Christi fidelium salute disponit ad ea, quæ statui Ecclesiarum huiusmodi congruunt, nostri ministerij partes vtiliter intendere curamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Sanè attendentes, ciuitatem Teatinam in-cen-

centro Prouinciæ Aprutin. Regni Siciliæ citra Pharum, quæ amplitudine celebris foris & infra se nouem ciuitates, & quamplurima oppida, & castra, ac ob eius excellentiam proprium Viceregem habere dignoscitur, constitutam, ac totius Prouinciæ caput. Nec non à claræ memoriæ Regibus Siciliæ, qui pro tempore fuerunt, pluribus priuilegijs munitam esse, & in ea regios Auditores residere, Baronesque ipsius Prouinciæ pro illius tractãdis negocijs congregari consueuisse, ac Ecclesiam Teatinam, cui venerabilis frater Felix Episcopus Teatinus Prælatus noster domesticus præest, inter alias ipsius prouinciæ Cathedralis Ecclesias, insignem, & notabilem, ac metropolitica prelatione dignam meritò existere. Nec non dilectos filios Communitatem ipsius Ciuitatis Teatinensis propterea pro augumento dotis mensæ Episcopalis eiusdem Ecclesiæ Teatinæ redditus annuos trecentos ducatos monetæ dicti Regni, seu certam pecuniarum summam pro dictorum annuorum redditnũ emptione assignare paratos existere, ex his & nonnullis alijs rationibus, & causis moti, habita super ijs cum fratribus nostris S. R.E. Cardinalibus deliberatione matura, ad Omnipotentis Dei laudem, & honorem, nec non fidei Catholicæ exaltationem, prædictam Ecclesiam Teatinã, in Metropolitanam, cum Archiepiscopalis dignitatis Iurisdictione, & superioritate, ac Crucis delatione, ac alijs Metropoliticis insignijs de fratrum eorundem consilio, authoritate Apostolica tenore presẽtium erigimus, & instituimus, ac illi Lancianen. Pennen. & Adrien. Ecclesiarum Presules pro tempore existentes pro suis suffraganeis Episcopis, nec non dilectos filios Capitula Ecclesiarum, ac Clerum, & Populum Ciuitatum, & Diœcesis earundem pro suis Prouincialibus, Clero, & populo ita quod Episcopi quoad omnia Metropolitica, & Archiepiscopalia iura, superioritatem, & iurisdictionem pro tempore existenti Archiepisc. Teatino subiecti sint, & tanquã membra capiti obsequentes, & de Archiepiscopalibus iuribus respondere debeant, de simili consilio, authoritate & tenore prædictis concedimus, & assignamus, nec non mensæ prædictæ redditus annuos pro illius dotis augumento huiusmodi per eandem ciuitatem, vt præfertur, assignandos, seu pro illorum emptione ex pecuniarum summa per ipsos ciuitatem emendos assignanda, cum assignati, seu empti fuerint, ex nunc prout ex tunc, & è contra perpetuò applicamus, & appropriamus, Decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super his à quocunque quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, applicationis, appropriationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorũ eius se nouerit incursurum. *Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1526. Kal. Iunij, Pontificatus Nostri Anno tertio.* Tametsi Pennensis Ecclesia attributa fuerit in Clementis diplomate Teatinæ Ecclesiæ Suffraganea, & Metropolitico iure subiecta, nihilominus Pennensis Episcopus, qui vnum Romanum Pontificem ex priuilegio immediatè venerabatur, subiectionẽ Teatinam ægrè ferens, vt priscum illud ius suum tueretur, ad Clementem primùm, mox ad Paulum III. confugit, atque post diutinam litem in Romana Curia exagitatam, iugum excussit, pristinumque decorem recepit, iterumque Romanæ Sedi immediatè subijcitur anno 1539. hoc diplomate, quod ab exemplari exhibemus.

Paulus Episcopus seruus seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter cætera, ad quæ ex cõmissi nobis diuinitus Pastoralis officij debito tenemur, illud propensius cogitare nos conuenit, per quod nostræ prouisionis ministerium Ecclesiæ singulæ, præsertim Cathedrales nobis & Apostolicæ Sedi immediatè subiectæ ac Christi fideles illis dediti sublatis nouarum institutionum scandalis, in suis iuribus & consuetudinibus præ erueantur. Dudum siquidem fel. rec. Clemens Papa VII. prædecessor noster attendens Ciuitatem Teatinam in centro Prouinciæ Aprutinæ Regni Siciliæ citra Pharum, quæ amplitudine celebris, foris & infra se nouem ciuitates & quamplura oppida & castra, ac ob eius excellentiam proprium Viceregem habere dignoscebatur, constitutã, ac totius Prouinciæ prædictæ caput, nec non à claræ mem. Regibus Siciliæ, qui pro tempore fuerunt, pluribus priuilegijs munitam esse, & in ea Regios Auditores residere, Baronesque ipsius prouinciæ pro illius tractandis negocijs congregari consueuisse, ac Ecclesiam Teatinam, cui bo. mem. Felix olim Episcopus Teatinus tunc præerat, inter alias ipsius Prouinciæ Cathedrales Ecclesias insignẽ, ac notabilem, & Metropolitica prælatione dignam meritò existere, nec nõ dilectos filios Communitatem ipsius Ciuitatis Teatinæ propterea pro augumento dotis mensæ Episcopalis eiusdem Ecclesiæ Teatin. redditus annuos trecentorum ducatorum monetæ dicti Regni, seu certam pecuniarum summam pro dictorum redditũm annuorum emptione assignare paratos existere, ex his, & nonnullis alijs rationabilibus causis motus, habita desuper cum fratribus suis, de quorum numero tunc eramus deliberatione matura, eandem Ec-

A clesiam Teatinam in Metropolitanam cum Archiepiſcopalis dignitatis iuriſdictione, & ſuperioritate, de fratrum eorundem conſilio, authoritate Apoſtolica erexit, & inſtituit, ac inter alias illarum partium Ciuitates, & Diœceſes, quas pro Suffraganeis eidem Eccleſiæ Teatinæ ſic in Metropolitan. erectæ aſſignauit Pennenſem Ciuitatem, & Diœceſim, ac Eccleſiæ Pennen. Præſulem pro tempore exiſtentem pro ſuo Suffraganeo Epiſcopo, necnon dilectos filios Capitulum Eccleſiæ, & Clerum, & populum Ciuitatis, & Diœceſis Pennen. pro ſuis Prouincialibus Capitulo, Clero & Populo, ita quod ipſi quoad omnia Metropolitica, & Archiepiſcopalia iura, ac ſuperioritatem, & iuriſdictionem pro tempore exiſtenti Archiepiſcopo Teatin. ſubiecti eſſent, & tanquam membra capiti obſequentes, & de Archiepiſcopalibus Iuribus reſpondere deberent, conceſſit & aſſignauit, decernens ex tunc irritum & inane, ſi ſecus, ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari, prout in ipſius Prædeceſſoris literis deſuper confectis pleniùs continetur, & deinde comperto quod Eccleſia Ciuit. & Diœc. Pennen. huiuſmodi ante erectionem, conceſſionem, & aſſignationem huiuſmodi erat eidem prædeceſſori, ac pro tempore exiſtenti Rom. Pontifici, & Eccleſiæ Romanæ immediatè ſubiecta, de quo in literis prædictis nulla extitit facta mentio, ac propterea tam tempore prædicti Felicis Epiſcopi, quàm etiam bon. mem. Guidonis, dum viueret, ac poſt erectionem huiuſmodi Archiepiſcopi Teatini etiam eodem prædeceſſore in humanis agente, Populo, & Clero Ciuitatis, & Diœceſis Pennen. huiuſmodi contra eaſdem literas, quoad concernentia illorum ac Eccleſiæ & Capituli Pennen. huiuſmodi præiudicium & intereſſe ſe opponentibus, literæ prædictæ quoad conceſſionem, & aſſignationem Capituli, Cleri, & populi Eccleſiæ & Diœc. Pennen. huiuſmodi adhuc effectum non habuerat, Quo ad prædeceſſor præfatus habita de præmiſſis informatione, conceſſionem, & aſſignationem vltimò dictas reuocare, caſſare, & annullare, ſeu viribus à principio & ſemper caruiſſe, nullaſque & inualidas fuiſſe decernere & declarare propoſuerat. Nos quibus ex fide dignorũ relatione de ipſorum Clementis prædeceſſoris propoſito, ac quod niſi idem Prædeceſſor morte præuentus fuiſſet, illas omnino reuocaſſet, quodque ex conceſſione, & aſſignatione, ac contradictione huiuſmodi non parua ſcandala exoriri poſſe formaliter, legitimè cõſtat, conſiderantes etiam quod ſi idem prædeceſſor de exemptione Ciuitatis & Diœceſis Pennen. huiuſmodi informatus fuerat, vltimò dictam conceſſionem, & aſſignationem minimè fecerat, quodque iuſtè, & rectè de illarum reuocatione procedere propoſuerat, ac ſcandalis huiuſmodi quantum in Deo poſſumus obuiare & omnem fomitem diſſenſionis

amputare volentes, ac ex certis aliis rationabilibus cauſis animum noſtrum mouentibus motu proprio, non ad alicuius alterius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, necnon intuitu & contemplatione dilecti filij Octauij Farneſij Almæ Vrbis Præfecti Ducis, ac dilectæ in Chriſto filiæ Margaritæ de Auſtria Duciſſæ Pennen. coniugum, qui etiam ſecundum carnem nepotes noſtri exiſtunt, conceſſionem, & aſſignationem Capituli Eccleſiæ, & Cleri, Populi Ciuitatis & Diœceſis Pennen. huiuſmodi per eundem prædeceſſorem, vt præfertur, factas, B erectione tamen prædicta alias in ſuo robore permanente, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium reuocamus, caſſamus, & annullamus, & quatenus opus ſit, Capitulum, Eccleſiam, Clerum, & Diœc. Pennen. huiuſmodi ab Eccleſia & Archiepiſcopo Teatin. huiuſmodi ſubmiſſione, ſuperioritate, & iuriſdictione abſoluimus, abdicamus, ſuparamus, & totaliter liberamus, ac vltimò dictas conceſſionem & aſſignationem caſſas, & nullas, & à principio fuiſſe & eſſe declaramus, ac ſuper illis etiam cum expreſſione cauſæ & litis, ſi quæ deſuper fortan pendet, cuius ſtatum, nominaque & cognomina iudicum, & collitigantium præſentibus haberi volumus pro expreſſis, auocatione & extinctione prout præſentium tenore cauſam ad C nos auocamus, & litem huiuſmodi penitus extinguimus, & perpetuum ſilentium imponimus, Ac Eccleſiam, Capitulum, Clerum, populum Ciuitatis & Diœceſ. Pennen. huiuſmodi in priſtinum, & eum, in quo ante conceſſionem, & aſſignationem vltimis diebus erat, ſtatum, etiam quoad omnes & ſingulos iuris & facti effectus, etiam quacunque ſpeciali & ſpecifica expreſſione dignos reponimus, reſtituimus, & plenariè reintegramus, illoſque quatenus opus ſit, ab ipſa Eccleſia Teatina etiam dimembramus, & ſeparamus, ac præſentes literas ad probandum plenè omnia & ſingula ſupradicta in iudicio & extra ſufficere, nec ad id alterius probationis adminiculum requiri, nec in cõtrarium probationem admitti, aut illas de ſurreptionis, vel ob- D reptionis vitio, aut intentionis, vel quocunque alio defectu notari poſſe, ſicque per quoſcunque Iudices iudicari, diffiniri, aut interpretari debere, ſublata eis penitus aliter iudicandi, diffiniendi, aut interpretandi facultate, & authoritate. Irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtantibus præmiſſis, & noſtra de non tollendo iure quæſito, & alijs Apoſtolicis conſtitutionibus, & ordinationibus, ac Teatin. & Pennen. Eccleſiarum huiuſmodi iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Nulli ergo

go omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, cassationis, annullationis, absolutionis, & separationis, liberationis, declarationis, voluntatis, abdicationis, extinctionis, impositionis, repositionis, restitutionis, reintegrationis, dismembrationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario cõtraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotẽtis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. *Datum Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo nono 15. Kalend. August. Pontificatus nostri anno quinto.*

A

Ceterùm Lancianensis Ecclesia, & ipsa attributa Teatinæ Suffraganea, sub Pio IV. Archiepiscopali dignitate exornata anno 1562. Teatina Metropolis Suffraganeis viduata est, quousque Pius V. anno 1573. Ortonensem Episcopatum instituit, & eidem Teatino Archiepiscopo Metropolitico iure subiecit. Vnico igitur Episcopo Suffraganeo nobilitatur Teatinus Archipræsul, qui in primæua institutione tribus condecoratus fuerat; sed ad Felicem redeamus; is cum plus minus annis tribus bene sedisset, Romæ fato functus est anno 1527. cui dicauit librum de sortilegijs & hæreticis Paulus Grillandus.

B



C

2. GVIDO Medices Florentinus, patre Antonio, matre Vaggia del Bechuto, antiquo quidem, ac nobili natus genere; sed summa in rebus agendis prudentia præditus assumitur primùm ex Canonico Ecclesiæ Florentinæ in Episcopum Venusinum, mox ad Teatinam Ecclesiam translatus anno 1528. die 2. Ianuarij; Absens præfuit annis decem, tum quia sub Clemente VII. Pontifice consanguineo suo Arcis Adrianæ Molis Præfectus fuit, tum verò quia eius promotio non placuit Carolo V. Imp. ob propensionem, quã Guido ad Gallos habebat; erat enim Francisco Regi carissimus. Habuit contentiones grauissimas cum Clero, populoque Teatino, quibus aliquando compositis, redditus Ar-

D

chiepiscopales dicitur recepisse. Moritur Romæ anno 1537. sepelitur honorificè in Ecclesia S. Mariæ ad Mineruam cum tali inscriptione.

D. O. M.
Guidoni Medici Patritio
Florentino Theatino Archiepiscopo, & sub Clemente VII.
Pont. Max. Adrianæ Molis
Præfecto Fratres Cõuentus Mineruæ tanquam de se bene merito
Pos. die xx. Iunij MDXXXVII.

Romæ funerauerat Guido genitricem suam in Ecclesia S. Mariæ de Populo, & elogio in marmore cohonestauerat, quod nobis contigit videre ante nouam Ecclesiæ restaurationem ita scriptum.

Vaggiæ Mediceæ de Beccutis, quæ vita integerrima acta
in Cælum rediens, quod terræ
fuit, terræ reddidit.
Guido Medices Theatinus Archiepiscopus Arcis Rom. Præfectus matri dulciss. mæstiss. posuit.
Vixit ann. LXX. obijt XVII.
Kal. Augusti MDXXVI.



3. IOANNES PETRVS Card. Carrafa, qui antea huius Ecclesiæ Episcopus fuerat, eiusdẽ tertius Archiepiscopus defuncto Guidone pronunciatus est à Paulo III. die 20. Iunij

nij 1537. Absens illam administrauit ad annum vsque 1549. quo ad Neapolitanum Sacerdotium translatus, atque inde Paulus IV. Pont. Max. fuit, Suffragineum habuit in Teatina Ecclesia Scipionem Rebibam, illum, qui sub Iulio III. euasit S.R.E. Card. In Aula Archiepiscopalis Palatij Teatinę Ecclesię hęc ad Carrafæ memoriam legentibus prostat, inscriptio.

D. O. M.

Io. Petro Carafæ Ecclesiasticæ disciplinæ vindici acerrimo, Ordinis Clericorum Reg. Theatino Episcopatu relicto, Fundatori in S.R.E. Cardinalium numerum adscripto. Secundum Ecclesiæ Theatinæ Archiepiscopo III. ad Summi Pōtificatus Apicem euecto Pauli IV. nomine retento D. Paulus Tolosa eiusdem Ordinis Archiepiscopus XV. Domino & parenti optimò posuit.



4. BERNARDINVM Cardinalem Maffeum tituli S Ciriaci in Thermis, antea Episcopum Massanum, virum egregium Paulus III. transtulit ad Ecclesiam Teatinam die 9. Nouemb. 1549. Sedit laudatissimè annos 4. Decessit Romæ optimus, & longiori vita dignissimus Præsul, ex hac mortali ad immortalem vitam 17. Kal. Aug. 1553. ætatis suæ 39. atque in S. Maria super Mineruam, sacelloq; suæ familiæ tumulatur, quem prælaudauimus in Episcopis Massanensibus tom. 3.

5. MARCVS ANTONIVS Maffeus, Bernardini Card. germanus frater à Iulio III. cōstituitur quintus Teatinæ Ecclesiæ Archiepiscopus vno ab obitu fratris die 17. Iulij

A 1553. Natus is erat anno 1521. in adolescentia ferè multis vrbibus præfectus, deinde Cōsistorialis Aulæ Aduocatus, à Paulo III. electus, postea inter Canonicos Lateranensis Ecclesiæ, paulò post Papæ in Vrbe Vicarij gessit vices, Archiepiscopus Teatinus renunciatus, Apostolicus Nuncius ad Poloniæ Regem missus, postmodum Pij V. Datarius, Basilicæ Vaticanæ Canonicus in locum Achillis fratris præmortui. Denique ab eodem Pontifice galero purpureo tum literis, tum prudentia insignis ornatur titulo S. Vitalis, mox S. Calixti, in Archiepiscopatu tamen Teatino vsque ad annum 1568. non sedit, ad eum verò benè regendum antea Suffraganeum miserat Franciscum Monaldum Ciuem Teatinum,

B origine Etruscum è Florētia Ciuitate, Archiepiscopum Tarsensem infelicissimi exitus miserabile exemplum, quippe qui æmulorum quorundā dum sacra Mileti celebraret, clam immissi subterranei cuniculi vehementissimo impetu ignis in altum explosus interijt, cuius meminit Petrus Monaldus in lib. Originum familiarum Florentinarum.

Cæterùm Maffeus Romæ vale dixit mortalitati 11. Kal. Septembris 1583. in Ecclesia S. Mariæ ad Mineruam propè Bernardinum fratrem honorificè cum summo omnium suorum luctu sepelitur, superaddito eius tumulo tali epitaphio.

C

D. O. M.

Marco Antonio
Hieronymi filio Maffeo
S. R. E. Presbytero Cardinali
Titulo Sancti Calixti
Vixit annos LI. menses XI. dies XXII.
Obijt 11. Kal. Septembris.
MDLXXXIII.

Marci Antonij meminit non semel laudatus Carolus Catharius in Aduocatorum Cō-

D sistorialium Syllabo, vbi de Maffæa familia, ac Præsulibus eiusdem eruditè scribit.

6. IOANNES Oliua Perusinus, Iuris Vtriusque celeberrimus Doctor, ex sua virtutū fama ad Archiepiscopalem Sedem Teatinam euectus est à Pio V. die 12. Ianuarij 1568. munus consecrationis accepit die 25. eiusdem, pallio insignitus 8. Febr. mox ad Ecclesiam suam profectus, cœpit illam sollicitè administrare; sed cum in corrigendis moribus, tollendis abusibus, in ecclesiastica iurisdictione tuenda acerrimus vindex euasisset, inuidorum multorum indignationem incurrit, quamobrem ab eorum lingua dolosa apud Pontificem de quibusdam criminibus insimulatus, canonicè suam coactus est probare innocentiam, quam cum eximiè fecisset,

impios

impios fugauit æmulos, & gratiam Pontificis promeruit locupletiorem. En innocentia conspicuus, Ecclesiam Clero, ad veterem disciplinam ex Tridentini Concilij legibus renocato, ac populo ad Christianam pietatem informato, excultoque, & instituto Clericorum Seminario, eximiè ann. 9. administrauit; laboribus tandem, & senio fessus decessit ex hac lacrymarum valle mense Octobris 1577. sepultus in sua Metropolitana Ecclesia.

7. HIERONYMVS de Leonibus nobilis Anconitanus Episc. Sagonensis in Corsica, ad hanc Ecclesiam translatus est à Gregorio XIII. die 25. Octob. 1577. exceptus omnium gratulatione, qui optimum futurum pastorem præsagiebant, sed mors importuna, eorum desiderium tetra falce recisit anno sequenti, sexto à translatione sua mense, sepultusque est in Cathedrali.

8. CÆSAR Busdragus patritia familia Lucæ in Tuscia natus, propria virtute, ac morum candore octauum sibi locum inter Teatinos Archiepiscopos vindicauit, translatus ab Alexana Ecclesia die 31. Aug. 1580. nuper inuentum corpus S. Eleuterij in Ecclesia S. Mariæ de Ciuitella honorificentius recondidit die 26. Decembris, & indulgentiam sacra Lipsana venerantibus concessit, scripta breui chartula ad futurorum memoriam.

Hic corporis S. Eleuterij requiescunt ossa, olim per Reginam Ioannam tempore fratris Petri Eremitæ in altari de Domo Brigantica in hac Ecclesia sistenti in quadam capsula (& in quadam parua cartula in ipsa capsula inuenta scriptum erat) deposita ibi per Illustrissimum, & Reuerendiss. Dominum Cæsarem Busdragum Lucensem Archiepiscopum, & Comitem Teatinum die 26. Decembris existente in hoc Monasterio Priore fratre Ioanne Andrea Valenzano. inuenta in hac capsa die xj. Martij anni 1580. *recondita per dictum Illustrissimum Dominum, qui dictum corpus dictis diebus cuiuslibet anni visitantibus quadraginta dies de vera indulgentia concessit pro qualibet vice, Archiepiscopus, qui supra &c.* Porrò in ea capsula, vbi inuenta sunt Eleuterij sacra lipsana, reperta fuit chartula, quæ extat, vbi hæc legebantur. *Hic corpus Sancti Eleuterij est depositum per Reginam Ioannam tempore fratris Petris Eremita.* Hunc Eleuterium putarunt aliqui illum eundem esse, qui in veteri Kalendario Teatinæ Ecclesiæ notatur 21. Maij, ac credút, cæcutienti quidem coniectura, Teatinum fuisse Episcopum, quamobrem curarunt in nouis Episcoporum diptycis adscribendum. Certè, ni fallor, Eleuterius ille à Petro Eremita in ea capsula repositus, Episcopus non erat, alioquin haud siluisset chartula illa; quis tamen ille fuerit, siue Martyr, vel Confessor, ant potius Eremita, iudicent alij. Cæterùm Cæsar Archiepiscopus, postquam consultissimè Teatinam Ecclesiam plus minus annis septem administrasset, bono fine quieuit mense Octobris 1585. in Cathedrali terræ mandatus est.

9. IOANNES Baptista Castruccius Lucensis gente patritia anno 1541. ortus, annum agens 24. Doctoratus Lauream consecutus, inter patriæ Senatores relatus est. Romam petijt, inter familiares receptus à Felice Cardinali Montalto, eiusdem ob virtutum ornamenta charus euasit, qui summus inde Ecclesiæ Pontifex creatus, Sixtus V. dictus, Castruccium ad amplissimos honores paulatim euexit; primùm Canonicatu Vaticanæ Basilicæ cohonestauit, ac supplicibus libellis præfecit, mox Teatinum Archiepiscopum delegit die 21. Octobris 1585. eodemque anno in Cardinalium numerum cooptauit ad titulum Sanctæ Mariæ de Aracœli, & Signaturæ Præfectum constituit; Erat enim ob placidissimos mores, & in rebus forensibus præclaram prudentiam vir longè clarissimus. Sex omnino annos Teatinam absens Ecclesiam perbelle administrauit, quam cum non semel dimisisset, duos spectatæ prudentiæ conciues praeficiendos summo studio curauit, Horatiú scilicet Saminiatum tunc domi suæ Præfectú, eoque breui defuncto, Matthæum eius consobrinum, qui Cardinali in patria ab humanis erepto vltima pietatis officia ac iusta persoluit. Lucæ obijt 15. Kalend. Aug. 1595. cadauer in maiorum tumulo ad Diui Francisci reconditum hac inscriptione.

Ioanni Baptistæ Castruccio
tit. Sanctorum Ioannis & Pauli
Presbyt. Card. Signaturæ Iustitiæ S.D.N. Prefecto.

Eius meritas laudes in ipsa funerali pompa latinè primùm Martinus Lilius Sácti Michaelis Lucæ Decanus, Etrusca verò lingua in Oratorio Sanctissimę Trinitatis Trigrimus de Trigrimis Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, qui sub Vrbano VIII. Episcopatum Assisiensem, & Hierosolytanum Patriarchatum promeruit Academicorum obscurorum nomine egregiè prosecuti sunt.



10. HORATIVS Saminiatus, natione Etru-

Etruſcus, patria Lucenſis, origine tamen è ciuitate Sancti Miniati nobili gente natus ex Canonico Collegiatæ Sancti Michaelis, & Priore S. Alexandri in patria, intercedente Card. Caſt uccio, Vaticanæ Baſilicæ primùm, & Teatinus deinde Arc iepiſcopus renunciatus eſt die 20. Martij 1591. Vir optimis morib is, & in pauperes liberalis à ciuibus Teatinis perhonorificè receptus, viſitationis munus breui interiecto tempore accepit, quo vix p racto, diuina diſponente clementia, è me o ſublatus eſt 4. Kalend. Februar. 1592. ſeptimo ſui Præſulatus menſe nondum expleto, magno de ſe apud omnes relicto deſiderio hu atur in ſua Cathedrali.



11. MATTHÆVS Saminiatus Lucenſis Horatij deceſſoris conſobrinus eidem ſucceſſit die 4. Martij 1592. cuius vitam ſcripſit Sinibaldus Baroncinus eius famil iaris in catalogo, quem hic ipſiſſimis verbis p cuit exſcrib . Matthæus, inquit, Sam n atus, Franciſci filius, Luca præclara, ac libera Etruriæ ciu tate ortus, ſed Florentiæ, quò pater eius inſtabilibus fortunæ fluctibus iactatus, quaſi in portu quod m ſe receperat, à pueritia educatus, cum eſſet Eccleſiæ Florentinæ Canonicus; & extra numerum Apoſtolicæ Sedis Notarius, quartus ex nobilitate Lucana Archiepiſcopus Teatinus, ſed ordine Archiepiſcoporum vndecimus, Horatio Saminiato eius conſanguineo ſuccedens à Summo Pontifice Clemente VIII. Ioannis Baptiſtæ Card. Caſtruccij præſertim intuitu creatus anno 1592 in Feſto Sancti Ioſeph Beati æ Mariæ Virginis Sponſi in Eccle a S. Ioannis Baptiſtæ nationis Florentinæ ab Alex ndro Medice Archiepiſcopo, & Cardinal Florentino, cuius itidem Vicarium egerat, conſecratus fuit, Ludouico Alemano Maticonenſi, & Franciſco Gerino Balneoregienſi Epiſcopis aſſiſtentibus, ac demum menſe Aprilis è manibus Alexandri Peretti Card. Vicecancellarij de Montealto nuncupati, nobile Archiepiſcoporum decus, poteſtatis plenitudinem deſignans recep t. Futuri ap cem profectus, & progreſſus huiuſmodi præclara, quæ ab initio in ijs Matthæo apparuit indoles, ſpem maximam dediſſe viſa eſt; ſiquidem is naturaliter animæ & corporis dotibus egregiè ornatus, ab ineunte ætate literarum liberalium ſtudijs ſedulò operam nauans, ac in Almo Piſarum Gymnaſio admodum iuuenis vtriuſque Iuris doctoratu adepto, ibidem inſtituta ciuilia publicè, nec non magna ſui laude interpretatus eſt: cuius ingenio Coſmus Medices Magnus Etruriæ Dux I. non mediocriter delectatus, benignè eum liberaliter fouit, ac iuuit, breuique interiecto tempore Canonicatum in Eccleſia Cathedrali Florentina conferendum curauit, maiora illi bene quidem merenti collaturus in dies beneficia, ſi diutiùs vixiſſet. Franciſco autem Coſmi filio Magno Duci II. qui patri ſucceſſit, non minus charus exiſtens, eius commendatione inter aulicos Ferdinandi Medicei tunc S.R.E. Cardinalis, indè verò Etruriæ Magni Ducis III. receptus eum Romam ſecutus eſt Gregorio XIII. Pont. Max. vbi proceſſu temporis, cum eius doctrina, ac morum probitas, & ipſi Pontifici, ac ſacro Cardinalium Collegio, qui eum interdum, cum ſolemnia ſacra pontificalis Cappellæ in Sancti Petri de vrbe Baſilica haberentur, de Spiritus Sancti emiſſione in ipſo Pentecoſtes die diſertè orantem audiuerat; oblata eſt eius excitandæ ac comprobandæ virtutis occaſio. Miſſus eſt itaque primùm Apoſtolica authoritate Vicarius Tropeiam maritimam Calabriæ Ciuitatem, quæ ſuum Epiſcopum de multis grauioribus criminibus inſimulauerat, vbi ferè bienniũ permanſit, ſuaq; ſingulari prudẽtia ita cumulatè omnibus ſatisfecit, vt deſinant tanquã Tropeienſes cum laudibus extollere nunquã parentẽ optimè de ſe meritũ. Deindè ſimili de cauſa non multis quidẽ interiectis menſibus Cataniam Siciliæ Inſulæ vrbem clariſſimam demandatur, atque moleſtijs ab ipſo Epiſcopo Catanenſi (qui poſtea meritò dignitate priuatus, & in ordinem redactus fuit) imprudenti contumacia illatis propemodum triennio, non diſſimilibus moribus ac laudibus profecit. Illud tamen pergratum, ſimulque & inopinatum ei accidit, dum reperit in eadem Inſula quoſdam gentiles ſuos Saminiatos à temporibus Petri Aragonei ol m Siciliæ Regis qui regnare cœpit circa ann m Domini 1282. à ciuitate ipſa Lucana, ſiue potius à Sancti Miniati ditionis Florentinæ inſigni oppido (vndè ſanè antiqua Saminiatorum Origo cognominatioque deduci creditur) deſcendentes, per quendam Bindum Bindi filium (vt priuilegi tenor oſtendit) qui ſub ipſo Petro Rege ſtrenuè mi itans, ab eodem honorificum laboris præmium obtinuerat, & ex eo tempore apud A uaræ oppidum nobiles Barones exiſtere, feudumque poſſidere Raikalmallimaro, Manto vocabulo dictum, viuitque hodie eiuſdem loci Baro Iacobus Saminiatus præclaræ indolis iuuenis, & non degenerans Lucenſium Saminiatorum, ip-

ſui.

suisque precipuè Matthæi Præsulis, quo deloquimur imperio dignam speciem, & proceram staturam præseferens, iisdemque omnino vestitur Saministorum Lucensium insignibus. Romam inde Sixto V. Pontifice Matthæus reuersus, quieuit vsque ad Innocentij IX. Pontificatum. Tunc iterum ad nouos labores in Romanæ Sedis obsequium, nouasque nauigationes reuocatus Melitam scilicet ad Insulam hæreticæ prauitatis Inquisitor & Apostolicæ Sedis Vicarius (Apostolicis diplomatibus iam expeditis) opportuno tempore transfretaturus, sed interim Innocentius maxima Christianorum iactura qui à summa spe viri optimi, ac prudentissimi deiecti, è medio sublatus est, ac simul delegatio ipsa, & transfretatio huiusmodi corruit, & vacante Sede euanuit. Creato demum summo Pontifice Clemente VIII. qui nunc feliciter viuit, ac postmodum de obitu Horatij Archiepiscopi Teatini allato Nuncio, statim Cardinalis Castruccius prudenti quidem consilio, ac se digno pietatis officio præstantem virtute virũ sibi etiam, rebusque suis necessitudinis iure non dubiè vtilem, & obsequentem futurum ornare, atque euehere studens, vt Horatio Saminiato Matthæus Saminiatus sufficienter constitueretur in hanc familiam patrocinio singulari, vnde meritò hic Virgilianũ illud vsurpare posset, *vno auulso non deficit alter* &c. à Sanctitatis suæ clementia facilè obtinuit. Archiepiscopatum hoc modo adeptus, eodem anno de mense Iunij ad oues sibi creditas sedulò pascendas accessit, atque illud in primis pastoralis vigilantiæ adimplere studuit, vt Clericorum Seminarium à Ioanne Oliua olim Archiepiscopo eius prædecessore iuxta decreta Tridentini Concilij pie fundatum, sed postea varijs de causis dissolutum, quoad eius fieri posset, fauente Deo restitueretur in melius eâ præcipuè intentione vt Ecclesiarum Diœcesis sacerdotum inopia laborantium necessitatibus seminarij huiusmodi alumnis idoneè consuleretur, vt magna ex parte factũ est, consiloque non minus pio Hebdomadariorum, atque Clericorum Cathedralis Ecclesiæ redditus, (nonnullis ad hoc ruralibus beneficijs vnitis) adauxit. Ecclesiam ipsam, ædesque Archiepiscopales ferè corruentes, ac informiter rudes, magno sumptu reparandas, atque exornandas curauit, addiditque in eadem Ecclesia præter alia ornamenta suggestum nouum ex nuce pro concionatoribus pentagonalis formæ satis pulchrum, nouum item baptismatis fontem ex lapide porphyrerico e ciuitate Veronæ aduectum. Præterea, & annuum redditum aureorum quadraginta, quem ex quarta funeralium, (vt aiunt) Archiepiscopi à sacristiæ custodibus, quibus huiusmodi redditus locari iam cœperat, percipiebant, spontè ac liberè in dicti Sacrarij & Ecclesiæ vtilitatem [illegible] ac proprietatem nempe vt ad Capituli dispositionem necessaria ornamenta opportunè pararentur in perpetuum (quantum per se licuit) contractus auctoritate dedit atque donauit. Ædes etiam Canonicales ex parte, quæ dicto Sacrario adhærent, ad Episcoporum commoditatem, Ecclesiæ ornamentum, & Capituli vtilitatem ære proprio attollendas, perficiendas, & ornandas curauit. Vberiores autem in dies fructus ab eius perspecta ab omnibus religione, virtute, comitate, morum suauitate, ac prudentia ad eiusdem Ecclesiæ suæ non modò materialis, sed spiritualis ædificationem meritò expectantur. Hactenùs Baronceus. Cæterùm Matthæus post obitum Clementis VIII. à successore Leone XI. Romam euocatus, destinatusque ad suprema munia obeunda optimi Principis tantùm Christiano orbi ostensi secuta morte, ad Ecclesiam suam reuersus, perpetua assiduitate, ac diligenti cura, in pascendo grege peruigili diligentia reliquum vitæ sanctè consumpsit, excessitque collachrymantibus cunctis anno 1607. Febr. mense, præsulatus sui anno 14. sepultus in Cathedrali. Lucius Camarra Senior nobilis Teatinus Poeta in Matthæum inter cælites Angelorum choros animam efflantem Pastorale cecinit, quod in tanti Præsulis dignissimi visum est dignum, vt hic recenseamus.

Heu patrij salucte lares. lugentia tecta:
Funeris heu gnari tanti saluete recessus.
Quo licet audaci rep.tam sacra limina
nisu,
Limina me miserum docto spoliata magi-
stro!
Mens audet, surgunt effœta in corpore vi-
res,
Illapsus calor, & compressam effundere
flammam
Mens dudum voluit, sanctoque efferbuit
æstu.
Hunc immitte Pater socium, mæstumque
feretrum
Ter tangam, famulisque colam ter limina
gressus
Aetherios inter tecum requiescere cantus,
Ah liceat, quamuis æternum carpere som-
num.
Seu vocat hunc doctus voces inflectere
Amyntas,
Aut alium melior dulces inflare cicutas,
Ah liceat, dum grata iteras Teatea que-
relas,
Et malè firmata pueri modulamine lin-
gua.
O quàm te memorem, rutilo circundate
septo
Antistes, desleande parens, immissaque
cælo
Progenies, ò clarum inter fulgentia sidus,
Lumina Cælicolum, lacrymis oppleta pro-
pago
Aspicit, vt pubet squammis conuexa tor-
sit,

Dita-


Ditaturque domus crebris interlita flammis. A
En nocturna refert maculosi fusus in ore
Luce noua fulgor fusos interficit ignes.
Nocturno quantum facula tibi Cynthia tedunt.
Fusa tibi pubes tantùm, Pater inclyte cedit.
Qualia caeruleo deuicta sub aequore condunt
Ignitos refugo vultus vaga sidera cursu
Auroram postquam perrepsit lucifer ore;
Et matutinos Phebea sub aequore lampas
Immisit radios certa praesagia lucis:
Non secùs exorto morientia lumina sole
Delituere, tamen rutilo succensa parentis
Lumine, flamma iterum, mirum potiore refulgent. B
En rursus, &c.

12. Fr. ANSELMVS Marzatus Monopolitanus Ord. Cappuccinorum à Clemente VIII. S.R.E. Presb. Card. ad titulum S. Petri in monte aureo creatus anno 1604. ad Archiepiscopalem Sedem Teatinam promotus est à Paulo V. die 12. Febr. ann. 1607. Tibure repentina morte extinctus est pridie Kal. Septembris eiusdem anni, corpus Romam relatum in suo titulo terrae mandatum est.



13. HORATIVS Maffaeus Romana stirpe nobilis, patre Mario, & Plautilla Fabia matre natus anno 1580. Bernardini, Pauli III. & M. Antonij Pauli IV. Cardinalium ex fratre nepos. Iuuenis in Academia Perusina Iuri operam dedit, ex saeculari Abbate à Paulo V. Camerae Apostolicae Clericus S.R.E. Card. Presbyter renunciatus anno 1606. die 11. Septembris tit. SS. Marcellini & Petri accepit, reuoluto anno, die 3. Septembris in defuncti Card. Marzati loco adlectus est Teatinae Ecclesiae tertius gentis suae Archiepiscopus, summo amore, ac diligentia illam praesens anno vno, & mensibus aliquot administrauit; sed cum Teate in morbum incidisset, D

Romam deportari se fecit, vbi ex hac mortali vita discessit peracerbo Teatinorum luctu die 18. Ianuarij 1609. aetatis suae 29. ad S. Mariam super Mineruam in familiae suae sacello propè patruos Card. & antecessores suos conditus est.



14. VLPIANVS Vlpius Nouocomensis sub Sixto V. vtriusq; signat. Referend. successit Card. Maffeo; die 23. Febr. 1609. Apostolicus Nuncius fuit primùm apud Cosmum II. Magnum Etruriae Ducem, mox ad Philippum III. Hispaniarum Regem Paulo V. sedente; sub quo cum esset sacrae Episcoporum, ac Regularium Congregationis à secretis Ecclesiam Teatinam libens volens dimisit anno 1616. deinde anno 1619. Episcopatu Nouariensi donatus sub Gregorio XV. Breuium Praefectus & Datarius, sub Vrbano VIII. iterum Breuium, & Pontificiae domus Magnus Praefectus, in Palatio Vaticano meritis & annis onustus diem suũ obijt 6. Id. Martij 1629. iacet in Ecclesia S. Caroli de Catinariis cum inscriptione, quam leges in serie Nouariensium Praesulum in 4. nostro tomo, vbi de eo plura concinnauimus.



15. PAVLVM deinde Tolosam Neapolitanum ex Ordine Clericorum Regularium antea Episcopum Bouinensem, virum innocentia

tia vitæ, animi candore, ac publicæ, sacræque eloquentiæ fama conspicuum Grex Teatinus post Card. Maffæum Pastorem excepit anno 1616. die 11. Ianuarij. Is renunciatus Archiepiscopus, statim omnibus alijs curis abdicatis ad Ecclesiam se contulit sibi creditam, cuius aliquantisper ex Pastorum absentia prolapsos mores castigauit, Synodum celebrauit, diuinumque in ea cultum restituit. Festum S. Iustini in diem decimumquartum Ianuarij à die Circuncisionis, quo celebrabatur, consultè transtulit: suorum antecessorum in Archiepiscopali aula effigies depingi, & nomina describi iussit, & breui quo vixit tempore, suæ pietatis non pœnitenda exempla dedit: sed cum graniori senio vrgeretur; cœpit in laboribus paulatim deficere, cumque se morti propiorem intellexisset, miræ deuotionis affectu, sacris muniri se fecit, eaque hora, qua se migraturum prædixerat, spiritum exhalauit die 3. Octobris 1619. cum vix duos integros annos in huius Ecclesiæ administratione absoluisset. Corpus, collacrymantibus cunctis, qui aderant in Cathedrali sepultum, sed aliquot post annos translatum Neapolim in Sanctorum Apostolorum Cœmeterio apud Clericos suos Teatinos conditum est, conspicuo deinceps loco & tumulo cohonestatus, apposita inscriptione, quæ viri nomen & virtutem explicaret in hunc modum.

D. O. M.

Pauli Tolosæ Neapolitani Cler. Reg. quicquid est posthumi hic habes; quicquid tumulo superius fuit hic lege;

Inter præcipuas animi dotes natus expolitus ad sacræ eloquentiæ numeros, dictio illi, quam actio incenderet, & commẽsoris dignitas plausorẽ habuit Disertissimum Panicarolam, Appellatus ab eo vna cum Marcello fratre Boanerges, Nempè supra hominem facundi, Miscere cælesti tonitru subsellia videbantur, inclytum Ecclesiasten, Bouinensi infula cohonestauit Clemens Max. Pontifex VIII. Qui auream eloquentiam adæquare purpura cogitauit, munijtque via honestissima ad Sabaudiæ Ducem legatione.

Inter hæc laudum decora Nihil in illo sanctitate morum luculentius; delapsus è Cælo B. Andreas Auellinus solitus illi manus ostendere ad amicitiæ siue pignus illecebram,

Demùm Archiepiscopus Teatinus pietate, æuo maturus obijt sua in sede luctu omnium peracerbo,

Pio Cineri

Quem huc transferendum curauit amantissimus nepos Aloysius Sanseuerinus Bisiniani Princeps,

Clerici Regulares

Obtentoque ornandæ virtutis, impar est lacruma, æterno Elogio parentant.

Supra sepulchrum ibidem leguntur hæc carmina.

Hic ingens tonitru, Italiæ hic situs ille Tolosa,
Publica quæ mira viso Theatra quati;
Nomina dat Paulus, meritò sic arsit, & ensem,
Fulmineum ore tulit, quem gerit ille manu.


Qui maiorem cognitionem de Tolosa hanrire desiderat, Iosephum Silos adeat tom. 2. Clericorum Regularium Annalium, vbi sparsim præclara Tolosæ gesta commemorat, & nos in Episcopis Bouinis aliqua eiusdem facta enarrabimus tom. 8.

16. MARSILIVS Perutius de Mandulfo nobili genere natus ex Pauli V. intimo cubiculario, Paulum Tolosam excepit proximo die 26. Nouembris 1618. Præsul mirè iustus, in pauperes liberalis, ac de Ecclesia sua benemeritus, sedit ann. 12. defunctus 7. Id. Ianuarij 1631. sepulchrum accepit in Cathedrali ad diui Iustini Sacellum, quod munificentissimè exornarat, vbi hæc inscriptio.

D. O. M.

Marsilius Perutius de Mandulpho ob eximia animi orna-

menta Pauli V. intimus cubicularius, & eius nepotis Scipionis Burghesij causarum auditor, mox Archiepiscopus, & Comes Teatinus creatus, ad Ferdinandum Philippi III. Hispaniarum Regis filium, purpurei bireti lator in populis sibi creditis gubernandis prudentia, integritate nulli secundus nummis aureis ad quatuor mille, qui hic sibi supererāt, ad huius templi splendorem & ad sacra in hoc sacello suis sumptibus olim expolito in perpetuum peragenda legatis. Obijt piorum lacrymis vij. Id. Ianuarij Anno salut. M. DC. XXXI. ætatis suæ LII.



17. ANTONIVS Card. Sanctacrucius Romanus hanc Teatinam Sedem adeptus est ab Vrbano VIII. die 19. Martij 1631. quam cum piè annos quinque administrasset, post legationem Bononiensem ad Vrbinum Sacerdotium translatus die 22. Maij 1636. Romæ defungitur 25. Nouembris 1641. sepultus in Ecclesia S. Mariæ de Publicolis apud maiores suos, de quo vide tom. 2. in Vrbini Archiepiscopis.

A



18. STEPHANVS Saulius Ianuensis
B natalibus clarus, ac varijs præfecturis illustris, cum esset vtriusque Signaturæ Referendarius ad vacuam iamdiu Teatinam Sedem moderandam vocatus est ab Vrbano VIII. die 10. Nouembris 1638. possessionem adipiscitur die 22. Ianuarij 1639. Præfuit ann. omninò decem, Neapoli moritur 1649. iacet in Ecclesia S. Georgij hoc epitaphio ad tumulum exsculpto.

D. O. M.

Hoc clauditur sarcophago
Stephanus Saulius
C *In Marrucinis Archiepisc. &*
Comes Teatinus, dignus elogio,
quia dignus eloquio, per annos
triginta & septem in aula Pontificia, & illustribus Italiæ vrbibus,
Præfuit, profuit, docuit.
Vt sanguinis nobilitatem decuit
inuida fortuna ad maiora currere ne posset, cum sauciat podagra pedem,
D *Neapoli volat ad coronam,*
Nomine indicatam, factis debitam.
Anno ab orbe redempto
MDCXLIX.
IV. Id. Februar. ætatis suæ LII.
Tribunus Militum Octauianus Saulius affinitatis monumentum non fine lachrymis.
P.

19. VIN-



19. VINCENTIVS Rabatta nobilibus parentibus Antonio, & Caſſandra de Rucellais Florentiæ Tuſcorum natus, maiorum virtutes æmulatus, cum Iuriſprudentiæ peritia, tũ Eccleſiaſticarum rerum cognitione ita excelluit, vt ab Innocentio X. Pontifice ex Canonico, & Vicario Florentinæ Eccleſiæ, Sanlio defuncto datus fuerit ſucceſſor die 6. Decemb. 1649. Teatæ cõſecratus ſolemni ritu ingreſſus die 7. Febr. Sequentis anni. Integra fama virtutum, ac ſanctè in hac vixit dignitate ad annum vſque 1653. quo, morbo oppreſſus, ſeptuagenario maior finem vitæ fecit die 21. Nouembris in Metropolitana humatus, ad cuius tumulum legitur inſcriptio hęc.

Hoſpes
Iacet hic Teatinus Antiſtes
Vinc. Rabatta Florentinus,
Illuſtris quidem familia,
Sed longè illuſtrior virtutibus.
quarum memoria
Ne tumuli ſepeliretur caligine
I. ... D. Carolus Piſottus Can.
Lapidem hunc amoris ſui
In mer.t.ſſimũ Præſulem argumentum
Poſuit.
M. DC. L. III.

20 Fr. ANGELVS MARIA Ciria Cremonenſis Ord. Seruorum ſummus Theologus & Generalis in Romana Curia Procurator electus eſt Teatinus Archiepiſcopus die prima Iunij 1654. perſonalem poſſeſſionem adeptus die 26. Septembris. Vix ſecundum attigerat annum, cum vocaretur ad tumulum in ſua Cathedrali die 4. Aprilis 1656.

21. Fr. MODESTVS Ganazius Ferrarienſis Ordin. Conuentualium S. Franciſci doctiſſimus Sacræ Theologiæ Magiſter, ſui Ord. Generalis Procurator, & S. Officij in Vrbe Conſultor, ob ſuas eximias virtutes ad hanc eandem Archiepiſcopalem Sedem vocatus eſt ab Alexandro Septimo Pontifice Maximo die 19. Februarij 1657. Viuit.

ORTONENSES EPISCOPI.



ORTONA B à Mare Plinio, & Antonino in Itinerarijs, Orton Ptolomeo, Othonium Straboni, littoralis eſt Ciuitas Aprutij citerioris vetuſta in ora Frẽtanorum inter Aternum, & Sarũ flumina æquè diſtans. Anſano vrbi & emporio, Frentanorũ apud Sarum proxima ad VIII. M.P. quanto ferè interuallo a Teatea Marucinorum Metropoli apud Aternum flumen recedit, Strabo eam inter Frentanos repoſuit, aitque eſſe domicilium ex naufragijs eò ſe recipientiũ nautarum. Vult Ioannes Baptiſta de *Lectis* in huiuſce ciuitatis deſcriptione, poſt Troiæ excidium, à Troianis fuiſſe ædificatam, qua fide hoc ſcriptum reliquerit, videant alij. Huc appellunt nauigia ex Dalmatia nundinarum gratia, quæ Anſani celebrantur. Vrbs non admodum ampla, ſed pulchra, aëris puritate, & mercimonio diues in Petra conſtructa, qua merces Anſanum deportantur. Ortonę portus vectigal Carolus Primus Siciliæ Rex Baſilicæ Principis Apoſtolorum Vrbis Romę condonauit. Hæc verò ſcribentibus nobis ciuitas mille familiarum in Fiſci libro recenſetur in qua animæ fidelium ad quatuor millia, & Raynuccio Farneſio huius nominis II. Parmenſium Duci ſubdita eſt. Iam inde ab Apoſtolorum alumnis fidem Chriſti accepiſſe Ortonam omninò credendum; quam deinde accolæ illibatam conſeruarunt. Epiſcopatum hunc antiquum fuiſſe ſuſpicari facit Conciliũ Romanum ſub Martino I. Pontifice, in quo legitur ſubſcriptio Victoris Epiſcopi Ortonẽſis. Nec verò obijci poteſt, ibi pro Ortonenſi legendum eſſe Ortinenſem, nam ibidem paulò ſuperiùs legitur ſubſcriptio Victoris Epiſcopi Ortanenſis: ſed clare hoc ipſum affirmare facit Gregorij Magni Epiſtola 39. lib. 3. Ind. 12.

A ad Clerum & plebem Ortonæ de obitu eorũ Episcopi, & visitatione eiusdem Ecclesiæ Barbato Episcopo commissa. Quo tempore Episcopalis Sedes, hic sublata fuerit, incompertum; id certum est, Episcopatum hunc à Pio V. recens erectum, vel potius restitutum fuisse anno 1570. & Teatino Archipræsuli Suffraganeum cõstitutum: quoniam verò redditus huius Ecclesiæ adeo exiles visi sunt, vt eiusdẽ Præsul vix suam dignitatem tueri posse videretur. Clemens VIII. nouum Episcopatum Campli [illegible] erexit, & cum Ortonensi iunxit, quarum [illegible] Episcopalis mensæ annuus cen[illegible] est ducatorum Regni mille, taxãtur in lib. Cameræ Apostolicæ ad flor. 140. Cathedralis Ecclesia ampla & nobilis structuræ B Sanctum Thomam Apostolum habet Patronum, [illegible] Deiparæ Virgini dicata erat, vt [illegible] ibidem insculpti in lapide testantur.

M. [illegible] centenus fluxerat annus
Post Domini [illegible] bis denus septimus almum,
Atque die mersis 10. currente Nouembris
Cum sacrata pia fuit hæc domus alma Mariæ.

Vnicam hæc Basilica habet dignitatem Primiceriatus, vndecim Canonicos, nonnullos mansionarios, & clericos: fulget sacris reliquijs eiusdem Apostoli Thomæ, sex virorum Monasteria, & vnum Monialium S. Catherinæ nuncupatum Ordinis Cistercicnsis C nobile septem. intra Ciuitatem existunt, nec desunt hospitalia, & pia loca decentissimè ornata. Diœcesis Ortonæ perexigua est, quatuor Castris, & Villis aliquot habitatur. Castra sunt Orechium, Canusium, Tulense, seu Turillis, & Terra de Lecto, quæ omnia non vltra quatuor milliaria à ciuitate distant, præter Terram Lecti, quæ 20. mill. abest. Villas verò Sclauones incolunt. Cæterùm S. Thomæ venerandum corpus, quod in hac ciuitate honorificè ab anno 1258. requiescere volunt, translatum olim est ex India Edessam in Syria, atque in eius honorem amplissima est erecta Basilica, ad quam ex remotissimis Mundi regionibus Christiani religionis causa D confluebant, vt scribit Socr. lib.4 hist. c.14. Sozom. lib.6. cap.18. Huius translationis cõmemoratio Græcis præter relatis in Ecclesijs agitur, 3. Iulij: agunt de hac Rufin. Greg. Turonensis, & Venantius Fortunatus; de celebritate verò Edessanæ peregrinationis Chrys. Homil. 26. in ep. Pauli ad Hebr. asserens notam esse, & veneratione habitam ad Thomæ sepulchrum, sicut & Petri & Pauli Apostolorum, quin & perenne miraculum Edessæ ad id sepulchrum fieri solitum testatur Pet. in Catal. lib.6. cap.44. At citerioris Indiæ accolæ cõstanter affirmant S. Thomæ corpus apud se esse, illudque adhuc miraculis coruscare. Quamobrem necesse est, dicamus eiusdem corporis partes diuersa in loca distributas dedisse occasionem opinandi de toto corpore. Porrò de translatione Ortonæ facta, nihil ad eum peruenisse ait Baronius in notis ad Martyrol. Rom. die 21. Decemb. luculentum tamen testimonium habemus in lib. 7. c. 4 reuelationum S. Brigittæ, & in diplomate Bonifacij IX. Põtificis de canonizatione eiusdem D. Brigittæ. De hac verò Ortonæ translatione hoc habent Ortonenses monumentum, quod ad nos delatum, ab originali hic exscribere, visum est; tenor autem illius talis est.

B *Tempore Manfredi Principis Tarentini* anno primo Regni sui sub anno Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo octauo, decimo septimo mẽsis Iunij iubente ipso Principe Manfredo ad partes Romaniæ galeas centum suo Stolio nauigante sub conductura Philippi Lenardi eiusdem Regis Ammirati ad Prouinciam Macedoniæ nautæ vẽto prospero nauigarunt, aduentũ cuius Stolij ciuitatis Edessæ populus postquam sciuit, ne ab ipsius Stolij præliatoribus necaretur, absque vllis actibus, atque absque vlla pugna ob timorem ipsius Stolij pugnatorum, fugam procul arripiens, prædictam ciuitatem Edessæ desolatam, & vacuam dereliquit, quã Stolij populus animosè ingrediens præter quendam Monachum religiosissimum Eremitam in ea decrepita positum, neminem eiusdem ciuitatis inuenit: qui Monachus in C maiori Edessæ Ecclesia ciuitatis consistens à quodam Leone Ortonense nomine, viro Catholico, & Deum timiente per interpretem Græcè linguæ, quæsitus est si aliqua Sanctorum videlicet corpora in ipsa Ecclesia obdormirent, qui Monachus cum reuerentia valdè tutus, quod ablatio scilicet Sancti Corporis nullatenus fieret, verba reddidit postulanti, & locum certum vbi corpus iacebat Apostoli sui petentibus indice indicauit; intelligens verò Leo per Interpretem verba, quæ Monachus recitauit, alacriter accessit ad tumulum pulchris marmoribus propè Altare ipsius Ecclesiæ fabricatum; erat enim tumulus coopertus precioso lapide, qui Nichil[illegible] nuncupatur, in quo figuræ Apostoli pectus & caput D tantummodo erat sculptũ, circa quod [illegible] Græcis literis nomen Apostoli erat scriptum, quæ quidem literæ manifestant, Ἄγιος Θῶμας quod sonat latinè, Sanctus Thomas desuper verò imaginis in ipso lapide [illegible] foramen erat rotundum, per quod manus exiuit diuinitus, quæ propè sepulchrum adstantibus innuit, vt venirent. Cernentes autem adstantes, ibi prodigium inauditum præter Leonẽ, longiùs fugerunt pariter à sepulchro. At vbi Leo aspexit manum prodigium facientem, tanquam vir animosus accessit ad tumulum non titubans, & mittens manũ suam in ipsũ foramen, quæsiuit hinc inde per tumulum, quousque Apostoli funditùs in sepulchro reliquias indagauit. Accipiens verò Leo reliquias

quias, & vbi stabat Monachus appropinquās, ad ipsum cum reuerētia alacriter apportauit, quas Monachus in manu recipiens suo appposuit visui singultus ab intimis & suspiria producendo, & dixit: O Thoma, quibus reliquijs à Leone, resumptis, quas Leo vndè abstulerat, collocauit, deinde Leo ad mare accedēs, & propè galeam Ortinæ impellens sumpsit de capsa sua mundum, gaudensque atque cuiusdam Nautæ consocij sui Rogerij nomine ad auferendum sacras reliquias auxilium postulauit. Cuius verò verbis acquiescens ambo vnanimes accesserunt ad tumulum, vbi reliquiæ Apostoli quiescebant, & accepto paruo cambrio diuina permittente clementia tumulum leniter reserarunt. O laudabilis diuina concessio, quæ quod solidatum erat solidatione fortissima, quod duris, & malleis frangi non poterat, paruo aperiri cambrio concessisse. At vbi aperuerunt sepulchrū, & reliquijs in gausape positis, sub præfato anno Domini die Sabbathi in festo S. Laurentij 10. Augusti reuertens ad mare reliquias in capsa ipsius Leonis, nesciente aliquo præter ipsos cum gausape venerabiliter condiderunt. Post autem cum quibusdam consocijs de galea in quendam labrum iuxta galeam natantes intrauerunt, & reuertentes ad tumulum, duo ipsorum parui iuuenes prædictum lapidem Nichili; qui erat ponderis vltra libras mille ad galeam cum leuitate tulerunt. O mira potentia iuuenum, quæ pondus virorum plusquam viginti diuino iuuamine apportauit, fortè quod illa designatum genere fuit Orta. Sed potius virtus Apostolica erat, erant autem in ipsa galea quamplurimi Saraceni, qui iussu Ammirati regressi sunt de eadem; placuit enim S. Apostolo vt Barbari longinqui à lege diuina, vbi suum ferebatur corpus cum Christianis nullo modo nauigarent, Sequenti verò die Ammirati licentia licentiati ad reditū, vnaque tentis carbasis nauigabant; sed dum per mare omnes pariter nauigarent, vento fretum in procellam mouente, cœperunt galeam periculosè fluctuare; At galeam Ortinam, in qua corpus Apostoli vehebatur, procellam non sustulit, imò tanquam per quietum mare nauigando tensis velis pacificè trāquillabant, & quod tutius fuit eis in summitate arboris galeæ, nec non vassallis eius diuinum lumen apparuit, quod per totam noctē ad nautarum securitatem in galea refulsit. Nautæ verò, vt moris est, aliquando dormiētes, velut inscij, versus corpus Apostoli pedes dormiendo tenebant; sed per Dei virtutem, ne sanctum corpus cōtagium pateretur, ipsorum capita, mane facto, versus corpus Sanctissimum versa erant, & quod certius est eis vbi sanctum corpus adesset, erant luminaria magna per noctes singulas in sentina. O laudabilis Maiestas Altissimi, qui nunquam tales thesauros cœlestes tuis fecisti opacos fidelibus, sed tuis miraculis patuisti. Galea quidem, in qua corpus Apostoli cum duabus alijs supradicto anno Domini die Veneris sexto Septembris nauigationem suam in Ortonam cum triumpho perfecit. In ipso autem die præfato Apostoli corpore nobili & strenuo viro Domino Iacobo Archipresbytero Ecclesiæ S. Mariæ Virginis, & suis Clericis, viris & mulieribus cum hymnis & aromatibus ad mare pergentes, sanctū corpus præfato Leone ferente in capite ad præfatam Ecclesiam cum laudibus & melodijs, & vocibus portauerunt. O gaudium ineffabile, cum tanti corpus Apostoli partes Italiæ colere voluit prope Romam, sed patet potius, quatenus Petri & Pauli sodalium habitaculum habitare. At vbi diuulgatum est, corpus Apostoli venisse Ortonam à diuersis prope ac longe prouincijs infirmi varijs oppressi languoribus ad irreuocabilem sanitatem sumpturi Ortonā ad corpus Apostoli veniebant, quotquot autem infirmi ad corpus Apostoli veniebant intercessione Apostoli, & diuina virtute liberati ad propria remeabant. Archipresbyter autē vna cum Clero, & Ciuibus de Ortona certātes vbi corpus Apostoli conderent, reuelatione Leonis, qui corpus Apostoli tulerat, didicerunt, videlicet, quod Apostolus in visione Leoni asseruit, se velle in Altare Virginis collocari. At vbi Clerus, & Archipresbyter hoc audiere, vnus de Clericis ad deponendum pannum de altari ad altare perrexit, & acceptis pannis inuenit alteram tabulam ab ipso altari diuino miraculo aliquantulum separatam, quo viso ab omnibus, nouerunt sanctū corpus ibi velle quiescere, tulerunt ipsum, *& in ipso Altari cum aromatibus condiderunt.*

Translationis historiam, & vitam S. Thomæ Apostoli vnà cum miraculis Ortonæ patratis Ioannes Baptista de Lectis Cathedralis Canonicus conscripsit, inter cætera refert anno 1566. die prima Augusti Ortonam hostium direptioni cessisse, templumque Cathedralis à Turcis fuisse combustum vnà cum arca, in qua Apostoli Thomæ reliquiæ seruabantur, illis tamen diuina virtute intactis, integrisque manentibus. Olim Bonifacius IX. Ecclesiæ Ortonensi vbi Sancti Apostoli corpus requiescit plenissimam indulgentiam cōcesserat, quam Sixtus IV. liberaliter deinde confirmauit anno 1479. in hæc verba.

Sixtus Episcopus seruus seruorum Dei.

Pastoris æterni qui vt humanum redimere genus in ara Crucis immolari nō abnuit, vices licet immeriti gerentes in terris ad id nostri cordis vota desideranter exponimus, vt quos ipse preciosissimi Sanguinis eius effusione Deo reconciliare curauit, Nos quibus illorum regimen gubernationemq; commisit, eos ad salubria, quibus de terrenis immarcescibiles thesauros recondere, nec non Patriæ cœlestis possessores effici possint, pietatis opera frequenter excitemus, ijs quæ propterea à Prædecessoribus nostris proinde

emanasse noscuntur, opportuna circa illa immutatione adiecta nostræ confirmationis robur adiiciendo. Dudum siquidem quondam Bonifacius IX. in sua obedientia de qua Teatin. Diœc. tunc erat nuncupatus, Vniuersis Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui Ecclesiam S. Thomæ Apostoli Terræ Ortonæ dictæ Diœc. in qua corpus eiusdẽ Apostoli honorificè conseruatur sexta die Septembris à primis Vesperis vsque ad secundas Vesperas ipsius diei inclusiue deuotè visitarent, annuatim illam Indulgentiam, & peccatorum remissionem concessit, quam consequerentur, si Ecclesiam S. MARIÆ de Collemadio extra muros Aquilan. in die Decollationis S. Io. Baptistæ visitarent, prout in eiusdem Bonifacij literis desuper confectis plenius continetur. Cum autem sicut accepimus fideles ipsi, deuotionis causa libentius cõfluant in numero copioso ad præfatam Ecclesiam S. Thomæ prima Dominica mensis Maij, quam dicta die sexta Septembris, Nos qui dudum inter alia voluimus, quod literæ super Indulgentijs nõ expedirentur ad instar aliarum Indulgentiarum, nisi specificarentur, & deinde literis fel. record. Cælestini PP. V. Prædecessoris nostri, per quas visitantibus dictam Ecclesiam S. MARIÆ dicto die Decollationis plenariam omnium suorum peccatorum Indulgentiam, & remissionem concessit, per alias nostras literas robur nostræ confirmationis addidimus, cupientes, vt Ecclesia prædicta S. Thomæ cõgruis frequentetur honoribus, & fideles ipsi eo libentius deuotionis causa confluant ad eandem, & ad illius structurarum reparationem, qua indigere nõ mediocriter dignoscitur, promptius manus porrigant adiutrices, quo concessa eis ab eodem Bonifacio Indulgentiam, & peccatorum remissionem huiusmodi cognouerint nostra auctoritate munitam, & translatam fore ad tempus, quo soliti sunt ad Ecclesiam ipsam S. Thomæ libentius confluere, de Omnipotẽtis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, eiusdem Bonifacij Indulgentię concessionem prædictam, & prout illam concernunt omnia & singula in dictis suis literis desuper confectis contenta, auctoritate Apostolica præsentium tenore approbamus, & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, supplemusque omnes, & singulos defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem, ac illam ad præfatam primam Dominicam mensis Maij transferendo, volumus, & dicta auctoritate præsentium tenore statuimus, quod fideles Christi verè pœnitentes, & confessi de cætero Ecclesiam ipsam S. Thomę dicta prima Dominica mensis Maij à primis Vesperis vsq; ad secundas Vesperas eiusdem diei Dominicę inclusiue deuotè visitauerint annuatim, & ad reparationem, & conseruationem structurarum & ædificiorum eiusdem manus porrexerint adiutrices Indulgentiam consequantur memoratam, ab eodem Cælestino prædecessore visitantibus S. MARIÆ, & Bonifacio præfatis visitãtibus S. Thomæ Ecclesias prædictas vt præfertur concessam, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si visitantibus Ecclesiam ipsam S. Thomæ, & ad illius structurarum conseruationem, & reparationẽ manus porrigentibus adiutrices, seu alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, præsentes literæ nullius sint roboris vel momenti, quodque fideles ipsi visitantes dictam Ecclesiam S. Thomæ dicta die sexta Septembris de cætero præmissam indulgẽtiam minimè consequantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, communitionis, suppletionis, statuti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attẽptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. *Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnat. Domin. millesimo quadringentesimo septuagesimo nono. Tertio nonis Iulij. Pontif. nostri anno octauo.*

Perrò Leo ille Ortonensis ciuis & triremium classis Præfectus, qui sub Manfredo Rege ab Edessa in patriam corpus transtulit Sãcti Apostoli post aliqua sæcula honorificum monumentum ad gratæ posteritatis exemplar meruit in Cathedrali.

D. O. M.

Leoni Duci, & Ciui Ortonensi,
Classis Præfecto
Quo sub Manfredo ab Edessa
Ciuitate Macedoniæ
Anno Dom. MCCLVIII.
Ossa Beati Thomæ Apostoli
Cælitus admonitus in somnium
Ad Ortonam patriam
Feliciter transportauit
Ortonenses ob tam præclarum
Facinus grati animi ergò
Memoriam æternam
Posuere
Anno Domini MDCIII.

Et extemplo.

Magne Leo in patriam spolijs Orientis onustus
Dum remeas, Thoma huc ossa beata refers.

Thoma

Thoma ossa infidi, tetigit qui vulnera Christi
Tartarea ex latebra, quam rediisse negat.
Plus tibi debemus Ciues pro munere tanto,
Quàm si aduenta tibi hue India tota foret.

Et hæc satis de hac translatione, & Ortonensi Ciuitate dicta sint, nunc autem de Cãplensi nupera ciuitate & Ecclesia aliqua delibare visum est, antequam Præsulum seriem, qui in ijs floruerunt, in medium proferamus. Igitur Camplũ mediterranea est Aprutij ciuitas, tertio à Teramo, seu Aprutina ciuitate milliario, Parmensium Duci subiecta, in tres distributa partes Camplũ, Nocellam, & Castellum nouum, quotum maxima Camplũ. Nam in vectigalium collectione, dimidiam Camplenses, duas partes Nocella, & Castrũ nouum soluunt. Episcopatum Camplensem instituit Clemens VIII. & perpetuò vniuit cũ Ortonensi; in Cathedrali Ecclesia Camplensi sacris ministrant Canonici duodecim, quorũ sex duntaxat præbendati, Cappellani titulares 18. In ciuitate præter Cathedralem est Parochialis altera cum quibusdam Capellanijs, & Presbyteris. Virorum Cœnobia duo Franciscanorum videlicet Conuentualium, & Cælestinorum Monachorum, Sanctimonialium Monasterium vnum, Laicorum sodalitia aliquot, Hospitale, & Mons Pietatis. Diœcesis Camplensis satis cõmoda est, sunt in ea Villæ 23. sub Parochijs tribus; est autem tanta Camplensium in Deum, & Ecclesiam deuotio, & pietas, vt è tribus Camplẽsis agri partibus duæ in Ecclesiæ ipsius patrimonio censeantur. Nocella duobus à Camplo stadijs distat, totidem ferè Castrum nouum. Cæterum Episcopi Ortonenses, & Camplenses simul vniti sequentes sunt.



1. IOANNES DOMINICVS Rebiba Siculus in oppido S. Marci Messanensis Diœcesis, honestis parentibus natus nepos ex fratre Scipionis Card. Rebibæ candore morum præcipuus, humilitatis virtute clarus, dignus prorsus fuit quem Pius V. Sanctissimus Põtifex in Ortonæ Ciuitatis primum Præsulem die 20. Octob. 1570. deligeret. Hanc tunc pauperrimã Ecclesiam ita per annos 25. moderatus fuit, vt à Rege Philippo II. dignus habitus fuerit, vt ad Cataniẽsem opimum in Sicilia Sacerdotium postularetur, ac vix adduci potuit, vt primam pauperrimam sponsam pro ditissima dimittere vellet; sed accedẽte regia propensione, & instantia, atque Prosperi Rebibæ Patriarchæ Constantinopolitani germani fratris præpropero fato ad eandem dignitatem vocati, inuitus suscepit onus, relicta Ortonensi Ecclesia & ad Catanensem translatus est à Clemente VIII. die 11. Decembris 1596. Nihil vnquam omisit, cum in Ortonensi, tum in Catanensi regendis Ecclesijs, quod antiquæ probitatis Episcopum addicere videretur. Catanæ senio & morbo correptus, è viuis piè decessit anno 1604. die 6. Febr. sepultusque in Cathedrali, hac adiecta inscriptione.

D. O. M.

Illustrissimi & Reuerendissimi Domini D. Ioannis Dominici Rebibæ Ortonensis moxque huius clarissimæ vrbis Catanæ Præsulis dignissimi, nec non Romani Pontificis Assistentis, hoc marmore corpus exanime tegitur, anno MDCIV. 11. Indictione, die verò 6. Februarij.

Ioannis Dominici cum laude meminit Rocchus Pyrrhus in notitia Siciliensiũ Ecclesiarum, & noster eruditus amicus Io. Baptista de Grossis in sua Catania sacra, eidem dicauit vitam, & translationem S. Thomæ Apostoli Io. Baptista de Lectis Ciuis Ortonensis.

2. ALEXANDER Buccabarilis nobilis Placentinus Rebibæ successit die 15. Ianuarij 1596. Sedit annos 28 vir pius, & rerum Episcopalium curator attentus sub Vrbano VIII. excessit anno 1624.

3. AN-



3. ANTIMVS de Actis Tudertinus stirpe nobili & antiqua, patre Alexandro, aliquorũ oppidorũ Domino, & Flaminia Farnesia Bertoldi Farnesij, & Laterę Toparchi filia natus in Castro nouo Etruriæ ciuitatē, quam vulgos Cornetum appellãt, die 14. Martij 1582. nepos Marij & Ferrantis Episcopi Parmensis Farnesiorum fratrum apud quos educatus cultusque nobilioribus disciplinis, Romæ degens in Comitatu Odoardi Card. Farnesij ab Vrbano VIII. die prima Iulij 1624. harum Ecclesiarum creatus Episcopus: Consecratus cum statim Sedes suas adijsset, zelo diuini amoris fragrans, se totum bonis operibus dedit, diœceses lustrauit, Synodos cum Ortonę tum Campli coegit, leges promulgauit, Clerum optimis documentis instituit, populum ad piam traducendam vitam verbo & exemplo adduxit; apertas inueteratasque inimicitias inter aliquos primarios viros dexteritate sua composuit, pauperes vbique, & semper fouit, suaque bona inter eos liberali manu dispersit: Ecclesiasticæ immunitatis vindex acerrimus fuit, nec tamē sine Principum maximorum laude. Interfuerat Antimus canonizationi S. Andreę Corsini Episc. Fesulani ab Vrbano VIII. in albũ Sanctorum ascripti anno 1628. pro quo suffragium eru dito sermone scriptum tulit: Cuius etiam Pontificatus tempore S. Apostoli Thomæ corporis veneratio Ortonæ mirum in modum aucta est, miraculosi luminis supra pinnaculum turris Cathedralis apparitione & non semel comprobata accidit apparitio hæc die 28. Ianuarij 1634. cum Ortonæ casu esset incredulus Princeps Andreas Gonzaga, qui nec miraculosã luminis apparitionem, nec sacra Apostoli lipsana Ortonam translata fuisse cæca obstinatione opinabatur, sed viso lumine, exclamauit, Dominus meus & Deus meus, & relicto nobili dono ad Thomæ sepulchrum credulus factus remeauit ad propria: cuius rei historiam scripsit idem Antimus, qui adfuit Episcopus, quique cum vitam traduxisset Christiano Præsule dignam ad diem primam vsque Octobris 1640. mortalitatem expleuit, nec sine bonorum lachrymis sepultus fuit in Cathedrali, eiusque memoriæ cœnotaphium hocce ad tumulum ponendum scripserunt, nondum tamen posuere nepotes.

Antimo
Alexandri de Actis, & Flaminiæ
Farnesiæ F.
Viro nobilissimo, & integerrimo
Pietate in Deum,
Charitate in proximum conspicuo;
Litterarum scientia, morum candore
Spectabili,
Qui
Ecclesiasticæ non minus disciplinæ
Quam libertatis Propugnator acerrimus Sanctas Ecclesias Ortonensem, & Camplensem sibi
ab Vrbano VIII. creditas
Sexdecim annorum spatio
Sine vlla querela religiosissimè gubernauit. Obijt Pastor vigilantissimus Kal. Octob.
MDCXL.
Alexander & Andreas
Ex Angelo fratre nepotes obsequentissimi PP.

4. Fr. FRANCISCVS Antonius Blondus Ordinis Conuentualium S. Francisci è Caprensi Episcopatu ad hunc Ortonensem transijt die 13. Decembris 1640. excessit anno 1644.

5. ALEXANDER Crescentius Romanus Card. Crescentij ex fratre nepos Clericus Regularis Congreg. Summaschæ antea Episcopus Thermulanus ad has Ortonensem, & Camplensem Ecclesias translatus die 3. Iunij, euasit deindè Episcopus Bitontinus an. 1652. de quo ibi.

6. CAROLVS Bonafaccia Romanus fit Episcopus die 3. Febr. 1653.

ANSA-

ANSANENSES, seu Lancianenses ARCHIEPISCOPI.



ANSANVM, vulgo Lancianum, apud Ptolomæum, & Plinium, Annsanum ab aliis vocatur, Aprutij citerioris mediterranea ciuitas est ex Ansiani veteris reliquiis exædificata in quadam Samnij regione sita, quam Frentanorum antiqui dixere, nō procul à litore superi maris, paumque ab aspero, gelidoque Maiellæ Monte distans, salubri quidem cælo, Regi immediatè subiecta, familijs in regio Codice descriptis 1383. multi illic viri nobiles, & Dynastæ degunt, cæteri incolæ laborum studio, armorum exercitio, negotiationibus, agrorum cultu, præsertim verò ipsa ciuitas celebritate, & affluenti mercium, mercatorumque frequentatione, finitimas, remotioresque ciuitates superare videtur; quin & copiosa frugum annona, & camporum fœcunditate longè præest. Affirmant ciues patrum traditione edocti, Ansanum fidem Christianam accepisse ab Apostolorum alumnis, qui in hac regione euangelium disseminarunt. Episcopalem dignitatem volunt multò antea à nouissima institutione à Romano Pontifice accepisse, sed cum nullum afferant auctorem, neque monumenta, quæ hæc suis iniecerint in commentarijs, commentum crediderim ad laudem ingenij inuentum. Leo X. Pontifex Maximus Ansanum nobile oppidum ante annum 1499. spirituali iurisdictione Teatino Ep. copo obnoxium, tunc Romano Pontifici immediatè subiectum Episcopali dignitate, & ciuitatis nomine cohonestauit 5. Kal. Iulij anno 1515. cuso diplo-

A
mate, in eo causas enumerat, quæ animum suum mouerunt, vt illud tanta dignitate donaret; *Cum sit*, inquit, *Ansanum oppidum in Aprutina regione praeclarum, & insigne, & loci opportunitate maximum, & totius Neapolitani Regni emporium celeberrimū, & amœnitate, structurarum, & Ecclesiasticorum locorum, aliorumque magnitudine, & loci sumptuositate spectabile, & incolarum equestris Ordinis, & Theologia, & vtriusq; iuris & artium, & Medicinæ Doctorum, & aliarum artium, scientiarum peritorum nobilium, & mercatorum, ad hominum quatuor millia ascendentium numerositate frequentatissimum, ciuitatis nomine, & prærogatiua dignissimū, &c.* Primus igitur Episcopus Romanæ Sedi immediatè subiectus

B
creatus tunc est Angeins Maccafanus de Pireto vir impiger, & ad nouum Episcopatum moderandum satis aptus, & promptus. Hinc multæ exortæ sunt contentiones Teatinum inter, Ansanique Præsulem, cum Clemens VII. Teatino nouo Archiepiscopo, Ansanum Metropolitico iure subiecerit; nihilominus Ansanum, vt ius suum exemptionis quoque modo tueri posset, omnem conatum adhibuit, & lites promouit; quibus sedandis, accedēre etiam Philippi II. Hispaniarum Regis auctoritate, ad cuius præsentationem Ansana Ecclesia erat, Pius IV. Ansanum Archiepiscopali dignitate cohonestauit, de qua institutione ita scriptum legi

C
in Actis Consistorialibus, *Romæ apud S. Petrum in Consistorio, die 9. Februarij 1562. Sanctissimus erexit ad euitandas lites, & discordias, & pro bono pacis conciliando, Cathedralem Ecclesiam Lancianensem in Metropolitanam, cui R. P. D. Leonardus de Marinis Episcopus de cætero illi vt Archiepiscopus præsit, cum extinctionibus, inhibitionibus, & alijs clausulis, ac derogationē pront in cedula.* Igitur Ansana Ecclesia Archiepiscopali honore donata, eius Cathedralis Basilica Deiparæ Virgini in Cœlū Assumptæ dicata supra pontem mira structura, ingentique ædificio constructa, decora est, ac

D
concinnè venusta, in qua inter cætera sacra veneratur vna ex spinis Coronæ Saluatoris nostri Iesu Christi dono data à Ioanne Baptista de Orta Episcopo Tertibuensi anno 1515. Diuina porrò officia à quatuordecim Canonicis cum Archipresbytero, ac Primicerio in ea dignitatibus, alijsque Sacerdotibus & Clericis celebrantur. In ciuitate præter Cathedralem octo sunt Ecclesiæ Parochiales, virorum Cœnobia sex, vnum Monialium, nonnullæque laicorum fraternitates. Fidelium animæ intra Vrbem degentium ferè sex millia. Archiepiscopalis mensæ annuus census aureorum 1000. taxa eius in libris Apostolicæ Cameræ est florenorum 200. Diœcesis Lancianensis angusta admodum quatuor duntaxat oppidis & tribus villis constat; in oppidis animarū cura per Achipresbyterū exer-

exercetur, Villulæ ab Illyricis habitantur, quibus sacra à suis Sacerdotibus benè probatis administrantur. Archiepiscopus nullam habet Prouinciam, nec Suffraganeum. Vetustissimum est hac in vrbe Sancti Francisci Cœnobium, cuius Ecclesia olim Dino Ligorio consecrata erat, diù in ea Basilica Monachi sub Abbate inhabitarunt, quibus exactis, tradita est Monachis S. Ioannis in Venere Ord. S. Benedicti anno 1204. Innocentio III. Pontifice, ijs etiam deturbatis in Parochiam euasit, postremum S. Francisci Sodalibus cessit, concedente Ansani Archipresbytero; concessionem ratam habuit Landulphus Teatinus Episcopus anno 1252. 3. Non. Aprilis. Seruantur in hac venerabili Ecclesia plurimæ Sãctorum reliquiæ; Sed quæ alias omnes præcellit, est Sanctissimũ Eucharistiæ Sacramentum mutatum in mille abhinc annis in carnẽ, & vini guttæ quinque in Sanguinem, quæ hoc habent verundum præ omnibus, atque stupẽdum, quod inæqualia licet magnitudine sint, æqualia tamen comperiantur. Quo nam pacto hæc miranda conuersio facta sit, ita commemorant.

Cum quidam Diui Basilij Monachus Sacerdos de vera conuersione panis & vini in carnem, & Sanguinem Christi Saluatoris dubitaret, misericors Deus ab infidelitate reuocare volens, quadam die, ille sacra operante, vix consecrationis verbis prolatis panem in Carnem, vinum in Sanguinem conuersum vidit, confusus, & inde in recta confirmatus fide, populo adstanti incredulitatem suam confessus, ac stupendum conuersum sacrificium palam ostendit. Ad futuram rei memoriam huiusmodi historia depicta cernitur in Sacrario, vbi asseruantur species in Carnem, & Sanguinem conuersæ. Historiam edidit Sebastianus Rinaldus Episcopus Calcedonẽsis. Non longè verò à Ciuitate Ecclesia visitur S. Mariæ de Frisa Abbatiali titulo olim condecorata, in ea Canonici Regulares Lateranenses degebant. Sed in veteri Ansano Cœnobium Eremitarum S. Augustini celeberrimum est, eiusque in Ecclesia sub ferrea crate quamplurimæ Sanctorum reliquiæ religiosissimè asseruantur, inter cæteras celebrantur brachium vnius Sanctorum Innocentium. Mola S. Apolloniæ Virginis & Martyris. Tres Spinæ de Corona Christi Saluatoris Caput & brachium S. Simeonis Apostoli, & Crux S. Iudæ Thadæi. quæ à quodam Iacobo Clementis Veneto furtim sublatæ, huc aduectæ fuere anno 1434. vt ex litteris Francisci Foscari Venetiarum Ducis ad Episcopum Teatinum scriptis facilè erui potest; erat tũc temporis Ansana Ecclesia Teatino Episcopo iure Diœcesano subiecta: litteræ verò in hunc modum fuere conscriptæ.

Reuerendo in Christo Patri Domino Episcopo Teatinæ Ciuitatis Intus. *Franciscus Foscari Dei gratia Venetiarum Dux. Reuerẽdo in Christo Patri Domino Episcopo Teatinæ Ciuitatis amico dilecto salutem, & supernæ deuotionis affectum.*

Ex querimonia venerabilis & honesti viri Georgij de Primis Plebani Ecclesiæ S. Simeonis Apostoli ciuitatis nostræ Venetiarum non absque mentis admiratione cognouimus, quod quidam pseudo-presbyter Iacobus Clementis, qui diuina officia in prælibata Ecclesia celebrabat, postposito Dei timore, ac salutis animæ suæ immemor, furtiuè ac malo modo abstulit caput & brachium sacrosancti Corporis Apostoli supradicti, & attulit Lancianum, vnde fauores nostros ad recuperationem earundem reliquiarum cum instantia supplici requisiuit. Nos autem cognoscentes hanc causam non esse priuatam, nec specialem Plebani prænominati, sed communem & publicam Dei, & Sanctorum suorum, ac nostram, totiusque nostræ ciuitatis, quæ scandalum habuit cordiale de sacrilegio tam nefario, ac nullatenus dubitantes, quod talis casus vobis tædiosus fuerit non minus, quàm nobis ipsis, considerata inhonestate tam facinoris, quam personæ, Reuerendam Paternitatem Vestram affectuosè deprecamur, quatenus considerato quod nunc agitur res Dei, cum Omnipotentia ex huiusmodi sacrilegio sit offensa, & contumeliosissime vilipensa in reliquijs Apostoli sui, tam nefariè subtrahendo, & asportando non absque iniuria etiam nostri, & vilipendio non mediocri. Placeat in Dei & Apostoli prædicti amorem, deuotionem & reuerentiam affectuosalem prouidere, ac facere, quod eadem caput, & brachium Apostoli prænominati, Nuncio Plebani Ecclesiæ prædictæ S. Simeonis restituatur, & resignetur, sic quod possit ipse Venetias ad suam Ecclesiam, vndè sunt sacrilegè subtracta, & asportata reducere, sicut summè desideramus exauditionem effectualem nostrarum precum, & rem diuinam & religiosam vtique ad summam complacentiam à vestra Reuerenda Paternitate habituri. *Datum in nostro Ducali Palatio die 12. mensis Septembris, Indict. 3. anno* 1434. Scripsit idem Dux communi Ansanæ ciuitatis [illegible] ferè conceptis verbis, sed in cassum laborauere Veneti, qui ineunte deinde vere triremes expedierunt in Adriatico [illegible] mas, iusseruntq; Classis Præfecto, vt S. Sanctum Vitum, Ansanumque funditus euerteret. Verum siue errore viarum, siue [illegible] ventibus, in Apuliam Veneti appulerunt, Castrũ S. Viti Apulorum pro oppido eiusdem nominis Frentanorum diripuerunt, ingressiq; præda onusti Venetias repetierunt, illæsis tamen Ansanensibus, Sacratæ Apostoli reliquię apud ipsos venerantur.

Haud longè ab hac Ecclesia visitur Sacellum olim domus cuiusdã Iacobi Statij, cuius coniux Ricciarella anno 1273. vt ferunt, à thori consorte vexata, impiæ fœminæ consilio de-

dementata, vt à marito vindictam ope dæmonis ſumeret, Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum igni tradidit; & quem amoris flamma ſub illo velamine latenter incluſerat, fæminea rabies & impietas, flammis materialibus obijcere non eſt verita. Cæterùm cooperante Deo, ſacris accidentibus, ſub quibus Deus amans latebat, flamma non nocuit, & odor ignis in illis non fuit; ſed in carnem, & ſanguinem, parte hoſtiæ in propria ſpecie & colore remanente, apparuere conuerſa, vt veritas Corporis Chriſti ſub illis realiter contenti miraculoſa conuerſione inſinuaretur. Obſtupuit impia fæmina ad cæleſte prodigium, & in ſtabulo inæſtimabile Sacramentum continens Chriſtum, pro nobis olim in ſtabulo natum, execrabili peruerſitate inter ſtercora, effoſſa terra celauit: donec poſt ſeptem annos, quod impiè egerat, loci Priori reuelauit. Hic cum eſſet patria Offidanus, inæſtimabilem ſacræ hoſtiæ theſaurũ, quaſi pio furto Anſano ſurripuit, & Offidam Piceni aſportauit, vbi ſumma adhuc populi veneratione colitur. Huius rei hiſtoria extat in huius Eccleſiæ tabulario.

Non procul ab Anſano Cœnobium eſt Ordinis Minorum, quod B. Ioannes de Capiſtrano conſtruxit ſub nomine S. Ioannis de Pace, in memoriam conſtitutæ à ſe pacis inter Anſani, ac Ortonę Ciues hoſtiliter, ac crudeliter ſe inuicem infeſtantes. Hic ſepultus eſt B. Hieronymus à Stronconio, antea & poſt mortem miraculis illuſtris. Cæterum Anſanenſes Præſules ſequentes ſunt ex actis Conſiſtorialibus obſeruati.



1. ANGELVS iunior Maccaſanus de Pireto Marſus, vir præclara legum ſcientia, & moribus amabilis dignus habitus, vt à Leone X. primus Anſani Epiſcopus crearetur anno 1515. Poſtero anno 11. Kal. Maias honorificentiſſimè ab Anſanis ſuſceptus, Epiſcopatus poſſeſſionem inijt, non tamen ſine capitis ſui periculo inſidiatus à Teatinis, qui ægrè ferebant nouam Epiſcopalem dignitatem Anſanis elargitam: quamobrem Fermulenſem Ducem Aprutinæ Prouinciæ Præſidem in Angelum concitarunt. Is cum honoris gratia Angelum ſimulatè viſitaſſet, illum penè captiuum retinuit, vt Teate deportaretur; Verùm Anſanenſis populus, Clerusque hæc audientes Paſtorem ſuum per ſummam iniuriam retentum, ad arma proruperunt, ac Duci mortem minitantes ni Præſulem ſuum liberum daret, tunc viſum eſt Duci nolens volens Epiſcopum cum honore liberum dimittere, ac commonefacere Teatinos, durum eſſe contra ſtimulum calcitrare. Angelus verò omni ſollicitudine Eccleſiam ſibi creditam ordinauit, atque adminiſtrauit. Romam reuerſus Lateranenſi Concilio interfuit ſeſſ. 10. anno Chriſti 1517. ſubſequenti Kalen. Decembris, exceſſit ibidem ſepultus. Patruos habuit Angelum Seniorem, Franciſcum & Gabrielem Marſorum Epiſcopos, fratres Iacobum & Ioannem Dionyſiĩ eiuſdem Eccleſiæ Præſules, & Gregorium Epiſcopum Hortanenſem viros integra fide & prudentia clariſſimos, quorum virtute excitatus non minorem ſuæ familiæ attulit decorem.




2. ÆGIDIVS Card. Viterbienſis ſecundus declaratus eſt huius Eccleſiæ Epiſcopus ad petitionem Caroli V. Imper. die 10. Aprilis 1532. Romæ obijt eodem anno prid. Id. Decembris Epiſcopus Viterbienſis, & Conſtantinopolitanus Patriarcha, de quo egimus prim. tom. in Epiſcopis Viterbienſibus.

3. MICHAEL fortaſſis Belga à Carolo V. præſentatus adlectus eſt à Clemente VII. die 10. Aprilis 1533. Romæ exceſſit è viuis anno 1539.

4. IOAN-

A



4. IOANNES de Salazar Hiſpanus huius Eccleſiæ euaſit Epiſcopus die vltima Aprilis 1540. ritu ſolemni receptus 12. Kal. Iulij eiuſdem anni. Interfuit Cócilio Tridentino, mortem obijt in Hiſpania prid. Id. Septembr. 1555. cuius inſignia ſtellæ duodecim aureæ erant in cerulea parma.



5. POMPEIVS Piccolominens de Aragonia Amalphitani Ducis filius ex Præpoſito S. Ioannis de Celano electus eſt Anſanenſis Epiſcopus die 12. Iunij 1556. Sedit ſub nomine tantum electi plus minus annis quatuor, & ad Tropeienſem translatus eſt anno 1560. die 16. Ianuarij, de quo ibi.



1. LEONARDVS de Marinis Ianuenſis Ord. Præd. genere & virtute inclytus ex Epiſcopo Laodicenſi, factus eſt Anſanenſis
B Epiſcopus die 16. Ianuarij 1560. poſſeſſionem inijt, ciuitatem ingreſſus 7. Id. Aprilis eiuſdẽ anni: ſed cum incidiſſet in eã rerum difficultatẽ, quæ ſuos anteceſſores Teatinos Archiepiſcopos longo temporis ſpatio diuexauerat, feciſſetque ſatis, vt tandem iurgia iugularẽtur, & lites, in caſſum tamen viſus ſibi eſt laboraſſe. Romæ poſt annum cum dimidio ſui laboris ad Pium Pontificem reuerſus, vt tãdem ſua auctoritate litibus finem daret. Igitur Pius piæ Leonardi petitioni annuens, Eccleſiam Anſanenſem Archiepiſcopali titulo condecorauit, primumque Archipræſulem Leonardum declarauit die 26. Febr. 1562. qui cum gaudio & pace Anſanum reuertitur, profuſaque omniũ lætitia ſuſceptus, pacem laureatam ad Concilium Tridentinum profectu-
C rus reliquit; poſt cuius celebrationem tertiò Anſanẽſem Eccleſiam inuiſit, ac ſaluberrimis decretis ad normam Concilij conſolidauit. Sex annis hanc Eccleſiam, tum Epiſcopus, tum Archiepiſcopus eximiè adminiſtrauit, translatuſque eſt ad Albenſem in Inſubria Sedẽ die 7. Octob. 1566. Romæ deceſſit 1573. Id. Martij, iacet in Eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam, de quo plura, ac ſcitu digniſſima ſcripſimus in Albenſium Epiſcoporum Catalogo, vbi in eius honorem Tridenti cuſum toreuma inciſum retulimus, quod hic in gratiam Anſanenſium iterum exhibere licuit, vt genuina Leonardi primi eorum Archiepiſcopi effigie recreari valeant, qui maximum Anſanenſi eorum ciuitati decorem attulit & ornamentum.





2. HECTOR è nobiliſſima & antiquiſſima gente Piſcicella Neapolitanus ex Regni Vicecancellario, ac penè capularis ſenex à Philippo II. Rege Hiſpaniarum deſignatus eligitur à Pio V. Anſanenſis Archiepiſcopus die 13. Octobris 1568. conſecratus ciuitatem ingreditur 5. Kal. Maias anni ſequentis, honorificè ſuſceptus, comitantibus Venerabilem Senem Archiepiſcopo Acheruntino, Grauinę, ac Traiecti Ducibus cum Ioanne Auolos viris clariſſimis: poſt paucos menſes mortalitatem exuit 9. Kal. Octob. eiuſdem an. 1569. octuagenario maior, humatur in Cathedrali eius cadauer cum cæteris Præſulibus ab antiquo in nouo ante aram Beatiſſimæ Virginis Mariæ reconditum eſt à Paulo Taſſo ſucceſſore.

3. Fr. ANTONIVS à S. Michaele Hiſpanus Ord. Minorum ſtrictioris obſeruantiæ antea Epiſcopus Montis Marrani ad hanc Sedem translatus die 20. Octob. 1570. Huc appulit prid. non. Martij 1571. Primum lapidē iecit ædis D. Bartholomæi 6. Id. Iulij 1571. Munus conſecrationis impendit Vincentio Marino Epiſcopo Albenſi, aſſiſtentibus Ortonenſi, ac Valnenſi Epiſcopis Id. Martij 1573. Dominica die Palmarum. Huius meminit Paulus Paruta hiſt. Venet. p. 2. lib. 3. quē à Gregorio XIII. delegatum fuiſſe ad Hiſpaniarum Regem narrat, vt fœdus aduerſus Turcas inſtauraretur: regreſſus ad ſuam Eccleſiam, reliquum vitæ ſuæ tempus in bene populum ſibi creditum regendo conſumpſit, ac piè vt vixerat, diem ſuum clauſit extremū Kal. Nouembris 1578. iacet in Aede Cathedrali, cuius inſignia quinque virentes oliuæ ſuper montes poſitæ in parma aurea erant.



4. MARIVM deinde Bologninum Caiacēſem virum nobilem omni laude dignißimū euexere ad Sedem die 3. Iulij 1579. poſſeſſionem adeptus corporalem 17. Kal. Martij 1580. Primum lapidem benedixit Eccleſiæ Sāctæ Mariæ de Angelis apud Saccarios, tranſlatus deinde eſt ad Crotonenſem, mox Salernitanus euaſit Archiepiſcopus, cui dedicat opus de peſte Sebaſtianus Tranſius.

5. PAVLVS Taſſus Neapolitanus I. V. D. Protonotarius Apoſtolicus, vir doctus & probus Bolognino ſucceſſit die 17. Octobris 1588. ſolemni pompa excipitur 12. Kal. Apr. 1589. Sequenti verò 4. Kal. Apr. iecit primū lapidem benedictum nouę Eccleſiæ fundandę titulo S. Mariæ de Sanitate. Sequēti an. 1590. 4. Kal. Apr. in Aede S. Mariæ de Ponte conſecrauit in Epiſcopum Calcedonenſem Sebaſtianum Rinaldum Anſanenſem Theologum, virum clariſſimum, aſſiſtentibus Epiſco-

pis Triuentino & Guardienſi. Nolam Cathedralis Eccleſiæ maximam ante annum millesimum conflatam, caſu fractam iterumque conflatam ſacrauit 16. Kal. Sextilis 1604. Eius cum laude meminit Dauid Romeus in dedicatoria vitæ S. Candidæ ad Franciſcum Carrafam, & doctus Antonius Caracciolus in monumentis Eccleſiæ Neapolitanæ non ſemel Pauli laudes commemorat. Præfuit huic Eccleſiæ cum laude prudentiæ annis 18. Fatoque functus eſt 4. Non. Septemb. 1607. in tumulo conditus Cathedralis, quem viuens ſibi, & ſucceſſoribus ſuis erexerat, in quo oſſa anteceſſorum ſuorum religioſiſſimè ſepelierat. Geſtabat gentilitia familiæ ſuæ ſtemmata, arborem ſcilicet Taxi cum innoluto ſerpente ad truncum cum duabus rotis hinc idem truncum exornantibus.

6. Fr. LAVRENTIVS Galatina Ord. Minorum de Obſeruantia Epiſcopus Mineruinenſis ad hanc Eccleſiam translatus die 27. Ianuarij 1609. Sedit ann. 8. iterumque illum tranſtulit Paulus Quintus ad Puteolanam anno 1618.

7. Fr. FRANCISCVS Romerius Hiſpanus Ord. Carmelitarum alumnus, patria Matritenſis adlectus eſt Archiepiſcopus die 14. Maij ann. 1618. translatus deinde ad Vigleuanenſem in Inſubria Epiſcopatum die 10. Ianuarij 1621. Obijt ibidem 4. Februar. 1647.

8. ANDREAS Geruaſius ſucceſſit Romerio die 24. Ianuarij 1622.





ITA-

ITALIA SACRA
FERD. VGHELLI

Abbatis Ordinis Cisterciensis.

PROVINCIA XV.

siue

HIRPINORVM,

Quam hodie Principatum vlteriorem vocant, vbi Compsana Metropolis cum suis suffraganeis describitur.

INTER Samnites populos omnium vltimi claruerũt Hirpini, quorum fuit tanta belli gloria, vt separatim à Samnitibus quasi ab eorum corpore essent auulsi nominarentur. A Lupo Coloniæ ductore nomen acceperunt, Hirpium quidem Samnites Lupum appellarunt. Hinc extremus versus Lucaniam Apuliamque Hirpinorum vrbeis passim Liuius Samnitibus attribuit, quarum caput Compsa. Hirpinorum fines ita describit Cluuerius: ab Occasu, qua Campani erant contermini montium iugum quod sinistram Sabati fluminis ripam prosequitur

A vltra fontem amnis, lineam à Sarni vsque fontem: inde à Meridie, qua Picentinis iungebatur, lineã aliam ad Silarum amnem & oppidum Valueno ductam, inde ipsum Silarũ, & à fonte eius lineam ad Aufridum flumen, & oppidum Montis Viridis ductã: hinc ipsũ flumẽ, & à flumine incuruam ad Calorem vsq; amnem prope Beneuentum; qua includuntur Cędogna, & S Agatha. Hodie Hirpinorum regio in prouincia vlterioris Principatus concluditur. Sedes Episcopales in vlteriori Principatu tredecim olim censebantur, sed ex his quinque vtpote suffraganeæ Beneuẽtanæ Metropolis in ea prouincia descriptæ fuerunt, nempe S. Agathæ Gothorum, Auellinen. & Frequentin. Montis Marraui & Vulturarien. Sarnensis suffragarur Salernitano: de quibus

suis in locis agemus: reliquæ sunt Compsanus Archiepiscopatus cum sex sibi subiectis Ecclesijs S. Angeli de Lombardis, Bisacien. Laquedonicn. Montis Viridis, Muranen. & Satrianen. namq; Belsiensis Episcopatus qui in prouinciali Romano recensetur sub hac Metropoli nullam reperio mentionem. Igitur in hac nostra decimaquinta Prouincia de sola Compsana Metropoli cum sex his Episcopatibus agemus.

COMPSANA METROPOLIS,

Cui suffraganei sunt

Episcopatus {
S. Angeli de Lombardis;
Bisaciensis,
Laquedonensis,
Montis Viridis,
Muranensis,
Satrianensis.
}



COMPSA antiquissima Hirpinorum ciuitas ad Aufidium amnem haud procul fontibus eius situata est, quam hodie Prouinciæ vlterioris Principatus Metropolim statuerunt. Hanc Plinius in secunda Italiæ regione in Hirpinis commemorat cum Liuio & Velleio. Ptolomæus in Lucaniam reijcit. Eius primogeniam originem hactenus nullus scriptorum retexuit; ex iisdem tamen veteribus, auctoribus antiquissimam fuisse constat, cum anno ab vrbe condita CCCCLXXIX. ante Christum natum CCLXXIII. ibidem colonia ducta est. *At Cossam*, inquit, Velleius, *& Pæstum abhinc annos ferè* CCC. *Fabio Dictatore, & Claudio Cancria Css.* Liuius *Coloniæ ductæ sunt Posidonia, & Cossa*. Sigonius in Liuium pro *Cossa*, ex antiquis exemplaribus *Compsam* legit, & *Compsanos*, quorum illibata fides priscis Romanis semper in pretio fuit; Hic Milonem cuius meminit Tullius, ictu lapidis occubuisse narrat Velleius. Incepto pari similis fortuna Milonis fuit, qui Compsam in Hirpinis oppugnans cinctusque tum P. Clodio, tum patriæ, quam armis petebat pœnas dedit, vir, inquiens, & vltra sortem temerarius. Denique Compsa ex ijs Colonijs vna fuit, quæ pro Romanis contra Annibalem arma sumpsere. Post declinationem Romani Imperij, diuersis Dominis bel-

A lica præda cessit, donec Neapolitanorum Regnum ditio fieret, à quibus diuersis Dynastis in feudum attributa est. Anno sal. 980. vt Leo Ostiensis scribit lib. 2. cap. 11. ingens terræmotus Compsam propè mediam euertit, eiusque Episcopum cum plurimis, alijs occidit. Hoc tempore pene desolata est, infrequensque ob insalubrem aërem habitatoribus, quæ olim cum finitimarum vrbium potentia concurrere potuit. Constat, idque satis firma coniectura iam inde à Sanctorum Apostolorum prædicatione Christianis sacris Compsam fuisse initiatam, vtpote Romæ propinquam. Eiusdem antiqua Ecclesia est, atque Metropolitana dignitas vetusta inter recentiores. Eius Prouincia vlteriorem Principatum complectitur, sex habet Episcopa-
B tus suffraganeos, Muranum scilicet, Mons Viridis, Laquedonensem, Bisaciarum, Sancti Angeli de Lombardis, & Satrianum; nam quod in antiquis Prouincialibus legitur de Episcopatu Bolsinensi mendo non caret, nihil enim de eo alibi vsque legimus, ac ne in ipsis quidem tabulis Metropoleos Compsanæ. Primi eius ciuitatis Episcopi nomen intercidit, siue scriptorum inopia, siue, iniuria temporum, quæ vetusta debellauit monumenta. A quo verò ex Romanis Pontificibus Compsa dignitatem acceperit Metropoliticam, incompertum mihi est. Crediderim tamen eam accepisse, vel ab Alexandro II. vel à successore Gregorio VII. namque anno 1051

sub Leone IX. Episcopus Compsanus suffraganeus erat Salernitani Arch episcopi, vt ex priuilegio Leonis liquet, sub Gregorio VII. Leo Archiepiscopus Compsanus vixit. Sub Primate vero Salernitano recensetur ab Vrbano II. anno 1099. in priuilegio Salernitanæ Ecclesiæ concesso, vt suo loco melius enarrauimus. Primus Compsæ Archiepiscopus, cuius memoria perennauit ad posteros, Leo est, qui sub Gregorio VII. Pontifice vixit, ab hac tempestate vsque ad hæc nostra tempora, ferè continuatam seriem habemus, satis tamen [illegible], quam ex varijs monimentis nostra captata est industria, surdis sæpè auribus canimus, illorum, ad quos spectat, implorantes opem, diligentiamque. Cæterùm Metropolitana Basilica est titulo Deiparæ Virginis Assumptæ, sacris vestibus, argenteis vasis, ac suppellectili ad sacrorum vsum accommodata, satisque instructa, & ornata. Hic requiescit corpus S. Herberti Archiepiscopi marmoreo tumulo inclusum, & præclarissimo decori habetur, eius natalis dies 20. Augusti magna finitimorum populorum frequentia colitur, indulgentijs Pontificum priuilegio eò accedentibus concessis. Tribus dignitatibus gaudet, Archidiaconatus scilicet, Cantoratus, & Primiceriatus, ibidemque octo Canonici, Presbyteri aliquot, alijque minorum gentium Clerici diuinum opus perurgent. Intra Ciuitatis Mœnia quinquaginta supra centum fidelium capita recensentur, in ea nulla Ecclesia Parochialis præter Cathedralem, nullum Religiosorum Cœnobium, aut Monialium extat. Diœcesis per 40. milliaria extenditur, continet oppida seu terras 24. inter quæ S. Mennæ, vbi Archiepiscopus residere solet, tanquam nobiliori in loco. Ibi est Seminarium Clericorum ad normam Côcilij Tridentini, & domus Episcopalis. Mensæ Archiepiscopalis annuus census est aureorum ferè 3500. qui colliguntur ex Castris Sancti Andreæ, & S. Mennæ [illegible] temporalibus & spiritualibus Archiepiscopo obnoxijs, atque ex alijs eiusdem Ecclesiæ prouentibus, taxatur in libris Cameræ Apost. ad floren. 200. Porrò Præsules huius Ecclesiæ, quorum memoria extat, sequentes sunt.



1. PETRVS post plures annos, quorum memoria excidit, erat Compsanus Episcopus, quem solo nomine agnoscebam; verum Compsæ sedisse hoc anno 967. me docuit vetustum documentum Pandulphi Principis Compsæ & Rapollæ Domini & magistri, qui nudis pedibus incedens ad Altare Ecclesiæ Monasterij S. Michaelis de monte Vulterano, obtulit se Deo per vnum crinem de capillis suis, & villam Monticuli cum hominibus, & pertinentijs suis prædicto Monasterio, & Benedicto Abbati: quam donationem Compsæ coram Petro Episcopo confirmauit, eique firmandam tradidit. Accipe tabulas Pandulphi donatoris nobiles ex authentico exscriptas.

In nomine Domini Iesu Christi Filij Dei viui.

Anno nono Principatus nostri.

☞ Ego Pandulphus Princeps de Consia, & de Rapolla Magister, & Dominator totius Terræ de Principatu, per istud scriptum declarare facimus, quoniam de vltimo die Principatus nostri cogitare cognoui verum esse, quod nullus homo potest [illegible] cipare de Regno Dei de misericordia, & beatitudine Filij eius, qui non facit misericordiam pauperibus, sicut dicit ipse in Euangelio. Quod non fecistis vni de minimis meis, nec mihi fecistis. Hæc igitur considerans, & adducens in memoriam illud, quod dicit. Honora Dominum de tua substantia, posui in corde meo, in mente mea, & in bona voluntate mea pro salute animæ meæ & parentum meorum, & pro remissione omnium peccatorum dare villam de Monticulo Deo, & Monasterio Sancti Michaelis de monte Vulterano, in quo est venerandus Abbas Benedictus cum qui quaginta Monachis, qui pro amore Dei dimiserunt omnia sua, & viuunt sicuti pauperes in illo sancto loco; & talia in mente mea semper reuoluens iui ad supradictum sanctum Monasterium cũ Iudice Vrsone de ciuitate Consiæ, & cum Ioanne Castaldo, & Stratego de ipsa villa de Monticulo, & cum alijs socijs meis, & rogaui dictum Venerandum Abbatem, & omnes fratres suos, vt reciperent me, & parentes meos ad orationem [illegible], & rogarent Deum, vt faciat nobis misericordiam, & dimittat nobis omnia peccata nostra per suam orationem, & statim Dominus Abbas congregauit omnes fratres in tus in Ecclesia S. Michaelis, & stantes coram Altare receperunt me ad suam orationem, & scripserunt nomen meum, & omnium parentum meorum in libro, & sic in eadem hora ego discalceaui pedes meos, & ad sanctum Altare ascendi, & per vnum crinem de capillis meis obtuli me Domino, Monasterio villam de Monticulo cum omnibus pertinentijs suis liberam ab omni seruitio, quæ fuit de patre meo, & de matre mea, & ego habebam eam

de

de patrimonio; & sic ego pacem cum Domino Abbate, & cum omnibus fratribus, & rogaui Dominum Abbatem, vt veniret ad Consiam & acciperet in præsentia Domini Petri venerabilis Episcopi ipsius Ciuitatis, & multotum, qui . . . . erant, cognoul, quod feceram in Monasterio, & dixi Domino Abbati, vt faceret de villa Monticuli quicquid vellet sicut dominus, & feci iurare homines Monticuli, vt facerent præceptum Abbatis, & essent homines Monasterij in omni tempore, & vt nunquam ego, vel mei hæredes de ista oblatione contrarietatem aliquam faciamus Monasterio, & in aliquam angustiam Abbatē, & Monachos mittamus, & vt ista donatio firma semper, & stabilis maneat, præcepimus magistro Bonifacio, qui B erat Notarius meus, vt aliud priuilegium inde faceret, & rogauimus Dominum Episcopum Petrum, quatenus per vinculum excommunicationis nos, & nostros hæredes constringeret, vt nunquam præsumamus aliud priuilegium facere. Quod si fecerimus, vinculo anathematis constringamur, & oblatio non minùs sit firma. Vndè ad maiorem cautelam præsens priuilegium per manus magistri Bonifacij scriptum propria manu signauimus, & etiam Dominum Episcopum rogauimus, vt sua manu se signaret. Istud priuilegium scripsi Ego Magister Bonifacius Notarius Domini Principis Pandulphi, sicut ipse præcepit. Ego Petrus Dei gratia Consanus Episcopus excommunico, anathematizo omnes homines, qui hanc oblationem C voluerint infringere, & contra hoc priuilegium facere, vt separati à corpore, & Sanguine Iesu Christi Domini Nostri, nisi resipiscentes Deo, & Ecclesiæ satisfecerint. Fiat, fiat. *Amen.*

† *Ego Pandulphus Princeps de Consia propria manu signum Crucis feci pro confirmatione de oblatione, &c.*

† *Ego Petrus Dei gratia Episcopus Consanus testis sum.*

† *Ego Vesò Iudex de ciuitate Consia me subscripsi.*

† *Ego Leo dominator de Petra Columba, & Iudex de Consia signum Crucis* D *feci.*

† *Ego Petrus Archipresbyter de Consia feci signum Crucis.*

† *Ego Ioannes Castaldus Stratigo de Môticello testis sum.*

† *Ego Mansellus miles de Monticulo signum Crucis feci.*

Datum in ciuitate Consia Anno Incarnationis Iesu Christi 967. mens. Maij, Indict. 10.

Cæterùm quo anno, seu cœperit, seu desierit sedere Petrus, non lego, ni fortè ille fuerit Episcopus Compsæ, qui anno Domini 981. ex terræmotus immani concussione obrutus cum plerisq; Compsanis ciuibus occubuit, vt

A Leo Ostiensis narrat lib. 2. cap. 11. *Ante hoc ferè biennium ingens terræmotus factus est,* &c. *Compsanam ciuitatem propè mediam euertit, eiusque Episcopus cum plurimis alijs occidit.* Ramuldus Salernitanus in Chronic. id accidisse refert ad annum 990. Ab hoc anno vsque ad 1087. non inuenio quis Episcopus sederit post Petrum, vel ipsum, qui ex terræmotu desijt esse.



1. LEO Archiepiscopus Compsanus florebat anno 1087. ex historia translationis S. Nicolai auctore Ioanne Diac. Barensi, cuius meminit bon. mem. antiquarum rerum perscrutator amicus noster Antonius Beatillus in Hist. S. Nicolai Myrensis lib. 6.

2. GREGORIVS post Leonem videtur inijsse Archiepiscopatum, sedebat quippe anno 1103. ex monumentis Compsani tabularij, quo Canonicis suis dono dedit Ecclesiam S. Martini de Silere in Calabretti ditione, fuitque Ecclesiasticæ immunitatis, vindex acerrimus, ac fortassis ille Compsanus Archiepiscopus, qui sub Paschale II. Vastallensi Concilio interfuit, cuius meminit Pandulphus Pisanus, ex eo Baronius ad hunc annum.

3. R. Compsanus Archiepiscopus initiali nominis litera R. tantùm notus in Calixti II. Papæ diplomate ad Ecclesiam Salernitanam conscripto, quibus significabat se exoratum ab R. Compsano Archiepiscopo, nec non ab Itta Compsæ Comitissa nepote sua, vt nouæ Cathedrali, aliqua dignaretur spiritualia concedere dona, quibus allicerentur homines ad eam venerandam Ecclesiam, concessisse omnibus, qui in ea Ecclesia sepelirentur expiationem à peccatis. Calixti diploma, seu breues literas recitat Io. Baptista Prignanus Salernitanus in descriptione Balbanæ familiæ, quas ego in medium adduco, tametsi corruptæ fortasse videantur, ad familiam illustrandam.

Calixtus Episcopus seruus seruorum Dei, Fideli Ecclesiæ Salernitanæ salutem & Apostolicam benedictionem. Quoniam Compsanæ

planæ Ecclesiæ desolationem antiquo tempore factam audiuimus,& ex parte cognouimus à nobis, togati à dilecto filio nostro R. eiusdem Ecclesiæ Venerabili Archiepiscopo, nec non à Stimma (Ittam vocat Ammiratus Compsæ Comitissam) nepote nostra Balbani Comitissa eiusdem terræ Domina fuimus, & interesse negotijs imminētibus nequimus. Idcircò ad eiusdem Ecclesiæ dignitatem, absolutionem omnium peccatorum, Apostolorum Petri & Pauli, & nostra auctoritate facimus omnibus Christianis, qui confessi fuerint, & ibi sepeliri se fecerint. *Datum Laterani 3. Id. Aprilis.*

Sed quid sibi velint literæ istæ, vel quis sit earum germanus sensus,longè à puritate Apostolicarum literarum conscriptæ indicent alij.

4. S. HERBERTVS diu Compsanam Ecclesiam rexit,& miraculis gloriosus obdormiuit in Domino post annum 1180. sepultusque fuit in marmorea tumba in Cathedrali, cuius venerabile corpus nuper repertum magna veneratione colitur die 20.Augusti, eius meminit Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio non sunt, illum ex incolarum traditione Hirpinum fuisse refert. Ioannes Pitseus de scriptoribus Angliæ quendam Sanctum Herbertum Anglicum,Archiepiscopum Cusentinum profert in medium; sed eo ipso anno 1185. quo Præsulatum ille acceperat, ait ex terræmotus violentia illum absorptum fuisse. *Herebertus*, inquit, *Horeschamus natione Anglus,patria Mercius,vir pius, & eruditus, in Italiam profectus, factus est Archiepiscopus Cusentinus in Apulia. Hunc ferunt quædam ingenij sui literaria monumenta posteris reliquisse, vel relinquere voluisse, & ea iam in lucem emisisse; sed vna cum auctore perierunt omnia. Nam eo ipso anno quo Præsulatum accepit, & suam Archiepiscopalem Cathedram conscendit, ipse cum domo sua, imò verò cum tota ferè Ciuitate dehiscente terra, absorptus est: fuit ille annus à Natiuitate Christi* 1185. Sed longè Pitseū aberrasse crediderim ac sursum, deorsumque confudisse,quæ de Herberto scripsit: siquidem Cosentia vrbs Archiepiscopalis est Calabriæ, non Apuliæ, Archiepiscopus ille Cosentinus, qui ex terræmotu occubuit, Rufus vocabatur, non Herebertus, vt Anonymus Cassinensis habet apud Caraccioli Chronic. *Anno*, inquit, 1184. *Nono Kalend. Iunij Terræmotus adeò magnus, & terribilis fuit per totam Calabriam in valle de Grati, & vallem de sinu Ecclesiæ omnem, & omnia ædificia murorum corruerunt, & Rufus Cusentinus Archiepiscopus, & multi alij sub murorum præcipitio suffocati sunt.* Hæc ille. Rufo Cusentino Archiepiscopo successit Petrus eodem anno 1184. Concilio Lateranensi interfuerat Rufus anno 1179. in quo assederat Herebertus Compsanus Archipræsul cum suis suffraganeis, vt Ioannes Picardus in notas ad Guillelmi Neubrigensis Historiam narrat, quamobrem Herbertus Compsanæ Ecclesiæ fuit longo tempore Archiepiscopus, Anglus natione, sanctitate & gloria miraculorum illustris, cuius acta perierunt, cuius tamen memoria habetur in monumentis Compsanæ Ecclesiæ ab anno 1138. ad annum vsque 1180. fortasse eo anno, vel paulo post in pace quieuit, habuitque successorem Geruasium, vt mox dicemus. Anno 1138. *Herbertus habet Compsana memoria, nunc sanctus, miraculis clarus, accessit ad Regem Siciliæ, & recuperauit Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Auletta cum iuribus suis, obtinuitque à Roberto Comite Loretelli & Cupersani, ac Domino ciuitatis Lauelli pro animalibus Ecclesiæ Compsanæ ius aquandi, & pasculandi in territorio Lauelli in perpetuum pro animabus Rogerij & Guillelmi Regum, & Aluciæ Reginæ, & post laudabilia virtutum opera ornata, in tumba lapidea in sua mœnia Compsana, quam rexerat Ecclesiam in Domino, magna cum populi deuotione quieuit.*

5. GERVASIVS, cuius memoria sola. eiusdem facultatis concessæ anno 1184. Rogerio de Lamano,vt posset construere Ecclesiam Sanctæ Mariæ, omniumque Sanctorum sub annuo censu quinque lib. ceræ perpetuò Ecclesiæ Compsanæ soluendarum, ad nos emanauit, reliqua eius Acta & annus obitus ignorantur.

6. PANTALEO fuit Archiepiscopus anno 1200. ex tabulis, quæ docent illum eodem anno ab Innocentio III. confirmationem suæ Diœcesis obtinuisse, priuilegium non vidi, in regestris Vatic. tamen literam offendi ad ipsum scriptam 9.Kal. Decembris anno Pontificatus 5. num.25. qua tempestate Ecclesiam S. Veneris dono accepit à Tracirio Domino montis Viridis, ac Magalda eius vxore, excessit sub Honorio III. ac diu Ecclesia hæc vacua fuit, vt testatur idem Honorius in literis ad Federicum II. Imper. scriptis de electione Andreæ successoris.

7. ANDREAS Prior Ecclesiæ S. Mariæ Nonæ de Vrbe tunc Canonicorum Regularium, ad Archiepiscopatum Compsanum euectus est ab Honorio III. anno 1225. de cuius promotione extat vt diximus testimonium Honorij ad Federicum in literis Dat. Reate 7.Kalend. Decemb. anno 10. in regest. Vatic. ep.55.fol.87. quas retulimus in primo nostro tomo in Episcopis Auersanis. Hic etiam confirmationem habuit Ecclesiæ Sanctæ Veneris ab Henrico de Captosia Domino Rapollæ, & Citernæ, ac Barone Balbani, quam extare dicunt in Episcopij tabulario. Cætera huius Andreæ acta incognita.

8. NICOLAVM Bonifacij, vel de Bonifacijs nobilem Canonicum Neapolitanum Innocentius IV. Compsanum creauit Archiepiscopum anno 1254. vt ex reg. Vatic. ep.648. fol.90. ann. pontif. 11. Datum Later. 8.Kal.Martij. Obijsse creditur anno 1273.

9. M. AN-

9. M. ANDREAS de Alberto Compsanus electus Gregorij X. temporibus 1274. memoratur in epistola eiusdem Pontificis ad Capuanum Archiepiscopum Lugduni 15. Kal. Septemb. anno pontif. 3. eidem committendo, vt si illum canonicè electum inuenerit, Apostolica auctoritate confirmet, ep. est in reg. Vatic. num. 27. fol. 136. Andreæ meminit Appendix Chronic. Andreæ Danduli an. 1277. quo anno videtur excessisse iam confirmatus.

10. STEPHANVS de Orinigo Monachus Monasterij de Vidolbono Ordinis Cisterciensis Mediolanensis Diœcesis, magnæ existimationis vir, à Capitulo in demortui Archiepiscopi locum concordibus suffragijs electus est Compsanus Archiepiscopus anno 1278. vel sequentis initio, qui cum gratias egisset, onus subire noluit, & electioni de se factæ in manibus Nicolai III. liberè nuncium remisit ex regest. Vatic. ep. 122. fol. 176.

11. Fr. LAVRENTIVS Blundi Tudertinus Ord. Prædic. Sacræ Theologiæ insignis Laureatus, ob egregiam virtutem à Nicolao III. cedente Stephano, Compsanus Archiepiscopus inauguratus est anno 1289. Id. Iunij Pallium accepit à Iacobo Diacon. Card. Sanctæ Mariæ in Cosmedin, vt in epist. 127. fol. 176. ann. 2. Nicolai regest. Vatic. cuius initium, *In superna dignitatis*, &c. Præfuit omnibus charus, & bene visus plus minus annis 4. eo verò defuncto, à Compsanis Canonicis duo fuerunt electi Matthæus Protonobilissimus insignis doctor, & Apostolicus Cappellanus, atque religiosus vir frater Petrus Ordinis Minorum, qui liberè electioni cesserunt: tunc à Pontifice, Laurentio subrogatus est, qui sequitur.

12. ADENVLPHVS Archiepiscopus Brundisinus ad hanc Compsanam Sedem translatus est à Bonifacio VIII. anno 1296. Kalend. Octob. ann. 2. cuius translationis diploma legi in ep. 398. fol 92. regest. Vatic. sedit ann. 4. & translatus item est ad Beneuentanam Ecclesiam ab eodem Pontifice anno 1300.



13. Fr. CONSILIVS Gattus Viterbiensis nobili familia natus, ex Ord. Præd. olim Martini IV. Cappellanus, & Pœnitentiarius, deinde Archiepiscopus Arborensis in Sardinia. Hic vbi paucos menses, aut vnum fortasse annum sedisset in ea Ecclesia Arborensi, euectus est ad hanc Compsanam anno 1300. 7. Kal. Febr. In patria è vita discessit 1308 iacet in Ecclesia S. Mariæ ad Gradus, vbi lac religionis primùm sumpserat, hoc habet epitaphium in saxea tumba.

Frater Consilius Gattus Viterbiensis Ord. Præd. Martini IV. Cappellanus, & Pœnitentiarius, Archiepiscopus Arborensis, & Consensis, ac Sacelli Sancti Pauli in Conuentu fundator. hic iacet anno M.CCCVIII.

14. LEO de Monticulo Compsanus Canonicus, post mortem Consilij à Saniori parte Capituli electus est Archiepiscopus, cum alia pars Franciscum Episcopum Caietanum delegisset, dum in Romana Curia inter se disceptarent, tandem post multorum annorum spatium Ioannes XXIII. Compsanæ infulæ Leoni detulit honorem 3. Kalend. Martij 1327. pontificatus sui anno 11. consecratus in Curia à Bertrando Episcopo Card. Tusculano. Hic cum esset ingentis animi vir, & Ecclesiasticę iurisdictionis acerrimus defensor, inter alios diris deuouit Rogerium Oliueti Baronem Vassallagia, vt vocant, Ecclesiæ S. Mariæ de foris occupantem, compulitque ad satisfactionem anno 1332. Vixit summa nominis sui fama ad annum vsque 1334. quo extrema clausit, sepultusque est in sua Cathedrali.

15. PETRVS ex Archidiacono successit Leoni electus à Capitulo, & confirmatus ab Ioanne XXII. 3. Kal. Nou. 1334. Interfuit dedicationi Ecclesiæ S. Claræ de Neapoli, vt proloquitur ibidem exarata inscriptio. Conflari fecit campanas maximas Compsanæ Ecclesiæ. Obijt anno 1346.

16. LAVRENTIVS ex Episcopo S. Angeli Lombardorum à Clemente VI. subuectus est ad Compsanum Sacerdotium anno 1346. 3. Id. Decembris ex reg. Vatic. mortem obijt anno 1351.

17. PHILIPPVS olim Archiepiscopus Thebanus, tunc Ydruntinus ad hanc Ecclesiam translatus est ab eodem Clemente VI. anno 1351. 15. Kal. Iulij, vt ex reg. Vat. lib. 1. epist. 66. fol. 42. ann. 10. pontif. Clementis creditur obiisse anno 1359.

18. BARTHOLOMÆVS successit Philippo an. 1359. quo, die 2. Iunij solitum seruitiū sacro Collegio ex lib. oblig. Innocētij VI. sedit an. 30. mortuus est sedente Bonifacio IX. iacet

iacet in Cathedrali tumuloque, quem sibi viuens parauerat. Bartholomæum hunc notatum auaritia inuenio ex cupiditatis ardore ab Vrbano V. in Epistola ad Petrum Neapolitanum Archiepiscopum, & Bernardum Sanctæ Sedis Nuncios, quã eis committit, vt inquirant qua versutia, quaue falsitate populum sibi commissum circumuenerit, asserendo facultatem obtinuisse ab Apostolica Sede, omnibus, qui in cœmeterio suæ Ecclesiæ sepelirẽtur, quod à pœna & culpa absoluerentur; quo cõmento notabilem pecuniæ summã, ac bona mobilia, ac immobilia à simplici populo extorserat, committẽs eisdem vt detecta veritate, pecunias, ac bona loco tuto reponant contra infideles subseruitura. Epistolæ exemplar è regest. exscripsit bonæ memoriæ Iulius Card. Sãctorius, quod inter eius monumenta pene infinita apud hæredes ipsemet vidi, & rescripsi in hunc modum.

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei.

Venerabili Fratri Petro Archiepiscopo Neapolitano & dilecto filio Berardo de paterno Præp. Ecclesia de Pesculo Custantio Valuen. Diœc. Apostolica Sedis Nuncio salutem & Apost. bened.

Grauis doloris nos pungit aculeus cum audimus quod fratres nostri. Archiepiscopi & Episcopi, qui sunt ad animarum suarum curam, & regimen deputati, proprijs quæstibus intendentes, illas decipiunt, & in propriæ damnationis bararhrum se demergũt. Nuper siquidem ad audientiam nostram fide digna relatione peruenit, quod . . Archiepiscopus Compsanen. ardore cupiditatis illectus iamdiu asseruit & asserit simplici populo se gratiam à Sede Apostolica obtinere, quod omnes, qui sepeliuntur in Cœmiterio suæ Ecclesiæ Compsanen. ob solutionis à pœna & culpa, vt eorum verbis vtamur, gratiam promererent; propter quod multi Christi fideles huiusmodi mendacium pro veritate credentes, præsertim tempore mortalitatis quæ in illis partibus viguit, in dicto Cœmiterio sunt sepulti, & ex donationibus & eleemosynis dum viuerent ac legatis, & funeralibus eorundem post ipsorum obitum multæ quantitates pecuniæ [illegible] Archiepiscopum, & Ecclesiam [illegible]. Nos igitur aduersus tam ex[illegible]bilem cupiditatem, & falsitatem nefariam [illegible] animarum eorundem dec[illegible]torum simplicium de opportunis prouidere remedijs intendentes, vt decipientibus non prosit iniquitas & deceptis simplicitas nocua non reddatur. Discretioni vestræ per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus vos, vel alter vestrum vocatis dicto Archiepiscopo, & alijs qui fuerint vocandi, de præmissis simpliciter, & de plano sine strepitu & figura iudicij inquiratis diligentius veritatem, & illa, quæ super eis inueneritis per manum publici tabellionis fideliter in scriptis redacta, vestrisque sigillis clausa nobis destinare curetis, voti[u]as verò huiusmodi, & alias res & bona quæcunque mobilia, & immobilia ab eisdem defunctis, seu pro eis data, donata, seu legata nomine nostro faciatis sequestrari seu deponi in vtilitatem generalis passagij, quod dudum ad Terram Sanctam, & contra Infideles partium Orientis indiximus, ex quo vera indulgentia eisdem animabus proueniet expendenda fideliter, prout duxerimus ordinandum. Contradictores, &c. Non obstan. fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, qua cauetur, ne aliquis extra suam Ciuitatem & Diœcesim nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ Diœcesis ad Iudicium euocetur, & de duabus editis in Concilio generali, & alijs Constitutionibus Apostolicis contrarijs quibuscunque, per quas præsentibus non expressas, vel totaliter non insertas effectus earum impediri valeat, quodlibet vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum specialis & expressa mentio in nostris literis sit habenda, seu si aliquibus coniunctim, vel diuisim à Sede Apostolica sit indultum, quod extra vel vltra certa loca ad iudicium euocari, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non faciẽtes plenam, expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi & eorum ordinibus, nominibus, & locis proprijs mentionem. *Datum Auenione xj. Kal. Ianuarij Anno secundo.*

19. MELLVS Prior Collegialis Ecclesiæ Sancti Ioannis de Mare Caietanæ Diœcesis hunc Archiepiscopatum adeptus an. 1390. 17. Kal. Aprilis per obitum Bartholomæi, vt memoratur in lib. oblig. Præl. sub eodem Pontifice. Tunc temporis à Pseudopontifice Clemente VII. quidam Nicolaus in hanc Compsanam Ecclesiã intrusus est: Mellus verò vario euentu sedit plures annos, fuitque vna cum Leonardo de Afflicto egregio Iuriscõsulto Ladislai Regis in Regno Siciliæ Generali Vicario; Floruit etiam sub Gregorio XII. Papa, qui illum anno 1412. suum Commissarium cum Nicolao Archiepiscopatus Neapolitani administratore, & Episcopo Mutenensi Francisco, Neapolim adlegit, vnicum hocce testimonium Melli habemus in regio regest. Ladislai Regis.

20. NICOLAVS vixit M[artini] V. temporibus, à quo, anno 1422. die 13. Iunij translatus est ad Ecclesiam Rossanensem in Calabria, translationis meminit lib. Prouisionum Prælatorum eiusdem Pontificis.

21. GA-



21. GASPAR de Diano nobilis ciuis & Episcopus Teanensis ad hanc Compsanam Ecclesiam translatus est eodem anno 1422. ac die 13. Kal. Iunij anno 1431. erat Vrbis in spiritualibus Eugenij IV. Vicarius, & Cleri reformator, vna cum Daniele Episcopo Potentino. Hic egregiè Compsanam Cathedralem exornauit, sacraque suppellectile locupletauit, deinde euasit Neapolitanus Archiepiscopus anno 1438. de quo vide supra in Archiepiscopis Neapolitanis.



22. LATINVS Vrsinus Romanus adlectus Compsanensis Archiepiscopus die 6. Id. Martij ann. 1438. mox translatus ad Tranensem Ecclesiam, inde euasit Barensis, & S.R.E. Cardinalis, de quo alibi.

23. Fr. RAYMVNDVS de Strangulo Calaber, Monachus & Abbas S. Viti Ordinis S. Basilij factus est Episcopus Sanctæ Agathæ Gothorum à Martino V. inde translatus ad Boianensem Ecclesiam ab Eugenio IV. ab eodem anno 1439. die 1. Iulij Compsanum Archiepiscopatum suscepit, qui Florentino Concilio interfuit, Latinis, Græcisque literis versatissimus, doctusque Theologus magnam sibi existimationem peperit apud Concilij Patres, sedit eximia nominis sui fama annis 16. excessit anno 1455. in Cathedrali humatur.

A 24. IOANNES de Comitibus Romanus, Grati filius, genere illustri Romano natus, cum esset Apostolicus Subdiaconus à Calixto III. electus est Compsanus Archiepiscopus 26. Ianuarij 1456. possessionem adeptus illam adiuit: Hanc bene rexit Ecclesiam ann. 28. quem, virum magnæ existimationis Roma in senectute purpurascentem vidit. Illum Sixtus IV. Presbyterum Cardinalem tit. S. Vitalis creauit anno 1483. 7. Kal. Ian. sequenti anno ad fauorem Nicolai Grati ex sorore nepotis Compsanam Ecclesiam dimisit. Interfuit senex decrepitus Innocentij VIII. & Alexandri VI. electioni, sub quo Romæ excessit anno 1493. 13. Kal. Nouemb. corpus eius tumulatum est in Monasterio S. Mariç de

B Araçœli. Comitum familiæ nobilissimæ Genealogiam scripsit, ac publici iuris fecit bon. mem. Felix Contelorius.

25. NICOLAVS Gratus de Comitibus Romanus, Ioannis Card. ex sorore nepos Compsanus Archiepiscopus declaratus est à Sixto IV. Kal. Octobris anno 1484. electus tantum hanc rexit Ecclesiam ann. 10. & needum consecratus Romæ mortalitatem expleuit die 20. Septembris anno 1494. sepultus in maiorum sepulchro Ecclesiæ Aracœli cuius obitus diem commemorant Romana Diaria, tum & Acta Consistorialia.

26. FRANCISCVS de Comitibus Domicellus Romanus, Ioannis Card. nepos, filius Iacobi, & Elisabeth Carrafæ; post excessum Nicolai, ab Alexandro VI. declaratus est Compsanus Archiepiscopus anno 1494.

C die 8. Octobris, cuius domus Gallis prædæ fuit die 3. Ianuarij anni sequentis, dum illac pertransiret Carolus VIII. Francorum Rex, Neapolitanum Regnum petiturus. Franciscus adhuc electus, vix è militum manibus euasit illæsus. Erat Franciscus egregia indole, industria, pietate, ciuilium rerum peritiâ laudabilis, quibus virtutibus delectatus Leo X. illum Presb. Card. tit. S. Vitalis creauit anno 1517. Kal. Iunij, paucos post menses, hoc est 11. Septembris eiusdem anni Compsanæ Ecclesiæ nuncium remisit, quam fere semper absens ann. 23. administrauerat. Tiregij Velliternen. Diœcesis excessit an. 1521.

D 3. Non. Iulij ibidem sepultus. Hæredem ex testamento instituit Leonem X. Pontificem, cui commendauit Iacobum fratrem suum, Marium, & Eduardum ex Ioanne fratre prædefuncto nepotes, ac Octauium, Camillum, Martium, & Ioannem filios suos.

Leo omnia incomparabili liberalitate dono dedit, ac tradidit Francisci filijs.

27. CA-



27. CAMILLVS Iesualdus Neapolitanus Loisio III. Compsæ Comite, & Ioanna Sanseberina parentibus natus ex Protonotario Apostolico à Leone X. ad Compsanam Ecclesiam prouectus est anno 1517. die 11. Septembris. Præfuit an. 18. laudabili virtute, ac profectu eiusdem Ecclesiæ, quam resignauit an. 1535. die 14. Iunij, deinde à Paulo III. data est in administrationem Vincentio Cardinali Palmerio, qui illam post paucos dies ad fauorem Troiani sequentis dimisit.

28. TROIANVS Iesualdus Neapolitanus Camilli nepos, Fabritij Compsæ Comitis III. & Sueuæ Caracciolæ filius ex resignatione Card. Palmerij Compsanorum Pontifex fuit creatus à Paulo III. die 16. Iulij 1535. Obijt anno 1539. De Iesualda gente legendus Scipio Ammiratus de nobilibus familijs Neapolitanis, vbi pauca de ijs Iesualdis Præsulibus scribit.

29. NICOLAVS Card. de Sermoneta Compsanam Ecclesiam suscepit administrandam die 8. August. 1539. qui cum ad Capuanam Ecclesiam fuisset translatus anno 1546. hanc liberam remisit. De eo plura alibi diximus.

30. MARCELLVS Card. Crescentius, olim Marsorum Episcopus ex dimissione Card. Caietani Compsanam Ecclesiam administrandam cepit anno 1546 26. Aprilis. Veronæ defunctus est 1552. Kalend. Iunij sacri Concilii Tridentini Legatus, corpus Romam relatum apud Basilicam Liberianam honorificam sepulturam accepit.

† †

†



31. Fr. AMBROSIVS Catharinus de Politis Senis in Etruria nobili genere natus Laucellotti nomen tulit; quod dum Florentiæ in Cœnobio S. Marci Prædicatorij Ordinis regeneraretur, in Ambrosium Catharinum in honorem S. Catharinæ, & B. Ambrosij Sansedonij, quorum erat deuotissimus, commutauit anno ætatis suæ trigesimo. Is altissimi, & feracissimi ingenij subtilitate excelluit, adeoque in iurisprudentia, in scholastica philosophia, ac Theologia, cæterisque liberalibus disciplinis, vt nemini illorum inuideret, qui suo æuo in cœtuum sacrorum, secularium que gymnasijs floruere: cuius ingenij fœcunditas, animique dotes apud Pontifices maximos ita in pretio fuere, vt Leo X. inter Consistoriales Aduocatos asciuerit, Paulus III. Episcopum Minorensem creauerit, & ad Tridentinum Concilium miserit, in quo in Lutherum, impiumque Erasmum, linguam, stilumque strinxit. Iulius verò Tertius, quem Politus iuuenis adhuc in legalibus disciplinis erudierat, Compsano Archiepiscopatu exornauit anno 1552. die 3. Iunij, sed diuturnior haud ea dignitas Ambrosio fuit; siquidem, dum à Iulio purpura decorandus ad aulam vocaretur, Neapoli die 8. Nouembris 1553. excessit è viuis apud suos Dominicanos sepultus, vir vtique memorandus, qui plura reliquit sui ingenij monumenta, quorum partem ad vtilitatem mortalium expressere præla, partim suorum Bibliotheca manuscripta excepit. Ambrosij vitam, eiusque monumenta breui elogio ediderunt plures; nouissimè eruditus, nec semel, sed parcè laudatus Carolus Chartarius in Aduocatorum sacri Consistorij Syllabo, quæ ne repetam, calamum cohibeo, satisque erunt hæc pauca de Ambrosio dignissimo Præsule dixisse, elogium tamen in nigro marmore sculptum, quod Senis in Ecclesia S. Francisci Politæ familiæ mihi aliquando contigit videre, haud prætermittam, cum in eo paucis verbis Acta eiusdem, & virtutes recenseantur.

D. O. M.

Lancillotto Polito Comptæ Archiepiscopo, quem sicuti primis ab annis Virtutes principes complexæ sunt omnes,
Sic ad ætatis vsque vesperam mirificè semper exornarunt.
Is xvi. ætatis suæ anno vtriusque iuris lauream adeptus
In Senensi Gymnasio publico professus ingentique laude nondum xxv. attingens, mille axiomatibus
In celeberrimis Italiæ, ac Galliæ Academijs strenuè defensis,
Romæ Consistorialis Aulæ aduocatus est factus. Tandem studia illa & honores pertæsus mutato nomine in Ambrosium Catharinum
Ante annum xxx. Dominicanæ familiæ nomen dedit,
Ex qua mox à Paulo III. ad Episcopatum Minoritanum euectus ad sacrum Concilium missus,
Ibi in sustinendo sententiæ certamine aduersus veritatis hostes nullis non ostendit lumen animi, consilijque sui. Demum à Iulio III. vocatus
A quo prius etiam Compsæ Archiepisc. renunciatus fuerat dum Romam ad amplissimos purpuræ honores proficiscitur, honoribus maior Neapoli decessit
Plurimis ingenij monumentis posteris datis
Anno ætatis suæ LXX. salutis humanæ MDLIII.
Clemens Politus Episcopus Grossetanus Patruo optimo, ac de se optimè merito Pos. Anno Domini MDCVI.

33. Fr. HIERONYMVS Muzzarellus Bononiensis Ord. Præd. gemina lingua & Sancta, ac Theologica facultate insignis, probusque vir, ex Sacri Apostolici Palatij Magistro, Catharino virtutis æmulo successit ann. 1553. die 11. Decembris. Libertatis Ecclesiasticæ defendendæ studio maximè deflagrauit. Clarus in Concilio Tridentino fuit, & legatione Apostolici Nuncij functus apud Carolum V. Imper. pro Iulio III. summæ existimationis sibi gloriam peperit. Sedit fama incorrupta ann. 8. Salerni mortuus est anno 1561. iacet in Ecclesia Sanctæ Mariæ. Bononiæ in templo S. Dominici, vbi Hieronymus religionis habitum sumpserat, in nigro lapide posteri eius hoc honorarium cœnotaphium excitarunt.

D. O. M.

F. Hieronymo Muzzarello nob. Bonon. ex Ord. Præd. viro doctissimo, & linguarum Hebraicæ, & Græcæ perit. Inquisitori, & Priori Bononiæ.
Tridētinæ Synodi inchoatæ spect.
Qui Sacri Palatij Magister.
Neapol. Reg. vnus ex IV. Inquisit. ac tandem à Iulio III. Pont. Max. Compsæ Archiep. creatus ad Carolum V. Imperatorem Nuncius Apostol. Legatus omnia hæc munera omnibus absoluit numeris, iam tanti proaui nequaquam immemor pronepos Gaspar Muzzarellus hoc monumentum posuit. Anno Domini MDCXXVIII.



34. ALPHONSVS Card. Iesualdus, Aloysij

A Aloyſij Compſæ Comitis, ac Principis Venuſiæ filius ex Iſabella Fenella Alphonſi Muri Comitis filia, Compſanæ Eccleſiæ tertius Ieſualdæ gentis Archiepiſcopus, perpetuuſque adminiſtrator delectus à Pio IV. anno 1563 die prima Martij, à quo purpura fuerat exornatus. Præfuit ſumma cum virtute, ac laude ann. 10. quibus Archiepiſcopatum ita reſtituit, auxit, & ampliauit, vt eius non modò rector, ſed fundator dici conuenientiſſimè ac meritò debeat, ac poſſit. Illum reſignauit anno 1572. euaſitque deindè Neapolitanus Archiepiſcopus, & Sacri Collegij Decanus ſub Clemente VIII. Exceſſit Neapoli Princeps omni æuo memorandus anno 1603. de quo vide ſeriem noſtram Neapolitanorum Archiepiſcoporum, vbi de eo plura.



C 35. SALVATOR Caracciolus Neapolitanus Card. Ieſualdi Superioris ex ſorore nepos, Clericus Regularis Theatinus, natalibus clarus, religione conſpicuus, Græcè, Latinè, omniumque ſcientiarum genere eruditus, inuitus trahitur ex dimiſſione Patruelis ad Compſanum Sacerdotium die 19. Nouembris 1572. inauguratus Romæ ab eodem Cardinali in Quirinali Sancti Silueſtri Aede, vbi Præpoſitum egerat. Compſam ſtatim ſe contulit, exceptus ingenti gratulatione fuit. Verùm Saluator cum Inſula haud quaquam Clericorum Regularium demutauit mores; ſed ſeipſo ſemper cum dignitate maior effectus, vitam in ea traduxit ſanctiſſimam. Cleri mores, diſciplinamque Eccleſiaſticam, non D modò ordinationibus, legibuſq; inſtaurauit, ſed inſigni exemplo etiam cœpit inſtituere: Siquidem diuinis officijs aſſiduus aderat. Præter priuatas in Conclaui preces, meditari publicè in templo integra quotidie hora conſueuerat. Singulis diebus feſtiuis concionem ad populum habebat, admirabili dictionis côtentione, ac fructu. In côfeſſionibus paſſim, ac nullo delectu excipiendis totus erat, quo quidem in miniſterio, fideique capita tradere incomparabili quadam alacritate, animiq; conſtantia videbatur. Praclarum id Antiſtitis inſtitutum, ac ardor Compſanos mirificè affecit, vt eum venerari ſupra hominem in-

cœperint. At non diuturna fuit iſta felicitas erepta nimirum intra annum eo acriore deſiderio, quo deguſtauerât iam ſpecimen præſtâ riſſimæ eius virtutis: ibi namq; gregê ſibi cômiſſum nunquam, vel tantiſper deſeruit, ratus nulla re magis, quam Paſtorum præſentia ſubditorû vrgeri ſalutem: laborû itaq; aſſiduitate, ac noxijs afflatibus cæli correptus febri è viuis, vt vixerat ſanctè deceſſit menſe Nouembris 1573. lugentibus cunctis. Eius corpus conditum tum quidem in Metropolitana Eccleſia, ſed conſanguineorum deinde opera Neapolim translatum fuit in Paulino Cœmeterio, & apud ſuos Regulares Clericos reconditum, ſucceſſorum ſuorum decus, lumen, B & norma futurus. Huius maximi ob præclaram vitæ ſanctitatem Compſani Archipræſulis cum laude meminere Sylos, Tufus, alij que Regulariû Clericorum ſcriptores, cuius item ſempiterna memoria apud Campſanos in benedictione erit.

36. MARCVS ANTONIVS Piſcara Neapolitanus Aquæ formoſæ in Calabria Abbas Commendatarius, in defuncti Saluatoris locû electus eſt Archiepiſcopus die 15. Martij 1574. de quo nihil habeo compertum, niſi quod vita functus fuerit anno 1587.



37. SCIPIO Ieſualdus Hectoris ex Victoria Capana filius, Abbas ſæcularis Archipræſulatum hunc adeptus eſt anno 1587. exceſſit ſub Paulo V. anno 1608.



38. BARTHOLOMÆVS Cardinalis Ceſius

Ceſius Scipioni ſuffe[illegible]us eſt die 3. Martij 1608. Sedit ann. ſex, ac liber eo munere abiuit, deinde Tiburtinam Eccleſiam accepit anno 1621. die 5. menſis Maij, vt in noſtro primo tomo in Epiſcopis diximus, vbi ex incogitantia Typographi Cuſentinus, pro Cōpſano legitur. Defunctus eſt anno 1622. die 18. Octobris, cadauer Romam delatum in ſuæ gentis ſacello apud Liberianam Baſilicam tumulatum eſt.

39. CVRTIVS Coccius electus die 3. Martij 1614. obijt 1622.



40. FABIVS de Leguniſſa Neapolitanus filius Ioan. Baptiſtæ & Felicitatis Caracco[læ], clarus genere, virtute clariſſimus à Greg. XV. ſuble[t]us eſt Archiepiſcopus die 21. Febr. an. 1622. pro Romana Eccleſia l[a]boribus & legationibus perſunctus electus Patriarcha Antiochenus, poſt[q]uam per annos 23. hanc b[e]ne re[x]iſſet Eccleſiam, onere ſe abdicauit anno 1645. viuit laudatiſſimus, ac venerab[i]lis ſe[ne]x adhuc in Vrbe, omni honore digniſſimus: qui mortis memor in ſacello Crucis ſuæ familiæ magnificè ædificato in Eccleſia Cœnobij Montis V[ir]ginis ſepulchrum ſibi parauit hac inſcrip[tion]e ornatu[m].

Humanæ libertati in Cruce
Aſſertori, ac Vindici
Ref[ix]o demum e Cruce
E Genitricis gremio ad tumuli ſinum
Gentilitium hoc ſacellum.
A Carolo I. maioribus donatum fuit.
Auguſtius refecit, magnificentius exornauit Fabius de Leguniſſa,
A Paulo V. Vtriuſque Signaturæ Referendarius

A *Sacræ fidei creatus Quæſitor in Melita*
Romæ S. Officij Comitijs adlectus
A Gregorio XV. Comptæ Archiepiſcop.
Iuſſus Ab Vrbano VIII. in Hiſpaniam cum Eminentiſſ. Barberino
miſſus pro ſanctæ pacis fœdere
Romæ Datarius, Pontificijque Sacelli
Aſſiſtens,
Apoſtolicus ad Belgas Nuncius.
Denique Patriarca Antiochenus
B *Hic ſepulchralem vrnam & ſuis cognatis cineribus eſſe voluit.*
In Deiparam, atque hunc Ordinem
amorem teſtatus.
Anno ſalutis MDCLII.

41. HERCVLES Rangonus Mutinenſis Epiſcopus S. Angeli Lombardorum ad Metropolitanam hanc Sedem translatus eſt die 23. O[cto]b. ann. 1645. obijt 1651.

42. FABRITIVS Campana Lucerinus Ord. Cœleſt[i]norum olim Generalis Abbas, inſignis ſacræ Theolog[iæ] Doctor, probuſque vi[r] ſucceſſit Rangono ann. 1651. die 22. Maij.
C Viuit.

S. ANGELI
de Lombardis
EPISCOPI.



SANCTI ANGELI, quam vulgus de Lombardis appellat, noua eſt Ciuitas ab Adriatico mari triginta milliaribus diſtans, gētis Ludouiſiæ Marchionatus titulo decorata. Quando fuerit cōſtructa, aut quis eius fuerit auctor, nullus retulit in com-

mentarlis. Constat tamen & fert inueterata accolarum traditio, à condita Christiana salute post plura sæcula, à Longobardis fuisse ædificatam, atq; deinceps sub Gregorio VII. vel Vrbano II. Romanis Pontificibus, tum Episcopalem dignitatem, tum ciuitatis honorificum tulisse cognomen, ac Suffraganeã Compsanæ nouæ Metropoli attributam fuisse. Angustis hæc ciuitas præficitur cancellis, Cathedralis S. Antonino Martyri dedicata est, angustæ quidem structuræ, sed rebus ad diuinum cultum necessarijs abundè ornata. Tribus dignitatibus fulget, Archidiaconatu, Cantoratu, & Archipresbyteratu, cui ipsius Cathedralis cura animarum incumbit, tanquã Ecclesiæ Parochiali cum nouem alijs Canonicis. Duæ aliæ Parochiales Ecclesiæ in ciuitate sunt, vnicum tantum Monasterium ibi est Conuentualium S. Francisci cum studentium Collegio: Sodalitia laicorum duo cum vnico Xenodochio. Diœcesis parua est, quæ tamen cum Bisaciensi coniuncta, cuius Episcopatum Clemens VII. cum hoc S. Angeli perpetua vnione connexuit; satis lata est pro loci conditione. Census harum simul coniunctarum Ecclesiarum sunt ad ducenta supra mille scuta ponderis illius Prouinciæ. Taxa illarum in libris Cameræ Apostolicæ est 130. florenorum. Episcopi qui in hac Ecclesia aliquando floruerunt, sequentes sunt, quorum ferè nuda nomina ex varijs monumentis expiscati sumus.



1. THOMAS, non quidem primus S. Angeli Episcopus fuit, sed primus, qui ad nostram peruenerit notitiã. Is interfuit Lateranensi Concilio sub Alexandro III. celebrato anno 1179. cui subscripsit post Herebertum Compsanum Metropolitanum suũ, huic qui successerit vsque ad annum 1346. Pontificatus Clementis VII. non inuenio.

2. LAVRENTIVS Episcopus S. Angeli translatus est ad Compsanam Metropolim anno 1346. 3. Id. Decembris.

3. Fr. PETRVS Ordinis Minorum successit Laurentio anno 1347. 2. Id. Feb. ex regest. Vatic. ep. 59. an. 5. Clementis VI. vix annum vnum sedit cum ad Triuentinam Ecclesiam translatus est 3. Kal. Iulij ex eodem regest. epist. 1. fol. 19. ann. 7. Clementis VI.

4. Fr. ROBERTVS Extore Ord. Eremitarũ S. Augustini electus Episcopus 3. Kal. Iulij 1348. ita in reg. Vatic. ep. 260. fol. 173. lib. 3. ann. 7. eiusdem Clementis. Excessit ann. 1359.

5. Fr. PETRVS Fabri de Armoniaco Ord. Minorum sublectus est an. 1359. 2. non. Februari.

6. ALEXANDER obijt 1398.

7. PETRVS suffectus est Alexandro an. 1398. 4. non. Decembris a Bonifacio IX. memoratur in lib. oblig. eiusdem Pontificis, excessit Martino V. sedente anno 1418.

8. ANTONIVS de Bagletta à Capitulo electus confirmatur à Martino V. an. 1418. Kal. Maij. Nouem omnino annis hanc eximiè rexit Ecclesiam, quam liberè dimisit anno 1427. & ingressus est religionem, vbi pie obijt.

9. Fr. PETRVS de Agello Monachus Ord. Cœlestinorum ex Priore S. Eusebij de Vrbe factus est Episcopus die 5. Nouembris 1427. vt narrant Acta Consistorialia. Præfuit an. 21. & liberè se abdicauit.

10. POSSVLVS Domini Vrsonis ex Canon. co Surrentino successit Petro 5. Kal. Decembris 1448.

11. Fr. IACOBVS Ord. Eremitarũ S. Augustini, vir probus, & doctus, Episcopus fuit S. Angeli. Romæ è viuis decessit ann. 147[illegible] die 15. Ianuar. sepultusq; est in Ecclesia S. Augustini sub marmorea tabula, cum hoc epitaphio.

Iacobi Episcopi
S. Angeli de Lombardis
De Regula S. Augustini patris
grauissimi ac pij in hoc tumulo corpus sepultum tegitur.
MCCCCLXXVII.
die 15. Ianuarij.

12. MICHAEL suffectus Iacobo Kal. Maij 1477. Sedit ann. 8. [illegible]to cessit anno 1485.

13. ODOARDVS Ferro Archipresbyter Villæ magnæ Frequentinæ diœcesis, datus est successor Michaeli [illegible] 12. Aug. 1485. obijt 1491.

14. BLASIVS de Locha præficitur in Episcopum die 23 Ian. 1492. creditur obijsse sub Iulio II. annus ignoratur.

15. RAYNALDVS de Cancellarijs sub Iulio II. hanc Ecclesiam regendam suscepit,

Eo

Eo Præsule, Leo X. Pontificatus sui anno primo huic Ecclesiæ, Bisaciensem propiorem Episcopatum perpetua vnione connexuit, vt pauperiem vtrarumque Eccl. qua premebātur, leniùs sustinerent, hac tamen lege vnionem sanciuit, vt primo discedente, ex ijs, qui tunc illis præerat Ecclesijs superstes vtrarūque Episcopus esset. Verùm cedente Gaspare Bisaciensi, Leo, illa vice vnionem dissoluit, atque vtramque Ecclesiam iussit rem suam seorsim agere, attribuitque viduaræ Bisaciensi proprium pastorē Nicolaum Vulpem, qui cum ad Pauli III. pontificatum peruenisset, Raynaldo, adhuc in viuis agente, ex eiusdem Pauli diplomate accepit, primam Leonis vnionem ad perennitatem fuisse firmatam; lætatus est quam qui maximè, prospiciens Ecclesiæ suæ ex ea vnione futuram subleuandam inopiam. Nicolaus diem suum clausit extremum ante annum 1540. Superstite Raynaldo, sicque hæ duæ Ecclesiæ iungere fœdus coactæ sunt, ita factum est, vt duo olim disiuncti Episcopatus, vnum demum Pastorem agnoscerent, vt splendidius Episcopalem substinere possent personam. Pauli diploma ex authentico exemplari hic exhibeo ex lib. 35. fol. 213. bullarum regest. Vatic. exscriptum.

Paulus Episcopus seruus seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Æquum reputamus, & rationi consonū, vt ea, quæ de Romani Pontificis gratia processerunt, licet eius superueniente obitu, suum sortiantur effectum. Dudum siquidem fel. rec. Leo X. Prædecessor noster prouidè attendens, quod Bisacien. cui quondam Gaspar Bisacien. tunc in humanis agens, & Sancti Angeli Lombardorum, cui venerabilis frater noster Rainaldus S. Angeli Lombardorū Episcopi tunc præerant, Ecclesiam, fructus, redditus, & prouentus, qui insimul ducentorum florenorum auri de Camera secundum cōmunem æstimationem annuū non excedebant, adeò tenues & exiles existebant, quod propter illorum tenuitatem, & exilitatem, tam Gaspar, quam Raynaldus prædicti, & pro tempore existentes Bisacien. & S. Angeli Episcopi, ex illis verò respectiuè sustentare, & onera eis ratione regiminum, & administrationum dictarum Ecclesiarum incumbentia perferre commodè non possent, quodque si dictæ Ecclesiæ inuicem perpetuò vnirētur, annecterentur, & incorporarentur ipsi Ecclesiæ sub vnius Præsulis cura felicioribus incrementis proficere possent, habita supra ijs cum fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, eosdem Gasparem, & Rainaldum Episcopos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existebant ad effectum infrascripta dumtaxat consequen. absoluen. & absolutos fore censen. sub Datum Romæ 5. Idus Maij Pontificatus sui anno quinto Ecclesias prædictas de eorundem fratrum consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine inuicem perpetuò vniuit, annexit, & incorporauit, ita quod vnio annexio, & incorporatio huiusmodi, altero eorundem Gasparis & Rainaldi Episcoporum cedente, vel decedente, seu alterā ex Ecclesijs prædictis respectiuè præesse desinente, & illæ quouis modo vacando etiā apud Sedē Apostolicam plenum sortietur effectum, licebitque alteri eorundem Gasparis & Rainaldi Episcoporum superstiti, qui non cessisset, per se, vel alium, seu alios possessionem seu quasi regiminis, & administrationis, ac bonorum alterius Ecclesiæ huiusmodi propria authoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, illiusque fructus, redditus, & prouentus in suos & vniuscuiusq; Ecclesiarum vsus, & vtilitatē conuertere, cuiusuis licentia desuper minimè requisita: non obstante clausula qua dudum inter alia voluerat, quod semper in vnionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, & quibusuis alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesiarum huiusmodi iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate aliàs roboratis, statutis, & consuetudinibus; cæterisque contrarijs quibuscunque. Voluit autem idem Prædecessor, quod propter vnionem, annexionem & incorporationem huiusmodi dictæ Ecclesiæ in spiritualibus non lædrentur, & in temporalibus detrimenta sustinerent, sed earum congruè supportarentur onera consueta: ne autem de absolutione, vnione, annexione, & incorporatione, & posteriori voluntarij præsentis pro eo quod super illis dicti prædecessoris eius superueniente obitu literæ confectæ non fuerunt, valeant quomodolibet excitari, ac deutur, Rainaldus Episcopus, & de eius persona prædictus prædecessor postmodum eiusdem Ecclesiæ Bisacien. tunc per liberam ipsius Gasparis etiam tunc in humanis agen. cessionem de regimine & administratione eiusdem Ecclesiæ Bisacien. in manibus ipsius prædecessoris sponte factam, & per eundem prædecessorem vnionem, annexionem, & incorporationem huiusmodi de ipsius Rainaldi expresso consensu, ea vice dumtaxat suspendendo, & nō in eiusmodi, sed in alia, quæ primò per cessum, vel decessum, aut quauis alia dimissione infrascripti Nicolai Episcopi, & apud Sedem prædictam, & in suis manibus, aut alias quomodolibet occurreret, vacationis effectum sortiri & locum sibi vendicare debere prout eatundem primo vacatio occurreret, cuius effectum sortitum esse decernendo admissa, pastoris solatio destitutione eisdem authoritate, & consilio prouidet venerabilis frater noster Nicolaus Episcopus Bisacien. asserentes

vnionem, annexionem, & incorporationem huiusmodi aduersus diuersas reuocationes vnionum effectum non sortitarum, quæ postmodum à Sede prædicta emanarunt iteratis vicibus authoritate prædicta restitutas fuisse, illarum frustrentur effectu, volumus, & similiter authoritate prædicta Apostolica decernimus, quod absolutio, vnio, annexio, incorporatio, & voluntas Leonis prædecessoris huiusmodi à dicta die quinta mensis Maij suũ sortiantur effectum, perinde ac si super illis, ipsius Leonis prædecessoris literæ sub eiusdẽ diei data cõfectæ fuissent, prout superiùs narratur, quodque præsentes literæ ad probandũ plenè absolutionem, vnionem, annexionem, & incorporationem, & voluntatem Leonis prædicti huiusmodi vbique sufficiant, nec ad id probationem alterius adminiculum requiratur; quo circa alteri eorundem Rainaldi, & Nicolai Episcoporum superstiti, & qui non cesserit, per Apostolica scripta, quatenus curæ & administrationis onus Ecclesiæ primò, vt præfertur, vacaturę prompta deuotione suscipiens, easdem curam, & administrationẽ sic exercere studeat sollicitè, fideliter, & prudenter, quod Ecclesia ipsa gubernatione prouida & fructuoso administratore gaudeat, si commissam ipsi Episcopo superstiti, & qui nõ cesserit præter æternæ retributionis præmium, nostram & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde vberiùs cõsequi mereatur, nec non dilectis filijs Capitulo & vassallis alterius ipsarum Ecclesiarum primò, vt præfertur vacaturæ, ac Clero & populo illius ciuitatis, & diœcesis, & capitulum videlicet alteri eorundem Rainaldi, & Nicolai Episcoporum superstitis, & qui non cesserit, tanquam Patri, & Pastori animarum suarum humiliter intendentes exhibeant & obedientiam debitas, & deuotas, ac Clerus cum . . . . . & dictæ Sedis reuerentia benignè recipientes, & honorificè pertractando eius salubria monita & mandata suscipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent, Populus verò eum tanquam Patrem, & pastorem animarũ suarum deuote suscipientes, & debita honorificentia prosequendo eius monitis, & mandatis salubribus humiliter intendant ita, vt alter eorundem Nicolai, vel Rainaldi Episcoporum superstiti, & qui non cesserit, in eius deuotionem filios, & ipsi in eo Patrem beneuolum inuenisse gaudeant, vassalli autem prædicti alium eorundem Rainaldi, vel Nicolai Episcoporum superstitem, & qui non cesserit, debito honore prosequentes ei fidelitatem solitam, nec non consueta seruitia & iura sibi ab eis debita integrè exhibere procurẽt; alioquin sententiam siue pœnam quam alter eorundem Rainaldi, vel Nicolai Episcoporum superstes, & qui non cesserit, intulerit, siue statuerit in rebelles habebimus, & faciemus authore Domino vsque ad satisfactionẽ condignam inuiolabiliter obseruari, rogamusque & hortamur carissimum in Christo filiũ nostrum Carolum Romanorũ Imperatorem semper augustum, qui etiam Rex Siciliæ existit, & carissimam filiam in Christo nostram Ioannam Siciliæ Reginam, ac venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Compsanũ, eidem Archiepiscopo per Apostolica scripta mandantes, quatenus alterum eorundem Rainaldi, vel Nicolai Episcoporum superstitem, & qui non cesserit, ac alteram ipsarum Ecclesiarum primò, & pro se vacatura ipsius Archiepiscopi Suffraganeam habentes pro nostra, & dictæ Sedis reuerentia propensiùs commendatas in ampliandis, & conseruandis iuribus suis sic eos benigni fauoris auxilio prosequantur, vt alter eorum Rainaldi, vel Nicolai Episcoporum Superstes, & qui non cesserit, eorum fultus præsidio in commisso sibi eiusdem Ecclesiæ regimine possit Deo propitio prosperari, ac Carolo Imperatori, & Ioannæ Reginæ à Deo perennis vitæ præmium consequi, & à nobis condigna prouenia tactio gratiarum, ipseque Archiepiscopus diuinam gratiam, ac nostram & eiusdem Sedis benedictionem valeat exinde vberius promereri. Volumus autem, quod antequam alter eorundem Rainaldi & Nicolai Episcoporum superstes, & qui non cesserit, in regimine & administratione alterius ipsarum Ecclesiarum primo & pro se vacaturæ in aliquo se immisceat, in manibus venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscopi Granaten. & Episcopi Corduben. seu alterius eorum fidelitatis debitæ solitum præstet iuramentũ iuxta formã præsentibus annotatam, quibus, & vtriq; eorum tenore præsentium committimus, & mandamus, vt ipsi, vel alter eorum nostro, & dictæ Ecclesiæ nomine huiusmodi recipiant, seu recipiat iuramentum; formam autem iuramenti per alterum eorundem Nicolai, vel Rainaldi Episcoporum Superstitẽ, & qui non cesserit, præstandi, quam nobis de verbo ad verbum per suas patentes literas suo sigillo munitas quantò citiùs destinare procuret, talis est. Ego N. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, Sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, ac Domino Nostro Beatissimo Paulo Papæ III. suisque successoribus canonicè intrantibus, non ero in consilio, vel consensu, aut fœdere, vt vitam perdant, aut membrum, seu capiãtur mala captione, aut in eis manus violenter quomodolibet inferantur, vel aliquid eis inferant quouis quæsito colore: Consilium verò quatenus mihi credituri sunt per se, aut nuncios, vel literas ad eorum damnum nesciente nemini fraudent, Papatum Romanũ & Regalia S. Petri adiutor eis ero ad retinendum, & defendendum contra omnem hominem, Legatum Apostolicæ Sedis in eundo & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adiuuabo, iura, honores Pontificia, & authoritatẽ Romanæ Ecclesiæ & Domini Nostri Papę, ac Successorum prędictorum conseruare, defendere, augere, & pro-

mo-

mouere curabo, nec ero in consilio, fœdere, vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum Nostrum, vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra, vel præiudicialia personarum iuris, honoris, status, & potestatis eorum machinent, & si talia à quibuscunque tractari, vel procurari nouero, impediam hoc pro posse, & quantò citiùs potero commodè significabo eidem Domino Nostro Papæ, vel alteri, per quem ad ipsius notitiam peruenire possit, regulas Sanctorum Patrum de vita, ordinationes, sententias, dispositiones, reseruationes, prouisiones, & mandata Apostolica totis viribus obseruabo, & faciam ab alijs obseruari. Hæreticos, Schismaticos, & Rebelles D. N. & successoribus prædictis pro posse persequar, & impugnabo, vocatus ad Synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonica prepeditione. Apostolorum limina existens citra, singulis annis, vltra verò montes singulis biennijs visitabo, aut per me, aut meum nuncium, nisi Apostolica absoluat licentia, possessiones verò ad meam mensam pertinentes non vendam, neque donabo, neque pignorabo, neque de nouo infeudabo, vel aliquo alio modo alienabo etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ, neque inconsulto Romano Pontifice, sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia. *Datum Romæ apud Sancti Petri Palatium anno Incarnationis millesimo quingentesimo trigesimo quarto tertio nonas Nouembris. Pontificatus nostri anno primo.*

Cæterum Raynaldus senio fessus an. 1542. ad fauorem nepotis nuncium remisit, paulòq; post fato cessit.

16. VALERIVS de Cancellarijs S. Petri militis, Raynaldi ex fratre nepos delectus est S. Angeli, & Bisaciensis Episcopus die 11. Octobris 1542. decessit anno 1574.

17. PETRVS ANTONIVS de Vicedominis defuncto Valerio successit die 17. Nouembris 1574. ad Auellinensem Sedem translatus est à Gregorio XIII. die 4. Nouemb. 1580.

18. IO. BAPTISTA Petra lata electus die 12. Decemb. 1580. Sedit ann. 5.

19. ANTONELLVS Fulgure de Auersa die 27. Ianuarij 1565. harum Ecclesiarum Episcopus pronunciatus est. Obijt anno 1590.

20. FLAMINIVS Turricella, adlectus die 30. Ianuar. 1591. à Gregorio XIV. excessit ann. 1600.

21. GASPAR Palutius Albertonius Romanus clara stirpe natus, Nepos Vrbani VII. Pont. Max. ex consobrina, Vtriusque Signaturæ Referendarius, Clementis VIII. Paulique V. in paucis charus, Romanæque Aulæ peritus, & candore morum spectabilis, dignus habitus est, quem Clemens idem VIII. harum ciuitatum Episcopum eligeret die 4. Aprilis 1601. post varias indè præfecturas eximiè obitas, Vmbriæ quoque & Patrimonij Prolegatus fuit, & Pauli V. in Lusitania Nuncius, ibidem extrema clausit anno 1614. eius ossa Romam delata in maiorum Sacello Araçlanæ Ecclesiæ, nobili marmoreo tumulo recondita sunt, addita inscriptione sequenti.

D. O. M.

Gaspari Palutio Patritio Ro*mano ex antiquissima Albertonorum familia, Vrbani VII. Pont. Max. ex consobrina nepoti, & vtriusque Signaturæ* Re*ferendario & Abbreuiatori de Parco maiori Sancti Angeli & Bisacij Episcopo, inter assistentes descripto post varias Præfecturas mira cum laude obitas Prouinciæ Patrimonij, & Vmbriæ Prolegato ac denique Pauli V. apud Philippum Hispaniarum Regem Catholicum in Regno Lusitaniæ Nuncio, vbique magno, innocenti claro, immatura morte anno ætatis suæ XLVIII. Lusitaniæ legationis quinto, terrenorum loco præmiorum, quæ propediem eum consequntura videbantur, ad cælestia euolauit. Balthassar Palutius Albertonius Miles S. Iacobi de Spata Hispaniarum, ossibus è Lusitania translatis inque hoc Albertonorum sacello conditis Fratri coniunctissimo non sine lachrymis posuit. An. salut. MDCXXIV.*

22. FRANCISCVS Dietalenius, eunte Gaspare, harum Ecclesiarum Episcopatum intrauit die 12. Iulij 1614. atque octauo post anno mortuus est scilicet anno 1622.

23. HERCVLES Rangonus Mutinensis legitur Episcopatum gessisse ab ann. 1622. 7. Maij vsque ad annum 1645. quo ad Metropolitanam Sedem Compsanam translatus est.

24. GREGORIVS Coppinus Monachus

A chus Cassinensis fit Episcopus ab Innocentio X. anno 1645. die 12. Iunij, mortuus est in Monasterio Cassinensi, dum suam proficisceretur Ecclesiam eodem anno.

25. ALEXANDER Sanzilla Episcopus Triuicanensis ad has Ecclesias translatus die 12. Martij 1646. breui tempore eas rexit, eodemque anno defunctus.




26. Fr. IGNATIVS Ciantes Romanus Ord. Prædicat. germanus frater Iosephi Episcopi Marsicensis non solum ob generis nobilitatem, sed etiam ob morum, doctrinæque præstantiam ad Episcopalem dignitatem euectus est ab Innocentio X. anno 1646. die 17. Decembris scripsit, ediditque dignissimus Præsul sui Ordinis Prædicatorum Ceremoniale, aliaque sui ingenij monumenta præ manibus habet, quem adhuc viuentem promeritis laudibus haud onerabimus importunè.

BISACIENSES EPISCOPI.



BISACIA in Hirpinis, editoque Apennini montis colle posita, duodecim circiter milliarib. à Truento, totidemque à S. Angelo Lombardorum distita, non quidem magna, sed parua, tum habitatoribus, tum ædificijs. Hanc fuisse olim vetustam Romuleam ex Itinerarijs Antonini Cluuerius scribit, cuius meminit Liuius lib. 10. in Consulatu L. Cornelij Scipionis, & Cn. Fuluij Centumali, anno post Romam conditam CCCCLV. ante natū Christum CCXCVIII. Eius etiam meminit Stephanus de vrbibus, & Sigonius in scholijs ad Liuium. Bisaciensis Episcopatus, quem & Bisanensem, & Bisechiensem vocatum lego in vetustis Prouincialibus, antiquius est inter recentiores Compsanæ Metropolis Suffraganeus, nunc vnitus ab anno 1513. cum Episcopatu S. Angeli de Lombardis. Ecclesia Cathedralis Deiparæ Virgini nascenti dicata tres habet dignitates, quarum prima est Cantoratus, Primiceratus, B & Thesaurarij cum nouem alijs Canonicis. In Ciuitate nulla alia est Parochialis Ecclesia præter Cathedralem, vnum adest Franciscanorum Monasterium, Hospitalis domus vna, & quatuor laicorum sodalitia. Illustrauit nomen vrbis Bisaciæ Bartholomæus Borellus Iurisconsultus insignis. Diœcesis Bisaciensis angustissima est duobus Castris, nempè Vallata, & Mora; totidemque parochialibus Ecclesijs constat, quibus sub Archipresbytero duodecim alij Sacerdotes inseruiunt. Annui redditus mensæ Episcopalis pauperrimi erāt, quibus Antistes haud poterat suam cum dignitate sustinere personam, taxa erat in lib. Cameræ Apostolicæ flor. 30. Porro Episcopi, qui huic Ecclesiæ ante vnionem cum S. Ange- C lo præfuerunt, sequentes sunt eadem diligentia à nobis ex varijs monumentis expiscati.



D

1. RICHARDVS Episcopus Bisaciensis in Lateranensi Concilio sub Alexandro III. celebrato anno 1179. reperitur subscriptus post Ioannem S. Angeli Episcopum, veluti Compsanæ Ecclesiæ Suffraganeus.

2. LAVDATVS Caietanæ Ecclesiæ Primicerius à Nicolao electo Compsano Archiepiscopo in memoriam Adenulphi bonæ memoriæ Episcopi Caietani laudati auunculi, renūciatus est Bisaciensis Episcopus an. 1254. eodem anno confirmatur ab Innocentio IV. Pontifice 2. Kal. Octobris ex Epist. Vatic. reg. num. 242.

num.242. fol.179. anno pontificatus 12.Dat. Anagniæ, tempus Sedis, & obitus annum non habemus.

3. ZACCHARIAS huius Ecclesiæ Antistes interfuit fundationi Ecclesiæ Vallis-Viridis Diœcesis Bouinæ anno 1265. nec de eo quicquam aliud habemus, potuit obijsse sub Martino IV. sub quo, anno 1282. pontific.2. Bisaciensis Ecclesia viduata erat pastore.

4. BENEDICTVS Episcopus Bisaciensis translatus fuit ad Auellinensem Ecclesiam à Nicolao IV. anno 1288. Kal.Maij eiusdem pontific.primo, ex epist.245. fol.56. reg. Vatic. Crediderim hunc post Zachariam hanc Ecclesiam suscepisse regendam.

5. FRANCISCVS erat huius Ecclesiæ Præsul anno 1310. quo à Clemente V. translatus est ad Asculanam Ecclesiam in Apulia, antea postulatus à Capitulo 4. Kal. Iulij an. pontific. 5. ep.456. tom.3.reg.Vatic.

6. IACOBVS Canonicus Cretensis electus tunc Agiensis Episcopus à Clemente V. translatus ad hanc Bisaciensem Ecclesiam, excessit anno 1328. Auenione.

7. Fr. IOANNES Ord. Minorum electus anno 1329. 3. Kal. Aprilis, defunctus antequam munus consecratoris acciperet.

8. Fr. FRANCISCVS de Bertagno Ord. Prædicatorum successit Iacobo eodem anno 1329. 3. Id. Septembris à Ioanne XXII. ann. pontif. 14. ex reg. Vat. Obijt sub Clemente VI. anno 1351.

9. Fr. NICOLAVS eiusdem Prædicatorij Ord. demortuo Francisco successit ad hāc infulam, vocatus à Clemente VI. anno 1351. 5. Kal. Iulij epist.23. fol.14. regest. Vatic. anno 10.

10. IOANNES ab hac Ecclesia translatus fuit ad Teralbensem in Sardinia anno 1364. 10. Kal. d. Augusti anno 2. Urbani V. ex regest.

11. Fr. CONSTANTINVS de Gemulis Ord. Eremitarum S. Augustini electus ab Vrbano V. [illegible] Kal. Aprilis 1365.

12. STEPHANVS post Constantinum sedit, eoque munere se exsoluit an.1369.

13. Fr. FRANCISCVS de Capite Ord. Minorum datus est successor Stephani ab eodem Vrbano V. anno 1369. 8.Kal.Mart.

14. NICOLAVS reperitur fuisse Bisaciensis Episcopus sub Vrbano VI. anno 1386. die 9. Ianuarij.

15. IOANNI ANGELO electo Bisaciensi concedit Gregorius XII. anno 1410. vt munus consecrationis à quocunque maluerit Catholico Antistite recipere posset, ex lib. de diuersis formis fol.167.

16. GVILLELMVS florebat Episcopus anno 1428. 20.Decembris, fato functus ann. 1450. memoratur in Actis Consistorialibus.

17. PETRVCCIVS de Migliolo Canonicus Laquedonensis electus in defuncti Guillelmi loco à Nicolao V. die 2. Id. Iunij 1450.

18. MARTINVS Episcopus Bisaciensis translatus ad Vigiliensem Ecclesiam die 24. Augusti 1487.

19. BERNARDVS ex Vigiliensi ad hanc Bisaciensem Ecclesiam transiens fecit eodem die & anno, ita censente Innocentio VIII. Pont. Max. Acta consistorialia hæc referunt.

20. GASPAR de Corbara successit anno 1498. per obitum prædecessoris die 12. Decembris, quo sedente Leo X. Bisaciensem hāc Sedem cum S.Angeli de Lombardis perpetuò vniuit an.1513. sub eodem Leone anno 1517. 23. Decembris oneri cessit, ac se abdicauit.

21. NICOLAVS Vulpe Neapolitanus electus Bisaciensis eodem die & anno, de cuius electione hæc habent Acta Consistorialia. *Die Mercurij 23. mensis Decembris 1518. referente Reuerendiss. Sanctorum quatuor, Sanctissimus Dominus admisit resignationem d.Gasparis de Corbara Episcopi Bisaciensis de prædicta Ecclesia Bisacien. in Regno Neapolitano sub Metropoli Compsana, & de ea prouidit in titulum D.Nicolao Vulpe presbytero Neapolitano, suspendendo quandam perpetuam vnionem alias factam de Ecclesijs Bisacien. & S. Angeli de Lombardis inuicem vnitis de consensu D.Raynaldi Cācellarij Episcopi S.Angeli, reseruata pensione quinquaginta ducatorum de carlenis moneta Neapolitana dicto D.Raynaldo Episcopo, cum facultate transferendi, & alia centum D.Gasparo nuper Episcopo super fructibus mensæ Episcopalis Ecclesiæ Bisacien. redditus flor.300*

Cæterùm Gaspare sedente, Paulus III. anno 1534. vnionem non semel sancitam confirmauit, vt supra retulimus, demortuoque Nicolao ante annum 1540. Raynaldus vtriusque Ecclesiæ remansit Episcopus, atque Nicolaus vltimus fuit huius Ecclesiæ Episcopus ex ijs, qui seorsim per plura sæcula in ea floruerunt, cæteros qui præfuerunt in vtraque Ecclesia Præsules, habes in [illegible] ante exhibita serie Episcoporum S. Angeli Lombardorum, vt vocant.

LAQVE-

LAQVEDONENSES EPISCOPI.





LAQVEDONIA, quam vulgus Cedognam appellat, admodum vetuſtę ętatis, eſt Mediterranea Ciuitas in Hirpinorum finibus poſita, nunc in vlteriori Principatu, quondam Aquilonia dicta Liuio, Ptolomæo, ac tabulæ memorata. Cluuer. lib. 4. Antiquæ Italiæ, illam vetuſtum oppidũ Hordeoniũ putat, cuius meminit Silius lib. 8. Sed Hordeonij ruinas, & proſtrata ſaxa vſque in hodiernum diem non longè ab Aeſculo accolæ oſtendunt. Hoc tempore paucula ciuitas eſt, incoliſque non adeò celebris, vbi lares 300. animæ cenſentur plus minus mille; ſatis ad gloriam illius eſt Chriſtiana ſacra ſuſcepiſſe eodem ipſo tempore, quo tota Hirpinorũ, Samnitumque regio ſuaue iugum accepit, atque ante annum noſtræ ſalutis centeſimum ſupra milleſimum Epiſcopali dignitate fuiſſe decoratam, & Compſanæ Metropoli Suffraganeam inſtitutam. Cathedralem habet titulo Deiparæ Virginis Aſſumptæ, antiquæ ſtructuræ ad iactum lapidis extra ciuitatem poſitam in eaque ſeptem Canonici ſunt cum quinque dignitatibus. Diœceſis perexigua eſt, vno oppido conſtat Boechettæ. Nullum eſt neque in ipſa ciuitate, neque in Diœceſi, neque Virorum, neque Monialium Monaſterium. Menſæ Epiſcopalis annuus cenſus ſcutatorum illarum patrium ſeptingentorũ, taxatur in lib. Fiſci Apoſtolici ad floren. 100.

Præſulum ſeriem, vt vides Lector, elumbem damus, quam non ampliorem referre potuimus deſtituti monumentis exiguæ ac penè miſerabilis Eccleſiæ.

1. ANGELVM Laquedonenſem Epiſcopum poſteris conſeruauit Indiculus Epiſcopórum, qui Lateranenſi Concilio interfuerunt ſub Alexandro III. ann. ſalutis 1179. celebrato, apud notas Ioannis Picardi ad Guillelmi Neubrigenſis Hiſtoriam. Poſt hũc fermè per duo ſæcula non habemus, neque nomina illorum, qui poſt Angelum hanc rexerunt Eccleſiam.

2. NICOLAVS obijt anno 1345. Sedẽte Clemente VI.

3. Fr. FRANCISCVS de Marzijs Ord. Minorum adlectus ſuit Epiſcopus ab eodem Clemente VI. anno 1345. Kal. Martij an. pontific. 3 ex reg. Vatic. ep. 63.

4 PAVLVS florebat ſub Vrbano VI. an. 1381. ex bullis eiuſdem.

5. ANTONIVS ſpoliorum collector erat in Tarentina Prouincia Vrbani VI. an. 9. qui fuit ſalutis 13 6. de quo mentio in bullis eiuſdem. Obijt 1392.

6. Fr. GVILLELMVS Ioannis de Neritono Ord. Minorum eligitur Epiſcopus à Bonifacio IX. per obitum Antonij 9. Kalend. Febr. 1392. tranſlatus deinde eſt ad ... politanam Eccleſiam, an. 1396. vt in lib. Prouiſ. Prælat. habetur.

7. IOANNES antea Epiſcopus G...politanus eodem die, & anno 1392 ad hanc Eccleſiam translatus eſt. Sedit ann. plus minus ſeptem ... eiuſque exigentibus d...ris ab eodem Bonifacio priuatus Epiſcopatu eſt 1399 ex lib. 3 de diuerſis formis ... 5.

8. IACOBVS de Marzia Presbyter Laquedonenſis, patriæ ſuæ Epiſcopus electus eſt à Bonifacio IX. anno 1399 6. ... Martij, vt in lib. Prouiſ. Prælat. ſer...tum inueni, non diu Pontifex fuit.

9. ADINVLPHVS huius Eccleſiæ Antiſtes vixit anno 1... ...us memoria extat die 3. Decembris in ... oblig. Exceſſit circa annum 1.18

10. IAQVINTVS Vaticanæ Baſilicæ Canonicus a Martino V. in demortui loco Adinulphi Epiſcopus Laquedonenſis electus eſt 10. Kal. Ianuarij 14.8. ex eodem lib.

11. NI-

11. NICOLAVS electus dicitur die A
27. Octobris anno 1425. in eodem obligat
voto.

12. ANTONIVS de Cozza Archipresbyter Vallatæ Boianæ Diœcesis eligitur 5. Id. Octob. 1428.

13. IOANNES defunctus est anno 1452.

14. IACOBVS de Caualine Canonicus Beneuentanus successit Ioanni II. Non. Augusti anno 1452.

15. PETRVS florebat anno 1471. è viuis excessit anno 1481.

16. IOANNES de Porcarijs Acheruntinus nobili genere natus, huius Sedis Episcopus renunciatus est die 27. Aug. anno 1481. obijt 1486.

17. NICOLAVS de Rubinis Vicanus B
promotus die 2. Iunij 1486. fato cessit anno 1506. Iulio II. sedente.



C

18. ANTONIVS de Dura nobilis Patritius Neapolitanus demortuo Nicolao suffectus est 29. Iulij 1506 Sedit ad annum vsq; 1538. & onere liberè se exsoluit.

19. ANTONIVS Card. Sanseuerini hanc Ecclesiam in administrationem accepit die 25. Februar. 1538. Illam tenuit vsque ad diem 24. Septembris eiusdem anni, & in Scipionem de Dura affinem suum transfundendam curauit.

20. SCIPIO de Dura Neapolitanus ex D
dimissione Card. Sanseuerini huius Ecclesiæ die 24. Septemb. 1538. fit administrator ad annum vsque 27. suæ ætatis, deindè in titulū: mortuus est anno 1551. De Dura familia legendus Scipio Ammiratus senior de nobilibus familijs Neapolit.

21. PAVLVS Capellettus Placentiuus successit Scipioni die 24. Iulij 1551. Sedit an. 13. vltroque se abdicauit.



22. IO. FRANCISCVS Carduccius Pauli Montis Mesolæ Baronis filius nobilis Barensis, origine Florentinus, moribus & doctrina illustris ex Abbate Commendatario Sanctorum Quirici & Iulittæ Præmonstratensis Ordinis Reatinæ Diœcesis euasit Laquedonensis Episcopus die 16. Maij 1564. Fato cessit anno 1584. Hic anno 1571. in Ecclesia S. Nicolai Barensis Bernardino Carduccio Patruo suo cœnotaphium posuerat ijs verbis conceptum.

D. O. M.

Bartholomæo Carduccio Patritio Baren. SS. Quirici & Iulittæ, & S. Mariæ de Niceto Lycien. Abbati, & perpet. Commendatario viro integerr. ac inter summos Principes in rebus agendis gratiss. qui annos agens III. supra LXX. cessit naturæ XIII. Kal. Nouemb. MDLXXI.

Io. Franciscus Carduccius Episcopus Laquedonen. hæres & successor ex testamento Patruo B. M. P. C.

Porrò nobilis hæc Carduccia familia Florentina è patria Barium progressa, Aloysius, Andreas, & Philippus germani fratres anno 1474. inter nobiles eius vrbis annumerati, ibidem Carducciam gentem disseminarunt. De qua Beatillus in Hist. Barensi, & fusiùs Scipio Ammiratus in descriptione eiusdem familiæ.

23. MARCVS Pedacca Mirandulanus Monachus Monasterij S. Benedicti de Mantua Cōgregationis Cassinensis sui sæculi Mathematicorum peritissimus, ex Abbate S. Vitalis

talis Ravennæ delectus est Episcopus à Gregorio XIII. die 14. Maij 1584. sedit vir probus & doctus anno 18. mortuusque est anno 1602.

24. F. IOANNES PAVLVS Palentellus de Castro Bononiensi Ord. S. Francisci de Obseruantia, electus die 15. Decembris 1602, excessit anno 1606.

25. IACOBVS Candidus nobilis Siracusanus à Paulo V. dictus est Laquedonensis Episcopus die 6. Nouembris 1606. magnus planè Præsul, & multarum virtutum clarus insignibus, cuius vota breuis vitæ suæ terminus non potuit æquare: rexit enim hanc Ecclesiam plus minus ann. duobus cum laude prudentiæ, ac propemodum Angelicis moribus. Excessit è viuis, imò in Domino quieuit mense Aug. an. 1608. ætat. suæ 47. sepultusque est lugentibus populis in Cathedrali. In Deiparam Virginem incôparabili studio flagrauit, quippe qui non solum verbis colebat Virginem addebat etiam operum pondera verbis mellifluis: de quo præclarissimo Præsule plura scitu dignissima legisse memini in vita eius, quam scripsit, typisque euulgauit Dauinus Guinisius Lucensis, Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei, ex quo eruditus, probusque amicus noster Hippolytus Marraccius in Antistitum Marianorum libro hæc pauca excerpsit, quæ non pigebit hic referre. *Iacobus Candidus nobilis Siracusanus Episcopus Laquedonensis in Apulia, cum ob propensissimum deuotionis suæ erga Deiparam Virginem affectum, ab ipsa infantia, puritatis virginalis candorem se semper integrè, illibatèque seruaturum voto spopondisset, eiusdem Deiparæ Virginis auxilio sibi fauente, illum postea in omni vita sua ad mortem vsque integrum, illibatumque conseruauit. In omnibus tribulationibus, & tentationibus suis pro solatio, remedioque ad Deiparam Virginem tanquam ad matrem amantissimam, filiali amore, ac confidentia recurrebat, & de status sui electione aliquando dubius cum precibus & lacbrymis ad hanc Matrem supplex confugisset de diuina circa se voluntate certus reddi meruit. Ecclesiam Cathedralem Laquedonensem, augustissimo Mariæ numini consecratam, dum eius esset Episcopus, multis impensis non sine miraculorum signis reparauit, & ornauit. Erga cultum & obsequium Sanctissimæ Dei Genitricis eximiam teneritatem ac propensionem animi semper ostendit, atque in tanta Domina laudanda, celebrandaque totum ferè vitæ suæ tempus impendit. Inter alia Marianæ pietatis exercitia, sæpè coronam B. Virginis percurrebat, hancque in ipsius etiam itineribus & deambulationibus adhibebat. Quando consuetis diei horis salutationis Angelicæ dabatur signum, statim etiamsi in via lutosa esset, genuflectebat. Vt debitum Dei Matri tributum laudis offerret, solitus non prius surgere, quam tria terræ oscula impressisset. Dum vel in Xenodochijs, vel in priuatis domibus infirmos visitaret, coronam B. Virginis eorum capiti imponere, & secretò tunc nonnullas orationes recitare in more habuit: quo medio plures infirmos non sine miraculo interdum restituit sanitati. Vt populum suæ curæ subiectum ad sanctissimæ Deiparæ Virginis Mariæ cultum magis, ac magis excitaret, singulis totius anni Sabbathis (quibus etiam diebus ad honorem B. Virginis pane tantum & aqua ieiunabat) in Ecclesiam Cathedralem circa vesperam descendebat, vt ibi cum Canonicis, & Clericis Litanias Lauretanas, nec non Antiphonam* Salue Regina *ad sonum organi recitaret. Omnes, quibuscum sermonem miscebat, ad deuotionem B. Virginis & ad Coronæ & Rosarij Mariani recitationem breuibus quidem sed efficacibus verbis hortabatur, rudesque, ac idiotas, si hos interdum in itinere offendisset, Salutationem Angelicam, si nescirent, libenter edocebat. Cælum petijt, & post mortem D. Iosuello de Polla Laquedonensis Ecclesiæ Canonico, olim amicissimo suo cum B. Virgine apparuit.* Hæc ille. Fratrem germanum habuit Iacobũ Vincentium Candidum Ord. Præd. Sacri Apostolici Palatij magistrum doctrina, ac vitæ candore clarissimum, qui Romæ decessit an. 1654. iacet in Ecclesia S. Mariæ super Mineruam, quorum nepos fuit Ioseph Episcopus Liparensis, Romæ defunctus anno 1644. 9. Decembris in eodem templo Sanctæ Mariæ ad Mineruam humatus.

26. IOAN. HIERONYMVS Campanilis Neapolitanus successit Candido die 24. Decembris 1608. deinde euasit Episcopus Æserniensis anno 1625.

27. Fr. FERDINANDVS Brunus Florentinus Ord. Minorum de Obseruantia adlectus est Episcopus die 15. Septembris 1625. decessit anno 1648. nulla de se fama relicta, sepultusque est in Cathedrali.

28. IOANNES IACOBVS Christophorus successit die 22. Aprilis 1649. Obijt Romæ paulo post suam consecrationem, terræ mandatus in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Aquiro.

29. Fr. AMBROSIVS Viola ex O[illegible]o nouo Liguriæ oppido, S. Theologiæ Ma[illegible]er Ord. Præd. electus die 10. Octobris 1649. obijt anno 1651. iacet in Cathedrali.

30. IACOBVS Iordanus Triuicanensis Monachus & Abbas Montis Virginis, vir doctus & eruditus Laquedonensis Ecclesiæ Episcopus adlectus est ab Innocentio X. an. 1651. die 23. Octobris. Scripsit vitam S. Guillelmi Abbatis Montis Virginis. Viuit adhuc boni Pastoris officio fungens, cui Nestoreos annos à Deo Opt. Max. precamur.

MVRANI EPISCOPI.



CIVITAS Muri, vulgo *Muro* in monte Basilicatæ Prouinciæ sita est, quando fuerit ædificata, aut quis eius fuerit auctor, qui de huius Regni vrbibus scripserunt, suis non retulerunt commentarijs. Parua est, tamen fœta populo, & nobilis structuræ. vbi mille lares recensentur, aerisque salubritate celebrata, nullam tamen habet antiquitatem, vt Frizia scribit. Comitatus titulo & Episcopali dignitate sub Compsano Archiepiscopo condecoratur. Antiquus est Episcopatus iste inter recentiores. nam sexcentis abhinc annis proprium habebat Antistitem, Bosinensem aliquando vocatum loco Episcopum Muranum. Cathedralis Basilica vndecim habet Canonicos. ex quibus quinque dignitate eminent, Archidiaconus nempè, Archipresbyter, Cantor, Thesaurarius, & Primicerius cum alijs aliquot minoris gentis Clericis, & Seminarium, vbi educantur Clerici. Intra mœnia præter Cathedralem, quatuor aliæ Ecclesiæ, Hospitale, & duo virorum Cœnobia, & vnum sanctimonialium S.Claræ septum visuntur. Diœcesis satis ampla, oppida octo complectitur suis regulis subiectâ, quatuor sũt Castel Gronde, Rapone, Ruuo, Santofedeli, Labella, Baluano, Romagnano, & Tuiglianos mensæ verò Episcopalis census 1200. ducatorum illarum partium, taxatur in lib. Cameræ Apost. floren. 37. Ad me quod attinet, Episcopi, qui in ea sederunt, ij tantùm sunt obseruati, eorum tamen Acta, vel ex incuria aut ex indigentia scriptorum non habemus.



1. EVSTACHIVS Murensis Episcopus anno salutis 1059. interfuit consecrationi Ecclesiæ S.Angeli in Vultu propè Melphiensem vrbem, quam Nicolaus II. Papa solemni ritu peregit instante Roberto Normando Apuliæ Comite.

2. GAVDINVS Moranus florebat Episcopus anno 1102. cum Paschalis II. sacrauit Ecclesiam Sancti Sabini in ciuitate Canusij rogatu Rogerij Comitis Roberti filij vt proloquitur marmorea tabula à sinistris Altaris posita in eadem Ecclesia. Idem memoratur in monumentis Caietanæ Ecclesiæ anno 1108. Huius memoria legitur in arcu supra aulam Episcopij marmore insculpta Leoninis carminibus an. 1100.

Non adeat postem, qui se cognouerit hostem.
Intret homo blandus, simul intret amicus amandus,
Quod scriptura legit, Gaudinus Episcopus egit,
Nobilibus turbis, Compsa natus ab vrbis.

3. ROBERTVS Muranus Episcopus florebat anno 1169. quo iussu Hecherberti tunc electi Archiepiscopi Compsani, Cathedralem Ecclesiam consecrauit, vt vetus documentum in eo ex Ecclesia refert *Anno Domini nostri Iesu Christi millesimo centesimosexagesimo nono Indictione secunda Dedicatum est hoc templum in honorem Sancti Ma[illegible]i Confessoris iussu Domini Herberti Compsana Ecclesia Venerabilis electi, & totius Compsani Capituli à Roberto Murana Ecclesia Antistite de Reliquijs Sancti Menna Martyris, & Sancti Liberij, & Sancti . . & Anastasij Confessorum* Ex hac memoria his diebus ex tabulario Compsanæ Ecclesiæ mihi transmissa habetur Herberti Archiepiscopi Compsani electio, quæ potuit euenisse eodem anno 1169. cum electus eo ipso anno enuncietur: quamobrem corrigendus error est, qui irrepsit supra pag. 1009. l.7. & lin. 10. vbi pro anno 1138. scribe anno 1168.

4. MONTEGVIDONVS vixit sub In-

nocentio III. anno 1213. ex monimentis eiusdem Eccl. fiz.

5. IOANNES successit circa an. Domini 1217.

6. N. nomen non exprimitur in regestro Caroli primi, qui anno 1269. Regem per supplicem libel um rogauit, vt Ecclesiæ suæ decimas iam antea à Sicil æ Regibus clargitas benigne confirmaret, ac manuteneret. Carolus ita rescripsit, ferunt regestra regia Neapol. Ind. 12. lit. B. fol. 150. *Carolus &c. eidem secreto, &c. Ex parte venerabilis Patris Episcopi Muri, fuit nobis humiliter supplicatum, quod cum Murensis Ecclesia à Catholicorum Sicilia Reg. temporibus vsque ad tempora nostra decimam omnium prouentuum baiulationis, & procurationis dictæ Terræ, nec non & Terræ S. Felicis annis singulis consueuerit percipere, & habere, exhiberi sibi decimam ex sua pro anno præsenti duodecimæ Indictionis, iuxta huiusmodi consuetudinem de benignitate regia mandaremus, ideoque fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus si notorium fuerit, quod dicta Ecclesia huiusmodi decimam consueuerit percipere & habere, tu decimam ipsam eidem Episcopo ratione dictæ Ecclesiæ, vel eius procuratori, seu nuncio per præsentes sibi literas assignentur, si idem Episcopus proximo præterito turbationis tempore erga maiestatē nostram se gesserit fideliter pro præfato anno duodecimæ Indictionis prout consuetum est hactenus exhiberi, vel faciat sine defectu quolibet exhiberi, iure nostro in omnibus semper saluo. Datum in Castris in obsidione Lucceriæ 20. Augusti 12. Ind.* Anno deinde 1270. pro eodem Murano Episcopo & Ecclesia ita rescripsit, vt in regest. Reg. lit. D. fol. 46. *Item scriptum est secreto pro Episcopo Muri decimas prouentuum omniū baiulationis, & procurationis dictæ Terræ Muri, nec non & Terræ S. Felicis pro anno proximè præterito 12. Ind. pro quo ipse non habuisse se asserit, nec non & pro præsenti anno 13. Ind.* Item fol. 49. lit. B. *Scriptum est in forma de Decimis baiulationis & prouentuum de demanijs Terræ S. Felicis pro Episcopo Murani* de anno præsenti. Datum Viterbij 23. Martij 14. Ind. Item in regest. eiusdem Caroli an. 1277. lit. F. pag. 139. à tergo. *Scriptum est secretis, & Magistris portularijs Apuliæ, tam præsentibus, quàm futuris in forma de Decimis perpetuis pro venerabili patre Murano Episcopo de voto nostro de exhibendis sibi singulis annis decimas prouentuum baiulationis, & demaniorum, &c. Curia Castri S. Felicis. Datum apud Lacum Pensulem die vltima Iuly,*

7. NICOLAVS florebat anno 1322.

8. MATTHÆVS anno 1332. 17. Nouembris promisit soluturum solitum pensum sacro Collegio.

9. NICOLAVS huius Ecclesiæ Antistes, cuius mentio habetur in reg. Vatican. 1343.

A translatus est ad Caietanam Ecclesiam anno 1345. ex reg. Vatic.

10. HENRICVS Mari de Caserta ex Canonico eiusdem Episcopus Muranus, successit qui successit translato Nicolao an 1345. die 18 Kal. Iulij, à Clemente VI. anno Pontif. 3. vt in epist. 5. regest. Vatic. Obijt anno 1349.

11. GVILLELMVS ex Archipresbytero electus est Episcopus à Clemente VI. anno 1349. 4. Id. Nouemb. cuius electio extat in reg. Vatic. an. 7. eiusdem Pontific. epist. 248. fol. 11. excessit verò anno 1356.

12. IACOBVS succentor erat Ecclesiæ S. Nicolai Barensis quando ad hanc infulam vocatus est ab Innocentio VI. anno 1356. 13. Kalend. Ianuar Pontif. 5. ex ep. 64. fol. 63.

B reg. eiusdem, translatus ad Ecclesiam Potentinam ab Vrbano V. tunc vacantem per obitum Ioannis 3. Id. Martij 1364. ex reg. Vat.

13. DOMINICVS anno 1364. 16. Martij memoratur in lib. oblig. sub Vrbano V.

14. ANTONIVS sub Gregorio XI. euasit Episcopus Muranus, qui cum in illo teterrimo schismate Vrbanum VI. inter, & Clementem VII. Pseudopontificem incidisset, quo nulla ætas tam durum, tamque atrox tulit, partes Clementis inconsulte sequutus fuisset, ab Vrbano diris innodatus, parum inde abfuit, quin cum Ioanna Regina in manus incideret Caroli Dyrracchini Regis, qui Ioannam capitali iudicio damnauit, & strangulari fecit anno 1382. Antonius timore perculsus Polsino suæ Diœcesis Oppido

C se recepit sub Ludouici Andegauensis tutela, & Episcopalem dignitatē eodem ab Pseudopontifice, in odium Caroli eiusdem Ciuitatis olim Domini, transferendam curauit; quamobrem Clemens anno 1386. Murum Sedis honore priuauit, eumque cum tota Diœcesi Polsinum transtulit: harum rerum habeo testes, ad ipsum Antonium, quem Polsinum vocat Episcopum, literas Kal. Iulij ann. pontif. sui 8. scriptas, quas hic exhibemus ex reg. 2. oblig. eiusdem Antipapæ: Perdurauit tamen inconsulta translatio, quandiu Antonius fretus auxilio Andegauensis, Episcopatum malè tenuit, cuius extat memoria ad annum vsque 1389. in lib. obligat. Clementis, nec deinceps apparet, quis eius fuerit finis,

D quoue loco, & anno mortuus fuerit. Porrò Clementis literæ ita fuerunt conscriptæ.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei.

Vener. Fratri Antonio Episcopo Polsinen. salutem & Apostol. bened.

Inter sollicitudines varias, quibus assiduè premimur, illa potissimè excitat mentem nostram, vt status Ecclesiarum omnium curæ nostræ diuina prouidentia commissarum spiritualiter, & temporaliter augeatur, quodque illis, quæ sine Pastoribus sunt, ne

A ac detrimenta deplorent, tales ministros præficere studeamus, per quorum regimina Ecclesiæ ipsæ vtiliter, & salubriter gubernentur. Dudum siquidem damnatæ memoriæ Carolus de Duracio, aliàs de Pace cum ageret in humanis, ad Regnum Siciliæ, in quo, seu ad quod nullum ius sibi quomodolibet competebat, & in quo nos & Romana Ecclesia directum dominium obtinemus, detestabili ambicione semper aspirans per iniquitatis alumnum Bartholomæum in Sedem Apostolicam violenter intrusum se in Regem Siciliæ coronari, Regnumque ipsum hostiliter inuadere, ac Claræ memoriæ Ioannam Reginam Siciliæ, cuius etiam ipse Vassallus ligius existebat, & cui iuramentum fidelitatis præstiterat, inhumaniter capere, ditisque mancipare carceribus non expauit. Ac demum ipse, & Margarita relicta eius, quæ se Reginam Siciliæ temerè nominare præsumit, magnam partem dicti Regni tyrannicè occuparunt, prout ipsa Margarita occupat de præsenti. Cum autem ciuitas Muranen. de patrimonio dicti Caroli olim fuisset, qua & omnibus alijs bonis suis per nos dudum suis demeritis exigentibus priuatus fuit, ac Clerus & Populus Ciuitatis ipsius se nostros & eiusdem Ecclesiæ persecutores publicos exhibentes, Bartholomæo, Carolo, & Margaritæ prædictis, ac Vvincislao ipsorum Caroli, & Margaritæ nato etiam pro & contra processus aduersus Bartholomæum Carolum & Margaritam prædictos, & adhærentes eisdem, & dantes ipsis auxilium, consilium, & fauorem per nos factos, diuersas interdicti, suspensionis, & excommunicationis, ac alias spirituales, & temporales pœnas, & sententias contineu. adhæserunt hactenus, prout etiam adhærebant, dantes eis contra nos, & eandem Ecclesiam, & etiam contra charæ mem. Ludouicum Regem Siciliæ, & cariſſimum in Christo filium nostrum Ludouicum dicti Ludouici Regis natum Regem Siciliæ Illustrem auxilium, consilium, & fauorem, & quod dolenter referimus præfata Ioanna Regina, quæ tanquam benedictionis filia virtute constantiæ ab altissimo roborata in nostra, & ipsius Ecclesiæ deuotione persistens Regnum ipsum in pacis amœnitate regebat, & in eadem Ciuitate, cuius etiam superius dominium ad eam spectabat, fuisset crudeliter interempta, & dilecti filij vniuersitas loci de Polsino Consan. Diœcesis puritatis titulo insigniti, & feruentes iugiter & constantes in nostra & eiusdem Ecclesiæ fidelitate perlistit nunc, sicut etiam persistebant, dictus quoque locus notabilis & populosus existeret, nos præmissas, solerter, & diligenter etiam attendentes prædictis & alijs iusta causa moti rationabiliter & inducti de fratrum nostrorum consilio, ac etiam certa scientia, & Apostolicæ plenitudine potestatis Ecclesiam, ac ciuitatem Moranen. prædictam in quibus tu Episcopus existebas, Episcopali dignitate priuauimus, & ad Domini nostri laudem, exaltationemque Ecclesiæ & profectum etiam animarum Ecclesiam Beatæ Mariæ Loci de Polsino prædicti in Cathedralem ereximus, eam dignitatis Episcopalis titulo decorantes, nec non ipsum locum de Polsino tanquam insignem, deuotum, & ad hoc congruum, atque ipsam Ciuitatem esse constituimus, & insigniuimus vocabulo Ciuitatis, eamque Ciuitatem Polsinen. volumus perpetuis temporibus nuncupari, ipsamque Ecclesiam cum eius Capitulo instituimus, ac Ciuitatem cum toto eius territorio, & districtu à iurisdictione, & Potestate Diœcesani Archiepiscopi, & Capituli Ecclesiæ Consan. exemimus, & etiam liberauimus, dictaque Territorium, & districtum, ac locum de more sicut præfertur, priuatum

B ac totum territorium, quod ipsius dum Ciuitas existeret Diœc. existebat cum omnibus Monasterijs, Ecclesijs, Cappellanijs, & Oratorijs, ac Castris, Villis & alijs locis in ipsa consisten. prætacta, limitata Diœc. eidem Ciuitati Polsinen. assignauimus & etiam deputauimus. Statuentes & etiam ordinantes, quod quicunque præeminentiæ authoritatis, superioritatis, iurisdictionis in huiusmodi erat per nos limitationis Diœc pertineat ad te, qui Moranensis eras Episcopus, vt præfertur ad Polsinensem Episcopum pro tempore existen. pleno iure, & omnimodè pertinent, & insuper volumus, quod etiam Ciuitas & Diœcesis Polsinen. prædictæ in & de præsentia Consanen. existerent, & Archiepiscopo Consan. Metropolitico iure subessent, & vt Præsul qui eidem Polsinen. Ecclesiæ præesset congruam substentationem haberet omnia & singula Castra, Villas, & loca alia, ac terras, & possessiones alias, nec non fructus, redditus, & prouentus & iura, & obseruationes, ac emolumenta quæcunque ad mensam Episcopalem olim Moranen. spectan. vbicunque & in quibuscunque rebus consistebant mensæ Episcopali Polsinen. ex simili scientia de prædictorum fratrum consilio, & eiusdem plenitudine potestatis in perpetuū applicauimus, & annexuimus, vniuimus, & duximus assignāda, prout & alias in Apostolicis nostris certi

C tenoris literis pleniùs, & seriosius continetur.

D Et quia non est congruum, neque decens, quod propter præmissa, Ecclesia careas, aut aliqua sustineas detrimenta; quinimmò arbitrari debitum, atque æquum, quod translata Sedes translato Præsuli committatur. Nos tam circa statum & prouisionem personæ tuæ, quàm circa regimen & gubernationem Ecclesiæ, Ciuitatis & Diœcesis, sicut præmittitur erectarum prouidere volentes te olim Moranen. Episcopum, quem fide digna experientia non minus idoneum, prouidum & per omnia circunspectum ad præfatam Polsinen. Ecclesiam, de prædictorum fratrum consilio authoritate Apostolica duximus transferendum, curam, & administrationem eiusdem Ecclesiæ tibi in spiritualibus, & tempora-

A

poralibus plenariè committendo firma concepta fiducia, quod actus tuos Altiſſimo dirigente prædictam Eccleſiam per tuæ circunſpectionis induſtriam ſpiritualibus, & temporalibus proficiet incrementis. Suſcipe igitur iugum Domini reuerenter, & ſuaui eius oneri humiliter colla ſubmitte, manum quoque mittens ad fortia ipſius Polſinen. Eccleſiæ adminiſtrationem prudenter exequi ſtudeas, & gregis tibi commiſſi cuſtodiam cures, poſtque diligenter vt laudabili de ipſo coram Deo reddita ratione Regnum Dei à mundi primordijs præparatum electis accipias, & in dilecta Domini tabernacula lætabundus introeas, ac eundem Regem ad vberioris re-

B

tributionis cumulum introducas. *Dat. Anenione Kalendis Iulij, Pontificatus noſtri Anno octauo.*

15. GVILLELMVS Muranus Epiſcopus legitimè electus ſub Bonifacio IX. vixit, ab Innocentio VII. translatus ad Caputaquenſem Eccleſiam anno 1405. ex oblig. lib. eiuſdem Innocentij.

16. IOANNES Bonifacij de Pannella Neapolitanus antea Caputaquenſis Epiſcopus ad hunc Muranum Epiſcopatum translatus anno 1405. Idibus Aprilis. Obijt circa annum Domini 1418. ex eodem lib.

C



17. GVIDVCCIVS de Porta Salernitanus vetuſta nobilitate natus, tunc Salerni-

D

tanæ Eccleſiæ Canonicus, & legali ſcientia clarus ſucceſſit Ioanni anno 1418. 11. Kal. Martij. Sedit integra fama virtutis annis plus minùs quindecim, in humanis eſſe deſijt anno 1423. ſepultus in ſua Cathedrali, cuius meminit lib. Prouiſionum Prælatorum Martini V.

18. IOANNES de Sancto Felice an familiæ nobiliſſimæ Neapolitanæ natus, vel à patria ita denominatus, incertum eſt, olim Canonicus Melphienſis, tunc Epiſcopus Alexanus, Ioanni ſucceſſit translatus ad hanc Eccleſiam 8. Kalend. Octobr. ann. 1423. Præfuit ann. 20. & ſenio ac laboribus proſtratus nuncium remiſit ann. 1443.

19. BARNABAS de Molina præficitur 7. Kalend. Septembris 1443. Hic anno 1460. 14. Februarij habuit in commendam Monaſterium de Vultu Ordinis S. Benedicti Rapollanæ Diœceſis à Pio II. vt in lib. de Præbendis ſcriptum inueni fol. 122. Obijt Barnabas ſub eodem Pio Pontifice.

20. ANDREAS de Verulis olim Epiſcopus Conuerſanus, & Boianus in Regno Neapol. inde Vrbini in Vmbria, à Pio II. translatus eſt ad Muranam hanc Eccleſiam per obitum Barnabæ tunc vacantem, ſed antequam poſſeſſionem adipiſceretur, literis etiam non expeditis, Pius diem ſuum clauſit extremum, Paulus II. ſucceſſor illum è Murana ad Camerinenſem Eccleſiam tranſtulit anno 1464. tunc vacantem per ceſſionem Agapiti Ruſtici, pontif. ſui 1. vt in lib. de diuerſis formis habetur pag. 174. neſcio, an poſſeſſionem quintæ ſuæ ſponſæ adeptus fuerit, cum ſequenti anno cenſeatur defunctus, quo defuncto iterum Camerin. Eccleſiam regendam ſuſcepit idem Agapitus. Huius Andreæ non memini in noſtra Camerinenſium Præſulum ſerie, qui ſuo in loco reponendus eſt.



21 MEOLVS de Maſcambrunis Beneuentanus, antea Epiſcopus Theleſinus transfertur ad hanc Muranam Eccleſiam à Paulo II. anno 1464. vt ferunt Acta Conſiſtorialia, ſedit vir optimus ann. 22. defunctus eſt anno 1486.

22. SEVERVS Antonelli Petrucci filius.

23. SIMON anno 1477.

24. GVIDATIVS anno 1490.

25. NICOLAVS Antonius de Piſcibus Beneuentanus fuit Epiſcopus Muranus, anno 1508.

26. ANTONIVS Camillus de Piſcibus ſub Leone X. deceſſit anno 1521.

27. CÆSAR ANGELVS Carpanus electus die 6. Septembris 1521.

28. MATTHÆVS de Griſonibus Etruſcus è Puppio Florentinæ ditionis oppido ſub Cle-

Clemente VII. euasit Muranus Episcopus à Paulo III. translatus est ad Triuentinam Ecclesiam anno 1540. die 15. Nouembris. Nuper Romæ in Ecclesia Sancti Marcelli Sacelique de Grifonibus ad eius tumulum sub marmorea iacentis Episcopi statua hoc epitaphium excisum est.

D. O. M.

Ossa Matthæi de Grifonibus à Clemente VII. ad Episcopatum Triuentinum Anno D. XXVII. supra M. euectum hoc Sacellum extruxit dotauitq; Obijt Nonis Aprilis anno Domini M.D.LXVII. ætatis suæ LXXX. Antonius Grifonius eques S. Stephani Io. Matthæi Grifonij filius, hæres & agnatus posuit, eiusque testamentum posterorum securitati ac notitiæ consulens in tabulario Patrum Seruitarum S. Marcelli indicare curauit anno Domini MDCLI.

In hoc cœnotaphio ex in cogitantia inscriptū videtur Matthęum ad Episcopatum Triuentinum euectum fuisse à Clemente VII. ann. 1527. eo anno Muranensis Episcopus delectus est; ad Triuentinam verò Ecclesiam translatus est à Paulo III. anno 1540. vt patet ex Actis Consistorialibus, de quo vide eius vrbis Episcoporum nostrum Catalogum in Appendice tom. 2.

29. ASCONIVS Parisanus Card. Ariminensis hanc Ecclesiam commendatam habuit à die 11. Nouembris 1540. qua die Grifonius se absoluerat, sedit vsque ad 27. Maij sequentis anni, quo eidem nuncium remisit.

30. SILVERIVS de Petruccijs Neapolitanus adlectus est die 27. Maij 1541. Obijt anno 1560.



31. FLAVIVS Vrsinus Romanus, filius Iulij ex Dominis Montis Rotundi, non Ferrantis Grauinæ Ducis, vt haud satis edoctus scripsi in serie Spoletanorum Præsulum tom. 1. factus est huius Ecclesiæ Episcopus die 15. Nouembris 1560. qui deinde euasit Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, & S.R.E. Cardinalis sub Pio IV. & Episcopus Spoletanus sub Gregorio XIII. Hanc Ecclesiam Muranam rexerat plus minus ann. duobus, eamque dimiserat anno 1562. de quo vide Spoletanorum Præsulum seriem nostram.

32. PHILESIVS Cittadinus Interamnas, vir nobilis & præclara literatura notus, Cameræ Apostolicæ Locumtenens ad hanc Ecclesiam promotus est à Pio IV. anno 1562. die 27. Maij.

33. IVLIVS Riccius successit Philesio, translatus deinde ad Ecclesiam Grauinensem anno 1575. die 4. Maij.

34. DANIEL vocatur electus eodem die 4. Maij 1575. ex Episcopo titulari Dumanensi.

35. VINCENTIVS Petrolinus successor Danielis sedente Gregorio XIII. Obijt anno 1606.

36. THOMEVS Confectus de Sancto Gemino Narniensis Diœcesis hanc obtinuit Ecclesiam à Paulo V. anno 1606. die 5. Maij Sedente Gregorio XV. sibi coadiutorem acciuit Clementem fratris filium: defunctus est anno 1630.

37. CLEMENS Confectus Narniensis ex Coadiutore, & Episcopo Tiberiadis, patruo successit anno 1630. translatus ad Acerrnensem Ecclesiam anno 1643. die 13. Aprilis.

38. IO. CAROLVS Coppola Gallipolitanus Clementi successit die 18. Maij 1643 vir eruditione, & poëticæ laurea insignis, plura sui ingenij reliquit poëmatia, obijt sedente Innocentio Decimo.

39. ASCANIVS Vgolinus Romanus ab Innocentio X. delectus est Episcopus die 9. Febr. 1652.

SATRIANENSES EPISCOPI,

nunc vniti cum Campanien.



IN Prouincia Principatus Citra mediterranea Ciuitas est Satrianensis vetusta, & quondam præstans, nunc ad solitudinem redacta, accolæ namque Titi ad Castellum se receperũt, loci verò & agri Satrianensis temporalis Dominus est Nicolaus Princeps ex familia Ludouisia. Episcopatus Satrianensis antiquus est iam indè à suo exordio suffraganeus Metropolis Compsanæ. Cathedralis Satrianensis titulo S. Stephani Protomartyris vna cum ipsa ciuitate diruta, ac solo æquata est. Seruantur tamen adhuc ibidem ossa S. Feliciani Martyris. Sacris in ea quondam ministrantium, dignitatum, Canonicorum, Clericorumque sedes, seruitia, stipendia, præbendæ vna cum ipsa Episcopali Sede in ciuitatem Campaniensem translata sunt ann. 1525. manente tamen adhuc Archidiaconi Satrianensis titulo, qui residet in oppido Caggiani: nam præbendæ vnitæ sunt mensæ Episcopali. Diœcesis Satrianensis quatuor constat oppidis, quæ tribus ferè passuum millibus inter se distant. Horum tria Caianum, Sancti Angeli de Fractis, & Saluiæ Venusino Principi in temporalibus subiecta sunt; quartum Petræ Fittæ paret Marchioni Burgentiæ. Omnium maximum est Caianum, quod tres habet Parochiales, quarum vna titulo S. Mariæ Græcorum, quam Græci olim Sacerdotes Græco ritu colebant, nunc Latinis commissa est, reliqua oppida singulas parochiales habent. In vniuersa ergo Diœcesi continentur Parochiales Ecclesiæ sex, sacris quidem vestibus & ornamentis sufficienter instructæ, sed ita tenues redditibus, vt vix sufficiant ad victum & vestitum Archipresbyterorum, & aliorum Sacerdotum, qui tamen sua illic munia egregiè obeunt: diuina officia statis horis celebrant, ac diebus solemnibus cum decentibus ornamentis Missas decantant. Clerus enim pro locorum qualitate, morum honestate commendatur, populus dictorum oppidorum maiori ex parte paupertate premitur ac proindè industria & labore victum sibi comparat. Sunt tamen pro maiori parte pietati dediti, & Ecclesias atque Sacramenta auidè frequentant. Sunt autem fidelium totam hanc Diœcesim incolentium animæ, quæ ad sacram communionem obligantur mille sexcentæ. Porrò Episcopi vsque ad vnionem cum Campaniensi Ecclesia, qui in hac Satrianensi Sede floruerunt, sequentes sunt à nobis obseruati.



1. PETRVS Satrianensis Episcopus interfuit Lateranensi Concilio sub Alexandro III. celebrato anno 1 79.

2. LEO Episcopus Satrianensis ex Rectore Sancti Nicolai de Curia iam pridem à Capitulo electus, confirmatur à Clemente IV. anno 1267. 5. Kalend. August. in epist. 74. fol. 62. ann. pontif. 3. vacabat Satrianensis Ecclesia forte per obitum Leonis anno 2. Martini IV. qui fuit salutis 1284.

3. LAVRENTIVS obijt 1303.

4. FRANCISCVS delectus est Episcopus à Benedicto XI. anno 1303. 4 nonas Martij ex Vatic. regest. epist. 451. de quo in Reg. regest. Neapol. anno 1314.

5. ARDVINVS, mortuus est Auenione anno 1332. vbi iacet.

6. Fr. FRANCISCVS de Spoleto Ordinis Minorum successit Arduino 4. Non. Decembris 1332. ad hanc Sedem vocatus à Ioanne XXII. mortem obijt 1349. apud Vatican. regest.

7. IOANNES ex Primicerio Sancti Bartholomæi Neapoli præficitur huius Ecclesiæ Episcopus anno 1349. Id. Decembris à Clemente VI. ex eiusdem regest. Vatic. epist. 220. fol. 123. excessit 1369.

8. AN-

8. ANGELVS BARTHOLOMÆVS clericus montis Flasconis electus est Episcopus Satrianensis anno 1369. Kalend. Aug. ex eodem regest. huius etiam mentio habetur in regest. Vatic. ann. 1377. A

9. THOMAS electus anno 1388. vixit temporibus Vrbani VI. ac Bonifacij IX. à quo Episcopatu mulctatus, ab eodem deinceps restitutus; Obijt anno 1401.

10. RICHARDVS ad hanc eandem dignitatem à Bonifacio IX. euectus anno 1401. cum suæ promotionis literas expedire neglexisset, ab eodem dignitate priuatus est, eodem anno, & Thomas restituitur.

11. ANTONIVS tit. S. Susannæ Presb. Card. à Martino V. Satrianensem Ecclesiam habuit commendatam anno 1419. 9. Kalend. Iulij. B

12. Fr. ANDREAS de Venetijs electus die 10. Ianuarij 1421. cuius intuitu Comes Satriani, totum Satriani territorium mensæ Episcopali elargitus est. Fuit hic aliquando Caputaquensis Episcopatus generalis Vicarius, fato functus est anno 1439.

13. PETRVS Canonicus Compsanensis electus 1440. die 13. Ianuarij successit Fratri Andreæ.

14. IACOBVS Abbas Sancti Angeli de Fasanella sublectus est Episcopus die 21. Febr. 1443. ex Actis Consist.

15. PETRVS Vrseolus hanc Ecclesiam regebat an. 1480. C

16. LADISLAVS Romæ obijt anno 1484.



17. GEORGIVS Abbas Sancti Benedicti Sipontinæ Diœcesis electus Satrianensis 5. die Nouembris 1484. deinde translatus est ad Castrensem Ecclesiam Prouinciæ Hydruntinæ die 12. Iunij 1491.



18. Fr. THOMAS Attharius Ord. Prædicatorum regius Consiliarius, vir ingenio, & scientia clarus, fit huius Ecclesiæ Episcopus anno 1491. die 22. Iunij.




19. Fr. AVGVSTINVS de Ortis Caietanus Ord. Prædicatorum, morum elegantia, vitæ puritate, & eximia literatura celebris huius Ecclesiæ fit Episcopus anno 1500. sedit ann. 21. excessit anno 1521. iacet in Cathedrali cum hoc Epitaphio.

Fr. Augustinus Caietanus, Episcopus Satrianensis, qui templum hoc dedicauit. Obijt die 17. mensis Martij 1521. D

Hic etiam Ecclesiam S. Dominici Caietæ in honorem Sanctissimæ Virginis Mariæ consecrauit, vbi hæc memoria. *Ego Fr. Augustinus de Ortis Caietanus, Episcopus Satrianensis consecraui Ecclesiam, & Altare hoc in honorem S. Mariæ, & Dominici, & reliquias Beatorum Martyrum Sixti Papæ, Vrbani Papæ, & Donati Episcopi in ea inclusi, & singulis Christi fidelibus hodie in memoriam, & diem Anniuersarij huiusmodi ipsam visitantibus quadraginta dies de vera indulgentia in forma Ecclesiæ concessi.*

20. Fr.



20. Fr. CHERVBINVS Caietanus de Caieta ſucceſſit Auguſtino, ſub quo Cathedralis Campanienſis erecta, cum hac Satrianenſi Eccleſia perpetuò vnita eſt anno 1525. ac deinceps qui Cherubino ſucceſſerunt, Epiſcopi Campanienſes, & Satrianenſes dicti ſunt, de quibus vide Campanienſes Epiſcopos, Salernitani Archiepiſcopi ſuffraganeos.

† †
†

F I N I S.

MENO-

MENOLOGIVM GRAECORVM

Iuſſu Baſilij Iunioris Imp. Conſtantinopolitani ante annum ſal. DCCCCLXXXIV. conſcriptum,

Et ad fidem membranacei Codicis Vaticani à Petro Archudio Corcyrenſi V. C. latinè verſum nunc primum edidit Ferdinandus Vghellus.

LIBER iſte Græcus, cuius hic verſio latina habetur, iuſſu olim Baſilij Porphyrogenitæ iunioris Imp. ante ſere annos DCLXXXIV. cōſcriptus fuit, ipſorum que quorum in eo elogijs celebrantur Diuorum Imaginibus ornatus aſſeruatur in Vaticana Pontificis Max. Bibliotheca: de quo V. Clar. & eruditiſſimus Leo Allatius in Diſſert. prim. de lib. Eccl. Græcorum ſcribit in hæc verba, Menologium hoc auro, gēmiſque pretioſius Conſtantinopoli ad Ludouicum Sfortiam ſatis munifice aduectum, Ludouico vita functo, Ioannes Baptiſta Franciſci Sfrondrati Cardinalis parens, auuſque Nicolai Cardinalis, in arbitrio & poteſtate habuit. Poſtremum à Paulo Sfrondrato Cardinali dono acceptum Paulus V. in Bibliothecam Vaticanam inuexit, & præfixa inſcriptione ſignificauit.

PAVLVS V. Pont. Max. hunc librum Conſtantinopoli ad Ludouicum Sfortiam Mediolani Ducem allatum, deinde ſeruatum apud Sfrōdratorum familiam à Paulo S. Cæciliæ Cardinali Sfrondrato ſibi dono datum, in Bibliothecam Vaticanam inferri iuſſit anno CIↃIↃCXV. Pontificatus XI.

Liber vnā tantum Menologij partem, quando ſex tantum menſibus Septembr. Octobr. Nouembre, Decembre, Ianuario, & Februario abſoluitur, continet: altera quibuſnam cauſis addicta lateat, incertum eſt, & vtinam non communem ſortem librorum paſſa, igne, vel ferro, vel impiorum aut otioſorum ho-

A minum manibus, elementorum etiam iniuria in lucem eſſe deſierit. Scriptus eſt folio grandi pergameno affabrè perpolito, licet ætate iam victa aliquantulum ſublurido, forma quaſi quadrata, characteribus elegātiſſimis, nuſquam pro illius attamenti facultate, quod nigrum non tingit, nigricantibus. Capitales, quas vocant, litteræ auro efformantur, ſingularum pagellarum pars ſuperior nomina Sanctorum illius diei repræſentat, alterius dimidia ſcripta compendio Sanctorum geſta, altera Imaginibus coloribuſque non indiligenter, & pro eo tempore ſatis eleganter, ſub oculos ponit. Picturam recentiores miniaturam vocant, neque enim oleo, ſed aqua gummique colores temperantur. Imagines non ab vna manu proma-
B nant, ideoque nec vnius omnes conditionis, ſed vna altera concinnior, accuratior, & ad artem accommodatior excellit, & ne αὐθέντοι palarent, pictor quilibet imagini à ſe depictæ in margine libri nomen expreſſit. Pictorum nomina ſunt, Pantaleo, Michael Blachernita, Georgius, Simeon, Michael paruus, Menas, Neſtor, Simeon Blachernita. Imagines ita diſponuntur, vt vna alteri aduerſæ non reſpondeat, ſed litteris ac Sanctorum vitis, quare nunc ſuperiorem partem paginæ, quando alterius ſuperior pars ſcriptionem refert, nunc inferiorem quando alterius inferior deſcripta eſt. Quādo liber ſcriptus ſit diuinare non poſſumus, abhinc tamen anno 662. (ſcribebat Allatius anno 1646.) ſcriptum videtur indicare qui
C operi præfigitur Zambi. Et hoc Menologium Baronio viſum nec abnuo, ſtudio iuſſuque Baſilij Imperatoris deſcriptum, exor-

na-

natumque Imaginibus, nisi aliunde edoctus futuro, non credam, quemadmodum, & Basilium hunc Macedonem fuisse ex Zambis enim hic Basilius Porphyrogenita asseritur *Imperator terræ vniuersæ sol purpura Basilius & alumnus*, id de Macedone dici non potest cum neque Porphyrogenita fuerit, nec Imperatore patre natus sit, neque adultus; Zonaras in Constantino Duce, *Imperium tribus filiis reliquit, quorum duos Michaelem, & Andronicum Eudocia priuato adhuc, Constantinum vero imperanti pepererat, cum & ipsa Augusta appellata esset. Vnde hic filius Porphyrogenitus fuit, & statim præ cæteris imperij insignibus adornatus.* Ex eo enim Porphyrogenitorũ nomẽ emersit, vt qui imperante patre nascerentur, siue in thalamo porphyræ dicto, siue purpura ob-

A uoluti, Porphyrogenitæ dicerentur. Herod. hist. lib. 1. de Commodo Marci Imper. filio, ac Themistius orat. 6. de Valentiniano Gratiani Imperat. fratre. Dicitur tamen de Basilio iuniore, qui circa annum Domini 977. cum Constantino Porphyrogenita imperium tenuit. Hæc Leo. Sed quod magis arguit Menologium hoc scriptum fuisse Basilij iunioris iussu, est quod in eo fit mentio ad 17. Kalend. Ianuarij Sanctæ Theophanonis vxoris primæ Leonis Imperatoris Basilij Macedonis filij, aliorumque Sanctorum, qui lõgè post Basilium Macedonem vixerunt. Cęterum cum penes me esset ipsa Archudij versio originalis, placuit in gratiam rerum Ec-
B clesiasticarum amatorum, hic eam exhibere, tu interim candide Lector vtere, & vale.

MENOLOGII GRÆCORVM

PROŒMIVM.

HIC nunc specta diligenter, tu qui vides
Optimum opus ex optimis rebus,
Opus Dei pulcherrimum, in stuporem rapiens mentem,
Opus delectans omnem merito creaturam:
Supra enim ipse, sicut Deus & Dominus
Astrorum choreis depingens Cælum
Quod tanquam pellem extendit verbo;
Mundum illustrat sapientissima prouidentia:
Infra autem, qui hunc imitatur modis
Rex totius terræ sol rubra
Basilius alumnus purpuræ
Præstantissimus in vtraque re & trophæis & verbis
Tanquam aliud omnino Cælum fabricans librum
Ex pellibus extentum, vti habet natura,
Ferentem veluti lumina venustas figuras,
Primum quidem ipsius Dei atque hominis Verbi;
Deinde Matris, quæ genuit sine semine
Sapientumque Prophetarum, Martyrum, Apostolorum
Omnium iustorum, Angelorum, Archangelorum,
Orthodoxorum omnem lætitia afficit animam,
Delectat autem omnem iucunditate & aspectum:
Sed quos quidem effinxit coloribus
Inueniat adiutores omnes in negotijs;
Fortesque cooperatores commilitones in pugnis;
Perturbationum redemptores, curatores morborum:
In iudicio autem magis apud Dominum
Calidos Mediatores, conciliatoresque supernæ
Gloriæ ineffabilis, & diuini Imperij.

SEPTEMBER.

Kalend. Septembris & Indictionis initio.

I.

1 INdictionis diem festum celebrat Dei Ecclesia, à maioribus accepta, quod hunc diem existimarent esse anni principium, cum Indictionem Romani dicant principium, & finem: Est igitur dies primus Septembris anni totius principium, & finis: sed postquam Christus Deus noster cum vellet benedicere ac celebre reddere principium anni, vel potius illud tempus totum, quod ante sæcula creauit, ingressus est Synagogam, traditusque est ei liber Isaiæ Prophetæ, & aperto eo inuenit locum vbi scriptum erat; Spiritus Domini super me, cuius causa vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, prædicare captiuis remissionē, cæcis visum & vocauit annū Domini acceptabilem; & reddito libro ministro, sedit: ex eo tempore illius dono, atque munere commendatus è nobis sacratus hic dies, quem grata nos memoria prosequentes læti atque alacres agemus.

Eodem die S. Patris nostri Symeonis Stylitæ.

2 SImeoni Patria fuit Antiochia, ea quæ est in Syria: hic ab adolescentia iussus est à parentibus pascere oues: Nactus vero aliquando vacuum, ac liberum otium, quod per hybernum tempus pascere non licet ingressus templum Dei vt oraret; contigit vt audiret illum Euangelij locum; Beati pauperes spiritu quoniam ipsorū est regnum Celorū: quo audito, valedicens liberim parentibus, ac cæteris omnibus abijt in Monasterium nomine Mandran: Monachusque effectus Imperatore Leone Magno; tamque in theatro certamen acerrimè subiens Monachos omnes omni virtutum genere breui superauit. Tanta enim omnium rerum abstinentia corpus suum coercens ad dum duratumque illud effecit vt quadraginta continuos dies vl. in ti quidem [illegible], reliquos vero sedendo inediam pati [illegible] sustineret: Cumque quadraginta [illegible] Deo se [illegible] gloriosis factis [illegible] omnibus [illegible] ætatis præstitisset, [illegible] infidelium ad Christi fidem conuertisset, in pace quieuit.

Eodem die obitus Iesu filij Naue.

3 IEsus filius Naue successor Mosis hæbreorum legislatoris fuit vir fortis rei militaris peritus Nam Iericunta munitissimam Palæstinorum vrbem expugnauit, Iordanemque fluuium per siccum alueum transijt vna cum populo, atque Arca Dei: Dignus etiam fuit qui Michaelem cælestis exercitus principem ensem præ manibus tenentē videret, quo statim cognito, abiectis armis, illiusque pedibus aduolutus. Quid inquit, imperas seruo tuo? Ad hæc cum prælio dimicaret cum Philisthim, solque ad occasum appropinquaret ipse vero teneretur incredibili vincendi desiderio, maximam in Deo spem habuit, atque animo fidentissimo imperauit soli, vt staret: stetitque sol, neque prius occidit, quam hostes loco fortissimè submotos in fugam verterit: hic igitur strenuus Imperator, cum populum Israeliticum ex vastissimis solitudinibus eductum, in terram duxisset promissionis, quę est Hierosolyma, iudicassetque populum annis septem, & viginti mortuus est, atque honorificè à populo suo in eadem terra sepultus.

Eodem Die, Certamen Sanctarum 40. Virginum & Ammonis Diaconi, earumque Magistri.

4 QVadraginta Virginum, & Martyrum cœtus patriā habuit Adrianopulim Macedoniæ; doctorem autem fidei, eorumq; omnium quæ ad celeste regnum pertinent, Ammonem Diaconum: ob eam autem causam in carcerem coniectæ multaq; suppliciorum genera perpessæ sunt, cum Idolis sacrificare pertinacissime recusarent: imò cum sacrificare compellerentur, orauerunt Deum, quarum precibus sublatus in aera Sacerdos Idolorum, concidit, & extinctus statim est. Quare Ammoni sublime arrepto scalpebantur latera cassisque cādens indutus capiti est, qui postea missus vna cum Virginibus ad Licinium præfectum cum ijsdem damnatus est, vt diuersis suppliciorū generibus morte omnes mulctarentur. Nam decem igni consumptæ sunt: octo cum Doctore suo capite damnatæ, decem alijs, os, earū pugione traiectum est: sex minutatim concisæ. Reliquæ iniecto in fauces candenti ferro extinctæ fuerunt.

Mense eodem: Quarto Non. Septembris Certamen Magni Martyris Mamatis.

II.

5 MAmas celeberrimus Martyr, Aureliano Cæsare Imperatore: Hic ab ineunte pueritia parentibus orbatus cum in vinculis ob Christianam fidem obijssent, sumptibus cuiusdam Matronæ è patricia gente, benignè alitus atque educatus est. Cum ad ætatis maturitatem peruenisset, cogereturque ab Idolorum cultoribus à Christiana religione deficere, atque ad gentilium sacra se conferre,

ferre, nulla vnquam ratione adduci potuit; A sed tunc diuina prouidentia factum est, vt angelico ministerio ereptus in monte quodam collocaretur: vbi cerua lacte perbenigne alebatur, solusque assidua diuinarum rerum contemplatione, continuisque precibus vitam traducebat. Postautē aliquāto cū illius crebrescens in dies fama longe lateq; emanaret, sistitur Præfecto Cæsareæ vt sacra Dijs facere rursus cogeretur. Id auersatus ille ac detestatus maxime in ignem conijcitur, atque inde egressus illæsus, deinde ad bestias damnatus, neque tamen vlla ab ijs affectus iniuria tandem lancea transuerberatur. Qui effusa ob grauissimum vulnus viscera, suis præferens manibus prodijt ex vrbe Cæsarea, & cum gratiarum actione felicissimam Domino Deo reddidit animam, sepultusque est in eadem vrbe.

Eodem die memoria Ioannis Patriarchæ Constantinopolitani, cognomine Ieiunatoris.

6 IOannes cognomine Ieiunator natus est Constantinopoli, præfuitque eidem Ecclesiæ Iustino, Verio, & Mauritio Imperatoribus. Hic primū quidem statuariā artem exercuit, deinde ob multas, atque eas egregias animi dotes, Patriarcha renūciatus vrbis ipsius magnæ, multo magis virtutes excoluit. Pauperes enim summa persecutus est benignitate, vir singulari lenitate, & misericordia, quippe qui ex alterius sollicitudine, & calamitate parem cum eo dolorem suscipere¹. Quare Deus illum multis mirabilibus factis insignem reddidit. Nam barbaræ gentes ex Macedonia fugatæ, vrbsque grauissima liberata peste: multisque salus restituta fuit; plerique etiam pessime habiti à Cacodæmone, pristinā precibus sancti viri recuperarunt sanitatem. Re... (?) orationes animæ vtilissimas, quales Magnus Ioannes Chrysostomus conscripsit. Cum igitur populum suum, sancte, pieque pauisset, sacramque Ecclesiam ad annos tredecim, menses quinque integerrime gubernasset, vixissetque ad summam senectutem, felicem ab omni laude Deo restituit spiritum, vir certe singularissimi omnium recte factorum exempli.

Tertio Non. Septembr. Certamen S. Anthimi Mart. & Episc Nicomediæ.

III.

7 ANthimus Martyr, & Episcopus Nicomediæ, quo tempore Maximianus, & Diocletianus Imperatores insatiabilem illam crudelitatem suam, & carnificinam exercebant in Christianos, cum se in montis cuiusdam latebras abdidisset; post tamen aliquanto Maximiano proditur. Vincto igitur primum quidem crebro lapidum ictu sacratæ ceruices contunduntur; deinde cādentibus tali ferris perforātur. Postea super acutissimas testulas collocatus, virgis horrentibus spinis fœde laceratur. Ad hæc calceamenta è ferro candentia pedibus vsque ad femora inducuntur. Præterea vinctus, adstrictusque trocho facibus aduritur; Sed cum tam immaniter torqueretur vir Dei, non destituitur Angelorum auxilio, qui sicut Martyri verbera cruciatusque leniebant, ita cedebant occultè tortores, tandē Maximiani iussu damnatus capite fuit, quod positum Nicomediæ cum multa alia admiranda facit, tum admirabilem capillorum subinde renascentiū comam semper promittit.

Eodem die, Certamen Basilissæ Virginis & Martyris.

8 BAsilissa Martyr Diocletiano Imperatore; hæc cum nonum tantum ætatis suæ ageret annum, & prope Nicomediam habitaret, sistitur ob Christi fidem Alexandro Præfecto, qui Virgini Sanctæ, quod se Christianam audacter profiteretur, colaphos impingi iubet; tum tenellum nudatæ corpus virgis durissime cædi, talosque etiam perforari. Post hæc è ligno appensam, capite cathena constricto, picis, sulphuris, ac plumbi fumo excæcari. Præterea in ignem conijci ardentissimum: post duobus ferocissimis leonibus obijci. Quæ cū per ferrum, per ignem, per feras illæsa indemnisque euasisset, Præfecto tātæ rei miraculo attonito persuasit, vt Christi fidem cupide complecteretur; qui reliquum vitę suę sanctè, ac pie traducens in pace quieuit. At Virgo Sancta egressa ex vrbe, cum siti conficeretur, precata Dominum est; manantibus vero repente è terra aquis sitim depulit. Deinde staps supra petram oransque, mortua est, ibique sepulta, cuius meritis clementissimus Deus, omnibus ad aquas illas cum fide accedentibus, qui diuersis & grauissimis generibus morborum cōflictantur, pristinam restituit sanitatem.

Eodem die, Certamen Aristionis Martyris Episcopi Alexandriæ.

9 ARistion Martyr, & Episcopus Alexandriæ, cum audacter temporalem Domini nostri Iesu Christi per carnem aduentum, æternumque ipsius cum Patre, & Spiritu Sancto regnum; ad hæc selicitatem regni cælorum prædicaret, & doceret, & quod falsa est huius Mundi gloria, quod operosæ digni-

gnitates, quod fluxus, ac euanescens diuitiarũ cursus; Cõtra vero vt vera, vt beata vt solida. & æterna sunt immortalis vitæ bona: persuaderetque multis Græcorum vt Christianæ fidei veritate imbuti baptizarentur, captus sistitur Alexandriæ Præfecto, confessusque cõstantissimè Christum, traditus fuit igni, in quo cum gloriose, & magnifice de Deo vero, vt sancta illa trium puerorum trichorea sentiret, & loqueretur, tandiu excoctus est, quoad illius animus omni corporis admixtione liberatus, purus, & integer, ad beatam, & expetitam tantopere ab eo celebratamque vitæ immortalis coronam ouans peruenit: preciosæ vero corporis reliquiæ terræ commendatæ sunt.

Pridie Nonas Septembr. Certamen Babilæ Patriarchæ Antiocheni & cum eo paruulorum,

IV.

10 BAbilas Martyr, & Patriarcha Antiochiæ Magnæ Numerianum Romanorum Imperatorem templum Dei ingredi volentem obuiam illi factus ad templi portã prohibuit, quod Idololatra esset. Quare multo rubore perfusus Imperator, simul & vehementi ira percitus, iussit illum sibi postero die sisti, quem cũ à Christi cultu ad Græcorũ sacra abducere dicendo non posset, quin potius ipse ab eo impietatis summa dicendi libertate accusaretur, iussit illius collo immani ferri põdere superposito per medium traduci, hoc adiecto elogio. Per Deos Babila decet te ille torques; cui Babilas: Ita me decet, ò Imperator, vt te dedecet diadema, tunc de Tribunali pronunciauit Numerianus, vt Babilas, & qui ab eo instituebantur pueri, iugulandi militibus traderentur, sepultusque est extra vrbem Antiochiæ vna cum cathenis, quas propter Christum pertulerat.

Eodem [illegible], Certamen Theodori, [illegible] Amiani, & Iu[illegible] Martyrum.

11 THeodorus, Oce[illegible], Amianus, & Iulianus Mrr. flor[illegible] Maximiano [illegible]; retenti, & de Christi fide [illegible] Christum Dominum confiterentur [illegible] arrepti depexi ad ossa fuere, deinde in feruentissimum Balneum sigilloq; Imperatoris obsignatũ, ne exinde exire posset detrusi: sed Angelus Domini eos nulla affectos iniuria, f[illegible]ribus, e pessulo firmat[illegible], & obsignatis edixit. Rursus autem capti abducuntur extra vrbem in desertum locum vt trucu-

lenter interficerentur: vbi impetrata à carnificibus ad orandum hora, precati sunt primum Deum pro totius Orbis constitutione sacrarumque Ecclesiarum tranquillitate; deinde gratias egere, quod tanto ab eo honore dignati essent, qui mortem pro Illius nomine occumberent. Cumque perorassent, in ignem præcisis prius singulis membris cribusque contusis couiecti sunt, & consumpti.

Eodem die, Certamen Hermiones Martyris filiæ Philippi Apostoli.

12 HErmiones Martyr, filia Philippi Apostoli floruit Traiano Imperatore, Perrexit aliquando vna cum sorore [illegible] Eutyche Ephesum, vt Ioannem Theol[illegible] adorarent nec inuenerunt, translatus [illegible] iam erat. Venit autem & Traianus Ephesum ad bellum Persicum, audiuitque nomen Hermiones percelebre, multaque excultum reuerẽtia, eo quod prophetico esset afflata spiritu. Retentam igitur, cum à Christi cultu deterrere verbis, minisque non posset, iubet illi alapas incuti: cui Christus apparens addidit animum, confirmauitque vt verbera fortiter perferret, sed paulo post à Traiano dimittitur, quod sibi prædiceret fore, vt gloriosum de Persis triumphum reportaret: Ad[illegible] nus vero affinis, & successor Traiani ab[illegible] præ ab integro in vincula, cogit Christum abiurare, diisque sacrificare. Quæ cum insanas illius voces negligeret, iussit amputari caput Carnifices autem cum lege act[illegible] essent arescentibus immobili rigore manibus, & ipsi in Christum crediderunt, atque vna cum Hermione capite damnati sunt.

Eodem die Memoria Moysis Legislatoris.

13 MOyses Propheta, & legislator pa[illegible] Hebræo natus in Ægypto est [illegible] cum Pharao Rex Ægypti Hebr[illegible]rum [illegible] edixisset capitale futurum, si quis marem tolleret, Mater in[illegible] diu [illegible]dentiæ permissum, fisce[illegible]que incl[illegible] proxima Nili alluuione deposuit. V[illegible] ad Nilũ, vt lauaretur Pharaonis [illegible] cõspicata iubet apprehe[illegible] & [illegible] intuita, eũ in filium sibi optatum, a[illegible]stituendũque omni Ægy[illegible] curauit. Adultus, cæles[illegible] [illegible], on ne Hebræorum [illegible] Ægypto erat, seruitio [illegible] d[illegible] ducendum [illegible] prodigia edid[illegible] et, n[illegible]que virg[illegible] per[illegible] populo fec[illegible], dura etiam [illegible] aquas eliciuisset: quadraginta vero militasse annos

annos, postremo, annis ante Christi aduentũ mille quadringentis nonaginta quinq; mortuus est: sepultusque in quodam Eremi Mõte à Michaele cælestis exercitus Principe.

Nonis Septembr. memoria Zachariæ Prophetæ Patris Ioannis Baptistæ.

V.

14 Zacharias Sacerdos Pater Ioannis præcursoris Christi, Sacerdotis & ipse filius, ingressus templum, vt thus adoleret, cùm vidisset Angelum Domini stantem iuxta altare thymiamatis, sibi prædicentem, fore vt filium breui susciperet, cui nomen Ioannes imponeret, neque cælesti voci fidem adhibuisset, mutus illico, & elinguis redditus est: quoad nato Ioanne soluta sunt illius linguæ vincula: Sexto autem post mense, mater cognito sæuissimo Herodis Regis edicto, vt Bethlemitæ infantes, ad vnum trucidarentur, vt Christus vna cũ cæteris interceptus occideretur; Ioannem in specu prope Iordanem abditum ab imminente eripuit cæde. Herodes autem, quæsito, sed non inuento puero, Zachariam infantis patrem in medio altaris, quo sibi metuens confugerat iugulari iussit, atque eius sanguine templum aspergi corporis autem de prærupta rupe iussu regis abiecti reliquias collegere propinqui, atque in sepulchrum patrum intulere.

Eodem die, Abdiæ Martyris Certamen.

15 Abdias Martyr natione Persa professione Christianus, cum daret omnem operam, vt quam plurimos ad Saluatoris nostri Iesu Christi cultum traheret, retentus à Magorum Principe, iubetur abiurato Christo solem & lunam gentiles Deos adorare: quod execratus vir Dei horrentibus malorum punicorũ virgis, à mane ad meridiem in ventre lumbisque cæditur. Inde semiuiuus suuolantibus tortoribus, domum suam delatus paulo post moritur, summam animi ad extremum vsque spiritum præseferens lætitiam, quod dignus habitus esset, qui pro Christi nomine sanguinem, vitamque profunderet, cuius corpus Christiani sepulchro condidere.

Eodem die; Certamen Thalis & Babææ sororis Martyrum.

16 Thalis Bellicosus Martyr Babæaque soror eius cum summa dicendi libertate, Christum verum Deum, Mundique totius Creatorem, Dominum & summũ gu-

A bernatorem esse profiterentur, Græcosque multos ab Idolorum errore abductos ad verã fidem traducerent, & baptizarent, retenti cùm & flagris diutissime admoti, & varijs tormentorum generibus affecti essent, tandẽ alter in lignum sublatus, & vinctus serra ferrea sectus est medius: altera nudata flagrisq; durissime cæsa, tum scalpta vsque ad ossa, denique lancea guttur transuerberatur. Quorum corpora qui ab eis Christiana fide edocti erant, occulte sublata sepelierunt honorifice, in gloria D. N. Iesu Christi.

Octauo Idus Sept. memoria Miraculi Apud Chonas editi.

B 17 In ea vrbe, quæ nunc Chona, olim autẽ Colassa dicebatur, vir quidam pius ac timens Deum nomine Archippus habitabat apud eum locum, vnde Michaelis, qui se ibi visibilem indigenis præbuit, ministerio, emanarant aquæ: vbi cum innumeris, quæ per aquam edebantur miraculis, infinitam hominum multitudinem ob Christi fidem cõuerteret, ac baptizaret: tantam Græcorum inuidiam iramque concitauit, & immani quadam rabie in lustralem aquam, & sanctum virum inflammati furentesque, coacta maxima operarum manu, duobusque magis in vnum corriuatis fluminibus rapidam fluentis aquæ molem in eum locum immiserint, vt templum simul, & Archippum conuellerent Sensit vir Dei irruentis aquæ murmur, imploratoque Archangeli auxilio, affuit statim Michael, qui virga, quam præ manibus habebat, percussa petra, repentino eiusdem petræ
C hiatu irruentes obruit aquas, & ex eo tempore vocatus est locus ille Chone.

Eodem die. Certamen Eudoxij, Romuli, & sociorum Martyrum.

18 Eudoxius Christi Martyr honestissimus apud Traianum Imperatorem ducebat ordinem, quippe qui & Comes
D esset, & decẽ millibus peditum, equitũ autem mille in Gallia præesset: Romulus autem aulæ Imperatoriæ præpositus auctor fuit Traiano vt in Galliam iret, & milites Christianos dijs immolare compelleret; impium nefas! auersati milites relegantur Melitenem Armeniæ vrbem: Romulus autem cum pœnitentia ductus in Christum credidisset, Traianumq; libere accusasset impietatis, capite mutilatus integram Deo reddidit animam. Postea cum rerum potitus esset Maximianus, edixissetq; Christianos omnes interfici, idem & Melitenes Præfecto per litteras mandauit. Quare Eudoxio, & qui cum eo militabant diu prius acer-

acerbeque tortis, quod Christi deserere se nolent, capita præcisa sunt

Eodem die Certamen Fausti Presbyteri & Abibæ Diaconi, & sociorum.

19 FAustus Presbyter, & Abibas Diaconus vterq; Alexandrinæ Ecclesiæ Ministri, Decio Imp. quo tempore & Flauianus Romanus Pontifex, & Alexander Hierosolymitanus pro Christi nomine martyriū subiere. Recenti igitur ab Alexandriæ Præfecto, grauiterque torti, quod in Christi fide perseuerarent, in carcerem truduntur. Rursusque inde educti compelluntur sacra Dijs facere; sed tantum abfuit, vt à Christo deficere animum inducerent, vt Præfectum etiam ipsum grauissime accusarent stultitiæ, & insaniæ. Quamobrem sanctis viris numero tredecim abscissa capita sunt: sed felices illorum animæ Christi manibus exceptæ Deū pro Christianis, proq; Imperatorū fidelium incolumitate, & constanti nunquam non precantur, & venerantur cum summa sanguinis eius pro nobis effusi commemoratione.

Septimo Idus Sept. Certamen Sozontis Martyris.

VII.

20 SOzon Martyr natione Lycius, pastor ouium, cum aliquando incidisset in quercum ingentem, prope quam erat aqua; appendissetque de arbore tres sagittas, & arcum sul ipsius monumenta in eo loco precibus sancti, viri grauissimis affecti morbis illatimque liberati, vires corpusque reuocabāt. Docebat autem & baptizabat Græcos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ingressus aliquando templum Idoli dicatum, auulsam Idoli auream manum, contritamq; diuisit pauperibus. Cuius rei author cum quereretur, multique in vincula, & tenebras abriperentur, vir Dei vltro se Maximo Præfecto tradidit, cōfessus id à se factum, quod Christum Deum coleret. Quamobrē soleæ ferreæ ad pedum plantas affiguntur, quibus incedēs summis laud. bus Deum efferebat: Deinde suspensus de arbore ad necem vsq; cæsus est, atque in ardentissimum ignem coniectus.

Eodem die: Certamen Eupsychij Martyris.

21 EVpsychius Martyr à Cæsarea Cappadociæ floruit Adriano Imperatore, Martyr. Mortuo patre baptizatur à Cæsareæ Episcopo, delatusque ad Præfectum quod Christum adoraret, rapitur in vincula: Inde

A paulo post emissus deuendit rebus & facultatibus omnibus suis, partibusque factis primas quidem dedit accusatoribus suis, vtpote qui sibi regni cælestis authores conciliatores fuissent, reliquas vero pauperibus distribuit. Iterum autem comprehensus, cum nullis præfecti minis commoueretur vt Dijs immolaret, de ligno suspensus, vsque adeo decerpitur & scalpitur, vt omnia illius viscera conspicerentur Dei dedit, pugioneque cæsus spiritum Deo reddidit.

Eodem die: Certamen S. Martyris Seueriani.

B 22 SEnerianus Martyr patria Sebastenensis, miles Licinij Imperatoris, cum propter Christum quadraginta Martyres comprehensi essent, & in carcere inclusi, eos frequens adibat, hortabaturque ad perferendum fortissime pro Christi nomine martyrium. Cognitus autem, captusq; sistitur Lysiæ Duci, in cuius conspectu Christum constantissime confiteretur, Dæmonum autem imposturas Græcorumque errorem liberius reprehenderet. ipsum que Lysiam accusaret, flammæ arreptus, neruis bubulis cæditur, vnguibus ferreis excarnificatur, facibusque exuritur. Post hæc vinctus funibus, pedibus ingentium saxorum mole oneratis, manibusque post terga reuinctis, de alto muro suspenditur, diu verberibus laceratur, quoad omnibus iam

C membris dilaniatis, totoque corpore lacerato inter tormenta gratias Deo agens, atq; ita sanctum Deo reddidit spiritum.

Sexto Idus Septemb. Natiuitas Beatissimæ Reginæ nostræ Deiparæ semperque Virginis Mariæ.

VIII.

23 CVm rerum omnium opifex Deus cælum, & hanc vniuersi faciem creasset, postremo hominem effinxit, qui se ū solum cognosceret, coleret, seseque illius

D vnius voluntatem plane conformaret. Inuidit Diabolus. Adam primumque per vxorem Euam deceptū impulit, vt Creatoris sui violaret imperium, author etiam reliquis mortalibus, vt neglecto Deo, vulgo vanissimæ idolorum superstitioni se addicerent. Deus autem misertus figmenti sui, Legem dedit & Prophetas, verum cum hæc nihil efficerent, decreuit mittere Filium suum, & Verbum, quod assumpta hominis effigie, hominem quem Diabolus in suam potestatem redegerat in libertatem vindicaret. Eam igitur ob causam disposuit vt nasceretur, quæ generaret Filium incarnatum Maria, iuque nulla notata labe, nulla aspersa macula ex sanctis parentibus Ioachimo, & Anna, quorum

pre-

precibus tam singularem ventris fructum concessit Deus. Quamobrem diei huic festo inditum nomen est Natiuitas, cuius nos statum Anniuersarium celebrantes maximas Deo nostro gratias agamus.

Quinto Idus Septemb. Commemoratio Ioachini, & Annæ Parentum Deiparæ.

IX.

24 IN Iudæorum templo erat vir quidam nomine Ioachinus iustus & diues: qui festis diebus duabus ex facultatibus suis factis partibus, alteram pauperibus erogabat, alteram vero Deo offerebat. Exceptus est aliquando probro, cùm Deo de more festo die munus offerret suum à Iudæo quodam negante fas esse ei, qui nullo auctus esset filio, vna cum cæteris dona templo afferre. Attulit ea res tantam homini ægritudinem, vt vitato hominum conspectu & luce, procul domo solitarius vitam ageret, votisque ac precibus à Deo prolem peteret. Nec minus Anna vxor domi quotidie orabat. Misit autem Dominus Angelum qui vtrumque bene sperare iuberet, fore enim vt breui admirandæ sobolis parêtes essent, Deiparę semperq; Virginis Mariæ, quæ salutem vniuerso orbi esset allatura. Quæ res eundem, quem oraculum prædixerat, exitum habuit.

Quarto Idus Septemb. Commemoratio S. Baripsabbæ.

X.

25 QVo tempore Iudęi per summam inuidiam Dominum nostrum Iesum Christum cruci affixere, Iacobus quidam astans cruci, cum de perfosso lancea latere Domini vidisset sanguinem, & aquam prodeuntem, accurrês excepit cucurbita preciosum Iesu sanguinem, atque apud se occultauit quoad sibi extremũ vitæ suæ tempus, re tota duobus solitarijs viris detecta, sanguinem illis commendauit, qui per manus deinceps traditus post multas ætates peruenit in potestatem cuiusdã hominis Baripsabbæ nomine, qui per preciosum illum sanguinem pluribus sanitatem restituit. Qua re animaduersa quidam impij in eam spem venerunt, vt si Baripsabba interfecto, potirentur ipsi precioso sãguine, magnum essent ex eo quæstum facturi. Igitur noctu adorti hominem interficiunt: Sed isti qui spe & opinione tam preciosum sanguinem iam deuorarant, nihil Deo volente, inuenerunt: ille vero felicem reddidit spiritum.

Eodem die: Certamen Sanctarum Martyrum & Sororum, Menodoræ, Nymphodoræ & Metrodoræ.

26 MEnodora, Nymphodora, & Metrodora sorores in Bithinia natæ habitabant in Pythijs vbi Thermæ erant. Hæ Imperante Maximiano Christum summa pietate colentes, atque in nomine eius Græcos docentes, ob eamque causam correptæ à regionis Præfecto, Christum apertissime professæ sunt. Quamobrem Menodoræ sorori maximæ virgis cæsæ, contunduntur femora, & crura scipionibus, quibus in tormentis semper Deũ precata, mortua est: cuius reliquias iussit Præfectus ante alias sorores apponi, vt terrorem illis incuteret, hortabaturque vt Dijs sacra facerent, ne eadem quæ soror paterêtur, sed cum nihil dicendo efficeret, iussit lictoribus, vt & ipsas occiderent; qui arreptas statim ferreis vectibus adeo cõtudere, vt perfractis omnibus membris morerentur, sepultæque sunt prope Thermas multis sanitatem tribuentes.

Tertio Idus Septemb. Certamen SS. Martyrum Diodori, & Didimi.

XI.

27 DIodorus, & Didimus Christi Martyres nati Laodiceæ Syriæ cum docerent passim in nomine Domini Dei nostri Conditoris Cæli, & Terræ, eorumque quæ supra infraque terram cæli ambitu cõtinentur, ac multos ab impietate ad Christi cultum conuersos baptizarent, delati ab impijs Græcis ad Laodiceæ Præfectum, ad illius tribunal producuntur, interrogatiq; cum se ipsos Christianos affirmarent, acriter vapularunt, diuq; torti cum non solum in Christi professione constanter persisterent, sed Idolorum etiam imposturas vehementer reprehenderent Pręfectumque vt impium, & iniquum magna verborum contumelia insectarentur, & conspuerent, quod veri Dei desertor falsorum esset cultor Idolorum, in ipsis cruciatibus orantes, agentesque Deo gratias mortui sunt.

Eodem die; Certamen S. Martyris Iæ, quæ in Perside martyrium passa est.

28 IA Christi Martyr nata Castri-Romani, quod oppidum est in finibus Romani imperij ex aduerso Persidis abducta ab hostibus captiua vna cum nouem millibus Chri-

ftianorum ad Saporium Perfarum Regem, cum Chriftianæ fidei apud regem accufata effet, traditur Magorum principibus vt fupplicio afficeretur. Quæ cum nulla tormentorum acerbitate propofita, deterreri à Chrifti cultu poffet, quin potius eos rideret, includitur in carcerem, vt integrum annum fame cófieeretur. Deinde educta horrentibus malorum punicorum virgis cæditur. Poft hæc igitur cuftodiæ traditur. Quinto autem decimo poft menfe emiffa tribunali Archimagorum fiftitur, cuius manus, femora, cruraque haftili tenuibus aftringi vfque adeo funibus iuffere, quoad crepitum, & ftridorem illius offa edidere; ad hæc lumbos, ventremq; neruis bubulis cædi. cum Deo illa gratias ageret tandem caput à ceruicibus abfcindi.

Eodem die; Commemoratio S. Theodoræ Alexandrinæ.

29 THeodora Sancta floruit Imperatore Zenone. Hæc fœmina forma infigni, & locupletum parentum filia nupferat viro pio ac timenti Deum. Diues autem quidam, cum à diabolo commotus arderet mulieris amore, adhibita læna factus eft voti fui compos. Poft cómiffum auté peccatū; Theodora cum facti pœniteret, neq; peccati ignominiam perferre poffet, exuta muliebri ftola induit virilem pauperis togam, ingreffaque virorum feptum fe ipfa Theodorum nominauit, cum interim vir eius in luctu perpetuo ac fqualiore iaceret vxoris defiderio: quæ tātas tētationes Dæmonū pertulit, aduerfus quē grauiffimum fufceperat certamen, vt non folum peccati labem elueret, fed magno etiam fæpe miraculorū honore dignata à Deo fuerit. Poftquam autem diem fuum obiiffet, dum more ablueretur, quæ ad eam diem habita à Monachis vir fuerat, inuenta fœmina eft: cuius facti gloriam Deo Monachi tribuentes, fummis illam laudibus efferebant.

Pridie Idus Sept. Certamen S. Martyris Autonomi.

XII.

30 AVtonomus Martyr Epifcopus. Italia quo tempore Diocletianus Imperator infectabatur Chriftianos, relicta Italia, profectus in Bithiniam, à Cornelio quodam Chriftiano exceptus perhumaniter eft: vbi cum Michaelis Ecclefiæ Principis militiæ præfuiffet, creafferque in ea Cornelium Epifcopum, abiit Claudiopolim: quo in loco, cū verbum Dei prædicaffet, reuerfufque vt Cornelium inuiferet, publicum in Michaelis tēplo munus obiret, eam fibi Græcorum iniquiffimè ferentium Chriftum ab eo, neglectis Idolis, adorari, inuidiam conflauit, vt furore accenfi, obferuato tempore, quo facris operabatur infilirent in templum atque iis qui circa eum obuerfabantur, gladiis, ac fuftibus in fugam verfis, fanctum virum in ipfo altari crudeliter necarunt, cuius anima ad cæleftem Martyrii coronam aduolauit.

Eodem die, Certamen S. Martyris Cornuti.

31 COrnutus Martyr Iconii natus, Presbyter pr[illegible] us fuit, ac timens Deum; Hic commora[illegible] in Chriftianos perfecutione, cum Iconii Præfectus crudelis atque omnis humanitatis expers, iuffus effet torquere eos, qui in ea terra Chriftum fequerentur, cæteris omnibus metu d[illegible]lapfis, Cornutus ab omn[illegible]bus deftitutus obuiam Præfecto proceffit; interrogatufque cum audacter Chriftum confiteretur, & fe ipfum Chriftianum prædicaret, ambagiofas autem Idolorum ludificationes, & vanitatem accufaret, ipfumq; Præfectum irrideret, correptus eft, pedibufque tenui fune aftrictis per vrbis plateas, & vicos trahitur vfque adeo donec fanguis fluuii inftar efflueret in terram, cum interim lemluiuus Deo gratias ageret, & diu tortus, Chriftum ad extremum vfque fpiritum inuocaret, poftremo Præfecti iuffu capite damnatus fanctum Deo reddidit fpiritum.

Eodem die, Certamen S. Mart. Theodori Alexandrini.

32 THeodorum Martyrem pium, ac virtute præditum, cum li[illegible]berius Chriftum prædicaret, eundemque rerum omnium opificem conftanter affereret, Alexandrinus populus Idolorum fuperftitioni addictus, in vnum coactus captum acriter torfit. Deinde caput eius corona fpinis cōtexta cinctum baculis feriens per vrbem vinctum traducebat, falfis illudens falibus. Poft hæc in mare demerfum leuiffimus ventus in littus eiecit incolumem. Rurfufque comprehenfus ad Præfectum rapitur, qui cū Sanctū virū à Chrifti fine auertere non poffet, fcipionibus iterū lacerat, gloriam Deo in ipfis cruciatibus dantē, ac gratias eius nomini agentem. Poftremo Præfecti fententia ad fupplicii locum abductus mortem capitis damnatus occubuit, Deo fpiritum reddens.

Idibus Sept. Certamen S. Martyrum Macrobii, Gordiani, & Sociorum.

XIII.

33 MAcrobius Cappadox, & Gordianus è Paphlagonia, Licinio Imperatore Martyrii palmam adepti funt, qui

cum

eum integra florentique essent ætate, singulari fortitudine, ac sapientia, præterea egregia corporis forma, diligebantur maxime ab Imperatore, obibantque id muneris, vt ad Imperatoris mensam consisterent, sed fidei Christianæ accusati, cum nec verbis, nec minis à Christiana religione deterreri possent, relegãtur in Scythiam: Atqui Sancti viri pręuertentes illuc inuenere Zoticum, & Lucianum, & Heli fortissime pro Christi nomine pugnantes. Nam Zoticus, & Lucianus primum diutius torti, gladio deinde cæsi sunt. Ipsi autem cum Heli è carcere emissi, hic quidem capite damnatus morte occubuit: illi vero in ignem coniecti exusti sunt: Valerianus autem super Sanctorũ sepulchro deplorans animam Deo reddidit.

Eodem die, Certamen S. Sacro-Martyris Iuliani in Ancyra Galatiæ.

34 LIcinio Imperatore, cum vulgo sæuiretur in Christianos erat prope Ancyram Galatiæ Iulianus summa pietate presbyter, qui vitandæ persecutionis causa, in montem arboribus consitum sese recepit, atque in specu cum quadraginta duobus alijs se abdidit. Erat autem prope montem Idolum Ecates. Huc cum venisset Præfectus Ancyræ sacrificandi causa *ἀνὴρ ὠμότατος οἱ ἅγιοι κατεσχέθησαν* Sed cùm fortirentur sancti viri quotidie, quia eorũ ex proximo fonte aquam hauriret, quam cæteris bibendam præberet, obtigit Luciano, vt aquaret, qui conspectus à Græcorum quibusdam, comprehensusque & vinctus ad Pręfectum adducitur, Quem cum percontaretur Præfectus de reliquis, nihilq; ex eo elicere aut exprimere posset, imo cum Iulianus, nemine sociorum prodito, Christum tamen liberius profiteretur, eius capiti candens cassis inducitur; deinde ferreis vnguibus grauissime scalptus, ac tortus capite damnatus Martyrij coronam adeptus est.

Decimo octauo Cal. Oct. Commemoratio exaltationis preciosæ, & viuificæ Crucis.

XIV.

35 COnstantinus Magnus, primusq; Christianorum Imperator, gerebat aliquando pro imperio bellum, vt quidã dicunt, Romæ aduersus Maxentium, vt vero alij sentiunt aduersus Scythas ad Danubium fluuiũ, qui cum magnas hostium copias cerneret, æger animo, inopsque consilij de rei exitu secum dubitabat: sed noctu ostenso sibi diuinitus Crucis signo, cum huiuscemodi inscriptione, *Constantine, in hoc signo vinces*. erectus, & confirmatus animo simillimam illi crucem effinxit, quam in prælio præferens hostes egregie vicit: Quamobrem baptizatur cum Helena matre quæ conquirendæ Dominicæ Crucis studio Hierosolymam venit, ostensamque sibi à Cyriaco Iudæo, qui postea Episcopus fuit, Crucem Imperatrix cum Senatu adorauit, & amplexata cupidè est. Populus autem, cum summo teneretur adorandæ Crucis desiderio, neque id sibi per infinitã hominum turbam facere liceret: petijt vt sibi etiam adorandæ Crucis potestas fieret. Igitur Episcopo de superiore loco exaltatam Crucẽ ostendẽte in hanc vocem magna cũ acclamatione populus erupit. *Kyrie eleison*. Ex eo factum est vt quasi penicillo quodam efficta expressaq; fuerit Dominicæ Crucis exaltatio.

Eodem die, Certamen Sancti Papæ Martyris.

36 EGregius bello Martyr Christi Papa Lycius Imperatore Maximiano cum rectam fidem doceret, & libere Christum cõfiteretur multisque Græcorum, vt in illum crederent persuaderet, proditur regionis illius Præfecto: comprehensus igitur grauissime cæditur: deinde confractis omnibus corporis ossibus sublatus ditissime scalpitur. Post hæc induitur calceamenta ferrea, clauis ingentibus, & acutis confixa, cogitu: que conc tarsi equorum cursum æquare, ab vrbe sua ad Diocæsaream, atque inde Seleuciam vsque. Cui in hunc modum currenti, obuiam facta fœmina quadam quæ lineo pãno sanguinẽ eius abstergebat osculabaturque cum lacrymis. Deniq; subter caprificum collocatus vsque adeo cæditur, quoad spiritũ Deo redderet quo mortuo cœpit esse ficus fructifera.

Decimo Sept. Kalen. Octob. Certamen S. Magni martyris Nicetæ.

XV.

37 NIcetas præclarus Christi Martyr Gothus, nobilitate, & diuitijs inter populares suos florens imperante Constantino Magno fide Christi à Theophilo Sãctissimo Gothiæ Episcopo imbuitur, cum enim in duas factiones tota Gothorũ gens abijsset, atq; vtraq; suum sibi principem seorsum creasset, confugit alter principum ad Romanorum Imperatorem: cui cum suscepta in contrariæ factionis tyrannum expeditione, insignem ex eo bello reportasset victoriã, Gothosq; in potestatem suam redegisset, ex eo tempore Christi fides inter Gothos disseminata est, quam cum Gothorum primus Nicetas arripuisset, summa & ipse libertate cæteros docebat: sed post quam reuersus est Imperator, Gothi infideles

deles furore correpti, cōcitata in Christianos persecutione, alios quidem aliter torsere, Nicetam autem grauibus supplicijs affectum, igni tradidere.

Eodem die, Commemoratio Sancti Patris nostri Philothei Thaumaturgi.

XV.

38 PHilotheus Taumaturgus sectator Opficij, presbyter magnus Dei cultor ab adolescentia fuit, quippe qui ieiunijs, & vigilijs, & orationibus assiduè vacaret, diuitias suas pauperibus distribueret, & luctu, & fletu vitam traduceret, secum reputando grauissimas in altero seculo peccatorum pœnas ignis per gehennam, atque per vigilem vermem: multis prodesset, multos doctrina sua fortes redderet. Cum igitur munus suum Deo inculpate obiret, dignus fuit qui multa admiranda efficeret. vt dæmones effugare, ægrotos sanare, leprosos mundare, pluuias in maxima siccitate deducere. Deus enim voluntatem timentium se facit, precesque eorum exaudit. Praeter hæc admiranda opera omnibus etiam sui ipsius cōuenien-dignpiam faciebat. Postea vero quā in pace quieuit ex preciosis illius ossibus sepulchro cond tis manar mirum in modum salutare oleum in hunc vsque diem.

Eodem die, Certamen Sanctorum Martyrum Maximi, Theodoti, & Asclepiodotes.

39 MAximus, & Theodotus nati Marcianopoli Thraciæ docebant Imperatore Maximiano Christianorum persecutore verbum Dei, incedentes in omnibus eius præceptis die, ac nocte: eumque multos ab Idolorum errore ad Dominum nostrum Iesum Christum conuerterent, comprehensi à copiarum duce, cæsi primum virgis, & ferreis vngulis pexi, donec ossa apparerent, deinde præcisis manibus, ac pedibus in ægram pro mortuis obiecti sunt. Post hæc in plaustra coniecti Adrianopolim vehuntur, vbi de integro impij verbis aggressi à sancto proposito ad Idolorum cultum Martyres auertere conabantur. At illi irridentes asserebant Deos gentium esse Dæmonia, atque vna cū cultoribus suis execrandos: quare capite damnati morte occubuerunt; Asclepiodote autem, vt sanguine cum illis coniuncta, ita & Martyrij societate facta migrauit ad Dominum.

Eodem die S. Martyris Porphyrij. Certamen.

40 POrphyrius Martyr Imperatore Iuliano præuaricatore, cum inimicam sacrilegamq; artem exerceret, Imperatorem iocis, ac salibus, dum occumberet delectabat. Verum cum animaduertisset illum, neglecto Iesu Christo, colere pro Dijs ea, quæ ipse fabricarat Idola, zelo accensus vehementer eū obiurgauit, coram vniuerso senatu, præuaricatorem impium, ac scelestum identidem appellando, atque in Deum ingratum, cui non Imperium, non tanta beneficia in se collata referret accepta. Quare excandescens Iulianus varijs eum prius, acerbisque tormentis diutius affecit, totum deinde illius corpus scuticis adeo fœde cędendo lacerauit, vt omnia ossa nudarentur: postremo capitalem in eo sententiam tulit; Quamobrem vinctum, & ad locum supplicij adductum obtruncanere carnifices. Ille vero pro temporario Imperatore immortalem, pro corruptibilibus delicijs æternam adeptus est felicitatem.

Eodem die, Commemoratio S. Vrbis Romanæ Papæ Martini.

41 MArtinus qui in Sanctis Patribus nostris, & Confessoribus annumeratur, Imperatore Constantino Heraclij filio, cum resciuisset, Constantinum, & Paulum Constantinopolitanum Patriarcham Monotelitarum hæresim sequi, monuit eos per litteras, vt hæresim abiurarent: sed cum nihil effecisset, conuocato Romam Concilio, anathemate damnauit, & hæresim, & qui huic addicti essent, Id vbi cognouit Imperator, Martinum Constantinopolim accersit, polliceturque se fore in illius potestate, cum tamen omnia per simulationem, & fraudem ageret. Veniens ergo Martinus cum summa ignominia accipitur, bonisque mulcatus, ac proscriptus in tenebricosum includitur carcerem ab Imperatore, & Patriarcha. Deinde Chersona relegatus confectus annis multaque grauia passus mortuus illic est.

Eodem die, Certamen S. Martyris Melitenæ.

42 MEliténe Martyr Marciopolitana Antonino Romanorum Imperatore, cum Christum prædicaret comprehensa ab eiusdem vrbis Præfecto Antiocho, confessaque se Christianam esse grauissime cæditur. Deinde pertracta in Idolorum templum

vt

vt Dijs immolaret, precibus suis impetrauit à Deo vt Idola conciderent, & in puluerem redigerentur; Ex quo factum est, vt Græcorum multi vna, cum Præfecti vxore in Christum crederent: Quare in carcerem detrusa deinde educta nudataque sublime rapitur, eiusque latera scalpuntur; Rursusque in alterum templum vt Dijs sacrificaret, ducta: Deum precata est, statimque collapsa Idola in frusta conteruntur: Quamobrem lata à præfecto sententia abscissum est Martyri à ceruicibus caput; cuius reliquias Acacius quidam pius ac timens Deum translatas in insulam Lemnon sepulchro condidit.

Decimosexto Cal. Octob. certamen Sanctarum Virginum, sororumq; Fidei Spei, Charitatis, Sophiæque earum matris.

XVI.

43 Sophia Itala, Christianæ fidei studio, & desiderio cum tribus filiabus Fide, Spe, & Charitate Romam profecta est, Adriano Imperatore. Baptizatæ occulte ab eiusdem vrbis Antistite, docebant, quam ipsæ didicerant fidem, multosque ad Christum conuertebant: quod vbi rescitum est, correptæ ab Adriano tortæ fuerunt; & prima quidem Fides duodecimo ætatis anno clata, scalptaque obtruncatur: Secundo loco soror eius Spes decimum annum agens, virgis, & ipsa capite damnatur: Tertio Charitas nonum annum nondum egressa in fornacem iniicitur: Sed educta illæsa gladio percutitur: At mater Sophia gratias agens de omnibus ad sepulchrum in quod filias intulerat, aduoluta: deploransque animam Deo reddidit.

Eodem die, certamen S. Martyris Agathocles.

44 Agathocle martyr professione Christiana serua Nicolai cuiusdam Paulinæque vxoris eius, qui prius Christiani, deinde Christianæ fidei desertores ad idololatriam defecerant: sollicitabatur & ipsa, vt abiurato Christo ad Idololatrarũ cultum se transferret: Verùm vbi frustra spe, & metu sæpius tẽtatis, in fide Christi maneret, annos octo torquetur, adhibita interdũ varia supplicia quæstioni, nam aliàs quidem spondylũ, & faciẽ asperis lapidibus, alias verò caput, & humeros virgis cædebant: sed vbi expugnari animus martyris non potest, vt fidem commutaret, ferreis fidiculis comminuitur, tum præcisa lingua in carcerem conijcitur: proposito edicto, nequisque audeat cibum illi præbere: sed dispensante, ac disponente Deo Luscinia auicula auellanis nucibus alebat Martyrem;

A Domina autem eius longioris moræ impatiens, carcerem ingressa candenti vecte ferreo eam interemit.

Eodem die, certamen Luciæ Viduæ, & Geminiani filij eius spiritualis.

45 Lucia martyr Romana opibus, ac generis nobilitate valde insignis floruit Maximiano Imperatore. Hæc nonagesimoquinto ætatis suæ anno, nam trigesimumsextum in viduitate explerat, cum B filium suum legitimum Eutropium nomine, Idolorum superstitioni addictum in Christi partes trahere summa contentione studeret, tantum abfuit, vt de sententia ille decederet, vt matrem etiam ipse suam ad Maximianum deferret: Quamobrem correpta, cum in Christi fide perseuerans Dijs immolare recusaret, in cacabum feruenti plumbo & pice plenum iniicitur, sed indemnis inde, & incolumis egressa, traducta per vrbem, & circumacta cæditur; cui Geminianus Sanctus obuiam factus, consecutusque eam, & paulo post baptizatus, appellatur spiritualis illius filius, atque vna cum Lucia in conspectum Maximiani veniẽs seipsum Christianum profitetur. Quamobrem tormentis afficitur; sed C ab Angelo Taurominium abducti, ibi alter gladio à Præfecto percutitur, altera in pace obdormiuit.

Decimoquinto Cal. Octob. certamen Sancti Sacromartyris Symeonis Episcopi Hierosolymitani.

XVII.

46 Symeon Sacromartyr floruit Traiano Imperatore secundus ab Iacobo fratre Domini Hierosolymorum Episcopus. Erat enim patruelis, & ipsius Domini, & Iacobi, D natus Cleopha: Hic enim & Iosephus pater Domini secundum carnem nominatus germani fratres erant: Symeon autem accusatus à Iudæis, quod Christum prædicaret, comprehensus à Græcorum præfectis grauissime cæditur: Deinde multa in eculeo passus tormenta, in carcerem includitur, vt fame, & squallore conficeretur, inde eiectus cum nulla ratione adduci posset, vt Christi desertor esset, cruci clauis affixus morte occubuit, annos natus centum, & viginti, cuius sacrum corpus propinqui terræ commendarunt; ipse vero anima in cælum euadens cum Sanctis Angelis gaudijs fruitur sempiternis in Christo Iesu Domino nostro.

Eo-

Eodem die, Commemoratio Sancti Eumenij Thaumaturgi Gortinæ Episcopi.

47 EVmenius Thaumaturgus ab adolescentia sua Christianus, summa Deũ pietate, & timore colebat: Nam cum diuitias, & facultates suas omnes pauperibus erogaret, ipse tamen per omnem vitam ieiunijs, atque orationibus vacabat, mandatumque illud Apostoli diligenter persecutus: Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, oculos lacrymis semper conspersos circumferebat. Illud præterea in eo viro animaduertendum, quod obtrectatoribus claudebat autes, cum neminem ipse condemnaret, imo si cuius forte peccatum audisset, putabat se illũ ipsum esse qui peccasset: ob hæc igitur recte facta, delectus à Clero, & populo Gortinæ vrbis Cretæ Episcopus designatus est, Quo in pontificatu cum multos annos vixisset, multaque populo docuisset, quæ ad cælum pertinent, multaque miracula edidisset, quieuit in pace, in hanc vsque diem miraculorum frequentia, & magnitudine insignis.

Eodem die, certamen Sanctæ Martyris Ariadnes.

48 ARiadne martyr floruit Adriano & Antonino Imperatoribus: Hæc Christiana, & cuiusdam opulenti hominis, qui Phrygiæ principatum tenebat, serua, die quodam, cum herilis filij natales celebrarentur, compellitur ab hero, vt Idolorum phanum ingressa festum secundum diem agitaret: Quod facinus execrata crudelissime cæditur, deinde carceri tradita inedia necatur, inde ad Regionis Præfectum adducta, vt torqueretur: cui Dijs sacrificare recusanti, & idcirco in eculeum delatæ latera scalpuntur: soluta ab eculeo, arrepta occasione ad montem fugam intendere cœpit. Quod vbi cognouere milites, insecuti cum armis eam sunt, qua cum nullum sibi patere effugium cerneret, implorauit diuinitus auxilium, statimque petra, quæ discissa, atque in partes diuino imperio deducta Martyrem alueo suo exceperat, iterum clausa, & coagmentata, & iucundum illi vitæ finem attulit, & mortuę sepulcrum fuit.

Decimo quarto Cal. Octob. sanctorum Martyrum Trophimi, Dorimedontis, & Sabbatij.

XVIII.

49 TRophimus & Sabbatius Martyres Imperatore Probo cum spectacula A in hippodromo ederentur Antiochiæ, eius quæ Pisidiæ, ingressi theatrum, videntesque Idolis Græcos sacrificare, summo dolore affecti huiusmodi verbis Deum precati sunt: Da Domine hominibus his, vt neglecto Idolorum cultu, te solum Deum noscant, & quem misisti Vnigenitum Filium tuum cum Spiritu Sancto. Quibus ex verbis cogniti Christi cultores esse, comprehenduntur à Præfecto: Trophimus igitur prior cæsus, & scalptus in vincula conijcitur: Productus vero Sabbatius, cum in Christi cõfessione perseueraret, vsque adeo cæditur & excarnificatur, donec spiritum Deo redderet: Posthæc eductus carcere Trophimus, indutusque ferrea calceamenta, mittitur ad vrbis Synadæ præfectum, à quo B etiam tortus custodiæ traditur: Adit autem sanctum virum Dorimedon, ex cuius congressu Christianus factus paulo post vna cum Trophimo capite damnatus morte occubuit.

Eodem die, Certamen Sancti Sacromartyris Ianuarij Episcopi Beneuentani, & sociorum eius.

50 IAnuatius Sacromartyr, Diocletiano Imperatore Episcopus Beneuentanus ob Christi confessionem, simulq; Sossus, Pro- C clus, Eutychius, & Acustius Diaconi in vincula Puteolis cõijciuntur; Timotheus autem regionis prefectus Puteolos profectus, eductũ carcere Sanctum in caminum iniecit: sed cum inde incolumis euasisset, maiori correptus furore, iussit neruos pedum eius præcidi, quod supplicij genus cũ fortiter pertulisset vir sanctus iterum in vincula conijcitur; quò cum Festus, & Desiderius Clerici Beneuentani visitandi causa venissent, correpti & ipsi in carcerem truduntur: Inde educti, & ad bestias damnati, nullaq; in re ab ijs læsi obtruncantur.

Eodem die, certamen Sanctorum Martyrum Nili, Pelei, Heliæ & sociorum eius.

51 NIlus, Peleus, Helias, & socij certum numero, Ægyptij gente, cum Christum liberius prædicarent, a Idolorum cultoribus effosso dextro singulis oculo, præcisisque sinistri pedis neruis, & articulis in vincula abripiuntur, quinquaginta autem alij, Palæstini natione, eadem de causa ijsdem etiam affecti supplicijs à Regionis Præfecto truduntur in carcerem, deinde cum cæteris reis ad metalla damnantur: Postremo cum ad Ducis tribunal producti omnes, nec hortationibus, nec minis à Christi ad Idolorum cultum abduci possent, excitari iubet, for-

fornacem ardẽtissimam, in quam summa alacritate, summisque Deum extollentes laudibus ingressi sunt, & exusti.

Decimotertio Cal. Octob. commemoratio Sanctæ Martyris Christi Susannæ.

XIX.

52 SVsanna osiomartyr in Palæstina, Artemio Idolorum Sacerdote natu, mortuis parentibus, fide Christi à Syluano Presbytero imbuitur, & baptizatur, Deinde erogatis in pauperes omnibus suis facultatibus ingreditur Monasterij septa virili cultu, seque Ioannem nominauit, ne à quoquam pro viro cognosceretur: insimulata aliquando probri à muliere quadam diaboli sugestione commota, quod rem secũ habuisset, excussa à Virgine, & inuenta fœmina magnũ dedit accusanti dedecus: Post hæc inde Eleuteropolim profecta se contulit, quo in loco ob egregias animi dotes creatur ab Episcopo Diaconissa: Quæ cum strenue Christum prædicaret, correpta à Præfecto diuque torta, atque in carcerem coniecta migrauit ad Dominum.

Eodem die S. Magalomartyris Eustachij certamen & Theopistes vxoris eius filiorumque Theopisti & Agapij.

53 EVstachius Magnus Martyr dux militaris, Romæ Traiano Imperatore, cui prius nomen erat Placidus, vxori vero eius Tutiana, promeruit benificentia, & eleemosynis, vt Deus ipsius saluti consuleret: Visus est eni u venanti Eustachio Christus formam cerui indutus, crucem cum Christi imagine inter cornua solis radios vincentem præferentis: exceptaque cerui vox est: Quid me persequeris Placide? Ego enim sum Iesus Christus: illi igitur crede, Baptizatus ergo cum vxore, & filijs, domoque tota, adeo oppugnatus à Dæmone fuit, vt non solum facultatum omnium iacturam faceret, sed & vxorem captiuam duci, filiosque à feris rapi, se ipsum autẽ in tãta rerum omnium solicitudine alieno susceptum tecto, mercenaria sibi opera victum parare coactum: Atqui benignissimus Deus in cum ex quo deciderat locum restituit sanctum virum, reddita vxore, filijs & omnibus facultatibus: Qui ascitus enim ab Imperatore in pristino dignitatis gradu iterũ collocatur: sed postea cognitus esse Christianus in æneum bouem subiecto lucidento igni, vna cum vxore, & filijs inclusus migrauit ad Dominum.

Duodecimo Cal. Octob. Commemoratio Sanctorum Patrum nostrorum Isacij, & Melecij Episcoporum Cypri.

XX.

54 ISacius, & Melecius sancti beatique patres Ecclesiæque Cyp illle quidem prior, hic vero posterior Episcop : sed pari tamen vterque pietate maximum Sacerdotio splendorem, & gratiam attulere: quippe qui timorem Domini sẽper secum circumferentes, munus suum inculpate, & integerrime obirent, omnesque suas facultates promptissimo animo pauperibus distribuerent, & iuxta illud Prophetæ tota die misererentur & cõmodarent non panem solum, sed fidelem etiã in docendo sermonem, viduarum vindices essẽt, & propugnatores, pupillos misericordia prosequerentur, iacentes erigerent animos, doloremque omnes mœstis consolando abstergerent, omniaque deniq; omnibus fierent, vt omnes lucrifacerent, quo vitæ genere meruere, vt miraculorum curationumque magnitudine, & frequentia à Deo redderentur insignes: qui cum ad summam senectutem vixissent, diuersis quidem temporibus, sed tamen eodem die ad Dominum, quem ab ineunte ætate summo studio coluerant commigrarunt.

Eodem die Certamen Sancti Martyris Theodori eius qui in Perga Pamphiliæ martyrij coronam adeptus est.

55 THeodorus Martyr maior eo Theodoro, qui in Amasia annos natus nonaginta sex Martyrium passus est, floruit Antonino Imperatore. Is in Tyrorum legionem ascriptus, quod & ætate florens & statura magnus, & firma totius corporis constitutione esset, cogebatur tem diuinã Idolis facere, sed neglecta terrestri m litia, atq; impe.. tore corruptioni obnoxio Ego inquit Cælesti Regi stipendia facio, ex quo de sacro baptismatis fonte sublatus sum, terreno autem seruire, & militare nolo. Quare correptus à Præfecto, cæsusque in fornacem inijcitur; sed cum inde ne minimum quidem detrimentum passus exijsset, ea res milites duos Socratem, & Dionysium miraculi magnitudine attonitos ad fidem Christi pertraxit: statimque capitis damnati sunt, vna cum Philippa Theodori matre, quæ pauloante eo visendi filij studio venerat: Theodorus autem varijs tormentorum generibus excruciatus, nouissime in cruc m actus in Cælum lætus, & triumphans euolauit.

Eo-

A

Eodem die, Certamen Sancti Sacro-Martyris & Apostoli Quadrati Episcopi, Magnesiæ, & sociorum eius.

56 QVadratus diuinus Sacromartyr Apostolus Christi, & Episcopus Magnesiæ floruit Decio, & Valeriano Imperatoribus: Hic eum audisset Decium Cæsarem commorari, profectus Magnesia Nicomediam, vt conuentos à se, qui in vinculis essent, sanctos adhortaretur ad subeundum egregia animi alacritate pro Christi nomine Martyrium. Cognoscitur Christianus à Nicomediæ Proconsule: ad cuius tribunal productus eum reliquis martyribus, cum primus Idolorum imposturas coargueret, Cæsaream ad Decium adducitur, cæteris grauissime cæsis, atque iterum in carcerem detrusis, à quo cum nulla arte posset adduci, vt Christum abiuraret, acceptus per varia tormenta quæstioni, atque ab omnibus diuino beneficio ereptus tandem in caminum inijcitur vehementer accensum, sed, & inde incolumis egressus, capitis damnatus morte occubuit.

B

Eodem die, certamen Sancti Martyris Prisci.

57 PRiscus Christi martyr, Dei amore incensus, summaque Baptismatis cupiditate flagrans posthabita patris impietate Christianus efficitur. Quare longe, lateque peruagatus Christum summa dicendi libertate prædicare, Christianorumque animos incendere, vt mortem pro Christi fide fortiter oppeterent: Græcorum etiam multos verbo veritatis à se institutos baptizare: Quibus rebus concitata in se Idololatrarum inuidia defertur ad regionis Præfectum quod maximis Dijs contumelias imponeret, & neglectis Cæsarum Imperijs, author omnibus esset vt Christum Crucifixũ coleret, & adorarent: Quare exarsit vehemẽti iracundia Præfectus vociferarique cœpit, ac milites inclamare, vt quãprimum nocentem Priscum abductum torquerent, correptus igitur grauissime cæditur; deinde in eculeum actus excarnificatur, punctimque pugionibus lancinatur & foditur; postremo capite damnatus migrauit ad Dominum.

C

Vndecimo Cal. Octob. certamen Sancti Sacromartyris Phocæ Episcopi Sinope. XXI.

58 PHocas Christi Sacromartyr Sinopæ natus, & educatus Traiani tempore fuit: Hic à puero multis mirabilibus factis nobilitatus diuino munere fuit, cum & dæmones fugaret, mortuos excitaret, & naues in maximo versantes periculo seruaret: Profectus vero Sinopa, Amasiam, atque inde Amisum, vbique miracula edidit: Reuersusque Sinopam eiusdem vrbis Episcopus renunciaretur vbi cum ostentis, & prodigijs, quibus quotidie magis ac magis illustris fiebat magnam Græcorum multitudinem ad Christum conuersam baptizaret, cognouit huiuscemodi spectro imminere sibi mortem: Visus enim sibi est per quietem videre columbam capiti suo insidentem, quę porrecta sibi corona, hisce verbis alloqueretur: Accipe Phoca finis tui symbolum: Igitur paulo post missis à Traiano lictoribus comprehẽsus, & diutissime tortus abscisso capite in ignem coniectus est.

Eodem die commemoratio Sancti, nobilisque Prophetæ Ionæ.

59 IOnas magnus, & nobilis propheta Iudæus genere missus à Deo vt pronunciaret Niniuitis, fore vt post triduum Niniue subuerteretur, cum bene nosset Deum, qua est in homines clementia, & bonitate veniam daturum Niniuitis, si eos pœniteret, recusato Diuino mandato conscensoque nauigio fugam meditabatur, sed mare diuina voluntate efferatum nil propius fuit, quã vt nauim absorptam deuoraret: Quamobrem nautæ id consilij cepere, vt per sortes explorarent, cuius causa in tanto versarẽtur salutis discrimine, quę cum Ionam iudicassent esse præsentis mali authorem, arreptum præcipitem in mare exturbant, tranquillatoque statim mari exceptum cetus Ionam deuorauit: tertio

D

vero post die in terram illæsum exposuit. Tũc igitur profectus Niniuem præceptumq; Domini persecutus redijt in suam regionem, vnde abducta matre solum vertit, cum eum puderet esse in patria sua, quando vana extitisset sua prophetia: Nam Deus pœnitentes Niniuitas misereri voluit, cumque multa alia prophetasset, in pace quieuit.

Eodem die commemoratio Sancti Ionæ patris Theodori, & Theophanis Confessorum.

60 IOnas Presbyter pietate, & doctrina insignis, fuit pater Theophanis canonum scriptoris, & Theodori beatissimi Confessoris, illius, cuius faciem liuore perstrinxit, & vulnerauit Leo Cabalinus accerrimus imaginum oppugnator, eo quod illum à sanctarum & Christi, & eius, quæ sine semine Christum Deum peperit, & omnium sanctorum eius, imaginum adoratione, & cultu deterrere non posset: Hic igitur Ionas remisso rebus secularibus nuncio, in Vicum Sancti Sabæ sese recepit, & Monachus effectus est, tantoque studio se ipsum ieiunijs, orationibus, perpetuo luctu, & lachrymis exercuit, vt cum omnes in sui admirationem conuertisset, multis cupiditatem inijceret imitandi vitam illius, nulla quidem labe aspersam, sed omni virtute præditam: Quamobrem dignatus à Deo fuit, qui multis ad se accedentibus sanitatem restitueret; Quibus in rebus diu cum magna omnium admiratione versatus migrauit ad Dominum.

Decimo Cal. Octob. Conceptio Sancti Ioannis Baptistæ.

XXII.

61 ZAcharias Propheta, & pater Ioannis Baptistæ, Sacerdosque Dei ingressus aliquando templum, vt thus adoleret, stantibus extra templum Iudæis, cum vidisset Gabrielem Angelum Dei stantem à dexteris altaris thymiamatis, perterritus est; Angelus vero his eum verbis allocutus est; Ne timeas Zacharia, exaudita est enim oratio tua, & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem, & erit tibi gaudiũ, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Zacharias autem cum se & vxorem suam ea ætate processisse cerneret, vt omnis sibi spes sobolis adimeretur; Qui fieri, inquit, hoc potest? Cui Angelus, Ego sum Gabriel, qui asto coram Deo, missusque sum, vt hæc tibi enunciarem, & ecce omnis tibi linguæ facultas adempta est: neque prius eius vincula soluentur quam natus tibi fuerit filius, statimque factus est surdus, & mutus, quoad natus est Ioannes.

Eodem die; certamen Sanctæ Martyris Traidis.

62 TRais Christi martyr, Alexandrina, Virgo, & Monacha, egressa aliquando ex Cœnobio, vt è proximo fonte aquaretur, vidit orbis præfecti nauim ad littus appellentem, qui multos secum Christianos ducebat cathenis cõstrictos, Presbyteros, Diaconos, Mulieres sanctas, & Virgines, accurrensque & sciscitata ex virginibus, quam ob rem essent in vinculis, quibus respondentibus ob Christum, vt pro illius nomine martyrium subeuntes, saluæ simus, impetrauit à lictoribus, vt & sibi cathenas inijceret. Ducti igitur Sancti Antinopolim, multisque à præfecto excruciati tormentis, cum in fide Christi constantissime ad mortem vsque persisterent, damnati omnes capite sunt, primaque omnium Trais obtruncata.

Eodem die; commemoratio Sanctarum Mulierum Xantippæ & Polixenæ.

63 XAntippa, Claudio Imperatore, Probi Hispaniæ præfecti vxor, cum in eam terram Paulus Apostolus venisset, Christumque prædicaret, adijt Apostolum, atque ab eo Christi fide imbuta, baptizataque persuasit & viro suo Christi cultum. Polixena autem eius soror edocta quidem tunc ab eodem Apostolo fuit, sed post eius discessum, cum audisset Andream Magnum Apostolum partis Achaiæ verbum veritatis prædicare, profecta ad eum est, à quo, posteaquam perfectius, quæ ad Christi fidem pertinent didicisset, baptizataque esset, redijt in suam regionem, vbi cum magnam hominum multitudinem, etiam ipsa, & Xantippa omni virtutum genere fulgens ad Christi fidem traxissent, obdormiere in Domino.

Nono Cal. Octob. certamen Sanctæ Protomartyris Theclæ.

XXIII

64 THecla Protomartyr Iconiensis mulieris cuiusdam, & generis nobilitate, & rerum opulentia insignis, Theocliæ nomine filia audiuit Apostolum Paulum, cum Iconium profectus, verba Dei domi Onisiphori doceret, & credidit, ætatis suæ anno decimo octauo, collocata autem in matrimonium Thambridi homini opulento, neglecta matre, viro, diuitijs, adiunxit se Apostolo, cum quo Antiochiam Pisidiæ profecta, damnatur ad bestias, ab Alexandro Præfecto, sed nulla in re ab his læsa traditur tauris, à quibus etiã Dei beneficio liberata, multos ad Christum conuertit, adiuta ab hospite sua Triphæna singulari pietate fœmina. Inde in patriam regressa in monte non procul Seleucia vitam otiose agebat, miraculorum celebritate illustris, vnde cum eam nefarij quidam homines abstrahere, & violare tentarent, petra in partes discissa excepit sanctã annos nonaginta natã.

Octauo Cal. Octob. memoria terrorum ob magnum terræmotum, puerumque per aera raptum.

XXIV.

65 IMperatore Theodosio maiori, terræmotus horribilis Constantinopoli factus est, qualis nunquam mortalium memoria extitit. Quare populus vniuersus cum Imperatore, & Patriarcha relicta vrbe exijt in apertum septimo ab vrbe milliari, ibique commorabatur, quod nulli consistere in Vrbe per assiduos terræmotus liceret; dum autē supplicationes ab eo loco in campū Tribunalio proximum haberentur, atque illis verbis, *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis,* hæc adderentur, *Qui pro nobis crucifixus est*, quæ ex eorum blasphema hæresi erant, qui diuinitatem etiam in Cruce passam esse asserebant, arreptus de media turba repente puerulus per aerem ferebatur; atque cum omnes perterriti conclamarent. *Kyrie eleison*, puerulus tanquam nube delatus quietè descendit, indictoque silentio, dixit; Angelorum Choros Ter-sanctum hominum fine ille appendicula, *qui pro nobis crucifixus est* concinere. Tantum hæc dixit puer cum statim mortuus concidit, simulque cum hæresi finem habuit terræmotus: cum interim omnes admirabundi ingentem Deo gloriam tribuerent.

Eodem die certamen Sancti Sacromartyris Paphnutij.

66 SVmma impij Diocletiani crudelitas plurimos Christianorum non solum ex laicis, sed ex Monachis effecit martyres, ex quorū numero est Paphnutius sanctus, qui ab Ægypto oriundus remisso seculi negocijs nuncio, maximam vitæ partem in eremis traniegit; sed cum plurimos Græcorum ab impietate ad Christi cultum traduceret, eiusque causa multi abriperentur, à Præfecto in vincula iussus ab Angelo, quærenti Præfecto vltro se obtulit, in cuius conspectu liberius Christum confessus, cathenis constringitur ferreis, tum in eculeum actus, eo vsque depectitur donec illius viscera in terram profluerent. Verum, cum, illis tursus ab Angelo compositè in locum suum restitutis, sanctus effectus, multos ad Christi fidem traxisset, mittitur à Præfecto cum cæteris fidelibus ad Diocletianum, à quo palmæ affixus martyrij coronam adeptus est, atque vna eodem die quingenti quadraginta septem Martyres pro Christi nomine mortem oppetiere.

Eodem die commemoratio Sanctæ Euphrosynæ, quæ mutato nomine se, ipsam Smaragdum nominauit.

67 MVltæ sunt salutis viæ. Etenim Euphrosyna opulenti hominis filia, cum sibi nuptias ornari resciuisset, ipsaque à nuptijs mortalis viri prorsus abhorrens Christi sponsa esse in animum induxisset, confugit ad quendam senem sanctumque hominem, à quo sacris initiata, cum timeret ne à patre cognosceretur, sumpto virili cultu mutatoque nomine se ipsam Smaragdum appellauit, atque in virorum Monasterium sese contulit, quod & pater suus frequens adibat, sæpeque cum Monasterij Abbate congressus dolorem, quem ex filiæ fuga conceperat, illi aperiebat, inspectante, & audiente plerumque filia, doloremque eadem de causa præseferente, cum tamen interim nunquam ab eo cognosceretur, cum autem decem, & octo annos in Monasterio vixisset incidit in morbū, & accersito patre dixit. Ego sum filia tua, ne tristare, statimque in Domino obdormiuit.

Septimo Cal. Octob. Translatio Sancti Ioannis Theologi & Euangelistæ.

XXV.

68 IOannes Apostolus Magnus, & Euangelista post Domini Ascensionem & Deiparæ obitum venit Ephesum: Christum euangelizans, delatusque ob eam causam ad Domitianum Imperatorem relegatur in Insulam Pathmos, vbi sanctum Iesu Euāgeliū conscripsit Functo autem vita Domitiano reuocatus ab exilio redijt Ephesum, vbi cum multos, & docendo, & baptizando in Christi partes traxisset, tempus quo è vita discessurus erat, præuidit. Dominico igitur die cum Fratres docuisset, & magna Dei opera dicendo extulisset imperauit discipulo, vt paratis hominibus, & quæ ad fodiendum opus essent instrumentia se consequeretur, quos in locum quendam ductos, iussit egesta altè terra ingentem in Crucis figuram fossam perducere in quam ingressus, paceque fratribus impertita sese in foueam cōposuit resupinum, quo operto discipuli discessere, verū paulo post regressi visendi studio, vacuam & inanem reperere.

Sexto Cal. Octob. certamen Sanctæ Martyris Epichareos.

XXVI.

69 EPicharis Christi martyr Diocletiano Imperatore comprehensa, à Cæsareo præ-

præfore, confeſſaque libere Chriſtum, ſublata in eculeum excarnificatur: deinde malleis plumbeis percutitur à quatuor militibus, quibus fuſa prece à martyre de medio ſublatis, conſuluit prætori aſſeſſor, vt in illam ferret capitalem ſententiam, quod eum feciſſet prætor, cœpit orare martyr, ſtatimque petra, quæ ſubter illius pedes iacebat magnã effudit aquarũ vim; cumq; peroraſſet, extentã ceruicem lictori feriendam porrexit; cuius ſpiritus in Dei manus aduolauit: iuſtorum enim animæ in manu Dei ſunt, precioſæ autem eius reliquiæ honorificè à Felice quodam Senatorio viro pioque Chriſtiano ſepultæ omnem morbum, calamitatem, & ægritudinem ad hanc vſque diem ab ijs qui cum fide implorant illius opem propellunt.

Eodem die, certamen Calliſtrati, & centum octoginta quatuor ſociorum.

70 CAlliſtratus bellicoſus Martyr Diocletiano Imperatore, vir & ſapientia, & pietate erga Deum ſingulari retentus Romæ à copiarum præfecto, cum à Chriſti cultu dimoueri nulla ratione poſſet acerrime cæditur, & funibus conſtrictus per teſtulas acutiſſimas trahitur, tum eculeo inſutus in mare proijcitur, ſed diſciſſo ſacco è mari incolumis emerſit, quo miraculo commoti milites quadraginta nouem Chriſti fidem cupide cõplexi ſunt: quamobrem cæſi à copiarum Præfecto, in vincula cũ Calliſtrato conijciuntur, quos ſciſcitantes in ijs quæ ad indicium, quę ad remunerationem, quæ ad reſurrectionem, quæ ad animam ſpectant, cum probè erudiſſet, eductus è carcere, oratione ad Deum habita, Idola deturbauit: quo prodigio reliqui milites centum triginta quinque numero credidere in Chriſtum, omneſque capite damnati martyrij palmam adepti ſunt.

Quinto Kal. Octob. Commemoratio Patris noſtri Charitonis Confeſſoris, & Magiſtri in Eremo.

XXVII.

71 CHariton Iconienſis pater noſter Chriſtique Confeſſor, Aureliano Imperatore cõprehenſus à præfecto, Chriſtumq; cõfeſſus diutius cæditur, atque in ignem coniectus amburitur; deinde in carcerem detruſus, ibi iacuit donec fato ceſſit Aurelianus, quo mortuo ceſſante perſecutione dimiſſus Hieroſolymam ſe conferebat: ſed in itinere correptus à latronibus in ſpecũ vinctus abducitur: forte autem ſerpens dolium vini ingreſſus vinum infecit veneno, quo epoto latrones mortui ſunt. Quare vir Sanctus diſtributis in egenos omnibus, quæ ex rapto, & cædibus congeſſerant latrones in alteram Eremi ſpeluncam ſe abdidit, ibique cum multos ad Chriſtum, & exemplo, & doctrina traxiſſet, quieuit in pace.

Eodem die, certamen Sanctorum Martyrum Alphei, Alexandri, Marci, & Sociorum.

72 DIocletiano Imperat. Marcus martyr paſcebat oues in monte proximo Antiochiæ Piſidiæ: ſed tanto ſtudio virtutes excoluit, vt & feræ eius imperio ſubijcerentur: nam cum venatores quidam vrſam inſequerentur, illa ad Sanctum virum confugiens eius pedes lingebat, quod Intuiti Venatores rem omnem Præfecto aperiunt, qui miſſis militibus iubet comprehendi Sanctum, at illi in itinere edocti ad Chriſti fidem conuertuntur. Quod vbi reſciuit præfectus, adductos Nicæam iubet obtruncari. Marcum vero, cum huc, & illuc per diuerſas ſecum vrbes rapuiſſet, quæſiuit fabros qui Baſaniſteria ad torquendum cuderent. Quod opus cum Alpheus, Alexander, & Zoſſimus agreſſi, ferrum nulla ratione igni emollire, & ſubigi experti ſæpius eſſent, in Chriſtũ credidere, damnatique capitis ſunt cum Ipſo Marco, & Nicon, Neon & Heliodorus iugulati.

Quarto Kal. Octob. Commemoratio Sancti Patris noſtri Cyriaci Anachoritæ.

73 CYriacus Pater noſter Sãctus Anachorita Corinthius, Ioanne Eccleſiæ Corinthi Presbytero patre natus, floruit Theodoſio Magno Imperatore: hic cum Lector eſſet, incenſus amore Chriſti, & ſalutis ſuæ cupiditate, multa ſalute dicta rebus mundanis, annos natus decem, & octo Hieroſolymam petijt: vbi cum ad ſancta loca oraſſet, in vicum Sancti Euthimij ſe contulit, à quo Monachus effectus tam bene ad virtutem à natura inſtitutus erat, tamq; amœno, & acuto ingenio, vt qui cum Origene ſentirent, redargueret, & facile perſuaderet, cũ vero multa ſe exercitatione, & diſciplina excoluiſſet, ac ſpiritu prophetico ita à Deo afflatus eſſet vt vel occulta hominũ cogitationibus cognitis, atque intimis animi receſſibus perſpectis ſumma eos ingenij ſui dexteritate, & comitate delinitos admoneret, ac emendaret, in extrema ſenectute ad Dominum, cuius amore ab infantia flagrarat triũphans migrauit.

Tertio Kal. Octob. Commemoratio Sancti sacro-Martyris Gregorij Armeniæ Magnæ Episcopi.

XXIX.

74 GRegorius sacro-Martyr bellicosus, Parthus, floruit Diocletiano Imperatore, propinquus Armeniæ Regis, qui ob Christi fidem comprehensus à Teridate altero Armeniæ Rege multis excruciatur tormẽtis, præsertim cum hunc cognouisset esse filiũ eius, qui patrem suum per insidias exceptum intoremit. Quamobrem, cum manibus, & pedibus constrictum in altissimam fossam, feris, & serpentibus plenam deiecit, in qua annos quindecim sumptibus cuiusdam Christianæ fœminæ sustentatus fuit. Verum diuina factum est prouidentia, vt insania, & furore correptus Teridates suas ipse carnes miserabiliter esitaret, coniunctimq; cum porcis vineret, donec soror eius spectro admonita, indicauit fratri, quandiu Gregorius in lacum detineretur, nullam esse salutis spem: Igitur eductus è fossa, Gregorius, Teridate cum omnibus eius ditioni subiectis baptizato, Episcopus creatur, & multis Ecclesijs Dei Sanctorumq; nomini erectis in pace quieuit.

Pridie Kal. Octob. certamen Sanctarum Martyrum Ripsimiæ & Gianæ, & sociorum Martyrum.

XXX.

75. RIpsimia, & Gaiana Armeniæ Virgines, & Monachæ, sed hæc amus, illa vero adolescentula fuit, & generis nobilitate, & eximia pulchritudinis specie clara. Quamobrẽ Tridates cognita egregia Ripsimiæ forma impotenti captus amore comprehensam ad nefandum adigebat amplexum: sed factus Dei beneficio voti sui impos mœrore iacuit semimortuus: illam autem fugientem assecuti milites, vt Christum abiuraret, compellũt. Quod facinus detestata virgo discissis vestibus, præcisaque lingua, & effossis oculis in ignem conijcitur: paulo post gladio cæsa reddidit animam, & cum ea septuaginta viri, triginta que duæ fœminæ interrempti sunt. At Gaiana detracta prius è corpore toto pelle contusisque omnibus ossibus capite damnatur.

OCTOBER.

Kal. Octob. Certamen Sancti sacro-Martyris & Apostoli Ananiæ Episcopi Damasci.

I.

76 ANanias Christi Martyr, & Apostolus, discipulus Magnorum Apostolorum Petri, & Pauli & Andreæ, lectusque ab ijsdem Damasci Episcopus, cum audisset, Paulum Ecclesię Christi persecutorem venire Hierosolyma, vt se comprehenderet, fugam parabat: sed apparens illi Dominus imperauit vt consisteret, & Paulum baptizaret, atq; ab illius oculis, quorum aciem, fulgor Christi sibi in itinere visi, &, vt se persequi desineret Ananiamque conueniret à quo baptizatus visum reciperet, imperantis perstrinxerat, caliginem, & tenebras discuteret. Quod mandatum diligenter persecutus, Saulum baptizatum mutato nomine Paulum nominauit. Post aliquanto comprehensus ab Idololatris ad Liciniũ præfectũ adducitur, à quo cæsus primum, deinde circa latera excarnificatus, extraq; vrbem eiectus lapidibus obrutus est, sepultusque in eadem vrbe.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Michaelis, & sociorum triginta sex Monachorum.

77 MIchael Monachus cum alijs triginta sex, Imperatore Constantino, vitã quiete in Monasterio Sebastę vrbis proximo agebat: cum Alim Saracenorum Admiratus suscepta aduersus Sebastenses expeditione, captos sanctos compellebat, vt deserto Christo, sacra Dijs facerent, qui non solum non sunt assensi, sed illum etiam consputantes responderunt: nullum nobis tormenta vestra terrorem incutiunt, qui contempto vestro hostiũ Crucis Christi Imperio vestram ipsorum impietatem proculcamus, spem nostrã omnem in Domini nostri Christi virtute collocantes. Nam Michael vti illorum dux, cũ in medio cõstitisset eos ad omnia fortiter pro Christi nomine perferenda cohortatus fuerat: Quare omnes illius verbis animati, & confirmati, porrecta promptissime ceruice obtruncati sunt: omniumque postremus martyrij coronam Michael adeptus, ad Dominum aduolauit.

Ba-

Eodem die, Sancti Romani scriptoris contaciorum Commemoratio.

A 78 Romanus Syrus Ecclesiæ Beriti Diaconus, Imperatore Anastasio, profectus Constantinopolim, commoratusque in Sanctissimæ Dei Genitricis templo præficitur Sacræ Cyri ædi: vbi etiam Cōtaciorum munere donatus à Deo est, cum summa Deum pietate coleret, ac assidue in oratione pernoctans peruigilium Blauchernarum ageret, rediit ad pristinam Cyriaci templi curam. Nocte antè natalis Christi visus sibi est per quietem videre Sanctiss. Dei Genitricem, charactérumq; volumen quod illa sibi vt deuoraret tradiderat, absorbuisseq; at statim excitatus è somno admiratione plenus laudem Deo tribuebat. Deinde cōscenso pulpito psallere cœpit. Ἡ παρθένος σήμερον τὸν ὑπερούσιον τίκτει, id est. *Virgo parit nobis hodie supersubstantialem*, eumq; aliorum etiam festorum cōtacia ad mille scripsisset, migrauit ad Dominum.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Domnini.

B 79 Domninus Martyr Sanctus Thessalonicensis Christianus singulari erga Deum pietate, & cultu, cum Maximianus Imperator Tessalonicæ ædificationi operam daret cognitus Christianus esse, corripitur, & illius tribunali sistitur, cui Maximianus vehementi accensus ira: Audes, inquit, me etiam præsente Christianum te ipsum profiteri, deosque nostros auersatus alium Deum colere? Quare si saluti tuæ consultum velis, sacrifica Diis. Sed cum Domninus vnum se Deum cognoscere, illiq; soli cultum, reliquis omnibus opinione tantum, nō autem re Diis contemptis exhibere velle respōdisset: iussit Imperator militibus, vt flagris illius corpus lacerarent, cui adhuc in fide erga Christum perseueranti extra vrbem abducto brachia, & crura confracta sunt: Sanctus vero post contusa membra nullo interim sumpto cibo tantorum malorum, & cruciatuum septem adhuc dies superstes, semperque ad extremum vsque gratias agens spiritum Deo reddidit.

Sexto Nonas Octob. certamen Sanctorum Cypriani, & Iustinæ. II.

C 80 Cyprianus non vulgaris sapientiæ Antistes, Antiochiæ Syriæ natus, floruit Decio Imperatore. Hic, & philosophia, & magicis artibus apprime eruditus Christianus hac ratione efficitur. Iustinam Virginē in eadem vrbe, quæ ab Optato Episcopo, & fide Christi imbuta, & baptizata fuerat: Gellinidas quidam ardenter amabat, sed cum castum Virginis animum nulla ratione expugnare posset, confugit ad magicas Cypriani artes, cui cū male procederent immo ipse à fornicationis Dæmone, quem iam tertio ad sollicitandam Virginem destinarat correptus esset, intellexit vanam, ac futilem esse magicam artem. Quamobrem combustis libris baptizatus tantum in virtute progressum fecit, vt Episcopus creatus, multos ad Christi fidē cōuerteret. Tandem comprehensus à Damasci præposito cum Iustina Martyrii coronam capite abscisso consecutus est.

Eodem die, certamen Sancti Patris Theophili Confessoris.

81 Theophilus Pater noster Christique Confessor, ac Monachus summa erga Deū obseruantia & pietate, cum Leonem Isaurum Imperatorem videret Sanctorum imagines summa contentione loco monere, omnesque pro viribus ad Iconomachorum hæresim trahere, diuino accensus zelo adiit Imperatorem, atq; audenti animo accusauit, præuaricatorem, eumatque Antichristi præcursorem, atque orthodoxæ fidei desertorem inclamando. Quare ira, & stomacho exardescens Imperator iussit virgis hominē diutissime cæsum, in tenebricosum includi carcerem, atque ibi inedia confici. Postea eductum cum ab imaginum cultu dimouere non posset, eiecit in exilium, in quo multas perpessus molestias, & de omnibus gratias Deo agens, ad Christum lætus migrauit.

Quinto Non. Octob. certamen Sancti sacro-Martyris Dionysii Areopagitæ Athenarum Episcopi. III.

D 82 Dionysius Magnus Atheniēsis gloria, diuitiis, & sapientia clarus, ex Areopagitarum Collegio: profecto Athenas Apostolo Paulo, & Christum prædicante, vti erat acri ingenio, veritate facile intellecta in Christum credidit. Baptizatusque Athenarum Episcopus declaratur, quod munus cum & docendo, & multos infidelium ad Christum conuertendo diligentissime obiret: scripsit, & quæ ab Apostolo diuino didicerat, arcana Dei mysteria, & multos de diuinis nominibus libros. Delatus igitur ad Athenarum præfectū ab Idololatris comprehēsus cum duobus

bus discipulis diu primum excruciatus, obtruncatur: qui suis manibus sublatum ad duo millia passuum caput non prius deposuit, quã Christianæ feminæ obuiam factus, illi commendauit. Postea, & duo eius discipuli capite damnati sunt.

Quarto Non. Octob. certamen Sanctorum Martyrum Adaucti, & Callistenes filiæ. IV.

83 ADauctus Martyr Ephesinus, Ducis dignitate à Maximino Imperatore ornatus, cum Callistenem filiam virginem, cuius forma, & venustate captus turpiter Imperator fuerat, occultasset, fugaque pudori consulens in orientis partes deducendam curasset, furore percitus Imperator, Adauctũ per causam, & simulationem Christianæ fidei correptũ, & proscriptũ in Mesopotamiã relegauit, cũ mandatis ad Mesopotamiæ præfectũ vt nisi posset ad Idolorum cultũ traduci, occideretur. Adauctus igitur in sententia perseuerans, capite damnatus est, sepultusq; ab vxore, & filia: sed cum rerum potitus esset Licinius adijt Callistene Augustã, à qua re omni vti se habuerat exposita impetrauit, vt patris reliquias Ephesum reportaret, vbi vita quam optimis traducta factis, defuncta est.

Eodem die, certamen Sancti sacro-Martyris Petri Capetoleorum Episcopi.

84 PEtrus gentilis, vt primum Christi doctrinam degustauit, fide imbutus baptizatur cum vxore, totaque familia: deinde sacra Scriptura diuina eruditus Capitoleorũ Episcopus renunciatur qui cum multos ab impietate ad Christum conuerteret commota aduersus Christianos persecutione captus ab Idololatris grauissime cæditur cathenisq; constrictus ad Præfectum adducitur, qui cum à Christi fide abduci non posset, erutis oculis, lingua præcisa, auribus amputatis, manibus ac pedibus neruo contractis, in præparatam Crucem actus, nunquã orare pro tortoribus cessauit: Ne statuas, inquiens, Domine illis hoc peccatum: tandem spirãti adhuc milites caput à ceruicibus abscidere.

Eodem die, Dormitio Sancti Patris nostri Pauli Simplicis.

85 PAulus cognomento Simplex agricola, cum vxorem corporis quidem forma venustam, at moribus perditis duxisset, rediretque aliquando ab agro, vxorem cum adultero domi deprehẽdit. Quare relicta domo, & pueris suis secessit in solitudinẽ, profectusq; ad Antonium Magnum, petebat vt Monachũ se initiaret, cuius senectutem intuitus Antonius; Sexaginta inquit annos natus es, laboribus, ac molestijs nequaquam par eris, cui Paulus: quiste impera, & periculum fac? Antonius igitur in sene omnia expertus, probatum, tonsumque in Monachorum ordinem cooptauit, & ædificatam seorsum in altero specu cellulam seni tradidit, vbi tanto studio se ipsum in omni virtutũ genere excoluit, vt mirabilibus adeo factis dignatus, præter cætera, à iuuene qui ad Antonium venerat, illo tum absente, Dæmonem fugarit.

Eodem die, certamen Sancti Dionysij Patriarchæ Alexandrini.

86 DIonysius qui in Sanctorum numerum relatus est pater noster, cum à Valeriano & Gallieno Imperatoribus in Christianos omnes, præcipuè autem Episcopos sæuiretur, quod existimarent, si Episcopis licẽtia, & libertas præcideretur, cæteros nullo negotio in officio futuros: Comprehensus ab Alexandriæ præfecto, cum in Christi fide constantissime permaneret in interiorem Ægyptum ita deportatur, vt omnis videndi illius facultas amicis adimeretur. Qui in exilio cum Christi doctrina ad se accedentes imbuere non cessaret, nõ lapidibus solum ab Idololatris petitus, varijsq; tormentorũ generibus affectus est, sed in locum etiam multo priore incultiorem, & horridiorem à præfecto relegatur: denique post mille molestias extremo affectus est supplicio.

Eodem die, certamen Sanctorum Martyrum, & Diaconorum Gaij, Fausti, Eusebij, & Chæremonis.

87 GAius, Faustus, Eusebius, & Chæremon Martyres discipuli Dionysij facto-Martyris fuerunt. Gaius quidem, & Faustus exilij illius comites post multos cruciatus Martyrij palmam adepti sunt. Eusebius autẽ, & Chæremon postquam magister, & antistes eorum damnatus exilio fuit, diuina adiuti virtute, eos, qui in vinculis erant frequentes adibant, eis sumptus suggerentes obuolutasque & decoratas Sanctorum Martyrũ reliquias sepulchro inferentes, qui nihil prorsus de summa suorũ studiorum cõtentione remittentes ad Decij tẽpora ætate processere. Quare cum maxima Christum libertate con-

nterentur, salutaremque illius Incarnationem omnibus prædicarent cathenis, ferreis cõstricti ab Idolorum cultoribus Alexãdriæ præfecto sistuntur, & varie torti tandem Eusebina in eculeum actus, depexusq; Chæremon (vero virgis cæsus vterque in tormentis extincti sunt.

Eodem die, Commemoratio Sancti Patris nostri Hierothei Episcopi.

88 Hierotheus magnus antistes, ex nouẽ virorum numero, qui Athenis Senatores erant, præceptor Dionysij Areopagitę, fide Christi institutus est à sacris Apostolis, quos secutus magnam Christianæ genti laudem attulit. Nam & exodios hymnos in funere sanctę, ac præclarę Reginæ nostræ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ conscripsit & concinuit, & cum in Apostolorũ oculis nihil non honestissimi, & optimi gereret eò sapientiæ & cognitionis diuinæ processit vt Dionysium, quem magnus Apostolus Paulus ad Christi fidem conuerterat, virtute, & auxilio Sanctiss. Spiritus de cælestibus virtutibus, atq; Angelicis ordinibus atque omni ornatu cælesti docuerit. Scripsit autem & alios libros in quibus de magnis mysterijs disseruit: cumque totum suæ vitæ tempus, in pietate, & virtute multoque Dei cultu consumpsisset multisque idcirco à Deo donatus esset muneribus, obdormiuit in Domino.

Eodem die, certamen Sancti Domitij Persæ.

89 Domitius Sanctus Persa Constantino Magno Imperatore, pietate doctus à Christiano quodam, & baptizatus relictis parentibus, & diuitijs sese in Sanctorum Sergij, & Bacchi Monasterium Theodosiopoli proximum recepit, vbi Monachus primum, tum ob egregias animi sui dotes Diaconus factus est, cum vero sacris aliquando operaretur, Monasterij præfectus Domitius, qui ac certam prope sacram mensam præ manibus habebat, dignus fuit qui ob eximium animi candorem vitæque integritatem Spiritum sanctum sub columbæ forma sancta dona circum volitantem, & in ipsis exsidentem videret mensque illius ab eodem spiritu illustraretur. Præterea cũ & presbyteratus dignitate eum ornare vellet Monasterij Abbas, abijt, & in speluncam se abdidit, vbi cum maximam accedẽtibus ad se vtilitatem afferret, Iulianus præuaricator, re cognita misit qui lapidibus sanctum virum obrueret.

Eodem die, Commemoratio Sancti Amonis Aegyptij.

90 Amon diuinus Ægyptius, nobilis, & egregius ascita Monasticæ vitæ ab adolescentia sua studiosus, Maximino Imperatore, abijt in solitudinem quiete solus agẽs, vnoque contentus pallio, quod noctes, atque dies gestabat, herbisq; pro cibo, quas sua ipsa sponte fert tellus: Vixit autem ad Antonij Magni pugnas, nam cum forte sedens Antonius Fratres, quæ ad vtilitatẽ animæ maximè spectant doceret, exurgẽs vidit Beatam Amonis animam è corpore egressam Angelorum manibus in Cælum efferri, cuius rei cum gloriam Deo tribueret, rogatus ab ijs qui aderant, quod viderat indicauit. Illi igitur notata hora profecti in Ægyptum compererę eadem die Amonem in Domino obdormisse.

Tertio Non. Octob. certamen S. Mamelchthæ.

V.

91 Mamelchtha Martyr., Persa, Dianæ Sacerdos, sed quæ sororem haberet Christianam, arctiore complexa somno, vidit Angelum Dei Christianorum sibi mysteria ostendentem, excitataque cum terrore de somno rem omnem sorori primum aperit, deinde etiam præbente se ducem sorore, Episcopo, qui intellecto phantasmatis symbolo, Christianam, inquit, oportet te fieri: statimque sororis manibus de sacro fonte suscepta baptizatur, quare vehementi furore correpti gentiles multis excruciatã tormentis lapidibusq; petitam occidere, splendida adhuc sacri baptismatis veste indutam, atq; in profundissimum locum demersere; vnde vix à Christianis extracta est: Adijt autem ad Persarum Regem Episcopus. impetrauitque vt dirutum & euersum Dianæ templum Sanctæ Martyris nomine excitarent, & consecrarẽt. In quod magnifice ædificatum preciosas Martyris reliquias intulere.

Eodem die; certamen Sanctæ mart. Charitinæ.

92 Charitina Christi Martyr Diocletiano Imperatore, & Domitio Comite, Claudij cuiusdam serua, cum per litteras postulasset ab illius domino Comes, vt ea ad se mitteretur, propterea quod de ea vt Christianã haberi quæstionem oporteret, ægerq; dominus, & sacco obuolutus illius sortem deploraret, consolabatur dominum suum; Ne te afflictes inquiens domine mi: Ego enim reliquijs meis, tua, meaque peccata expiabo: cui ille; Memento mei apud cælestem Regem.

Igitur

Igitur ducta ad Comitem, se ipsamque Christianam professa, primū capite raso, cum candenti carbone conspersō; deinde ingenti è collo eius appenso lapide in mare deiecta, aquam maris pro baptismo habuit. Vnde emersa seipsam Comiti ostentauit, quæ postquam astantium animos rei magnitudine attonitos reddidisset, euulsis dentibus, præcisisq; manuum ac pedum digitis cum palma Martyrij ad Dominum aduolauit.

Pridie Non. Octob. certamen Sancti Thomæ Apostoli.

VI.

93 POst Domini nostri Iesu Christi Assumptionem cum Apostolorum singuli in eam quæ sorte venerat regionem, profecti docerent, obtigit & Thomæ Indorum regio, vbi Christum prædicans, cum ad fidem Regis vxorem, & filium cōuertisset, defertur ad Regem, qui Thomam in carcerē cū alijs vinctis detrudi iussit: corruptis autem pecunia militibus, regis filius cum matre, atque alijs nō paucis carcerem ingressi baptizati sunt. Cum autem idoneū tempus visum est, Iecti fuere ex his Presbyteri, & Diaconi, quos vbi rescituit rex in Christi nomine docere, iratus eductum è carcere Apostolum & militibus traditum iussit occidi, quem abductum in montem lancea transfuerberarunt.

Eodem die Commemoratio Sancti Patris nostri Nicetæ Confessoris.

94 NIcetas Pater noster Sanctus Christi Confessor Irenes Augustæ propinquus, cum ab ea non tam ob propinquitatē, quam excellentem illius in omnibus virtutem adhiberetur, quippe qui confectis feliciter bellis fortis viri nomen sibi comparatet, ad Sanctam Synodum Nicænam, quæ secundo habita est, legatus missus est. Qua in re, cum ex præscripto diuino egregiè, & insigniter se gessisset homo cæteroqui maximè idoneus in Patritiatus ordinem cooptatus, Siciliæ Prætor declaratur, qua etiam prouincia optime, & integerrime administrata multaq; præcipua erga viduas, & pupillos vsus benignitate domum rediit. Verum quia Imperio potitus erat Leon Armenion Iconomachus, remisso dignitatibus, diuitijs, omnique mundanæ gloriæ nuncio Monachus factus est: Quod cum audisset Imperator succensuit, & imaginem Seruatoris Nicetę quam comburerēt misit, sed impietatem detestatus Nicetas relegatus est; quo in exilio multis affectus incommodis mortuus est.

Nonis Octob. certamen Sanctorum Martyrum Sergij, & Bacchi.

VII.

95 SErgius, & Bacchus insignes Christi Martyres Maximiano Imperatore, egregia corporis forma in oculis Imperatoris erant: Sergius quidem Primicerius, proximū vero Bacchus locum obtinebat: sed accusati, quod magna Christum obseruantia, & pietate colerent, & cum sollicitati, vt Christum abiurarent in sancto proposito fortiter persisterent, primum quidem dignitate torque, & virili toga spoliantur. deinde muliebri medio foro tecti stola, & proscripti mittuntur ad Augustinopoleos præfectum, vt ab eo torquerentur; in itinere vero præibat illis Angelus Domini. Perducti igitur ad præfectum, Bacchus prior certamine pro Christo fortissime inito in ipsis tormentis mortem oppetijt. Deinde Sergius calceamētis ferreis quæ acuteis ad pedes clauis affixerant, indutus & currere coactus, gladio cæsus est.

Eodem die, Certamen Sanctæ Pelagiæ mart.

96 PElagia Martyr Tarsensis Diocletiano Imperatore cum Clinus Episcopus multos ex gentilibus baptizaret, ipsaque vidisset per quietem Episcopi phantasma, se ad baptismum adhortantis, petita à matre venia, vt nutricem sibi conuenire liceret, adijt Episcopum & baptizata est, traditaque ab Episcopo sua, quam in pauperes erogaret maximi precij stola, rediit ad matrem, quæ filiam in vili ac sordida veste conspicata, ea non admissa properauie filio Diocletiani, qui sibi Pelagiam desponderat vxorem, nunciare, Pelagiam ad Christianorum secta transisse, quod cum audisset adolescens, sibi manum intulit. Quamobrem accensus ira Diocletianus pater correptam Virginem iussit boui æneo subiecto luculento igni, includi, & cremari.

Octauo Idus Octob. Commemoratio alterius Pelagiæ Virginis Antiochenæ.

VIII.

97 PElagiam ad Sanctam Antiochea Syriæ summo loco natam mittit vrbis præfectus, Numeriano Imperatore, milites, qui Christianæ fidei causa comprehenderent: cū igitur milites domum circumquaq; obsedissent, Virgo omnia armis teneri intuita impetrauit, vt paululum sibi ad ornandum se temporis darent, quod sua sponte descensura

ad

ad eos esset, tum erecto corpore, atque in orientem in eo quo orare consueuerat loco conuerso, manibus, atque oculis in Cælum sublatis, diutius precata Deum est, ne in militum potestatem, sed casta, & pura ad Deum ipsum veniret. Hæc cum orasset, seq; ipsam honestè composuisset, spiritum Deo reddidit.

Eodem die; Commemoratio Sanctæ Pelagiæ quondam meretricis.

98 SAnctiss. Antiochiæ magnæ Patriarcha coegit aliquando Synodale Episcoporum sibi Subditorum concilium in quadã Ecclesiæ difficultate, in quorum numero fuit & Nonnus Episcopus Sanctus, qui cum populum doceret, & Pelagia meretrix præteriret cum amatore suo, gemmisq; margaritis, atque auro onusta, luxuriosoque totius corporis cultu; ad hæc tanta vnguentorum copia perfusa, vt aër odoris inficeretur fragrantia, cæteris Episcopis oculos ab ea deijcientibus, ipse solus oculos in eam defixit, conuersusq; ad præsentes. Hanc etiam, inquit, Deus, qua est in homines humanitate sibi adiungeret. Quare cum Nonnus docere vti instituerat pergeret, Pelagia pœnitentia interiore ducta baptizatur, erogatisque in pauperes omnibus suis diuitijs: Hierosolymam se recepit, & Monacha facta tantum apud Deum valuit, vt mirabilibus nobilitata factis migrarit ad Dominum.

Septimo Idus Octob. certamen Sanctorum Martyrum Iubentini & Maximi.

IX.

99 IVbentinus, & Maximus Martyres Iuliano præuaricatore imperante, cuius etiam seruis à pedibus armatis iter faciente præcurrere soliti erant, cuiusque sibi beneuolentiam sua ipsorum fortitudo maximè conciliarat, cum Iulianus esset Antiochiæ Syriæ imperassetque victimarum sanguine fontes, fluuios venalesq; cibos pollui, & fœdari, vt, qui ea degustassent, vel inuiti sacrificiorum gentilium participes essent, sibi temperare nõ potuerant, quin ingemiscerent, ac lachrymarentur; at cum accubuissent, tum vero vehementius complorantes dixere, cur nos Deus tradidisti Imperatori Apostatæ, & Maximo omnium gentium præuaricatori? Excepit hæc verba qui proximè assidebat, & detulit ad Iulianum. Exarsit ira Imperator, statimq; ad se perductos, & varijs tormentorum generibus grauiter afflictos capitis dãnauit.

Eodem die Commemoratio Sanctæ Popliæ Diaconissæ.

100 POplia Sancta & genere, & nominis celebritate nobilis, & illustris fœmina Iuliano Apostata Imperatore, & in quodam Antiochiæ Syriæ templo Diaconissa, Virginũ cœtũ hymnos Deo concinentiũ celebrabat. Quadam igitur die cum magna voce illius psalmi verba concineret, Simulachra gentium argentum, & aurum opera manuum hominum; similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis, prætereunsq; Iulianus audisset, tacere iussit, sed tantum abfuit vt Poplia taceret, vt maiori etiam vocis contentione psalleret. Quamobrem iratus præuaricator ad se adductę faciem cædi iussit, at illa accusata Imperatoris impietate egressa domum more, & instituto suo psallebat, & laudes Deo cum Virginibus illis celebrabat, per quę studia traducta sanctissimè vita, in pace quieuit.

Eodem die, certamen Sancti Dorothei Archiepiscopi Tyri.

101 DOrotheus vir magnę famæ celebritate Episcopus Tyri, qui omnia memoria historiæ scripta tenebat, cum persecutionis in Christianos cõmotę, à Diocletiano, & Licinio vitandæ causæ fugisset, & post illorum mortem Tyrum redijsset, Sanctę Dei Ecclesiæ ad Iuliani præuaricatoris tempora præfuit, sed cum Iulianum prius occultè per præfectos suos Christianorum cædes efficere didicisset, atque ob eam causam se in Thraciam recepisset, non tamen Idololatratũ manus effugere potuit. Comprehensus enim à Iuliani præfectis, & quæstioni adhibitus in ipsis tormentis, annos centum, & septem natus pro Christi confessione mortuus beatã Deo reddidit animam, & multa non mediocris vtilitatis scripta reliquit.

Eodem die, certamen Sancti Iacobi Alphæi Apostoli.

102 IAcobus Christi Apostolus, filius Alphæi & Matthæi publicani, & Euangelistæ frater, Christi vrbẽ, & ea quæ ad æternum illius regnum spectant omnibus promiscue Iudæis, & Græcis palam prædicabat, magnamque hominum turbam in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizabat. Quod Iudæi indigne ferentes, eius interficiẽdi

con-

consilium cepere. Quare in vnum locum coacti comprehensum, & vario crudeliter, & indignissimè affectum cruciatu, demum scipionibus cæsum interemere; cum interim Sanctus ad extremum, & laudes Domino nostro Iesu Christo tribueret, & gratias sanctæ eius nomini ageret, quod illius ope exceptum fortiter Diabolum voluntatisque eius ministros vicisset, & reddita inter hæc verba illi anima sepultus est.

Sexto Id. Octob. Certamen Sanctorum Martyrum Eulampij, & Eulampiæ, & Sociorum. X.

103 EVlampius Christi Martyr, & Eulampia soror Nicomedienses, Maximiano Imperatore, vt persecutionem in dies gliscentem deuitarent, in montem se cum multis Christianis abdidere. Profectus vero aliquando Eulampius in vrbem ad annonam emendam, cum proposita in publico imperatoria edicta, quæ commeatus imperabāt, vidisset, & legeret, comprehensus ab Idolorū cultoribus sistitur Imperatoris tribunali, & pertractus in Idolorū templum, vt Dijs immolaret, precatus est Deum: collapsisque ad terram, & contritis Idolis torqueri cœpit. Quod vbi cognouit Eulampia soror descendit de monte, & media turba complexa fratrem, sociam se in pugna illi adiunxit: in feruentem igitur cacabum ambo coniecti, & incolumes egressi: miraculo rei ducentos milites in Christi partes traxere, dānatiq; omnes capitis mortem oppetiere.

Eodem die, Commemoratio Sancti Patris nostri Bassiani.

104 BAssianus Sanctus Pater noster, Syrus, Marciano Imperatore Pio, Constātinopolim profectus virtute sua statim innotuit, & Imperatoris gratiam adeo sibi conciliauit, vt non solum Sanctum virum tanquam patrem coleret, sed & templum illius nomine, quod ad hanc vsque diem extat extrueret, & consecraret: fuit enim ad docendum appositissimus, vt multis persuaderet relictis curis sæcularibus monasticam agere vitam, in quorum numero fuit Mionna sanctus, haberetque ad trecentos, qui secum in ea, quam instituerat vita commilitium facerēt. Ad hæc multis illustratus est mirabilibus factis. Præterea si quis in grauissimum aliquod peccatum lapsus esset, & idcirco deploratam esse salutem suam existimaret, vir sanctus pari cum eo dolore suscepto non prius conatu desistebat, quam lapsum per pœnitentiam restitutum, atque è Dæmonis manibus extortum Christo clementissimo offerret. Insuper prouidentiæ munere donatus à Deo cùm futura prospiceret, & prædiceret, magnam multis vtilitatem attulit, quibus semper studijs exactā innocentissimè vita, cōfectus senio migrauit ad Dominum, & à Discipulis in templo eius nomini consecrato funeratus est.

Eodem die, Commemoratio Sancti Patris nostri Iacobi Ascitæ.

105 IAcobus magnus Ascita, cum sæpe victoriam de Diabolo retulisset, victus & ipse aliquando, tamen iterum cum eo cōgressus superior è prælio discessit. Nam cum in spelunca annos quindecim orationi, & commentationi impendisset, delataque sibi etiam esset à Deo fugandorum Dæmonum potestas, commotus inuidia Dæmon sanctum virum in stuprum, & homicidium pellexit. Ingressus enim cuiusdam diuitis filiā, suggessit vt Iacobum imploraret: perscrutati igitur parentes puellæ speluncam ductam ad sanctū filiam precario rogarunt, vt liberaret, qui adhibita prece propulit ab eo dæmonem. Parentes vero veriti, ne, si statim domum reducerent, iterum à dæmonio corriperetur, Sancti viri custodiæ tradidere, quoad liberam omnino redderet. At ille vitiauit puellam, & occidit. Quare timore perculsus, in fugam se coniecit, sed in via pœnitentia ductus, effususque in lachrymas in sepulchrum se abdidit, vbi cum peccata ita expiasset, vt in magna siccitate imbrem de cælo deduceret; mortuus est.

Quinto Idus Octob. Commemoratio Sanctarum Zenaidos, & Philonillæ Sociorum. XI.

105 ZEnais, & Philonilla sorores Sanctæ, Tarsenses, fuere sanguinis propinquitate S. Apostolo Paulo coniunctæ. Zenais quidem medicinā primum professa, deinde ab ipso Apostolo fide Christi imbuta valedixit arti, diuitijs, & sorori, atque in remoto montis antro solitariam agens vitam soli Deo vacabat, herbis tantum quas prope speluncā tellus ipsa ferebat famem sustētans: Ad quas legendas aliquando egressa, pressit imprudens acutissimum clauum ligneum diaboli opera humi defixum indignissimè ferentis quod multi occultè ad eam accedentes ad Christi fidem traducerentur. Quæ cum dolore impar consedisset, vt è pede clauum euelleret migrauit ad Dominum. Philonilla autem domi consistens, cum non minore quam soror studio ad virtutem contendisset, ma-

magnoque semper cultu Deum prosecuta esset, in pace quieuit.

Eodem die, Commemoratio Sancti Philippi Apostoli, de quo facta est mentio in Apostolorum Actis.

107 PHilippus Christi Apostolus ex septē Diaconorum numero, cùm Ioppe Christum prædicaret iussus est à Spiritu sancto Gazam petere, quo in itinere obuiam factus Candaci Eunucho Reginæ Ethiopum Præfecto quadrigæ insidenti, Prophetamque Isaiam legenti, accedens propius quæsiuit, nū quæ legeret intelligeret, cui Candax; Qui possum inquit assequi sine interprete? elatusque in currum Apostolus illo Isaiæ loco exposito, fide Christi Candacem instituit, & cum ad aquam peruenisset Eunuchus, intento ad aquam digito. Quid prohibet, inquit, me baptizari? desiliensque ad pedes baptizatus est, neque amplius vidit Philippum à Spiritu sancto raptum, sed reliquum iter cōficere perrexit. Philippus vero Trallium Asiæ Episcopus declaratur, postea in pace quieuit.

Quarto Idus Octob. Commemoratio septimæ Synodi trecentorum sexaginta septem Sanctorum Patrum.

XII.

108 SAncta Oecumenica Synodus septima Nicææ secundo habita à patribus trecentis sexaginta sex: Constantino, & Irene matre eius Imperatoribus, & Tarasio viro sanctissimo, & diuino patre nostro Patriarcha Constantinopoleos, coacta fuit ab Imperatore aduersus Iconomachos. Quare conscripto anathemate, quo omnes hæreses, & heresiarchas tum & Iconomachos damnarūt, omnes vno ore cōclamauere, Quisquis sacras imagines non adorat abhorrere ab orthodoxorum fide: honoremq; qui imaginibus haberetur ad imaginem nihil pertinere, sed totum in prototypon, vt ait magnus Basilius, recidere, qui enim adorat imaginem, & colit, adorat in ea & colit, quam imago refert personam, & hypostatim. Quæ cum decreuissent, Orthodoxorumq; fidem scripto firmassent, atque honorificè accepti ab Imperatore essent, in suum quisque Episcopium sese recepit.

Eodem die, Certamen Sanctorum Martyrum Probi, Tharachi, Andronici.

109 PRobus, Tharacus, & Andronicus tres bellicosi Martyres; Diocletiano Imperatore Christianæ fidei causa vincūtur à Ciliciæ Præfecto. Primusque Tharachus Colaphis contusus in carcerem conijcitur. Deinde Probus ferreis virgis cæsus custodiæ traditur. Tertio admotum Andronicum prius verberibus afficiunt, eiusq; femora gladijs lancinant: deinde latera ferreis vngulis excarnificant. Postremo sale aspersum in eundem cum reliquis includunt carcerem. Post hæc à Cilicia Mopsuestiam ducti, cum à Christi confessione demoueri non possent, rursus torti, Tharachus quidem capite contuso & abraso, Andronicus autem cæso scipionibus ventre, Probus vero post inustos candentibus subulis lūbos, & axillas, multisque alijs cruciatibus omnes affecti, tandem capite plectuntur.

Eodem die, Certamen Sanctæ Martyris Anastasiæ Virginis.

110 ANastasia Christi Martyr, & Virgo Romana, Decio, & Valeriano Imperatoribus Monasticam cū alijs virginibus claustralibus agebat vitam, quare ad Præfectum delata Anastasiam illi ad se capistro ferreo addictam, & in Christi fide perseuerantē, colaphis cædi, tum nudatæ ignem substernit deinde liquatam picem, oleum, ac plumbum superinfundi, ad hæc in eculeum sublatæ ossa omnia hastarū manubrijs confringi, præterea ambas mamillas abscindi, post hæc vngues extrahi, pedem vtrumque, ambasque manus præcidi, ac dentes conuelli, multaque alia tormentorum genera adhiberi, denique gladio trucidari imperauit.

Eodem die, certamen Sanctæ Domninæ Martyris.

111 DOmnina Christi Martyr Diocletiano Imperatore, Anazarbi nata, comprehēsa à lictoribus Græcis sistitur Lysiæ Duci tribunali, quæ Christi Iesu Domini nostri nomen summa animi, & vocis libertate confessa, verumque Deum, vnum, & totius orbis conditorem esse: ementitos autem gētilium Deos testata, sed meras esse fabulas, ligna, lapides, & putrem materiam, crudelissime cæditur, pedesque illius candentibus subulis aduruntur: deinde in carcerem, atque in

ni tenebras arripitur, sed iterum quæstioni adhibita scipionibus acerrime verberatur: ad hæc singuli membrorum artus forcipibus illi luxantur, rursusque in carcerem includitur, in quo cum oraret, & gratias Deo ageret pro quo etiam Martyrium subierat, Spiritum illa reddidit, reliquiæ vero eius honorifice sepulchro illatæ sunt.

Tertio Idus Octob. Sanctorum Martyrum *Carpi, Papyli Agathodori, & Agathonicæ.*

XIII.

112 Carpus Episcopus Thiatirarum & Papylus Diaconus Decio Imperatore vincti ab Asiæ Præfecto, interrogatique Christi Domini nomen in cõspectu omnium prædicarunt, & testati sunt, iussique Diis immolare imperata facere recusarunt: Quare alligatos ad equos, Sardis vsque præ se egit, & rapuit præfectus: ibique in eculeum actos vngulis ferreis miserabiliter depecti, & scalpi imperauit. Agathodorus autem sanctorum seruus, atque officij pietatisq; causa illos prosecutus tandiu torquetur, donec martyrio cõsumptus est. Porro Carpus cum in eculeo subrideret, rogatusque à præfecto quidnam rideret, sublato c. chino respondisset, se exhilaratũ propterea quod potestas gloriæ videndæ facta sibi fuisset, de eculeo cum Papylo depositus, in ignem conijcitur. Agathonica autem Papyli soror in rogum ardentem sua sponte læta insilijt, itaque omnes Martyrij coronam adepti ad Deum aduolarunt.

Eodem die, certamen Sancti Florentij Martyris.

113 Florentius martyr Thessalonicensis, totius honesti, Christianæque professionis studiosissimus, probra, & conuitia maxime omnium in gentilium Deos iactare, vanamque eorum superstitionem detestari, & deuouere solitus, omne tempus, aut in docenda vera Christi fide, aut confirmandis, cohortandisque ad exhauriẽdam Dei voluntatem Christianis transmittebat. Cuius rei causa comprehensus à regionis præfecto, cum in illius conspectu Dominum nostrum Iesum Christum esse solum Deum, Græcorumque Deos, ligna, lapides, aurum & argentum, æs, & ferrum esse palam denunciaret, & testaretur, omnisque sensus atque animæ expertes, concitato in iram præfecto, vario afficitur cruciatu. Deinde in eculeum elatus scalpitur, præterea in ardentissimum rogum coniectus, orans, & gratias agens consumptus est.

Pridie Idus Octob. certamen Sanctorum Martyrum Nazarij, Geruasij, Protasij, & Celsi.

XIV.

114 Nazarius Romæ natus Aphricano, & Perpetua, à Sancto Petro baptizatis claruit, Nerone Imperatore. Ipse vero à Lino Patriarcha Romano baptizatus, annos viginti natus totam Italiam peragrabat, qui dum vbique Christi fidem disseminaret, reperit in vrbe quadam Geruasium, & Protasium, in vincula ob Christi fidem à regionis præfecto coniectos. Cæsus igitur, atque ex vrbe extrusus, in aliam vrbem concessit: adiunctoque sibi Celso tertium annum agẽte, Mediolanum venit, vbi iterum Sanctos Geruasium, & Protasium in carcere inuenit, retentusque Romam à Præfecto remittitur. Verum ille Mediolanum regressus capite plectitur vna cum reliquis Sanctis, & puero Celso annum tunc nonum, & mensem septimum ingresso.

Idibus Octob. certamen S. *Luciani Martyris.*

115 Lucianus martyr Antiochiæ Syriæ natus, Imperatore Diocletiano, mortuis parentibus, distributis in pauperes facultatibus suis, omne tempus diuinarum scripturarum lectioni dabat: quo fiebat, vt illis instructus multos infidelium ad Christum conuerteret. Relicta autem Antiochia, Nicomediam petijt, vbi Diocletiano per cædes in Christianos debaccante Christianorum non paucos, quos vi, metuque tormentorum adactos defectionem ad gentilium sacra cogitare, atque moliri deprehendit, suscepto animo adeo in Christi partibus confirmauit, vt mutata sententia martyrium fortiter, & subirent, & perferrent. Quæ res cum illi optime cederet, quod diuina adiutus opera, dum vrbem obiret, & lustraret à nemine ipse, nisi à quo vellet conspiciebatur, effecit, vt Diocletianus veritus, ne, si ad se virum Dei acciret, liberius ab eo obiurgaretur, sumpto velo conuenit Lucianum; cuius animum cum nullis artibus, captum, ac delinitum in sententiam suam trahere potuisset, in tenebricosum carcerem detrusum, atque inedia perpetua consumptum in mare proiecit.

Eodem die, commemoratio Sabini Episcopi patris nostri in Diuorum numerum relati.

116 SAbinus beatus propter eximias animi dotes, & sanctum vitæ institutum declaratur Episcopus: sed postea cum seculares tumultus quietis studio fastidiret, in loca sola procul ab omni hominum consuetudine profectus, ita & ipse in virtute processit, ac progressus est, seipsum ieiunijs, vigilijs, omnibusq; studijs exercendo, vt miracula ederet, morbos depelleret, leprosos mundaret, dæmones fugaret, futura prænunciaret, & accedentes eruditissima oratione eò prouexit, vt relictis parentibus, fratribus, domo, monasticam professi vitam Deo soli vacarent, eique omni puritate candoreque animi mandata illius digerentis seruirent. Per quæ studia acta sanctissime vita in pace quieuit, spiritum Deo, corpus autem terræ cognatione sibi coniuncta reddidit, miraculorum celebritate ad hanc diem illustris.

Decimo septimo Cal. Nou. Certamen Sancti Martyris Longini Centurionis.

XVI.

117 LOnginus Cappadox, Centurio, Tiberio Imperatore merens, sub Pilato Iudeæ Præfecto, qui & illius iussu pretiosis Christi cruciatibus, pœnæque per crucem expetitæ, sedulam cum sua Centuria nauauit operam, cùm ea, quæ cæli, Christo crucis patibulo elato, non obscura nefariæ cædis dedere signa, vidisset, terram horrendo motu concussam, solis deliquium, sepulchra sponte sua patentia, mortuos excitatos, discissasque petras, exclamauit: Vere Dei Filius erat iste, renunciatoque militiæ munere in patriam redijt, Christum palam prædicans, ac denuncians, qui cum idcirco à Iudæis ad Pilatum delatus esset: Pilatusque pecunia corruptus rem scripsisset ad Tiberium, eius mandato caput Longino præcisum, & in foueam Hierosolymis deiectum, tandiu occultatum fuit: dum fœmina quædam Cappadox cæca diuino admonita visu Hierosolyma profecta, indicato capite, visum recepit.

Decimosexto Cal. Nou. certamen Sanctorum Martyrum Chrysanthi, & Dariæ.

XVII.

118 CHrysanthus Numeriano Imperatore Romam cum patre Patricio viro profectus, Christi fide ab Episcopo quodam

A in spelunca occultato instituitur. Quod vbi resciuit pater in tenebricosum includit carcerem, tum inuitum compellit vxorem ducere Dariam Philosopham, qua tamen non secus ac sorore vsus semper est, quando id vterque consilij ceperat, atque in animum induxit, vt virginitatem ad mortem vsque tuerentur, & conseruarentq; quare & ipsa baptizata est, sed cum innumerabiliter hominum ad vitam caste, temperateque agendam hæc mulierum, ille virorum multitudinem inducerent, infideles ęgerrime ferentes vxores suas facto diuortio Christo initiari, & consecrari, rem deferunt præfecto, quos ille vinctos tradidit Claudio Tribuno. Sancti igitur ex vrbe eiecti, & varijs torti cruciatibus in foueam cœno

B plenam deijciuntur, atque obruti, & conculcati martyrio pariter consumpti sunt.

Eodem die, commemoratio Sancti Osiæ Prophetæ.

119 OSias Propheta Dei, cœli, & terræ cultor, cùm gentiũ Deos odisset, & execraretur, Iudęorumq; contribulium, errores corrigeret, maximo prophetiæ munere dignatus à Deo est. Quare præter multa alia quæ & Iudæis, & gentibus prophetauit, illud præcipue signum, & ostentum, tempus, quo Dominus è Cælo in terram adueniens versa-

C turus esset inter homines præmonstraturum esse prædixit, Occidet, inquiens, sol in *Siloin*, dissectaque in duodecim partes arbore in Siloe, nascentur duodecim arbores; hoc est, cum in crucem egerint Iudæi Christum solem iustitiæ, solque radios suos condiderit, diuidentur duodecim tribus Israel in omnes gentes, orienturque duodecim arbores, quæ sunt duodecim Apostoli, conuertentque omnes gentes ad Christi fidem. Quo prophetiæ munere, vitaque defunctus, sepultus est.

Eodem die, certamen Sanctorum Anargyrorum Cosmæ & Damiani, fratrumq; illorum Anthimi, Leontij, & Eutropij.

D

120 TRes sunt Sanctorum Anargyrorum coniugationes, quibus, & eadem, Cosmæ & Damiani nomina fuerunt, & medicinæ artem tractauerunt, & Anargyrorum cognomen habuerunt: fuere enim alij Theodotæ piẽtissimæ fœminæ filij, qui vita quieta persuncti in loco Phereman nomine sepulti sunt. Alij, qui cum Romæ degerent præceptore inuido vsi, per dolum ab eo in montem per simulationem legẽdi herbas deducti, lapidibus obruti sunt. Alij de quibus nunc nobis institutus sermo est, Arabes fuere, qui terrarum orbem peragrantes gratuitam morbo aliquo laborantibus operam præbebant. Diocletia-

A

Eodem die, Certamen Sancti Sacromartyris & Apostoli Quadrati Episcopi, Magnesiæ, & sociorum eius.

56 Qvadratus diuinus Sacromartyr Apostolus Christi, & Episcopus Magnesiæ floruit Decio, & Valeriano Imperatoribus: Hic cum audisset Decium Cæsareæ commorari, profectus Magnesia Nicomediam, vt conuentos à se, qui in vinculis essent, sanctos adhortaretur ad subeundum egregia animi alacritate pro Christi nomine Martyrium. Cognoscitur Christianus à Nicomediæ Proconsule: ad cuius tribunal productus cum reliquis martyribus, cum primus Idolorum imposturas coargueret, Cæsaream ad Decium adducitur, cæteris grauissime cæsis, atque iterum in carcerem detrusis, à quo cum nulla arte posset adduci, vt Christum abiuraret, acceptus per varia tormenta quæstioni, atque ab omnibus diuino beneficio ereptus tandem in caminum inijcitur vehementer accensum, sed, & inde incolumis egressus, capitis damnatus morte occubuit.

B

Eodem die, certamen Sancti Martyris Prisci.

C

57 Priscus Christi martyr, Dei amore incensus, summaque Baptismatis cupiditate flagrans posthabita patris impietate Christianus efficitur. Quare longe, lateque peruagatus Christum summa dicendi libertate prædicare, Christianorumque animos incendere, vt mortem pro Christi fide fortiter oppeterent: Græcorum etiam multos verbo veritatis à se institutos baptizare: Quibus rebus concitata in se Idololatrarum inuidia defertur ad regionis Præfectum quod maximis Dijs contumelias imponeret, & neglectis Cæsarum Imperijs, author omnibus esset vt Christum Crucifixū colerēt, & adorarent: Quare exarsit vehemēti iracundia Præfectus vociferarique cœpit, ac milites inclamare, vt quāprimum nocentem Priscum abductum torquerent, correptus igitur grauissime cæditur; deinde in eculeum actus excarnificatur, punctimque pugionibus laneinatur & foditur; postremo capite damnatus migrauit ad Dominum.

D

Vndecimo Cal. Octob. certamen Sancti Sacromartyris Phocæ Episcopi Sinope. XXI.

58 Phocas Christi Sacromartyr Sinopæ natus, & educatus Traiani tempore fuit: Hic à puero multis mirabilibus factis nobilitatus diuino munere fuit, cum & dæmones fugaret, mortuos excitaret, & naues in maximo versantes periculo seruaret: Profectus vero Sinopa, Amasiam, atque inde Amisum, vbique miracula edidit: Reuersusque Sinopam eiusdem vrbis Episcopus renunciaretur vbi enm ostentis, & prodigijs, quibus quotidie magis ac magis illustris fiebat magnam Græcorum multitudinem ad Christum conuersam baptizaret, cognouit huiuscemodi spectro imminere sibi mortem: Visus enim sibi est per quietem videre columbam capiti suo insidentem, quę porrecta sibi corona, hisce verbis alloqueretur: Accipe Phoca finis tui symbolum: Igitur paulo post missis à Traiano lictoribus comprehēsus, & diutissime tortus abscisso capite in ignem coniectus est.

Eodem die commemoratio Sancti, nobilisque Prophetæ Ionæ.

59 Ionas magnus, & nobilis propheta Indæus genere missus à Deo vt pronnnciaret Niniuitis, fore vt post triduum Niniue subuerteretur, cum bene nosset Deum, qua est in homines clementia, & bonitate veniam daturum Niniuitis, si eos pœniteret, recusato Diuino mandato conscensoque nauigio fugam meditabatur, sed mare diuina voluntate efferatum nil propius fuit, quā vt nanim absorptam deuoraret: Quamobrem nautæ id consilij cepere, vt per sortes explorarent, cuius causa in tanto versarētur salutis discrimine, quę cum Ionam indicassent esse præsentis mali authorem, arreptum præcipitem in mare exturbant, tranquillatoque statim mari exceptum cetus Ionam deuorauit: tertio vero post die in terram illæsum exposuit. Tūc igitur profectus Niniuem præceptumq; Domini persecutus rediit in suam regionem, vnde abducta matre solum vertit, cum enm puderet esse in patria sua, quando vana extitisset sua prophetia: Nam Deus pœnitentes Niniuitas miserari voluit, cumque multa alia prophetasset, in pace quieuit.

Eo-

Eodem die commemoratio Sancti Ionæ patris Theodori, & Theophanis Confessorum.

60 IOnas Presbyter pietate, & doctrina insignis, fuit pater Theophanis canonum scriptoris, & Theodori beatissimi Confessoris, illius, cuius faciem liuore perstrinxit, & vulnerauit Leo Cabalinus accerrimus imaginum oppugnator, eo quod illum à sanctarum & Christi, & eius, quæ sine semine Christum Deum peperit, & omnium sanctorum eius, imaginum adoratione, & cultu deterrere non posset: Hic igitur Ionas remisso rebus secularibus nuncio, in Vicum Sancti Sabæ sese recepit, & Monachus effectus est, tantoque studio se ipsum ieiunijs, orationibus, perpetuo luctu, & lachrymis exercuit, vt cum omnes in sui admirationem conuertisset, multis cupiditatem inijceret imitandi vitam illius, nulla quidem labe aspersam, sed omni virtute præditam: Quamobrem dignatus à Deo fuit, qui multis ad se accedentibus sanitatem restitueret; Quibus in rebus diu cum magna omnium admiratione versatus migrauit ad Dominum.

Decimo Cal. Octob. Conceptio Sancti Ioannis Baptistæ.

XXII.

61 ZAcharias Propheta, & pater Ioannis Baptistæ, Sacerdosque Dei ingressus aliquando templum, vt thus adoleret, stantibus extra templum Iudæis, cum vidisset Gabrielem Angelum Dei stantem à dextris altaris thymiamatis, perterritus est; Angelus vero his eum verbis allocutus est; Ne timeas Zacharia, exaudita est enim oratio tua, & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem, & erit tibi gaudiũ, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Zacharias autem cum se & vxorem suam ea ætate processisse cerneret, vt omnis sibi spes sobolis adimeretur; Qui fieri, inquit, hoc potest? Cui Angelus, Ego sum Gabriel, qui asto coram Deo, missusque sum, vt hæc tibi enunciarem, & ecce omnis tibi linguæ facultas adempta est: neque prius eius vincula soluentur quam natus tibi fuerit filius, statimque factus est surdus, & mutus, quoad natus est Ioannes.

Eodem die; certamen Sanctæ Martyris Traidis.

62 TRais Christi martyr, Alexandrina, Virgo, & Monacha, egressa aliquando e a Cœnobio, vt è proximo fonte aquaretur, vidit orbis præfecti nauim ad littus appellentem, qui multos secum Christianos ducebat cathenis cõstrictos, Presbyteros, Diaconos, Mulieres sanctas, & Virgines, accurensque & sciscitata ex virginibus, quam ob rem essent in vinculis, quibus respondentibus ob Christum, vt pro illius nomine martyrium subeuntes, salui simus, impetrauit à lictoribus, vt & sibi cathenas inijcerẽt. Ducti igitur Sancti Antinopolim, multisque à præfecto excruciati tormentis, cum in fide Christi constantissime ad mortem vsque persisterent, damnati omnes capite sunt, primaque omnium Trais obtruncata.

Eodem die; commemoratio Sanctarum Mulierum Xantippæ & Polixenæ.

63 XAntippa, Claudio Imperatore, Probi Hispaniæ præfecti vxor, cum in eam terram Paulus Apostolus venisset, Christumque prædicaret, adijt Apostolum, atque ab eo Christi fide imbuta, baptizataque persuasit & viro suo Christi cultum. Polixena autem eius soror edocta quidem tunc ab eodem Apostolo fuit, sed post eius discessum, cum audisset Andream Magnum Apostolum partis Achaiæ verbum veritatis prædicare, profecta ad eum est, à quo, posteaquam perfectius, quæ ad Christi fidem pertinent didicisset, baptizataque esset, redijt in suam regionem, vbi cum magnam hominum multitudinem, etiam ipsa, & Xantippa omni virtutum genere fulgens ad Christi fidem traxissent, obdormiere in Domino.

Nono Cal. Octob. certamen Sanctæ Protomartyris Theclæ.

XXIII

64 THecla Protomartyr Iconiensis mulieris cuiusdam, & generis nobilitate, & rerum opulentia insignis, Theocliæ nomine filia audiuit Apostolum Paulum, cum Iconium profectus, verba Dei domi Onisiphori doceret, & credidit, ætatis suæ anno decimo octauo, collocata autem in matrimonium Thambridi homini opulento, neglecta matre, viro, diuitijs, adiunxit se Apostolo, cum quo Antiochiam Pisidiæ profecta, damnatur ad bestias, ab Alexandro Præfecto, sed nulla in re ab his læsa traditur tauris, à quibus etiã Dei beneficio liberata, multos ad Christum conuertit, adiuta ab hospite sua Triphæna singulari pietate fœmina. Inde in patriam regressa in monte non procul Seleucia vitam otiose agebat, miraculorum celebritate illustris, vnde cum eam nefarij quidam homines abstrahere, & violare tentarent, petra in partes discissa excepit sanctã annos nonaginta natã.

Octauo Cal. Octob. memoria terrorum ob magnum terræmotum, puerumque per aera raptum.

XXIV.

65 IMperatore Theodosio maiori, terræmotus horribilis Constantinopoli factus est, qualis nunquam mortalium memoria extitit. Quare populus vniuersus cum Imperatore, & Patriarcha relicta vrbe exijt in apertum septimo ab vrbe milliari, ibique commorabatur, quod nulli consistere in Vrbe per assiduos terræmotus liceret; dum autẽ supplicationes ab eo loco in campũ Tribunalio proximum haberentur, atque illis verbis, *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis*, hæc adderentur, *Qui pro nobis crucifixus est*, quæ ex eorum blasphema hæresi erant, qui diuinitatem etiam in Cruce passam esse asserebant, arreptus de media turba repente puerulus per aerem ferebatur; atque cum omnes perterriti conclamarent. *Kyrie eleison*, puerulus tanquam nube delatus quietè descendit, indictoque silentio, dixit; Angelorum Choros Ter-sanctum hominum sine ille appendicula, *qui pro nobis crucifixus est* concinere. Tantum hæc dixit puer cum statim mortuus concidit, simulque cum hæresi finem habuit terræmotus: cum interim omnes admirabundi ingentem Deo gloriam tribuerent.

Eodem die certamen Sancti Sacromartyris Paphnutij.

66 SVmma impij Diocletiani crudelitas plurimos Christianorum non solum ex laicis, sed ex Monachis effecit martyres, ex quorũ numero est Paphnutius sanctus, qui ab Ægypto oriundus remisso seculi negocijs nuncio, maximam vitæ partem in eremis transegit; sed cum plurimos Græcorum ab impietate ad Christi cultum traduceret, eiusque causa multi abriperentur, à Præfecto in vincula iussus ab Angelo, quærenti Præfecto vltro se obtulit, in cuius conspectu liberius Christum confessus, cathenis constringitur ferreis, tum in eculeum actus, eo vsque depectitur donec illius viscera in terram profluerent. Verum, cum, illis rursus ab Angelo compositè in locum suum restitutis, sanctus effectus, multos ad Christi fidem traxisset, mittitur à Præfecto cum cæteris fidelibus ad Diocletianum, à quo palmæ affixus martyrij coronam adeptus est, atque vna eodem die quingenti quadraginta septem Martyres pro Christi nomine mortem oppetiere.

Eodem die commemoratio Sanctæ Euphrosynæ, quæ mutato nomine se ipsam Smaragdum nominauit.

67 MVltæ sunt salutis viæ. Etenim Euphrosyna opulenti hominis filia cum sibi nuptias ornari resciuisset, ipsaque à nuptijs mortalis viri prorsus abhorrens Christi sponsa esse in animum induxisset, confugit ad quendam senem sanctumque hominem, à quo sacris initiata, cum timeret ne à patre cognosceretur, sumpto virili cultu mutatoque nomine se ipsam Smaragdum appellauit, atque in virorum Monasterium sese contulit, quod & pater suus frequens adibat, sæpeque cum Monasterij Abbate congressus dolorem, quem ex filiæ fuga conceperat, illi aperiebat, inspectante, & audiente plerumque filia, doloremque eadem de causa præseferente, cum tamen interim nunquam ab eo cognosceretur, cum autem decem, & octo annos in Monasterio vixisset incidit in morbũ, & accersito patre dixit. Ego sum filia tua, ne tristare, statimque in Domino obdormiuit.

Septimo Cal. Octob. Translatio Sancti Ioannis Theologi & Euangelistæ.

XXV.

68 IOannes Apostolus Magnus, & Euangelista post Domini Ascensionem & Deiparæ obitum venit Ephesum: Christum euangelizans, delatusque ob eam causam ad Diomitianum Imperatorem relegatur in Insulam Pathmos, vbi sanctum Iesu Euãgeliũ conscripsit Fũcto autem vita Diomitiano reuocatus ab exilio redijt Ephesum, vbi cum multos, & docendo, & baptizando in Christi partes traxisset, tempus quo è vita discessurus erat, præuidit. Dominico igitur die cum Fratres docuisset, & magna Dei opera dicendo extulisset imperauit discipulo, vt paratis hominibus, & quæ ad fodiendum opus essent instrumentis se consequeretur, quos in locum quendam ductos, iussit egesta altè terra ingentem in Crucis figuram fossam perducere in quam ingressus, paceque fratribus impertita sese in foueam cõposuit resupinum, quo operto discipuli discessere, verũ paulo post regressi visendi studio, vacuam & inanem reperere.

Sexto Cal. Octob. certamen Sanctæ Martyris Epichareos.

XXVI.

69 EPicharis Christi martyr Diocletiano Imperatore comprehensa, à Cæsareo præ-

prætore, confessaque libere Christum, sublata in eculeum excarnificatur: deinde malleis plumbeis percutitur à quatuor militibus, quibus fusa prece à martyre de medio sublatis, consuluit prætori assessor, vt in illam ferret capitalem sententiam, quod cum fecisset prætor, cœpit orare martyr, statimque petra, quæ subter illius pedes iacebat magnã effudit aquarũ vim; cumq; perorasset, extentã ceruicem lictori feriendam porrexit; cuius spiritus in Dei manus aduolauit: iustorum enim animæ in manu Dei sunt, preciosæ autem eius reliquiæ honorificè à Felice quodam Senatorio viro pioque Christiano sepultæ omnem morbum, calamitatem, & ægritudinem ad hanc vsque diem ab ijs qui cum fide implorant illius opem propellunt.

B

Eodem die, certamen Callistrati, & centum octoginta quatuor sociorum.

70 CAllistratus bellicosus Martyr Diocletiano Imperatore, vir & sapientia, & pietate erga Deum singulari retentus Romæ à copiarum præfecto, cum à Christi cultu dimoueri nulla ratione posset acerrime cæditur, & funibus constrictus per testulas acutissimas trahitur, tum eculeo insutus in mare proijcitur, sed discisso sacco è mari incolumis emersit, quo miraculo commoti milites quadraginta nouem Christi fidem cupide cõplexi sunt: quamobrem cæsi à copiarum Præfecto, in vincula cũ Callistrato coniciuntur, quos sciscitantes in ijs quæ ad iudicium, quę ad remunerationem, quæ ad resurrectionem, quæ ad animam spectant, cum probè erudijsset, eductus è carcere, oratione ad Deum habita, Idola deturbauit: quo prodigio reliqui milites centum triginta quinque numero credidere in Christum, omnesque capite damnati martyrij palmam adepti sunt.

C

Quinto Kal. Octob. Commemoratio Patris nostri Charitonis Confessoris, & Magistri in Eremo.

D

XXVII.

71 CHariton Iconiensis pater noster Christique Confessor, Aureliano Imperatore cõprehensus à præfecto, Christumq; cõfessus diutius cæditur, atque in ignem coniectus amburitur; deinde in carcerem detrusus, ibi iacuit donec fato cessit Aurelianus, quo mortuo cessante persecutione dimissus Hierosolymam se conferebat: sed in itinere correptus à latronibus in specũ vinctus abducitur: forte autem serpens dolium vini ingressus vinum infecit veneno, quo epoto latrones mortui sunt. Quare vir Sanctus distributis in egenos omnibus, quæ ex rapto, & cædibus congesserant latrones in alteram Eremi speluncam se abdidit, ibique cum multos ad Christum, & exemplo, & doctrina traxisset, quieuit in pace.

Eodem die, certamen Sanctorum Martyrum Alphei, Alexandri, Marci, & Sociorum.

72 DIocletiano Imperat. Marcus martyr pascebat oues in monte proximo Antiochiæ Pisidiæ: sed tanto studio virtutes excoluit, vt & feræ eius imperio subijcerentur: nam cum venatores quidam vrsam insequerentur, illa ad Sanctum virum confugiens eius pedes lingebat, quod Intuiti Venatores rem omnem Præfecto aperiunt, qui missis militibus iubet comprehendi Sanctum, at illi in itinere edocti ad Christi fidem conuertuntur. Quod vbi rescinit præfectus, adductos Nicæam iubet obtruncari. Marcum vero, cum hoc, & illuc per diuersas secum vrbes rapuisset, quæsiuit fabros qui Basanistiria ad torquendum cuderent. Quod opus cum Alpheus, Alexander, & Iossimus agressi, ferrum nulla ratione igni emolliri, & subigi experti sæpius essent, in Chriſtũ crediderε, damnatique capitis sunt cum ipso Marco, & Nicon, Neon & Heliodorus iugulati.

Quarto Kal. Octob. Commemoratio Sancti Patris nostri Cyriaci Anachoritæ.

73 CYriacus Pater noster Sãctus Anachorita Corinthius, Ioanne Ecclesiæ Corinthi Presbytero patre natus, floruit Theodosio Magno Imperatore: hic cum Lector esset, incensus amore Christi, & salutis suæ cupiditate, multa salute dicta rebus mundanis, annos natus decem, & octo Hierosolymam petijt: vbi cum ad sancta loca orasset, in vicum Sancti Euthimij se contulit, à quo Monachus effectus tam bene ad virtutem à natura institutus erat, tamq; amœno, & acuto ingenio, vt qui cum Origene sentirent, redargueret, & facile persuaderet, cũ vero multa se exercitatione, & disciplina excoluisset, ac spiritu prophetico ita à Deo afflatus esset vt vel occulta hominũ cogitationibus cognitis, atque intimis animi recessibus perspectis summa eos ingenij sui dexteritate, & comitate delinitos admoneret, ac emendaret, in extrema senectute ad Dominum, cuius amore ab infantia flagrarat triũphans migrauit.

A

Tertio Kal. Octob. Commemoratio Sancti sacro-Martyris Gregorij Armeniæ Magnæ Episcopi.

XXIX.

74 GRegorius sacro-Martyr bellicosiis, Parthus, floruit Diocletiano Imperatore, propinquus Armeniæ Regis, qui ob Christi fidem comprehensus à Teridate altero Armeniæ Rege multis excruciatur tormẽtis, præsertim cum hunc cognouisset esse filiũ eius, qui patrem suum per insidias exceptum interemit. Quamobrem, eum manibus, & pedibus constrictum in altissimam fossam, feris, & serpentibus plenam deiecit, in qua annos quindecim sumptibus cuiusdam Christianæ fœminæ sustentatus fuit. Verum diuina factum est prouidentia, vt insania, & furore correptus Teridates suas ipse carnes miserabiliter esitaret, coniunctimq; cum porcis viueret, donec soror eius spectro admonita, indicauit fratri, quandiu Gregorius in lacum detineretur, nullam esse salutis spem: Igitur eductus è fossa, Gregorius, Teridate cum omnibus eius ditioni subiectis baptizato, Episcopus creatur, & multis Ecclesijs Dei Sanctorumq; nomini erectis in pace quieuit.

B

Pridie Kal. Octob. certamen Sanctarum Martyrum Ripsimiæ & Gianæ, & sociorum Martyrum.

XXX.

C

75 RIpsimia, & Gaiana Armeniæ Virgines, & Monachæ, sed hæc anus, illa vero adolescentula fuit, & generis nobilitate, & eximia pulchritudinis specie clara. Quamobrẽ Tridates cognita egregia Ripsimiæ forma impotenti captus amore comprehensam ad nefandum adigebat amplexum: sed factus Dei beneficio voti sui impos mœrore iacuit semimortuus: illam autem fugientem assecuti milites, vt Christum abiuraret, compellũt. Quod facinus detestata virgo discissis vestibus, præcisaque lingua, & effossis oculis in ignem conijcitur: paulo post gladio cæsa reddidit animam, & cum ea septuaginta viri, triginta que duæ fœminæ interrempti fuet. At Gaiana detracta prius è corpore toto pelle contusisque omnibus ossibus capite damnatur.

D

OCTOBER.

Kal. Octob. Certamen Sancti sacro-Martyris & Apostoli Ananiæ Episcopi Damasci.

I.

76 ANanias Christi Martyr, & Apostolus, discipulus Magnorum Apostolorum Petri, & Pauli & Andreæ, lectusque ab iisdem Damasci Episcopus, cum audisset, Paulum Ecclesię Christi persecutorem venire Hierosolyma, vt se comprehenderet, fugam parabat: sed apparens illi Dominus imperauit vt consisteret, & Paulum baptizaret, atq; ab illius oculis, quorum aciem, fulgor Christi sibi in itinere visi, &, vt se persequi desineret Ananiamque conueniret, à quo baptizatus visum reciperet, imperantis perstrinxerat, caliginem, & tenebras discuteret. Quod mandatum diligenter persecutus, Saulum baptizatum mutato nomine Paulum nominauit. Post aliquanto comprehensus ab Idololatris ad Liciniũ præfectũ adducitur, à quo cæsus primum, deinde circa latera excarnificatus, extraq; vrbem eiectus lapidibus obrutus est, sepultusque in eadem vrbe.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Michaelis, & sociorum triginta sex Monachorum.

77 MIchael Monachus cum alijs triginta sex, Imperatore Constantino, vitã quiete in Monasterio Sebastę vrbis proximo agebat: cum Alim Saracenorum Admiratus suscepta aduersus Sebastenses expeditione, captos sanctos compellebat, vt deserto Christo, sacra Dijs facerent, qui non solum non sunt assensi, sed illum etiam consputanies responderunt: nullum nobis tormenta vestra terrorem incutiunt, qui contempto vestro hostiũ Crucis Christi Imperio vestram ipsorum impietatem proculcamus; spem nostrã omnem in Domini nostri Christi virtute collocantes. Nam Michael vti illorum dux, cũ in medio cõstitisset eos ad omnia fortiter pro Christi nomine perferenda cohortatus fuerat: Quare omnes illius verbis animati, & confirmati, porrecta promptissime ceruice obtruncati sunt: omniumque postremus martyrij coronam Michael adeptus, ad Dominum aduolauit.

Ba-

Eodem die, Sancti Romani scriptoris contaciorum Commemoratio.

78 ROmanus Syrus Ecclesiæ Beriti Diaconus, Imperatore Anastasio, profectus Constantinopolim, commoratusque in Sãctissimæ Dei Genitricis templo præficitur Sacræ Cyri ædi: vbi etiam Cõtaciorum munere donatus à Deo est, cum summa Deum pietate coleret, ac assidue in oratione pernoctans peruigilium Blauchernarum ageret, rediit ad pristinam Cyriaci templi curam. Nocte autẽ natalis Christi visus sibi est per quietem videre Sanctiss. Dei Genitricem, characterumq; volumen quod illa sibi vt deuoraret tradiderat, absorbuisseq; at statim excitatus è somno admiratione plenus laudem Deo tribuebat. Deinde cõscenso pulpito psallere cœpit. *ἡ παρθένος σήμερον τὸν ὑπερούσιον τίκτει*, id est. *Virgo parit nobis hodie supersubstantialem*, cumq; aliorum etiam festorum cõtacia ad mille scripsisset, migrauit ad Dominum.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Domnini.

79 DOmninus Martyr Sanctus Thessalonicensis Christianus singulari erga Deum pietate, & cultu, cum Maximianus Imperator Tessalonicæ ædificationi operam daret cognitus Christianus esse, corripitur, & illius tribunali sistitur, cui Maximianus vehementi accensus ira: Audes, inquit, me etiam præsente Christianum te ipsum profiteri, deosque nostros auersatus alium Deum colere? Quare si saluti tuæ consultum velis, sacrifica Dijs. Sed cum Domninus vnum se Deum cognoscere, illiq; soli cultum, reliquis omnibus opinione tantum, nõ autem re Dijs contemptis exhibere velle respõdisset: iussit Imperator militibus, vt flagris illius corpus lacerarent, cui adhuc in fide erga Christum perseueranti extra vrbem abducto brachia, & crura confracta sunt: Sanctus vero post contusa membra nullo interim sumpto cibo tantorum malorum, & cruciatuum septem adhuc dies superstes, semperque ad extremum vsque gratias agens spiritum Deo reddidit.

Sexto Nonas Octob. certamen Sanctorum Cypriani, & Iustinæ.

II.

80 CYprianus non vulgaris sapientiæ Antistes, Antiochiæ Syriæ natus, floruit Decio Imperatore. Hic, & philosophia, & magicis artibus apprime eruditus Christianus hac ratione efficitur. Iustinam Virginẽ in eadem vrbe, quæ ab Oprato Episcopo, & fide Christi imbuta, & baptizata fuerat: Gellinidas quidam ardenter amabat, sed cum castum Virginis animum nulla ratione expugnare posset, confugit ad magicas Cypriani artes, cui cũ male procederent immo ipse à fornicationis Dæmone, quem iam tertio ad sollicitandam Virginem destinarat correptus esset, intellexit vanam, ac futilem esse magicam artem. Quamobrem combustis libris baptizatus tantum in virtute progressum fecit, vt Episcopus creatus, multos ad Christi fidẽ cõuerteret. Tandem comprehensus à Damasci præposito cum Iustina Martyrij coronam capite absciso consecutus est.

Eodem die, certamen Sancti Patris Theophili Confessoris.

81 THeophilus Pater noster Christique Confessor, ac Monachus summa erga Deũ obseruantia & pietate, cum Leonem Isaurum Imperatorem videret Sanctorum imagines summa contentione loco mouere, omnesque pro viribus ad Iconomachorum hæresim trahere, diuino accensus zelo adijt Imperatorem, atq; audenti animo accusauit, præuaricatorem, eum, atque Antichristi præcursorem, atque orthodoxæ fidei desertorem inclamando. Quare ira, & stomacho exardescens Imperator iussit virgis hominẽ diutissime cæsum, in tenebricosum includi carcerem, atque ibi inedia confici. Postea eductum cum ab imaginum cultu dimouere non posset, eiecit in exilium, in quo multas perpessus molestias, & de omnibus gratias Deo agens, ad Christum lætus migrauit.

Quinto Non. Octob. certamen Sancti sacro-Martyris Dionysij Areopagitæ Athenarum Episcopi.

III.

82 DIonysius Magnus Atheniẽsis gloria, diuitijs, & sapientia clarus, ex Areopagitarum Collegio: profecto Athenas Apostolo Paulo, & Christum prædicante, vti erat acri ingenio, veritate facile intellecta in Christum credidit. Baptizatusque Athenarum Episcopus declaratur, quod munus cum & docendo, & multos infidelium ad Christum conuertendo diligentissime obiret: scripsit, & quæ ab Apostolo diuino didicerat, arcana Dei mysteria, & multos de diuinis nominibus libros: Delatus igitur ad Athenarum præfectũ ab Idololatris comprehẽsus cum duo-

nterentur, salutaremque illius Incarnationem omnibus prædicarent cathenis, ferreis cõstricti ab ldolorum cultoribus Alexãdriæ præfecto sistuntur, & varie torti tandem Eusebius in eculeum actus, depexusq; Chæremon, vero virgis cæsus vterque in tormentis extincti sunt.

Eodem die, Commemoratio Sancti Patris nostri Hierothei Episcopi.

88 Hierotheus magnus antistes, ex nouẽ virorum numero, qui Athenis Senatores erant, præceptor Dionysij Areopagitę, fide Christi institutus est à sacris Apostolis, quos secutus magnam Christianæ genti laudem attulit. Nam & exodios hymnos in funere sanctę, ac præclarę Reginæ nostræ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ conscripsit & concinuit, & cum in Apostolorũ oculis nihil non honestissimi, & optimi gereret eò sapientiæ & cognitionis diuinæ processit vt Dionysium, quem magnus Apostolus Paulus ad Christi fidem conuerterat, virtute, & auxilio Sanctiss. Spiritus de cælestibus virtutibus, atq; Angelicis ordinibus atque omni ornatu cælesti docuerit. Scripsit autem & alios libros in quibus de magnis mysterijs disseruit: cumque totum suæ vitæ tempus, in pietate, & virtute multoque Dei cultu consumpsisset multisque idcirco à Deo donatus esset muneribus, obdormiuit in Domino.

Eodem die, certamen Sancti Domitij Persæ.

89 Domitius Sanctus Persa Constantino Magno Imperatore, pietate doctus à Christiano quodam, & baptizatus relictis parentibus, & diuitijs sese in Sanctorum Sergij, & Bacchi Monasterium Theodosiopoli proximum recepit, vbi Monachus primum, tum ob egregias animi sui dotes Diaconus factus est, cum vero sacris aliquando operaretur, Monasterij præfectus Domitius, qui acerram prope sacram mensam præ manibus habebat, dignus fuit qui ob eximium animi candorem vitæque integritatem Spiritum sanctum sub columbæ forma sancta dona circum volitantem, & in ipsis existentem videret, mensque illius ab eodem spiritu illustraretur. Præterea cũ & presbyteratus dignitate eum ornare vellet Monasterij Abbas, abijt, & in speluncam se abdidit, vbi cum maximam accedẽtibus ad se vtilitatem afferret, Iulianus prævaricator, re cognita mitit qui lapidibus sanctum virum obtueret.

Eodem die, Commemoratio Sancti Amonis Aegyptij.

90 Amon diuinus Ægyptius, nobilis, & egregius ascita Monasticæ vitæ ab adolescentia sua studiosus, Maximino Imperatore, abijt in solitudinem quiete solus agẽs, vnoque contentus pallio, quod noctes, atque dies gestabat, herbisq; pro cibo, quas sua ipsa sponte fert tellus: Vixit autem ad Antonij Magni pugnas, nam cum forte sedens Antonius Fratres, quæ ad vtilitatẽ animæ maximè spectant doceret, exurgẽs vidit Beatam Amonis animam è corpore egressam Angelorum manibus in Cælum efferri, cuius rei cum gloriam Deo tribueret, rogatus ab ijs qui aderant, quod viderat indicauit. Illi igitur notata hora profecti in Ægyptum compererũt eadem die Amonem in Domino obdormisse.

Tertio Non. Octob. certamen S. Mamelchthæ.

V.

91 Mamelchtha Martyr, Persa, Dianæ Sacerdos, sed quæ sororem haberet Christianam, arctiore complexa somno, vidit Angelum Dei Christianorum sibi mysteria ostendentem, excitataque cum terrore de somno rem omnem sorori primum aperit, deinde etiam præbente seducem sorore, Episcopo, qui intellecto phantasmatis symbolo, Christianam, inquit, oportet te fieri: statimque sororis manibus de sacro fonte suscepta baptizatur, quare vehementi furore correpti gentiles multis excruciatã tormentis lapidibusq; petitam occidere, splendida adhuc sacri baptismatis veste indutam, atq; in profundissimum locum demersere; vnde vix à Christianis extracta est: Adijt autem ad Persarum Regem Episcopus, impetrauitque vt dirutum & euersum Dianæ templum Sanctæ Martyris nomine excitarent, & consecrarẽt, in quod magnifice ædificatum preciosas Martyris reliquias intulere.

Eodem die, certamen Sanctæ mart. Charitinæ.

92 Charitina Christi Martyr Diocletiano Imperatore, & Domitio Comite, Claudij cuiusdam serua, cum per litteras postulasset ab illius domino Comes, vt ea ad se mitteretur, propterea quod de ea vt Christiana haberi quæstionem oporteret, ægerq; dominus, & sacco obuolutus illius sortem deploraret, consolabatur dominum suum; Ne te afflictes inquiens domine mi: Ego enim reliquijs meis, tua meaque peccata expiabo: cui ille; Memento mei apud cælestem Regem.

Igitur

Igitur ducta ad Comitem, se ipsamque Christianam professa, primũ capite raso, tum candenti carbone conspersa; deinde ingenti è collo eius appenso lapide in mare deiecta, aquam maris pro baptismo habuit. Vnde emersa seipsam Comiti ostentauit, quæ postquam astantium animos rei magnitudine attonitos reddidisset, euulsis dentibus, præcisisq; manuum ac pedum digitis cum palma Martyrij ad Dominum aduolauit. A

Pridie Non. Octob. certamen Sancti Thomæ Apostoli.

VI.

93 POst Domini nostri Iesu Christi Assumptionem cum Apostolorum singuli in eam, quæ forte venerat regionem, profecti docerent, obtigit & Thomæ Indorum regio, vbi Christum prædicans, cum ad fidem Regis vxorem, & filium cõuertisset, defertur ad Regem, qui Thomam in carcerẽ cũ alijs vinctis detrudi iussit: corruptis autem pecunia militibus, regis filius cum matre, atque alijs nõ paucis carcerem ingressi baptizati sunt. Cum autem idoneũ tempus visum est, lecti fuere ex his Presbyteri, & Diaconi, quos vbi resciuit rex in Christi nomine docere, iratus eductum è carcere Apostolum & militibus traditum iussit occidi, quem abductum in montem lancea transuerberarunt. B

Eodem die Commemoratio Sancti Patris nostri Nicetæ Confessoris. C

94 NIcetas Pater noster Sanctus Christi Confessor Irenes Augustæ propinquus, cum ab ea non tam ob propinquitatẽ, quam excellentem illius in omnibus virtutem adhiberetur, quippe qui confectis feliciter bellis fortis viri nomen sibi compararat, ad Sanctam Synodum Nicænam, quæ secundo habita est, legatus missus est. Qua in re cum ex præscripto diuino egregiè, & insigniter se gessisset homo cæteroqui maximè idoneus in Patritiatus ordinem cooptatus, Siciliæ Prætor declaratur, qua etiam prouincia optime, & integerrime administrata multaq; præcipua erga viduas, & pupillos vsus benignitate domum redit. Verum quia Imperio potitus erat Leon Armenion Iconomachus, remisso dignitatibus, diuitijs, omnique mundanæ gloriæ nuncio Monachus factus est: Quod cum audisset Imperator succensuit, & imaginem Seruatoris Nicetę quam combureret misit, sed impietatem detestatus Nicetas relegatus est; quo in exilio multis affectus incommodis mortuus est. D

Nonis Octob. certamen Sanctorum Martyrum Sergij, & Bacchi.

VII.

95 SErgius, & Bacchus insignes Christi Martyres Maximiano Imperatore, egregia corporis forma in oculis Imperatoris erant: Sergius quidem Primicerius, proximũ vero Bacchus locum obtinebat: sed accusati, quod magna Christum obseruantia, & pietate colerent, & cum sollicitati, vt Christum abiurarent in sancto proposito fortiter persisterent, primum quidem dignitate torque, & virili toga spoliantur. deinde muliebri medio foro tecti stola, & proscripti mittuntur ad Augustinopoleos præfectum, vt ab eo torquerentur; in itinere vero præibat illis Angelus Domini. Perducti igitur ad præfectum, Bacchus prior certamine pro Christo fortissime inito in ipsis tormentis mortem oppetijt. Deinde Sergius calceamẽtis ferreis quæ acutis ad pedes clauis affixerant, indutus & currere coactus, gladio cæsus est.

Eodem die, Certamen Sanctæ Pelagiæ mart.

96 PElagia Martyr Tarsensis Diocletiano Imperatore cum Clinus Episcopus multos ex gentilibus baptizaret, ipsaque vidisset per quietem Episcopi phantasma, se ad baptismum adhortantis, petita à matre venia, vt nutricem sibi conuenire liceret, adijt Episcopum & baptizata est, traditaque ab Episcopo sua, quam in pauperes erogaret maximi precij stola, redijt ad matrem, quæ filiam in vili ac sordida veste conspicata, ea non admissa properauit filio Diocletiani, qui sibi Pelagiam desponderat vxorem, nunciare, Pelagiam ad Christianorum sacra transisse, quod cum audisset adolescens, sibi manum intulit. Quamobrem accensus ira Diocletianus pater correptam Virginem iussit boui æneo subiecto luculento igni, includi, & cremari.

Octauo Idus Octob. Commemoratio alterius Pelagiæ Virginis Antiochenæ.

VIII.

97 PElagiam ad Sanctam Antiocheæ Syriæ summo loco natam mittit vrbis præfectus, Numeriano Imperatore, milites, qui Christianæ fidei causa comprehenderent: cũ igitur milites domum circumquaq; obsedissent, Virgo omnia armis teneri intuita impetrauit, vt paululum sibi ad ornandum se temporis darent, quod sua sponte descensura

ad

ad eos esset. tum erecto corpore, atque in orientem in eo quo orare consueuerat loco conuerso, manibus, atque oculis in Cælum sublatis, diutius precata Deum est, ne in militum potestatem, sed casta, & pura ad Deum ipsum veniret. Hæc cum orasset, seq; ipsam honestè composuisset, spiritum Deo reddidit.

Eodem die, Commemoratio Sanctæ Pelagiæ quondam meretricis.

98 Sanctiss. Antiochiæ magnæ Patriarcha coegit aliquando Synodale Episcoporum sibi Subditorum concilium in quadā Ecclesiæ difficultate, in quorum numero fuit & Nonnus Episcopus Sanctus, qui cum populum doceret, & Pelagia meretrix præteriret cum amatore suo, gemmisq; margaritis, atque auro onusta, luxuriosoque totius corporis cultu; ad hæc tanta vnguentorum copia perfusa, vt aër odoris inficeretur fragrantia, cæteris Episcopis oculos ab ea deijcientibus, ipse solus oculos in eam defixit, conuersusq; ad præsentes. Hanc etiam, inquit, Deus, qua est in homines humanitate sibi adiungeret. Quare cum Nonnus docere vti instituerat pergeret, Pelagia pœnitentia interiore ducta baptizatur, erogatisque in pauperes omnibus suis diuitijs: Hierosolymam se recepit, & Monacha facta tantum apud Deum valuit, vt mirabilibus nobilitata factis migrarit ad Dominum.

Septimo Idus Octob. certamen Sanctorum Martyrum Iubentini & Maximi.

IX.

99 Ivbentinus, & Maximus Martyres Iuliano præuaricatore imperante, cuius etiam seruis à pedibus armatis iter facientē præcurrere soliti erant, cuiusque sibi beneuolentiam sua ipsorum fortitudo maxime conciliarat, cum Iulianus esset Antioch æ Syriæ imperassetque victimatum sanguine fontes, fluuios venalesq; cibos pollui, & fœdari, vt, qui ea degustassent, vel inuiti sacrificiorum gentilium participes essent, sibi temperare nō poterant, quin ingemiscerent, ac lachrymarentur; at cum accubuissent, tum vero vehementius complorantes dixere, cur nos Deus tradidisti Imperatori Apostatæ, & Maximo omnium gentium præuaricatori? Excepit hæc verba qui proximè assidebat, & detulit ad Iulianum. Exarsit ira Imperator, statimq; ad se perductos, & varijs tormentorum generibus grauiter afflictos capitis dānauit.

Eodem die Commemoratio Sanctæ Popliæ Diaconissæ.

100 Poplia Sancta & genere, & nominis celebritate nobilis, & illustris fœmina Iuliano Apostata Imperatore, & in quodam Antiochiæ Syriæ templo Diaconissa, Virginū cœtū hymnos Deo concinentiū celebrabat. Quadam igitur die cum magna voce illius psalmi verba concineret, Simulachra gentium argentum, & aurum opera manuum hominum; similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis, prætereunsq; Iulianus audisset, tacere iussit, sed tantum abfuit vt Poplia taceret, vt maiori etiam vocis contentione psalleret. Quamobrem iratus præuaricator ad se adductæ faciem cædi iussit, at illa accusata Imperatoris impietate regressa domum more, & instituto suo psallebat, & laudes Deo cum Virginibus illis celebrabat, per quę studia traducta sanctissimè vita, in pace quieuit.

Eodem die, certamen Sancti Dorothei Archiepiscopi Tyri.

101 Dorotheus vir magnę famæ celebritate Episcopus Tyri, qui omnia memoria historiæ scripta tenebat, cum persecutionis in Christianos cōmotę, à Diocletiano, & Licinio vitandæ causæ fugisset, & post illorum mortem Tyrum redijsset, Sanctę Dei Ecclesiæ ad Iuliani præuaricatoris tempora præfuit, sed cum Iulianum prius occultè per præfectos suos Christianorum cædes efficere didicisset, atque ob eam causam se in Thraciam recepisset, non tamen Idololatrarū manus effugere potuit. Comprehensus enim à Iuliani præfectis, & quæstioni adhibitus in ipsis tormentis, annos centum, & septem natus pro Christi confessione mortuus beatā Deo reddidit animam, & multa non mediocris vtilitatis scripta reliquit.

Eodem die, certamen Sancti Iacobi Alphæi Apostoli.

102 Iacobus Christi Apostolus, filius Alphæi & Matthæi publicani, & Euangelistæ frater, Christi vi bē, & ea quæ ad æternum illius regnum spectant omnibus promiscue Iudæis, & Græcis palam prædicabat, magnamque hominum turbam in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizabat. Quod Iudæi indigne ferentes, eius interficiēdi con-

consilium cepere. Quare in vnum locum coacti comprehensum, & vario crudeliter, & indignissimè affectum cruciatu, demum scipionibus cæsum interemere; cum interim Sanctus ad extremum, & laudes Domino nostro Iesu Christo tribueret, & gratias sancto eius nomini ageret, quod illius ope exceptum fortiter Diabolum voluntatisque eius ministros vicisset, & reddita inter hæc verba illi anima sepultus est.

Sexto Id. Octob. Certamen Sanctorum Martyrum Eulampij, & Eulampiæ, & Sociorum. X.

103 EVlampius Christi Martyr, & Eulampia soror Nicomedienses, Maximiano Imperatore, vt persecutionem in dies gliscentem deuitarent, in montem se cum multis Christianis abdidere. Profectus vero aliquando Eulampius in vrbem ad annonam emendam, cum proposita in publico imperatoria edicta, quæ commeatus imperabāt, vidisset, & legeret, comprehensus ab Idolorū cultoribus sistitur Imperatoris tribunali, & pertractus in Idolorū templum, vt Dijs immolaret, precatus est Deum: collapsisque ad terram, & contritis Idolis torqueri cœpit. Quod vbi cognouit Eulampia soror descendit de monte, & media turba complexa fratrem, sociam se in pugna illi adiunxit: in ferventem igitur cacabum ambo coniecti, & incolumes egressi: miraculo rei ducentos milites in Christi partes traxere, dānatiq; omnes capitis mortem oppetiere.

Eodem die, Commemoratio Sancti Patris nostri Bassiani.

104 BAssianus Sanctus Pater noster, Syrus, Marciano Imperatore Pio, Constātinopolim profectus virtute sua statim innotuit, & Imperatoris gratiam adeo sibi conciliauit, vt non solum Sanctum virum tanquam patrem coleret, sed & templum illius nomine, quod ad hanc vsque diem extat extrueret, & consecraret: fuit enim ad docendum appositissimus, vt multis persuaderet relictis curis sæcularibus monasticam agere vitam, in quorum numero fuit Mionna sancta, haberetque ad trecentos, qui secum in ea quam instituerat vita commilitium facerēt. Ad hæc multis illustratus est mirabilibus factis. Præterea si quis in grauissimum aliquod peccatum lapsus esset, & idcirco deploratam esse salutem suam existimaret, vir sanctus pari cum eo dolore suscepto non prius conatu desistebat, quam lapsum per pœnitentiam restitutum, atque è Dæmonis manibus extortum Christo clementissimo offerret. Insuper prouidentiæ munere donatus à Deo cùm futura prospiceret, & prædiceret, magnam multis vtilitatem attulit, quibus semper studijs exacta innocentissimè vita, cōfectus senio migrauit ad Dominum, & à Discipulis in templo eius nomini consecrato funeratus est.

Eodem die, Commemoratio Sancti Patris nostri Iacobi Ascitæ.

105 IAcobus magnus Ascita, cum sæpe victoriam de Diabolo retulisset, victus & ipse aliquando, tamen iterum cum eo cōgressus superior è prælio discessit. Nam cum in spelunca annos quindecim orationi, & commentationi impendisset, delataque sibi etiam esset à Deo fugandorum Dæmonum potestas, commotus inuidia Dæmon sanctum virum in stuprum, & homicidium pellexit. Ingressus enim cuiusdam diuitis filiā, suggessit vt Iacobum imploraret: perscrutati igitur parentes puellæ speluncam ductam ad sanctū filiam precario rogarunt, vt liberaret, qui adhibita prece propulit ab eo dæmonem. Parentes vero veriti, ne, si statim domum reducerent, iterum à dæmonio corriperetur, Sancti viri custodiæ tradidere, quoad liberam omnino redderet. At ille vitiauit puellam, & occidit. Quare timore perculsus, in fugam se coniecit, sed in via pœnitentia ductus, effususque in lachrymas in sepulchrum se abdidit, vbi cum peccata ita expiasset, vt in magna siccitate imbrem de cælo deduceret; mortuus est.

Quinto Idus Octob. Commemoratio Sanctarum Zenaidos, & Philonillæ Sociorum. XI.

105 ZEnais, & Philonilla sorores Sanctæ, Tarsenses, fuere sanguinis propinquitate S. Apostolo Paulo coniunctæ. Zenais quidem medicinā primum professa, deinde ab ipso Apostolo fide Christi imbuta valedixit arti, diuitijs, & sorori, atque in remoto montis antro solitariam agens vitam soli Deo vacabat, herbis tantum quas prope speluncā tellus ipsa ferebat famem sustētans: Ad quas legendas aliquando egressa, pressit imprudens acutissimum clauum ligneum diaboli opera humi defixum indignissimè ferentis quod multi occultè ad eam accedentes ad Christi fidem traducerentur. Quæ cum dolore impar concedisset, vt è pede clauum euelleret migrauit ad Dominum. Philonilla autem domi consistens, cum non minore quam soror studio ad virtutem contendisset, ma-

magnoque ſemper cultu Deum proſecuta eſſet, in pace quieuit. A

Eodem die, Commemoratio Sancti Philippi Apoſtoli, de quo facta eſt mentio in Apoſtolorum Actis.

107 PHilippus Chriſti Apoſtolus ex ſeptẽ Diaconorum numero, cùm Ioppe Chriſtum prædicaret iuſſus eſt à Spiritu ſancto Gazam petere, quo in itinere obuiam factus Candaci Eunucho Reginæ Æthiopum Præfecto quadrigæ inſidenti, Prophetamque Iſaiam legenti, accedens propius quæſiuit, nũ quæ legeret intelligeret, cui Candax; Qui poſſum inquit aſſequi ſine interprete? elatuſque in currum Apoſtolus illo Iſaiæ loco expoſito, fide Chriſti Candacem inſtituit, & cum ad aquam perueniſſet Eunuchus, intento ad aquam digito. Quid prohibet, inquit, me baptizari? deſilienſque ad pedes baptizatus eſt, neque amplius vidit Philippum à Spiritu ſancto raptum, ſed reliquum iter cõficere perrexit. Philippus vero Trallium Aſiæ Epiſcopus declaratur, poſtea in pace quieuit. B

Quarto Idus Octob. Commemoratio ſeptimæ Synodi trecentorum ſexaginta ſeptem Sanctorum Patrum. C

XII.

108 SAncta Oecumenica Synodus ſeptima Nicææ ſecundo habita à patribus trecentis ſexaginta ſex: Conſtantino, & Irene matre eius Imperatoribus, & Taraſio viro ſanctiſſimo, & diuino patre noſtro Patriarcha Conſtantinopoleos, coacta fuit ab Imperatore aduerſus Iconomachos. Quare conſcripto anathemate, quo omnes hæreſes, & hereſiarchas tum & Iconomachos damnarũt, omnes vno ore cõclamauere, Quiſquis ſacras imagines non adorat abhorrere ab orthodoxorum fide: honoremq; qui imaginibus habetur ad imaginem nihil pertinere, ſed totum in prototypon, vt ait magnus Baſilius, recidere, qui enim adorat imaginem, & colit, adorat in ea & colit, quam imago refert perſonam, & hypoſtatim. Quæ cum decreuiſſent, Orthodoxorumq; fidem ſcripto firmaſſent, atque honorificè acceptì ab Imperatore eſſent, in ſuum quiſque Epiſcopium ſeſe recepit. D

Eodem die, Certamen Sanctorum Martyrum Probi, Tharachi, Andronici.

109 PRobus, Tharseus, & Andronicus tres bellicoſi Martyres; Diocletiano Imperatore Chriſtianæ fidei cauſa vinciuntur à Ciliciæ Præfecto. Primuſque Tharschus Colaphis contuſus in carcerem conijcitur. Deinde Probus ferreis virgis cæſus cuſtodiæ traditur. Tertio admotum Andronicum prius verberibus afficiunt, eiuſq; femora gladijs lancinant: deinde latera ferreis vngulis excarnificant. Poſtremo ſale aſperſum in eundem cum reliquis includunt carcerem. Poſt hæc à Cilicia Mopſueſtiam ducti, cum à Chriſti confeſſione demoueri non poſſent, rurſus torti, Tharachus quidem capite contuſo & abraſo, Andronicus autem cæſo ſcipionibus ventre, Probus vero poſt inuſtos candentibus ſubulis lubos, & axillas, multiſque alijs cruciatibus omnes affecti, tandem capite plectuntur.

Eodem die, Certamen Sanctæ Martyris Anaſtaſiæ Virginis.

110 ANaſtaſia Chriſti Martyr, & Virgo Romana, Decio, & Valeriano Imperatoribus Monaſticam cũ alijs virginibus clauſtralibus agebat vitam, quare ad Præfectum delata Anaſtaſiam illi ad ſe capiſtro ferreo adductam, & in Chriſti fide perſeuerantẽ, colaphis cædi, tum nudatæ ignem ſubſterni: deinde liquatam picem, oleum, ac plumbum ſuperinfundi, ad hæc in eculeum ſublatæ oſſa omnia haſtarũ manubrijs confringi, præterea ambas mamillas abſcindi, poſt hæc vngues extrahi, pedem vtrumque, ambaſque manus præcidi, ac dentes conuelli, multaque alia tormentorum genera adhiberi, denique gladio trucidari imperauit.

Eodem die, certamen Sanctæ Domninæ Martyris.

111 DOmnina Chriſti Martyr Diocletiano Imperatore, Anazarbi nata, comprehẽſa à lictoribus Græcis ſiſtitur Lyſiæ Duci tribunali, quæ Chriſti Ieſu Domini noſtri nomen ſumma animi, & vocis libertate confeſſa, verumque Deum, vnum, & totius orbis conditorem eſſe: ementiros autem gẽtilium Deos teſtata, ſed meras eſſe fabulas, ligna, lapides, & putrem materiam, crudeliſſime cæditur, pedeſque illius candentibus ſubulis aduruntur: deinde in carcerem, atque in

nitenebras arripitur, ſed iterum quæſtioni adhibita ſcipionibus acerrime verberatur: ad hæc ſinguli membrorum artus forcipibus illi luxantur, rurſuſque in carcerem includitur, in quo cum oraret, & gratias Deo ageret pro quo etiam Martyrium ſubierat, Spiritum illa reddidit, reliquiæ vero eius honorifice ſepulchro illatæ ſunt.

Tertio Idus Octob. Sanctorum Martyrum Carpi, Papyli Agathodori, & Agathonicæ.

XIII.

112 CArpus Epiſcopus Thiatirarum & Papylus Diaconus Decio Imperatore vincti ab Aſiæ Præfecto, interrogatique Chriſti Domini nomen in cōſpectu omnium prædicarunt, & teſtati ſunt, iuſſique Dijs immolare imperatā facere recuſarunt: Quare alligatos ad equos, Sardis vſque præ ſe egit, & rapuit præfectus: ibique in eculeum actos vngulis ferreis miſerabiliter depecti; & ſcalpi imperauit. Agathodorus autem ſanctorum ſeruus. atque officij pietatiſq. cauſa illos proſecutus tandiu torquetur, donec martyrio cōſumptus eſt. Porro Carpus cum in eculeo ſubrideret, rogatuſque à præfecto quidnam rideret, ſublato c. chino reſpondiſſet, ſe exhilaratū propterea quod poteſtas gloriæ videndæ facta ſibi fuiſſet, de eculeo cum Papylo depoſitus, in ignem conijcitur. Agathonica autem Papyli ſoror in rogum ardentem ſubſponte læta inſilijt, itaque omnes Martyrij coronam adepti ad Deum aduolarunt.

Eodem die, certamen Sancti Florentij Martyris.

113 FLorentius martyr Theſſalonicenſis, totius honeſti, Chriſtianæque profeſſionis ſtudioſiſſimus, probra, & conuitia maxime omnium in gentilium Deos iactare, vanamque eorum ſuperſtitionem deteſtari, & deuouere ſolitus, omne tempus aut in docenda vera Chriſti fide, aut confirmandis, cohortandiſque ad exhauriēdam Dei voluntatem Chriſtianis tranſmittebat: Cuius rei cauſa comprehenſus à regionis præfecto, cum in illius conſpectu Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſſe ſolum Deum, Græcorumque Deos, ligna, lapides, aurum & argentum, æs, & ferrum eſſe palam denunciaret, & teſtaretur, omniſque ſenſus atque animæ expertes, concitato in iram præfecto, vario afficitur cruciatu. Deinde in eculeum elatus ſcalpitur, præterea in ardentiſſimum rogum coniectus, orans, & gratias agens conſumptus eſt.

Pridie Idus Octob. certamen Sanctorum Martyrum Nazarij, Geruaſij, Protaſij, & Celſi.

XIV.

114 NAzarius Romæ natus Aphricano, & Perpetua, à Sancto Petro baptizatis claruit, Nerone Imperatore. Ipſe vero à Lino Patriarcha Romano baptizatus, annos viginti natus totam Italiam peragrabat, qui dum vbique Chriſti fidem diſſeminaret, reperit in vrbe quadam Geruaſium, & Protaſium, in vincula ob Chriſti fidem à regionis præfecto coniectos. Cæſus igitur, atque ex vrbe extrinſus, in aliam vrbem conceſſit: adiunctoque ſibi Celſo tertium annum agēte, Mediolanum venit, vbi iterum Sanctos Geruaſium, & Protaſium in carcere inuenit, tecentuſque Romam à Præfecto remittitur. Verum iſte Mediolanum regreſſus capite plectitur vna cum reliquis Sanctis, & puero Celſo annum tunc nonum, & menſem ſeptimum ingreſſo.

Idibus Octob. certamen S. Luciani Martyris.

115 LVcianus martyr Antiochiæ Syriæ natus, Imperatore Diocletiano, mortuis parentibus, diſtributis in pauperes facultatibus ſuis, omne tempus diuinarum ſcripturarum lectioni dabat: quo fiebat, vt illis inſtructus multos infidelium ad Chriſtum conuerteret. Relicta autem Antiochia, Nicomediam petijt, vbi Diocletiano per cædes in Chriſtianos debacchante Chriſtianorum non paucos, quos vi, metuque tormentorum adactos defectionem ad gentilium ſacra cogitare, atque moliri deprehendit, ſuſcepto animo adeo in Chriſti partibus confirmauit, vt mutata ſententia martyrium fortiter, & ſubirent, & perferrent. Quæ res cum illi optime cederet, quod diuina adiutus opera, dum vrbem obiret, & luſtraret à nemine ipſe, niſi à quo vellet conſpiciebatur, effecit, vt Diocletianus veritus, ne, ſi ad ſe virum Dei acciret, liberius ab eo obiurgaretur, ſumpto velo conuenit Lucianum; cuius animum cum nullis artibus, captum, ac delinitum in ſententiam ſuam trahere potuiſſet, in tenebricoſum carcerem detruſum, atque inedia perpetua conſumptum in mare proiecit.

Eodem die, commemoratio Sabini Episcopi patris nostri in Diuorum numerum relati.

116. SAbinus beatus propter eximias animi dotes, & sanctum vitæ institutum declaratur Episcopus: sed postea cum secnlares tumultus quietis studio fastidiret, in loca sola procul ab omni hominum consuetudine profectus, ita & ipse in virtute processit, ac progressus est, seipsum ieiunijs, vigilijs, omnibusq; studijs exercendo, vt miracula ederet, morbos depelleret, leprosos mundaret, dæmones fugaret, futura prænunciaret, & accedentes eruditissima oratione eò prouexit, vt relictis parentibus, fratribus, domo, monasticam professi vitam Deo soli vacarent, eique omni puritate candoreque animi mandata illius digerentis seruirent. Per quæ studia acta sanctissime vita in pace quieuit, spiritum Deo, corpus autem terræ cognatione sibi coniuncta reddidit, miraculorum celebritate ad hanc diem illustris.

Decimo septimo Cal. Nou. Certamen Sancti Martyris Longini Centurionis.

XVI.

117 LOnginus Cappadox, Centurio, Tiberio Imperatore merens, sub Pilato Iudeæ Præfecto, qui & illius iussu pretiosis Christi cruciatibus, pœnæque per crucem expetitæ, sedulam cum sua Centuria nanauit operam, cùm ea, quæ cæli, Christo crucis patibulo elato, non obscura nefariæ cædis dedere signa, vidisset, terram horrendo motu concussam, solis deliquium, sepulchra sponte sua patentia, morti os excitatos, discissasque petras, exclamauit. Vere Dei Filius erat iste, renunciatoque militiæ munere in patriam redijt, Christum palam prædicans, ac denuncians, qui cum idcirco à Iudæis ad Pilatum delatus esset: Pilatusque pecunia corruptus rem scripsisset ad Tiberium, eius mandato caput Longino præcisum, & in foueam Hierosolymis deiectum, tandiu occultatum fuit: dum fœmina quædam Cappadox cæca diuino admonita visu Hierosolyma profecta, indicato capite, visum recepit.

Decimosexto Cal. Nou. certamen Sanctorum Martyrum Chrysanthi, & Dariæ.

XVII.

118 CHrysanthus Numeriano Imperatore Romam cum patre Patricio viro profectus, Christi fide ab Episcopo quodam in spelunca occultato instituitur. Quod vbi rescivit pater in tenebricosum includit carcerem, tum inuitum compellit vxorem ducere Dariam Philosopham, qua tamen non secus ac sorore vsus semper est, quando id vterque consilij ceperat, atque in animum induxit, vt virginitatem ad mortem vsque tuerentur, & conseruarent, quare & ipsa baptizata est, sed cum innumerabiliter hominum ad vitam caste, temperateque agendam hæc mulierum, ille virorum multitudinem inducerent, infideles ægerrime ferentes vxores suas facto diuortio Christo initiari, & consecrari, rem deferunt præfecto, quos ille vinctos tradidit Claudio Tribuno. Sancti igitur ex vrbe eiecti, & varijs torti cruciatibus in foueam cœno plenam deijciuntur, atque obruti, & conculcati martyrio pariter consumpti sunt.

Eodem die, commemoratio Sancti Oseæ Prophetæ.

119 OSias Propheta Dei, cœli, & terræ cultor, cùm gentiū Deos odisset, & execraretur, Iudæorumq; contribulium errores corrigeret, maximo prophetiæ munere dignatus à Deo est. Quare præter multa alia quæ & Iudæis, & gentibus prophetauit, illud præcipue signum, & ostentum, tempus, quo Dominus è Cælo in terram adueniens versaturus esset inter homines præmonstraturum esse prædixit, Occidet, inquiens, sol in Siloin, dissectaque in duodecim partes arbore in Silos, nascentur duodecim arbores; hoc est, cum in crucem egerint Iudæi Christum solem iustitiæ, solque radios suos condiderit, diuidentur duodecim tribus Israel in omnes gentes, orienturque duodecim arbores, quæ sunt duodecim Apostoli, conuertentque omnes gentes ad Christi fidem. Quo prophetiæ munere, vitaque defunctus, sepultus est.

Eodem die, certamen Sanctorum Anargyrorum Cosmæ & Damiani, fratrumq; illorum Anthimi, Leontij, & Eutropij.

120 TRes sunt Sanctorum Anargyrorum coniugationes, quibus, & eadem, Cosmæ & Damiani nomina fuerunt, & medicinæ artem tractauerunt, & Anargyrorum cognomen habuerunt: fuere enim alij Theodoræ pientissimæ fœminæ filij, qui vita quieta perfuncti in loco Phereman nomine sepulti sunt. Alij, qui cum Romæ degerent præceptore inuido vi, per dolum ab eo in montem per simulationem legēdi herbas deducti, lapidibus obruti sunt. Alij de quibus nunc nobis institutus sermo est, Arabes fuere, qui terrarum orbem peragrantes gratuitam morbo aliquo laborantibus operam præbebant. Diocletiani

ni vero temporibus in Ciliciam profecti, & A
comprehensi, sistuntur Lysiæ Duci, quos variis affectos supliciis capite damnauit, & tres qui eos prosequebantur fratres, Anthimum, Leontium, & Eutropium.

Decimoquinto Cal. Nou. commemoratio Sancti Apostoli & Euangelistæ Lucæ. XVIII.

121 LVcas Euangelista in Antiochia magna ortus, medicus, & pictor cum Thebas Macedoniæ, Traiano Imperatore, persecutionis vitandæ causa venisset, congressus, collocatusque cum Sancto Apostolo Paulo B
vt is, qui ex septuaginta Apostolorum numero erat. Apostolo se in Christi, & Euangelij prædicatione sociũ adiunxit ad omnia promptissimum. Conscripsit prius Euangelium ad Theophilum quondam Ducem, qui in Christum crediderat, dictante sibi Sancto Petro Apostolo, deinde Apostolorum acta ad eundem Theophilum, posthac in pace quieuit.

Decimoquarto Cal. Nou. certamen Sancti Martyris Sadoch, & sociorum viginti. XIX.

122 SAdoch martyr, Saborio rege Persarum, Christianæ fidei causa compre- C
hensus, deductusque ad eundem regem, iubetur sacrificare Igni, qui cum imperata facere recusaret, grauissime cæditur, tum cute à fronte ad pedes excarnificata, deq; eius pelle loris digiti latitudine detractis, iterum bubulis neruis laceratus, ad hæc spinis, lignis, ac testulis acutissimis corpori eius sic affecto substractis, nudus pertrahitur. Deinde digitis articulatim diuisis in concham hastilis iniectus hastili contunditur. Præterea candentibus subulis, quod reliquum est corporis fodicant. Posthæc capite de sublimi suspenso, linguam præcidunt. Cuius constantiam in superanda tanta tormentorum acerbitate homines mille ducenti septuaginta conspicati, in eam opi- D
nionem discessere, vt non nisi explorata magnarum rerum spe nixus, tanta perferre posset. Quamobrem Christi fidem secuti in vincula conijciuntur. Sadoch vero cum centum viginti Sanctis capite plectitur.

Eodem die, commemoratio Amphilochij Episcopi Iconij, qui in Sanctorum numerum relatus est.

123 AMphilochius non per mortalis cuiusquã, sed Sanctorum Angelorum manus impositionem renunciatus Episcopus commilito Sanctorum Patrum Basilij Magni, Gregorij Theologi, & Gregorij Nissæ Episcopi in acie aduersus hæreticos Arium, & Eunomium, & horum similes instructus stetit, qui cum ad Theodosij Maioris tempora vixisset, atque ab eo ad coercendas Arianorum in vrbibus, synaxes lectus esset, tunc quidem superſedit, quod Imperator veritus, ne ea res magnos excitaret tumultus, rem producendam existimaret, sed postea cum quadam de causa Imperatorem conuenisset, illumque solum Arcadio filio, qui prope assidebat præterito adorasset, & rogatus, quamobrem id faceret, respondisset: sicut tu, Imperator indigne fers, si non idem filio, qui tibi honor habeatur, sic & Deo Patri offensionem esse scito illi, qui Filio, & Verbo contumelias & iniurias imposuerit, mouit adeo Imperatorem, vt de illius sententia ac voluntate rem confecerit.

Eodem die, commemoratio Sancti & gloriosi Prophetæ Ioelis.

124 IOel Iudæus voluntatem Dei semper executus, accepto à Deo Prophetiæ munere, cum multa alia, tum multo plura de Christo, quem Virgo citra omnem virginitatis noxam esset paritura, & de Spiritu Sancto prophetauit, quem magno Pentecostes die Duodecim accepere Apostoli. Hæc, inquiens, dicit Dominus; & erit in nouissimis diebus, effundam de Spiritu sancto super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, quod exitus comprobauit; Nam cum in superiore domus parte hora diei Pentecostes tertia considerent Apostoli, descendit Spiritus sanctus sub candentium linguarum forma, cõseditque super singulos eorum, deditque non illis solum, sed, & ijs, qui successere, varia dona, & prophetias. Cumque Ioel prophetiæ munus obiuisset, in pace dormiuit, sepultusque est in terra sua.

Decimotertio Cal. Nou. commemoratio Sancti Cornelij Centurionis. XX.

125 COrnelius Centurio Cæsareæ Palestinæ ortus claruit Apostolorum temporibus, qui omnium gentilium primus in Christum credidit. Deus enim cuius sibi gratiam Cornelius beneficentia, & benignitate in pauperes conciliarat, monuit illum per Angelum, vt à Sancto Petro baptizaretur. Deinde cum Episcopus Scamandri declaratus, Christi fidem disseminaret, comprehensus à Demetrio præfecto, compulsusque in Idolorum templum, & vna cum populo, & vxore, & filio Demetrij Dijs immolaret, orauit,

quare

quare facto terræmotu, collapsoque cum idolis templo, vxor, & filius Præfecti obruti fuerunt, quibus vociferantibus, & magnum esse Cornelij Deum inclamantibus, rogatus à Demetrio Cornelius, precibus à Deo impetrauit, vt inde incolumes euaderent. Quamobrem Demetrius cum vxore, & filio, & alijs ducentis septuaginta septem in Christum crediderunt: ipse vero in pace quieuit.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Artemij Thaumaturgi.

126 ARtemius bellicosus, Iuliano præuaricatore imperante Dux Alexandriæ Ægypti, & in Patriciorum numerum, à Constantino Magno ascriptus; cognita Iuliani crudelitate, quam in Christianos Antiochiæ exercebat, hdije, & impietate illi obiecta, neruis bubulis cæditur; tum lumbis illius acutis muricibus laceratis, lateribusque ac genis læ c natis medio saxo à lapicida dissectoincluditur. Deinde coagmentatis iterum partibus compressus, intolerabilis exilientibus oculis, diffusisque intestinis perculit cruciatus; qui cum à proposito pietatis studio deduci non posset, Tyranni iussu gladio trucidatur. Cuius reliquiæ Constantinopolim translatæ sanitatem fidem eius implorantibus restituunt.

Duodecimo Cal. Nou. certamen sanctorum Martyrum Dacij, Gaij, & Zotici.

XXI.

127 DAcius, Gaius, & Zoticus Nicomedienses, cum publicus Idolorum festus dies ageretur, audacter adorti, euersis quæ super altaribus posita erant, impiè à stultis infidelibus fecisse existimati sunt. Quare iniectis catenis ad iudicem rapiuntur, in quibus quæcunque excogitari potuere tormenta, experti sunt, verbera, plagas, eculeum, dissecta flagellis latera, carnes cilicinis pannis laniatas: quæ omnia cum non solum negligerent, sed etiam Idolorum vanitatem vehementius accusarent, & magna voce Christum solum verum Deum esse testarentur, saxis de collo appensis in gurgitem coniectos sagittis confecit. Qui exoptatum martyrij finem consecuti gratias Christo regi sæculorũ agebant, quod digni ab eo habiti essent, pro cuius nomine vitam profunderent.

Eodem die, commemoratio Sancti Patris nostri Hilarionis Presbyteri, & Anachoritæ.

128 HIlarion Sanctus Gazę Palestinæ natus Constantino Magno Imperatore claruit. Hic literarum studio Alexandriam Ægypti profectus duo consecutus est, vt & literas, & ea etiam quæ ad Christi fidem spectant optime perdisceret. Quare baptizatus cognita Antonij Magni disciplina, ac institutione, sese in illius disciplinam tradidit, à quo virtutum opera aliquandiu eruditus, reuersusque in patriam suam cum iam è vita discessissent parentes eius, omnes facultates distribuit pauperibus, sumptoque cilicio & melota eremum petijt, vbi solitariam agens vitam, miraculorum munere donatus à Deo est, quæ cum illum multo illustriorem redderent, quam ipse sibi tutum esse putaret, vt hominum vitaret frequentiam, nunc huc, nunc illuc sese recipiens nusquam consistebat, sed mutatis frequenter sedibus solitudinem captabat, cumque solitariæ vitæ institutum nonaginta annos secutus esset migrauit ad Dominum.

Vndecimo Cal. Nou. commemoratio SS. & Apostolorum æqualis patris nostri, Abercij Episcopi Hierapoleos.

XXII.

129 ABercius pater noster ad Sanctorum numerum ascriptus, Marco Imperatore, est Episcopus Hierapoleos, à Sanctis Apostolis creatus, celebre Thaumaturgi cognomen habuit. Dęmon vero, cum Sancti animum tentare vellet, ingressus Imperatoris filiam, effecit, vt quæsitus ad filiæ sanitatẽ sanctus, accitus per literas ab Imperatore, Romam post longum, ac laboriosum iter ingrederetur. Ad quod cum se compararet, imperauit seruo, vt in vnum, eundemque vtrem, garum, acetum, & oleum commisceret: Ex quibus si quid sibi sanctus depromi iussisset, separatim, ac propriè singula, ac si seruus sibi sumere furtim ausus esset promiscuè. fluebant. Romam igitur cum peruenisset, Imperatoris filia liberata. Dęmoni imperauit, vt lapideum altare, quod in conspectu iacebat: Hierapolim deferret, vt qui sibi tanti itineris author fuisset, illius & opera lapis Hierapolim perlatus sepulcro suo imponeretur. Sãctus vero quod reliquum fuit vitæ sanctissimè cum traduxisset, ad Dominum aduolauit.

Eodem die, certamen Sancti Sacromartyris Alexandri, & sociorum, Heraclij, Annæ, Theodotæ & Glyceriæ.

130 ALexander Sacromartyr, & Episcopus, cum liberius Christum prædicando multos & ex Iudæis, & ex gentibus ad Christi fidem traductos baptizaret, retentus à regionis præfecto, cum diu tortus, & depexus à Christi cultu nulla tormentorum acerbitate deterreri potuisset: miles quidam Heraclius nomine, admiratus viri constantiam in Christum credidit. Quare & ipse multis affectus supplicijs capite plectitur: Alexander vero multis editis mirabilibus factis, quippe cuius plagæ Christi visitatione sanatæ fuerant, tres etiam fœminas ad Christi fidem pertraxit, Annam, Theodoram, & Glyceriam, quæ in conspectum præfecti cum se dedissent, ipsum grauiter accusarunt. Deinde in vanissimam Idolorum superstitionem liberius inuectæ sunt. Quamobrem vehementi incitatus ira præfectus, caput Alexandro primum amputari iubet; deinde, & fœminas sanctas pessime fustibus mulctatas capitis damnauit.

Decimo Cal. Nou. certamen Sancti Sacromartyris & Apostoli Iacobi fratris Christi.

XXIII.

131 IAcobus Sanctus primus Hierosolymorum Episcopus ab ipso Christo renunciatus, primus, & ab eodem edoctus diuini sacrificij rationem conscripsit, quam latius fusam postea Basilius Magnus & post hunc Chrysostomus hominũ infirmitati consulentes compendiariam reddidere. Iacobus autem cum non contemnendam tam Iudæorum, quam Græcorum manum secum ad Christi cultum traheret, præsenti Iudæos iracundis exardescentes in se adeo cõcitauit, vt coacti in vnum è Templi fastigio deturbatum necauerint.

Eodem die, certamen Sanctorum Martyrum Theodotæ, & Socratis Presbyteri.

132 THeodota Sãcta, Alexandro Imperatore genere nobilis, natione Pontica, quietis studio in Monasterium se abdidit. Quamobrem delata ad Præfectum, & in eculeum semel, atque iterum sublata scalpitur. Deinde in ardentissimum caminum coniecta, sed Christi beneficio excepta mittitur Bizantium. Deinde Ancyram, vbi cum Græci publicè Festum dæmonis diem celebrarent, simulacraque colerent, Socrates Presbyter studio pietatis, cultuque Iesu Christi in iram accensus, euertit hostiarum altaria. Quamobrem extremo est supplicio affectus. Theodota autem iussa Dijs immolare, cum imperata facere recusasset, in sartaginem feruentissimi olei plenam conijcitur: sed cum inde indemnis, & illæsa diuinitus euasisset, gladio martyrij coronam adepta est.

Eodem die, commemoratio manifestationis Sanctorum septem Puerorum Ephesi factæ.

133 MAximilianus, Iamblichus, Martinus, Dionysius, Ioannes, Constantius, & Antoninus Ephesi Christianæ pietatis causa producti ad Decium Imperatorẽ, cum tempus ad deliberandum petijssent, idque impetrassent in montis cuiusdam speluncam profugere, ibique somno se dedere obstructo speluncæ aditu. Trecentesimoseptuagesimo secundo post anno, Theodosio Iuniore Imperatore, cum heretici nonas res in Ecclesia moliri perniciosissimo dogmate ausi essent, negando resurrectionem, eaque res imperatorem maxime solicitum haberet. Deus, vt in omnium animis certam resurrectionis fidem confirmaret, aperta spelunca, dormientes excitauit. Ex quibus Iamblichus sumpto Decij nummo, descendit in Vrbem ad coemendos cibos, vt qui iam dudum dormisset, cognitus est: deductusque ad Episcopum, rem omnem vti se habuerat exposuit. Igitur, cum testatam apud omnes resurrectionis fidem reliquissent, iterum mortui in speluncam illati sunt.

Eodem die, commemoratio Sancti Patris nostri Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani.

134 IGnatius sanctus pater noster, filius Michaelis Imperatoris, frater Theophili, & nepos Nicephori Imperatorum, Eunuchus primum, deinde Monachus factus, præfuit Monasterio Archangeli, quod olim Orientis, nunc autem Satyri cognomen habet. Postea creatus Patriarcha Constantinopolitanus, cum præfuisset vndecim annos, & menses quinque, à Michaele Imperatore deturbatur, subrogato Photio Monacho, qui cum sacram sedem occupasset, eijcitur & ipse à Basilio Imperatore, restituto in pristinum locum Ignatio, quem cum vndecim annos obtinuisset, abrogato illi iterum Patriarchatu, subrogatoque Stephano Sancto Basilij Imperatoris filio, priuatam in Satyri Monasterio vitam ad mortem piè sanctèque traduxit.

Nono

Nono Cal. Nou. certamen Sancti Martyris Arethæ & sociorum.

XXIV.

135 Arethas Negræ vrbis Æthiopiæ princeps clarus Iustino Imperatore: Æthiopiæ autē Rege Edesbaam eximio Christianæ religionis cultore, cum Omeritis, quę regio in scripturis sacris, Saba, à Græcis autem felix Arabia dicitur, Hebræus quidam imperaret. Nam cum Edesbaam superato Hebræo, vrbem eius præsidijs firmasset; deinde commutata fortuna, Hebræus cæso repente præsidio magnis ad vrbem Æthiopiæ Negram contendisset itineribus, eamque non per vim, sed dolo, & periurijs cepisset, cædem in Christianos omnes nulla sexus, aut ætatis habita ratione crudelissime exercuit. Arethas autem sanctus cum senio confectus iaceret, neque per se ingredi posset, succollantibus cæteris ad cædem delatus est; quare inter gratiarum actionem vna cum reliquis Christianis Martyrij palmam adeptus est.

Eodem die, commemoratio Sancti Patris nostri Procli Patriarchæ Constantinopolitani.

136 Proclus, qui in Sanctorum Patrum numero habetur, pietate, sapientia, & virtute insignis, à Sisinnio Patriarcha Constantinopolitano Cyrici Episcopus creatus, neque à Clericis Cyzenis, quippe qui hæretici essent, receptus Constantinopolim redijt, atque à turba, & populi oculis, totum se honesto ocio, & litteris inuoluit, quoad in Maximiani Patriarchæ, cuius reliquiæ adhuc in sanctissimæ, & Augustæ Dei Ecclesiæ sacrario quiescunt demortui locum subrogatus in throno quinto salutaris Domini nostri Iesu Christi pœnæ & maioris hebdomadæ die collocatus est, qui Episcopi officia & munera, tam in manuum impositione, quam in doctrinæ studijs annos duodecim, menses tres diligentissimè executus in pace quieuit.

Octauo Cal. Nou. certamen Sanctorum Martyrum & Notariorum, Marciani, & Martyrij.

XXV.

137 Marcianus, & Martyrius Constantino Imperatore discipuli Pauli Confessoris, & Patriarchæ Constantinopolitani fuere, eiusq; qui à Constantio in Armeniam extorris eiectus: quod ab hæretica Arianorum factione longe abhorrens, nullam cum ijs aut vitæ consuetudinem, aut doctrinæ studiorumque societatem iungere voluisset, ibi etiā felicem beatumque vitæ suæ diem obierat, ab Arianis Orthodoxæ fidei causa strangulatus. Cuius vestigijs Marcianus, & Martyrius ingressi, à Philippo prætore Ariano diu torti in tenebricosum includuntur carcerem, vt fame & tenebris conficerentur. Inde eductos, spe, & præmio, & promissis adorti; postquam omnia constantia septa esse experti sunt, ad parietis crepidinem adductos gladijs iugularunt, quorum corpora in eodem loco sepulta sunt.

Eodem die; certamen Sancti Martyris Vari, & Sociorum septem.

138 Varus Martyr Sanctus, Maximiano Imperatore, stipendia in Ægypto merens, genere & pietate insignis, cum Sancti septem ex montium specubus in quibus diu latuerant extracti, in vincula ob Christi fidem essent coniecti, carcerem ingressus, solutos cathenis sanctos multa benignitate prosecutus est; Cui illi authores fuerunt, vt abstersio animi metu aperte Deum coleret: Quare cum in carcere eorum vnus ad Dominum migrasset, in defuncti locum cooptatus est Varus: quod vbi resciuit præfectus, adductum in conspectum suum Varum vna cum reliquis sanctis, & palam Christum confessos, scipionibus cædi iussit, deinde in sublime arreptos tandiu ferreis vngulis virgisque laniari, donec quintam post horam expirarint.

Septimo Cal. Nou. certamen Sancti Martyris Demetrij.

XXVI.

139 Demetrius Martyr celeberrimus, Maximiano Imperatore, Thessalonicensis, pietate, & Christianæ fidei scientia illustris, tortus pro Christi nomine, cùm Lyæū quē apud se Imperator habebat ostentaret, ac neminem fore assereret, qui singulari cum illo certamine congressus victor discederet; mouit ea iactantia Nestori cuidam adolescentulo stomachum, qui carcerem ingressus, à Sancti Demetrij ope implorata, cum Lyæo congressus egregie vicit, & occidit. Tulit molestissime gladiatoris cædem Imperator, cuius authorem fuisse Demetrium cum cognouisset, misit statim, qui in carcere lanceis eum transuerberarent, vbi multis sanitatem restituit.

Eodem die, certamen Sanctorum Martyrum, Marci, Soterichi, & Valentini.

140 MArcus, Soterichus, & Valentinus, admirabili quodam ad pietatem omnem studio concitati, Christum palam profitebantur, infidelesque ab impietate ad Christi cultum traductos, baptizabant in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti. Quare comprehensos impij Græci multisque affectos supplicijs, ingentibus clauis confodere, deinde humi stratos huc & illuc miserabiliter reptantes certatim viri, mulieres, & pueri indignissimo tandem proculcarunt, quoad felices Deo animas redderent. Quorum reliquias Terentianus insigni pietate Christianus, qui & certantibus Martyribus animum præsens addere, & defunctis suprema soluere consueuerat, ex Asia in Tasum insulam translatas honorifice sepeliuit, multis ad hæc diem mirabilibus factis illustres.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Nestoris.

141 NEstor Martyr Thessalonicensis Maximiano Imperatore, Christi fide imbutus, frequenti tamen Demetrij congressu, & consuetudine verbo veritatis accuratius institutus, & edoctus est. Hic cum Thessalonicæ Maximianus Circenses Ludos committeret, gladiatoremque gentilem Lyæum nomine portentosa corporis, & proceritate & fortitudine in Theatrum produxisset, qui omnes in certamen descendere ausos interficiebat in zelum diuinum accensus, re cum Sancto Demetrio communicata; à quo non solum adhortatus, sed etiam virtute Domini nostri Iesu Christi auctus, & confirmatus est, in stadium descendit, Lyæumque interfecit; Quamobrem commotus vehementer Imperator, capite damnauit Nestorem, sed ille gloriosum, & ex Lyæo, & dæmone triumphum egit.

Eodem die, commemoratio magni terræmotus.

142 VIgesimoquarto Leonis Isauri Imperatoris anno Ind. nona; Septimo Cal. Nou. festo Demetrij die, Constantinopolis magno, & horrendo terræmotu concussa est, vt omnibus prophanis, sacrisque ædibus terribili fragore corruentibus innumerabilis mortaliū multitudo extincta fuerit: quapropter miserabilis huius cladis memores festum hūc diem agimus, supplicationemque ad immaculatæ & gloriosissimæ Dominæ nostræ Dei Genitricis Virginis Mariæ augustam, & sacram ædem quæ in Blachernis est decreuimus, suppliciter implorantes impenseque placantes cum ipsam, tum qui sine semine, & corruptione pro eluendis animorum nostrorum peccatis ex ea natus est Dominum nostrum Iesum Christum, vt iustam in nos iram suam remittat: Ex eo quotannis precibus gratijsq; solemnem hunc diem celebramus.

Sexto Cal. Nou. certamen Sanctæ Martyris Capitolinæ, & Eroteis ancillæ eius.

XXVII.

143 CApitolina Martyr, Diocletiano Imperatore, Cappadox, natalibus clarissima, ad Præfectum adducta, & de patria, parentibus, & nomine interrogata; Ego, inquit Christiana vocor: patriam autem habeo Cælestem Hierusalem, at parentes sunt Christiani doctores, inprimisque Magnus Firmilianus Cæsareæ Cappadocis Episcopus. Igitur, quia generose Christum confessa, ementitam autem esse Idolorum ad superstitionem atque errorem fallacius inuentam opinionem liberius testata est, vincta in carcerem truditur, ad quam Eroteis ancilla ingressa dominæ vincula osculabatur educta, paulo post Capitolina obtruncatur. Eroteis autem in ignem iniecta, & diuinitus erepta tentarunt num de sententia depelli posset, quæ cum obfirmato in Christi cultu animo perseueraret, gladio traiecta occubuit.

Quinto Cal. Nou. certamen Sancti Sacromartyris Cyriaci, qui pretiosam Domini Crucem Helenæ monstrauit.

XXVIII.

144 CYriacus postea quàm pretiosam, ac viuificam Crucem monstrauit, Baptismo insignitus est, & Hierosolymorum Episcopus declaratus, ad Iuliani præuaricatoris tempora vitam produxit, qui suscepta aduersus Persas expeditione, cum Hierosolyma profectus, Sanctum Cyriacum ad Tribunal suum perductum conabatur ad Idolorum cultum pellicere, sed reprehensus ab eo, iussit illi dexteram amputari, addito cauillo. Æquū est, inquit, præcidi, quæ per literas plurimos à Deorum cultu abstraxit. Deinde liquatum plumbum in os infundi. Præterea in grabato ex ære candenti collocari: ad quem cum venisset mater eius, corripitur & ipsa, ac de sublimi capillis appensa tandiu depectitur dum animam efflaret: Cyriacus

verò

vero in aenum iniectus, & lancea confossus martyrio consumptus est.

Eodem die, commemoratio Sancti Ioannis Chozobitæ.

145 IOannes locupletibus parentibus Thebis Ægypti natus cum adoleuisset, nullam sibi vnquam cum Ecclesia Catholica communionem esse volebat, Chalcedonensi synodo offensior: at cum aliquando eum sancta loca visendi cupido incessisset, visus est sibi per quietem preciosam crucem adorare cupienti, atque omnem aditum exploranti, portam inuenire non posse; imò huiusmodi vocem audisse, Crucem contemptui eos habere, quibus nulla esset cum Catholica Ecclesia communitas. Experrectus igitur iuncta cum Catholicis communione, confestim se in proximam Eremum recepit, atque in Chozebâ monte ad mortem vsque consedit, vbi & se ipsum omni disciplinæ genere, sanctisq; institutis probè excoluit, & multos suo exemplo ad eandem vitæ rationem ineundam allexit.

Quarto Calen. Nouemb. Commemoratio Sancti Patris nostri Abrami. XXIX.

146 ABramus Christianis parentibus natus, vxore, quam inuitus duxerat propter Christum dimissa, solitudinis studio, se in angustissimam cellulam abdidit, vbi decem annos commoratus est, ad presbyteratū promouetur; & cum è vita cessisset frater relicta puella annos septem ingressa, illā sanctus secum abductam in altera suæ propinqua cellula inclusit. Quæ cum vigesimū ætatis annum ageret, Diaboli opera non solum in fornicationem lapsa est, sed cautro etiā vitæ instituto valere iusso, in meritorio hospitio fornicationi indulgens, in omne vitium præceps abibat. Quod vbi rescivit sanctus, sumpta militari chlamyde, & conscenso equo inuentam neptim ad pristinam vitæ rationē retraxit, quæ expiatis per pœnitentiam sordibus, tantos in virtute progressus habuit, vt miraculis insignita, in sancto proposito ad mortem vsque perstiterit. Abramus vero in summa senectute in Domino obdormiuit.

Eodem die, Certamen Sanctorum Martyrum Claudij, Asterij, Neonis, & Theonillæ.

147 CLaudius, Asterius, & Neon Diocletiano Imperatore, & Lysia Ciliciæ Præfecto, ætate integra, & florenti, & germani fratres è Cilicia Mopsuestiam profecti facultates paternas à nouerca repetere, & persequi lite, ac iudicio cœperunt, sed illa, nequid daret, detulit eos vt Christianos. Quare retenti à Præfecto, & interrogati Christū libere confessi sunt: Inde in Theatrum deducti nudatique, & in eculeum sublati primum fustibus mulctantur: deinde vngulis ferreis acerbissime depectuntur, tum multis alijs affecti supplicijs vna omnes cōstricti catena, & extra vrbis mœnia tignis in altum erectis affixi, martyrij coronam consecuti sunt: Post hoc Sancta Theonilla in sublime capillis sublata scipionibus vsque adeo cæditur, vt inter diros cruciatus expirarit.

Tertio Calen. Nouemb. Certamen Sancti Sacromartyris Epimachi. XXX.

148 EPimachus Martyr Ægyptius eruditionis quidem expers, & ignarus; atqui facie liberali, & decora, cum præfectum Alexandrinum aliquando vidisset vi tormentorum sanctos ad Deorum sacrificia compellere, vehementi zelo diuino exardescens, impetu facto, propositum altare subuertit. Quāobrem comprehensus custodiæ traditur, sed nec in vinculis finem faciebat, eos, qui simul inclusi erant, cohortandi ad subeundum fortiter pro Christi nomine martyrium. Educti igitur sancti de carcere, cum multo etiam libertus, quam consueuerant, Præfectum accusarent, admiratus ille, vnde tantos sibi animos sumpsissent, cognouit huius rei authorē Epimachū fuisse, quem in sublime arreptum vngulis ferreis scalpi iussit, cuius sanguis, cū in alterum subiectæ puellæ, sanctique fatum miserantis, & deplorantis extinctum oculum defluxisset, lucemque illi restituisset, furore percitus Præfectus caput à ceruicibus abscindi imperauit.

Eodem die, Certamen Sanctæ Martyris Eutropiæ.

149 EVtropia Martyr Alexandriæ Ægypti nata, cum magnus martyrum numerus in eadem vrbe in vinculis esset, nūc quidem præsens ipsa, nunc vero per alios, necessarios sanctis sumptus suppeditabat. Quamobrem delata ad Apallianum præfectū in carcerem, & in tenebras arripitur: Inde post aliquanto educta tribunali sistitur, & Christianam se professa, in eculeum agitur, & facibus ardentibus exuritur: quo in tormento cum magna tortores voce inclamans: Quantum ego, inquiens, ex hac, frigus, aqua, capio, & quam terribilem, Deique filio similem

lem hominē video (hunc autem, & qui aderant videre) cumque gratias Christo pro quo libenter huiusmodi cruciatus pertulit, magnas ageret, beatam illi animam reddidit.

Pridie Calen. Nouemb. certamen Sancti Sacromartyris Zenobij, & Zenobiæ sororis.

XXXI.

150 ZEnobius Martyr, Diocletiano Imperatore, Zenodoto, & Theclæ Christianis natus, cum & in ætate simul, & in Dei cognitione pietateque procederet, & progrederetur Episcopus Ægeatum in quibus natus fuerat renunciatur, qui cum plurimos, vel eos, quorum salus à medicis deplorata erat pristinæ restitueret sanitati, correptus, Lysiæ Præfecto sistitur: Id vbi rescivit Zenobia soror, seipsam spōte sua obtulit: Igitur primum cæsi, & lecto ferreo candenti impositi, deinde in feruētem cacabum piče plenum iniecti, atque ex his omnibus diuinitus erepti: compelluntur iterum, qua, erat Præfectus vecordia sacra impuris dæmonibus facere: Sed cum de pia sententia depellere eos Præfectus non posset, pronuncauit, vt capite mulctarentur.

Eodem die commemoratio Sanctorum Apostolorum Stachis, Ampliæ, Vrbani, & sociorum.

151 STachis Apostolus Episcopus Bizantij ab Andrea Sanctiss. Apostolo lectus, cum templum Argyropoli ædificasset, in quo Christianorū duo millia docebat, præfuissetque annos sexdecim, in pace quieuit. Amplias autem Episcopus Vlyssipoleos, quæ est in Macedonia, interemptus à Græcis est. Porro Vrbanus Macedoniæ Episcopus, & ipse à Iudæis, & Græcis cum multis alijs necatus. Die igitur eodem contigit, vt alij alia ratione, & loco torti ab ijs, qui Christū ignorabant Græcis, & gentibus, felices Deo reddiderint animas: quorum preciosæ reliquiæ Cōstantinopolim postea translatæ, in eo, qui Fons dicitur, loco quiescunt.

NOVEMBER.

Calen. Nouemb. Dormitio Sanctorum Anargyrorum Cosmæ, & Damiani Theodotæ filiorum.

I.

152 COsmas, & Damianus Anargyri Sanctæ Theodotæ Christianæ filij, fide Christi ab ea, medicinæ autem arte à Spiritu sancto instituti, curandis non hominibus solum, sed & iumentis operam suam nulla mercede ponebant: sed tamen cum fœminam Palladiam nomine curassent, Damianus ab ea quod se per Deum adiurassent, oua tria accepit. Quod vbi rescivit Cosmas, mandauit, ne Damiani reliquias prope se post mortem collocarent. Mortuo igitur prius Cosma, deinde Damiano, deliberāte populo, vbinam sepeliendus esset Damianus, repente Camelus, qui à dæmone pessime acceptus, sanatus ab Anargyris fuerat, voce magna edixit, eodem sepulchro, quo Cosmas condi debere, cum non mercedis loco, sed iuramento adactus oua accepisset.

Eodem die, Certamen Sanctorum Martyrum Cyrienæ, & Iulianæ.

153 CYriēna Martyr, Maximiano Imperatore Tharsensis comprehensa à Ciliciæ Præfecto cum cogeretur vt Christo abiurato sacra Idolis faceret, constantissima in pietatis studio permansit. Quamobrem tonso capite, & superciliis, fronteque pittacio contumelijs pleno obducta Asino imposita ab ociosis pueris cædebatur ferulis, atq; à mimis, & petulantibus militibus nuda per vrbem traducebatur. Quæ cum orasset, ne nuda conspiceretur, diuinitus obtecta Idololatratum oculos fallebat: deinde cum altera eiusdem vrbis Christiana Iuliana nomine in fornacem iniecta inter laudes diuinas, & gratiarum actiones beatam efflauit animam.

Eodem die, Certamen Sanctorum Martyrum Ioannis Episcopi, & Iacobi Presbyteri, cognomento Telota.

154 IOannes Episcopus, & Iacobus Presbyter, qui in Perside verbū fidei disseminantes, non paucos ab impietate ad Dominum conuerterunt, claruere Saborio Rege

Per-

Persarum: Ioannes enim cum per quietem vidisset carnificem, coronam, quam in ensis capulo circumferebat capiti suo imponentē huiuscemodi adhibita præfatione: Accipe, ô Episcope, quam tantopere expetisti coronā, paucis post diebus comprehenditur vna cum Iacobo presbytero, qui vario primum affecti cruciatu, gladio deinde trucidati, immortalem in vitæ æternæ coronam adepti sunt, cum interim ad extremum gratias Deo semper agerēt, quod ipse, qui pro eius nomine mortem oppeterent dignos indicasset: Atque in eodem loco honorifice sepulti sunt.

Quarto Non. Nouemb. certamen Sanctorum Martyrum Acidini, Pegasij, Animpodisti, Aphthonij, Elpidephori, & sociorum.

II.

155 ACidinus, Pegasius, & Animpodistus, Martyres, Constantino magno Imperatore, Persæ, cum separatim in cellula vitam agentes, verbo Dei ad veram pietatem populos instituerent, à Persarum Rege, recenti, scipionibus male mulctati mutum illum adhibita precatione reddidere, sed restituta post aliquanto linguæ facultate, nihilo tamen secius in lebetes plumbo feruenti plenos injiciuntur. Qui incolumes inde egressi Aphthonium militem rei miraculo vehementer commotum ad Christi fidem traxere, qui statim extra mœnia eductus & capite mulctatus vitam pro Christo profudit: illi vero folliculo insuti & in mare proiecti, visi sunt in litus ab Angelo ab Aphthonio deduci: militibus vero qui in mare præcipites sanctos dederant manus præcidi rex iussit. Elpidephorus tot mirabilibus factis impulsus Senatorij ordinis vir, regem accusauit, & cum eo credidere septies mille homines, qui omnes capite damnati mortem oppetiere: sed & vigintiquinque cum Saborij matre, quod Christi fidem amplexi essent, igni absumpti sunt.

Eodem die; certamen Sanctorum Martyrum Carterij, Atici, Estyracij, Eudoxij, Tobiæ, Agapiti, Nicopolitani, & sociorum.

156 CArterius, Stiracius, Tobias, & Nicopolitanus Sancti, Sebastiæ stipendia sub Licinio Imperatore merentes, id omnes consilij cepere, vt per omnem militiam in fide Christi manerent: Quare à Marcello duce fustibus mulctati in carcerem rapiuntur. Inde eductis, humeri, & venter, neruis lacerantur crudis, dentesq; contunduntur & ad Carterium conuersus Marcellus: Tu, inquit solus ausus es populum à fide Imperatoris abductum ad defectionem impellere? Cui Carterius; Ego populo author fui, non vt à fide Imperatoris discederet, sed vt immortalem Deum sequeretur. Post hunc adduci Styracium, Tobiam, & Nicopolitanum, cum in Christi confessione perseuerarent, iubet: deinde iubet sanctos fustibus, & scipionibus prius confractos, atque alijs tormentis affectos igni simul cum magna credentium multitudine absumi.

Tertio Non. Nouemb. Certamen Sanctorum Martyrum Acepsimæ Episcopi, Iosephi Presbyt. & Aitalæ Diaconi.

III.

157 ACepsimas Episcopus, Ioseph Presbyter, Aitalas Diaconus Persæ Martyres, Constantino Magno Imperatore, facti sunt à Saborio Persarum Rege, Acepsimas veneranda canitie (quippe qui nonagesimum ageret annum) & corpore adhuc firmo, proceroque & recto, adhæc diuitijs clarus, comprehensus cum socijs sistitur Magorum Principi, qui cum adduci non posset, vt Soli, & Marti immolaret, quin potius illis imponeret contumelias, & injurias, fustuario acerbissime plexus in vincula rapitur. Post hunc admotus Ioseph, spreto Archimagi imperio, extensus flagris, vsque adeo cæditur, vt cōcisis fœde carnibus ossa omnia nudarentur: deinde in carcerem truditur: Aitalæ vero reuinctis ad genua manibus, ita membra singula luxantur, vt tota corporis compages dissolueretur. Tandem Acepsimas inter flagra expirauit: Ioseph capite de sublimi appensus, ac lapidibus petitus, & Aitalas in sublimi actus animas Deo reddidere.

Eodem die, commemoratio S. Patris nostri Ionnicij Thaumaturgi.

158 IOnnucius magnus pater noster in Bithynia natus, cum & in ea, quam sub Constantino Caballino Imperatore aduersus Escouitas suscepit expeditione, stipendia faciens, & in omnibus alijs bellis fortissime se gessisset, Bulgarorumque gentem concidisset, vidissetque aliquando in quodam prælio magnam commilitonum suorū multitudinē trucidatā, tam incredibilem cepit animo dolorē, vt statim renūciata militia, Olympum montem conscendens solitudinem miro captaret studio, sed visus forte à commilitone quodam in Lyciæ montem concessit, vnde quo-

quoniã mirabilia, quæ edidetat facta celebre eius nomen per eam prouinciam iam effecerant, In Eristo Monasterium se se recepit, initiatusque Monachus, cum nec ea ratione occultus esse posset, quando eã cum alia miracula, tum vero dęmonũ depulsio, & prophetia ignobilem esse non patiebantur: omnem hominum occursum vitabundus, è monte in montem fugæ, ac solitudini mandabat vitam. Præter cætera, & Imperatorum, & Patriarcharum commutationes prædixit. Tertio tamen post die quam Methodium futurum Patriarcham prænunciauit in Domino obdormiuit.

Pridie Non. Nouemb. certamen Sancti Martyris Porphyrij. IV.

159 PORphyrius Martyr, Aureliano Imperatore, Ephesinus, egregius scenicorum ludorũ actor erat, cuius ludicra arte delectatus Alexander Cæsariensium Comes secum Cæsaream abduxit, agebatur autem forte festus Dæmonũ dies summa ludorum celebritate, in quibus, & Christianorũ sacra, mores & effigies per ludum repræsentabantur. Productus igitur inter cæteros Ludiones Porphyrius, & Episcopi cultum atque habitum diu ludificatus, voluit & Baptismo sacrosancto illudere, cum vero in aquam allatam nudum se demersisset, sacrumque illud Christianorũ carmen pseudo Episcopus præfatus esset, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizatur Porphyrius*, affuere confestim Angeli, qui indnta Porphyrio stola alba, cũ facibus alternis psallebant vocibus, *Quicunq; in Christo baptizati estis, Christũ induistis*: quo miraculo commoti plurimi in Christum credidere. Comes vero rubore suffusus discessit, sed proximo die, sanctum prætento magicæ vanitatis crimine capite damnauit.

Eodem die, certamen Sanctorum Apostolorum de numero septuaginta Patrobæ, Hermæ, Lini, Gaij, & Philologi.

160 PAtrobas, Ermas, Linus, Gaius, & Philologus, ex Septuaginta discipulorum numero fuere: Patrobas cuius mentionem in suis epistolis Paulus magnus facit: Episcopus Puteolorum multos ad Christi fidem traductos baptismate insigniuit. Hermas autem, de quo etiã Paulus Apostolus in epistola ad Romanos meminit, Philippopoleos Episcopus fuit. Porro Linus, post Petrum Sanctissimum Apostolum magnæ Romæ Episcopus iuridicundo, rebusque explicandis, ac constituendis vacauit. Atque Gaius, cuius idem Apostolus mentionem iniecit post Sanctum Timotheum Ephesiorũ Episcopus renunciatur. Denique Philologus, de quo idem in suis epistolis scriptum reliquit Apostolus, Synopsi declaratus est Episcopus ab Andrea primum omnium ad Apostolatum vocato. Qui omnes cũ in sua populi administratione multas molestias, & incommoda ab infidelibus pro pietatis verbo pertulissent, cuius etiam prædicatione multos in Christi partes traxerant, in pace quierunt.

Nonis Nouemb. Certamen Sanctorum Galationis, & Epistimes. V.

161 GAlation Sanctus Emesæ Onuphrij Monachi prædictione natus, à quo & parentes eius baptizati fuerant, cum post matris obitum despondisset illi pater vxorem formosissimam Epistimen nomine, adhuc infidelem, nuptijs celebratis adijt quidem vxorem, sed nulla tamen ratione adduci potuit, vt ad osculum, aut amplexus eam admitteret, cuius rei causam ab ea rogatus, quia inquit, Christiana non es. Quare statim Christianam se futuram pollicetur, sed cum nulla presbyteri facultas propter persecutionẽ daretur, ab ipso Galatione baptismate insignita est. Deinde ex composito distributis in pauperes facultatibus vterq; in montem secessit, atque in Monasterium separatim se abdidit. Commota autem in Christianos persecutione, delati ad Regionis Præfectum sunt; dum igitur Galation ad Præfectum perducitur, Epistime aneuertit, priorque retenta est: deinde ambo præcisis manibus, ac pedibus capite mulctati mortem oppetiere.

Eodem die: Certamen S. Domnini, & Theotimi, Timothei, Philothei, Dorothei, Carterij, & Siluanij sociorum.

162 DOmninus, Theotimus, Timotheus, Philotheus, Dorotheus, Carterius, & Siluanus, Maximino Imperatore, cum verbum Dei palam prædicando, multos ad Dominum conuerterent, delati ad Maximinum, & comprehensi grauissimisque affecti supplicijs damnantur ad metalla. Post multum vero tempus ergastulo educti sistuntur iniquo Maximini tribunali, quos in Christi fide constantissime perseuerantes, iussit in eculeum actos crudelissimè excarnificari: horum autem summam in tormentis tolerantiã Pamphilus quidam conspicatus, secumque repu-

reputans, non nisi firma maximarum rerum spe nixos sanctos posse tantis supplicijs pares esse, ad Christum transijt cum tribus Virginibus. Quare pudore suffusus Maximinus pronunciauit vt omnes capite plecterentur, quæ abscissis à ceruice capitibus, animas Deo reddidere beatas. A

Octauo Idus Nouemb. Certamen Sancti Pauli Confessoris Patriarchæ Constantinopolitani.

VI.

163 PAulus Thessalonicensis notarius Alexandri Sacratissimi Patriarchæ & Constantinopolitanæ Ecclesiæ Diaconus, qui Alexandro vita perfuncto ab Orthodoxis Patriarcha renunciatus à Constantio Ariano Imperatore ab Antiochia reuerso in ordinem redigitur, atque in eius locum Eusebius Nicomediensis suffectus est: Paulus autem profectus Romam reperit ibi Athanasium è proprio throno exturbatum, sed Cōstans, qui Romæ imperabat author fuit Constantio fratri, vt in suas vterq; sedes restitueretur, qui paulo post Arrianorum opera, iterum à Constantio Magistratibus abrogati, minacibus Constantis litteris quibus fratri illi bellum indicebat, sin minus restituerentur, pristinum dignitatis gradum iam tertio tenuere, verum post Constantis mortem Paulus in Cucurum Armeniæ relegatus, dum in ædicula inclusus sacris operaretur, suo homophorio, quæ vulgo stola dicitur, suffocatus est. B C

Eodem die Commemoratio puluerum, siue cineris, aut flactes de cælo lapsæ.

EXtremo Leonis Magni Imperatoris, cognomento Bessi, imperio, hora diei sexta obductum atris nubibus cælum, quale solet esse imminentibus maximis imbribus, ardensque, quaque versus faciem præseferens, igni omnia ita correpturum esse videbatur, vt etiamsi ad terram & huiusmodi nubibus pluuia differretur, instar tamen ignis ac flammæ, non secus, ac olim Sodoma, omnia esset incensura: Sed cum Sacerdotes omnes, ac pij homines in templa confugerent, Deumque & Immaculatam Dei Genitricem lachrymis votisque supplicibus implorarent, qui non vult mortem peccatorum, Clementissimus Dominus pœnam qui humanitate temperare solitus est, imperauit nubibus, vt pluuiam dimitterent. A vesperis igitur ad noctem mediam stacte defluxit, omnes carbonis instar arbores adurens, sed quæ in tegulas decidit ad hominis specimen excreuit. D

Septimo Idus Nouemb. certamen Sanctorum Martyrum Antonij, & parentum eius Melasippi, & Casinæ.

VII.

165 ANtonius cum Melasippo, & Casina parentibus in vrbe Ancyra Iuliano præuaricatore imperante comprehensus est: & Antonio quidem in carcerem coniecto parentes eius sublime arrepti scalpuntur, atque igni aduruntur, Casinæq; mamillæ, Melasippo autē crura abscissa sunt, quo in tormento migrarunt ad Dominum. Productus vero Antonius cum parentes vidisset pendētes, eorum membra humi iacentia exosculatus, seipsum sanguine de membris illorum distillante vnxisset, præuaricatoris faciem cōspuit. Quare in eculeo excarnificatur, eiusque tali terebrantur, caput vero raditur. Deinde ad Agrippinum ducem missus atque ab eo in furnum detrusus cum illæsus prodijsset quadraginta pueros rei magnitudine cōmotos ad Christi fidem pertraxit, qui omnes vna cum eodem exoptatam martyrij palmā gladio cæsi consecuti sunt.

Eodem die, certamen Sancti Hieronis, sociorumque duorum, qui in Melitene vrbe, martyrio sunt consumpti.

166 HIeron, Nicander, Esichius, & præter hos alij triginta Maximiano, & Diocletiano iniquis Imperatoribus, in Meliten Armeniæ vrbe, cum vulgo in omne Christianorum nomen per cædes sæuiretur detenti à Militenis Præfecto, varijs supplicijs tentati diu sunt, num à Christi cultu ad Idolorum impietatem traduci possent, sed cum non solum imperata facere recusarent, sed magna etiam voce Christum verum Deum, ac omnium rerum, cæli, & terræ, & eorum quæ in ipsis sunt opificem esse confiterentur, nudati tandiu virgis cōciduntur, dum omnia eorum intestina paterent, atque ita accepti in caminum traduntur. vbi diutius misere confecti, omnique curatione prorsus destituti, tandem è carcere educti, cum in sancto proposito etiam atque etiam perseuerarent, gladio cæsi sunt.

Eo-

Eodem die, certamen Sanctorum Martyrum, Aucti, Taurionis, & Thessalonices.

167 THessalonice Martyr, Cleonis cuiusdam Idolorum Sacerdotis filia, Christi fide imbuta compellabatur à patre, Christum abiurare, quod scelus detestata, flagris nuda grauissime laceratur, eiusque latera fustibus contunduntur: deinde bonis paternis exhærea in prædiolo, quod vnum sibi materna obuenerat hæreditate, habitabat. Quod vbi cognouissent Christiani duo Auctus, & Taurion grauiter Cleoni succensere. Quamobrem ab eo regionis Præfecto delati, & comprehensi cęduntur, tum lapidibus petiti in ignem conijciuntur. Inde egressi iaculis configuntur; deinde cum in stagnum pertracti incolumes etiam euasissent capite plectuntur. Thessalonice autem, cum nunquam Christum profiteri postea destitisset, in pace quieuit, cuius preciosæ reliquiæ Amphipoli summa magnificentia, & honore sepulchro cum reliquis sanctis conditæ fuere.

Sexto Idus Nouemb. Archangelorum Congregatio. VIII.

168 CVm rerum Vniuersitatem initio Deus ipse per se Beatissimus, nulliusque rei indigus conderet, nulla alia causa, quam bonitate adductus sua, quam rebus quæ ab eo crearentur benignè impertiretur; primum omnium Cælestes Virtutes Sanctosque Angelos, mente, & intelligentia sua complexus est, cogitatum in opus produxit. Cumque illis in ordines diuisis singulos ordinum ductores, ac imperatores præfecisset, eorum ducum vnus, cui tum quidem Samaez, at post ruinam, Diaboli nomen fuit, elatione animi correptus, cum se ipsum Deum existimasset, de altissimo dignitatis gradu deiectus de cælesti sede vnà cum eo, quem duxerat, ordine deturbatus est. At Michael Archangelus, qui alium Angelorum ordinem ductabat, simul vidit horribilem desertoris casum, coactis in vnum Angelorum choris, iisque monitis, vt summa animi attentione, ac vigilantia mente consisterent, verborum laudem rerum omniũ Deo in hanc fere sententiam tribuit. En nos miseratione digni, Deo vni, & magno attente assistamus. Ecce quam cladem subierunt, qui nobiscum hactenus lux, nunc autem facti sunt tenebræ: huiusmodi igitur Angelorum consensus appellatus est synaxis, idest, attenta concordia, & cœtus.

Eodem die, Commemoratio Ossiæ Matronæ.

169 OSsia ex vrbe Persia Pamphilæ, Leone Magno Imperatore, floruit. Hæc cum viro suo filiam genuisset, profectaque cum eodem Constantinopolim, decimoquinto ætatis suæ anno, in familiaritatem se Eugeniæ Virginis bene penitus insinuasset, eius sanctam vitæ rationem, ac institutum imitata, nunquam à sacris ædibus discedebat, imo ardentiore, quàm Eugenia, erga Deum studio incensa, cùm aliquando vocem illam B Euangelicam audisset; *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, filiam fœminæ cuidam piæ educandam tradidit, relictoque viro & sumpto virili cultu, se se in Sancti Bassiani claustrum recepit, monasticam complexa vitam. Verùm vbi cognita est esse fœmina, ab ipso sancto viro Hierosolymam mittitur: Vnde post aliquot annos Constantinopolim reuersa solitariam agens vitam in pace quieuit.

Quinto Idus Nouemb. certamen Sancti Martyris Alexandri Thessalonicensis. C IX.

170 ALexander Martyr Maximiano Imperatore comprehensus cogebatur Dijs sacra facere, quod facinus execratus, diuino zelo vehementer exarsit, factoque in sacrificiorũ mensam impetu, eaq; pede disturbatà, atque vnà cum hostijs euersa, inspectantem Maximianum vehementissimè commouit. Quare statim pronunciauit vt extremo afficeretur supplicio. Cùm igitur districto carnifex gladio collum sancti viri peteret, repentino mentis stupore oppressus est, qui cùm obiurgaretur à Maximiano, quod non exequeretur mandatum; Ego, in- D quit, visione quadam magno sum perculsus metu, sed cùm Sanctus ad orandum horam impetrasset, tum demum à carnifice cæsus est, cuius animam, cum sublimè ferri ab Angelis quatuor conspexisset Maximianus, permisit, vt sancti viri reliquiæ Thessalonicæ sepulchro inferrentur.

Eodem

Eodem die, certamen S. Martyris Antonini.

171 ANtoninus genere Syrus, lapidicinam faciebat: hic cum gentiles in fanum quoddam ingressos, Dijs operam dare vidisset, author illis erat, vt superstitiosam Idolorum culturam relinquerent: sed cùm nihil dicendo efficeret in solitaria loca profectus, nactusque hominem Anachoritam Deo seruientem Theotimum nomine, biennium apud eum fuit: huius postea precibus fretus, atque in patriam ad idem templum quod varijs dæmonum præstigijs transuersam mortalium mentem agebat, reuersus, offendit, qui festum dæmonijs diem agitarent: ingressusque templum, Idola cõminuit: Quamobrem correptus grauissimè cæditur: Deinde dimissus Apameam Syriæ concessit, cumque à sanctissimo eiusdem vrbis Episcopo impetrasset, vt Sanctæ Trinitati templum conderet iactaque iam essent illius fundamenta, indigenæ hominem aggressi membratim cõcidere, cuius spiritus Deo sese coniunxit.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Orestæ.

172 ORestes Martyr Tyanis Cappadociæ vrbe natus Idolorum contemptor: Christum summa libertate prædicabat, retentus igitur à Maximo, qui dudum à Diocletiano fuerat Cappadociæ Præfectus, declaratus quod Dijs sacrificare recusaret, & virgis pessimè vsque adeo mulctatus, vt viscera eius nudarentur: iterum ad Idolorũ templum, vt sacra faceret ducitur, vbi, Christi nomine inuocato, collapsa repente Idola in tenuissimum redegit puluerem: Deinde in carcerem rursus traditur. Post septem verò dies è carcere eductus sistitur Maximo, qui cùm sanctum virum semel atque iterum frustra sollicitasset, vt ad gentilium sacra transiret, iussit, vt traiectis per illius talos ingentibus clauis, qui lora retinerent, ab indomito extra vrbem raptaretur equo, quod ille tormentum cum passuum millia quatuor & viginti fortissimè tulisset, spiritum Deo reddidit.

Quarto Idus Nouemb. certamen Sanctorum Apostolorum, Martyrum & Confessorum, Olympæ, Rhodionis, Sosipatri, Tertij, Erasti, & Quarti.

173 OLympas, & Rhodion, ex SS. Apostolorum numero, Petri Apostoli sectatores, & comites Romæ à Nerone capitis damnati, mortem oppetiere: Sosipater autem, cuius in ea quã ad Romanos D. Paulus scripsit epistola mentionem fecit, declaratus Iconij Episcopus, in pace quieuit: Porro Tertius, qui diuino Paulo in scribenda ad Romanos epistola operam nauauit, secundus post Sosipatrum renunciatus Iconij Episcopus, ad Dominum migrauit; Cæterum Erastus, cuius in eadem epistola idem meminit Apostolus, primum Hierosolymitanæ Ecclesiæ oeconomus. Deinde Panesdis Episcopus fato concessit; Atqui Quartus Beriti Episcopus postquam multa pro pietate perpessus, non paruam Gentilium manum in Christi partes traxisset, vita functus est.

Tertio Idus Nouemb. certamen Sanctorum Martyrum Menæ, Victoris, Vincentij, & Stephanides.

XI.

174 MEnas Ægyptius inter Martyres primus, Maximiano Imperatore claruit: qui cum Cotiaij Phrygiæ vrbe sub Numerio mereret, fidei Christianæ causa dirissimè primum flagris concisus, ac pexus est: deinde igni ambustus, ac super acutissimas testulas pertractus gladio cæsus est: Victor autem Antonio Imperatore, ac Sebastiano Italiæ Duce, cũ nulla ratione adduci posset, vt Christi desertor esset, luxatis priùs mébrorum articulis in fornacem proijcitur: deinde lethali pharmaco, quod sibi porrectum à Mago fuerat, exhausto, nulloque prorsus affectus damno, Magum ad Christum conuertit, qui erutis oculis capite damnatus est: quæ res inspectantem Stephanida eò perpulit, vt summam sancti felicitatem efferret, ac prædicaret. Quamobrem comprehensam, atque ad palmas duas, quæ in vnum immani viriũ contentione contortæ fuerant, alligatam, præcisis repente vinculis martyrem miserè dilaniarunt: Eodem die in vrbe Augusta Vincentius, quod Christianus esset, ab eiusdem vrbis Præfecto capite damnatus è vita excessit.

Eodem die, certamen Sancti Patris nostri Theodori Præfecti celeberrimi Monasterij Studij.

175 THodorus, Constantinopoli, Constantino Caballino Imperatore, natus, Irene autem imperante omnium artium scientiam, & cognitionem consecutus, cùm in Saccudionis Monasterium secessisset, ab ipso diuino Platone Monachorum sacris initiatus est; deinde à Tarrasio Patriarcha Presbyter creatus, & cum trigesimum ætatis annum ageret, eiusdem Monasterij Præfectus declaratus est: sed eum Imperatoris adulteria indignius ferret, Thessalonicam in exilium eiectus est: postea ab Irene postliminio reuocatus, ob excursiones quas Sarraceni faciebant relicta Irene, Monasterium Studij gubernandum suscepit: Verùm à Nicephoro Imperatore eadem de causa solum vertere cogitur, eo inquam, qui in Bulgaria iugulatus cōcidit. Tandem Leone cognomento Iconomacho iterum relegatus, quod acerrimus esset Sanctarum Imaginum propugnator, cū multa fortiter pro pietate subijsset, ac pertulisset incommoda, hymnosque in Deum conscripsisset, extrema senectute migrauit ad Dominum.

Pridie Idus Nouemb. Commemoratio Sancti Patris nostri Martini Franciæ Episcopi.

XII.

176 MArtinus Romanus, Gratiano Imperatore Dux bello delectus, cōspecta infinita hostium multitudine vehementi metu corripitur, sed cùm nudum pauperem chlamyde quam gestabat texisset, Christus per quietem se se Martino pauperis illius habitu ostentans iussit, bono esset animo, speraretque fore, vt, quando ea erga se vsus esset benignitate, gloriosam se duce ex hoste victoriam reportaret. Qua ille oratione bene animatus, cum collatis signis, hostes egregie vicisset, atque ab Imperatore hilare, admirabiliterque acceptus fuisset, gratias Deo agens, monasticam complexus est vitam, in qua septem versatus annos, omnemque sacræ Scripturæ scientiam assidua meditatione consecutus, Franciæ Episcopus renunciatur. Multa autem edidit miracula: Inter cætera, cùm offendisset aliquando fœneratorem impedientem, quominus mortuus quidam humaretur, quod eum sibi debere diceret: contrà verò iacentis vxorem contendentem omnem illi pecuniam solutam esse: Sanctus à Deo precibus impetrauit, vt reuocatus ab inferis mortuus Sycophantam mendacij redargueret. Tandem alijs plurimis honestatus miraculis in pace quieuit.

Eodem die Commemoratio Sancti Patris nostri Ioannis Eleemosynarij Patriarchæ Alexandrini.

177 IOannes Cyprius, Epiphanij cum Insulæ Prætoris filius fuit: Is vxorem quam de parentum authoritate duxerat, & filijs, quibus auctus fuerat, defunctis, omnē suam curam, ac cogitationem in vnum illud contulit, vt diuinam sibi gratiam emereretur. Sancti igitur viri vitæ splendore, atque integritate commota ciuitas Alexandriæ ab Heraclio Imp. impetrauit, vt Alexandriæ Patriarcha canonica manuum impositione crearetur. Quo in Pontificatu cum multos annos optime se gessisset, miraculorumque magnitudine ac frequentia illustrior factus esset, atque ex eo quod admirabili, & supra omnem inuidiam egenos benignitate complecteretur, Eleemosynarij cognomen meritò tulisset, ac supra humanum sese fastigium augustiorem colendumq; omnibus reddidisset, quemadmodum nobis apertè, qui de eo scriptus est liber, testatum reliquit, non paruam ad hæc Gentilium manum in Christi partes traxisset, extrema senectute despectis terris ad cælestes sedes triumphans euolauit.

Idibus Nouemb. Commemoratio exilij S. Patris nostri Ioannis Chrysostomi.

XIII.

178 CHrysostomi exilij memoriam, ac recordationem, non autem dormitionis eam ob causam celebramus: quod sancti hominis exilium in idem tempus inciderit, quo pretiosæ Crucis festum exaltationis diem agimus. Hic igitur Antiochiæ Syriæ natus ab ineunte ætate, cum ad omnes bonarum artium disciplinas, cum vero ad dicendum in primis, plurimum studij adhibuit, neque vlla est res, vel prophanæ, vel sacræ scientia, quam non ille breui apprimè fuerit consecutus: Quamobrem singularē viri virtutem admiratus Meletius Antiochiæ Patriarcha, eum in Clericorum ordinem legit: Flauianus verò ad Diaconatus, ac Presbyteratus dignitatem promouit, qui postquam in exponendis sacris litteris, omnibus egregiè versatus esset, in Nectarij demortui locum de Arcadij Imperatoris authoritate, Episcoporum suffragio Constantinopolitanus Patriarcha cooptatur: sed eum Euxodiæ Reginæ animum a se alienasset, quod eius auaritiam accusaret,

rer, ab ea extortis iniquissimè factus Cucusi A
Armeniæ oppido vita perfunctus est.

Eodem die, certamen SS. Martyrum Militis Episcopi, & discipulorum eius Ebera, Papa, & Seboa Diaconi Martyrum.

179 Miles Persa primum stipendia belli merens, postea militiæ munere renunciato, cùm se totum pietati Christianæ dedisset, illius vrbis in Perside Episcopus denunciatur, vbi Danieli Prophetę diuinę olim obiectæ fuere visiones: sed inde ab infidelibus B fugatus, Hierosolymam primò venit, deinde Alexandriam ad Antoninum, demum in Persidem reuersus à Mystophoro regulo fratreque eius ceditur per præcordia gladio, quod Solis, ac Ignis cultum constanter detestaretur, quibus ille dum animam ageret, prænunciauit fore, vt die insequenti mutuis Regulus, & frater vulneribus, eademque qua ipse cæsus erat hora conciderent. Quare vehementius commoti discipulos eius Eboram, Papam, & Seboam Diaconum, fustibus tandiu contudere, dum animas Deo redderent. Postridie autē eius diei fratres, in furias acti, mutuis se se vulneribus confecere.

Eodem die, certamen Sanctorum Martyrum Antonini, Nicephori, Germani, & sociorum eius.

180 Antoninus Martyr prouectus iam ætate, Nicephurus autem, & Germanus adolescentes cum à Christo, ad Dæmonum cultum desciscere nollent, imò liberiùs Christum confiterentur, capite plectuntur: Virgo autem quædam Manetho nomine Scythopolitana per totam vrbem nuda traducitur: Deinde cùm grauissimis totius corporis verberibus excepta, nulloque damno Dei beneficio affecta, innumeram hominum D turbam illo ipso, atque alijs sexcentis mirabilibus factis ad Christianam fidem traduxisset, ad ardentissimam fornacem rapitur, in quam prece prius adhibita, volens, ac lubens, Deoque gratias agens se ipsam iniecit, vbi cùm diù orasset, sacrum tandem Deo viuenti spiritum reddidit.

Decimo octauo Calen. Decembris Ipatij Thaumaturgi. XIV.

181 Ipatius vnus ex trecentis decem & octo Patribus, qui ad Nicęnam synodum aduersus Arij delirationem conuenerunt, Constantino Magno Imperatore, præter innumera alia illud imprimis edidit miraculum: Nam cùm portentosæ magnitudinis draco in ærarium Imperatoris irrepsisset, omnesque ab ingressione propulsaret, accersitur vir Dei ab Imperatore; prece adhibita, serpentem, qui mordicus virgæ summitatem tenens, non repugnanter sequebatur, in ignē, quem medio foro luculentum excitari iussérat, iniecit, cuius admirabilis facti memoriā Imperator in ipsius ærarij aditu accuratè expingi voluit: Sanctus verò reuersus ad Ecclesiam suam Nouatianorum hæreticorum insidijs excipitur: Nam à muliere quadam capite illius lapide diminuto huius vitæ ergastulo liberatus, sed æternam regni cælestis sedem auolauit.

Eodem die Commemoratio Sancti Apostoli Philippi vnius ex duodecim.

C 182 Philippus ex duodecim Apostolis vnus Bethsaidæ Galilęæ natus post Iesu Christi ascensionem miraculorum frequentia insignis, Traiano Imperatore, profectus est Hierapolim, cum septem filiabus & Mariamne sorore sua, & Bartholomæo Apostolo, vbi Iesu Christi verbum nusquam nō disseminando gentilium multitudinem ab Idolorum vanitate abducebat, cum illius loci indigenæ simul cum Nicanora Procōsulis hominis inter suos primarij vxore, serpentem diuino dignarentur cultu, & honore. Quare cùm Proconsulis iussu Bartholomæus, & Philippus sublimibus è muro pedibus penderent, orante Philippo, omnes cum Proconsule, vipera, eiusque Sacerdotibus repentino terrarum hiatu hausti sunt. Verum singulari Dei beneficio omnibus in apertum præter proconsulem cædis sauctorum authorem, & viperam euadentibus, solutoque Bartholomæo Philippus eo cruciatu consumptus est.

Decimoseptimo Cal. Decemb. certamen SS. Confessorum Guriæ, Samonæ, Abibi, qui in vrbe Edessa martyrium subiere.

XV.

183 GVrias, & Samonas Edessani ex Sacerdotum ordine, Imperatore Diocletiano, delati Antonino Duci, quod iis qui Christianæ fidei causa vincti essent sumptus benignè suppeditarent, neque à Christo deficere vellent, sublimes per alteram tantùm manum horas quinque pependere. Deinde depositi, cum iterum sollicitati, vt ad Gentilium sacra transirent, constanter tamen in fidei confessione permanerent sublimibus contra pedibus diutius torti sunt: Postea in tenebricosum carcerem inclusi, tandem gladio cæsi sunt. At Abibus Diaconus, Licinio Imperatore, quod vicos peragrans sacrarum literarum lectione fidelium mentes in Christi partibus confirmaret, in ardentissimam fornacem iniectus gloriosam Martyrij palmam est adeptus.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Demetrij apud Dabudenum.

184 DEmetrios Dabudenus Martyr, Maximiano, & Maximino Imperatoribus, accusatus ab Idololatris quod Christianus esset, corripitur, sed ille à Publio Præfecto quæstione adhibita, non solum magna dicendi libertate Christi Dei nostri fidem confessus est, sed Spiritus Sancti etiam numine & auxilio apud circumstantes, de Iesu Christi Domini nostri Incarnatione, deque eius prouidentia maiore, sane, quam vt dicendo posset explicari, tum de bonitate, ac propensissima in mortales voluntate constanter disseruit, adiiciens, Vanissimum esse Idolorum cultum, quando & ipsa, & qui ea colerent cæci omnino essent. Exarsit vehementi iracundia Præfectus, iussitque caput illi à ceruicibus abscindi, & sanctus expetitam à se tantopere Martyrij palmam tulit, cuius reliquiæ sepulchro à fidelibus conditæ ad hunc vsque diem miraculorum frequentia sunt illustres.

Eodem die, Iugulatio Sancti Iacobi Fratris Ioannis Theologi.

185 IAcobus ex duodecim Apostolorum Collegio filius Zebedæi Galilæi, qui dum secus stagnum Genezareth cum Ioanne Theologo fratre, retia ex piscium captura reficeret, vocatus à Domino, relicto statim patre, secutus est eum; post Domini Ascensionem, & Sanctæ Dei Genitricis obitum, dum frater Ephesi prædicationis munus obiret, ipse vt susceptum Hierosolymitanæ Ecclesiæ munus expleret omnes Israeliticas tribus peragrans Dominum nostrũ Iesum Christum vbique prædicabat. Quamobrem Cæsareæ Palæstinæ retentus ab Herode Tetrarcha, atque iugulatus in Cælum auolauit, vbi cum Christo Domino præceptore suo Deoque nostro benignissimo regnat.

Decimosexto Cal. Decemb. Sancti Matthæi Apostoli & Euangelistæ.

XVI.

186 MAtthæus, & ipse ex Duodecim Apostolorum numero, publicanus, etiam Iacobi Alphæi frater, quem Dominus ad Telonium sedentem conspicatus iussit, vt sequeretur, ac statim sequentem in suorum discipulorum numerum adscripsit. Octauo post Christi assumptionem anno Sanctum Euangelium Hebraicè diuino instinctu, afflatuque Hierosolymitanæ Ecclesiæ conscripsit. Deinde cùm multis diuersarum gentiũ terris peragratis ad Anthropophagos vsque penetrasset, nusquam non Christi fidem disseminans, multaque interim tormenta perpessus esset, tandem creato illic Platone Episcopo Hierapolim Syriæ concessit, vbi plurimis Christiana religione imbutis mortuus est.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Barlaam.

187 BArlaam martyr Antiochiæ Syriæ natus, confectus iam ætate, Christianæ fidei causa à Præfecto vinctus, nulla arte adduci potuit, vt Diis immolaret. Quare neruis bubulis grauissimè cæsus, deinde vnguibus euulsis iterum admotus altari, explicata per vim manu thus simul cum igne accipere compulsus est. Existimabat enim Præfectus hominem, excusso in altare vna cum igne thure doloris violentia compulsus, ea saltem ratione visum iri sacra Diis fecisse. At longè aliter res cessit: nam auerso semper, sed constanti, atque interrito vultu passus est potius ignem paulatim absumpta, & perforata manu, quouis ære, ferroque longè duriori in terram decidere, quam quicquam de tam singulari constantia remittens, Idolorum rem diuinam facere, quo in tormento beatam pro Christi nomine animam generosè persudit.

Deci-

Decimoquinto Kal. Decemb. Commemoratio Sancti Patris nostri Gregorij Episcopi, Neocæsareæ, Thaumaturgi.

XVII.

188 GRegorius, qui Aureliano Imperatore floruit, parentibus, natus infidelibus, fidei mysterium à Sanctissima Dei Genitrice, Ioanneque Theologo per visum edoctus, Thaumaturgi cognomen ob mirabilia facta, quorum magnus fuit numerus, merito tulit. Profectus aliquando Alexandriam, in scortum, quod de se obloqueretur, dæmonem immisit, sed paulo post etiam fugauit. A Phædimio Amasæ Episcopus absens creatur, tanta erat sanctitatis illius opinio, saxum ingens oratione aliò transtulit: eo signo Idolorum Profmonarium vulgo mansionarium dicunt, Christianã religionē complexum baptizauit. Paludem causam inter duos fratres discordiarum exsiccauit. Fluuium defixo in terra baculo, qui, & excreuit in arborem magnam coercuit, migraturus ad Dominum gratias illi agebat quod *tot relinqueret in sua vrbe Christianos, quot gentiles inuenerat cum Episcopatum adijsset*, quibus in verbis expirauit.

Decimoquarto Cal. Decemb. certamen S. Martyris Platonis.

XVIII.

189 PLato Martyr Ancyræ Galatiæ natus, Frater Antiochi Martyris adolescēs, quod Christianæ fidei, & religionis causa ab Idolorum cultu prorsus abhorreret, Agrippini Præfecti mandato virgis à duodecim militibus grauissimè cæsus est. Deinde super candens ferreum grabatum extensus, iterum flagris admouetur: tum ferreis pilis candentibus, circa alas, & latera ita aduritur, vt flamma fumo permixta ex illius cute passim erūperet; Ad hæc pellis tota detractis à capite ad talos loris conciditur, quorum vnum in Agrippini faciem, accusata illius crudelitate, contorsit. Post hæc carceri includitur; vnde cùm post octo dierum inediam suaderetur, vt allatum cibum sumeret, illeque respondisset abundè se diuino verbo ali, eductus, diuque etiam tortus, caput lictori amputandum lætus porrexit.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Romani & Infantis.

190. ROmanus martyr, imperante Maximiano præuaricatore, obuiam ali- A quando factus Asclepiadi Præfecto, tum cum Idolis operaturus fanum ingrederetur, diuino accensus zelo, conatus est hominem ab huiusmodi proposito auertere, asserens, vnum esse Deum, eumque quem Christiani soli colerent, cui Præfectus iussit colaphos impingi, tum raptum in eculeum depecti, qui dum torqueretur, ac perseueraret, vnum tantum esse Deum Christianorum prædicare vel infantes ipsos testatus est. Productus itaque infans, & interrogatus, quemnam coleret, accusata priùs Præfecti stultitia, eum inquit, quem Christiani colunt, seque ita à matre edoctum. Verberibus igitur exceptus infans, aquam poposcit, qua sitim depelleret, cui mater, ne quæso ait, fili, bibas ex hac aqua, sed B perge viuentem aquam bibere. Puer itaque capite plectitur: Romanus verò post excisam linguam, atque eandem Dei munere restitutam carcere inclusus, ibique suffocatus martyrij coronam adeptus est.

Decimotertio Kal. Decemb. certamen Sancti Martyris Azæ Thaumaturgi.

XIX.

191 AZa Isaurius relicta militari vita, quā sub Licinio impio agebat, in solitaria loca profectus se totum orationibus, ac C vigilijs tradidit, multis interim admirabilibus illustratus signis. Verum venatoribus montem indagine lustrantibus inuentus, ad Diocletianum defertur. Misit itaque Diocletianus milites, qui correptum Azam suo sisterent tribunali; Quorum ille centum quinquaginta, cùm siticulosam ingressi viam, sitim qua conficiebantur educta repente per orationem aqua extinxisset, ad fidem conuertit: In eos itaque omnes incensus ira Diocletianus, tradidit Aquilino Præfecto, vt de illis supplicium sumeret. Aza ergo de sublimi per capillos appensus vnguibus ferreis excarnificatur: Deinde in fornacem ardentem iniectus, cum illæsus intactusque inde euasisset, eoque signo Præfecti vxorem, ac filiam D ad Christum traduxisset, vna cum militibus omnibus vxore, filiaque Præfecti capitis damnatus est.

Eodem die, Commemoratio Sancti Prophetæ Abdiæ.

192 ABdias Propheta Sichem Palæstinæ natus, seruus Achab Hebræorum regis, cùm quinquagenarum, vnum, atque item alterum missos, qui Heliam magnum atque insignem Prophetam de monte ad Regem accerserent, euocatus de cælo ignis Heliæ precibus cum sua quemque cohorte consumpsisset,

fet, ipſe tertius ob eandem cauſam miſſus, vbi in conſpectum Sancti venit, ſubmiſſis poplitum flexibus, orare cœpit vt ſibi parceret, & ad regem deſcenderet: Id cùm non grauatè feciſſet Helias, Abdias Prophetam ſecutus in illius ſe diſciplinam tradidit, & prophetiæ munere à Deo illuſtratus, cum è vita migraſſet in ſepulchrum patrum ſuorum illatus eſt.

Duodecimo Cal. Decemb. certamen Sancti Martyris Daſij in vrbe Doroſtolo.

XX.

193 IN Doroſtolo vrbe moris gentilium erat, vt triginta ante diebus, quàm Saturnalia celebrarent, vnum aliquem ex militibus inſigni forma adoleſcentem deligerent, quem Saturno ſacrificij primitias immolarēt: Hunc cultu regio indutum hortabantur, vt genio indulgeret, omneſque ſuas libidines expleret, quippe qui poſt trigeſimum diem ad altare Saturni iugulandus eſſet. Lectus igitur ſorte Daſius miles apud commilitones, qui eum ad morem, inſtitutumque patrium reuocabant & compellebant, huiuſcemodi ferè vſus eſt oratione. Quando moriendum mihi eſt, præſtat ſanè mihi pro Chriſti nomine Chriſtianam mortem oppetere: Quamobrem Diocletiani, & Maximiani iuſſu multis affectus ſupplicijs gladio cæſus eſt.

Eodem die, certamen Sanctorum Nerſæ Epiſcopi, & Ioſeph in Perſide Martyrium.

194 NErſas, & Ioſeph Perſæ viri ſingulari virtute præditi, Deique veri cultores Creatoris cæli, & terræ, & maris eorumque omnium, quæ in iis ſunt, nuſquam à recta via, ac præſcriptione diuina aberrabant: Neſſas prior Epiſcopus renunciatus populum ad pietatem hortando, complures contraxit diſcipulos, in quibus fuit & Ioſephus ab eodem poſtea, & quidem merito Epiſcopo declaratus; Cùm igitur vterque daret operam, vt mortalium mentes magnis prauitatis erroribus imbutas ad rei veritatem traducerent, comprehenſi ab infidelibus Perſis, & ad Regē ducti. Non ſi, inquiunt, nos ſepties occiſos ab inferis excitaris, poteris, tamē à Chriſti amore, & fide abducere: Gladio igitur cæſi ſunt; Nerſas quidem nonaginta: Ioſephus autem octo & nonaginta annos nati.

Eodem die, certamen Sanctorum Martyrum Ioannis Saborij, et Iſaachij Epiſcoporum, Dapij, & Iſaachij Presbyterorum.

195 IOannes Saborius, & Iſaachius Epiſcopi. Dapius, & Iſaachius Presbyteri omnes Perſæ, cùm munus ſuum diligenter obirent, populum inſtituendo, errores depellendo, vehementique oratione reprehēdendo gentilium vanitatem, qui Idola, Solem, Ignemque Deos exiſtimarent, quæ ad mortalium vſus creata à Deo ſunt, delati ad Regem, vinctique & nudati virgis conciduntur, eum vnguibus ferreis depectuntur: qui cum Deum vnum verum conſtantius etiam affirmarent, eūq; erroris Perſarum depulſorem aliquando fore, Regis iuſſu, vna cum ſancto Onam a ſecta lapidibus obruti ſunt.

Eodem die, certamen Sanctorum Boethazar Eunuchi, & Saſannis, & ſociorum virorum, ac mulierum, Theclæ, & Annæ in Perſide.

196 BOethazar Eunuchus in eadem impia, & Idololatriæ dedita Perſide à prima ætate Chriſtianus, correptus, cum à pia mente ad nefarium Solis, Ignisque cultum traduci non poſſet; poſt multa verberum ſectione, ac tormentorum varietate conſciſſos artus, cum multis alijs vtriuſque ſexus extremo affectus eſt ſupplicio: In quorum numero Thecla, & Anna vehementius Regis immanitatem, & ſtultitiam inſectatæ poſt multa tormentorum genera, capitis damnatæ ſunt: & Virgines tres gladio transfuerberatę: ex quarum ſanguine enata ficus, quæ admiranda edebat facta, neque enim morbus vllus erat, quem à fidelibus non depelleret, ab impijs atque inuidis Manichæis ſucciſa fuit.

Eodem die, Commemoratio Sancti Gregorij Decapolitæ.

197 GRegorius Decapolita Iſauricus, quo tempore Iconomachi pietatem oppugnabant, vt nuptias quas parentes adornabant; vitaret, Monachorum ſacris initiatus ſubijt ſpeluncam dæmonum frequentia infeſtam, è cuius demum poſſeſſione, peſſimè tamen priùs verberibus exceptus, oratione exturbauit: ſed per viſum à Deo monitus,

tus, relicta ſpelunca, cœpit terrarum orbem peragrare, quocunque pergeret ſignorum magnitudine nobilitatus: Cum igitur etiam Syracuſas Siciliæ & Theſſalonicæ luſtraſſet, Bizantij tandem per phaſma à Diuo Simone illic pietatis cauſa vincto iuſſus conſedit, cum quo diutius verſatus; ac de anima philoſophatus, aliquanto poſt migrauit ad Dominum.

Vndecimo Cal. Decemb. Præſentatio Dei Genitricis cum in Sancta-Sanctorum introducta fuit.

XXI.

198 SEcundus poſt admirabilem illum Annæ Sanctæ partum, quo nobiliſſimam Dei Genitricem ſemperque Virginem Mariam peperit, iam exibat annus, cum Ioachim vir vxori author eſſe cœpit, vt deuota, dicata Deo filia in Templum duceretur: Cui Anna, Tertium prius expleat annum, ne forte parentum deſiderio, quod pro ætate ferre non poſſit, non dirigatur in conſpectu Domini. Maria igitur annos tres nata, cum magno puellarum comitatu, quæ accenſas faces præferrent, ducebatur in Templum: Adhibita autem fuit à patre eo conſilio hæc pompa, ne ad ea quæ retro ſunt ſe conuerteret puella, ſed totam ſe templi miniſterio manciparet: Exceptam igitur Mariam Zacharias, precatuſque, vt illius nomen augeret Dominus, in altaris gradu collocauit, vbi Angelico ad duodecimum annum ſuſtentata miniſtro, à Pontificibus Ioſepho deſponſata fuit.

Decimo Cal. Decemb. certamen Sanctorum Martyrum Marci, & Stephani.

XXII.

199 MArcus, & Stephanus Antiochiæ Piſidiæ nati, in immortalitatis certamen, impio Imperatore Diocletiano, pro Chriſti nomine deſcendere, qui cùm ſumma paſſim libertate eos, qui ſe conueniebant, verbo veritatis inſtituerent, Chriſtumq; prædicarent Deum rerumque omnium Dominum, cumque delati ad Magnum Præfectum, ac vincti nulla tormentorum vi, atque acerbitate de pia ſententia depelli poſſent, cũ altero cognomine Marco, qui inter complures alios Martyres Calintenos nomine quaſi quoddam ſidus micabat, in cuſtodiam traditi ſunt: Verũ omnes in ſancto propoſito perſeuerantes poſt varia tormenta capitis obtruncatione martyrij coronam adepti ſunt, ſepultique in eadẽ, in qua nati erant Piſidiæ regione.

Nono Cal. Decemb. certamen Sanctorum Martyrum Archippi diſcipuli Pauli Apoſtoli, & Philemonis Militis.

XXIII.

200 ARchippus, & Philemon diſcipuli Diui Pauli, Nerone Imperante, Chonis Phrygiæ vrbe Laodiceæ proxima, dum ſolemnis impuræ Dianæ dies in eiuſdem templo à ſuperſtitioſis gentibus ageretur, ipſi in ſanctiſſima Chriſtianorum Eccleſia laudes Deo decantabant. Quare facto à gentilibus in Chriſtianos impetu, cæteriſque in fugam conuerſis. Archippus, Philemon, & Amphia ſoli conſiſtere auſi, vincti, ad Androclea rei frumentariæ Epheſi præfectum perducuntur. Archippus quidem verberibus affectus, neque tamen quicquam de priſtina animi conſtantia remittens, in foueam iniectus, atque aggere ad vmbilicum vſque obtectus puerorum ſtylis confoditur, demum lapidibus cooperitur, Philemon autem fuſtibus eo vſque contunditur dum vita pro Chriſti nomine profuſa martyrio defunctus eſt.

Octauo Cal. Decemb. certamen Sanctæ Cæciliæ Martyris, & ſociorum Valeriani, & Tiburtij.

XXIV.

201 CÆcilia virgo locupletibus nata parentibus, Valerianum, cui in Matrimonium collocata fuerat: is autem Tiburtium fratrem ad Chriſti fidem, Angelico vtrũque dignatum aſpectu traduxit. Vrbanus autem vrbis Epiſcopus omnes fide Chriſtiana imbutos baptizauit. Porro Tiburtius eam apud Angelum gratiam inierat, vt quotidie eius & aſpectu, & colloquio frueretur; ſed cùm & ipſum, & Valerianum Martyrum reliquias ſepelire vrbis præfectus reſciſſet, diutius tortos Maximo Caplicario tradidit, vt de ijs ſupplicium ſumeret: Maximus vero, ſanctis, quorum opera ad Chriſtum conuerſus fuit, capite damnatis, extremo & ipſe eſt ſupplicio affectus: At Cæciliæ in labrum feruentiſſimum coniectæ triduo poſt, nullo affectæ incommodo abſciſſum à ceruicibus caput fuit.

Eodem die, certamen Sancti Patris noſtri Sacro-martyris Siſinnij Epiſcopi Cyzicini.

202 SIſinnius Sacromartyr Diocletiano Imperatore, Cyzici Epiſcopus, Infideles

deles populos à vanissima Idolorum superstitione à maioribus illis tradita in Christi partes trahere, eosque baptismate lustrare, fideles autem in fide continere, nutantes, labanresque animos confirmare, eosque qui Christianorum partium causa in vincula coniecti erant, sæpius inuisere, omnique benignitate, exceptos ad Martyrium fortiter subeundum hortari atque impellere nunquam non studebat. Quare delatus ad Diocletianum, virgis primum miserè concisus deinde pendens grauissimè depexus carceri includitur, vbi diuturna fame, siti, pædore, ac sexcentis alijs ærumnis confectus est. Postea eductus, atque vt ad gentilium sacra transiret, tentatus frustra, & sollicitatus, gladio cæsus ouans migrauit ad Dominum.

Eodem die, Commemoratio Sancti Gregorij Episcopi Agrigentinorum.

203 Gregorius Iustiniano Imperatore, cognomento Rhinotmeta, idest cui nares, & aures amputatæ sunt Agrigenti, Charitone, & Theodota hospitalissimis hominibus natus est, quem è sacro baptismatis fonte susceptum Episcopus educauit, & clericum fecit, sed annos natus decē & octo, cum sancta inuiseret loca. Diaconus à Macario Episcopo Hierosolymitano creatus est; vnde Bizantium, Deinde Romam profectus Agrigentinorum Episcopus renunciatur. Hic Sabinus, & Crescentius Maximum Sancto successebant negotium, quorum temeritatem, atque insolentiam, multis editis signis, perpetua demum inustos nota compressit: nam, & ipsos ex albis nigros reddidit, & omnem eorum posteritatem ad hanc diem atro suffudit colore; pacataque hac ratione & alijs admirabilibus factis Ecclesia, extrema senectute vita functus est.

Septimo Cal. Decemb. certamen Sancti Sacromartyris Clementis Episcopi Romani.

XXV.

204 Clemens sapientissimus, Apostolorum discipulus, & successor, naufragio, & fluctibus aliquando ereptus, & cum Petro Apostolo congressus ab eo Christi veritatem edoctus est, cùm iam omnem gentilium scientiam teneret. Is Euangelij præco, præscriptorum Apostolicorum scriptor, Episcopus Romanus factus, à Domitiano Imperatore male mulctatus in Ancyram Galatiæ relegatus, vbi pariete inclusus obstructa lapidibus ianua, atque legumine tantum sustentatus in hoc squallore luctuque excessit è vita: Cuius pretiosæ reliquiæ ab Idololatris in profundum proiectæ, in littus, vt fideles referunt, eiectæ sunt, in hanc vsque diem miraculorum celebritate insignes.

Eodem die, certamen Sancti Sacromartyris Petri Alexandrini.

205 Petrus Sacromartyr, Maximiano Imperatore, Episcopus Alexandriæ mortì addictus expectabat, qui lege agerer, cùm Arius hæreticus, cui fauctus nullam secum, aut cum Dei Ecclesia communitatem, ac societatem vitæ esse volebat, sui deprecator accessit, cui Petrus respondit: apparuisse sibi noctu Dominum veste à capite, ad pedes vsque discissa, eiusque rei authorem sciscitanti dixisse Arium, quem nunquam ad communionem recipere velit, quando neque in hoc sæculo, neque in futuro impietatis impunitatem esset assecuturus, Sanctam Trinitatem blasphemia sua ita dilacerasse. Quæ cùm dixisset, successoremque suum illius similem futurum nominatim indicasset, carnificem secutus caput illi præcidendum porrexit.

Eodem die, certamen Sancti Mercurij.

206 Mercurius martyr, Decio, ac Valeriano Imperatoribus, in Asiatico militans exercitu cùm fortiter aliquando ab Angelo adiutus rem gessisset, Dux bello declaratur à Cæsaribus, sed cognitus esse Christianarum partium, comprehenditur & iussu Imperatoris ad quatuor palos humi alligatus, & gladijs totus conscisus ignem suppositum sanguinis flumine extinxit: Posthęc alligato ad collum ingenti saxo sublime per caput rapitur, direptaque per artus cute, rursus depositus vinctusque Cæsaream Cappadociæ ducitur, vbi abscisso capite sepultus quiescit, signorum frequentia etiamnum illustris.

Eodem die, certamen Sanctæ Megalo-Martyris Catharinæ.

207 Catharina martyr Alexandrina regulo quodam nata, nobilitate, diuitijs, forma, ingenio præstantissima, ita se omni literarum genere excoluit, vt & omnium gentium linguas calleret, & omnes artes, præcipuè autem philosophiam scientia comprehenderet. Cum vero festus aliquando dies ageretur ab infidelibus, videretque bestiarum multitudinem iugulari, dolore affe-

cta adijt Maxentium, accurateque & conqui sitis rationibus cum illo differendo, coarguit eius errorem, qui relicto Deo viuo inanima ta adoraret Idola. Quare Maxentius retentam Virginem grauissimè mulctauit, deinde accersitis vndique quinquaginta oratoribus ignem proposuit nisi Catharinam conuictam de sententia dimouerent; Verum illi superati susceptaque fide baptizati igni conflagrantur, Catharina autem dato lictori capite casa, martyrio coronati sunt.

Sexto Cal. Decemb. Sancti Patris nostri Alipij.

XXVI.

208 Alipius in Sanctorum album relatus, & Adrianopoli Paflagoniæ natus, floruit Heraclio Imperatore. Hunc mater granida, qualis, quantusque vir futurus esset huiusmodi spectro præsciuit: videbatur sibi gestare in sinu insignis formæ agnum, in cuius cornibus hærerent ardentes faui; nec eam sua fefellit coniectura, etenim Clericus, deinde Diaconus factus remisso rebus huius vitæ nuncio, columnam ascendit, & factus stylites, sub dio, nudus, stansque vitam agebat plurimis interim illustratus signis: Dæmones verò qui sæpius ex insidijs adorti hominem fuerant, in pedes quoad potuit erectus semper orando egregiè vicit, sed lapide ab illis petitus incidit in lateris morbum, quo cum annos tredecim laborasset, fato concessit, annos natus centum & octo.

Quinto Cal. Decemb. certamen Sancti & bellicosi Martyris Iacobi Persæ.

XXVII.

209 Iacobus Martyr egregius Persas Theodosio Romanorum Imperatore claruit. Is, cùm ob egregiam animi virtutem in summo apud Persarum regem honore esset, cuiusmodi delinitus illecebris, Christi, quem ante cum vxore, matre, & patre coluerat desertor factus ad Solis, Ignisque cultum desciuit; Quod vbi mater, & vxor cognouere, affectæ dolore per literas egerunt cum eo, vt resipisceret: Quare vehementer commotus Rex, correpto artus omnes sigillatim præcidi, cùm interim Deo semper gratias ageret, trunco caput abscindi imperauit.

Quarto Calend. Decemb. certamen Sancti Martyris Stephani Iunioris, & sociorum Petri, & Andreæ.

XXVIII.

210 Stephanus, Petrus, & Andreas apud Constantinum Caballinum sacris imaginibus infensissimum accusati, quod neglecto eius imperio Sanctorum imagines adorarent, eumque hæreticum nominarent, varijs omnes supplicijs grauissimè primum excruciantur. Deinde Stephanus dum media vrbe raptaretur, à quodam graui fuste contuso ac in duas partes capite diffecto interfectus est, atque in id sepulchrum, in quo nunc est, illatus: Porrò Petrus in carcerem prius coniectus, deinde eductus, tandiu verberibus afficitur, dum inter verbera expirauit.

Eodem die; Certamen Sanctorum Martyrum cum Stephano Iuniore pro imaginibus Sanctis Basilij & aliorum.

211 Fuere complures milites, qui cum bene, recteque de imaginibus sentirent, multa salute præsentis vitæ negotijs dicta, Monachorum sacris initiabantur; Hos impius Constantinus valde mulctatos expulit è vita: nam Basilio oculos effodit, cui adhuc in pia de adorandis imaginibus sententia permanenti, calce pulsato intestinum disrupit, deinde extorrem factum è vita abire coegit: Alius autem eculeo inclusus Chersonam relegatur, vnde fuga saluti suæ consulens Chazariam sese proripuit, vbi Episcopus declaratus postea excessit è vita. Fuit, & Stephanus Sugdiam relegatus, vbi optimè de republic. Christiana meritus viuẽdi finẽ habuit; eandem sortem Gregorij duo cũ alijs quamplurimis vertere solum coacti, tulere: Sed etiam Ioannes, qui legationem obibat Daphnusiam in exilium eiectus statis temporibus frequentissimè cæsus vita perfunctus est.

Eodem die, Certamen Sancti Martyris Irenarchi.

212 Irenarchus Martyr Sebastẽsis ab adolescentia lictor mulctandis Christianis officium præstabat, sed cùm videret obreptas ad quæstionẽ Maximo Sebastæ præfecto mulieres Christianas multo plus agere, quàm vel fortis viri natura, nedum muliebris sexus

sexus ferre posset, & cum summo tyranni A probro, ac dedecore innumera edere miracula, diuino afflatus numine sumpto animo cœpitque apertè seipsum Christianum prædicare. Qui primum tyranni iussu in lacum, deinde cum ex eo incolumis euasisset, in ardentem inie&#1;ctus est fornacem, quæ cum nullum Martyri detrimentum attulisset, capite mulctatus mortem oppetijt.

Tertio Cal. Decemb. Commemoratio Sancti Patris nostri Ioannis Damasceni.

XXIX.

213 IOannes, Leone Isaurico, & Constantino filio Imperatoribus, patre & generis, & fidei, & virtutis nobilitate illustri natus, omnem Gentilium, Christianorumque disciplinam, ac scientiam percepit: qui Christi fide armatus monasticam inijt vitam vna cum Cosma, viro acuto, amœnoque in scribendis Sanctorum hymnis ingenio, qui festis, præcipue autem paschalis hebdomadæ diebus decantarentur: Sed cum Sanctus Ioannes indignam Iconomachorum hæresim multa verborum vbertate, sententiarumque grauitate, atque Sanctæ Scripturæ testimonijs facilè reprehenderet, & coargueret, sæpè exilio, sæpe carcere, sæpe ignominia, atque infinitis ærumnis mulctatus ab hæreticis Imperatoribus è corpore excessit, atque à discipulo C suo sepultura affectus est.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Philomeni.

214 PHilomenes Lycaon, Aureliano Imperatore, Ancyræ Galatiæ negotia gerens aduehendis frumentis operam dabat. Is Christianæ fidei causa vinctus sistitur præfecto Ancyræ, apud quem cum de Deo vno eoque omnium Creatore liberius dissereret ferreis clauis, manibus, ac pedibus confixis, contunditur scorpionibus. Deinde è ligno depositus in feruidum conijcitur furnum, sed D nullo Dei munere affectus damno, traiectis iterum manibus, pedibus, & capite clauis, contento cursu conficere stadia triginta compellitur, quo labore, cruciatuque diuturno confectus ac consumptus, Deo cuius causa tanto defunctus erat martyrio, spiritum reddidit.

† †
†

Pridie Cal. Decemb. certamen Sancti & clarissimi Apostoli Andreæ fratris magni Petri.

XXX.

215 ANdreas germanus Magni Petri Apostoli frater post Domini nostri Iesu Christi Ascensionem maritimam Bithyniæ oram, Pontificatum, Thraciam, Scythiam, deinde magnam Sebastæ vrbem, quam fluuij duo interscindunt Psarus, & Phasis, cuius sunt accolæ interiores Æthiopes, postremo Patras Achaiæ Peloponesij peragrando B Christi fidem vbiq; prædicabat: vbi ab Ægea proconsule in crucem sublatus mortem obijt. Eius reliquiæ tunc quidem Patris positæ, postea verò Constantinopolim ab Artemio sancto, Constantini iussu translatæ vna cum Sanctis Apostolis, Luca, & Timotheo, sub Sanctorum Apostolorum mensa conditæ fuerunt, miraculorum frequentia insignes.

DECEMBER.

Calend. Decemb. Commemoratio Sancti & illustris Prophetæ Naum.

I.

216 NAum magnus, atque insignis propheta, Iudæus ex Symeonis familia, vir singulari in Deum pietate diuino prophetiæ munere dignatus est: nam aliquando post Ionam Prophetam Niniuitis prædixit fore, vt Niniue aqua ignique consumpta prorsus è medio tolleretur, quare, & stagnum, quod vrbem ipsam ambibat discedente terræmotu terra alueo receptam obruit, & ignis ab eremo irruens aquarum reliquias penitus absumpsit. Quo prophetiæ munere simul & vita defunctus honorifice à propinquis sepultus est: annos quadraginta quinque natus. Erat Naum mento vetustè rotundo, facie gracili, capillo tenui ac profuso, capite subcaluo, & procero.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Ananiæ.

217 ANanias Martyr Persa Laicus quidem, sed Christianus, fidei causa retentus, & ad necem flagris concisus, vt vix respiraret, sublatis tandem oculis ita eos qui aderant allocutus est. Eia, video scalas cælum attingentes, & super eas homines igneos, qui me comiter hortantur, vt se consequar in vrbem lætitiæ, hilaritatis, lucisque ple-

plenissimam, quibus in verbis spiritus è corpore excedens in patriam quam viderat, superám aduolauit: at corpus in Perside conditum expectat finem illum, quò vnà cum omnibus ab inferis excitatum immortale Christi Dei nostri regnum adipiscatur.

Quarto Non. Decemb. commemoratio Sancti & Beati Philaretæ Eleemosynarij.

II.

218 PHilaretes Paphlagon Irene singulari pietate fœmina Imperatrice ex fortuna satis ampla, & opibus, quas sibi ipsi laborando parauerat ad inopiam redactus non tamen idcirco oblitus est eleemosynæ. Vnum autem beneficentiæ eius exemplum ob oculos nobis proponet, quanta, & quam incredibilis in eo viro fuerit. Aberrarat aliquando vicini sui bos, quo apud Philaretem, sementem tunc temporis in agello suo facientem, casum suum deplorante, sanctus soluta altera vaccula, eaque homini perbenigne tradita, ipse iugum cum altera subiens domum redijt: promeruit tam insignis benignitas, vt Imperatrix diuino instinctu commota: Mariam illius neptem Constantino filio in matrimonio collocaret: Quo factum est, vt & posteri eius ditati fuerint, & ipse propensior in pauperes factus, opibus, honoribus, & gratia florens ad summam peruenerit senectutem: Mortuus verò in Criscos Monasterio sepultus est.

Eodem die, commemoratio Sancti Prophetæ Abacuc.

219 ABacuc Iudæus ex Symeonis familia, qui suæ genti euersionem, & restitutionem vrbis Hierusalem cædemque ac seruitutem populi pronunciauit: instante Nabuchodonosoris agmine, & iam Hierosolymitanis rebus imminenti in alienam sese terram statim proripuit. Cum vero postliminio ex Persia atque etiam ex Ægypto reuersi essent Iudæi, redijt & ipse in patriā suā. Daturus aliquando prandium in agello messoribus, quibus ministrabat, monuit domesticos, vt, quando longum sibi iter ineundum esset, si longiorem idcirco moram ageret, ferrent ipsi messoribus prandium, sublatusque statim ab Angelo translatus est Babylonem, quæ aberat millia passuum cclxv. datoque Danieli prophetæ dāmnato ad bestias prandio, relatus domum, alterum messoribus prādium attulit, re nemini indicata. Qua prophetia, atque alijs compluribus obitis diem etiam suum obijt.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Abibæ.

220 ABibas, Licinio Imperatore, Ecclesiæ Christianæ Diaconus, & Doctor, omnes ad se accedentes verbo veritatis instituebat. Quamobrem delatus ad Imperatorem & retentus, torquetur. Deinde in fornacem magnam iniectus laudes Deo summa animi lætitia decantans extinctus est: quem furtim Christiani sublatum, vnguentisque ac thymiamatis delibutum, cum Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus sepelierunt apud sanctos confessores, Guriam, & Samonā, eo miraculo insignes, quod puellam à Gottho periuro prætento nuptiarum fœdere deceptam, atque in seruitute redactā, tum reluctantem, ac reclamantem in sui templi sepulturam, aut sepulchrum detrusam, ab imminente morte vindicarunt.

Tertio Nonas Decemb. certamen S. Megalò-martyris Theodori Episcopi Alexandrini.

III.

221 ALexandrinus populus maxime omnium crudele Christiano nomini bellum infesto diu odio intulit: quare plurimi in ea vrbe extitere Martyres, ex quorum numero Theodorus Episcopus, cum eam, quam ipse in Christum profitebatur fidem, passim omnibus prædicando ad Dei cultum infideles conuerteret, facto ab Alexandrino concursu, atque impetu, comprehensus crudelissime cæditur, deinde contexta spinis corona in caput adacta oculisque grauiter contusis scommatis per iocum, & contemptum irridetur: ad hæc vinctus in mare proijcitur, sed inde incolumis euadens, iussu præfecti capite damnatus mortem occubuit, cuius sacer, beatusque spiritus cælos ascendit. At preciosæ reliquiæ in eadem vrbe infinitos à fidelibus morbos depellentes quiescunt.

Eodem die; Commemoratio Sancti ac illustris prophetæ Sophroniæ.

222 SOphronias Iudæus ex familia Symeonis Iacob Patriarchæ nati, fratrisq; illius Ioseph, cuius singularis forma cū singulari erat probitate coniuncta, omnia domini mandata digerendo, omniaque ad illius voluntatem referendo, prophetiæ munere ab eo ornatus est: Quare prædixit genti suæ euersionem, ac solitudinem Hierusalem, exterminatisq; Hebrais

bitæis peculiarem Deo ex gentibus populum futurum, cum summo impiorum dedecore, & probro, summaque piorum gloria, & dignitate, Christumque Dominum omnis spiritus, regem, & iudicem pro cuiusque merito, præmis, aut pœnam rependurum esse. Perfunctus autem prophetiæ munere mortuus est, sepultusque domi suæ expectat tempus illud, quo à mortuis excitabitur: Ioanni Theologo effigie ac lineamentis corporis simillimus, nisi, quod hic mentum paulo rotundius habebat.

Eodem die, Commemoratio S. Theoduli.

223 THeodulus Sanctus Cyprius indicto rebus huius mundi bello, Christumque complexus, ac Monachorum sectam institutumque persecutus tanto paupertatis humilitatisque studio tenebatur, vt non molli culcitra, & stragulo, sed duris exceptum saxis confectum multa inedia corpus quieti traderet. Quamobrem à Deo cum alia multa spiritualia dona accepit, tum illud potissimum, vt hominum omnium cogitationes atque intimos animi recessus penitus introspiceret. Quare si quis ausus esset illi aliter atque sentiret, ac cogitaret proloqui, accusata eius impudentia, quidquid is animo concepisset exponebat, quin etiam simulata stultitia sua, cuique obiectans crimina ad bonam frugem reuocabat: qui cum vitæ instituto sanctisque præceptis salutem plurimis attulisset, in pace quieuit, sepultusque in Cypro morbo affectos curat.

Pridie Nonas Decemb. certamen Sanctæ Martyris Barbaræ.

IV.

224 BArbara, Maximiano Imperatore impio, martyr, nata est patre gentili, qui veritus, ne filia ob eximiam formam raperetur, in altissima turri à se excitata Barbaram inclusit, adiunctis, quæ coleret, Idolis verum illa comminutis Deorum simulachris Christi amore incensa, illius vnius causa omnia cupiebat, illum adorabat: Vnde etiam cum balneum, ac fenestram in ea pater fabris faciendam locasset, ipsa post discessum patris, tres sibi monumentum Sanctæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus sancti aperiendas curauit: quod vbi rescicit pater præfecto torquendam tradidit: Barbara igitur indignis mulctata modis arrepta fugæ occasione in montem se se proripuit, quam pater ipse contento cursu persecutus obtruncauit. Neque id impune tulit; dum enim è monte descenderet, delapsa è cælo flamma conflagrauit.

Nonis Decemb. Commemoratio Sancti Patris nostri Sabæ.

V.

225 SAba Sanctus Cappadox Theodosio Iuniore Imperatore, Ioanne, & Sophia natus à prima ætate valedicens parentibus, & Monachus factus est. Neque eo contentus, magnorum certaminum maiorisque virtutis ad magnum Euthimium se contulit à quo in monasterium inferius ad Sanctum Theoctistum missus maximis certaminibus ad summam virtutem contendens egregiè Monachos omnes superauit, famaque ac nominis celebritate in Imperatorum Anastasij, & Iustiniani familiaritatem venit, vt eo arbitrio Hierosolymitani Patriarchæ in ea quam cum Imperatoribus habebant controuersia vsi, tem omnem transegerint. Qui cum multos docuisset, & multa extruxisset monasteria, multa etiam edidisset signa, præter cætera autem aquam è terra eduxisset, ad Dominum migrauit nonaginta quinque annos natus.

Octauo Idus Decemb. Commemoratio Sancti Patris nostri Nicolai Archiepiscopi Miræ Lyciæ.

VI.

226 NIcolaus Miræ Lyciæ natus, Pontifex, Magnus, & Thaumaturgus, Constantino magno Imperatore, Monasticã primum egit vitam toto animo in virtutem connixus: Deinde Episcopus factus, mille claruit signis: Tres homines falsò delati decebantur ad supplicium, accurrit Sanctus, gladioque iam ceruicibus immmente extorto è carnificis manibus, soluit innocentes. Totidem alij falsò coniurationis in Constantinum nomine insimulati à Flauio prætore; damnatique capitis, sanctum inuocarunt, qui per quietem Constantino, & Prætori apparens, alteri, ne inferendis fallis criminibus delectaretur, alteri ne oblatis facilè crederet monitis, homines ab impendente morte liberauit. Tandem post innumera miracula in pace obdormiuit.

Septimo Idus Decemb. Commemoratio Sancti Patris nostri Ambrosij Episcopi Mediolanensis.

VII.

227 AMbrosius admirabilis Patritius Romanus, Constantio, & Constante

stantem Magni Constantini filijs Imperatoribus ob egregias animi dotes, imprimis autem virtutem, & iustitiam, Episcopus Mediolanensis declaratus est; vixitque ad Theodosij magni tempora. Erat Ambrosius animo cũ aperto, & simplici, tum etiam magno, atque excelso; præsertim cum zelo diuino moueretur: Quare Theodosium Magnum, quia cædem Thessalonicensis populi, qui in se delictũ commiserat, crudelius effecisset, ingressu tēpli die Natalis Dominici prohibuit, adiecto elogio: Ecclesiam Dei non admittere homicidas, præsertim qui Christianorum cædem facerent. At Imperator admiratione simul, & honore prosecutus tantam viri sanctitatẽ, recessit: Ambrosium affirmans verum esse Antistitem: Sanctus vero cum multa alia commemoranda fecisset, obdormiuit in Domino.

Sexto Idus Decemb. certamen Sancti Martyris Athenodori.

VIII.

228 Athenodorus è Mesopotamia Syriæ Diocletiano Imperatore, Monachus eximia in Deum pietate, delatus quod Christum haberet Deum, ad duas columnas alligatus candentibus aduritur facibus, deinde ferreos candentesque globulos in illius humeros contorquent: Ad hæc laminæ æneæ inflat ianuæ affigunt: Prætetea boue æneo subiecta flamma, includunt: Qui cum Angelico ministerio ab omnibus his supplicijs liberatus, omnes qui aderant, ad Christũ traduxisset, pronunciauit Præfectus, vt extremo afficeretur supplicio: Carnifex igitur districto gladio imminebat ceruici, cùm manus, quæ collũ petebat, repente ab humeris auulsa, reliquos omnes à cæde Sancti deterruit, qui tamen fato consumptus est.

Quinto Idus Decemb. Conceptio Sanctæ Annæ matris genitricis Dei.

IX.

229 Dominus, & Deus noster, cùm animatum sibi templum domumque sanctam præparare vellet, misit Angelum suũ ad Ioachim, & Annam iustos, qui se ex eis matrem sibi destinasse prænunciaret, vt infæcundæ & sterilis Annæ Conceptio Virginis fœcunditati fidem postea faceret. Concepit igitur Anna Mariam & peperit, non vt quidam dicunt, septimestrem, aut sine viri opera, sed Angelica quidem prædictione, exactis tamen nouem mensibus; atque adeo ex viri coniunctione: Solus enim Dominus noster, & Deus Iesus Christus sine vlla commixtione, ac semine, modo quodam illi soli noto, nobis autem ineffabili, & inexplicabili Virgine sancta natus est; cumque perfectus esset Deus, omnia sibi, quæ ad carnis œconomiam pertinent perfecte assumpsit prout humanam naturam ab initio condidit, atque effinxit.

Eodem die, commemoratio Sancti Patris nostri Ioannis Episcopi, qui postea in Monasterium Sancti Sabæ se se recepit.

230 Ioannes Christi seruus Nicopoli Armeniæ natus, mortuis parentibus, Martiano Imperatore, erogatis in pauperes facultatibus suis, monasticam complexus est vitam, qui tantos in virtute progressus habuit, vt à Sebastæ Archiepiscopo Coloniæ Episcopus creatus fuerit: Episcopatu vero, quem annos decem gesserat, renunciato, Hierosolymam profectus, in Monasterio Sancti Sabæ ad otium se se abdidit, eamque à Deo recte factis gratiam inijt, vt medio itineris labore defatigatus aliquando diuina arreptus virtute, ad suam cellulam, quæ millia passuũ quinque aberat, temporis momento deferretur. Infestam forte illius regionem excursionibus habebant Persæ, qui cum ad Monasterium Sancti peruenissent, excæcati repente fuere. Optauit etiam videre quo modo excederet de corpore anima, votique compos factus annos quinq; supra centum natus migrauit ad Dominum.

Eodem die, Commemorat. SS. Sosthenis, Apollo, Cephæ, Tychici, Epaphroditi, Cæsaris, & Onesiphori ex septuaginta Apostolorum numero.

231 Sosthenes Apostolus, cuius Sanctus Paulus mentionem facit, Episcopus Colophonis fuit: Apollo autem de quo idem Apostolus in priore ad Corinthios epistola meminit, Cæsareæ Episcopus. Porro Tychicus de quo idem Paulus scriptum reliquit, Sostheni in Episcopatu successit: Epaphroditus autem, & Cæsar quorum idem mentionem in suis epistolis iniecit Paulus. Hic quidem Cotonensis, ille vero Adriacensis Ecclesiæ Episcopi fuere: Qui omnes repub. bene gesta pastoralique munere diligenter, atque accurate obito, in earum quæ sibi forte obuenerant ecclesiarum, populique administratione, multisque ærumnis, ac tormentis perfuncti,

cti, animas suas Domino reddidere, pro quo etiam prompto animo mactati fuerant.

Eodem die, commemoratio Sancti Patris nostri Patapij.

232 PAtapius Bethis Ægypti natus, sũptis Monachorum institutis secessit in eremum, vbi aliquandiu otiosè egit. Postea relicta eremo Constantinopolim profectus, sexcẽtis claruit miraculis: Cæcis enim visum prece adhibita restituit: Intercute aqua laborantes, oleo sancto curauit. Quendam cancro morbo, vt Medici dicunt immedicabili occupatum liberauit, Cacodæmonas non solũ ab humanis corporibus, sed à multis etiam locis mortalibus infestis fugauit. Multisque alijs insignitus miraculis, commemorandisque factis, atque in summo honore, ab Imperatoribus, & Patriarchis merito habitus, finem præsentis vitæ habuit; reddita Deo anima, corpore autem sepulturę Constantinopoli tradito.

Eodem die, Commemoratio Sancti Patris nostri Sophronij, Constantiæ Cypri Episcopi.

233 SOphronius in Sanctorum album relatus, Cypri parentibus Christianis, & pijs natus est, felicitate ingenij diurnaque & nocturna commentatione sacræ scripturæ scientiam est assecutus, eò autem virtutis, pietatisque processit, vt innumeris gratijs à Deo dignatus, signisque ac prodigijs nobilitatus in defuncti Damiani Archiepiscopi sanctissimæ Cypri Ecclesiæ locum totius populi suffragijs subrogatus fuerit, susceptaque Ecclesiæ procuratione, pauperibus ducem, orphanis adiutorem, viduis præsidem, male affectis redemptorem, nudis indumentum, omnibus per omnem vitam inculpatum absolutumque pro humana virtute virum sese præstitit, atque summa senectute ad Dominum migrauit.

Quarto Idus Decemb. Certamen Sanctorum Martyrum, Menæ, Hermogenis, & Eugraphi.

X.

234 MEnas Martyr Sanctus, cũm Alexandrinæ res quædam in disceptationem, quæstionemque vocarentur, missus eò à Maximiano Imperatore, qui de hisce rebus decideret, atque transigeret, vt is, qui & sapientia, & eloquentia plurimũ posset: sublata sedataque omni controuersia Christianos promptiores, erectioresque reddidit, eosque, qui morbo aliquo conflictarentur, curauit. Quod vbi cognouit Imperator, mãdauit Hermogeni, vt omni tormentorum acerbitate studeret Menam à Christiana fide ad gentilium sacra traducere. Persequitur ille diligenter mandata, Menæque & oculos effodit, & linguam præcidit, sed restitutis Dei beneficio, oculis, & lingua Martyri, credidit & ipse Hermogenes, baptizatusque à Mena Episcopus creatur ab ijs, qui conuenerant Episcopis: id autem cum Imperatori renunciatum esset, venit ipse, eosque vna cum suo Notario fidem amplexo, morte mulctauit.

Eodem die, certamen sancti & bellicosi Gemelli Paphlagonis.

235 GEmellus Paphlagon cũm audisset Iulianum apostatam esse Ancyrę Galatiæ, adijt hominẽ coram, exprobrauitq; quod preuaricator, & desertor esset, Christique inimicus. Quamobrem Iulianus Gemellum ferrea, & candente zona constrictũ, multoq; ob eã causam perfusũ sanguine secũ Edessam duxit, vbi perforatis illius humeris subulis candentibus, tum clauis in caput defixis extentum humi sanctum quaternis confixit, detractaque per hunc modum à calce ad caput pelle, in crucem demum rapuit, manibus, pedibusque suffixum: Sanctus vero semper Deo ad extremum spiritum gratias agens è corpore excessit.

Tertio Idus Decemb. Certamen Sanctorum Martyrum Aithalæ, & Apsei.

XI.

236 AIthalas Persa, Idolorum Sacerdos hoc modo Christi fidem cognouit; cũm enim morbo laboraret, venissetque in eam spem, vt si Episcopum Christianorum adhiberet, statim curaretur, idque illi ex animi sententia cessisset, factus est Christianus, reuersusque in patriam dabat operam vt propinquos in partes Christi traheret: Cõprehensus igitur à Præfecto abscissis manibus in vincula conijcitur; deinde cum Apseo Diacono verberibus affecto mittitur ad Magorũ principem, qui introducti ad Regem, cum à sancto proposito demoueri non possent, morte mulctati occubuere.

Eodem die, commemoratio S. Patris nostri Danielis Stylitæ in Anaplo.

237 DAniel è Mesopotamia Syriæ, Leone Magno Imperatore, annos quinque natus Monachorum institutum cepit: Postea perrexit ad Symeonem Magnum Stylitem, qui, & Danieli benedixit: Tum cælestis mentis instinctu in Anaplum profectus se Idolorum templo inclusit, multis à dæmonibus affectus supplicijs, ac molestijs. Postremo conscendens columnam factus est Stylites, cuius constantiam, atque animi firmitatem, nulla frigoris, nulla æstus, nulla ventorum vis frangere vnquam potuit, qui vrbis incendia, rerumque conuersiones prædicendo admirabilis adeo extitit, vt Leo Imperator præsens se illius precibus commendaret, multaque alia animæ vtilia perdisceret; tum illud in primis, ne duriorem se, sed misericordem, & facilem delinquentibus præberet, exacta autem in his studijs vita mortuus est.

Pridie Idus Decemb. commemoratio Sancti Patris nostri Spiridonis Episcopi Trimisontis Cypri.

XII.

238 SPiridon, Constantio Imperatore, simplicis, atque demissi animi pastor, defuncta vxore, ex qua filiam susceperat: declaratus Episcopus, Thaumaturgi cognomen ex eo tulit, quod precibus suis in maxima siccitate aquæ licium fecerit; in summa rei frumentariæ caritate annonæ vilitatem intulerit, serpentem in aurum conuerterit: rursusque aurum postquam pauper fame enectus eo oppignorato mutuam in sumptus pecuniam sumpsisset, ad pristinam reuocarit naturam, atque dimiserit, flumenque rapidissimum ad eius imperium statim constiterit. Interfuit Spiridon Nicæno Concilio: & hæreticos egregiè redarguit: Mulier quædam apud sancti viri filiam nescio quid deposuerat, eaque extincta, cum quæreretur depositum, sciscitatus est vir Dei ex mortua, quæ statim depositum indicauit; infinitisque alijs clarus prodigijs vitæ finem impleuit.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Syneti.

239 SYnetus Martyr Romæ natus ab ineunte ætate Episcopo Romano à parentibus traditus, sacras didicit litteras: Lector igitur Romanæ Ecclesiæ declaratus, excellenter se tradendis Christianæ pietatis, veræque fidei præceptis gessit, cum magna gentilium Deorum contumelia, & contemptu, magnaq; eorum, qui huiuscemodi colerent, irrisione, ac subsannatione. Quare delatus ad Aurelianum, correptusq; cum nulla tormentorum acerbitate, quibus variè fuerat affectus à vera certaque de Christo sententia deterreri posset, capite mutilatus vitam pro Christo reddidit.

Idibus Decemb. certamen Sanctorum Martyrum Eustratij, Auxentij, Eugenij, Mardarij, & Orestis.

XIII.

240 QVo tempore Maximianus, & Diocletianus immanem illam rabiem, & furorem per omne suppliciorum genus in Christianum nomen effudere, Eustratius à Lysia duce indignis laceratus modis, affixisque illius pedibus ferreis clauis cogebatur ambulare, cum interim semper cæderetur. Auxentius autem post multam verberum sectionem obtruncatur, cuius caput cum nunquam appareret, paulo post super arbore, cornice garriteu indicium faciente, inuentum est: Mardarius etiam nullis non tentatus supplicijs, vt à Christo desciscferet, cum illud tantum repeteret, Christianus sum; perforatis talis, sublimibusque pedibus, ac membris posterioribus igne consumptus vitæ finem imposuit. Porrò Eugenius, lingua, & manibus mutilatus post crura scipionibus confracta extremum effudit spiritum: At Orestes detecto crucis, quam occultam gestabat, amuleto, rete̋ctus, super crate ferrea sternitur subiectaque flamma expirauit: sed Eustratius primus omnium petitus mille supplicijs tandem in caminum demissus extinctus est.

Eodem die, certamen Sanctæ Luciæ Virginis.

242 LVcia Syracusis Siciliæ nata matrem sanguinis profluuio laborantem Catanum ad Sanctam Agatham duxit, quæ curata prædixit, filiæ, fore vt pro Christo martyrium subi-

subiret; illæ reuersæ domū opes omnes pauperibus distribuere. Quare, qui impotenti animo ardebat Luc.æ amore, eamque vel per vim sibi iungere vxorem decreuerat, vbi puellam virginitatis perpetuæ studiosissimam expugnare non potuit, rem ad prætorem detulit; qui cum à Christi cultu virginem dimouere frustra tentasset, iussit ad lustra rapi, sed illæsa intactaque diuino præsidio conseruata, in accensum pyram coniectā, atque etiam inde liberata capite damnata mortem oppetijt.

Decimo nono Cal. Ianuarij certamen Sanctorum Martyrum Thyrsi, & Leucij.

XIV.

242 CVm, Decio Imperatore, Bricius præfectus commota in Christianos persecutione tantas in dies fidelium cædes faceret, vt instar aquæ sanguis profunderetur, indignè id ferens Leucius magnæ erga Deum pietatis Christianus, adijt Præfectum; Et quādo, inquiens, canis inexplebilis modum aliquem, & finem sanguinis eorum fundendi facies, qui adduci non possunt, vt lapides, & ligna animæ sensusque prorsus expertia adorent? Excanduit Præfectus raptumque sublime, & depexum obtruncari iussit; Thyrsus verò obuiam factus eidem Præfecto exprobrauit, quod multo mortalium sanguine exhausto, nondum tamen animum explesset suum. Quare, & huic vincto, oculis prius erutis, cruribusque contusis expediebatur deinde serra, quæ medium secaret, cum animam Deo reddidit.

Eodem die; certamen Sanctorum Martyrum Pilemonis, Apollonij, & sociorum.

243 TRiginta Sancti Ægypti Thebis nati Diocletiano Imperatore, custodiæ traditi fuere, ex quorum numero Apollonius Clericus, data Philemoni custodi pecunia, persuasit, vt sumptis suis vestibus iret, & pro se sacra Dijs faceret; sed Philemon dū immolat, mutata repente sententia Christum confessus est. Præses huius rei ignarus iubet introduci Philemonem, qui neruorum, vocumque cantu (erat enim citharoedus) delinitos Christianorum animos ad Idolorum cultum conuerteret: Agnitus ergo Philemon, tortusq; cum alijs, Præsidem ipsum cum tota domo in partes Christianas duxit. Diocletianus verò Præsidem atque Arianum quendam opulentum hominem, totumq; illum Christianorum cœtum tormentis prius excruciatos: deinde culeis indutos in alto demersit.

Inuentio reliquiarum Arriani, &c.

244 CVm varia suppliciorum genera torquendis fidelibus adhibuisset Diocletianus, demisit etiam Arrianum catenis constrictum in altissimam foueam, multoque aggere, & lapidum congerie obstruxit, sedensq; pro tribunali cœpit per iocum milites compellere, & dicere. Videamus num Christus Arriani ex ima hac voragine illū educat. Vix autem se se in regiam receperat, & accubuerat, cùm catenas, & lapidem, quæ gestarat Arrianus, Arrianumque ipsum ad lectum afferri vidit. Quare perterritus Imperator, & eum, & milites suos qui in Christū crediderant in mare proiecit, quorum reliquias quinque insutas saccis Delphines in humeros sublatas in Alexandriæ littus deportarunt, quæ ab Arrianis seruis agnitæ, amploque funere elatæ Alexandriæ repositæ fuere.

Decimo octauo Cal. Ianuarij, certamen Sancti Sacromartyris Eleutherij.

XV.

245 ELeutherius Sacromartyr Romæ natus, orbatusque patre à pueritia, Christi fide imbuitur à matre, quam illa ab Apostolo Paulo didicerat: Christianorumq; litteris ab Aniceto Episcopo institutus: deinde Clericatu, Diaconatu Presbyteratuque perfunctus Illyrici Episcopus declaratur, qui Adriano Imperatore correptus, & grauissimè tortus in ardentem furnum Præfecti iussu detruditur, sed egressus incolumis, Præfectum traxit ad fidem, qui etiam ipse illæsus vltro citroque commeans multos alios ad Christum traduxit: Quare cum omnibus fidelibus capite damnatus occubuit Eleutherio à carnificibus fœdè conciso.

Decimo septimo Cal. Ianuarij. certamen Sancti Martyris Marini.

XVI.

246 MArinus, Macrino Imperatore illustri loco natus, & postea Senator, detentus integra iam ætate Christianæ pietatis causa, raptusque in eculeum gladijs laceratur, igne peruritur, sartagine torretur, in feruenti lebete elixatur, ad bestias, emissis in eum leonibus, & vrsis, damnatur: nulloque ab his omnibus diuino numine accepto incōmodo, in Idolorum templum compellitur, vt

vt Diis sacrificet. Hic sanctus obiecta Imperatori spe sacrificādi, eoq; lætitia elato: factoque totius populi in templū concursu, orauit: deiectaque orando simulachra contriuit: Qua iniuria exagitatus Imperator pronunciauit vt capite plecteretur, qui dato fortiter capite animam Deo reddidit.

Eodem die, commemoratio Sancti Prophetæ Aggæi.

247 AGgæus, Leuitica tribu, Babylone in captiuitate natus, Deo potestatem eam Persis in Iudæos ob multa eorum scelera permittēte, à prima ætate Hierusalem venit, prophetauitque cum Zacharia annos sex, & triginta Incarnationem Iesu Christi futuram quadringentesimo nonagesimo post anno. Verum Aggæus apertissimè prænunciauit Iudæos reduces Templum reædificaturos, viditque ipse iacta iam Templi fundamenta: mortuusq; est, & sacerdotali pompa, iustis magnificentissimè factis, cum & ipse sacerdotali esset genere oriundus, sacerdotū sepulchro conditus est. Erat Aggæus canitie venerabilis, mento tereti, formosus, moribus autem omnibus amabilis.

Eodem die, commemoratio Beatæ Theophanes vxoris Leonis clarissimi Imperatoris nostri.

248 THeophane beata Constantinopolitanæ vrbis & alumna, & Imperatrix, quippe quæ Constantini illustris viri, ac cum tribus Imperatoribus propinquitate cōiuncti filia erat; matrem habuit Annam, quæ Annam illam Samuelis matrem vt sterilitate prius, ita etiam fœcunditate prolis expressit nobis ac reddidit: Hæc enim assiduis à Regina sancta, atque ea quæ à nobis qui infimum hunc globum incolimus in honore habetur Dei Genitrice precibus prolem contendens, concepit & peperit Theophanem Sanctam, ingenuèque educatam liberalibus instituit disciplinis: Eam postea Basilius magni nominis, & gloriæ Imperator dignam iudicauit, quam Leoni filio summa prudentia Imperatori in matrimonio collocaret: Neque eam tamen diademate coronatam, atque in altissimo dignitatis gradu collocatā puduit pauperum curam, ac cogitationem suscipere, imo pro sua consuetudine, & morum benignitate eos est persecuta: quibus studijs tandem cæleste regnum adepta est.

Eodem mense, die Dominico, cum forte obuenit commemoratio Sanctorum Patrum Abraham, Isaac, & Iacob.

249 ETsi de Sanctis Patribus Abraham, Isaac, & Iacob, accuratè Moyses in Geneseos libro scripsit, nos tamen etiam paucis, quæ ex eodem hausimus libro dicemus. Abraham Chaldæus patre Idololatra natus Astronomiæ peritissimus, cūm cognouisset nullam in simulachris esse diuinitatem, eaque idcirco igni consumpsisset, audiuit à Deo vero, Egredere Abraham de terra tua, & de cognitione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi: Qui statim omnibus valere iussis, assumptaq; vxore Sara, & Loth fratris filio, secutus est Deum, videns eū, quo poterat modo, ac digerens omnia illius mandata, à quo explorandæ pietatis causa Isaac filium, quem admodū grandis natu genuerat immolare iussus: iam cultrum iugulo admoueat, cum supernè admonitus est, vt cæde abstineret: Isaac autem genuit Iacob, de quibus mentionem facimus Pridie natalis Christi, qui ex eis secundum carnem natus est.

Decimosexto Cal. Ianuarij, certamen Sanctorum puerorum Ananiæ, Azariæ, & Misael.

XVII.

250 ANanias, Azarias, & Misael Hierosolymitani Ezechia Rege nati, qui ausus est dicere Deo, se custodisse quæ placita erant in conspectu eius, cuique cūm in Bethlehem in morbum incidisset, pœnitēti Deus vitam in annos quindecim prorogauit, expugnatis à Nabuchodonosor Assyriorum rege Hierosolymis, abducti sunt Babylonem captiui, vbi ob virtutē facti sunt principes regionis illius, sed postea recusantes statuam ex auro à Rege positam adorare, demissique eam ob causam in fornacem, & Angelico præsidio liberati, effecere, vt Rex pueros complexus Deum cæli confiteretur, sed postea à successore pietatis causa capitis damnati sunt, cumque cæderentur, alter alterius, Ananiæque Daniel caput excipientes ex hominum vita migrarunt.

Eodem die, certamen Sancti Danielis Prophetæ.

251 DAniel Sanctus eandem cum tribus pueris captiuitatis fortunam pas-

fus, Babylone nonaginta annos prophetauit, Christique natiuitatem præcessit annis quadringentis sexaginta, vir summa omnium rerum abstinentia, nihilque nisi legumina in cibum admittens eum sibi à Deo amorem conciliauit, vt per Angelum occulta edoctus mysteria, somnia Regi interpretaretur, deque singularum gentium regnis, Medorum, Assyriorum, Persarum, Macedonum, Romanorum, eorumque omnium excidio prænunciauit, excepto Romanorum, Christianorumq; imperio, quod quidem Christo Imperatore futurum esset perpetuum: Demissus autem in Leonum foueam, miraculoque seruatus, habitus est à Baltasare rege filij loco: sed postea ab Attico rege cum tribus pueris capite damnatus occubuit.

Eodem die, certamen Sancti Bacchi Iunioris.

252 BAcchus Palæstinus imperantibus Irene, & Constantino, parentibus Christianis natus est, sed pater Christianus primo, Christianisque ortus maioribus: fidei postea desertor factus ad Saracenorum sacra transiit, & filijs septem adulterina fide imbutis mortuus est: Gelasius vero filiorum vnus post patris obitum in Monasterium Sācti Sabæ, quod erat Hierosolymis Monachus factus, nomenatusque Bacchus, sanctè vixit. Sed veritus Monasterij præfectus, Saracenorum sæuitiam, si Bacchum Saracenorum baptisma suscepisse rescissent, hominem dimisit, qui domum reuersus, quinque fratres baptismo insigniuit. Verum qui vnus reliquus erat ad Amirathum detulit Bacchum, cui Amirathus caput à ceruicibus abscindi imperauit.

Decimoquinto Cal. Ianuarij commemoratio Sancti Patris nostri, Pontificis, & Flori. XVIII.

253 FLorus patre sibi cognomine Flori, atque Euphemia matre incidit in Iustini Iunioris, Tiberij, & Mauricij Imperatorum tempora, liberalibusq; institutus artibus, Christianaque disciplina, Imperatoribus operas à manu dedit, à quibus in patritiorum ordinem cooptatus, vxore ducta, filios procreauit: quibus omnibus peste consumptis, mœstus ac sordidatus se se in agrum suū, qui est in Anaplo, recepit: deinde ob vitæ sanctitatem creatus Episcopus Amisi, cum creditum sibi gregem pascendo, veramque atque orthodoxam fidem docendo, perfecisset, vt quæcunque Deum velle sciret, ea diligenter persequeretur, obdormiuit in pace, miraculorum celebritate, quæ ad illius sepulchrum, in hanc vsque diem eduntur, admirabilis.

Decimoquarto Cal. Ianuarij certamen Sanctorum Promi, Arei, & Eliæ. XIX.

254 PRomus, Areus, & Elias, genere Ægyptij, instituto Christiani, diuino accensi zelo, eos qui in custodijs erant, adeuntes, in Christi partibus confirmatos ad subeundum fortiter martyrium accendebāt, suppeditantes interim, quæ ad tuendam vitam necessaria essent: Profecti verò in Ciliciam aliquando Ascalone à portæ custodibus barbaro hominum genere, aqua agresti comprehenduntur vt exploratores, & proditores; & ad Firmilianum perducti, Christianos se esse professi sunt: Quare flagris omnes prius conceisi: Areus quidem igni consumptus, Promus verò ac Elias capite mutilati sunt.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Timothei Diaconi.

255 TImotheus Sacromartyr in Mauritania natus, atque ab eiusdem gentis Episcopo lectus Diaconus, cum Christi fidem, cælorumque regnum passim prædicaret, conuersosque sacra baptismatis aqua lustraret, vanitatemque gentilium probè redargueret, corripitur à præfecto, & carcere, fame, & siti mulctatus, cùm in sententia pia permaneret, impuraque Dæmonum sacrificia execraretur in succensum rogum coniectus animam Deo reddidit: reliquiæ autem à fidelibus sepultæ sunt in gloriam Christi Dei nostri.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Polyeucti Cæsariensis.

256 POlyeuctus Martyr Cæsariensis fidei causa quam vulgo disseminando gentilium complures ad pietatem conuertebat, publicæ custodiæ traditur à Cæsareæ Præfecto quoad vacuus à publicis negotijs, & liber, misit, qui suo sanctū sisterent tribunali, adortusque varijs artibus hominem, cum nulla ratione expugnare posset, ad vim conuersus, vngulis ferreis totum excarnificat, tum dentibus contusis in pyram conjicit, lætum, atque exultantem, vbi extremum Deo spiritum reddidit.

Decimotertio Cal. Ianuarij, certamen Sancti Sacromartyris Ignatij, Patriarchæ Antiochiæ Magnæ.

XX.

257 TRaianus Imperator suscepta in Parthos expeditione cùm Antiochiæ Magnæ diuersaretur, cognouit multos ab Ignatio fieri Christianos: eum ergo vinctũ tradidit decuriæ militum, quæ Romam ad bestias damnandum veheret, à quibus in itinere pessimè acceptus: Romamque ad Senatum perductus lacerandus, de Imperatoris mandato bestijs obijcitur: Id autem mortis genus optarat maximè Sanctus, vt quasi frumentum dentibus bestiarum molitus, panis Deo mundus coqueretur. Fuit Ignatius Sanctorum Apostolorum successor, & S. Ioannis Theologi discipulus.

Eodem die, certamen Sanctorum Martyrum Eugenij, & Macarij.

258 EVgenius, & Macarius Iulianum Apostatam conuenientes; Cur, inquiunt, impie, & præuaricator, Deique veri desertor factus, ad impuros Dæmones te adiunxisti? quibus verbis ille ira incensus sanctos in foueam serpentibus, & multis ferarũ speciebus plenam detrusit, sed miraculo seruati à Iuliano in Audedonem Mauritaniæ vrbem vincti relegantur, vbi miraculorum magnitudine, & numero, interemptisque omnibus oratione, quotquot loca illa incolebant, draconibus, & noxijs bestijs, complures ad Christi fidẽ traduxere, & quietam tranquillãq; vitam degentes, in pace quieuerunt, confessionis Christi corona decorati.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Bonifacij.

259 BOnifacius Diocletiano Imperatore, seruus fuit mulieris Aglaidis filiæ Acacij Consulis Romani, cum qua in stupri consuetudine conciliatus, ac sæpe vinolentus esset, animo tamen ipse, & hera in pauperes, præcipuè autem martyres erant propensissimo. Dixit itaq; aliquando hera Bonifacio, vt si ita videretur, iret in Asiam, indeq; martyrij reliquias deportaret, quas apud se domi ad animæ salutem veneraretur. Cui ille per ludum; Ibo, inquit; & meas ipsius referam reliquias o argutũ hera, & cùm ebrium inclamasset, abire iussit. Ille igitur, cum duodecim seruis, mul-

A toque auro in Ciliciam profectus, vbi torquebantur sancti, vltro se Præfecto sistens professus est se esse Christianum, cui acerbissimè torto iussit præfectus caput amputari, cuius reliquias domum à seruis relatas hera honorificè sepeliuit.

Duodecimo Cal. Ianuarij, certamen Sanctæ Martyris Iulianæ.

XXI.

260 IVliana Martyr, Maximiano Imperatore, Nicomediæ locupletibus nata parentibus, desponsa fuit Eleusio viro patritio; adornabat igitur sponsus nuptias, cũ B Iuliana negauit se velle, nisi vrbis præfecturam adipisceretur, quam cùm ille assecutus esset, illa, Nisi, inquit, Christianus fiat, me nequaquam docet vxorem. Quamobrem pater mœstus cœpit sollicitare filiam, vt à Christo desisceret, & nuberet, quam in fide permanentem tradidit sponso, & Præfecto, vt ex legibus quæstioni adhiberetur. Præfectus igitur totum Virginis sublime pendentis per capillos corpus depectit, cutem capiti detrahit, in ignem conijcit, demum cum multis alijs eius causa Christianis obtruncat.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Themistoclis.

C

261 THemistocles Lycius, Decio Imperatore pascebat in eo monte oues, vbi latebat, persecutionis vitandæ causa, cumque milites missi à regionis Præfecto ad cõprehendendum Dioscoridem venissent in ea loca, sciscitarenturque à Themistocle Dioscoridis latebram, ille seipsum pro sancto, quem indicare noluit constringendum tradidit, confessus se Christianum esse. Adductus ad Præfectum supinus humi sternitur, & tandiu cæditur, dum dirupto ventre diffluerent intestina: deinde in eculeum actus, & postea depositus, & per defossos in terra murices raptatus, atque interim fustibus contusus D expirauit.

Eodem die, commemoratio Sancti Patris nostri Philogonij ex Oratore Episcopi.

262 PHilogonius ab infantia pietatis cultor, viridi deinde ætate, ducta vxore filium procreauit, factusque patronus, si qua causa superiorem oppressum iudicio laborãtemque vidisset, suscepta ipse causa iniuriam propulsabat. Mortua verò vxore, ex Oratore totius populi suffragijs ab Episcopo Episcopus lectus, virtutum omnium, recteque facto-

rum-

rum splendore lumen solis superauit. Omnium enim artium bene viuendi disciplinam non minus vita quam litteris prosecutus inolescẽtem morum intemperiem cessante nuper persecutione coercuit: exeuntesque ac emanantes hæreses diuino adiutus numine compressit, Angelorumque vitam imitatus in pace quieuit.

Vndecimo Cal. Ianuarij, Certamen Sanctæ Martyris Anastasiæ & sociorum.

XXII.

263 ANastasia Martyr, Diocletiano Imperatore, Romæ nobilibus, & diuitibus orta parentibus, atque à matre in Christi fide, à Chrysogono verò Christianorũ doctore litteris instituta, Publio viro suo, quia gentilis erat, nullam sui corporis potestatem faciebat benigna, & liberalis in pauperes, & in eos qui Christianæ pietatis causa erant in vinculis. Quamobrem in carcerem à viro suo traditur, sed mortuo eo, dimissa, omnibus facultatibus pauperibus distributis, sedulam sanctis operam dabat, martyrio consumptos sepeliebat, alios ad perferendum martyrium impellebat. quare à multis diuerso tempore præfectis affecta tormentis, deinde in mare, postea in ignem demissa, sed semper miraculo seruata, tandem capite damnata cum ijs, quæ secum erant mulieribus mortem oppetijt.

Eodem die, commemoratio Sancti Sacromartyris Capitonis, Chersonensis Episcopi.

264 CApito, Theodosio Magno Imperatore, in Atherij locum Chersonæ Episcopus declaratur, vt primum rempub. attigit, consilium cœpit destruendi templum, in quo Idolum Parthenium nomine colebatur, excitandique in eius area alterius S. Petri Apostoli nomine: Iamque fornaces ad præparandam materiam accenderat, cùm Gentiles, & Iudæi furore correpti post magnam contentionem hanc viro Dei conditionem tulere, vt si ipse fornacem ingressus nulla afficeretur iniuria, omnes nõ solum fidem Christi susciperent, sed filios etiam suos in caminũ deijcerent. Accepit ille conditionem, egressusque incolumis omnes ad Christum conuertit: hoc atque alijs clarus miraculis migrauit in cælum.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Chrysogoni.

265 CHrysogonus Romanus Diocletiano Imperatore Martyr, magnus Dei cultor, & amator, qui Sanctam Anastasiam, & fidem, & litteras docuit, commota persecutione, custodiæ traditur: à quo per literas Anastasia petijt, vt precibus à Deo cõtenderet, vt, si vir suus futurus esset aliquãdo Christianus, viueret, sin minus moreretur, ne tantas opes Idololatræ consumerent, sed in Sanctorum pauperumque sumptus expenderentur: factaque voti compos, & sui iuris, omnibus facultatibus in pauperes erogatis, sumptoque pauperis cultu cœpit carceres adeundo sanctis seruire: Quo tempore Diocletianus ex vrbe Nicæna litteras Romam dedit, vt extremũ de omnibus Christianis supplicium sumeretur, Chrysogonus verò ad se vinctus Nicæam deportaretur; adductumq; obtruncauit.

Eodem die, certamen Sanctarum mulierum Irenes, Agapes, & Chioniæ.

266 CHrysogonus abscisso pro Christi nomine capite martyrio defunctus per quietem apparuit Zoilo cuidam seruo Dei, prænunciauitque illi fore, vt Irene, Agape, & Chionia sorores, quæ idem cum eo stagnum accolerent; citra diem nonum simul cũ Anastasio in nobile martyrij certamen descẽderent: quæ cùm audisset Sancta Anastasia Chrysogonum secuta, conuenit sorores illas, eisque seruiebat. Diocletianus ergo comprehensas tradidit regionis Præfecto, vt torqueret. Rursusque Præfectus alter nomine Sisinnius excruciatas Agapen; & Chioniam igni consumpsit. Irenem autem gladio confecit.

Eodem die, commemoratio Sanctæ Martyris Theodotæ, filiorumque eius,

267 THeodota in Bithynia nata, celebri Anastasiæ fama commota pro magno habuit negocio eam conuenire, atque apud eam diutius vna cum filijs commorari. Cuius coniugium cùm peteret Leucadius Præfectus, rogauit illa, vt paulisper commoraretur, futura mox in illius potestate, quo temporis interuallo erogatis in pauperes opibus suis: dabat operam sanctis: Diocletianus vero: quoniam carceres, & ergastula Christianorum numerum capere non poterant; edixit passim, vt genus vniuersum nocte vna,

alij

alij aqua, alij igni, alij ferro delerentur. Quãobrem Leucadius tradidit Theodotam cum filijs Nicetio Bithyniæ Præfecto, qui alterius filiorum vehementi obiurgatione commotus matrem cum filijs in pyram proiecit.

Decimo Cal. Ianuarij, certamen Sanctorum decem Martyrum In Creta.

XXIII.

268 THeodulus, Saturninus, Euporus, Gelasius, Eunicianus, Gortynę Metropoli Cretæ, Zoticus verò, Gnosi, Leomenes Pontius Epimisi; Agathopus, Panormi; Basilides Cydonæ, Euaristus Heracliæ nati; B Decio Imperatore, delati sunt ab insulanis ad Præfectum quod Christiani essent: quibus ille imperauit, vt nisi Idolorum altaribus immolarent, varijs eos, vt cuique collibuisset suppliciis afficerent. Arreptos ergo illi sanctos circumducunt, illudunt, verberant, lapidant, per stercora raptant, demum Præfecti iussu obtruncant.

Nono Cal. Ianuarij, certamen Sancti Martyris Eugeniæ, & sociarum.

XXIV.

C 269 EVgenia, Commodo Imperatore, Martyr, Romæ Philippo vrbis Præfecto nata, atque Alexandriæ, quò pater à Commodo Præfectus missus, totam secum familiam abduxerat; litteras gentilium, & Christianorum apprimè edocta, dum libros sacros diligenter euolueret, incidit in Diui Pauli epistolas, quarum lectione conuersa, ad Christum, spreta præsentis vitæ gloria, & splendore, sumptoque virili cultu in Monasterio suscepit Baptismum, cum se Eunuchũ assimulasset. Postea autem quam esset agnita, Philippum patrem, matremque ac propinquos ad fidem traduxit: Paulo post patre creato Episcopo cæteri omnes martyrio coronati sunt.

D

Octauo Cal. Ianuarij, commemoratio Immaculatæ Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi.

XXV.

270 DEus benignissimus misertus humani generis, quod graui dæmonis tyrannide premebatur, misit Gabrielem Angelum: qui hæc Mariæ diceret: *Aue gratia plena Dominus tecum*; statimque purissimo

A eius vterò conceptus est Dominus noster, & Deus, exactisque à conceptione nouem mensibus, edictum est à Cæsare Augusto, vt quidquid gentium Romano pareret imperio, censeretur. Habebatur autem in Iudæa à Cyrino census: profectus ergo est etiam cum Maria custos illius Ioseph Bethleem, vt in sua censeretur tribu, ibique instante partus tempore, cum nullus illi ob affluentem vndique multitudinem esset in diuersorio locus, angustam subijt specum, atque inoffenso vtero peperit Dominum nostrum Iesum Christum, quem rerum vniuersitatis conditorem fascijs inuolutum, in irrationabilium præsepio collocauit, vt nostra nos irrationabilitate liberaret.

Eodem die, Magorum adoratio.

271 FVit olim vates Persa Barlaam nomine, cuius præter multas alias prædicationes, illa imprimis extitit insignis, *Orietur stella ex Iacob, & conteret filios Moab.* Quæ Prophetia à Persarum deinceps, vatibus, & Magis per manus iure quodam hæreditario posteris tradita, obuenit demum tribus illis Magis, simul, & Persarum regibus, qui visa, quam tam multis sæculis obseruarãt stella, animaduerterunt eam, vt periti Astronomi, diuersum à reliquis stellis tenere cursum, quippe quæ non ab ortu in occasum, sed ad meridiem tenderet, atque intelligunt cæleste illud sydus magni alicuius regis ortum portendere. Quare secuti stellam ducem, inuenere Christum Dominum, & procidentes attulere ei munera, aurum, thus, & myrrham, monitique ab Angelo per quietem, alia, quam venerant, via, redicre.

Eodem die, Commemoratio Ioseph Sponsi, custodisque Virginis, oraculo ab Angelo admoniti.

272 HErodes Iudæorum Rex, cum didicisset ex Magis natum esse Regem, qui Orbem vniuersum, in ditionem, ac potestatem suam esset redacturus, atque adhibitis scribis cognouisset ex sacræ Scripturę carmine recitato, in Bethlem Iudæ nasciturum, appellatis Magis; *Ite*, inquit, *& diligenter inuestigate de puero, & cum inueneritis renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum*, cùm tamen longè aliter sentiens infantem ad cædem quæreret: Nam missis postea militibus pueros omnes Bethlehemiticos, qui à biennio nati fuerant (tantum enim temporis à Christi natiuitate intercesserat) trucidari

cidari imperauit: sed Ioseph supernè monitus abijt in Ægyptum cum puero, & matre eius.

Septimo Cal. Ianuarij, commemoratio fugæ Dei Genitricis in Aegyptum.

XXVI.

273 DVabus de causis Dei Genitrix in Ægyptum fugere, cum infante, & Ioseph iubetur, cum, vt impleretur quod dictum est à Propheta: *Ex Aegypto vocaui filium meum*, tum vero etiam vt impiam quorundam hæreticorum opinionem redargueret, affirmantium phantasticè natum esse Christum: Nam si ab infantia occisus esset, nullus certe saluti nostræ relictus fuisset locus: sin neque gladio, neque alio supplicij genere extingui potuisset, vt administrationem, dispensationemque obiret, multi existimassent phantasticè natum, neque reuera carnem assumpsisse humanam, quando nulla etiam adducti causa, ausi tamen sunt infelices hæretici dicere eum non hominis naturam, sed imaginem induisse. Quibus de causis fugam arripuit in Ægyptum, atque etiam, vt corruentibus Ægyptiorū Idolis, declararet se cùm cruci fuisset affixus, atque à mortuis resurrexisset, salutem vniuerso orbi allaturum.

Sexto Cal. Ianuarij, certamen Sancti & clarissimi Protomartyris, & Archidiaconi Stephani.

XXVII.

274 STephanus Protomartyr, SS. Apostolorum discipulus, post Domini nostri Iesu Christi ascensionem lectus fuit cū alijs sex Diaconis, qui fidelibus mensas apponerent. Qui cum esset plenus gratia, & spiritu faciebat signa, & prodigia magna in populo: dum fidē Christi studiosè doceret, & prædicaret: cūq; cū Libertinis, & Cyrenensibus in certamen venisset, ac superior allatis librorum testimonijs discessisset, illi quidem in furorem acti, cœpere dentes sancto contūdere, lapidationem facere: ipse vero flexis genibus orare; *Domine*, inquiens, *ne statuas illis hoc peccatum*, quæ cùm diceret, vidit Cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei, & se compellantem, atque ita consumptus est.

Quinto Cal. Ianuarij, certamen Sancti Patris nostri Theodori, Graptæ, idest graphijs perfossi.

275 THeodorus Syrus frater Theophanis canonum scriptoris, Monachus primum in Sancti Sabæ Monasterio optimis se artibus excoluit. Deinde Constantinopolim profectus Theophilo Iconomacho Imperatore, cum sanctarum imaginum honorem, cultumque constantius tueretur, acubus perfossus, atramentoque non secus ac fugitiuus servus per ignominiam notatus, in exilium eijcitur. Qua in sententia, & ipse ad extremum perseuerans, & cæteros rectè de sanctis colendisque imaginibus sentientes, confirmans ex mortali vita migrauit.

Eodem die, commemoratio Sancti Patris nostri Theodori Archiepiscopi Constantinopolitani.

276 THeodorus Constantinopolitanus natus, & altus, creatus primo Cathedralis Ecclesiæ Presbyter, & Cimiliarcha, & armarij custos, ita se in Imperatorū, Patriarchæ, Senatus, totiusque concilij beneuolentiam insinuauit, ingenij sui dexteritate, & acumine, lenitate, benignitate, commiseratione, denique omniū morū probitatē in se vno repræsentando, vt in demortui Patriarchæ locum, summo Imperatoris, Episcoporum, totiusque populi studio fuerit cooptatus: qui pastorali munere, atque Ecclesiæ administratione annos duos, & menses, tres, ex præscripto diuino diligenter obita, excessit è vita.

Eodem die, certamen Sanctorum Martyrum Iudæ, Eunuchi, & Domnæ.

277 DOmna Nicomediæ nata, Maximiano Imperatore martyr, sacerdos duodecim deorum sacra in Palatio procurabat, sed cùm forte legisset Apostolorum Acta, & Diui Pauli Epistolas, illuminata, vetam suscepit fidem, baptizataq; à Cyrillo Nicomediæ Episcopo, sportulam, quam in Palatio accipiebat pauperibus diuidebat: Quod cùm resciisset Archieunuchus, accingeretq; se ad sumendum ab ea pœnas, simulauit illa dementiam. Quamobrem vt sanaretur missa

sa ad Episcopum, optata Christianorum con suetudine vtebatur: sed Maximianus reuersus à Taxidio, percontatusq; de Domna, neq; reperta, accensus ira iussit Christianos omnes interfici: quorum corpora illa Domna sumpto viuli cultu noctu sepeliebat, tandem agnita obtruncatur.

Eodem die, Certamen SS. viginti millium Martyrum.

278 MAximianus Imperator confecto feliciter bello, quod aduersus Æthiopas gesserat, edixit Epinicia: Quare cum passim ob partam victoriā victimæ Dijs immolarentur, renunciatum est, Christianos solos: (erat enim Natalis Domini) festum diem summa cum lætitia celebrare: neglecto Dæmonum cultu) Ille igitur mandauit, vt circa illud templum, in quo versabatur cœtus ille Christianorum constrata sarmentis quaq; versus terra, suppositoq; igni, omnes conflagrarent: Vix dum Episcopus, baptizatis cathecumenis, operatusq; sacris purissima mysteria cōmunicarat, cum subiecto igni hominum viginti millia concremata mortem obiere, excepto Episcopo, qui miraculo seruatus est, vt & alios ad Christi fidem conuersos baptizaret.

Eodem die; Certamen eorum Martyrum qui cum ijs de quibus proximo capite scripsimus non erant, Indes, Gorgonij, Petri, Zenonis, Dorothei Mardonij, Glycerij, & Theophili.

279 NOn satis habuit impius Maximianus, per illorum cædem, quos ignis in templo consumpserat, debacchari: sed imperauit etiam vt Christiani omnes interficerentur: Igitur Indes, Gorgonius, & Petrus, alligatis ad collum saxis in mari demersi sunt: Xenon copiarum dux confusis oculis ac dentibus, cum Dorotheo præposito capite mulctatur; Mygonius altissima fouea obruitur: Mardonius, & Glycerius Presbyter igni absumuntur; Theophilus præcisa lingua in campo lapidatur, compluresq; alij martyrium subiere; Quorum omnium corpora Domna in vnum collecta loco satis honesto tumulauit; Quamobrem & ipsa abscisso capite amburitur.

Quarto Cal. Ianuarij: Cædes Innocentium Bethleemitarum.

XXIX.

280 MAndarat Herodes Iudæorum Rex, Magis, vt adorato Rege infante, quem cæleste illud sydus monstrarat: ad se redirent, & de tota re se pleniùs docerent, vt & ipse natum nuper regem adoraret. Verum illi ab Angelo mōniti non ad Herodem, sed diuerso vnde profecti fuerant itinere redierunt: Exarsit vehementi ira rex quod illusus esset à Magis, animaduersoq; diligenter eo tempore, quo stella apparuerat, pueros omnes eo biennio in Bethleem natos occidit, eo consilio, vt puer tanto imperio destinatus cum cæteris interemptus extingueretur; insanus, qui facta diuina humano consilio labefactari, & conuelli posse existimaret, cum ipse sibi æterna supplicia, illis vero cæleste regnum conciliaret.

Eodem die, Commemoratio Sancti Patris nostri Marcelli Monachi ex Acæmetarum Ordine.

281 MArcellus Apameæ in Syria honesto, & illustri loco natus, atq; omnibus artibus oppidò eruditus, mundo, paternaq; domo valere iussis in Ephesinum Monasterium se se abdidit: Inde desiderio Alexandri Abbatis, cuius sanctitatis fama perecrebuerat, ad Acæmetas profectus Monachos omnes antecelluit virtutibus: vbi post Alexandrum, & Iacobum renunciatus Abbas, maiori etiam ad virtutem contentione, eam à Deo gratiam iniit, vt miraculorum, prophetiæq; munere ornatus fuerit: Quibus artibus factus Imperatoribus, ac populo admirabilis, vitæ finem fato impleuit.

Tertio Cal. Ianuarij, Certamen Sanctæ Martyris Anysiæ.

XXX.

282 ANysia, Maximiano Imperatore, Martyr: Thessalonicę parentibus, diuitijs, genere, & fide orta est nobilibus, quę post illorum obitum congressus hominum, solitudinis studio fugiens, factis, & verbis Deo gratias agebat: Ibat autem aliquando pro consuetudine in templum, factaq; obuiam militi Idololatræ qui reluctantem pro viribus sanctam ad nefaria compellebat sacrificia, ab irato

irato milite traiecto per coſtas gladio, acceptoq; graui vulnere concidit ſtatim, pauloque poſt orans, & gratias agens ſpiritum Domino reddidit.

Eodem die, certamen Sancti Apoſtoli Timonis ex ſeptem Diaconis.

283 TImon Chriſti Apoſtolus vnus ex ſeptem Diaconis in quorum numero erat Stephanus Protomartyr, à magnis Apoſtolis ad miniſterium menſarum lectis creatus fuit Epiſcopus Boſtrarum in Armenia ab ijſdem Apoſtolis: qui cum in nomine Domini Noſtri Ieſu Chriſti veri Dei doceret, docendoque, & admiranda ſigna edendo gentilium compluribus perſuaderet, vt relicta vaniſſima Idolorum ſuperſtitione ſibi à maioribus tradita, veram ſuſciperent fidem, petitus inſidijs Iudæorum pe. iniquè ferentium tantam hominis in Chriſti nomine prędicando libertatem ab Idololatris varijs afficitur ſupplicijs, deinde in caminum iniectus, fatoque ſeruatus, atque aliquandiu ſuperſtes, poſtea triumphans Cælum inuectus eſt.

Pridie Cal. Ianuarij, Commemoratio Sanctæ Melanes Romanæ.

XXXI.

284 CVm Theodoſius maior terreſtri regno celeſti permutato ad immortalem ipſe regem migraſſet, atque occiduum veteris Romæ imperium Honorio: nouæ autem Arcadio natu maiori per manus tradidiſſet: florebat Melana fœmina in Vrbe Roma generis nobilitate, diuitijs, & forma inſignis, atque ob eam cauſam à multis in vxorem expetita, cum tamen illius animus virginitatis ſtudio à nuptijs prorſus abhorreret: Quam cum inuitam parentes cuidam in matrimonium collocaſſent, illa, priuſquam coirent, tantum dicendo profecit, vt ſponſus contemptis Idolis renunciatoque præſentis vitæ inſtituto Monachus fieret, ipſa vero diuiſa pauperibus, quam à parentibus acceperat innumerabili rerum copia, monaſticam amplexa eſt vitam, in qua ſignis, & miraculis illuſtrata, ædificatoque Monaſterio corporis cuſtodia liberata eſt.

IANVARIVS.

Cal. Ianuarij, Commemoratio Sanctæ Circumciſionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti.

285 DOminus, & Deus noſter, cui omne cor patet, futurorumq; pręſcius, vt fidem faceret ijs hæreticis, qui eum non humanum, ſed phantaſticum quoddam corpus ſumpſiſſe contenderent, atque etiam, vt omnem cauillandi occaſionem Iudęis adimeret, ſi paululum ab eorum inſtitutis, ac legibus deflexiſſet, voluit octauo ab ortu die ab immaculata matre ſimul, & Virgine in templum deferri, & circumcidi, nominatuſque Ieſus, quod illi nomen priuſquam in incorrupto Virginis vtero conciperetur, ab Angelo fuerat impoſitum, reuerſus eſt domum, vbi humanitus educatus progreſſum in dies in ſapientia, ætate, & gratia faciebat.

Eodem die, Commemoratio Sancti Patris noſtri Baſilij Cæſareæ, Cappadociæ Epiſcopi.

286 BAſilius in ſanctorum numero collocatus Valentem Imperatorem deteſtabili Arianæ hæreſis peſte laborantem, dicendo, monendo, ac liberius accuſando propemodum curauit, qui, etſi de illa ſenſus prauitate deduci plane non potuit: quia palinodiam canere puderet: dum tamen Baſilius Magnus rem diuinam faceret, ingreſſus templum aſtabat, ac dona offerebat: fuit Baſilius Baſilij Pontici, & Emmeliæ Cappadocis filius, vir adeo omnibus diſciplinis egregiè inſtructus, vt & veteres omnes, & recentiores facile ſuperarit: pietate vero ita excellenti, vt Cæſareæ Epiſcopus declaratus: ſtuporem ſimul, & terrorem Imperatoribus, & Præfectis incuteret: ſæpius pro orthodoxis in certamen deſcenderet, atque ex eo ſuperior diſcederet ſemper: Tandem cum multa litterarum monumenta reliquiſſet, innumera edidiſſet miracula, fatalem ſummam impleuit.

Quarto Nonas Ianuarij, Certamen Sancti Martyris Basilij.

II.

287 Basilius Iuliano Apostata Imperatore Martyr, Ancyræ Galatiæ natus, Christianæ fidei causa ad Præfectum perducitur, qui quæstioni adhibitus respondit, nullum præter Christum esse Deum: Quare in eculeum elatus depectitur: deinde vinctus Constantinopolim missus variisq; tormētis affectus, in fornacem inijcitur, sed miraculo seruatus Cæsaream deducitur, depugnaturus cum bestijs: Ludis igitur Circensibus productus in theatrum à Leæna fame prius diu confecta orans consumptus est.

Eodem die, Commemoratio Sancti Patris nostri Siluestri Papæ Romani.

288 Siluester sapientia, & virtute excellens Miltiadi veteris Romæ Episcopo successit: suscepta igitur republica, multa pro sacro, & magno Christianorum grege subijt certamina, Constantinoque Magno, qui primus Imperatorum Christi fidem ab Apostolis Petro, & Paulo in somnis monitus suscepit, ducem se ac præceptorem præbuit: deinde facta baptismatis aqua, non lepræ solum, sed animi etiam sordes omnes eluit: authorque fuit, vt conuulsis Dæmonum simulachris, templa Deo nostro, Dei Genitrici, sanctis Apostolis, & Martyribus excitaret: Præterea Bizantium vsque adiunctus comes complures salutari doctrina imbuit: Demum summa senectute, è corporis vinculis euolauit.

Tertio Nonas Ianuarij, certamen Sancti Martyris Gordij.

III.

289 Gordius Licinij Imperatoris comes Cęsareæ Cappadociæ natus, militum centuriam ducebat, sed cum gentilium indignitatem, arrogantiam, & blasphemias in Christum nullo modo ferre posset, renunciato militiæ munere, fluxæque, ac euanescentis præsentis vitæ gloriæ in monte solitudinis studio consedit, vbi inter feras versatus vni Deo orando vacabat: Verum Christi desiderio vehementius accensus, & quodam quasi mentis impetu raptus, cœpit hæc secum cogitare: Quin hinc in vrbem profectus, Marty-

A rium pro Christi mei nomine subeo, vt vitam adipiscar æternam: Igitur cum Circenses ludi maxima populi frequentia Cęsareæ ederentur, in medium prodijt, magnaque voce; En ego, inquit, non quæsitus vltro aduenio meque Christianum confiteor, atque inanimata iam inde à pueritia detestor Idola: quibus verbis commotus Præfectus iussit capite mulctari.

Eodem die, Commemoratio Sancti, & Illustris Prophetæ Malachiæ.

B 290 Malachias Propheta post reducem è captiuitate Iudæorum populū, Leuitico genere natus ab ineunte ætate eam vitæ rationem, & institutum tenebat, vt ob eam causam appellaretur Angelus: accedebat insignis in adolescente forma: præterea visus sæpe est ab ijs, qui nullam peccati labem habebant: dictante Angelo prophetare: Incidit autem Malachię prophetia in id tempus, quo nullus erat in Iudæa principatus, quemadmodum scriptum est in Iudicum libro, mortuusque est, & sepultus in sepulchro patrum suorum in agro: homo, vt diximus, egregia forma, facie venusta, capite lato.

C *Pridie Nonas Ianuarij, certamen Sancti Sacromartyris Theogenis Episcopi Parij.*

IV.

291 Theogenes sacro-martyr Episcopus Parij retentus ab Insulæ Præfecto militare compellebatur, quod ille detrectans, afferebat, se Christo nomen dedisse, & ideirco se illi operam suam nauare velle: Alligatū ergo ad palos quatuor, carnifices octo scipionibus cædebant: sanctus vero per cauillum appellans Præfectum vmbram euanescentem: prædixit illi, fore vt breui moreretur, nec rei defuit euentus: Noctu vero sancto carceri incluso, & medio Angelorum choto psallenti apparente, iussum ne cibum à gentibus caperet: Deinde eductus è custodia D proijcitur in mare: sed qui demerserant pœnitentia ducti cū multis alijs baptizati sunt. Corpus verò tertio post die in littus eiectum discipuli sepulchro intulere.

Eodem die, certamen Sancti Sacro-Martyris Theopempti, & Theonæ Martyris.

292 THeopemptus commota à Diocletiano in Christianos persecutione primus omnium Christum confessus Martyrij corona decoratus est: Nam in furnum coniectus, supernè seruatus est: effossoque oculorum altero, cum poculum præsentaneo veneno Imperatoris iussu sibi à Theona mago dilutum exhausisset, illæsus, magum rei nouitate attonitum traxit ad fidem: Percitus ira Diocletianus Theopempto capite mulctato, Theonam in altissimam foueam demissum congesto obruit aggere.

Eodem die, certamen Sanctorum Zosymi Monachi, & Athanasij à commentarijs martyrum in Cilicia.

293 ZOsymus Cilix solitudinem cum feris captare solitus, corripitur à Domitiano Præfecto, qui cum nulla ratione adduci posset vt idolis rem diuinam faceret, ambustis candenti ferro auribus in feruentem lebetem mijcitur: sed nulla affectus iniuria, sublimibus depectitur pedibus, cumque torqueretur, Leo ex locis solis in medium Theatrum progressus, humanaq; voce Christum confessus conuertit Athanasium a commentarijs, motus prodigio præfectus Zosymũ liberum abire permisit, qui adiuncto sibi Athanasio, eoque baptizato in monte aliquandiu commoratus est. Deinde ambo altam speluncam subeuntes inter orandum animas Deo reddidere.

Eodem die, Commemoratio Sanctæ Syncleticæ.

294 SYncletica parentibus non minus pietate quam genere, ac diuitijs nata nobilibus, ob insignem formam, atque opes multos habebat procos, quibus illa Dei studio neglectis, belloque voluptatibus, temporariæ gloriæ, rebusque humanis indicto, se totam summo ad virtutem, & temperantiam studio concitata pietati dedit: Inuidit Diabolus, neque id obscure tulit, sed cum sæpius congressus, luctatusque cum Virgine, superatus esset, corpus illius non secus ac olim magnum illum Iob, miseris adeo excepit modis, vt graui diuturnoque conflictata morbo, totoque corpore exulcerato lurida deflueret tabe, grassanteque in dies vi morbi paulatim tabescens intolerabili odoris fœditate accedentes depelleret, quibus tamen malis diu superstes tandem nonagesimo ætatis suæ anno gloriosum de tanto hoste referens triumphum cælum inuecta est.

Nonis Ianuarij, Commemoratio Sancti Prophetæ Michææ.

V.

295 MIchæas Propheta Iudæus ex familia Ephraim, cùm vehementius impietatem Achab regis obiurgaret, quod euersis diuinis legibus, ac patrijs institutis Dæmonum præstigia consectaretur, alienauit à se regem, qui etsi sancto esset iratissimus, veritus tamen diuinum iudicium, atque singularem viri probitatem à cæde abstinuit, sed mortuo Achab, cum apud Ioram filium eadem de causa vehementius offendisset, eius iussu de prærupta rupe præcipitatus occubuit: Cuius corpus obuolutum à propinquis sepultum quidem fuit in patrio solo, sed prope commune sepulchrum.

Octauo Idus Ianuarij, Commemoratio Baptismi Domini Nostri Iesu Christi.

VI.

296 DOminus, ac Deus noster, cui propositũ erat seruare patrias leges, ac instituta, ne sermonem Iudæis daret, si à maiorum more, atque ijs legibus quas Moyses tulerat discessisset, vbi vidit Iudæos magno concursu Iordanem fluuium petere, atque in eo à Ioanne baptizari, accessit & ipse, non quod lustratione vlla egeret, sed vt baptismo suo totius mundi sordes elueret: Ioannes qui prophetico afflatus spiritu filium Dei agnouerat, detrectabat per summam animi dimissionem huiusmodi ministerium: Verum de illius authoritate, atque imperio cum magno perfusus horrore baptizauit: statimque descendens è cælis excepta est paterna illa vox: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*

Septimo Idus Ianuarij, Synaxis Sancti, & Illustris Ioannis Baptistæ Prophetæ.

VII.

297 IOannes præcursor idemque Baptista Domini, ab ipso Domino Propheta-

rum

rum maximus indicatus, cum dixit. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*: eam ob causam, quod cæteri Prophetæ de Christo quidem prænunciarunt, sed eum non viderunt: at Ioannes & vidit, & prophetauit, cùm intento ad Christum digito, conuersusque ad Iudæos: *Ecce inquit agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi*: Etenim agnus ille, quem Iudæi consueuerunt immolare, vnius tantum gentis, atque eius exiguæ maculas eluebat; hic autem immolatus omnium mortalium peccata obliterat: Quamobrem sancta Dei Ecclesia statutum huuc & solemnem diem, quem synaxin, appellauit, in honorem Dei, ac Præcursoris eius celebrare consueuit.

Sexto Idus Ianuarij, certamen Sanctorum Martyrum Theophili Diaconis, & Helladij Laici.

VIII.

298 THeophilus Diaconus, & Helladius Laicus in Libya nati, cum Christum verum Deum, vniuersorumque conditorem, cum summa & Idolorum, & Idololatrarum contumelia passim prędicarent, à Proconsule constrictis manibus, ac pedibus virgis conciduntur, ferreis vngulis extarnificantur, ambustisque lumbis testularum aculeis perfodiuntur, cù interim ad singulos verberum ictus illud identidem carnifices ingererent, Christum negate, Dijs sacrificate; at illi nihil de constantia sua remittentes mirandum in modum raptati, & detracta corporis pelle conculcati, confractis demum totius corporis ossibus animas Deo reddidere.

Quinto Idus Ianuarij, certamen Sancti Martyris Polyeucti.

IX.

299 POlyeuctus Meliteriæ in Armenia natus, & miles, debacchantibus quotidie magis per Christianorum cædes, & supplicia Decio, & Valeriano Imperatoribus, clarissima se voce Christianum professus, gentiliumque templum ingressus, omnia Idola comminuit. Comprehensus ergo præfecti iussu cædebatur, cumque præfectus misericordia motus, quippe qui socer eius esset, genero suaderet vt abiurato Christo salutis suæ rationem haberet, ille compellans Nearchum quendam sibi amicum: Vidi inquit in somnis Christum meum pretioso monitulo contexisse, iussumque eo valere, & sui meminisse: Deo gratias agens præsente vxore, quæ virum in Christi partibus confirmabat, in vestigio capite mulctatus est.

A *Eodem die, Commemoratio Sancti & Illustris Prophetæ Achea.*

300 ACheas, in Vrbe Eli, quæ est in Silone, vbi olim erat Iudæorum tabernaculum, natus, pronunciauit fore, vt Salomon Propheta, & Rex, Dauidisque Prophetæ, & Regis filius in festum sibi diuinum numen præuaricatione sua redderet, cuius verbis fidem euentus fecit: Prænunciauit etiam Ieroboam Regi, quod non simpliciter, sed astutè cum Deo acturus esset. Eius est
B etiam visum illud, par boum infestis excursionibus populum omnem, sacerdotesque vexare, conculcare, & proterere, quo schemate ostendit protendi Iudaicæ gentis excidium, captiuitatem, famem, cruciatus: cumque multa alia prophetasset, mortuus est, & prope quercum in Silone sepultus.

Quarto Idus Ianuarij, Commemoratio Sancti Gregorij Episcopi Nisseni.

X.

301 GRegorius Basilij Magni Cæsareæ in Cappadocia Episcopi germanus
C frater, sapientia, ac virtute insignis Nissæ Episcopus creatus est, tum, cùm grauissimum cum hæreticis contractum erat bellum ab orthodoxis. Sanctus igitur suscepta repub. in acie aduersus impios Ecclesiæ Catholicę dogmata conuellere ausos consistens, nunc coram disceptando, nunc scribendo omnes grauissimis sacræ scripturæ testimonijs sublata hæresi egregiè superauit: Cumque Synodo, quæ secundò Constantinopoli acta est, interesset, incredibile est, quanta dicendi contentione, atque animi constantia in hæreticos inuectus, sermones, & linguam eorum cum summa orthodoxorum lætitia retuderit: Vnde ad Ecclesiam suam reuersus, postquam pa-
D storale munus diligenter obiisset, multosque animæ salutares libros diuinitus scripsisset, summa senectute ad Dominum lætus euolauit.

Eodem die, Commemoratio Sancti Patris nostri Domitiani Episcopi Melitenæ.

302 DOmitianus Iustino Imperatore parentibus Christianis, ac locupletibus natus, atque ab ijsdem, omnibus tum gentilium, tum Christianorū disciplinis abunde instructus, mortua, quam paulo ante duxerat

xerat vxore, totum se ad pietatem colendam contulit, qua in re tantū profecit, vt creatus Melitenæ Episcopus tantam famæ nobilitatem fuerit consecutus, vt Persarum Rex, quem sibi amicum, & socium optabat, maxime Mauritius Romanorum Imperator, ad eū scripserit, futurum, vt si Domitianus ad se cum certis mandatis veniret, ipse non solum in illius amicitiam, & societatem se conferret, sed in seruitutem etiam addiceret. Quod cum vterque egregiè præstitisset, vrbem, & vniuersum orbem summa extulere lætitia: Domitianus vero in vrbem reuersus fato concessit. Melitenemque postea translatus est miraculis clarus.

A

Eodem die, Commemoratio Sancti Patris Marciani Presbyteri, & Oeconomi Ecclesiæ Cathedralis.

B

303 MArcianus à magna Roma oriundus, sed Constantinopoli natus, Marciano viro sanctissimo, & Pulcheria fœmina pientissima Imperatoribus, pluribus ac magnis, adnitente Imperatore præfuit Ecclesijs; Nam & sacram Irenes ædem tenuit, & eam, quam ipse Anastasiæ nomini in Domini aditu dicatam, ab incendio, cum iam vetustate arida flammā concepisset, precibus liberauit. Fuit tanta in viro misericordia, vt dum sacris operaretur, quærenti pauperi pallio, quando nihil aliud ad manum haberet, tradito, nudus præter sacratam stolam, quæ miraculo videbatur aurea, à Clericis conspectus sit, ad extremum multis alijs, præter excitatum ab inferis mortuum, editis signis, sanctitatem summam impleuit.

C

Eodem die, Commemoratio Sanctæ Dominicæ.

304 DOminica, Carthagine nata Theodosio Maiore, Leone, & Zenone Imperatoribus floruit: Hæc Constantinopolim profecta, & à Nectario sanctissimo Patriarcha diuinitus monito perhumaniter accepta, non solum illi Monasterio, quod ipsa postea nomini Zachariæ Prophetæ instaurauit præficitur; sed ad Diaconatus etiam dignitatem prouehitur: Quare maiori etiam ad virtutem contentione tantum profecit, vt miraculorum, & prophetiæ munere à Deo dignata futura prospiceret; & de Imperatoribus, Patriarchis, alijsque compluribus præ diceret: quibus rebus cum in summo semper honore apud omnes fuisset, in pace quieuit.

D

Tertio Idus Ianuarij, certamen Sancti Martyris Petri.

XI.

305 PEtrus Martyr in villa Anea Eleutheropoli proxima natus, parique, & corporis, & animi fortitudinis laude commendatus, ab adolescentia senilem prudentiam præseferebat, cum de Christi fide doctè disserendo complures ab Idolorum cultu ad Christum verum Deum, vnumque nostræ salutis authorem conuerteret: Quamobrem ab Eleutheropolitano Præfecto comprehensus, cum de pia sententia dimoueri nulla ratione posset, in fornacem iniectus est: vbi diu gratias agens, & pro œcumenica tranquillitate, Ecclesiarumque quiete orans ambustus est.

Eodem die, Commemoratio Sancti Patris nostri Theodosij Cœnobiarchæ.

306 THeodosius Cœnobiarcha in sanctorum numero habitus, Cappadox parentibus pijs natus, sumpto Monachorum instituto: Antiochiæ primum Simeonem Stylitem conuenit, à quo etiam optimis ominibus auctus Hierosolymam, atque inde in solitudinem abijt, vbi nihil præter caricas, & olera, in cibum triginta annos adhibuit. Denique cum multa edidisset miracula, fugassetque sacro carmine Cacodæmonas atque in summa rei frumentariæ caritate grano quod vnum reliquum fuerat, benedicens, exhaustum prorsus Monasterij horreum frumento impleuisset, & ijs de causis in magna sermonis omnium hominum celebritate vixisset, mortuus est.

Pridie Idus Ianuarij, certamen Sanctæ Martyris Tatianæ.

XII.

307 TAtiana Alexandro Imperatore Martyr, Romæ patre illustri, & locuplete, ac tertium consule nata, cùm Subdiaconatum, & Diaconatum optimè gereret, fidem Christi populum docendo, multitudinemque ab Idololatria ad pietatem traducendo defertur ad Imperatorem, qui Tatianam secum in templum adductam compellebat Idolis sacrificare: illa verò adhibita prece, detracta in terram simulachra comminuit: Quamobrem virgis multatæ oculi effodiuntur, atque in eculeum laceratur, pellis capiti penitus abraditur, in ignem cōijcitur, ad bestias damnatur: tandem his omnibus miraculo seruata capite multatur.

Eodem

Eodem die, certamen Sancti Martyris Merotij.

308 MErotius, Imperatore Diocletiano strenuus miles, ob nauatam egregiè aduersus Barbaros operam commilitonibus æquè charus, ac Imperatori; Christianæ tamen fidei causa vinctus perducitur ad Imperatorem, qui armis, ac balteo militari exutis, manibusque, ac pedibus ad quatuor palos alligatis, grauissima, multaque verberum sectione conscindi totum eius corpus iubet, sine suspirio, sine gemitu, sinè vlla Martyris voce, cuius singularem patientiam admiratus Imperator; En, inquit, o milites, qualis miles quàm miserè moritur? Deinde in carcerem includitur, vbi octauo post die lætus, & orans migrauit ad Dominum.

Idibus Ianuarij, certamen Sanctorum Martyrum Hermyli, & Stratonici.

XIII.

309 HErmylus, Licinio Imperatore, Martyr, Imperatori, qui ad Danubium flumen castra habebat, sistitur, delatus quod Christum coleret, quem fustibus grauissimè contusum Stratonico militi custodiendum tradidit: Stratonicus verò, cum à porta Angelum Sancto assidere, consolarique vidisset, vltro Christi fidem suscepit. Hermylus verò eductus è carcere, cùm à sancto proposito discedere nollet, iterum scipionibus cæditur: deinde vngulis ferreis excarnificatur: Non tenuit in tam misera indignaque martyris cæde lacrymas Stratonicus; quare & ipse post multos cruciatus, & Hermylus in Danubio mersi sunt.

Decimo Nono Cal. Februarij, certamen Sanctorum Patrum in Sina Monte occisorum.

XIV.

310 EX diuersis Orbis partibus connexerat sanctorum hominum multitudo in montem Sina, qui misso propinquis, diuitijs, omnibusque præsentis vitæ desiderijs nuncio; Monachorumque sectam, & instituta prosecuti, vni Deo se se addixerant, & consecrarant, vitam simplicissimo agrestium olerũ cibo tolerantes, in quorum numero erat Nilus, olim Constantinopoli præfectus, vir singulari & pietate, & sapientia. Non tulit Diaboli inuidia tam sanctum vitæ institutum: quare aduersus sanctos concitauit agreste illud, & efferum Blemyorum hominum genus, quod ab Arabia Ægyptum vsque Erythræum mare accolit. Hi spe ingentis prædæ, quam animo conceperant, frustrati, cum nihil amplius, quam tegetes, & cilicia reperissent, versi in furorem, sanctos omnes nihil reluctantes gladijs confecere.

Eodem die, Commemoratio Sanctorum Patrum in eodem Monte Sina à Blemyis, Diocletiano Imperatore, occisorum.

311 DIocletiano Imperatore, & Petro Alexandriæ Patriarcha Saraceni, mortuo illorum Duce, ex incultis desertisque locis, excursione facta in Sina montem, Ascitas octo, & triginta interfecerunt, cæteris se se in munitionem recipientibus, quæ noctu Saracenis visa omnino conflagrare, vt Cælum ipsum flamma attingeret, tantum barbaris incussit terroris, vt abiectis armis, in fugam se se coniecerint: Ascetarum autem qui ceciderant, alij aliter, omnes tamen gladijs trucidati sunt, præter Sabam, & Isaiam, qui viui inter iacentes reperti, cæteris omnibus sepultura affectis, hæc etiam memoriæ prodiderunt.

Eodem die, Commemoratio triginta trium patrum in Rhaitho à Blemyis occisorum, qui sedes habebant apud duodecim fontes & 70. palmas.

312 BLemyi trecenti transmisere aliquando magnis cratibus Æthiopũ mare, nauique quam fortuna oblatam conscenderant ad Pharanitas appulsa. Pharanitas, qui primis illorum conatibus occurrerant vicere; interfectis centum triginta septem abductisque mulieribus, & pueris, oppidum cuius ianuam obstruxerant sancti triginta sex, & se se in templum reperant nullo negocio expugnarunt; cumque nullam in eo prædam inuenissent, cæsis omnibus ad nauim cum captiua multitudine redierunt, qua non reperta (interea enim à quibusdam in mari demersa fuerat) furijs agitati captiuos omnes, deinde se ipsos mutuis vulneribus trucidarunt.

Eodem die, Commemoratio Sancti Patris nostri Theoduli.

313 THeodulus cum Nilo patre, eodemque Cõstantinopoli præfecto multa salute dicta temporariæ huius mundi gloriæ asceticam in monte Sina vitam agebant; cùm discurrentibus huc illuc ad sanctorum cedem barbaris, pater quidem fugam arripuit: filius verò cum altero adolescente captus est: quos cum decreuissent Lucifero immolare, alter fuga sibi consuluit, Theodulus destinato in proximum diem sacrificio reseruatur; Verum cum Astro, cui Theodulus mactandus erat, occultato sol dormientes barbaros oppressisset, venalem exposuere. At nemini pluris duobus aureis nummis licitante, districto gladio mori imminebant, cùm Episcopus emptum in libertatem vindicauit: ille autem traducta sanctissimè vita, fato concessit.

Eodem die, Commemoratio Sancti Patris nostri Stephani conditoris Monasterij Chenolacij.

314 STephanus in Asia illustri loco natus, relictis opibus, Monachorumque sacris initiatus, sanctorum Patrum, qui Iordanem accolebant, Monasteria obeundo, ex singulis optima quæque legebat; Ita instructus Constantinopolim se contulit, exceptusque per humaniter à Germano Patriarcha, donatusque agello, condidit Monasterium cui Chinolaquos nomen est: vbi coactam in Dei honorem piorum multitudinem omni virtutum genere imbuebat, docens qua potissimum ratione Deum sibi conciliarent: ijs autem qui se adirent, caduca hic esse omnia, fragilia, & fugacia nunquam non in memoriam reuocabat: Itaque boni pastoris officia & munera diligenter executus, in pace, Deo animam reddidit.

Decimooctauo Cal. Februarij obitus Sancti patris nostri Pauli Thebani.

XV.

315 PAulus Thebis in Ægypto natus floruit Decio Imperatore: Hic cùm restitisset, generum in hæreditatis spem ingressum comparare se, vt Christianæ sibi religionis crimen inferret, se se in montem omni humano cultu desertum subitò proripuit; Indeque interiora Eremi magis, ac magis potens in spelunca consedit, victum, cultumque suppeditante sibi palma; Cuius vitæ institutum cùm Deus notum, atque apud omnes peruulgatum esse vellet, Antonium magnum, qui se solitariæ vitæ authorem existimabat monuit, vt Paulum in intimo Eremi recessu latitantem adiret; Paruit ille oraculo, & vix in Pauli congressum colloquiumque venerat, cum delato à coruo pane integro cibum cepere; Antonius verò domum reuersus, vt pallium afferret, quo Pauli corpus inuolueret, cum redijsset, mortuum inuenit, magnasque Deo laudes tribuit.

Eodem die Commemoratio Sancti Patris nostri Ioannis Calybitæ, cuius erat aureum Euangelij volumen.

316 IOannes Calybites Constantinopoli Eutropio patricio, & Theodora natus, cùm puer esset, orauit parentes, vt quando cæteris condiscipulis Euangelium legentibus sibi turpe erat non legere, curarent etiam sibi eum librum: Indulsere tam pio filij desiderio parentes, & librum auro, gemmis, margaritisque insignem quingentis aureis nummis mercati sunt: litteris igitur oppido instructus cum quodam Monacho Acæmetarum Ordinis Monasterium ingressus, acerrimè cum Dæmone depugnabat, qui cũ sibi omnia tentãti nullos suos aduersus Ioannem conatus procedere intelligeret: ad extremum illud descendit consilium, vt summo adolescenti iniecto parentum desiderio; Sanctum viri propositum expugnaret: sed neque hoc illi cessit; Nam Ioannes re cõmunicata cum Cœnobiarcha, inuisit quidem domum, & parentes, sed statim digressus extructo extra ianuam tugurio, ibi vt mendicus consedit, non nisi post mortem ex Euangeliorum libro agnitus.

Eodem die, certamen Sanctæ Charitinæ.

317 CHaritina Martyr Claudiani cuiusdam Christiani hominis serua, Diocletiano, & Domitiano Imperatoribus, delata quod Christiana esset, Comiti sistitur, qui caput Martyri primum radi: deinde feruenti lixiuio, tum aceto acerrimo perfundi: præterea latera facibus aduri; Post hęc eam in mari demergi imperauit, sed diuinitus seruata stetit ad Comitis tribunal; ille consternatus animo iussit rotam fieri, atque in eam alligatam Martyrē subiectis carbonibus amburi, tum dentes omnes illi contundi, & euelli, quę omnia constantissimè perferens extremum in tormentis spiritum effudit.

Decimo

Decimoseptimo Cal. Februarij, Adoratio pretiosarum Sancti Petri Apostoli Catenarum.

XVI.

318 CVm Herodes interfecto Iacobo fratre Ioannis Theologi intellexisset rem gratam se fecisse, Iudæis comprehensum etiam Petrum, duabusque constrictũ catenis in carcerem coniecit, eo consilio, vt ex eius etiam cæde popularem aurem colligeret. Verum Angelus apertis noctu portis solutum Petrum, ereptumq; è manibus Herodis in pristinam asseruit libertatem; Catenæ verò à quibusdam fidelibus repositæ per manus posteris traditæ, postremo Constantinopolim ab Imperatoribus in D. Petri ædem augustissimo Sophiæ templo coniunctam illatæ in summa sunt apud Christianos veneratione.

Eodem die, certamen Sancti-martyris Pansophij.

319. PAnsophius Martyr, Alexandriæ Nilo proconsule natus, atque ab eo omnibus liberalibus disciplinis imbutus, mortuo patre, distributis in pauperes facultatibus in solitudine septem, & viginti annos orando vitam agebat, cum ad Augustalium Præfectum Alexandriæ à Decio declaratum delatus Christianæ religionis causa ab improbis, ac perditis hominibus: perductusque ad Præfecti tribunal, eo vsque scipionibus cæditur quoad inter verbera expirauit, cùm interea gratias Deo semper ageret. Vanamque esse Idolorum superstitionem prædicaret.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Donactis Anagnostæ.

320 DOnax in Illyrio Aulone natus, Ecclesiæ sanctæ lector, sacros Christiano populo libros explicabat; dum non coutemnenda agrestium, atque infidelium manus Illyrium populabunda miserabili supplicio Christianos enecabat. Donax igitur sumpto Ecclesiæ tabernaculo in munitionem procul Aulone passuum millia quinque mari imminentem confugit, sed agrestes dimissi per funes compellebant, ut Baccho optime de genere humano merito sacrificaret: illa contra non Bacchi simulachrum nullius sensus particeps, sed Christum & vinum, & omnia, quæ cæli ambitu continentur condidisse asserebat: Cuius verbis magis etiam irritati trucidatum in subiectum pelagus dedere præcipitem.

Decimosexto Cal. Februarij, Commemoratio S. Patris nostri Antonij Magni.

XVII.

321 ANtonius Magnus Ægyptius Ascetarum maximus, diuitibus natus parentibus, ad adolescentia repudiatis omnibus huius vitæ desiderijs solitariam agebat vitam; in qua plagis male multatus à Dæmonijs, adhibita prece curatus est. Neque vllum fuit Dæmonis stratagema, quod eius viri militis bello lacessiti scientiam fugeret. Cumque semper summo studio in ieiunia, & preces humi prostratus incumberet, nunquã tamen quicquam de pristina vi ac contentione remisit. Quare Deus strenuum bellatorem reddidit miraculorum magnitudine, & numero; tum rerum futurarum, Arianæque præcipuè hæreseos prædictione: ad hæc earum cogitationum, quæ in altis humanarum mentium recessibus, ac latebris insunt cognitione valde insignem. Floruit autem Constantino Magno, relictisque aliquot sui instituti discipulis, & successoribus, in quibus fuere Athanasius magnus, & magnus Hilarion. Mortuus est annos nonaginta quinque natus, atque in ignoto loco à duobus discipulis sepultus.

Eodem die, certamen Sanctorum trium Puerorum Speusippi, Elasippi, & Velesippi.

322 SPeusippus, Elasippus, & Velesippus tergemini Cappadoces, & optimi equorum domitores, & agitatores, cum aliquando instructa mensa Ioui sacrificarent, Neonillamque auiam Christianam ad conuiuiũ inuitassent, Christi fidem susceperunt, edocti ab ea, non Deos, sed ligneas & lapideas, & exanimia Dæmonum simulachra, quæ certum cultoribus suis exitium afferrẽt: statimque sublata mensa Idola contriuere. Quod vbi resciuere Palmatus, Hermogenes, & Quadratus, eorum domini, omnia prius frustra experti, vt tergeminos à pia mente, & consilio deducerent, in caminum coniectos combussere. Tussilla autem fœmina quædam secum puerum trahens, seque Christianam professa cum puero, & Neonilla tergeminorum auia, & Turbone notario, qui, quæ reliqua fuerant Idola, subuerterat, obtruncatur.

Deci-

Decimoquinto Cal. Februarij, Commemoratio Sanctorum Patrum nostrorum Athanasij, & Cyrilli.

XVIII.

323 ATHanasius, Constantino Magno Imperatore, Ecclesiæ Alexandrinæ Archidiaconus, ab Alexandro Archiepiscopo ad Concilium Nicænum missus, vehementissima animi atque ingenij contentione impij Arij audaciam contudit, & fregit. Quamobrem mortuo Alexandro in eius locũ suffectus, incredibile est, quanta propter orthodoxam fidem quadraginta duos annos, aut non multo secus pertulerit, qui sæpius insidijs, sæpius aperta vi oppugnatus, sæpius fugam capessere, & solum vertere coactus, tandem obdormiuit in Domino. Cyrillus verò Theodosio Iuniore Imperatore Theophili Patriarchæ Alexandrini patruelis, & successor profectus in Ephesinam Synodum, eorũ omnium qui ad conuellendam vanissimam Nestorij hæresim coiuerant Episcoporum, facile primas tulit, qui multis alijs rectè factis illustratus ad vitam migrauit æternam.

Eodem die, Commemoratio Sanctæ Eusebiæ cognomine Xenæ.

324 EVsebia cognomine Hospita Virgo Romana non minus forma, quam genere & opibus insignis, à nuptijs, quas apparato iam conuiuio adornarant, prorsus abhorrens, arrepta occultè fuga adiunctisque fugæ comitibus duabus ancillis, nauim conscēdit, qua Alexandriam delata angustã domum subijt, incerta quonam se reciperet: cum non sine diuino numine Paulus quidam vltro se illis in earum salute ducem præbuit, atque in patriam suam Mylassam nomine, Cariæ proximam adductas, in sacra Diui Stephani æde, quam ipse extruxerat, collocauit: ibi igitur traducta sanctissimè vita, multisque admirabilibus nobilitata factis è vita discessit.

Eodem die, certamen Sanctæ Martyris Theodulæ.

325 THeodula Diocletiano Imperatore, Martyr Anazarbi nata, Christianæ fidei nomine retenta à Præfecto Anazarbi, cum virgis grauissimè cæderetur ostẽtis atque portentis complures traxit ad Christum, in quorum numero fuit Commentarius & Helladius socius, quibus est caput à ceruice præcisum. At Theodulæ perfossa primum candentibus subulis mammæ, deinde sublimis per capillos de Cyperisso pendenti pedes aculeatis confixi surculis, concepto igne ambusti sunt. Præterea, deposita, & in fornacẽ iniecta cum multis alijs, supinis ad Cælum manibus diu orans, ac gratias agens spiritum Deo reddidit.

Decimoquarta Cal. Februar. certamen Sancti Theodoti Episcopi Cyrcenes in Cypro.

XIX.

326 THeodotus Licinio Imperatore in Cypro Episcopus delatus ad Sabinum Insulæ Præfectum quod Christum coleret, neruis durissimis mulctatus, deinde in eculeum raptus deplectitur: ad hæc super ferreo grabato subiecta flamma torretur, sed diuina seruatus voluntate inductis eius pedibus calceis ferreis, iisque clauis confixis currere compellitur: demum carceri inclusus tandiu in vinculis fuit, quoad, cessante Constantini Magni Romanorũ Imperatoris edicto persecutione solutus ad pastorale munus liberiùs obeundum deposito omni metu redijt: Post biennium autem compluribus ad Christi cultum traductis mortuus est, & honorificentissimo funere à discipulis suis elatus.

Eodem die, certamen Sanctæ Martyris Euphrasiæ.

327 EVphrasia Maximiano Imperatore Martyr Nicomediensis patria, & morum, & generis laude commendata Christianæ fidei causa comprehensa, cum nulla cruciatuum denuntiatione moueretur, vt Idolis immolaret traditur homini barbaro & agresti, quæ verita ne sibi vim inferret, huiuscemodi commento hominem ludificata est; Si me, inquiens, dimiseris, docebo te pharmacum, quod amuleti nomine, si tecum tuleris nullum prorsus teli genus iniuriam tibi vllã afferre poterit: cui ille; Qui mihi id probabis? Euphrasia extento statim collo, si me, inquit, gladio percusseris tu ipse in me facies huiusce rei periculum, qui adhibita illius verbis fide, districto statim gladio caput à ceruicibus abscidit.

Eodem die, Commemoratio Sanctorum Patrum nostrorum Macarij, Romani, & alterius Macarij Aegyptiaci.

328 MAcarius Maior Romanus à patre inuitus vxorem ducere coactus, ea studio salutis renunciata, fugæ se mandauit, in qua & tum, & postea semper, quacũque pergeret, Angelo duce vsus, vel in ipsum Paradisum ad passuum millia viginti penetrauit, ibique consedit, ad quem cum peruenissent etiam Monachi tres, Theophilus, Sergius, & Iginius, exposuit illis, quæcunque viderat admirabilia, & paradoxa: tandem decrepita ætate mortuus est: Macarius verò Iunior Alexandriæ Ægypti natus, indicto præsentis vitæ desiderijs bello, solitudinem captabat, Monachorumque sacris à sene quodam initiatus, in eo vitæ instituto, cum summa laude, & gloria, summaque omnium virtutum commendatione vehementissimè se exercuit, vt omnia Dei mandata diligenter executus, vel in dæmones ipsos, qui illius acië nunquã fugiebant, ius omne, potestatemque haberet, ex quibus, atque alijs magnis rebus, clarus, & nobilis cessit è vita.

Decimotertio Cal. Februarij, certamen Sanctorum Martyrum Valeriani, Candidi, Aquilæ.

XX.

329 QVo tempore Diocletiani crudelitas Christiano sanguine expleri non poterat, & Agricolaus Præfectus, & Lysias dux carnificinæ illius ministri in vrbe Sebastæ quadraginta Sanctos, Nicopoli vero quinque & quadraginta occiderant, delati ad Lysiam fuere aliquot Christiani, qui in montium latebris se se abdiderant: Hos igitur comprehensos, & grauissimè cæsos, tum sebo oblitos, & perfusos supposita flamma miserabiliter ambussit, id conspicatus Eugenius cum Præfecto Idolorum fanum ingressus, atque in lachrymas effusus impetrauit à Deo vt Idola sponte præcipiti casu, & ruina comminuerentur. Quod portentum complures ad Christum traduxit, ex quibus, Candido, Aquila, & Valeriano obtruncatis, Eugenius in eculeum actus in carcerẽ, varijs tormẽtisq; affectus, tum in ignem iniectus, atque ab omnibus miraculo seruatus capite multatus est.

Eodem die, certamen Sanctorum Martyrum Bassi, Eusebij, Eutychij, & Basilidis.

330 BAssus, Eusebius, Eutychius, & Basilides Diocletiano Imper. Martyres, Palatinę aulę facilè principes, vt qui dignitate, opibus, ac gloria cæteris præstarent, constantiam Theopempti Episcopi in perferendis fortiter pro Christi nomine cruciatibus admirati, fidem complexi sunt, solutisque militaribus balteis, & ante Diocletianum proiectis, se Christianos prædicarunt; Iubet itaque Imperator, vt si ex animo id dicerent, irent, & pecuniam suam omnem alijs diuiderent: exequuntur illi promptissimo animo Diocletiani mandatum, deinde se tribunali sistunt. Quorum Bassus in foueam demissus, terraq; ad summa pectoris obrutus, præcisisque quæ extabant manibus expirauit: Eusebius deinde sublimibus pendens pedibus, secum cæsus est. Eutychius manibus, ac pedibus ad quatuor palos alligatis in tres partes discerptus spiritum Deo reddidit: Basilides verò dissecto gladijs aluo vitam cum intestinis libenter pro Christo profudit.

Eodem die, certamen Sanctorum Martyrum Innæ, Rimæ, & Pinnæ.

331 INnas, Rimas, & Pinnas, Scythæ Septemtrionales, Andreæ Apostoli discipuli, cum in Christi nomine populares suos docendo complures ad rectam fidem cõuersos baptizarent, retenti sunt à barbarorum Rege, quos cum nullis artibus, nulla pœnarũ aut mortis comminatione à sancto proposito deterrere posset, tignis tribus medio fluminis alueo defixis astrinxit, tum cum brumali tempore horrent omnia, & rapidissimi aliqui fluuij magna hyemis vi gelu astricti subito cõsistunt, vt non hominibus solum, sed equis etiam, & curribus calcandos tuto, pulsandosque se se præbeant: Sancti igitur subsilientibus, quæ tigna repercutiebant, vndis, ijsque paulatim glacie concretis, & ad collum vsque succurrentibus, intolerabilis hyemis dolore consumpti sunt.

Eodem

Eodem die, Commemoratio Sancti Patris nostri Euthimii presbyteri, & vitæ solitariæ Magistri.

332 EVthimius Magnus, Gratiano Imperatore Melitenæ in Armenia, Paulo, & Dionysia oraculo natus est; Siquidem à Deo didicerat, fore vt cum primum in lucem prodijsset puer, vniuersus orbis lætitia exultaret, ob quam causam, & à lætitia Euthimij nomen illi inditum est: cùmque adolenisset in clericorum primum, deinde presbyterorum ordinem lectus, Monasterijs B præfuit: deinde Hierosolyma profectus ad honestissimum in speluncam Theodecti sancti otium se recepit, vbi acerrimè depugnans sanctissimæ vitæ splendore, summaque virtutis opinione Saracenos gregatim in Christi partes trahebat, & baptizabat. Cùm sacrificaret aliquando, visus est igneæ columnæ speciem induisse, quo atque alijs innumerabilibus prodigijs factis illustris nonagesimo septimo ætatis suæ anno valetudine adhuc prospera vegetoque corpore Leone Magno Imperatore migrauit ad Dominum.

Duodecimo Calend. Februarii, certamen Sancti Martyris Neophyti.

XXI.

333 NEophytus Diocletiano Imperatore Martyr, Niceæ in Bithynia Christianis parentibus Theodoro, & Florentia natus; iam inde à pueritia prodigiorum gregatim cæterorumque animos in sui admirationem conuertebat; cum condiscipulos oratione pasceret, & columbam humana secum voce colloquentem quocunque se verteret, comitem haberet. quam cum mater exterrita occidisset; Sanctus puer excitauit: Post hæc Christianæ fidei nomine delatus ad D Decium Præfectum, & de monte, vbi & tum, & antea frequentissimè orabat, deductus, verberibus crudelissime pulsatur, in furnum ardentem conijcitur, ad bestias damnatur, atque ab omnibus diuino numine liberatus gladio conciditur.

Eodem die, Commemoratio S. Zosimi Syracusani.

334 ZOsimus in Sanctorum numerum relatus in Sicilia Christianis parentibus non copiosis quidem illis, & diuitibus, sed mediocribus certè præditis opibus in villa A Monasterio Sanctæ Luciæ virginis proxima natus est; donoque Sanctæ Luciæ datus in eodem Monasterio altus & educatus est, atq; eiusdem Virginis preciosi sepulchri Prosmonarius factus. Qui, si quando parentes inuisebat, nullam illi moram faciendam putabant, quin statim post mutuam salutationem, ad Monasterij septa rediret, quod eum oportere ibi esse dicerent, vbi etiam ab ipsis dicatus erat. Triginta autem annos natus cùm Monasterij eiusdem præfectus renunciaretur, non multo post à Theodoro Papa Romano Syracusarum Episcopus creatus, officio suo populum sibi creditum de æterna vita, de iudicio, deque remuneratione assiduè docendo, diligenter gubernando: deinde B vita perfunctus est annos quinquaginta natus.

Vndecimo Cal. Februarii, certamen S. Apostoli Timothei Episcopi, Ephesini, & discipuli Apostoli Pauli.

XXII.

335 TImotheus Christi Apostolus Lystris patre gentili, matre Iudæa natus Pauli Apostoli discipulus prædicationisq; illius comes, ab eodem Apostolo Ephesi C Episcopus ante Ioannem Theologum declaratus est: Nam post Sanctæ Dei Genitricis obitum, venit Ioannes Ephesum: Timotheus igitur cum susceptam Ecclesiam recta fide imbuere, falsis autem opinionibus erroribusque turbulentis liberare toto animo satageret: vidit aliquando gentiles: dum diem festum Idolis suis agitarent, effrænata libidine raptos promiscue mares, & fœminas, abiecto omni pudore in concubitus ruere, & in fœda voluptate bacchari, cœpitque cum populo hortatione, monitis, & precibus agere, vt ab ea prauitate desisterent; sed tantum abfuit vt quicquam profecerit, vt irritati etiam magis scipionibus quos præ manibus habebāt eum in ipsa vrbis porta, vbi & sepultus est, D confecerint.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Vincentij Diaconi.

336 VIncentius, Maximiano Imperatore, & Diocletiano Præfecto, Martyr, Augustopoli natus, vna cum Valerio Episcopo Valentiani ad Domitianum ductus, custodiæ traditur; inde eductus virgis multatur, ferreis vngulis excarnificatur, rursusque sublime raptus facibus circa latera aduritur, & candentibus subulis perfoditur: fatiscentibus autem carnificibus, & vel ipsis tormentis defessis, Martyr Dei voluntare saluus, & planè inte-

integer, ac recens in medio consistens maiores pugnas deposcere, valentioresque prouocare videbatur, cum Domitianus mutato consilio cœpit pollicitationibus, atque omnibus artibus capere, ac delinire Martyris animum: cuius blasphemias iniquissimo ille ferens animo precatus est Dominum, statimque expirauit, atque in eodem loco sepultus est.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Anastasij Persæ.

337 ANastasius Persa Imperante Romania Heraclio, Persis autem Cosroa Mago, Magus etiam ipse, & in tyronum numerum adscriptus: cum Persæ excursione facta in sancta loca, asportatoque vna cum reliqua præda pretioso Dominicæ Crucis ligno, vulgo canerent, venisse in eorum potestatem Christianorum Deum: (existimabant autem pretiosam crucem Deum, propter ea, quæ per illam fiebant prodigia) commotus hisce vocibus pro magno habuit negotio de ea tota statim quærere, & percontari. Ita Christi fide imbutus, primum cum Persis Chalcedonem venit, ibique plenius edoctus; renunciata militia, & mundo, Hierapolim, deinde Hierosolymam concessit: baptizatusque in Monasterio Sancti Sabæ Monachus facta est: aliquanto post desiderio perferendi martyrij flagrans, in patriam reuersus est multisque affectus tormentis, præciso à carnificibus capite pro Christo occubuit.

Eodem die, Recuperatio reliquiarum eiusdem Anastasij Persæ.

338 CVm Heraclius vigesimo sui Imperij anno infestis signis aduersus Cosroam Persarũ Regem inferretur, Monachus quidã ex Anastasij Monasterio amicũ agmen, & dum in hostem tenderet, & cum re feliciter gesta pretiosum crucis lignum referret securus, retulit & ipse ad Monasterij Præfectum Anastasij colobium, exposuitque Dæmone oppressos in Perside, iniecto humeris Sancti colobio liberatos fuisse: Episcopus verò quidã à Catholico Archiepiscopo missus martyris reliquias Cæsaream detulit, relictaq; ibi particula, reliquum apud se habuit. Excepto capite, quod Romæ vna cum eius simulachro à fidelibus colitur.

Eodem die, certamen Sanctorum Manuelis, Georgij, Leonis, & sociorum ab impijs Bulgaris imperante Leone Armenio.

339 LEone Armenio Imperatore, Crumus Bulgarorum princeps expugnata Adrianopoli in Thracia Manuelem sanctissimum vrbis Episcopum præcisis manibus dissectumque gladio medium bestijs cõficiendum obiecit. Quare excæcatus à Deo cum summa flagraret inuidia, funibus ab vniuerso populo strangulatus est: cuius successor Tzocus impijssimus Christianos omnes, Presbyteros, Diaconos, Laicos; (nondum enim Christi fide imbuti erant Bulgari) in vnum coactos, alios alijs affectos tormentis omnes miserabiliter interfecit.

Decimo Cal. Februarij, certamen Sancti Clementis Ancyræ in Galatia Episcopi.

XXIII.

340 CLemens Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus Martyr, Ancyræ Galatiæ, patre gentili, matre Christiana nomine Euphrosyna natus, quæ etiam filium prædixit fore martyrem, & post illius mortem à Sophia fœmina opulenta altus, Monachorũ primum sacris initiatus est: deinde post Diaconatus, & Presbyteratus dignitatem declaratus Episcopus annos viginti natus, cum pueros infidelium baptizaret Ancyræ à Domitiano Vicario, Romæ à Diocletiano, Nicomediæ à Maximiano, & Agrippino: rursusque Ancyræ, Amisi, & Tharsi tortus est: tandem Ancyram reductus, & carceri inclusus, cum in eo loco sacris operaretur, ab Alexandro Præfecto vna cum Christophoro & Christone Diaconis, martyrij coronam abscisso capite adeptus est.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Agathangeli, & sociorum virorum, mulierum, & puerorum.

341. CVm Clemens Romæ in custodia cum multis alijs esset, Agathangelus vidit Angelum Dei adire martyrem, &

delato

delato pane, ac vino discedere: ea re commotus fidem cum alijs compluribus complexus est: quibus omnibus capite damnatis, ipse etsi fugere potuisset, tamen cum cognouisset Clementem naui Nicomediam delatum iri, anteuertit, conscendensque nauim, sanctum præstolabatur; cuius aspectu Clemēs perinde, ac Angelico magnopere lætatus est. Agathangelus igitur Nicomediam, deinde Ancyram Clementem prosecutus, ibi à Lucio cum pueris, viris, & mulieribus, qui secum erant, & Clemente damnatus capitis mortem oppetijt.

Nono Calen. Februarij, certamen Sanctorum Martyrum Pauli, Pausinii, & Theodotionis.

XXIV.

342 PAulus, Pausinius, & Theodotion fratres, Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, & Ariano Præfecto martyres, Cleopatri denati sunt; qui repudiato mundo monasticam complexi sunt vitam: Postea à Præfecto vincti Paulus, & Pausinius, quorum ille trigesimum septimum: hic vero quintum, & vigesimum agebat annum, grauissimè torquebantur: cum Theodotion qui spreto Monachorum instituto, vitam latrocinio iam antea addixerat, desiderio fratrum quos in vinculis esse audierat, venit in vrbem, & perterritus tormentorum acerbitate, non ausus est propius accedere, & congredi: sed procul in tumulo consistens, spectabat magnam fratrum in superanda vi patientiam: mutatus repente, atque apud se proposita fratribus præmia diligentius reputans, in medium accurrit, se ipsumque Christianum professus Præfectum de tribunali detraxit: Quāobrem in vestigio obtruncatus est, fratribus in profluente demersis.

Octauo Cal. Februarij, Commemoratio Sancti Patris nostri Gregorii Theologi.

XXV.

343 GRegorius Theologus Magnus in Cappadocia Nazianzæ Gregorio, & Nanna oraculo natus, floruit, Constantio Constantini Magni filio Imperatore, (vixitque ad Theodosij maioris tempora: hic summo disciplinarum omnium scientiæ cōprehendendæ desiderio flagrans Cæsaream primum, deinde Alexandriā, postremo Athenas concessit: cui toto animo constitutum iter contendenti magnus stimulus accessit

A Basilij Magni concertationis, quo factum est, vt dum alter alterum vincere, & superare gloriosè contenderet, vterque ad exitum sibi propositum peruenerit, atque omnibus artibus, & disciplinis oppido instructus in patriam suam redierit. Quare Sasimorum Episcopus Gregorius factus est. Deinde Nazianzi ingrauescētis iam senectute patris munus, tum docendi, tum sacra faciendi studiose subijt, & confecit. Post hæc Bizantium profectus orthodoxorum animos in recta aduersus Arianam hæresim fide confirmauit, atque etiam eiusdem vrbis Patriarcha renunciatus est, sed non multo post, allata consilij sui causa, se Patriarchatu abdicauit, atque in villam suam se recipiens honestissimo otio
B vitam exegit.

Septimo Cal. Februarij, Commemoratio Magni terræ motus.

XXVI.

344 EXtremo Theodosij Iunioris Arcadij, & Eudoxiæ filij imperio, septimo Calendas Februarij Constantinopoli horribilis, qualis numquā post vrbem conditam terræmotus factus est: nam & mœnia, maximaque vrbis pars, & complures aliæ in Thracia, Macedonia, & Bithynia vrbes perpetuo trium mensium terræ motu conquassatæ, & conuulsæ miserabili ruina conciderunt:
C Cuius rei causa Theodosius decreta publicè Deo immortali supplicatione, ipse cum Patriarcha, vniuersoque Clero, & populo nudis incedens pedibus, & vim lachrymarum profundens, hisce à Deo verbis pacem, & veniam precabatur. Remitte, quæso, iram tuam iustam Domine, & delictorum nostrorum pœnam, pœnitentiæ condona, commouisti terram, & conturbasti eam propter scelera nostra, inijce animis nostris tui timorem, vt debitum tibi vni bono, hominumque amantissimo Deo laudem tribuamus. Ex eo tempore terræ motus huius memoriam celebramus.
D

Eodem die, Commemoratio Sancti Xenophontis, & coniugis eius, & filiorum Arcadij, & Ioannis.

345 XEnophon in Sanctorum numero habitus, vir Senatorij ordinis Cōstantinopoli, excellentique in Deum pietate, in pauperes benignitate, in omnes iustitia, omnibus denique suis numeris, & partibus absolutus duos suscepit liberos, quos bonis mori-

moribus & timore Domini imbutos Berytū miſit, vrbe, celeberrimo tum temporis omniū artium gymnaſio ius ciuile diſcerent, atque in vrbe Bibliothecarum, librorumque refertiſſima: Verum illos nauigantes mare, fracta naui, eiecit in oram Syriæ. Pater verò vbi cognouiſſet ex ſeruo feciſſe adoleſcentes naufragium, cœpit cum vxore omnes terras obire, vt filios inueniret, quos cum Hieroſolymis inuenissent Monaſticam profiteri vitam, ſumptis Monachorum inſtitutis, ita ſe in ea viuendi ratione excoluere, vt miraculorum gratia dignati à Deo, actaque ſanctiſſimè vita migrarint vna cum filijs ad Dominum.

Sexto Cal. Februarij, Certamen Sanctorum Martyrum Ananiæ Preſbyteri, Petri cuſtodis carceris, & ſeptem militum.

XXVII.

346 ANanias, Diocletiano Imperatore, vltro Maximum Præfectum adiuit, ſeque Chriſtianum prædicans, cum multa verborum contumelia in Idola inuectus eſt. Quamobrem vinctus ſcipionibus contunditur, & circa lumbos candentibus ſubulis perfoditur, ſale & aceto, & cilicino panno perfricatur, & attereturi ſed eius precibus Idolis ſimul cum templo côcidentibus, carceri includitur, vt ibi inedia vitam finiret; quem cum à Domino cæleſti cibo ſeptem diebus aliviſſet carceris cuſtos Petrus, abijciens ſe ad ſancti pedes baptizatus eſt, ſed à Maximino, qui Maximo ſucceſſerat, rotæ vterque alligatus, in craticula ſubiecto igne collocatur. Verum cum deſtitutus repente miraculo propria vi ignis refrixiſſet, ſeptem milites, à quibus torquebantur, ſtupore defixos conuertit ad fidem. Igitur omnes in mare proiecti ſunt.

Eodem die, Recuperatio Reliquiarum Sancti Patris noſtri Ioannis Chryſoſtomi.

347 IOannes Chryſoſt. in exilium actus Cômanam Armeniæ conceſſit: vbi ſunt S. Baſiliſci reliquiæ, à quo in quiete audiuit; Ne timeas frater Ioannes: cras enim ſimul erimus; cum iam ante eadem ratione Profmonario Baſiliſcus imperaſſet, vt locum aduentanti magno Martyri Ioanni præpararet: Igitur Ioannes ſacris cum ſtola alba operatus, in ijs verbis, quæ ſemper habebat in ore: *Gloria Deo omnium*, expirauit, ſepultuſque eſt prope Sancti Baſiliſci tumulum. Trigeſimo autem poſt anno, authore Proclô Patriarcha Theodoſius miſit, qui Ioannis reliquias Conſtantinopolim deferrent, ſed cū ſepulchrum nulla aut ratione, aut vi reſerari poſſet, mœrore affectus Imperator dedit litteras ad Sanctum precum pleniſſimas, quibus ad tumulum recitatis, aperto ſtatim ſepulchro pretioſæ eius reliquiæ Conſtantinopolim deportatæ in SS. Apoſtolorum æde collocatæ ſunt.

Quinto Cal. Februarij, commemoratio Sancti Patris noſtri Ephraimi Syri.

XXVIII.

348 EPhrainus Edeſſæ in Syria, Conſtantino Magno Imperatore Chriſtianis patentibus natus vixit ad Valentis tempora: ex cuius infantis ore videre aliquando in ſomnis parentes prodire vitem, quæ quaqua verſus diffuſa, & ramos ſuos ad extremam terram protendens, terram ipſam implere videbatur, de cuius fructu alerentur volucres, intellexereque eam in ſomnij figuram vberrimam rerum omnium cognitionem, quæ in filio futura eſſet portendere. Nec defuit coniecturæ euentus: Etenim omnibus virtutum expletus numeris magno fuit Chriſtianæ Reipublicæ vſui, & commodo, atque vt magis etiam mortalibus prodeſſe poſſet, cum Cæſaream veniſſet à Baſilio Magno creatus presbyter repente linguâ Græcam, cuius erat, vt homo media Syria natus, prorſus rudis, & expers, callere cœpit, qui poſtea cum præclarè multa ſcribendo, docendo, & faciendo optime de Republica meritus eſſet, extrema ſenectute ex hominum vita migrauit.

Quarto Cal. Februarij, Recuperatio Reliquiarum Sancti Sacromartyris Ignatij, Patriarchæ Antiocheni.

XXIX.

349 IGnatius vir diuinus à Traiano Imperatore Antiochia Romam ad Martyrium miſſus cum beſtijs in Theatro depugnauit, à leone, ſenatu inſpectante, præfocatus: dedit autem Dominus genus id mortis Sancti votis, quippe qui dicere ſoleret, tantum abeſt, vt beſtiarum timore à Chriſti fide diſcedam, vt etiam optem màximè beſtiarum dentibus moli, quo hac ratione purior Chriſto Deo meo panis conficiar. Eius igitur à leo-

à leonibus confecti reliquias Christiani honestissima pompa elatas Roma Antiochiam deportarunt: prodeunte obuiam vniuerso populo cum cereis, facibus, & thure, psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, & magnificentissimo sepulchro condidere, vt tota ciuitas illius tutela, & præsidio gauderet.

Eodem die, certamen Sanctorum Martyrum Sarbeli Sacerdotis, & Babæa sororis.

350 Sarbelus Edessenus, Traiano Imperatore Martyr, cùm esset Idolorum Sacerdos, & de more festis Dæmonum diebus sacra conficeret, obiurgatus à Barsimæo vrbis Episcopo, & probri accusatus, quod multorum esset author perditionis, & interitus, adiutrice Dei gratia, adhibita verbis illius fide, Christiana religione imbuitur, & ab eodem Episcopo baptizatur, vna cum sorore Babæa: Quod cùm rescivisset Lysias; arreptum Sarbelum virgis cędi, scalpro laniari, faciem eius radi, igni torreri, duobusque lignis inclusum secari: demum capite vna cum sorore prius acerbissimè torta mulctari imperauit.

Eodem die, certamen Sancti, Sacromartyris Hippolyti Papæ, & Sociorum.

351 Sacer Hippolyti Sacro-martyris cœtus Martyrium Claudio Imperatore, & prefectum agente Vicario pertulit, cùm Censorinus militum Magister, & Imperatori charus, Christum coleret, Christianosque ab iniurijs vindicaret, grauiter, & acerbè accusatus in carcerem truditur, vbi prodigijs, & signis, præcipuè autem mortuo ab interitu vindicato, milites omnes, vt Christi partium essent effecit: Quam rem indignissimè ferens Tyrannus, omnes capite damnauit, in quibus fuit Chrysabeata, & eius seruus Sabinus: Commotus tanta Christianorum cæde Hippolytus Papa, & diuino incensus zelo coràm Tyrannum grauiùs accusauit, qui impotenti ira correptus, Papam, eiusque comitatum, Presbyteros, Diaconos, & Episcopum, acerbissimè prius tortos, alligatis ad manus, pedesque grauissimis saxis in mare proijciendos curauit.

A

Tertio Cal. Februarij, certamen Sancti Martyris Barsimæi Episcopi, eius qui Sarbelum baptizauit.

XXX.

352 Barsimæus sacro-Martyr, de quo paulo superius mentio facta est: Edessenæ Ecclesiæ Episcopus, pastoralis officij munus diligenter obibat, docendo infideles, eosque ad Christi fidem traductos baptizando in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, inter cæteros Idolorum Sacerdotem Sarbelum graui accusatione insectatũ, quod vnus vniuersum populũ peruerteret, & perderet, conuertit, & baptizauit, qui & Martyrio simul cum sorore paulo post defunctus est, Quas ob res retentus à Lysia grauissimè vapulauit, sed cessante paucis diebus persecutione dimissus è carcere nihil ab instituto iam dudum proposito discedens, sed se omnĩ virtutum genere excolens ex hac ad æternam vitam migrauit.

B

Eodem die, certamen Sancti Theophili Iunioris.

C

353 Theophilus Constantinopolitanus Ordinis Senatorij, à Constantino, & Irene Orthodoxis Imperatoribus declaratus cum tribus alijs Dux aduersus Cineræ. ctas, vbi primum Saracenorum classis in conspectu fuit, instruxit se statim ad pugnam, & dubitantibus socijs prælium inire, ipse cum suo dromone, facto in hostilem classem impetu fortissimè pugnabat, cum cæteri Duces gloriæ eius inuidentes, arrepta fuga, solum reliquere: Circumuentum itaque Saraceni capiunt, & parta victoria domum reuersi carceri includunt: Vnde quarto post anno eductus sollicitatusque frustra, vt desertor Christianæ religionis Idolorum cultui se se addiceret, capite multatus occubuit.

D

Pridie Cal. Februarij; Certamen Sanctorum Martyrum Cyri, & Ioannis.

XXXI.

354 Cyrus Alexandrinus Diocletiano Imperatore Martyr, & Medicus, cum operam suam nulla mercede poneret, eodem etiam tempore simul Christi fidem docebat, quo nomine delatus est ad Præfectum, timore perculsus, profugit in Arabiam, atque in loco mari proximo consedit, Monachi vitam complexus: Ioannes autem cum Hierosolymis

soly mis esset, audissetque Cyrum in magna esse apud omnes laude, ob ea quæ faciebat signa, & prodigia, abijt, & vitæ rationes omnes cum eo iunxit: cùm vero Christiana quędam Athanasia nomine, eiusque filiæ tres, Theodote, Theoctiste, & Eudoxia comprehensæ à Præfecto torquendę essent, veriti ne illę, vt fœminę, animũ desponderent in tormẽtis, accedunt, hortantur, & confirmant. Tulit iniquissimè eam rem præfectus, & grauissimis affectos tormentis obtruncari iussit.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Triphanæ.

355 TRyphęne Martyr Anastasio patricio, sed gentili, & Socratia Christiana Cyzici nata cũ sacer Dęmoni dies celebraretur, zelo Christianæ fidei, cuius erat studiosissima, commota, & in medium procurrens, sacra execranda conspurcare, & eorum spectatores reprehendere cœpit, docereque renunciandum esse Idolis, transeundumque in Christi partes, & suscipiendum baptismũ. Eam ob causam Cæsarij Præfecti iussu in caminum inijcitur, sed diuinitus seruata in eculeum rapitur, defixis humi acutissimis clauis, solutaque repente, & super clauos prolapsa miserabiliter confoditur. Deinde cum immissæ in Martyrem variæ bestiæ non auderent propius accedere, taurus demum adactis in præcordia cornibus statim interemit.

FEBRVARIVS.

Calendis Februarij, certamen Sancti Martyris Thryphonis.

I.

356 THryphon in Phrygia, Gordiano Imperatore, natus, à pueritia anseres pascebat, qui etsi tam vili defungeretur munere, tamen quia mandata Domini exequebatur, promeruit vt nullum esset morborum genus, quod non confestim depelleret, & curaret. Nam, & Imperatoris filiam à Dæmone oppressam liberauit, ipsumque Dæmonem in specie, & figura nigerrimi canis ostẽsum compulit, vt ipse de se, deque suis præstigijs, dolis, & impotissimis factis dissereret. Quæ res multos ad Christi fidem traduxit: Post hęc Decio Imperatore vinctus ab Aquilino Præfecto Nicęã perducitur, vbi ad equos indomitos alligatus per inuia hybetno tempore raptatus, deinde super acutos clauos volutatus, post hæc facibus circa latera ambustus, postremo capite multatus occubuit.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Victorini, & sociorum sex.

357 VIctorinus, Victor, Nicephorus, Claudius, Diodorus, Serapion, & Papias Corinthij retenti à Tertio Consule variè torti sunt: Victorinus enim eruto oculo dextro, abscissisque manibus, ac pedibus, in pila contusus marmorea consumptus est: Victor verò præcisa lingua, alligatusque ad quatuor palos, eadem ratione in pila contritus discessit è vita: at Nicephorus tandiu calcatus, & pressus, donec sanguis è naribus erũperet: deinde per capillos suspensus, tandem in eodem mortario pilo pinsitur, quoad animam efflaret: Porro Claudius mutilatis manibus, ac pedibus, ac in ignem coniectus expirauit: sed Diodorus igni tortus, animam Deo purissimam reddidit: Verum Serapion sublimibus pendens pedibus capite multatur: Postremo Papias amputatis pedibus, ac manibus saxoque alligatus in mari demergitur.

B

Eodem die, commemoratio Sancti Patris nostri Vendemiani Discipuli Sancti Auxentij.

C

358 VEndimianus Auxentij patris nostri Discipulus, eius qui in monte Calcedoni proximo Oxia nomine solitariam agebat vitam, sedulum Sancto se ministrum semper præbuit, factusque sacelli præceptoris hæres, atque vestigijs insistens, non solum facta illius assequi, sed etiam superare contendebat: Quare prope Sancti Monasterium inter montium duorum angustias, obstructo vtrimque aditu cellulam sibi extruxit, atque in ea annos duos & quadraginta inclusus omnia sua studia ad excolendam virtutem contulit, sexcentis lacessitus Dęmonum infestationibus: quibus rebus consecutus est à Deo, vt quoscunque, vel corporis, vel animi morbos sanaret: Cumque mortis suæ præscius historico cuidam, quam litteris commendaret, Auxentij vitam enarrasset, submissis poplitibus obdormiuit in Domino.

D

A

Quarto Non. Februarij, Commemoratio Occursus Symeonis Senis excipientis Dominum nostrum Iesum Christum.

II.

359 Dominus noster Iesus Christus œconomiæ secundum carnem, quam reuera assumpserat fidem facturus, vt cætera omnia, quæ lege sancita erant, præstitit, ita illud Iudæorum institutum seruare voluit, quorum moris fuit, vt quadragesimo à puerperio die, marem, cui bene precaretur Sacerdos, & par turturum, aut duos pullos columbarum Domino sisterent: More igitur, & instituto gentilitio agens Dominus noster Iesus Christus à Maria matre Deique genitrice, & Iosepho opinione tantum patre, delatus in Templum exceptus est à Symeone iusto, qui hisce Deo verbis gratias egit: *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace:* Anna etiā Prophetis, quæ tam sancto cœtui intererat, dato Christo Seruatori testimonio, Deo laudem tribuit, qui populum suum respexisset: Huius igitur congressus memoriæ hic dies festus dicatus est.

B

Tertio Nonas Februarij Sancti, & iusti Symeonis qui in vlnas suas Dominum suscepit, & Annæ Prophetidis commemoratio.

III.

361 Symeon insigni iustitia, & pietate senex seipsum ab omni peccati labe auocans, cum à Templo nusquā discederet, sed assiduis Deum precibus fatigaret, vt mundum miseratus tandem aliquando mortales à Dæmonis potestate vindicaret, audiuit ab Angelo se non prius ex hominum vita migraturum, quàm videret Christum Domini, eum qui Vniuerso Orbi esset allaturus salutem: Eodemque etiam Anna prophetis oraculo donata est à Deo: Cum igitur quadragesimo ab ortu die detulissent parentes puerum Iesum in templum, ad legis præscriptionem: Symeon venis complexus dixit: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum*; Cumque & de Christi morte, de Cruce, deque Dei genitrice, quæ Filiū cruci affixum visura esset, prophetasset Anna verò gratias egisset Deo, vterque fatalem viuendi summam expleuit.

C

Eodem die, certamen Sanctorum Perpetuæ, Satyri, Reuocati, Saturnini, Secundi, & Felicitatis.

360 Perpetua Afra Christi Martyr Christianæ religionis nomine delata ad Prouinciæ Præfectum, comprehensa est, & cū alijs compluribus sanctis, in quibus Perpetuę infans adhuc lactens fuit, & nomine Dinocratis. Igitur post multos cruciatus custodiæ traditur, vbi Perpetua visa sibi est in quiete videre scalas Cælo hærere, in quarum extremitatibus ab imo ad summum infixæ essent omnes tormentorum species, ad cuius calcē portentosæ magnitudinis draco conaretur ascendentes detrahere, & præcipites dare: Satyrum autem, qui iam in tutum euaserat, conuersum hisce verbis compellare: En hic te Mater Perpetua expecto: Frater verò altero carcere inclusus vidit in somnis Satyrum ex quadam pelui portasse aquam: ex quo visu mortuum esse intellexit. Mane Perpetua, & Felicitas, ceteris iugulatis ab agrestibus iuuēcis cornu transuerberatæ mortem oppetiere.

Eodem die, certamen Sanctorum Martyrum Adriani, & Euboli, Cæsareæ Martyrum.

362 Adrianus, & Eubolus Christi Martyres in Vanea nati Christianæ pietatis tuendæ studio profecti Cæsaream Christianis in vinculis, vel quęstioni acceptis præsto esse, consolari, hortari, animum addere; gentilibus autem verbum Christi disseminare, complures baptizare non desinebant, quo factum est, vt facilè cogniti, & comprehensi Firmiliano Præfecto traderentur, qui verberibus malè affectos Martyres & facibus circa latera exustos ad Leones damnauit sed cùm tantum abessent Leones ab inferenda sanctis iniuria, & flexis etiam poplitibus pedes eorum lamberent, vehementi incitatus ira Præfectus martyres capite multauit.

D

Pridie

Pridie Nonas Februarij, certamen Sanctorum Martyrum Papiæ, Diodori, & Claudiani.

IV.

363 PApias, Diodorus, & Claudianus colendi Martyres, Decio Imperatore, Attaliæ in Pamphilia nati, & Pastores, fidem Christi passim promulgando, complures ad Christum conuertebant, quo nomine delati ad Publium Pamphiliæ Præfectum, & interrogati, magna libertate Christi nomen confessi sunt, arguebantque nullum præter eum esse Deum, quippe qui Cælum, terram, mare, & quæ in eis sunt condidisset, commotus tam libera voce Præfectus ad crudelem vim animum conuertit, & cum eos in proposito perseuerantes omni excruciasset supplicio, caput à ceruicibus abscidit, quorum corpora à fidelibus honestissimè sepulta sunt.

Eodem die, commemoratio Sancti Patris nostri Isidori Pelusiotæ.

364 ISidorus Pelusij in Ægypto pijs parentibus, & Theophili, Cyrillique Alexandrinæ Ecclesiæ Episcoporum, perneccessarius, domesticis, externisque disciplinis, & artibus apprime eruditus est, sed misso diuinæ pietatis studio, parentibus, diuitijs, & gloriæ nuncio in montem non procul à Pelusio secessit, vbi monachorum sacris initiatus omnem suam operam nunc precibus, nunc sacrorum librorum commentationi, nunc scribendis per vniuersum orbem epistolis, nunc omnibus sacris libris exponendis dedit: Quare cum non priuatis solum, sed præfectis etiam, & Episcopis, & Imperatoribus, epistolis suis, quarum decies millenas conscripsit, mirum in modum profuisset, acta sanctissimè vita quieuit in Domino.

Eodem die, certamen Sancti Sacro-Martyris Abramij Persæ.

365 ABramius in Perside Episcopus Sabotio Persarum potius tyranno, quam rege, cum Igni, & Sole gentilitijs Persarum numinibus, spretis, diuinum Christo cultum exhiberet, catenis ferreis constrictus à Magorum principe compellebatur, abiurato Christo rem diuinam vanissimis illorum dijs facere: sed cum de pia sententia deduci nulla pœnarum comminatione posset, sexcentis multatur supplicijs, ad quæ diuinam his verbis opem implorabat: Domine Iesu Christe Deus: præsto sis mihi peccatori seruo tuo, quia in te credidit anima mea; deinde in carcerem trusus, atque etiam non multo post eductus, tortusque inter gratiarum actiones capite mutilatus est.

Nonis Februarij, certamen Sanctæ Martyris Agathæ.

V.

366 AGatha Panormi in Sicilia nata, virgo diuitijs, forma, pietate in Deum illustris, Decio impio Imperatore, Christianæ fidei causa retenta Siciliæ Præfecto sistitur, atque ab eo Aphrodisiæ cuidam traditur, vt si fieri posset, delinitum illecebris animum Virginis à Christiana pietate ad Idolorum superstitionem traheret: sed cum se operam ludere renunciasset in expugnando virginis animo, quæ vel vitam ipsam pro Christi nomine libentissimè profunderet; Præfectus verberibus mulctatæ mamillam abscindi imperauit: Deinde in carcerem includi, qua deinde restituta noctu à Petro Apostolo mamilla, è custodia educitur, & raptata per acutissima testularũ fragmenta, & admotis candentibus laminis torta: atque ab his omnibus Christi virtute seruata, iterum in vincula conijcitur, in quibus inter preces, & gratiarum actiones extremum effudit spiritum.

Octauo Idus Februarij, certamen Sancti Martyris Iuliani Emisseni.

VI.

367 IVlianus Emissenus ab adolescentia medicus, arrepta per speciẽ adhibẽdæ corporibus medicinæ occasione, illud in primis spectabat, vt fidẽ Christi docẽdo, & baptizando animabus medicinam faceret: cum verò Siluanus Episcopus, Lucas Diaconus, Mocius Anagnostes, Numeriano Imperatore, vincti è carcere in theatrum conficiendi à bestijs educerẽtur, cohibere se non potuit Iulianus quin pro Christianæ pietatis zelo accurrens sanctos oscularetur, & supplex esset, vt fortiter agerent: Quare comprehensus clauisque capite, manibus, & pedibus confixis in spelunca quadam expirauit.

Eodem die, certamen Sanctæ Martyris Faustæ, Eulasij, & Maximi sociorum.

368 FAusta Cyzicena Maximiano Imperatore Martyr, mortuis parentibus

pijs,& locupletibus, spretis in amplissima domo atque omnium rerum affluente, florentissima ætate virgo, voluptatibus renuncians, pudicitiam inedia, vigilijs, profusa in pauperes liberalitate, assidua Sacrorum librorum lectione, colebat,& tuebatur: Quarum rerum fama cùm ad Imperatoris aures peruenisset, misit illi Eulasium Prætorem, qui virgini persuaderet Idolis immolare: tantum vero abfuit, vt quicquam dicendo efficeret, vt ipse etiam miraculorum magnitudine, quæ à Virgine edebantur, commotus in Christum crediderit: Mittitur secundo Maximus Proprætor, vt vtrumque torqueret, qui mandata diligenter prosecutus in feruentem lebetem æneum Faustam, & Eulasium iniecit, sed admiratus nullum Martyres accipere incommodum, suscepta & ipse Christi fide, vltro seipsum in lebetem demisit, omnesq; per hunc modum consumpti sunt.

Eodem die, certamen Sanctorum Siluani Episcopi, Lucæ Diaconi, & Mocij Anagnostæ.

369 SIluanus Episcopus, Lucas Diaconus, & Mocius Anagnostes, Emiseni, Numeriano Imperatore, cum Deum, & Christum filium Dei, & Deum confiterentur, & prædicarent, vincti ab infidelibus, ad Prætorem tum temporis Tyri diuersantem perducuntur, quos prætor acerbissimè mulctatos feris dilaniandos obiecit: Cum autem in Theatrum ad supplicium raperentur, percurrit in medium Iulianus, sauciosque à quibus baptizatus ante fuerat, vt æquissimo animo Martyrium obirent precabatur, solutæ itaque feræ maximas Deo gratias agentes conscecere.

Eodem die, Commemoratio Sancti Patris nostri Bucoli Episcopi Smyrnæi, discipuli Ioannis Theologi.

370 BVcolus ad Sanctorum numerum adscriptus ab ineunte ætate omnē suam cogitationem ad pietatem in Deum excolendam conferebat: cuius sanctum studium vbi cognouisset Ioannes Theologus, accersitum habuit aliquandiu rerum diuinarū discipulum Post aliquanto eius virtute insulis, magnisque rebus spiritualibus cognita, & spectata, Smyrnæ Episcopum declarauit, qui munus suum accuratè Spiritu Sancto duce obeundo, infinitam infidelium multitudinem ab errore ad veritatem traductam baptizauit: Cumque nihil eorum prætermitteret, quæ ad constituendam disciplinam pertinebant, prophetico munere dignatus à Deo futura prædicebat: Quare Polycarpum, & successorem sibi fore prænunciauit, & adhuc in humanis agens Episcopum, Pastoremque renunciauit: Mortuus verò, & sepultus miraculo ligni, quod tumulo defixum rediuiuum in arborem excreuerat, & sanctitatem efferebat illustratus est.

Septimo Idus Februarij, certamen Sanctorum trium millium in Nicomedia Martyrum.

VII.

371 TRia seruorum millia cum dominos suos, eosque principes viros, qui Diocletiani Imperatoris iussu Petrum Alexandriæ Archiepiscopum capite damnarunt, conuersos ad fidem pro Christi nomine occubuisse vidissent, eorum fortunam æmulati, adiunctisque sibi pueris, & vxoribus, & propinquis omnibus veniunt in Diocletiani conspectum, claraque voce Christianos se esse testati fuerunt, quos omnibus artibus frustra tentatos, vt de sententia deduceret, iussit omnes à militibus occidi.

Eodem die, commemoratio Sancti Parthenij Episcopi Lampsareni.

372 PArthenius in Sanctorum numero habitus Constantino Magno Imperatore claruit. Is Christophoro Militensis Ecclesiæ Diacono natus litterarum quidem expers, & ignarus, sed summa tamen pietate,& virtute præditus piscatoriam agebat vitam, capturamque mendicis diuidebat: cuius sanctitate dedit Deus, vt Dæmones fugaret, morbos depelleret: Cumque postea litteras etiam didicisset presbyter à Philippo Melitenti Episcopo, deinde ab Acholio Cyziceno Metropolitano Episcopus creatur: Qui tandem restituto cuidam, quem taurus cornu effoderat, oculo, sanatoque alterius cancro, atque alio, qui à plaustro proculcatus fuerat, ad vitam reuocato, & prophetico etiam illustratus spiritu in pace quieuit.

Sexto Idus Februarij, commemoratio Sancti, & Illustris Prophetæ Zachariæ vnius ex sexdecim Prophetis.

VIII.

373 ZAcharias Propheta, in Iudæa natus in terra Chaldæorum, iam prouecta ætate, multis signis, ac prodigijs, fidem rebus quas prophetabat faciendo, prædixit Iosedecho quod filium, qui in Hierusalem Sacerdo-

cerdotio fungeretur suscepturus esset, Sala- A
thiel verò benedixit in filio, cui futurum es-
set Zorobabelis nomen: at Cyro signo per-
suasit, fore vt victoriam de hoste referret, nec-
non & de se ipso, quod in Hierusalē esset rem
diuinam facturus: denique de infidelitatis,
prophetiæ, Sacerdotij Iudaici exitu, Templi-
que demolitione, Idololatriæ interitu, æterno
Christi regno prænunciauit: Mortuus est, &
sepultus prope Aggæum Prophetam.

Eodem die, certamen Sancti Magni Martyris, Theodori Euchanitæ Ducis *exercitus*.

374 THeodorus Dux exercitus, Licinio B
Imperatore, domicilium certum,
sedemque stabilem in Euchania habebat, sed
tamen Heracleæ in Ponto diuersabatur, elo-
quentia, forma, & prudentia, fortitudine,
que omnia in eo preclara erant magnam no-
minis celebritatem assecutus: Eius ergo vi-
dendi desiderio flagrans Imperator misit qui
ad se Nicomediam accerserent: at ille, quin
potius, inquit, ad me veniat Imperator, se-
cumque aduehat Deos aureos, & argenteos,
quibus velit sacrificari: Affectus Imperator
gaudio contendebat Heracleam, cùm Theo-
dorus cognito eius aduetu vectus in equo ob-
uiam honoris causa processit, & Imperato-
rem, vt debebat, adorauit: Ingressus Impera- C
tor vrbem hortabatur Theodorum, vt sacra
Dijs faceret, ille ostendit imperata se facturū,
si prius domi Dijs, quos secum aduexerat sa-
crificasset, quos non repugnanter traditos,
Sanctus comminuit, & in pauperes erogauit:
Quamobrem verberibus, atque omni suppli-
cio excruciatus capite multatus est, cuius re-
liquiæ Euchanis deportatæ sunt.

Eodem die, commemoratio Sancti Patris nostri Theodosij.

375 THeodosius Antiochiæ in Syria il- D
lustri genere natus, parentibus,
gloria, diuitijs & mundo valere iussis, secessit
in quendam Ciliciæ montem, extructoque in
parua ingentis saxi cauerna, in mare vergen-
te tugurio, ibi consedit, ieiunijs, chamæunijs,
vigilijs, & precibus toto animo deditus: ac-
cedebat ad extenuatas corporis vires indu-
mentum hirsutis contextum setis, & laminæ
ferreæ, quas collo, manibus, & medio gesta-
bat corpore: Quibus rebus eam à Deo gra-
tiam iniit, vt aquam præter multa alia mira-
cula ex arida elicuerit petra, periclitantesque
in mari seruarit: Tandem profectus Antio-
chiam, Isaurorum excursione occubuit.

Eodem die, certamen Sanctorum Martyrum Marthæ, *& Mariæ germanarum sororum, & Lycarionis*.

376 MArtha, & Maria sorores, non
minus pietate, quam virginitate
insignes, cum prouinciæ Prætorem aliquan-
do vidissent prætereuntem, à fenestra promi-
nentes eum compellunt; & clara se voce
Christianas esse testatæ sunt, suspexit Prætor
& integram, virentemque Virginum ætatem
intuitus; Saluas inquit omnino vos esse ve-
lim. Quare si mutata sententia animum in-
duceretis Dijs sacrificare, vitæ, & saluti vestræ
consulueritis, cui Virgines, vita est, vitam
ipsam pro Christo profundere. Idem fecit &
Lycarion adolescens monachus, qui cum
illis virginibus virtute certabat, atque addi-
dit: Idola non Deos, sed Dæmonia esse, in-
felicesque, & miseros eorum cultores: Iratus
igitur Prætor iussit militibus, vt extremum
de eis supplicium sumerent, qui Virgines in
crucem actas gladijs confecere, Monachum
autem capite multarunt.

Quinto Idus Februarij, certamen S. Martyris *Nicephori*.

IX.

377 NIcephorus obscuro quidem loco
natus, sed Martyrio tamen, quod
Valeriano, & Gallieno Imperatoribus pertu-
lit, illustratus, & nobilitatus, vtebatur Sa-
pricio quodam Ecclesiæ Christianæ Presbyte-
ro familiariter; qui postea diabolico instinctu
alienatus à Nicephoro odium concoquebat:
Commota autem persecutione, cùm reten-
tus Sapricius ab Idololatris compelleretur,
simulachris immolare, accurrit Nicephorus,
etiam, atque etiam orat Sapricium, vt si illo
prius martyrio defungi patiatur, auersa-
tus ille, & Idololatriæ scelus, & Nicephori
preces, trahebatur ad supplicium: cum Ni-
cephorus Sapricij pedibus aduolutus omni-
bus precibus iterum orare, & obtestari cœ-
pit, sed tamen non exorauit: Quare repu-
diatus à Deo, cum iam extento collo distri-
ctum carnificis gladium vidisset, consterna-
tus animo: dimittite inquit, me, & Dijs im-
molabo, procurrit ergo Nicephorus, & per-
tenta statim ceruice, amato Sapricio capi-
te pro Christo multatus occubuit.

Eodem die, commemoratio Marciani Episcopi Siciliæ, & Philagrij Episcopi Cypri, & Pancratij Episcopi Taurominij.

378 MArcianus, Philagrius, & Pancratius Episcopi, vsi sunt præceptore Petro Apostolo: Nam Pancratij pater cōmotus celebritate famæ, & miraculorum Christi Iesu, dum in terris degeret, adiuncto sibi Pancratio perrexit Hierosolyma, & in Petri se amicitiam, & familiaritatem insinuauit: Igitur post Christi Iesu Ascensionem à Petro Taurominij Episcopus creatus est, & cum in Christi nomine doceret, occulte interfectus est ab infidelibus: Marcianus verò ab eodem Apostolo Siciliæ Episcopus factus, postquam multos ab impietate ad Christum conuertisset, fato concessit: Porro Philagrius Cypri Episcopus, cum mille molestias à Dæmonibus, atque impijs pro Christi doctrina, & nomine ad extremum vsque spiritum pertulisset, excessit è corpore.

Quarto Idus Februarij, certamen Sanctorum Charalampi, Porphyrij, Daucti, & trium mulierum Martyrum,

X.

379 CHaralampus Magnesiæ Christianorum Sacerdos. Seuero Imperatore, cùm veritatem prædicaret, comprehensus à Luciano Præfecto exuitur sacrata stola, Deinde cum detracta toto corpore pelle æquissimo animo perferret, incensus ira Præfectus voluit ferreo pectine misere Martyrem laniare, cùm statim manus illius miraculo auulsæ sunt, quem cum sauctus adhibita prece sanasset, magnitudine rei commoti Porphyrius, & Dauctus carnifices, & tres mulieres renunciata Idolorum superstitione se Christo addixerunt, quos omnes Præfectus in impietate permanens capite mulctauit.

Tertio Idus Februarij, Certamen Sancti Sacromartyris Blasij, & sociarum mulierum.

XI.

380 BLasius Licinio Imperatore Sebastensis Episcopus, vitandæ persecutionis causa in cuiusdam montis speluncam se abdidit, & ibi immanem beluarum naturam ex feritate ad mansuetudinem benedictione traduxit: Cumque esset medicinæ artis peritus, accepit tamen etiam à Deo magnam in sanandis morbis miraculorum edendorum potestatem. Ductus autem ad Agricolaum Præfectum, professusque se Christianum esse, virgis mulctatur; deinde in eculeum actus, pectine ferreo carminatur: Postea cum abduceretur in carcerem mulieres septem, consecutæ Martyrem, & Christum confessæ in vestigio capitis damnatę mortem oppetiere: Cumque in altissimum Lacum proiectus, siccis per summam aquam pedibus, in littus euasisset, capite cum duobus infantibus, qui vna in vinculis erant mutilatus est.

Eodem die, Commemoratio Theodoræ Augustæ, quæ Orthodoxiam constituit.

381 THeodora Augusta. Theophili Imperatoris Iconomachi vxor, eius, qui Methodium Constantinopolitanum Patriarcham optimè de Sanctorum Imaginibus sentientem exilio affecerat, suffecto Ioanne Lecunomante, consumptis igni sanctis imaginibus, nullis tamen hæreticæ prauitatis erroribus imbuta, etsi apertè non auderet impijs viri conatibus obuiam ire, occulte tamen in cubiculo suo habebat sanctorum imagines, noctuque Deum precibus fatigabat, vt tandem aliquando Orthodoxorum misereretur: Igitur post viri mortem, statim reducto Methodio, coactaque sacra Synodo, anathemate multauit Iconomachos, exturbatoque Ioanne è throno, & restitutis in pristinam dignitatem imaginibus, traditoque per manus imperio Michaeli filio, quem Orthodoxa fide instituerat, ex hominum vita migrauit.

Pridie Idus Februarij, Commemoratio Sancti Patris nostri Antonij Archiepiscopi Constantinopolitani.

XII.

382 ANtonius cognomento Bacleas parentibus, diuitijs, pietate, & genere illustribus natus (nam pater erat Senatus facile princeps) septimo ætatis anno senili prudentia, quæ erāt puerilia cōtemnebat, ferebat iniquè tum præcocem in filio modestiam mater: At pater illum, mortua matre, Monasterij septis inclusit; in quo vitæ genere tantos in virtute progressus fecit, vt vel inuitus Presbyterarum suscipere coactus fuerit, patremque virtutis suæ, sanctique instituti æmulū monastico ipse induerit cultu, vt cuius natura filius esset, eius spiritu esset pater:

pater. Nobilitauit etiã hominem insignis in pauperes beneficentia, vt dum aliquando deambularet, audierit, qui se inuitaret, vt magnum auri pondus pauperibus distribuendum acciperet, porrigentem tamen non videret: quapropter Imperatoris, & Concilij suffragio creatus Patriarcha Constantinopolitanus, postea mortuus est.

Eodem die, commemoratio S. Mariæ, quæ mutato nomine Marinum se dixit.

383 MAria studio salutis latebram quærens, posita muliebri stola, sumpto virili habitu Marinum se nominauit, vnaque cum Patre Eugenio Monasticam amplexa vitam, capillum totondit: Quare celato diligenter sexu suam Monachis, & Patri operam tribuebat: Verum cum aliquando in diuersorio versaretur, accusatur stuprum filiæ stabularij intulisse: Tulit illa æquissimo animo calumniam, quam nullo negotio diluere potuisset: Quamobrem Monasterio eiecta, ac foribus misere assidens, filium quẽ non genuerat, vtcumque poterat, annos tres patienter aluit: Deinde in Monasterium vna cum filio admissa non multo post ex hac vita discessit, illatique falso criminis causa, non sexu solum, sed & clamosa filię stabularij à Dęmone correptæ declaratione à milite se vitiatam esse defensa omnium præ admiratione in stuporem mentes rapuit.

Idibus Februarij, Commemoratio S. Patris nostri Martiniani.

XIII.

384 MArtinianus Cæsareæ in Palæstina natus, Monachorum sacris initiatus, in montibus solitudinem captans annos quinque, & viginti asceticam egerat vitam, cùm Diaboli insidijs exceptus est: Nam meretrix quædam, impellentibus pecuniæ pactione perditis hominibus, tenui atque ea vili veste induta, noctu magnis clamoribus hominis opem implorabat: vt quæ tota iam diu aberrasset via, timeretque vehementer, nisi admitteretur, ne à feris miserè laniaretur. Commotus ille introducit mulierem, quæ multis verborum lenocinijs delinire animum sancti viri studebat, atque ad fœdam libidinem pellicere: verum, vbi labentes iam sensus vir Dei præsensit, succensa sarmentorum materia, in mediam se flammam coniecit, sibi ipsi illud identidem inculcans: Infelix Martiniane, si potes ignis supplicium perferre, committe peccatum: Quæ res perpulit impudicam fœminam, vt ad temperan-

A tiam conuersa saluti suæ consuleret: ipse verò inde in scopulum medio positum mari profectus, ibique iterum à Dæmone vehementer tentatus, victor ad Dominum migrauit.

Eodem die, Certamen Sanctorum Aquilæ, & Priscillæ.

385 AQuilas gentilis sutoriam faciebat artem: propensissimo tamen semper in pauperes animo, vt lucrum, quod ex arte sua faciebat, pauperibus benignè impertiret: Cumque fama Pauli Christum passim prædicantis in dies percrebresceret: perrexit B vna cum Priscilla vxore ad Paulum, tamquã ad eiusdem artis professorem, institutique ab eo verbo veritatis baptizati sunt: seque illi comites, & seruos quocunque pergeret adiũxerunt, easdem cum eo molestias, & incommoda adeuntes: Quamobrem vehementer amati sunt à magno Apostolo: quorum & in suis ille scriptis mentionẽ fecit: Post mortem verò illius, cum nunquam à Christi prædicatione desisterent, correpti ab Idololatris post multa tormenta capite multati sunt.

Eodem die, Certamen Sancti Eulogij Episcopi Alexandrini.

C

386 EVlogius in sanctissimorum patrum numerum relatus: Alexandriæ, Heraclio Imperatore, Episcopus, ante Ioannem Eleemosynarium. Magnam sę apud Deum rectè factis gratiam inijsse, admirandis, quas fecerat, rebus arguit: in quibus illud commemorandum videtur; Nam cum allatam à Leone Sanctissimo Archiepiscopo epistolam in qua erant quæ Chalcedonensi Synodo decreta erant, legisset, laudasset, & rata habuisset, eamque Orthodoxiæ columnam appellasset, Deus, vt vtrique Antistiti honorem faceret, misit Angelum suum, qui in figura, & specie Leonis, cùm gratias Eulogio egisset, quod Epistolam à se missam ratam habuisset: post multum sermonem vtro citroque habitum euanescens declarauit se Angelum esse: Tandem Eulogius in pace quieuit.

Dei-

Decimosexto Cal. Martij, commemoratio Sancti Patris nostri Auxentij.

387 AVxentius, quem in Sanctorum numero reponimus, Theodosio Iuniore Imperatore in Oriente natus, omisso litterarum studio, ad Monasticam se vitam contulit, atque in monte Oxia nomine, Chalcedoni proximo, qui & Auxentius postea dictus est, solitudinis studio consedit, vir mirifica in ascetico instituto tolerantia, & in fide constantia, qui sæpiùs aduersus Eutychiū & Nestorium pro iis, quę Chalcedonensi Synodo IV. decreta fuerant, decertarit: præterea maxima apud Imperatorem, & populum dignitate, existimatione, & gratia, virtutis opinione atque miraculis, prophetiæque munere insignitus: Nam iram Dei, & mala impendentia præuidit, auerruncauit, & auertit: denique mortuus est, & sepultus in Monasterio à se extructo, Trichinaria appellato.

Decimoquinto Cal. Martij, certamen Sancti Sacro-martyris Onesimi, discipuli Sancti Pauli Apostoli.

XV.

388 ONesimus Philemonis ciuis Romani seruus, Paulo Apostolo se se adiunxit, relicto Philemone, illique seruiuit. Quare Paulus ad Philemonem litteras dedit, quibus hortatur, vt Onesimi digressum à se, & discessum æquiori ferat animo. Post mortem vero Pauli detentus à Tertillo vrbis Præfecto ductusque Puteolos grauissimè cæditur: Deinde cum à Christo ad Dæmonum cultum desciscere nollet, quin potius assereret se credere in Christum Deum Creatorem cæli, & terræ marisque & omnium quæ in eis sunt, eaque dicendi libertate stomachum Præfecto faceret, contusa minutatim cruribus, & brachiis animam pro Christi nomine profudit.

Eodem die, certamen Sancti Martyris Maioris.

389 MAior, Diocletiano, & Maximiano merens, Christianæ fidei nomine Gazæ comprehensus, tantum aberat vt Christum abiurare vellet, vt liberius etiam, contemptis Idolis omnis sensus expertibus, Christianum se profiteretur, in quem incensi ira iubent extensum humi Martyrem à triginta sex millitibus sibi vicissim succedentibus miserandum in modum cædi, & lacerari, vt figuram hominis in eo nullam agnouisses: Deinde semiuiuum, & vix spiritum ducentē in carcerem delatum septem dies confici, rursusque eductum torqueri, deindeque in sancto proposito permanentem ad præscriptum locum trahi, & capite multari.

Decimoquarto Cal. Martij, certamen Sanctorum Martyrum Pamphij, Valentis, & sociorum eius.

XVI.

390 PAmphius, Valens, & socij complures, nulla aut patriæ, aut studiorū, aut dignitatis gradus coniunctione, sed Christiana tantum societate deuincti, Cæsaream simul pergebant. Cumque ab vrbis custodibus rogati quinam hominum essent, & cuius rei gratia venirent; Christianos se esse, & cælestem Hierusalem esse sibi patriam respōdissent, statim vinculis cōstricti Firmiliano Prætori traduntur: ex quibus Elias, Hieremias, Isaias, Samuel, & Daniel post multos cruciatus capite damnati occubuere. Pamphius verò, & Seleucus, Valens, & Paulus custodiæ primùm traditi sunt, deinde & ipsi capite multati mortem oppetiere.

Eodem die, certamen SS. Martyrum Porphyrij, Iuliani, & Theoduli.

391 POrphyrius, Iulianus, & Theodulus, ex Pamphij, & Valentis Synodia fuere: nam Porphyrius Pamphij seruus, cū domini reliquias quæreret, vt sepulchro inferret: Iulianus verò dum Sanctorū reliquijs oscula figeret, vterque cognitus est Christianus. Vincti igitur, & in ardentem caminum iniecti consumpti sunt. At Theodulus, quia sancti cœtus desiderio lugeret, oraretque Dominum, vt acerbissimam in Christianos persecutionem sedaret: primum quidem varijs est cruciatibus affectus: deinde in Crucem actus, magnis affigitur clauis, vbi cum multa gratiarum actione spiritum Deo reddidit.

Eodem

Eodem die, Collectio Sanctarum Reliquiarum in Martyropoli, & Marutha Episcopi.

IX

392 MAruthas insignis Episcopus sanctitate à Theodosio maiore Romanorum Imperatore ad Persarum Regem missus, honorificentissimè à Persis opinione, quã de illius virtute habebant, exceptus est: præsertim autem, quia Dæmonem à Regis filia expulisset: Cumque illi multa auri pondo offerrent, sanctus Reliquias tantum Martyrum, qui in Perside erant, petijt: Ea re facillimè à Rege impetrata, extruxit vrbem nomine Martyropolim, quæ nunc Mespherea dicitur, in quam Martyrum reliquias intulit: Obita in hunc modum legatione, multo post tempore obijt Maruthas, Deo authore, eo ipso die, quo Sanctorum reliquias in eum locum congesserat, atque in eodem loco sepultus est.

Decimotertio Cal. Martij, certamen Sancti Megalo-martyris Theodori, Tyronis.

XX

XVII.

393 THeodorus Megalo-Martyr, Maximiano, & Maximino Imperatoribus acerbissimis Christianorum oppugnatoribus, ab adolescentia stipendia faciens, in legione Tyronum rudimenta posuit sub Brigga præposito. Cumque audisset aliquando in Armeniæ finibus, vbi natus fuerat, complures Martyrium fortiter pro Christi nomine perfungi, æmulus eorum laudis cœpit Amasæam versus iter facere; & cum cognouisset draconem portentosæ magnitudinis esse in Euchaitarum agro, perrexit illò ire, secum reputans, si draconem vicisset, omnino se superaturum etiam Diabolum: Interfecto igitur dracone, ingressus Amasæã adijt Briggam, seque Christianum professus multis verberibus excipitur: deinde iussus, certum tẽpus ad deliberandum sumere, noctu Idolorum templum incendit. Qua re commotus vehementer Briggas iussit in eiusdem templi busto hominem exuri: qui de flamma Cleonicum quendam sibi notum compellans: Cleonice, inquit, te expecto, atque ita consumptus est.

Eodem die Commemoratio Sanctæ Mariamnæ sororis S. Philippi Apostoli.

394 POst Christi Ascensionem Philippus adiuncto sibi Bartholomæo, & Mariamne sorore germana, profectus est Hierapolim, vbi propter fidei prædicationem sublime raptus orauit Dominum: quo descendẽte, terra obrutus est Proconsul cum innumera populi multitudine, Consternati cæteri, atque in preces versi Bartholomæum, & Mariamnam, qui & ipsi pendebant, etiam implorant; quorum precibus motus Philippus non solum incolumes eos præstitit, sed illos etiam, quos terra hauserat prætor, proconsulem, & viperam quam indignè colebant; rursum in apertũ euadentes liberauit. Quamobrem cum iam extinctus esset Philippus, solutus est Bartholomæus, & Mariamna: & ille quidem in India Felici cruci affixus est; hæc vero in Lycaonia cum Christi verbum disseminasset, obdormiuit in Domino.

Eodem die, Commemoratio Sancti Patris nostri Lysibij Episcopi Soliorum in Cypro.

395 LYsibius Romanus virturibus clarus, in Christi fide à Marco Apostolo, & Euangelista imbutus, & baptizatus: Diaconus primùm, deinde Presbyter, demum Episcopus Soliorum in Cypro creatur: Igitur illò profectus, cum susceptum munus, non gulæ & ventri, non voluptatibus indulgendo, vt nonnulli faciunt, sed vigilando, & humi cubando, & ieiunando, diu, noctuque Dominum orando; vt populi sui misertus persecutionem à Tyrannis concitatam sedaret: omnesque ad sui cognitionem, & fidem conuerteret perfectissimè obijsset, in pace migrauit in cælum, vbi cum Sanctis triumphat in æternum.

Eodem die, Commemoratio Sancti Patris nostri & Archiepiscopi Constantinopolitani Flauiani.

396 FLauianus inter Sanctos adscriptus Constantinopoli Presbyter, ob vitæ integritatem, Deo authore: Imperatoris autem, & Senatus, Sacræque Synodi, atque Cleri suffragio Patriarcha eiusdem vrbis renunciatus

tus est. Qui cum creditum sibi gregem virtutibus, sanctisque moribus, ac præceptis instituisset, Deo permittente, à Dioscoro, & cõspiratis extorris eijcitur, cum Ecclesiæ annũ vnum, menses decem præfuisset: Igitur in exilio, fame, siti, multisque incommodis, & molestijs pro orthodoxa fide confectus, cùm tamen Deo gratias ageret, diesque, ac noctes oraret, tandem morbo correptus migrauit ad Dominum.

Duodecimo Cal. Martij, Commemoratio Agapiti Episcopi Synai Thaumaturgi.

XVII.

397 AGapitus, Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, Cappadox Christianis parentibus natus, Monasticæ se addixit vitæ, complexusq; à Monasterij Præfecto ob egregiam, in omni virtute indolem, sacras docetur litteras, à Deo autem multis nobilitatur miraculis, ex quibus illud vnũ est, quod Draconem inusitatæ magnitudinis non procul à Monasterio, homines, & iumenta conficientem precatione interemit, cuius singulari virtute motus Licinius inuitum, & recusantem militiæ adscripsit, sed eo mortuo, imperante autẽ Constantino Magno, ab Episcopo Synai presbyter, eoque vita functo, Synai Episcopus renunciatus est, actaque sanctissimè vita, fato concessit.

Eodem die, commemoratio Sancti Leonis Papæ Romani.

398 LEo admirabili pater virtute animi, sapientia, & sanctitate Romanæ Ecclesiæ Pontifex, præclarissimis monimentis virtutem suam, præcipuè autem rectam fidẽ testatam nobis reliquit: Coacta enim Chalcedonensi Synodo sexcentorum triginta patrum aduersus eorum hæresim, qui vnam tãtum voluntatem in Christo, vnamque actionem, & vim esse dicebant; cùmque ijs præscriptis, & decretis, quæ ad veritatem spectabant hæretici stare nollent, in eam sententiam omnes discessere: vt quidquid Leo Sanctissimus Romanæ Ecclesiæ Papa sanxisset, id gratum, ratumque firmumque haberetur. Rogatus itaque Leo ab omnibus patribus, factis precibus conscripsit Epistolam, in qua arguebat duas in Christo voluntates, duasq; actiones, quam orthodoxiæ columnam appellarunt. Post hæc in pace quieuit.

Vndecimo Cal. Martij, certamen Sanctorum Martyrum Maximi, & Theodoti.

XIX.

399 MAximus, & Theodotus cum terras omnes, vrbesque obeuntes veritatem, Christumque Deum, verum, & Dominum omnium, ac opificem, Idola aurẽ opera manuum ex lignis, & lapidibus fabrefacta esse liberius prædicarent, traduntur ab Idololatris, regionis Præfecto: quos cum multa verberum sectione à pia sententia deducere non posset, ab alia, in aliam vrbem vinctos trahi, cum feris depugnare, vngulis excarnificari, denique in ardentissimum rogum injici iussit: vbi læti cum gratiarum actione animas Deo beatas, & sacras reddidere.

Decimo Cal. Martij, certamen Sancti Martyris Sadoch Episcopi, & centum viginti sociorum.

XX.

400 SAdoch in Perside Episcopus, prædicatione fidei in Christum, qua multos Deo viuenti, & vero adiungebat, indignationem, ac stomachum mouit Magis cultoribus Ignis, qui illo ipso tempore, quo sanctus per quietem videbat Symeonem Sacromartyrem, & antecessorem suum, summis insidentem scalis, se inuitare, ne ad regem cessaret venire, catenas illi, & ijs, qui cum eo erant, Christianis injiciunt, & in carcerem tradunt, quoad cognitione sibi à Saberio rege data, eductos ac grauissimè tortos omnes obtruncauerunt.

Eodem die, Commemoratio Sancti Patris nostri Leonis Episcopi Catanæ in Sicilia.

401 LEo Thaumaturgus Rauennas, pijs, & illustribus ortus parentibus, sacris litteris oppido instructus, an singulari virtute præditus, cum magna edidisset signa, Rauennæ Presbyter, deinde Catanæ, quæ Metropolitana Ecclesia erat, Episcopus declaratus est: tanta autem contentione cum hæreticis decertauit, nunc coram disceptando, nunc scribendo, vt nemo congredi ausus non sine summa ignominia victus discesserit. Thaumaturgi autem cognomen merito tulit, nam Heliodorum magicis artibus simplicium mentes decipientem, seque nihil nõ

posse

posse efficere ita gloriantem, vt vel ipsum Ignem contemneret, euocato de Cælo igne combussit; Cuius fama permoti Romani Imperatores accitum Romam orarunt, vt Deo pro se preces faceret: deinde honorificè dimissum ad Ecclesiam suam Dominus assumpsit.

Nono Cal. Martij, Commemoratio Sancti patris nostri Agathon Episcopi Romani.

XXI.

402 AGathon Thaumaturgus in Italia parentibus pijs natus, atque ab ijs summo studio omnibus sacræ Scripturæ litteris eruditus, tantum ex ea vtilitatis, tantumque compunctionis cordis præcepit, vt mortuis parentibus, statim congestas in vnũ locum facultates die vno pauperibus diuiserit, deinde in Monasterium inclusus totum se diuino cultui manciparit, dies, noctesque Deum pro mundi salute precibus fatigans, à quo miraculorum munere dignatus, Thaumaturgi cognomen tulit. Post hæc Romanæ Ecclesiæ Pontifex creatus, Republica optimè administrata, se ipsum, vitamque suam omnibus, singulare bene viuendi exemplum reliquit.

Octauo Cal. Mart. commemoratio Athanasij Confessoris cuius historia desideratur, sed vide decimoquinto Cal. Febr.

XXII.

Septimo Cal. Mart. certamen Sancti Sacro-martyris Polycarpi Episcopi Smyrnæ.

XXIII.

403 POlycarpus Ioãnis Apostoli, & Euãgelistæ discipulus, Smyrnæ Episcopus in demortui Bucoli locum subrogatus est, quem is sibi dum adhuc in humanis ageret successurum prædixerat: Commota autem à Decio in Christianos persecutione cõprehensus tandiu tortus est dum animam efflaret: Is ante creationem insigne illud præter cætera edidit miraculum; Nam exhaustũ nutricis suæ penu omnium bonorum copia, ad egentium vtilitatem factis, precibus repleuit: Post creationem vero magnum incẽdium eadem vsus oratione restrinxit: Post hęc obdormiuit plurimis ad hanc vsq; diem nobilitatus miraculis.

Sexto Calend. Martij, commemoratio Inuentionis pretiosi capitis Præcursoris Domini.

XXIV.

404 CVm Ioannem Domini Præcursorem capite plecti vidisset Herodes, inclusum caput in vase fictili in Regia Herodis, occultum tandiu fuit, quoad Monachi duo Hierosolyma ad Sanctum Iesu sepulchrum profecti, indicato in quiete à Ioanne loco repertum in summo honore habuere, sed postea à figulo quodam furtim sublatum in Emesinorum vrbem translatum est: ab eo postea cum moreretur, sorori, & deinceps per manus traditum in ea vrbe permansit; Quoad Michael Imperator, qui Orthodoxiam restituit, & Ignatius Patriarcha, Constantinopolim deportauit, vt in S. Ioannis fide vrbis, & tutela esset.

Eodem die, certamen Sancti Rhegini Episcopi Scopulorum.

405 RHeginus in Græcia parentibus Christianis ortus, à quibus tam pietate quàm sacris excultus litteris vir summus euaserat, ab eius loci Episcopo Diaconus factus est; deinde Presbyter, demum Scopulorum Episcopus, qui in munere obeundo eam sibi virtutis famam collegit, vt ad Synodum, quæ Sardis habita est, accitus, hæreses omnes dicendo retuderit. Excitata non multo post in Christianos persecutione comprehensus, post varios cruciatus capite multatus est.

Quinto Cal. Mart. certamen Sancti Alexandri Martyris in Thracia.

XXV.

406 ALexander Puteolanus Maximiano Imperatore à Tyberiano Præfecto compellabatur Idolis Immolare, qui tantum abfuit vt simulachris rem diuinam faceret, vt cum multa etiam verborum contumelia, Idola, & Præfectum accusaret. Quam stulte, inquiens, facis miser, & infelix, quĩ huic vanitati te addixeris. Quamobrem vinctis pendens manibus, appensisque ad pedes saxis diu torquetur: deinde solutus & Carthaginem ductus, actusque in eculeum depectitur. Inde Martyropolim raptus, fa-

cibus exuritur, demum capite multatus incorruptam coronam, vitamque æternam à Christo Deo nostro accepit.

A

Eodem die, commemoratio Sancti Patris nostri Tarasij Archiepiscopi Constantinopolitani.

407 Tarasius Constantinopoli natus, & altus, ob maximarum rerum cognitionem, multamque virtutem, Patriarcha Constantinopolitanus factus est: hic præscriptis de Sanctarum imaginum cultu decretis: Romanum imperium ad Sanctorum Apostolorum traditiones, atque ad septem œcumenicarum Synodorum placita tradidit, coniunctis cum orthodoxis omnium Ecclesiarũ sententijs. Igitur in his pietatis studijs nunquam non versatus, atque idcirco ab Imperatoribus in honore habitus, ædificatoque vltra freti angustias Monasterio, multisque ad monasticam vitam traductis, cum Ecclesiã annis duobus, & viginti, & mensibus duobus rexisset, in pace quieuit, sepultusque est in Monasterio suo.

B

Quarto Cal. Martij, commemoratio Sancti Porphyrij Episcopi Gazæ.

XXVI.

C

408 Porphyrius Thessalonicæ Christianis ortus parentibus Arcadio, & Honorio Imperatoribus, indicto omnibus huius ce vitæ desiderijs bello, Ægyptum profectus, Monasticum suscepit institutum: deinde Hierosolymam petens Iudæis, Græcisq; author erat, vt Christo se adiungerent, cum interim sutoria arte, se & pauperes sustentaret, vbi ab Ilio Patriarcha Hierosolymitano Presbyter, postea à Ioanne Archiepiscopo Cæsareæ Philippi Gazensium Episcopus creatus est; Qui cum signis, ac prodigijs vitæque sanctitate non contemnendam Græcorum, & Iudæorum manum ad Christum conuertisset, templaq; Idolorum à se diruta, sanctorumq; nomini dicata restituisset, migrauit ad Dominum.

D

Tertio Calen. Mart. commemoratio Procopij, & Basilij Confessorum, Commartyrum, & Condiscipulorum.

XXVII.

409 Procopius, & Basilius, Leone Iconomacho Imperatore, mundo, mũdanisque rebus vale dicentes, Monachi facti sunt, qui cum se prius ascetica vita diligenter excoluisset, hæresi, quæ sanctis imaginibus bellum indixerat, se opposuere. Quamobrẽ capti, & tormentis affecti, cum nihil de pristina animi sententia remitterent, sed audacius etiam vel morte proposita veritatem prædicarent. Basilius quidem toto corpore, & collo pectine ferreo carminatur: deinde custodiæ traditur; Procopius autem in carcerem includitur: Sed mortuo tyranno è vinculis educti ad pristina studia orthodoxæque fidei defensionem rediere, tandem diuersis temporibus ad Dominum, cuius desiderio ab ineunte ætate flagrarant, læti commigrarunt, vitam suam singulare cæteris exemplum relinquentes.

Pridie Cal. Martij, certamen Sancti Martyris Nestoris.

XXVIII.

410 Nestor, Decio impio, & iniustissimo Imperatore, martyr, & Publico Præfecto, Pergæ in Pamphilia Christianis parentibus natus, atque ab ijs sacras edoctus litteras, gentilium linguam, & sermones sacræ Scripturæ testimonijs retundens, complures ad Dominum traductos baptizabat. Quare, ab Irenarcho prætore comprehensus atque ad Præfectum ductus, cum Christũ Deum verum mundique opificem confessus esset, primum multa verberum sectione conscinditur, deinde ferreis vngulis laniatus in crucem agitur; vnde ad extremum vsque spiritum, de via veritatis, vitæque præsentis contemptu apud adstantes disseruit.

Eodem die, Commemoratio Sancti Patris nostri Thalelæi.

411 Thalelæus Cilix asceticæ vitæ studio Gaualos vrbem profectus, loco quodam vrbi proximo ac dæmonibus dicato cellulam ædificauit, fugatisque dæmonibus Deum ibi colebat, & seipsum vigilando, humi cubando, carnem macerando, cõficiebat: Moleste autem ferebant dæmones tantos viri in virtute progressus, & idcirco conati sæpius

pius sunt timorem illi inijcere: sed cum oratione Sancti euanesceret, furore perciti, oleas, ficusque, & arbores conuellere cœperunt, nocturnisque terroribus, monstris, & phasmatis hominem perterrefacere: verum cum nullum illis consilium prodesset, victi discessere, nulla amplius illata Sancto molestia: qui extructa sibi angustiore etiam cellula in eam se inclusit, neque ex ea pedem vnquam extulit.

Eodem die, Commemoratio Sanctarum Mulierum Maranæ, & Cirræ.

412 MArana, & Cirra Verię in Cilicia natæ, misso patriæ, & diuitijs nuncio, non procul ab vrbe in cellulam se abdidere, obstructaque lapidibus, & creta ianua, per fenestrellæ angustias porrectum parcissimè cibum cum aqua admittebant, cumque perpetuò tacerent, semel tamen quotannis Pentecostes die egredientes mulieres ad virtutē adhortabantur. Ad hæc magno ferri pondere se se onerabant. Præterea tanta erat in victu earum temperantia, vt solemne quadraginta dierum ieiunium semel tantum soluerint. Quibus rebus consecutæ sunt, vt fugatis dæmonibus, cæcisque visus & claudis incessus facultate restituta, multisque alijs claræ miraculis, è corporis vinculis euolarint.

Eodem die, Commemoratio Sanctæ Domninæ.

413 DOmnina Cyri parentibus, non minus pietate, quam genere orta nobilibus, tanto ab ineunte ætate extitit in Deum amore, vt in asceticæ vitæ certamen descendens in tugurium, quod ex arundinibus domi cotiguum extruxerat, se incluserit, vbi diu noctuque cum lachrymis pro totius Orbis, Ecclesiarum, pro Orthodoxorum Imperatorum, pro exercitus, pro Rep. denique pro sui ipsius salute Deum orabat, quæ cum vitam lente macerata, & modica aqua toleraret, extenuatoq; assiduis laboribus corpore, vitam duceret Angelicam, migrauit in cælestem illam sedem, vbi cum Domino, cuius semper arsit amore æternis perfruitur bonis.

Explicit Menologij Græci semestre prius ad exemplar M. S. Vaticani.

delitescens animo voluebat; quia vel ex est hominis transitus, & repentinus abscessus. Nam dum exierit ortum, rapitur ad occasum, cuius felicitatis tela tunc succiditur, cum orditur, eiusque de mane ad vesperum gaudia finiuntur. Cogitat ergo qualiter gehennalia possit vitare supplicia, & fieri particeps vitæ perennis. Gratia igitur diuinæ miserationis, quæ mundi meritis præcedit humani, eius animo stillicidium sacri roris infudit; cumque ad consulendum Beneuentanum Archiepiscopum affinem suum excitauit; quem adiens diligenter consuluit quid horum sit acceptius Deo, Sepulcrum Domini visitare, an Monasterium construere; qui maioris esse eius meriti, & potioris retributionis Monasterium de propriis rebus construere, quatenus illis sub regulari norma Religiosorum virorum conuentus altissimo Deo laudes iugiter mihi reddant, & vota. Addens siquidem iam dictus Archiepiscopus inquit, Ego dabo tibi de oculis Domini, id est de Reliquiis Apostolorum qui fuerunt oculi Domini. Reuersus igitur in honore gloriosi Apostoli Bartholomæi Monasterium construe, cuius te post modum sacris ditabo Reliquiis. Tunc felicis memoriæ Bernardus vir magnificus tanquam fecunda cellus celesti rore compluius, diuini verbi semine recepto huic prudentissimo se obsecuturum promittens consilio lætus remeauit ad propria. Quo cum incolumis repedasset corpus, & mente animo cogitare vbi locum Monasterio aptum, & Monasticæ vtilitati posset inuenire competentem. Diuina ergo prouidentia factum est, vt quadam cum venatoribus die dum iter venatum, Dei nutu immanis vrsus ei obuius in nemore prosilijt, iuxta fluuium Nauram, quem incessanter vna cum socijs, & canibus sequens interfecit in insula, quæ est inter fluuios Nauram, & Riuum de vite. Qui locus est in prouincia Piceno in Territorio Pinnensi ad radicem montis Appennini, a quo Bellonis nomen assumpsit, dictus collis de Lecina, quia multa erat ilice plenus inter fluuios Nauram, & Riuum de vite, qui de radice ipsius montis profluentes licet diuersis locis proueniunt, simul se tamen in ipsius insulæ fine coniungentes, & per vnum deinde alueum discurrentes, insulam gratam, ac protegentium arborum vmbrosa densitate festiuam, & garrulo modicum murmure, suarumque lenoue nascentium solo lasciuam efficiunt, & ab æstu protegunt ardendi feruoris, nam locus æstus solem, frigidus sit fore. Quam dum videret habilem, & ex aptitudine positionis, & situs, & aquarum amœnitate, atque aeris puritate sanitati hominum, & Monachorum vsibus admodum congruentem, gaudio gauisus est magno, quia illum quem quondam prouidit Abraham quid sacrificaret in monte, prouiderat ei locum, vbi posset inuentum prodere, quod in affectu mentis concipiebat; Subito itaque Cappellam ad tibi ore condidit, Martyri deinde Monasterium ad honorem Sanctissimi Apostoli Bartholomæi construxit, atque ipsum, vt eius continent instrumenta suis dotauit possessionibus, & magna libertate donauit, quia illud nulli personæ, nisi soli Deo commisit. Congregauit Monachorum cœtum, vt ibidem sub Beati Benedicti Regula Deo iugiter militantes laudes persoluerent. Statuit Abbatem virum discretum atque Religiosum gratia, & nomine Benedictum. Possessiones quas idē vir iam dictus Bernardus longa memoria dignus huic Monasterio tradidit sub Abbate Benedicto, licet prolixius sint in eius authenticis instrumentis descriptæ, dignum tamen æstimo hic eas aliquo modo prænotare. In Colle de Lecina dedit terram 300 modiorum & ipsos fluuios Nauram, & Riuum de vite. In Battutis terram modiorum centum. In plagis de Pesclo modiorum 40. In Metenaro iuxta petram siccatam terram modiorū 30. In sanguineto modiorum 110. In ... modiorum 38. In Monte malo modiorum 12. In Locretano ad Napozzanum modiorum 20. Et ad Cortinas de Sancto Petro terram modiorum 30. In Casali spesso terram vnius modij cum vinea ibi plantata. His igitur ita peractis Beneuentanum de promisso cum suppositione repetit Archiepiscopum, exposito ei per ordinem quicquid egerit. Qui vt cognouit salutiferi sui consilij semen messem vberem protulisse, & conceptū piæ deuotionis in partum felicem transductū, videns se illum lucratum fuisse in Domino, in eodem lætus, & gaudens donauit ei brachium dextrum à cubito ad humerum gloriosissimi Apostoli Bartholomæi, quod eo tempore, quo disponente Deo almifici corpus Apostoli de Lipparis fuit Beneuentum translatum, principante Sicardo quinto filio Siconis Principis ad roborandam fidem videntium, vbi Apostoli corpus quiesceret super altare in argentea capsa fuit locatum. Tunc ille per Venerabilem Archiepiscopum, cui per tres menses cum centum seruierat militibus, pretioso ditatus thesauro cum exultatione magna remeauit ad propria. Et conuocatis postmodū Episcopis Pennensi, Aprutino, Theatino, Valuensi, & Marsicano fecit ipsum Sacratissimum Brachium in maiori Altario huius Ecclesiæ consecrari, ipsamque totam Ecclesiam solenniter dedicari, Anno Dominicæ incarnationis nongentesimo, sexagesimo secundo VII. Kal. Septembris. Statuit præterea, vt nullus suorum hæredum, vel consanguineorum in eodem Monasterio licentiam habeat dominandi, vel ex debito aliquid exigendi. Obeunte vero Abbate, Fratrum Conuentus, vel pars consilij sanioris secundum Dei timorem, & Beati Benedicti Regulam, alium Abbatem quem mallent eligerent. His igitur statutis in ordine, cœpit Monasterium Religione vigere, & munere diuinæ gratiæ, ac prudentia præscripti Abbatis Benedicti in possessionibus cottidie augeri. Et quia vt in-

xl, Monasterium Religione vigebat, plures diuinitus illustrati venientes de suis possessionibus huic Ecclesiæ offerebant, & eorum oblationes scriptis corroborabant, quę in hoc Monasterio vsque hodie conseruantur. Ipse vero Bernardus solennis memoriæ ea quę dederat in primordio Monastico regimini pauca diiudicans, addidit in Ara antiqua Ecclesiam Sanctæ Lucię cum quinquaginta modijs terrarum, Et in Todeliano Ecclesiam Sancti Pancratij cum terra modiorum centum. Leo quondam filius Ioannis dedit huic Monasterio terram vnius modij, & Albertus Cōstantij in ara antiqua terram modiorum quatuor, Attenolfus filius Attonis in Ozana in fluuio Tabe vnum Molendinum, & dedit prænominato Abbati, & successoribus suis licentiam faciendi molendina vbicumque in Ozana fieri possent. *Hic verò* Abbas fuit quasi primus in ædificio lapis, quia primus huius Monasterij extitit Abbas, & iuxta nominis etymologiam gratia *Benedictus*, & nomine. Cuius opus, & meritum benedictionis gratia non vacabant, super quem, quasi super lapidem huius Ecclesiæ structura surrexit. Qui post decem annorum curricula, quibus huic Monasterio præfuit, vitam suam felici exitu consummauit. *Quo tumulato* fratres quendam de suis nomine Constantium elegerunt, & more debito incathedrauerunt, tempore cuius Petrus, & Acao filij Ioannis germani fratres dederunt huic Monasterio Ecclesiam Sanctæ Iustæ de Locretano sitam in Colle Ioannis, Deinde post trium annorum decursum, quibus huic Ecclesiæ præfuit idem Abbas correptus infirmitate Deo iubente finem vitæ suscepit. Cuius corpus fratres de consuetudine tumulantes postmodum in vnum conueniunt, & ne Monasteriū diutius, & res Ecclesiæ deperirent elegerunt, & in sede posuerunt quemdam ex suis nomine Besone, qui cœpit contemplationi, & actioni vacare cum necessitas propulsaret: conabatur enim quotidie Monasterij possessiones augere, & adeptas solerti studio laborare, & custodire. Tempore cuius Mainardus Presbyter dedit huic Monasterio in Ara antiqua Ecclesiam Sancti Pauli, Et ibidem terram modiorum duorum, & vineam ibi plantatam, & alibi iuxta riuum Moralli in Freuiano Petrus filius Ireuperti terram modiorum 5. & sextariorum sex. Lupus cui super nomen Gecao filius Ioannis dedit partem suam de Sancta Iusta de Locretano. Has & alias possessiones tempore huius Abbatis adeptum est Monasterium diuino dono, & aptitudine morum eius sagaci, qui cum tres annos ad profectum Ecclesiæ desudasset, ægritudine graui percussus obitum suum fratribus commendans diem clausit extremum. Cuius funeris, vt debitus ordo poscit exequijs celebratis fratres communicato consilio pari voluntate de suo conuentu, quemdam virum prouidum, & discretum Azonem nomine in Abbatem elegerunt; qui commissi gregis cœpit vigilem curam habere, & ad profectum Ecclesiæ laborare. Tempore cuius Ango filius Vrsi dedit huic Monasterio in Colle de Lecina Ecclesiam Sancti Siluestri cum terra trium modiorum, sed cum ad correctionem morum, & obseruantiam Regulæ assiduè inuigilaret, ictu infirmitatis percussus, & viam vniuersæ carnis ingrediens migrauit ad Dominum post xvij. annos, quibus in regimine huius Monasterij laborauerat: Post quem fratres elegerunt Bernardum, quo post xvij annos defuncto, eligitur in Abbatem Dominus Giso; & hic postquam xviij. annis isti Ecclesiæ præfuit mortis debitum soluit. Post paucos vero dies fratres conuenerunt in vnum, & ne Monasterium diutius sine Rectore, maneret, & res Ecclesiæ deperirent, elegerunt in Abbatem quemdā de suis nomine Stephanum virum contemplationis amatorem, & circa frequens Ecclesiæ ministerium valde sollicitum, tempore cuius Monasterium cœpit bonis temporalibus crescere, & opibus multis abundare. Ipse autem Bernardus sapiens architectus hujus Ecclesiæ memoriæ celebris bonum opus curabat reparare frequenter, & semper recentiores sacræ oblationis apponere flores, & addens noua prioribus, alijs atque alijs pietatis actibus vetera innouabat, addijciens in territorio Pennensi in Valecao, in Densana, & in Cossis, & in tribus solijs in valle de Rubo in Nepoczano, & in Mortula terram cultam, & incultam modiorum mille quadringentorum. Et Ecclesias Sancti Felicis, Sancti Ioannis, Sancti Angeli, & Sanctæ Mariæ, quæ intra istos fines sunt ædificatæ. Nam quia Monasterium istud adhuc cingebatur modicarum possessionum finibus postmodum vero augmentum accepit dono Dei, in cordibus hominum suam infundens gratiam, qua plures illustrati, prout propria suppetebat facultas de suis possessionibus huic Ecclesiæ offerebāt, Inter quos duo nobiles viri de Valle Tritona Senebaldus, & Ioannes filij Berardi de loco qui dicitur Capreaque dedere huic Monasterio in territorio Valuensi Terram modiorum ccl. tam in montibus, quam in planitie, cuius fines sunt, Furca de Vrsolis, & vadum de corno, & Summa cum vineis, & arboribus ibi plantatis. Item Dedo filius Aldonis dedit terram modiorū lx. in tribus solijs in valle de rubo, in Valecao, in Polo de mortula, in Castello vetulo, & in Cossis cum vineis, & arboribus suis, Et medietatem Ecclesiæ Sancti Angeli, Sanctæ Mariæ, S. Felicis, & Sancti Andreæ, & Molendinum quod est infra ipsos fines ædificatū. Item Lebrandus Moczus de Brittulo, quia diabolico instinctu Ancillam suam in ista Ecclesia interfecerat ad redemptionē tanti criminis dedit huic Monasterio Castellū Fatam de macclia, cū omnibus pertinentijs suis, cum cccc. modijs terrarum; quæ habent fines verticem montis, & vallem bonam, Et quia

Eccle-

Ecclesiã, quam humano, quem ibi effuderat, sanguine, maculauerat, sanctificationis oportebat gratia expiari, dictus Lebrandus Reatinum conduxit Episcopum, qui vt Canonica sanciunt instituta, sanctificationis munere pollutionis maculam aboleuit. Item Raynaldus Bernardi filius, quam bonus palmes bona radice prodiens felicibus paternis inhærens vestigijs concessit, & dedit iam dictum Castellum, & quicquid eius dominio attinebat. Et in Carpineto dedit huic Monasterio vnam insulam in fluuio Naura mensura triũ quartariorum, & duo molendina. Presbyter Ioannes filius Oczonis dedit in Casulis terram modiorum 11. & albi in loco qui dicitur Morum Ecclesiam Sancti Petri, & terram vnius modij & sextariorum sex. & vnam vineam, & vnam petiam terræ ad Sanctam Luciam, & in Capeteniano duas petias, & duas in pexinulis. Ioannes & Andreas presbyteri filij Ioannis dederunt medietatẽ Ecclesiæ S. Martini de Cariniano. Deodatus Iudex dedit huic Monasterio in Salaiano terram modiorum nouem: Vrsus filius Polle dedit in Soricula terram modiorum quatuor. Theodinus & Attenolfus filij Ioannis dederunt in Acrifolleto terram modiorum octo, & sextariorum totidem. Sanso filius Luponis, & Aczo filius Petri dederũt Ecclesiam S. Martini de Seconsano, & terram modiorum trium, & sextariorum sex, de qua Ecclesia Sanso Ioannis dedit partem suam. Rodelandus dedit Ecclesiam S. Annæ. Ioãnes filius Ioannis in Casteldano terram modiorum octo. Ardemmannus Gualberti cum Acza coniuge sua filia Todemarij Castellum Tellanum cum terra, 600. modiorum cum Ecclesijs & ædificijs, & hominibus, & omnibus pertinentijs suis. Hi omnes quos supra notauimus, & alij plures, qui in præsenti pagina non sunt connexi dederunt huic Monasterio S. Bartholomæi possessiones, Castella, Ecclesias, & prædia sua tempore præscripti Abbatis Stephani. Qui quamdiu vixit in hoc seculo, & Ecclesiæ sibi cõmissæ solertem curam gerebat, & sui cordis aditum seruabat omni custodia, & quia Deus tam seruum fidelem, & vigilantem volebat intrare in gaudia omnem felicitatem offerentia, ei finem vitæ imposuit. Qui cum decem & septem annos profectibus Ecclesiæ desudaret, septimo Idus Septembris diem clausit extremum. Cuius successor fuit Ioannes, cui prænomen erat Castaldus vir prudens & contra aduersa securus. Qui postquam tres annos regimini Ecclesiæ præfuit in quarto carnis debitum soluit. Cui successit Erimundus eiusdem Cõgregationis Monachus, de quo quia multiplex nobis offertur materia, plectrum linguæ reparemus per otium, quo & ingenij vena ad votum respondeat, & officium suum promptior lingua expediat.

LIBER SECVNDVS.

Loquendi virtus silentio reformata, excusso torpore mentis exurgat robustior, Spiritu septiformis gratię dante, quod promisimus, vt loquamur de Erimundo huius Monasterij venerabili Abbate: tempore cuius quanta Monasterium istud fuerit adeptũ scriptura diserta notatur, de quibus aliqua duximus præsenti pagina prælibanda. Giso filius Camponis dedit huic Monasterio vnam ancillam Mauriolam nomine, filiam Rocce, cuius prænomen fuit Morica, & vnum seruũ nomine Ioannem, qui si aliquomodo à iugo huius Monasterij vellent excutere colla, & à Domino Ecclesiæ fugere, legali mandato dedit licentiam Erimundo Abbati, & successoribus suis plagis eos vapulare multis, & iterum eos Domino Ecclesiæ subdere. Quos ipse Abbas statuit habitaturos in quodam suo tenimento, à quibus vsque hodie dicuntur terrę seruorũ. Gualterius Bruni dedit huic Monasterio in Castello-fabrica terram modiorum centum. Cuius fines sunt Ismæ, & ripæ, & mons Canatimius. Constantius Illebrandi, & Paparus filius Coni, dederunt in Castello Fara de macclis, terram modiorum ducentorum, & omnes homines quos ibi habebant, nihil sibi vel suis hæredibus reseruato, & in fluuio Naura vnum molendinum propter quod Erimundus Abbas dedit eis sexcentos solidos denariorum. Qui tali pacto sunt huic Monasterio fidati, vt si de donatione ista præsumerent aliquid vltra demere, vel exinde Monasterio inferre molestias, ei decẽ libras optimi auri componerent, & soluta pœna exinde perpetuò silendo quiescerentur. Hæc transactio celebrata est in triuio inter Baliarinum, & sanctum Desiderium in pręsentia Trasmundi, Bernardi, Gottefredi, Aczonis, Gualberti, & aliorum bonorum virorũ. Ioannes filius Ioannis dedit huic Monasterio in Todellam terram modiorum viginti. Dodo presbyter, Ecclesiam S. Mariæ sub Brittulo. In colle de Mandula, terram modiorum decem, quæ habet fines viam Salariam, & rugagines. Gualterius Dodonis in pertinentia Britteuli terram modiorum quindecim, & vnã vineam in loco qui dicitur Franconis, & in Valle Cristina, quæ habet fines à capite mõtem Cannatinum à pede viam Salariam, & Vallẽ Ioannis Lõgi. Todaldus filius Gualberti in pertinentia Britteuli terram modiorũ quinquaginta, quæ habet fines à capite montem Cannatinum, à pede viam Decinlanis, & ex vno latere basam muratam, & ex alio pertinentiam de Fara, & insuper dedit aliam terram modiorum. 60. in pertinentia eiusdem Castelli infra fines Cannatinum & fluuium Nauram. Illebrandus filius Gualberti tres massas Seminum in Castello Farra. Randisius Gualterij Ecclesiã S. Sepulchri, Ecclesiã S. Sil.

A S. Siluestri de Vestigio. Rauerius, filius Deodati, & Erimundus filius Bernardi dederunt huic Monasterio in Todellano terram vnius modij, & vnum molendinum; Adenolfus filius Deodati medietatem Ecclesiæ S. Sauini de Casali Spasso: Ioannes presbyter filius Landolphi de Valle aritana totam portionem suã de Castello Dessano, videlicet de casis, & casarilibus, terris, vineis, siluis, salectis, arboribus, famulis, ancillis, & quartam partem Ecclesiæ S. Iannarij, quæ fundata est in Colle pretioso cum medietate molendini de Portecello, & medietate molendini de Orphanello, omnia dedit huic Monasterio quæ attinebant ei in Valle tritana. Ioannes & Lambertus filij Lamberti dederunt in Alano Ecclesiam S. Petri: Lupo presbyter terrã modiorum quatuor in Andrauano ad Fontecellos. Item Bernardus filius Bernardi commutauit cum Abbate Erimundo; hic Abbas dedit ipsi Bernardo Castellum Pallecantum, & Ecclesiam Sãcti Pancratij cum centum modijs terrarum, & ipse Bernardus dedit huic Monasterio S. Bartholomæi medietatem Ecclesiæ Sãcti Sauini de hortis, cum terra modiorũ centum octoginta; & alibi in loco, qui dicitur Mucele, terram modiorum 60. quæ habet fines à pede Riguimloragarij, & Ecclesiam Sancti Eusanij de Collo frigido, aliam vero medietatem suprascriptæ Ecclesiæ S. Sabini dedit cũ toto suo tenimento. Trasmundus Bernardi, qui à nobili stirpe scilicet à Bernardo Liuduni trahens originem, & volens succedere meritis cuius successor erat progenie, dedit huic Monasterio Ecclesiam S. Nicolai de Ocertano, hic cum haberet Castellum de Bophis ipsa sui paruitate debile, ita quod imbecillitate sua hostium non posset deuitare insultus. Similiter Monasterium istud cum haberet Castellum Mortulam magna debilitate inualidum. Pepigerunt simul ea duo Castella ponere in loco, qui nunc dicitur Loceretinum, dante ibidem ipso Trasmundo prænominato Abbati terram Sextariorum sex, & pomariorum quatuor, & extra Carbonarias ipsius Castelli terram modiorum duorum, tali pacto, vt vnusquisque eorum haberet homines suos sicut in proprio Castello suo, & Abbas haberet Ecclesias ipsius Castelli, ordinandas, & disponendas arbitrio suæ voluntatis, & sic exinde habuit ipse, & successores eius, & quiete possederunt in sua Castellania, & dominio, sicut in proprio suo Castello, homines, & Ecclesias: ipse vero Trasmundus cum quantum facultatum eius temporis ministrabat congruitas in commodum huius Ecclesiæ diligentissime exuberabat. Addidit quæ huic Monasterio dederat Monasterium S. Vitalis cum Ecclesiis suis, & dote, & omni tenimento. Cuius fines sunt Petrascripta guardia maior Scorribium seruorum, Caput montis Aquæpendens: quod sicut ipsius continet instrumentum, diuidit tenimentum eius tenimento Carpineti, & Miratoria, bozza de acera, Fluuius Scliouis, & via quæ tenditur ad Petramscriptam: Hoc igitur Monasterium S. Vitalis dedit huic Monasterio Sancti Bartholomæi tempore Abbatis Erimundi cum toto tenimento, quod est infra istos fines mensura modiorum quingentorum, & si hanc mensuram excedit, vt eius asserit instrumentum nihil sibi, vel suis reseruauit hæredibus, sed omnia in integrum huic largitus est Monasterio. Prædictam Ecclesiam cum hoc tenimento, & omnibus alijs suis possessionibus in eius instrumento descriptis ad possidendum, hæreditandum, & de ea secundum voluntatem suã disponendum. Deinde procedente tempore vir iste magnificus, & in mundanis negotijs strenuus, perhorrescens

B perfidiam fortunæ perniciosã, ludentis falsæ felicitatis illecebris, & eius cæci numinis vultus ambiguos deprehendens, totam orbicuları raptu cuncta versantem, sapienter descendit, & veniens ad Monasterium istud cui multum erat deuotus ceruicem suam sub regulari norma Beati Benedicti Deo iugiter militaturus domandam submisit, vbi post tempora felici exitu migrauit ad Dominum, & in hoc Monasterio sepulturam accepit, cuius nepotes Sanio, & Carboncellus filij Raynaldi fratris eius descendentes per consanguinitatis lineam à nobili stirpe Bernardo Liuduni memoriæ celebrandæ, à quo tertio gradu secundum Canones distincti à vite plantationis deuoti cultores Monasterio isti magna dilectione tenebant obnoxij. Cum dederunt Ec-

C clesiã sanctæ Mariæ in Genestrula, & Ecclesiam S. Mariæ Inferno, cum terra modiorũ centum. Has duas Ecclesias dederunt huic Monasterio possidendas, & pro sua voluntate iudicandas, & ordinandas. Iterata igitur oblatione dederunt in Carpineto iuxta lopircum terrã modiorum quatuordecim. Præterea ipsi Carboncellus, & nepotes sui Raynaldus, & Bernardus filij fratris sui Sansonis dederunt huic Monasterio S. Bartholomæi medietatem Castelli Carpineti, cum carbonarijs; cum hominibus, cum introitu, & exitu suo, cum tenimentis, & pertinentijs suis, quæ habent fines à capite verticem montis Aquæ

D pendentem, Coculum, vlteriorem petram Rasorisi, & metam fagum Raynaldi, Porcilium, collem de plo neca totem, Montem Rotundũ, Riuum, siluam planam, Scoribium seruorum miratoria, guardiam maiorem, Petras Roymundi, Castillonem, & Fossatum à fetatis. Præter hæc dederunt medietatem Ecclesiæ Sanctæ Agathæ, & in Rugo terram mensura vnius modij. Raynaldus, & Bernardus filij Sansonis paternum, & patruelo imitantes exemplum, vt quibus succedebant progenie, succederent meritis dederunt huic Monasterio Ecclesiam S. Nicolai de Viculo perpetuo possidendam, & pro suæ voluntatis arbitrio iudicandam ordinandam, & disponendam, nihil sibi, vel suis hæredibus reseruato. Item ipse Carboncellus cuius affectus nunquam à

bono

bono refrixit circa Monasterium istud, cui oblationis munus recitare curabat, vt meritũ suæ retributionis augere, dedit huic Monasterio Ecclesiã S. Christophori ordine prætaxato, sed postquam est ipse sepultus in gloria, reliquit filium successorem hæreditatis nõ probitatis nomine Bernardum, qui proavi abutens vocabulo eius moribus, & meritis fuit omnino dissimilis, ita quod non ab illo florifero stipite Bernardo Liudum huius Monasterij fundatore, sed ab architecto iniquæ constructionis diabolo crederetur traxisse originem. Nam non eius erat filius cuius locum tenebat, sed cuius opera exercebat: hic pabulum Antichristi, massa dæmonis, coluber tortuosus à maiorum virtute degenerans cœpit contra Monasterium istud iuvenili animo insanire, & quasi cruenta bestia fremere, & ad euersionem ipsius tota mente aspirare, bona Monasterij lacerare, detrahere, & modis quibus poterat deuastare, & annullare, rodebat enim mordaci dente quidquid de bonis huius Monasterij capere poterat, vel attrectare. Ad cumulũ igitur suæ nequitiæ, & Monasterij, quam optabat destructionem, mittit Camerarias suas ad lauandum pannos secus portam Monasterij, quæ venientes frequentabant, & vtebantur officinis Monasterij tã quam proprijs domibus pro pudor! intrabãt claustrum, & refectorium auferentes panes de mensis, Monachorum victui deputatos, & quod erat scelestius, domum ad expurganda fratrum exquisita naturæ proprijs vsibus deputabant. His laqueis conabatur Monachorum intercipere animos, has eis foueas ad ruinam parabat. Tantis itaque persecutione vexabat Monasterium, quod eius Abbas Erimundus vir vitæ venerabilis cum suis fratribus compellitur Monasterium egredi; sequens illud euangelicum; Si vos persecuti fuerint in ciuitate vna, fugite in aliã. Iuit Io. cratanum, cui toto tempore illius persecutionis, tanquam domui cohabitauit: datur locus viro nequissimo, vt dum iniustus sæuit Bernardus, iustus cum fratribus purgatur Erimundus, quia vtilitati innocentium militat vita prauorum. Sed Deus omnipotens, qui balteum regum dissoluit, & accingit fune renes eorum, ad abolendam huius viri nequitiam excitauit Normãnos, ad quorum aduentum, vt puluis ante faciem venti, &, vt lutum platearum, est hic Bernardus graui deletus exterminio, & proscriptus ab hæreditate paterna, qui egenus, & exul, graui post detentus infirmitate spiritum exhalauit. Verum Normãnorum quidam vir nobilis, & magnificus Vgo Malmozettus omnes prouincias istas nutu diuino, suo subdidit dominatui. Septem filios quos habebat statuit Duces, & Comites, venit ad Monasteriũ istud & dum videret eius desolationem horrendam, & tyrannidẽ Bernardi sepeliendæ memoriæ Monasterium destructum Monachis, & Abbate vacuum, eius miseriæ condolens, & valde compatiens reuocauit Abbatem, & Monachos, & eos proprijs restituit sedibus; Monasterij bona congregauit dispersa. Compegit confracta, & compacta seruauit. Vbi autem Erimundus Venerabilis Abbas est propriæ sedi cum Fratribus reformatus, qui fuerat prius lucerna latens sub modio, cœpit postmodum lucere supra candelabrum. Dissolutis igitur persecutionis nebulis ipse Abbas Monasterij profectibus cœpit indesinenter insistere, & opus campanilis, quod imperfectum reliquerat consummauit, & dum ad regimen Monasterij viginti & quinque annos desudasset, Octauo Calendas Februarij munitus sacro Viatico migrauit ad Dominum, cui successit Adam, qui viuẽs in regimine annis tres, quintodecimo Calendas Ianuarij vitam consummauit in breui. Sed cum de Fratribus Monasterij non esset quisquam ad regimen Ecclesiæ sufficiens, qui posset illud à tanta inopia releuare, quoniam adhuc calamitate squalebat, ob miseriam per iniquum Bernardum illatã: adeunt Fratres Vgonem Malmozettum, qui glutino deuotionis, & magnæ dilectionis erat Monasterio fœderatus, consulunt eum de inuenienda persona, quæ regimini Monasterij esset sufficiens, & ad proponendum idonea, cuius consilio, & auxilio elegerunt quendam Monachum Casinensem Præpositum Ecclesiæ septem Fratrum de Aprutio virum prudentẽ religione, & vita probabili notum, nomine Ioannem; qui iuxta morem sublimatus in sede cœpit ad restaurationem Ecclesię diligẽter laborare. Verum eo tempore Monasteriũ S. Clementis, quia Pastore vacabat, & fratres ipsius Monasterij sciẽtes huius Abbatis prudentiam, & vitam commendabilem, petierũt ipsum in Abbatem S. Clementis, & quoniam enixius clamauerunt, secuta est eorum clamoris exauditio, transfertur ad ipsam Abbatiam, & ei proponitur Abbas post decem annos, & menses totidem quibus huic Monasterio præfuerãt, qui pro morum honestate, & sapientiæ prerogatiua postea in Episcopatum S. Pelini meruit sublimari, & dimittens Abbatiam, tenuit Episcopatum, pauco tempore quidem, duobus videlicet annis, mensibus quinque & vigintiquatuor diebus in regimine, tam Abbatiæ S. Clementis quam Episcopatus S. Pelini & viuere desijt, & in S. Pelino octauo Idus Augusti meruit tumulari. Verum quoniam à Monasterio isto per seriẽ orationis videor digressionem fecisse, per eãdem ad illud faciamus regressum. Quia per huius translationis contractum, Ecclesia ista fuerat viduata pastore, cœperunt fratres de eligendo Abbate tractare, circa quod ipse Malmozettus cœpit esse solicitus, eo quod dominus erat huius Monasterij, cui satis deuotus, qui ad suggestionem vxoris suæ veniẽs ad Monasterium istud cœpit diligenter inquirere vbi esset Sanso Monachus quondam filius Carboncelli recordationis felicis, qui ob iniquitatem fratris sui Bernardi in aduentu

Mo-

Monachorum sutras per eos vna cum illo proscriptus, & tunc apud Monasterium Sancti Ioannis in Venere, propter persecutionem imminentem sibi, quasi delitescens manebat, quod vt comperit præfatus Vgo, misit, & eum ad Monasterium istud fecit venire, credens, immo quasi diuino præsagio illum imitatione boni Patris Monasterio huic profuturum præuidit: cœpit igitur fratres monere, ac exorando rogare, vt illum in Abbatem eligerent, ad cuius siquidē exhortationem immo ad Dei aspirationem Fratrum communis electio cum Monasterio istū Rectorem præfecit, & more solito in cathedra sublimauit, de cuius vita & actibus in subsequenti libro duximus plenius differendum. Hæc in præsenti nos dixisse sufficiat, vt reparati per silentium inoffensis gressibus nostræ locutionis intrepidum pedem ponamus.

LIBER TERTIVS.

REparati per otium, & tædio quo fueramus affecti iam per silentium liberi, reuocantes in gratiam calamos abdicatos, radicem linguæ quam velut in molem arboris traximus in altum crescere culmen, & in ramos multiplices dimitti cogamus, & ad narranda gesta magnifici viri Sansonis Abbatis nostrum stylum totum vertamus. Prænominatus igitur Sanso postquam diuina gratia in sede huius Monasterij, more solito, est sublimatus, toto animo cœpit huius Ecclesiæ vacare compendio, & domesticæ vtilitati deseruiens se in exterioribus commodis nihilominus exercebat. Sed quia terra quæ prius pace siluerat per aduentum Normannorum est in seditionem maximam excitata, Monasterium istud, per quosdam eorum non modicā iacturam incurrit. Verum quia res postulat, & materiæ competit, vt quare, qualiter, & quomodo fuerit Normannorū aduentus, breuiter styli depingat officium, quatenus euidentius amodo cognoscatur, per quos illorū Monasterium tulit dispendium, & per quos dignum recepit compendium. Eo igitur tēpore, quo Græcorum exercitus dominabatur Apuliæ, contigit, quosdam Normannorū ad cryptam S. Angeli sitam in monte Gargano causa orationis venire, vbi dum viderent, quemdam virum nobilem, ciuem Barensem, nomine Meluum, more Græcorum vestibus indutum; caput mirificè habentem quasi mitra ornatum, interrogantes, eum quis, & vnde esset, qui se Barensem esse respondit, & Græcorum perfidia exulare à patria, sed dicebat si Normannorū haberet subsidium, & patriam posse recuperare, & facile Græcos ab ea expellere. Normanni itaque hoc audientes, & sua, & suæ gentis promiserunt ei dare auxilia, & repatriātes cū magno post exercitu Roma trāseuntes inermes in Campania descenderunt, vbi eis malum occurrit, & primo fecit eos arma parare, deinde ad inuadendam Apuliam properare, & primo cum Potiano ad Arenulam iuxta Fortorium flumen æquali euentu, secūdo cum Ternitio Catapano Græcorum pugnantes vicerunt: sequenti anno cum Basilio Carapano, misso ab Imperatoribus Basilio, & Constantino pugnantes, victi ad Aufidum iuxta Cannas. Meluus igitur Barensis, Dux Normannorum cum superatus esset, Henricum Imperatorem Alamanorum auxilia petiturus adijt, ibique defunctus est, Normanni vero hoc audientes in Campaniam vbi ei quondam Meluus occurrerat, reuertuntur, & nullis certis locis castra figentes austris properarunt, ibique castra fixerunt, cōstituentes ex suis quemdam Principem nomine Arnulphum, deinde aptum locum ad habitandum non longè inueniunt, ibique Auersa condiderunt, & nunc Capuano, qui cæteris fortior erat, nunc Salernitano, nūc Sorentino, nunc Neapolitano Principi adhærebant, nulli prorsus fidem seruantes, ne alter alterum subijceret. Facta igitur Auersana ciuitate, mittuntur vltra montes ad suos, & festinanter ad ditissimam Prouinciam, cum eis capiendam venerunt multi pauperes, vt fuerant diuites, vt fuerunt ditiores statuuntur eis xij. Comites velut Domini à reliquis celebrandi, atque colendi. Deinde Apuliam intrauerunt, & totam occupauerunt terram. Inter quos fuerunt duo nobiles viri, Vmfredus, & Drogo cæteris prelati Comitibus fratris Roberti Guicardi fortissimi Ducis filij Tancredi de Alta villa, vico prouinciæ Normaniæ, octo enim fratres, vno genitore, diuersis tamen matribus progeniti inter reliquos Normannos, qui regnum istud occuparunt primatum tenuerunt. Robertus vero audiens fortunas fratrum suorum quā felices essent, cupidine dominandi vltimus omnium venit in Apuliam, Cū ergo fratres suos Drogonem scilicet & Vmfredum, prælatos cæteris Comitibus inuenisset, corū fretus auxilio ad inuadendam Calabriam properat Eo siquidem tempore Nicolaus Papa Apremelham Sedem Ducatum honorificè recepit, quincentum Episcoporum Concilio habito Subdiaconos, & Diaconos, ac Presbyteros ne vxores haberent corripit, Tunc Robertus Ducali ab eo dignitate accepta, & Romanæ Ecclesiæ fidelitate facta se subdidit potestati, Sic deinde Dux Apuliæ, & Calabriæ habitus est qui postquam Apuliam, & Calabriā Barrū aliasque maritimas vrbes adeptus est, Panormum vna cum fratre suo Rogerio, qui iam magna ex parte Siciliæ Insulam tenebat Post hec Ciuitate Salernum, vetus Dirachium Vltramare aliasque circa eas plurimas terras egrediens comprehendit, deinde Alexium Imperatorem Constantinopolitanum pugnādo deuicit. Postremo de Vltramarinis partibus, Bamundo filio suo ibi relicto ad presidiū eorum, quæ acceperat redijt, Deinde Romam adiens Gregorium Papam expulso Henrico

rico

rico Rege liberauit, eumque Salernum duxit. ibique ipse Papa mortuus est. Et hic postea idem Robertus trans mare rediens ibi diem mortis clausit extremũ in vrbe insulę Cæphaloniæ ad quam Rogerium filiũ Ducem Apuliæ miserat capiendam, ibique inter lachrymas filij sui Rogerij Ducis, & vxoris suæ Dux iste obijt anno Ducatus sui xxv. ætatis autem lxx. corpus vero eius exanime Venusium delatum in Monasterio Sanctæ Trinitatis sepultum est honorificè. Cui successit in Ducatu Apuliæ Rogerius filius eius, de quo natus est Guillelmus Dux, in quo successio genitæ prolis ab illo nobilissimo Duce Roberto finem suscepit. Drogo vero qui & Tascio frater eius quem supra memorauimus, Comes Lamberti vir magnificus, & potentissimus, vt Castellum suum Lambertum, quod angustis finibus cingebatur ampliare atque augere vndique posset cum adiacentibus Castellis tenimenta plurima depressit, & Monasterio isti tenimentum Valeczi indignè, & irreuerenter abstulit, & præscriptum suum Castellum exinde ampliauit. Elabente itaque tempore, idem Comes diuino intus spiratus à flamine, quod indignè gesserat hoc modo reuocauit, videlicet, vt tenimentum Valeczi iuxta quod continetur instrumentis, præter id quod in dominio suo Monasterium habuerit hominibus Laureti habitantibus ad laborandum, ipsique decimas eidem Monasterio reddant, quas si rectè noluerint reddere, Abbas præscripti Monasterij licentiam habeat illas terras hominibus ipsis retollere, easque alijs hominibus quibus voluerit in eodem Castello habitantibus donare: Ita siquidem, vt, & ipsi eidem Monasterio rectè decimas reddãtur; propter quod Dominus Sanso præscriptus Abbas prætaxato Comiti promisit, vt per singulos annos in die obitus sui solemnes vigilias, & missas pro anima eius celebraret huius Monasterij Conuentus, & faceret omnia signa pulsari. Ob id igitur sæpe dictus Comes cõuenit præfato Abbati, & huic Monasterio supra scriptura tenimentum defendere, & antistare contra quemlibet molestiã facientem, & nullum exinde seruitium ab hoc Monasterio quærere: Postquam enim hic Magnificus, & Illustris Comes xiv. Kalend. Septembris mortis commune debitum soluit. Tam dictus Abbas, qui circa frequens ministerium huius Ecclesiæ satis erat sollicitus, cum quibusdam Monachorum suorum Lauzanucini ad Robertum fratrem prænominati Drogonis Comitem Lorotelli adijt, et deuotè supplicans, vt quod prædictus Drogo felicis memoriæ cõuenerat huic Monasterio de tenimento Valeczi, ipse ratum haberet, ac irrefragabiliter obseruaret, & neque ipse, neque aliquis Comes Laureti pro huius transactionis obseruantia peteret à Monasterio seruitium. Quod idem Comes libera spontè concessit. Et scripti memoria roboratum coram Domino Bainouo Thetano

A Episcopo, & Vgone Malmozetto, & alijs bonis hominibus. Tunc sæpe memoratus Abbas pro anima prædicti fratris Tasconis mille Missas Deo facere offerri, & per singulos annos anniuersarium celebrare ordine prætaxato promisit. Postquã vero, vt diximus, iam dictus Drogo fatis concessit. Filius eius Guilelmus Tasconis ei successit, qui nescio quo instituto, vel inuidiæ incentiuo quandam arcem huius Monasterij sitam in mõte Sanato fecit latenti fraude furari quod, vt comperit præfatus Abbas strenuus & sagacissimus artem arte refellit, & dolum dolo delusit præscriptam artem simili fecit arte retolli, & deuitans ne imposterum similem posset iacturam incurrere, fecit eam dirui. Deinde post

B tempora iam dictus Guilelmus diuino spiratus amore intrinsecus pro indulgentia in vltimo, & tremendo examine à Domino impetranda, dedit huic Monasterio Ecclesiam S. Mariæ in Plano, & addidit totum tenimẽtum, quod fuerat Serbie, pro quo tenimento sæpe dictus Abbas dedit ei ducentos Bizantios. Item quia hic prudentissimus Abbas magno erat cum Ecclesia Pennensi amoris glutino fœderatus. Paulo Pennensi Episcopo cum toto Conuentu, & Capitulo Ecclesiæ suæ dedit huic Monasterio, & domno Sãsoni Abbati Ecclesiam S. Mariæ in Catuuiano cũ omnibus pertinentijs suis, & omnia iura Episcopalia istorum Castellorum scilicet Catuniaui, Onuzaui, Cocletaui, Genustrale, Car-

C pineti, Farie, Brituli, quodcumque ipsi Episcopatui pertinebat, vel pertinere debebat, omnia & in omnibus huic Monasterio, & prænominato Abbati concessit soluenda, iudicanda, & perpetuo possidenda, præterquod Monasterium istud tenetur persoluere annuatim Pennensi Ecclesiæ infra Octauam Sanctæ Assumptionis Mariæ xij. denarium, & aut post reuolutionem vnius anni, vel duorum, secundum temporis qualitatem, vnum bouem, vel pecuniam, vnum bouem, vel cutem. Et hæc præscripta vendere, vel alienare non possit alicui nisi Pennensi Ecclesiæ. Ad hæc igitur Episcopus vna cum prænominato Abbate statuit, vt si qua partium contra hanc trãsactionem venire præsumpserit, componat libras auri centum, & hoc scripti munimine

D roborauit cũ subscriptione idoneorum testiũ. Procedẽte vero tempore Eribertus Penniusis Episcopus successor huius Paraponis, quod eius prædecessor Pampo cum Abbate Sansone, & Monasterio isto fecerat concessit & scripti munimine roborauit, & addidit Ecclesiæ huic omnia Episcopalia iura istorum Castellorum scilicet, Vicoli, Penne, & Castilionis, & Ecclesiã Sancti Ioannis in Baluto cũ omnibus pertinentijs suis de his omnibus huic Monasterio dedit cum toto Capitulo Ecclesiæ suæ quantum ipsi Episcopatui pertinebat, vel pertinere debebat. Item sub eodem Abbate Sansone Vgo Malmozettus nobilis vir Normaniæ magnificus, & munificentissimus

huius

huius Ecclesiæ præcipuus benefactor dedit A huic Monasterio Castellum Fellonacum cum tenimentis trium millium modiorum. Item Raynaldus, & Bernardus filij Sansonis filij quondam Rainaldi, Bernardi quidem a bono stipite nô degenerantes, sed auitis inhærentes vestigijs huic Monasterio quasi proauitæ plantę semper conabantur opima irrigua propinare, dederunt ei Ecclesiam Sancti Nicolai de Viculo cum omnibus pertinentijs suis ordinandam, indicandam, liberę, & absolute pront voluerit possidendam: Similiter hoc eodem tempore Rofredus, filius quondã Mayfredi dedit huic Monasterio Ecclesiam Sancti Laurentij Deonezano. Verum quia huius Abbatis, vt diximus, prudentia, licet pro agendis huius Ecclesiæ vigilem curam, & B operam impenderet efficacem, quandoque tamen, vt est humanæ naturæ pro illis quibus eum carnalis vrgebat affectio asperioris casus interiorem in animũ transfundebat illisio. Et quæ benignitas sortis melioris indulgebat in eius pectore exultationis stillicidium inspirabat: Vt autem audiuit quia quidam Normannorũ eo quod ire disposuerat vltra mare, vendere volebat Castellum Britulum quod nepoti suo gentili filio fratris sui Bernardi Carboncelli, cuius in priori libro memoriam fecimus iure patrimonij attinebat, ne cum Guilielmo Tasonis viro fortissimo huius venditionis transactio fieret per quam a genere suo illius Castelli in alios transferretur possessio, transegit illi Normanno dare centũ libras, vt prædictum Castellum suo nepoti redimeret, ne horrenda paupertas eũ ostiatim cogeret exulare; venit ad Monasterium istud, & C fratres dulci colloquio cœpit rogare, vt de thesauro huius Monasterij permitteretur debitum istud persoluere, promittens huic Ecclesiæ optime inposterum recompensare. Tandem à fratribus sumpta licentia fecit tabulam Altaris argenteam sibi præsentari, quam præsentatam iussit confringi, quod cum nullus auderet; quidam Monachus oriundus de Penna nomine Ioannes Bonihominis prosiliuit in medium dicens, Filios Bernardi Carboncelli nequaquam exulare permittamus, Et hoc inquiens argenteam Crucẽ Saluatoris malleo duro confregit, quem præsumtionis excessum euidentissimum postea est D subsecutum miraculum, quia crus illius audacissimi Monachi totum scaturiens putruit, & sic horrido languore interijt. Prænominatus vero Abbas ex ære huius Ecclesiæ debitum quo tenebatur persoluit. Et Castellum Britulum suo nepoti redemit. Procedente autem tempore idem Abbas ęgrotauit ad mortem, tunc fecit ad se gentilem suum Nepotem venire, & cum singultu longa trahens suspiria cum lacrymis aiebat; Heu, heu dura sunt mihi parata Infernorum supplicia, eo quod Apostoli Bartholomæi sum nouus ego decoriator, acrius eum, quam antiqui carnifices pro te dulcissime Nepos decoriaui. Volo enim, vt dimidium Castelli Carpineti in commutationem Castelli Brituli quod de Thesauro Apostoli redemi Monasterio ipsius Beati Apostoli dones; quod ille libera sponte facere promisit. Tunc venit, & cum litteris in quibus hanc donationem scripserat, & testimonium subscriptione roborauerat totum Carpinetum huic Altario Beati Apostoli Bartholomæi coram omni Fratrum Conuentu obtulit, positis litteris instrumentarijs super Altario; obtulit autem sic libere habendum, indicandum, possidendum, & perpetuo iure hæreditandum, post hæc verò prænominatus Sanso Abbas, iij. Idus Nouembris felice exitu migrauit ad Dominum, Postquam xxxv. annos huius Ecclesiæ vacauit ministerio. Cuius nimirũ Ducis consuetudo tã dulcescebat in moribus quam parentum merita nobilem prædicabant, & nobilitas venerendis actibus clarum, disertum facundia demonstrabat, corpus autem eius licèt lapidis sepulcri tegumento obduceretur, animam tamen eius credimus in Paradiso gaudere. Celebratis igitur tanti viri exequijs fratres vno die quẽ opportunitas dedit simul cõueniunt, & ne viduitaris molestijs Ecclesia diutius fatigaretur, cœperunt de eligendo Abbate tractare. Et subito qui elegit Dauid de post fœtantes in regem, de eligendo Pastore docuit istum gregem. Pari ergo voto, & communi deliberatione elegerunt, ac in sede posuerunt quendam de suis nomine Ioannem vita perspicuũ fama celebrem, modestia simplicem, solertia circunspectum, eruditione cautum, honestatis, & Religionis lacte à tenero vngue in virum perfectum nutritum. Resultat tunc itaque ad Dominum tota hic exhilarata Ecclesia, quoniam illum ei concesserat in pastorem sub cuius, tam prouido, quàm benigno regimine floruit. Ne igitur tanti viri denigret titulos oratio rustica, & tædio loquacitate narrationis in recitandis actibus, tam clarissimi hominis lingua balbutiat, decreui ostio circunstantię labia mea obducere, & taciturnitatis repagulis sermonis aditum intercludere, vt reparata per otium virtus ingenij, & liber eloquentiæ cursus ad explicanda gesta Sanctissimi Abbatis Ioannis ęquo fœdere aspiretur, & in sequenti libro concordetur.

LIBER QVARTVS.

INgenij viuacitas quietis reintegrata solatio, & eloquentiæ virtus multiplici conceptum materiæ sermonis sobolem parit, & licet eam limpidę dictionis nequeam operimento vestire, ac tenero polire dictamine, veritate tamen fulcietur inconcussa, quia narrandorum euidentissima certitudo prorsus abiurat omne mendacium, eliminat falsitatis opprobrium, nec quærit desucata fallacia figmentari. Prænominatus igitur Ioannes

A nes vir vitæ venerabilis in Abbatem huius
Monasterij electus Sancti Saluatoris Ecclesię
Magellensis abrenunciauit Prioratui, cui de
Monasterio isto supradictus nescio quot annis
præfuerat. Deinde adijt Dominum Pascalem
Romanum Pontificem felici memoriæ
dignū, quem ipse Papa benignè suscipiens eique
consecrationis munus impertiens, Monasterium
illud exemit, & priuilegij robore
communiuit. Sic nimirum noster Abbas læ-
tus in Domino remeauit ad propria. Verum
dū Religionis operibus libenter intenderet, &
Ecclesiæ necessitates in exterioribus eliminaret,
& in interioribus cultum diuinæ seruitutis
instauraret, callidus hostis humani generis;
vt ei posset in his pietatis operibus ali-
B quod impedimentum parare, aduersus eum
excitauit Grimualdum Pennen. Episcopum,
qui pro tribus Castellis, scilicet; Viculo, Castilione,
& Penna, quæ Eribertus Pennensis
Episcopus prædecessor ipsius huic Monasterio
dederat Romano Pontifici de præscripto
Abbate querelam deposuit. Ad cuius suggestionem
Dominus Papa, D. Berardo Marsicano
Episcopo Romanæ Ecclesiæ Cardinali
viro sanctissimo causam ipsam audiendam, &
terminandam commisit. Tunc idem Episcopus
ad huius causæ decisionem venit ad
locum, qui dicitur Septem viæ, ibique partes
ante suam præsentiam congregatas, talis conuenientiæ
glutino fœderauit, vt per singulos
C videlicet annos infra octauas Assumptionis
Sanctæ Mariæ Monasterium istud redderet
Pennensi Ecclesiæ xxiiij. denarios, & post
decursum vnius anni, vel duorum, secundum
temporis qualitatem, vnum bouem, vel pecuniam
vnum bouem valentem eidem Ecclesiæ
redderet. Et sic deinde ipse Abbas,
& cæteri subsequentes Abbates consueuerunt
persoluere prædicto Episcopo sex solidos
denariorum, quando bouem dare nolebant.
Ob id igitur Grimualdus Pennensis Episcopus
confirmauit, & instrumento corroborauit,
omnia quæ Pampo, & Eribertus Episcopi
eius prædecessores huic Monasterio dederant.
Hac igitur transactione celebrata idem
Episcopus cum præscripto Abbate commu-
D tauit pro Castello Viculo præter sepulturas
bonorum virorum ad hoc Monasterium voluntariè
venientium, & Ecclesiam sancti Nicolai
dedit huic Monasterio Castellum Fabricā,
dedit vtique quicquid ad iurisdictionē sui
spectabat Episcopatus. Pro Castellione vero,
& Penna statuit, vt Pennensis Ecclesia, vi. denaria
huic Monasterio persolueret annuatim.
Sic deinde iam dictus Grimualdus Episcopus
ab illa infestatione quieuit. Postmodum
etenim præmemoratus Abbas sanctissimus
licet exterioribus curis pro dispensatione
suscepti regiminis prudenter inuigilaret, disciplinæ
tamen bonæ institutionis interius
mysterijs etiam occupatus vacabat. Quodam
igitur post hæc inopinato rei euentu
cona Imaginis Saluatoris, quæ est in tribu-

A nali de medio super Altare Beati Bartholomęi
cecidit, ipsumque confregit ex parte, tunc prę-
scriptus Abbas ad innouandam consecrationem
congregatis Episcopis Marsicano, Theatino,
& Pennensi fecit ipsam Ecclesiam xvij.
Kal. Decembris in honore Apostoli Bartholomæi
titulo Beati Petri Sacrosanctæ Romanæ
Ecclesiæ dedicari; cuius iam fuerat per
Romanum Pontificem in consecratione Abbatis,
& indultu priuilegij exemptione munita;
Consecrato in Maiori Altario in columnella
de medio dextro humero, quod est superius
cubito Beatissimi Apostoli Bartholomæi;
Nā nullus credat me falsitatis astruere
verbum, quia ex subscripto miraculo debet
duritia incredulitatis confringi. Qua-
B dam igitur die, dum quidam Monachus nomine
Berardus de Carapelle diceret se nullo
modo fidei assensum prębere, quod brachium
Beati Apostoli Bartholomæi esset in hoc Monasterio
reconditum; subsequenti nocte dum
se sopori dedisset, & coram Altari Beati Bartholomæi
per visionem astaret, vidit ipsum
Apostolum coram eodem Altario stantem
dextrumque humerum suum in manibus tenentem,
sic dicentem: Numquid non credis
brachium meū esse in hoc Monasterio? Amodo
scias, & vltra exinde nullatenus dubites,
quia hic propriè humerus meus est in hoc
meo Altario reconditus. Ex tanta itaque visione
prædictus Monachus pauore correptus
C euigilauit; & narrauit Abbati, & cæteris
fratribus quæ viderat, & ego ipse hæc eadem
eum postea narrantem audiui. Verum
licet digressionem videamur fecisse, ad inceptæ
narrationis seriem redeamus. Igitur finitimi
Barones quidem nobili stipite Bernardi
Luiduni huius Ecclesiæ Fundatoris
fuerant secundum carnem progeniti, audientes
istam Ecclesiam Romanæ Ecclesiæ titulo
insigniri, non sunt gauisi de augmento proauitę
plantationis, quia per huius consecrationis
titulum, & per Romanę Ecclesię exēptionem
huius Monasterij etiam à Fundatore
indulta libertate gaudentis credebant se
priuari dominio, quibus, nec vnius quadrantis
fuerat opportunitas de dominio reseruata,
D Cœperunt itaque rapaci dente possessiones
huius Monasterij quæ apud ipsos erant quæque
distrahere, & eis hoc Monasterium destituere.
Tunc quadam conuentione, compositum
est inter Venerabilem Abbatem
Ioannem, & Bernardum de Ciuitaquana, vt
in communi Curia ordine iudicia disceptarent,
In cuius causæ ventilationem, cœpit
idem Abbas Ecclesias Sanctæ Mariæ in Genestrula,
& Sanctæ Mariæ in Sereno, & Sancti
Christophori, quas ei ipse Berardus iniustè
abstulerat, repetere; habendas, & possidendas
secundum instrumentorum obtentum
iuxta quem prius possederat. Ille vero de
contrario dicebat, non ita illum debere possidere.
Et hoc singulari offerebat facere probari
duello, quod ita compositum est, vt

singularis certaminis hoc terminaretur discrimen, ad statutū igitur locum, & terminum pars vtraque conuenit, & pro Monasterio isto Ratterius Ricardi de Fabrica armatus ad duellum prosilijt, tunc alterius partis Campio qui fuerat hic armatus contrarius audiens virum illum fortissimum, & ad bella satis edoctum, & strenuum secum dimicaturum, & rationis obtentui diffidens, & fortitudinem famosi hostis admodum reformidans arma deijciens renuit cum eo dimicare, sic igitur rationis censura idem Bernardus in lite contestata succubuit; Ob id nimirum noster Sanctiss. Abbas in retributione præstiti obsequij prædicto Ratterio Ricchardi redditum vnius feudi in Castello Farra concessit. Deinde iam dictus Bernardus, vbi se vidit rationi succubuisse, Dæmonum afflatus præstigijs feruore malignitatis exæstuans ab iniquitatis opere nolebat pollutas manus retrahere, nec ablatas Ecclesias huic Monasterio restituere. Tunc prætaxatus Abbas ad Ciuitaquanam adijt, obsecrans eum, & monens, vt ab illa tyrannica infestatione se converteret, & quod iniustè fecerat, iustè reuocaret. Verum quia vt acetum, initio, qui cantat carmen cordi pessimo, nec monitis paruit, nec precibus acquieuit, immo in personam eius contumeliosa verba refundens exprobrando, & obloquendo minabatur eum de Castello contumelijs affectum deijcere. Tunc Abbas ille Sanctissimus non pro illatis iniurijs, sed ad confringendam illius mentis duritiam non materialem, sed spiritualem exemit gladium, eumque anathematis sententia vulnerauit. Post hoc iter reuertendi arripuit, post cuius discessum tantus hemicraniæ illum Bernardū dolor inuasit, quod ad modicū exhalare spiritum credebatur; Tunc duo milites eius vestigia subsequentes vix eum multis precibus reduxerunt, cuius signaculo Sanctæ Crucis præscriptus Bernardus deuotè supplicans, & omnem emendationem promittens, benedictus, & insignitus priori sanitati est illico restitutus, qui subsequenter iuxta promissum confestim ablatas resignauit Ecclesias; Tandem itaque huius Abbatis celeberrima innotuerat fama, quod miro eum omnes venerabantur affectu, & quidem de proprijs facultatibus deuotè huic Monasterio offerebant, quorum vnus Beraldus filius quondam Roffredi confirmauit huic Monasterio Castellum Follonachum, quod ei Vgo Malmozzetta memoriæ felicis, & postmodum Roffredus pater eius dederant. Rambertus Comes Laureti reddidit huic Monasterio Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Plano, quam Comes Zaseio dederat in hospitio Gentili Grandinato, reseruatis huic Monasterio statutis debitis. Item Transimundus filius Berardi dedit huic Monasterio in Castello Ciuitella vnam petiam terræ in plano. Cuius fines sunt a pede Terra Sancti Michaelis, à capite via Salarea: ab vno latere via publica, & ex alio latere limites, & fossatus. Item Ratterius filius Ioannis de Fabrica dedit huic Monasterio in Castellario Nirano terram mensura vnius sextarij; & infra ipsius Castelli Nirani pertinentia terram mensura modiorum centum, & in fluuio Naura iuxta Carpinetum medietatem vnius molendini. Item Ratterius filius quondam Riccardi de Fabrica. Ildebrandus Transmundi cum suis consobrinis, Transmundo, Sualerto, & Bruno, Rainaldus Pagani cum suis fratribus Berardo, Oderisio, & Beraldo, Gualbertus Guinisij dederunt Ecclesiam Sancti Laurentij de Fabrica cum omnibus pertinentijs suis liberè habendam, absolutè possidendam, & perpetuo iure hæreditandam, nihil sibi de dominio reseruato. Item ipse sæpedictus Abbas Ioannes statuit Ecclesiam Sanctæ Mariæ sub Brittulo Baptismalem, commissis sibi Ecclesijs eius castelli scilicet Sancti Erasmi, S. Heliæ, S. Pij, S. Martini, S. Pauli, & S. Ioannis. Verum quia sæpè feriunt summos fulgura montes, semperque zelo percutitur virens, vt commota per flagella suauitatis diffundat odorem, prædictū Abbatem cœperunt aduersa concutere. Barnardus igitur filius Carboncelli in secundo libro præmemoratus in quo paternæ radicis viriditas aruit, & proauitæ plantationis stetit successio, reliquit filium iniquitatis, & possessionis hæredem nomine Gentilem licet forte non fide, gentilitatis tamen prauitate armatum, qui post mortem Clarissimi Abbatis Sansonis Patrui sui donationis, immo venditionis dimidij Carpineti quem tempore præscripti Abbatis huic Monasterio fecerat, cœpit violare contractum, & in eodem Castello, vt in proprio habitare, ac dominari, & Monasterium multis infectationibus fatigare. Qui nimirum dum quodam tempore ictu grauis quateretur infirmitatis. Rofredum de Oliecrano tam in Castellis huius Ecclesiæ, quam in suis proprijs statuit tutorem pupillorum filiorum suorum. Quod præscriptus Abbas, vt nouit illum excommunicationis multauit sententia, sed è vestigio diuinæ vltionis clades accessit, quia dum idē Gentilis ageret in extremis, & corpus Dominicum quod ore sumpserat, nec eijcere poterat, nec glutire, ita interclu serat spiramina gutturis, sæpe signis, & nutibus petens, vt pro se supplicaretur Abbati, qui dum rogatus iuisset, ipse Gentilis acceptis manibus quorundam maiorum militum Carpineti scilicet Lotherij, Grimaldi, Ioannis Dauidis, & Squamarij, eos, & per eos totum Castellum resignauit Abbati, cum signaculo Sanctæ Crucis benedictionis gratiæ restitutus Dominicum corpus gutturis aditu interclusum celeriter glutiens spiritū exhalauit, deinde postquam more solito est traditus sepulturæ, Vxor eius nomine Gaietelgrima similiter supplicauit Abbati, vt saltem tamdiu eā in Carpineto morari permitteret, quo statutas erogasset eleemosynas pro marito: quo impetrato, vt omnibus

nibusq; exequijs pro defuncto perfectis mandat ei Abbas, vt relicto Castello Ecclesiæ ad proprium reuerteretur. Quod cùm iuxta mandatū peregisset, cœpit feruore cupiditatis ad id quod reliquerat mente auida respirare. Tandem, quia male consuetum pudebit desuescere, iterum ad consuetas perpetrandas iniquitates Carpinetum reuertitur & dæmonū hîc vt altera Herodias afflata præstigijs iustū Ioannem & Ecclesiam suam prosequitur; hæc simili immanitate feuiēs Athalia huius Ecclesiæ regale Sacerdotium extirpare moliebatur. Ipse autē Abbas felici dignus memoria, canonica vtens iustitia eam subdidit anathemati: sed velociter iustam, à iusto prolatam sententiam diuina subsequitur vltio, eamq; diro hemicraniæ morbo percussit, ita quod oculi imminerent vltionem veram, quia pœna quandoque terret qui pœnas non euitant, & arguūt, tum correptionis est flagellum doloris. Vario illa tandiu cruciatu huiusmodi lāguoris afflicta, quod deliquerat, licet inuita correxit. Quam Sanctiss. Abbas benedictionis remedia postulantem ab excommunicationis enodauit sentētia, cui benedictionis restitutio facta est velox sanitatis reintegratio. Reuersa est igitur Britulum propriç domui cohabitatura. Post hæc iterū carnali instinctu vexari, & iniquç cogitationis multiformi prodigio ludificari ac nequā pœnitudine afflicta turbaris nam vt canis à corio nō deterrebitur vncto, sic & ista nulla pœna reuerberata compiebatur, sed moliebatur Carpinetum, quod reliquerat reuerti, vt ad enormes morsus posset dentes extendere, sed milites Carpineti, quibus Dominus Ioannes Abbas tenimenta, & possessiones addiderat, vt eos in debito fidei sibi redderet efficaces, illi non acquieuerunt, quæ ad suæ iniquitatis emolumentum proponendo dicebat, quia vir eius Gentilis literas de diuiso Carpineto non posuerat super altare huius Ecclesiæ, quod ita fuisset; si vellet iurare dominus Ioānes de Felectra istius Monasterij Monachus promittebat se deinde perpetua taciturnitate quiescere; quod cum Abbati esset insinuatum. Vir pię mentis volebat iuramenti vitare suffragium, quia omnis eius affirmatio, vel negatio erat solummodo est, & non. Tandem ne eius Ecclesia per eum iacturam incurreret. Venit Carpinetū, & coram prætaxata muliere, & filijs eius Dominus Ioannes de Felectra tactis sacrosanctis Euangelijs iurauit, quod ipse suis oculis viderat quando Gentilis Berardi Carboncelli literas, quas tunc in præsentiarum manutenebat continentes commutationem, cum actum quo dimidium Carpineti pro Castello Britullo empto de thesauro huius Ecclesiæ huic Monasterio dederat, propria manu super Altare Beati Bartholomæi posuerat. Nam si quis astitisset dum nepotem suum nomine Bernardū Scalionis strenuum militem paratum probare cuilibet aduersa volenti ipsum verū iuramentum fecisse. Et hoc non ad vanitatis, vel proprij fauorem fecerat, sed ne in succedendis temporibus posset aliquomodo iuri Ecclesiæ præiudicari. Nam nullus venire contra præsumpsit. Sed præscripta mulier adhuc virus eructabat nequitiæ, & in omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius ad iniquitatem extenta. Quodque rodere non valet, odit. Cum igitur flammiuomæ cupiditatis eius cognosceret Abbas feruorem inextinguibilem, attemptauit obstinatam mentis illius duritiem beneficiorum linire fomentis, & in bono vincere malum, vt vel si posset litigij vitare dissidiū, & optata pace quiescere. Sæpe vtiq; filios eius videlicet Ricardum, Berardum, Raynaldum, & Bernardum Fundatoris amore, à quo secundū carnem progeniem traxerant paterno affectu diligere atque multis beneficijs circumuenire, credens fouendo, beneficando deuotos filios huic Ecclesiæ adoptare. Sed qui in gremio lupum nutrit dispendium parat ouili, & mus in petra, ignis in pectore, serpens in gremio male suos remunerant hospites. Cum vero in anno illorum ramus huius generis putruit, & quasi in illa radice à dilectione huius Ecclesiæ aruit, fulminatus illius reatus est propagatus in prole, & lugubris eius ritus est in posteros promulgatus. Igitur præscripti filij Gentilis in legitimam ætatem prouecti, quos hæc Mater Ecclesia in suam perniciē enutrierat, in conculcatione eius hostilitate barbarica fremuerunt: ad inuadendam enim ipsam eorum matrem cum possessionibus eius se ordinarunt. Diuiserunt vtique vestimenta eius, quia ipsa duo Castella Monasterij, scilicet Carpinetum, & Faram quasi hæreditario sibi iure succedentia impertierunt; &, quod nequius est, ipsam incōsutilem vestē Christi, videlicet hanc Sanctam eius Ecclesiā, sicut alias suas possessiones elegerunt in sorte. Statuerunt sibi domanium molendinorum, domus, hortorum, terrarum, ac vineæ. Sed ad hęc quid alter faciet Abraham sinistra nātijs excitatus, munitus crucibus, & thuribulis atque candelabris, cum cæteris fratribus Monasterij quasi ad processionē iturus, quamtocyus properat Carpinetum profanas gentes expugnaturus, & coram omni populo in ipsa platea Castelli eos anathematis dira innodauit sententia; tunc Bernardus vnus persecutorum in eum multa cōtumeliosa verba superbo, & tumenti animo diffundens lancea sua illum minabatur perfodere, sed Christi Confessor timore nudus, fidei lorica vestitus, Dominus, inquit mihi adiutor est, non timebo, quid faciat mihi homo, & se exponebat, & aptabat martyrio, O beatum virum! in summo discrimine, non timuit inimicum, &, O admiranda constantia! in magno furore tyranni Canonicam non timuit exercere iustitiam, sed mirabilior Dei potentia per quam è vestigio clades accessit. Post discessum namq; S. Abbatis tanta ventorum flauit immanitas, quòd portas ipsius Castelli, pluresque domos

A euertit, ita vt ipsa tellus putaretur concuti. Exterriti itaque filij scelerati cessauerůt tunc opera iniquitatis complere, sed eorum culpas pœna non diluit, quia ipsorum actiones nō expiauit. Post paucos igitur dies ad mente cōceptum redierunt opus malignitatis, & ipsam matrem Ecclesiam viperea exenterare crudelitate, atque in partes, vt cæteras suas possessiones diuidere, atque eius vbera, quæ suxerunt non verentur exulcerare, quorum vnus videlicet Ricardus cum esset Monachus huius Ecclesiæ, deinde Casinensis Monasterij, postmodum factus est Abbas Monasterij Sancti Ioannis in Venere. Alter vero, scilicet Berardus defunctus, in hoc Monasterio sepulturam accepit, pro eius anima Ecclesia Sancti Ioannis de Britulo, quæ baptismalis erat B tůc temporis huic Monasterio tradita est. Reliqui autem duo scilicet Raynaldus, & Bernardus huius Ecclesiæ in magnos persecutores superstites remanserunt. Qui quantis afflictionibus Ecclesiam oppresserint, quantis vexationibus inquietauerint longum esset enarrare per singula bona Ecclesiæ quasi propria suis vsibus vendicabant: cōculcabatur; vt totius Ecclesiæ pater sic Sacerdos, & Monachus, & inter cætera enormia, etiam mortualia huic Monasterio à fidelibus oblata, & ea, quæ in cibos, vel potum fuerant parata pro fratribus omnia cogebant eorū vsibus cedere. Quid plura? quidquid crudelitatis, vel iniqui Domini possent excogitarunt hoc Mona- C sterio vsu barbarico exercere, sic igitur hi noui persecutores vitæ nequitia se conformantes in lacte matris virus perfidię haurientes, hanc Sacrosanctam Ecclesiam iam quasi medullitus euisceratam nullam permittebāt requiē aspirare. Longo vtiq; tempore tali exposita ludibrio, plorans plorabat in nocte, & lachrymæ in maxillis eius. Sed alter sorū scilicet Bernardus instituto forte diuino Vltramarinas partes proficisci disposuit: veniens itaque ad Monasterium istud, & Castellum Faram, quod in sorte diuisionis in sorte acceperat, huic Monasterio liberè reddidit, & absolutè petens veniam de commisso sic iuxta propositum peregrè profectus est relinquens filium nomine Ricardum nequiorē se iniquitatis, & possessionis hæredem. Nunc autem D ab istorum persecutione facientes digressionem, ad obitum Sanctissimi Patris accelersmus narrandum, qui cum triginta, & nouē annis ad profectum huius Ecclesiæ laborasset 5. Kal. Ianuarij humo corpus felicem animā reddidit Domino, qui quandiu in hoc seculo vixit non mundo, sed Deo viuere probabatur peruigil enim erat in orationibus, corpus atterebat ieiunijs, patientia, caritate, & vt breuiter explicem omnium virtutum erat amator propter quod nimirum, post eius decesſū etiam nostris temporibus, quæ oculata fide nos ipsi prospeximus multa est Dominus operatus miracula: infirmis sanitatem, claudis gressum, mutis loquelā restituit. Ad cuius

A nimirum mira gesta narranda citius animus, quam materia laberetur. Nunc autem ad sermonis seriem reuertamur. Tumulato igitur hoc Sanctissimo Viro in Ecclesia, & celebratis de more exequijs funeris, fratres pro eligēdo Abbate, ne diutius vacaret Ecclesia in vnū conuenerunt. Ad quorum vocem immo ad Dei electionem præponitur quidam de fratribus nomine Oliuerius de quo, quia fœcunda, & multiplex nobis offertur materia respirare delectat, & vexatæ linguæ optatam indulgere quietem, vt ad narranda magnifica gesta Oliuerij Abbatis lingua fiat expeditior, & vacans animus ingenio liberiori contendat alacrior.

B

LIBER QVINTVS.

INexausti vigoris sinceritatis mentis glebis quondam sepulta torporis interpolatione temporis commodo vacationis tædij dissoluta repagulis, & iam per exercitij gratiam elimata exurgat viuacior, & quia multorum plexurā toporum exuberanti turgescit materia in sermonis diffundatur campestribus, & quæ de Oliuerio venerabili Abbate visu, vel eruditu gesta concepit breui parat narrationis compendio. Electus igitur in Abbatē vir solemnis memoriæ, & celebratis de consuetudine festiuæ promotionis eius officiis, transtulit se ad Eugenium Romanum Pontificem, quem ipse Dominus Papa beni- C gne apud Tusculanum recipiens munus benedictionis, & eius insignia solemnitate debita celebrata ei clementer indulsit, sicque noster Abbas optata gratia laureatus remeauit exultans, deinde vt fidelis Summi Regis famulus talētum sibi à domino suo collatum non in sudario reponens, sed vt cum vsuris, & incrementis posset illud exigenti Domino reddere iugiter conabatur. In primis namque fieri fecit tres inferiores partes claustrorum regiam maiorem Ecclesiæ, tabulas ipsius chori, vnum Oliuetum in Valeczo, vnum ad Sāctam Mariam in Plano, vnū in Felonaco aliud Planelle: Sic nimirum, & interiorum, & exteriorum curam gerebat solicitam: sed eius tantæ solicitudinis commendabilis diligentia non poterat ad notiuos profectus huius Ec- D clesiæ latiùs propagari, quia Raynaldi, Gentilis, & Ricardi filij iam dicti Bernardi paternarum iniquitatum hæredum immanis sæuitia viscera huius Ecclesiæ doloribus cruciabat, & impia concussione acriter fatigabat. Nam contra Fundatoris huic Monasterio libertatem indultam durissimo iugo exactionis indebitæ ceruicem eius grauabat, nec erant impositi debiti, immo, vt verius dicam indebiti exactione contenti, sed ad residuum bruci erant, vt locustæ parati: nam ea etiam qua fidelibus, ei mortalia offerebantur, vel ipsi, vel vxores eorum, veloci raptu suis vsibus deputabant, cæteris vero alijs non vt Ecclesię bonis, sed, vt proprię suis satis ineptè, ac enormiter abutebantur, & quod magis est

horrendum Monachos huius Ecclesiæ, si quã possẽt inuenire occasionẽ, in Claustro Monasterij captos vinctos Castello mancipabãt, vsque tandin captiuos tenebant, donec omnia bona eorum ad se rapacitatis hamo trahebant, ita quod vnum eorum nomine Angelum sub Altari Beati Bartholomæi latentem vinctis à tergo manibus Carpinetum duxerunt, eumque iurare compulerunt, vt quidquid haberet eis sine diminutione aliqua assignaret, quod ita fecit, & ne fieret iuramenti transgressor eis etiam acum, & fila, & digitale donauit. Flebat nimirum hæc nostra mater Ecclesia; & sub tali conditionis mole gemebat, sed benedictum nomen diuinæ Maiestatis; vox in Rhama audita est ploratus, & vlulatus nostræ Rachel plorantis, & quia enixius clamauit, secuta eius clamoris exauditio. Sed antequam huius exauditionis narrare incipiamus effectum, consequens est, & materia compellit, vt qualiter à prole narrare famosissimi Ducis Roberti Guischardi sit Regnum translatum dicamus. Nã vsque in secundam, & tertiam generationem fuit eius prolis successio. Roamundo enim transmisso in Antiochiam aquirendam relinquit Rogerius alterum filium suum Ducem Apuliæ, & sui conquęstus hæredem, cui successit filius eius Dux Guilielmus, & hic sine hærede mortis debitum soluit: Rogerius vero Comes, scilicet frater præmemorati Roberti Guiscardi reliquit sibi hæredem filium suum suo nomine Rogerium, hic autem cum videret de patruo suo Rogerio nullam legitimam prolem superstitem, nemini credidit patruelem conquęstum æquius quam sibi competere, prosiliens terram adispiscitur armis, & primo Dux Apuliæ, deinde Rex Siciliæ factus est. Hic autem reliquit sibi successorẽ in regnum filium suum nomine Guillelmum, mandans ei vt Robertum Detuttauilla filium sororis suæ faceret Comitem Lorotelli, qui paternum mandatum patre mortuo adimpleuit. Factus autem Robertus Comes Lorotelli post modicum tempus contra dominũ suum Regem Guillelmum rebellis arma leuauit, qui, vt Regiæ potentiæ posset obsistere Imperatori Romano se subdidit iuramento, sed eius spes est è vicino frustrata. Nam Imperatore in Alemaniam reuerso, Robertus eius auxilio destitutus remansit. Misit postmodum Legatos ad Constantinopolitanum Imperatorem ei pro se auxilia petituros, & pacturos ei dare Ciuitates Apuliæ, portum habentes, seseque de cæteris eius dominio subdendum. Igitur nauigio velocissimo, cum infinita pecunia Imperator transmisit exercitum, quo apud Brundusium castrametato Roberti Comitis Lorotelli quasi vsq; pharum obediuit terram mandatis: quæ tot molestijs illaqueata, tantoque schismate erat turbata, quod vix limen suæ domus poterat quis securus exire: Tunc nimirum magnificus Rex Guillelmus Apostolicis litteris citatus & incitatus, quasi pernicitate vulturis velocissime inuadit Apuliam, & deuictis Græcis eorumq; copiosa quam attulerant accepta pecunia, capto Principe Capuano, fremens, vt Leo rapidissimo veniens cursu Beneuentum obsidet, quo prædictus Comes Robertus, & Comes Andreas, regia potẽtia territi ad Dominum Papam confugerunt. Tunc interuentu Domini Papæ Adriani permisit eos Dominus Rex Regno secure exire, ibique ipse Rex famosissimus à Domino Papa Regni Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuę inuestituram recepit, facta fidelitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: Sic demum ipse magnificus Rex lætus Siciliam repetit: prædictus vero Robertus seditionis amator cum exercitu Regnum inuadit, sed Regio expulsus exercitu iterato, paulo post regressu occupans Regnũ Regia potentia per Stephanum Ammiratum iterum Regno depellitur, quem plurimi de Regno sequentes facti sunt ei obnoxij iuramento, inter quos Ricardus, & Gentilis de Britullo huius Ecclesiæ inuidos, cum latores & sanctos examinatores, apud Aternum homagio pręstito Comiti Lorotelli eademque cæteros Regia proscripsit sententia. Tunc ipse munificus Rex triumphator suos donis proferebat fideles, infideles autem graui delebat exterminio. Præpositum itaque vniuerso Regno vsque Pharum Messanæ, Simonem Seneschalcum suum atque Collateralem virũ prudentem, discretum, strenuũ, & sagacissimum cui tanquam viro elegãtissimo inscribendi, exaltandi, & humiliandi, dandi, & auferendi plenitudinem potestatis indulsit; ad quem Berardus de Viculo accedens Castellum Britulum Ripaltam, & fabricam, quę fuerant Gentilis, & Ricardi de Britulo, & Castella huius Ecclesiæ Carpinetum, & Saram, quę dixerat eorum viris fuisse, sugestione mendacij, & falsitatis impetrauit. Quod vt præfatus Abbas comperit, propere se Simon Seneschalco præsentat, à quo tanta est gratia benignitatis receptus, quod nullus posset cum eo Ecclesiæ iacturam aliquam, vel dispendiũ erogare; Verum falsarius ille Berardus de Viculo non cessabat in auribus eius instillare venenum mendacij, & dicere Carpinetum, & Faram fuisse filiorum Gentilis de Britulo, non huius Monasterij, sed ibi Ecclesiam parum habuisse. Tunc illustris memoriæ iam dictus Seneschalcus cupiens scire verum Domini Abbatis, vel ipsius Bernardi inniteretur assertio veritati, misit literas suas Samaro Regis Camerario, vt diligenter inquireret, quid huic Monasterio perdideret de Castellis Carpineto, & Fara, & veritatem inuentam proprijs literis ei significaret, ipse vero Samarus veniẽs Britulũ, cœpit hoc diligenter inquirere, & fecit ad se venire quatuor homines de Britulo, scilicet Enaletum Risonis, Lebrandũ Oderisum, Praudum Cõstantij, & Constantiũ Gisonis; totidẽ verò de Carpineto, scilicet Loterum, Paganum, Attenulfum, & Todaldum.

Hi iurati dicere veritatem pariter, & concorditer sunt testati coram Domino Abbate, & Berardo de Viculo, & ipso Samaro Camerario, Carpinetũ, & Faram cum omnibus pertinentijs suis, & tenimentis nulli alij pertinere, nisi soli Monasterio S. Bartholomæi. Has itaq; attestationes iam dictus Samarus prænominato Simoni Seneschalco litteris suis proprio sigillo signatas mãdauit, quibus Seneschalcus inspectis, & prænotis instrumentis Ecclesiæ eiusque iustitiæ diu debita certis cognitione illustratus, exemit Monasterium cum omnibus suis possessionibus, & omni libertati restituit, recipiens illud in domanio Domini Regis sub eius protectione, & tutela reddens ei sua Castella Carpinetum, & Faram cum tenimentis, & pertinentijs suis, vt illa haberet, & possideret sine alicuius molestia, vel contradictione; &, vt hic perpetuo manerent, illibata, & irrefragabilia recepit à præmemorato Abbate trecentos Bisantios Regio ærario infiscandos. Nam hæc omnia sunt quaternionibus annotata ad memoriam posterorum, & proprijs literis Domino Regi significauit quę ipse magnificus Rex memoriæ felicis tenuit rata & habuit corroborata; postmodum vero tantam huius contractus, & donationis seriem membranceæ paginæ scripsit, & instrumento publico prænotauit, ipsique Abbati donauit. Postmodum misit litteras Samaro Camerario, vt Monasterium, & eius possessiones deinde sub tutela, & protectione Domini Regis teneret, & defenderet. his enim tẽporibus terra siluit per biennium, & in pace quieuit, & Monasterium optata respirauit libertate: sed lubricus hostis architectus iniquus constructionis pacis, & tranquillitatis Ecclesiæ inuidus mactator, iterum reduxit in Regnum Robertum Comitem Lorotelli cum exercitu copioso, in cuius aduẽtum Gentilis, & Ricardus qui improbo conamine moliebãtur Ecclesiam istam sucillare, eam tanquam leæna rapacissima impetu velocissimo inuaserunt, sed per Abbatem, & Monachos sunt passi repulsam. Bernardum igitur filium prætaxati Bernardi de Viculo proditoria deditione in Castello de Britullo acceperat, quem varijs, & innumeris tormentis per non modicum spatium temporis afflixerat: sæpe dictus vero Olibrius Abbas memoriæ venerandæ, quia infidelibus Domini Regis cum ei iuramento esset obnoxius nolebat aliquo participio iungi, toto illo tempore schismatis à Monasterio exulauit, quo tempore prædicti persecutores Gẽtilis, & Ricardus Ecclesiam istam grauibus, & indebitis exactionibus ancillare, & barbaro dominio nõ cessauerunt opprimere. Postmodum vero diuina clementia huius calamitatis Ecclesiæ miserata iterum excitauit ad debellandos hostes inuictissimũ Regẽ Senlialum, quos, vt tenuissimum puluerem flatus validissimi venti regius terror fugauit. Tunc præmemoratus Gentilis de Britullo cũ esset in procinctu fugã dedit, & calicibus argenteis, thuribulis, crucibus, & alio multo argento confracto, pluualibus, pallijs altariũ sericis, instrumento quod fecerat auus eius Gẽtilis huic Monasterio de Carpineto, instrumento Simonis Seneschalci, & alijs litteris: quas Dominus Rex Guillelmus miserat Domino Abbati Olibrio Monasterium istud expoliauit, & hæc omnia in Marchiam secum portauit. Post elapsum vero temporis non longi inquietus Robertus Regnum intrauit, & in Prouincia ista Castella plurima occupauit. Veniens in Comitatum Pennensẽ castrametatus est in loco, qui dicitur Curlani: Gentilis autem, vt canis corium non cessat rodere vnctum, sic Monasterium istud rodere non cessabat, quotiens opportunitas facultatem aliquam sibi præstaret. Ricardus vero in Castello Fara ab exercitu Comitis Lorotelli fecit obsidere Abbatem, qui diu expugnatus, & victus captus ad Comitem ducitur, qui tandiu eum detinuit, donec ab eo quingentos violenter euulsit Bizantios. Iterum ergo Bartholomæus Apostolus nudatur corio per totum corpus eius, quod est Ecclesia ista, iterum in eum crudelis sæuit Astyages, qui Dei virtute est illa priuatus potẽtia, quia Regio exercitu cum omnibus suis iteratam repulsam incurrit, tunc Ecclesia ipsa, Heu pro dolor! afflicta, & spoliata, diuina prouidentia, edaces luporum fauces licet feminiua euasit a incipit deinde ad modicum respirare, & vitã cum libertate resumere. Reuertitur dignæ memoriæ Olibrius Abbas ab apparitoribus totis Regia iniquitate temporalibus rebus exutus, pro fidei tamen sinceritate stola libertatis indutus. Tunc in tanta solicitudine, ac feruenti exercitio repetit Ecclesiæ cõmodo, & laboris vacare compẽdio: fecit in Valzo construi quamdam Ecclesiam, eamque à Grimoaldo Pennensi Episcopo in honore Beatæ Mariæ semper Virginis, ædificari statuit ibi quodam Casale ad seruitium huius Monasterij. Eo igitur tempore quidam presbyter nomine Giso veniens cõstruxit Ecclesiam ad radicem montis sub Sancto Marco præter Domini Abbatis licentiam, sed cum idem Abbas conduxisset Grimoaldum Pennensẽ Episcopum ad dedicandam Ecclesiam S. Michaelis de Ciuitella. Ricardus de Padula cœpit Episcopum exorare, vt Ecclesiam illam, quam prænominatus presbyter construxerat in honorem S. Blasij sibi ædificaret, quod vt audiuit Dominus Abbas prohibuit Episcopum ne id præsumeret facere, dicens à petra scripta superius quod est à via publica, ita huic Monasterio totam terram illam proprietatis iure competere, quod prædicto Ricardo præter licentiam Abbatis, nequaquam licet aliquod ibi ædificium facere. Tunc idem Ricardus, alterum horum duorum commisit eligendum Abbati, an tantæ proprietatis dictum superius duodecim hominum vellet iuramentis probare, an vellet ab hominibus suis, totidem iuramenta negationis recipere. Abbas vero

iuramenta probationis elegit: sic igitur duodecim homines fecit iurare, quod à petra scripta superius, & à vis publica, tota illa terra tanto proprietatis iure huic Monasterio spectabat, quod prænominato Ricardo nequaquã liceret præter Abbatis licentiã aliquod ibi ædificiũ facere. Sic deinde Ricardus quieuit, & Ecclesia à prædicto presbytero facta donatur ruinæ, nomina eorũ, qui iurauerunt sunt hęc, presbyter Benedictus Monachus presbyter Comes, Lãdo, Petrus Rubeus Ioãnes Petri Andreæ, Ioannes Thodini Comes Gelborti, Adam magistri Adę, Todaldus, Ioannes Anolini, Lebrandus Ninuli, Atinolfus. Sic ergo, vt dixi dum tota circa huius Ecclesiæ vtilitatem præscripti Abbatis versaretur intẽtio, & libertatis fauore nostra resultaret Ecclesia, totumq; Regnum pacis, & tranquillitatis quiete gauderet, sæpe memoratus celebrandæ recordationis Excellentissimus Rex Guilelmus felici exitu migrauit ad Dominum, cui successit filius eius, alter Guillelmus. Sed quis sub modicis annis puerilis ætatis tenera pubescebat infantia, vt nec dum æquo moderamine regni posset gubernare habenas, antequam idem Rex famosissimus viam vniuersæ carnis intrasset, statuit vxorem suã Reginam Margaritam tutricem, quæ post obitum viri sui famosissimi Regis Guillelmi, ne filius eius alter Rex Guilielmus ætatis imbecillitate per seditionem posset aliquam sui Regni pati iacturam, & per schismata tolerare dispendiũ, concordauit Robertum de Bassauilla filio suo Regi Guilielmo, & sic iam dictus Robertus post culparum purgamina, homagio, & fidelitate præstita Domino Regi lætabundus, & alacris Comitatui restituitur Lorotelli. Ergo reformata pace, omnis seditionis est inquietudo sopita; deindè ex quo dicto Comiti Lorotelli felicis temporis cœpit arridere fortuna, oblitus præteritæ calamitatis, & prioris in calamitate mansuetudinis Monasterium istud obliquabili, & liuenti animo moliebatur denuo ancillare, & dominio Gentilis de Britulo iterum subdere. Cum venisset igitur ad Ciuitatem Pennensem ibidem Curiam celebraturus, sub prætextu dilectionis cœpit Dominum Abbatem Olibrium latenter allicere, & pestifera suasione paulatim irrepere, vt Gentilis de Britulo saltem domicilium vnũ in Castello Carpineto sui amoris obtentu concederet, credens illum modico habitaculo, totius Castelli, & Ecclesiæ paulatim subreptũ sibi dominium vendicare: noster Abbas discretionis alumnus, vir prouidus, & circumspectus, nec potuit seduci fallacijs, nec abduci blanditijs, & illius iniquis precibus non præbuit quamquam assensum, illæsus igitur remeauit ac propria. Verùm quia videbat Comitem Robertum Lorotelli virum potentem, & omnium illarum prouinciarum, huiusque Monasterij dominum, sed Ecclesiam istam odio habentem inextinguibili, communicato consilio fratrum, & amicorum Eccle-

A siæ, se conspectui Domini Regis disposuit præsentare, Igitur arripiens iter per eundem Comitem fecit transitum, vt eius licentia, & litteris optatum perficeret gressum; tandem licentia vix impetrata, sub prætextu auxilij Baronibus suis, quos ad Curiam Regis pro suis agendis transmiserat, dandas litteras ei assignauit Vsrio, sed diuino doctus spiramine, socius eius frater Baririus, quem secum duxerat sui Monasterij Monachorum latẽter eas aperuit, ibique anguem in herba latentem, & laqueos proditionis cognouit paratos; mãdauerat enim idem Comes Baronibus suis, vt si Dominus Abbas vellet aliquid contrarium Gentilis de Britulo in Curia Domini Regis proponere, ipsi quantum possent, obsi- B sterent. Vocatus igitur Dominus Abbas ad Curiam regio conspectui est præsentatus, iussusque per Matthæum Vicecancellarium, cui sua negocia plenè innotuerat, Domino Regi, & Genitrici sua negocia exposuit, quibus Dominus Rex vnà cũ matre sua pleniùs auditis, & intellectis, roborauit in primis quicquid libertatis, & doni Simon Seneschalcus bonæ memoriæ huic Monasterio fecerat, recipiens Ecclesiam in suo demanio, sub regia tutela, & protectione, cum omnibus suis possessionibus, indulgens ei litteras protectionis sigillo Regio insignitas. Posthæc super singulis huius Ecclesiæ negocijs ei significatis, Dominus Rex speciale fecit mãdatum, quod postea regijs est litteris anno- C tatum, aliud Comiti Lorotelli super querimonijs, quas Dominus Abbas fecerat de Ruberto de Pulis, & Anibale de Ciuitaquaua, & fratribus suis, aliud vero Petro Comiti Manupelli donandum contra Ricardum de Pudulis, qui nouiter sine regio speciali mandato super tenimentum huius Ecclesiæ Castellum ædificauerat, His omnibus ita statutis præstito iuramento fidelitatis Domino Regi nostro Abbas cum vigore salutis redijt lætus ad propria: postmodum verò regias litteras Comiti Manupelli donauit, quarum mandatum ipse Comes est facilè prosecutus cum esset apud Russanum, præcepit iam dicto Ricardo, ac regia parte, & sua, vt Castellum, quod in tenimento huius Monasterij fecerat, D repentè dirueret, quod ipse Riccardus veniẽs illicò cœpit efficere, & cum iam essent ferè duodecim domus euersæ, affuerunt viri iniqui ab eodem Ricardo corrupti, qui tantum Domino Abbati suaserunt, & fratribus, quod tali pacto Ricardus, & Dominus Abbas sunt fœderati, videlicet in primis vt Monasteriũ istud haberet, & possideret Ecclesias S. Vitalis, & S. Mariæ de Rubeis cum omnibus suis possessionibus secundum instrumentorum obtentum. In Castello autem ex vna parte, quam ipse decerneret eligendam, statuerat homines suos quid vellet, eosque sicut in Castello Carpineto haberet, homines Ricardi de his, quæ Monasterium ibi haberet, iurarent Abbati securitatem, homines verò Monasterij idem iu-

tarent

qq

raret Ricardo. His ita statutis Ricardus postmodum firmauit Castellum; sed modico tempore huic transactioni Ricardus fidem illæsam firmauit; quoniam paulò post reddidit Ecclesiam S. Vitalis Qualerto de Cinitella; hominibus verò, quos Dominus Abbas in Castello statuerat, eum è vicino destituit; Nūc autem ad executionem aliorum regalium præceptorum nostrum calamum dictando vertamus. Veniens ergo Robertus Comes Lorotelli apud Aternum Curiam celebraturus fecit Robertum de Pullis, & Anitam de Ciuitaquaua, cum fratribus suis regio & suo citari edicto, tunc prædictus Robertus Aternum adiens, & nolens cum Abbate contendere, cum de iure diffideret, dissimulauit languorem, Comes verò Lorotelli credulus dissimulationis illius ei ex regia, & sua parte præcepit, vt donec causa, quæ inter eum, & Monasterium vertebatur, legitimæ decisionis sortiretur effectum, nihil de his, quæ sub litigio erant, præsumeret accipere. Post hæc verò Arribam & fratres eius præmemoratus Abbas in causam conueniens, cœpit Ecclesias S. Mariæ in Sereno, & S. Mariæ in Genestrula tanto iure proprietatis repetere, quanto huic Monasterio certum erat eos competere, vt earum institutio, & destitutio, siue in Monachis, siue in quibuslibet Clericis eius esset ordinationis, & dispositionis pro suæ voluntatis arbitrio secundum quod ante tempora Regis Rogerij, & post tempora eiusdem fuerat, & hoc testibus asserebat. Petebat etiā earundum Ecclesiarum totum huic Monasterio spectare dominium, & hoc instrumentorū probabat obtentu, tunc iam dictus Aniba, & fratres eius aduersus testes insilierunt dicentes se illos probare attestationem eorum esse mendacem, & hoc protulerunt duello probare; datis igitur inducijs, ad statutum postmodum locum & terminum scilicet ad Ciuitatem Pennensem, prænominatus Comes Lorotelli misit Qualertum de Castilione, & Iseolinum de Auersa suos Iustitiarios curiam celebraturos, vbi dum noster Abbas, quod fidem iusserat esset paratus duellum proficere; aduersa pars de iure diffidens defecit venire. Cum ergo prænominati iustitiarij, & tota Curia illos defecisse cognoscerent, possessionem illarum Ecclesiarum vt petierat, adiudicauerunt Domino Abbati; Nam huius sententiæ ipsi postmodū iustitiarij mandato Comitis Lorotelli executores fuerunt, quia primo Qualertus de Castilione, ac postea Theodinus de Auersa venientes illarum Ecclesiarum secundum latam sententiam Dominum Abbatem possessorem fecerunt. Postmodum verò Raynaldus Comes Aprutij, quia Dominus Comes non processerat per eum, in factum istud ad aduersariorum suggestionem misit, & expulsis Monachis, quos ibi Dominus Abbas instituerat, nullo iuris ordine conseruato, fecit eum violenter destitui; sed quia Domini Abbatis vigilantia circa frequens ministerium huius Ecclesiæ valde sollicita ad omne quod nocere posset, se muniebat solerter, & quia vndique circumurgebant persequentiūm angustiæ, vndique necessaria erant circumspecta munimenta; Ofennates igitur campum Blutenginum qui huic Monasterio, & soli competit Carpineto, & Faræ proprietatis sibi iure vendicantes præter voluntatem Domini Abbatis violenter inuaserūnt, & tentorio fixo animalibus occupauerunt. Requisito à Domino Abbate, vt quod illicitè deliquerant corrigerent, penitus facere renuerunt. Abbas ergo virorum multitudinem collectam ad euacuandam campum transmisit, qui pergens inciso tentorio, & animalibus partim ferro cæsis, partim vsque domum viuis deductis, & cæteram inuentam suppellectilem secum deferentes victores cū gaudio remearunt ad propria; sic nimirum omne de campo litigium deinde siluit. Post hæc cum Dominus Rex Guillelmus Secundus veniret in Apuliam, Dominus Abbas accessit ad eum, vt et querimoniam super negotijs Ecclesiæ deponeret. Mandatum igitur Curiæ iuramentum est Odoni de Collealto, vt vel pacisceretur cum Domino Abbate, vel ei iustitiam faceret, transegit tandem cum eo, & reddidit Ecclesiam S. Cæciliæ de Felonaco, Domino Abbati habendam in domanio, & Dominus Abbas dedit ei octo bisantios, & de terris S. Cæciliæ reliquit ei tantum, quod erat capax sementis 8. modiorum. Sic igitur deinde habuit Ecclesiam illam in domanio, & locabat pro suæ voluntatis arbitrio, ita quod instituit ibi quendam Monachum huius Monasterij nomine Librandum, statuitque ibi bubulcos suos terras arantes. Postmodum autem Odanus Pennensis Episcopus ad mendacem suggestionem quorundam coram Domino Papa Alexandro pro S. Maria in Plano aduersus Dominum Abbatum querelam deposuit. Commissa est ergo causa per Romanum Pontificem primò Aprutino Episcopo, secundò eidem Aprutino, & Domino Leonati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardinali, & Abbati S. Clementis de Piscaria concordia, vel iudicialiter terminanda. Muscusum igitur delegati Iudices adeuntes, partes ante suam præsentiam conuocarunt, & dum ab vtraque parte super dicta quæstione colligatum esset, sufficienter testibus hinc inde productis, cum iam productioni testiū esset abrenunciatum, pars Episcopi, quæ pro Abbate S. Petri de Laureto de prædicta quæstione agebat, cum de prolatione sententiæ conciperet diffidentiam, copiosam multitudinem conuocans armatorum virorum aduocatis Domini Abbatis, vt terrorem incuteret, & causa non terminaretur, in eos arma concutiendo, cœpit minacia & contumeliosa verba proferre. Cum prænominati Iudices tantam violentiam cernerent, magna sunt indignatione commoti, & Dominus Abbas pro tanto grauamine ad Sedem Apostolicam ap-

appellauit, scriptis, attestationibus, & iudicij sigillo signatis. Verùm quia sæpe bonos ad tempus exercet aduersitas, callidi hostis antiqui colubri tortuosi perniciosus sibilus filios huius Ecclesiæ populum Carpineti effreni commouit impulsu aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, id est aduersus venerandum Patrem Abbatem Oliuerium, qui in demolitionem cuiusdam Casalis, quod idem Dominus Abbas fecerat in monte Somato misera se societate cõglutinarunt, quos prænóminatus pater, & Dominus, ne super hoc vltra procederent cõstanti mandato prohibuit: in primis eos obtestans iuramẽto, quo huic modo, & ei tenebuntur obnoxij, secundo eos, qui mandatum eius excederent, anathematis innodauit sententia, promittens se cuicunque terras abstulerat cambium, æquum & competens redditurum, & si his omnibus acquiescere nollent, in Curia huius Ecclesiæ se illis obtulit iustitiam facturum. In omnibus his verò est auersus furor eorum, sed adhuc ad iniquitatem sunt manus eorum extentæ. Euntes igitur ad Comitem Raynaldum Aprutij pacti sunt pecuniã illi dare, si ipse faceret destrui iam dictum Casale, quod antefatus Comes, pecuniæ auidus promisit, promissum postmodũ exequens facto. Illi autem abeuntes consilium inierũt, & conspiraures simul omnes coniurauerunt. Nam conspiratores etiam in venerabilis Abbatis præsentia violenter homines contra prohibitionem ipsius ad coniurationem trahebant, multosque inuitos iurare compellebant persoluere pecuniam, quam pepigerant. Quid plura? destructo Casali, destruitur Carpinetum, extorta pecunia centum bizantiorum, vel plurium. Flebat nimirum cum omnibus Fratribus Monasterij pater noster senior, & de impia concussione lacerantium filiorum gemebat, hæc de venerandæ memoriæ Oliuerio Abbate dicta sufficiant; quia si omnia eius magnifica gesta per singulos articulos velim distinguere, loquacitatis tædiosa prolixitas voces intercluderet mihi spiramina, & audientiũ in subsannationem, & nauseã animos verteret. Cum ergo prænominatus Pater Oliuerius ann. 35. profectibus huius Ecclesię diligentissimè inuigilasset, eamq; à iugo indebitæ seruitutis liberasset, Dominico die ingrediẽs Ecclesiam auditis Missarum solemnijs, sacro sumpto viatico iterum lecto prosternitur languidus, & illam Angelicam salutationem Virginis *Aue Maria* sæpius iterando, in huius prolatione versiculi pridie Kal. Septembris, corpus terræ, animã cælo, vtraque in sua dimisit exordia. Præstitis igitur debitis exequijs funeri, eoque cum celebratione de consuetudine tumulato, fratres sicut de regia institutione obitum patris Regio auditorio insinuarunt, tunc Dominus Rex litteras suas mandauit Conuentui pro eligendo Abbate; Fratres ergo, quia diffidebant, duas nominauerunt personas; & eorum nominationes per quosdam suorum Domino Regi miserunt; sed quia illæ personæ fuerant in dissidio nominatæ, Domino Regi non placuerunt. Tandem verò fratres delegati, quibus ab vniuerso Conuentu fuerat de electione plenitudo potestatis indulta, in vnum conueniunt, & pari voto, ac communi deliberatione elegerunt quendam Monachum S. Clementis de Piscaria Dominum Boamundum de Luco, & celebrata in præsentia Domini Regis electione, attulerunt regias litteras Conuentui huius Monasterij, & alias Episcopi Valuensis, & Aprutini, qui, venientes ad Monasterium istud regio mandato, communi voluntate omnium fratrum celebrauerunt electionem Domini Boamundi, quem fratres pariter & concorditer in Sedem sublimauerunt, & in Abbatem receperunt, de quo quia plura . . . . . eis modò duximus supersedendum. Ergo consequens est, vt abdicato calamo concionanti linguæ taciturnitas indicat silentium, vt & ingenium refloreat per ocium, & auditorum reparata deuotio, ab ore narrantis pro affectu narrandorum dependeat.

Nunc titulus talis illustrat nobilitatis
Demeritis quadam laus proueniens probitatis
Prosapia carnis quamuis fuerit generosa
Nobilior factis vt narrat in ordine prosa
Istius Ecclesiæ studiosus & ipse minister
Sana doctrina virtutum quippe magister,
Per quem libertas tunc venit mortua pridem
Istius Ecclesiæ quam restaurauit eidem
Liber Oliuerius sit ab omni compede pœna
Quem loca suscipiant vita dulcedine plene
Si quid deliquit Christo miserante lauetur
Ciuibus Angelicis, & Sanctis associetur
Quod Pater, & Flamen donent, & Filius. Amen.

LIBER SEXTVS.

DEsidiam mentis, quam exercitium peperit quietis ab animo excussit solatium iuge animi, quam labor attriuerit commodum otij reformauit in melius. Nunc igitur ad ea, quæ de Abbate Boamundo narranda supersunt actingamur veloces, & ne illa obducat obliteratio, depingat officium. In præsentia itaque prædictorum Episcoporum regio mandato ad Monasterium istud venientium electioni Domini Boamundi cõcorditer, & solemniter celebrata, quidam prædictorum, vt diuulgata postmodum opinio docuit, vt in flagitium coniurati, Castellum Carpinetum igne cremauerunt, quod tanta velocitate totum ignis obstruxit, vt quemdam Sacerdotem in Ecclesia S. Agathę,

dum

dum pro eius ornamentis saluandis huc illucque discurreret, velox flamma combureret, quæ totum Castellum à portis interius in breui dissoluit. Post hæc itaque electio Domini Boamundi ex parte totius Conuentus per Dominum Britium, & Dominum Petrum de Carapelle significatur Domino Papæ Alexandro Tertio, quam idem Papa confirmans Capitulo Ecclesiæ rescripsit; Verùm quia priusquam à Domino Papa munus benedictionis acciperet, regiam fidelitatem illum oportebat iurare; ideo Panormum adiens, & facta fidelitate Domino Regi Siciliæ Guillelmo Secundo alacris remeauit ad propria, afferens litteras Capitulo, & vniuersis hominibus huius Ecclesiæ, & præterea contra Marsilium, & Yuonem de Pepulo ad Comitem Raynaldum Aprutij attulit litteras; postmodum verò Romanam Curiam adiit, vt à Domino Papa Lucio Tertio munus benedictionis acciperet; tunc Odorus Pennensis Episcopus, cupiens Monasterium istud suo dominio subdere, per quosdam Canonicos Ecclesiæ suæ mandat Domino Papæ supplicando, vt nostram electionem munere non insigniat benedictionis, asserens hoc suo iuri competere; sed Dominus Papa rationibus, & allegationibus vtriusque partis plenius auditis, & intellectis, & priuilegijs huius Ecclesiæ diligenter inspectis, sequenti die in Ecclesia Sancti Clementis de Velletro, huius Monasterij electo munus contulit benedictionis, postmodum tamen causam litis Domino Attoni Aprutino Episcopo, & Domino Beraldo de Colomento Casinensi Monacho Domini Papæ Subdiacono audiendam commisit, & post litteras huius commissionis priuilegium Domini Innocentij sui prædecessoris huic Monasterio innouauit, sicq; Abbas in litteris quas dimissorias dicunt latus repatriauit. Post hæc autem prænominati Auditores per Dominum Papam delegati in termino vtrique parti præfixo, apud Catinianum Curiam celebrauerunt, vbi dum pro litis contestatione de benedictione Abbatis quæstio agitaretur, Pennen. Episcopus per litteras commissionis nitebatur probare quia munus benedictionis Abbati à Domino Papa indultum Ecclesiæ Pennen. præiudicaret; tamen Abbas per Aduocatos suos probauit contra per priuilegium sibi posterius indultum à Domino Papa, & per idoneos testes, videlicet Berardum filium quondam Ratterij de Fabrica, & Philippum Grimoaldi Petiti qui coram præscriptis Auditoribus præmisso iuramento testati sunt, se proprijs oculis vidisse Dominum Abbatem Oldrium, cuius in superiori libro memoriam fecimus, à Domino Papa Eugenio apud Tusculanum munus suscepisse benedictionis. Hac itaque testatione inscripta per Abbatem, & Monachos, ad Sedem Apostolicam est appellatum, delegati autem Auditores litteras, quas Apostolicas nominant, vtriq; parti donantes, sin-

A gali redierunt in sua. Post hæc autem inter Episcopum, & Abbatem, licet Monachorum consensus non intercesserit, talis est transactio celebrata, videlicet, vt omnes quæstiones vtriusque partis quatuor Monachorum huius Monasterij, & totidem Canonicorum Pennensis Ecclesiæ deliberarentur memoriæ, & quod vel ipsi octo iurati, vel eorum sex concorditer dicerent, partes haberent ratum. In eo autem in quo ipsi concordes non essent, Magistri Bertetanni Pennensis Ecclesiæ Canonici, & meo iudicio staret vtraque pars. Cum autem Canonici, & Monachi iurati conuenerunt in vnum, in his tantùm Capitulis concordes fuerunt, scilicet in annuo censu, quem Ecclesia ista Pennæ debet Ecclesiæ pro eo quod in quibusdam Castellis quicquid Episcopale est, tenet ab ea in vno exenio, quod et secundum consuetudinem, non

B secundùm instrumentorum obtentum reddit in vno fendo, quod Episcopus Grimoaldus in Castello Fara tenuit, Monachis asserentibus, quòd personaliter tantùm, Canonicis verò nescientibus, vtrum personaliter, vel perpetuo. In Ecclesia Sancti Peregrini, quæ huius Monasterij debet esse, de qua Episcopus Abbati in continenti restituit; in reliquis verò Capitulis non fuerunt concordes; labente itaque tempore, vt reor, duorum annorum coram nobis electis arbitris pars vtraque stetit, vt dum noua Capitula à tempore transactionis inuenta vellent veteribus cumulare. Nos electi arbitri, vetera, quibus concesseramus audire, & terminare volentes, omnino abrenunciauimus nouis, & dum partes nollent noua pro veteribus abdicare, &

C nos fuimus à stipulationis obligatione soluti, & partes transactionis vinculo enodatæ; procedente autem tempore cum prememoratus Dominus Lucius Papa iret in Lombardiam adloquendum cum Domino Friderico Romanorum Imperatore, Abbas Apostolico mandato citatus, ei & vniuersæ Curiæ sua in tertia expensarum parte cum Priore congressi apud Salinum Sedulum. Verùm quia Pennensis Episcopus à vexationibus huius Ecclesiæ nolebat quiescere, misit ad Magistrum Girardum Diaconum Cardinalem S. Adriani Domini Papæ Vicarium, & fecit Abbati præcipi, vt vel ipse, vel sufficientes responsales se

D conspectui eius repræsentarent. Tunc Abbas misit Dominum Geotslem huius Monasterij Decanum, & Dominum Gualterinum de Catiniano, qui vicem suam gererent in hac parte. Episcopus verò illius rei studus se in propria persona repræsentauit; & cum vtraque pars coram præscripto Vicario assisteret, diu per partium Aduocatos super quæstionibus est disputatum. Post hæc ad petitionem Episcopi Dominus Vicarius commisit causam ipsam audiendam in partibus istis Magistro Gregorio & Presbytero Vgoni suis Collateralibus Clericis, qui venientes ad partes istas, vtramque partē in campo Sacro congregari

gari fecerant, vt dum de duobus Casalibus Marmora, & Mozæ Abbas, & Monachi aduersus Episcopum litem contestarentur, dixit: Episcopus, se de quæstione illa non responsurum, eo quod Casalia illa tenebat à Domino Rege: ob id igitur qui a Episcopus de principali quæstione respondere nolebat, ad Sedem Apostolicam appellauimus, tunc datis Apostolis in Kalen. Februarij Domino Papæ repræsentandi per se, vel sufficientes responsales vtrique parti præfigitur terminus. Episcopo autem in vtroque deficiente, Abbas destinauit me ipsum ad Dominum Papam, qui apud Veronam à Domino Papa Vrbano successore Domini Lucij benignè receptus, ei per litteras Domini Vicarij, & propriam narrationem qualiter, & quomodo in causam processerimus litis seriatim exposui. Transacto verò statuto termino, cum Episcopus, neque per se, neque per aliquem responsalem Apostolico se conspectui repræsentaret, Dominus Papa communicato consilio fratrum, priuilegium Domini Lucij sui prædecessoris huic Monasterio innouauit, & Magistro Gerardo suo Vicario, ac ipsi Pennen. Episcopo pro Monasterio isto Apostolica scripta mandauit, vt ipse Episcopus cum Abbate, & Monachis se pacificè componeret, vel Domino Vicario se repræsentaret, responsurus Abbati, & Monachis de omnibus, de quibus eum vellent conuenire. Post discessum itaque Domini Vrbani apud Ferrariam, & Domini Gregorij apud Pisas Romanorum Pontificum, Dominus Clemens in Sedem Apostolicam sublimatus, Romamque reuersus, ad petitionem Pennen. Episcopi mandat Abbati, vt vel in propria persona, vel per sufficientes responsales Pennen. Episcopo responsurus se conspectui repræsentaret. Mittit igitur Abbas prænominatos fratres Gentilē, & Dominum Gualterium suam in hac parte vicem gerentes, qui vnà cum Episcopo corā Cardinalibus, quibus fuerat causa ipsa ad audiendum commissa super quæstionibus per Aduocatos suos in Palatio Lateranensi cum diutius disceptassent per eosdem Cardinales Domino Papæ significantur proposita, quibus auditis, & priuilegijs huius Ecclesiæ diligenter inspectis, quorum obtentu, & Cardinalium assertione, vt Dominus Papa Monasterium istud ad Romanam Ecclesiam nullo mediante spectare cognouit, de benedictione Abbatis perpetuum Episcopo indixit silentium, & scriptis alijs quæstionibus vtriusque partis sub sigillo Domini Papæ, hæc inter alias non est admissa, immo pœnitus abdicata, easque ad petitionem Episcopi Domino Attoni Aprutino Episcopo & Domino Berardo Monacho S. Clementis audiendas commisit, sicque Dominus Episcopus spe vana frustratus recessit. Sed de magnis molestijs, & grauibus infestationibus, quibus Pennen. Episcopus Monasterium istud afflixit: pauca pro multis narrata sufficiant. Nunc igitur ad ea, quæ de Ricardo de Padula dicenda supersunt, stylum nostri sermonis proferamus. Pro Castello vtique, quod idem Ricardus in tenimento huius Monasterij Abbati, & Monachis contradicentibus construxerat, & præmemoratus Abbas Olibrius, sicut in superiori libro narrauimus ad Comitem Petrum Manupelli regium mandatum attulerat. Postmodum Boamundi Abbatis sui prædecessoris quæstionem innouauit, & Presbyterum Ægidium Prælatum Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Rubeis crudeliter per ipsum Ricardum expulsum, atque proscriptum ad Regiam Curiam destinauit, qui à Matthæo Vicecancellario Domini Regis ad Comitem Petrum Manupelli litteras impetrauit, vt de Castello veritatem inquisitam suis literis distinctè, & apertè Regiæ Curiæ significaret; de cæteris verò querimonijs tam plenam iustitiam Abbati, & Monachis faceret, quod pro defectu iustitiæ iteratam querimoniam Curia non audiret. Ipse autem Comes citatis partibus apud Manupellum ad ibi Curiam celebrandam, vbi Abbas, & Monachi, dum non de Castello, sed de alijs querimonijs conuenirent, Ricardus ipse de Castello, ait, de quo non cōueniebatur? Respondit in primis ad hæc Abbas, nullam inquit, ad præsens de Castello querimoniam facimus, vel clamorem aliquem, vel appellum, sed dum Curia Comitis vellet super quo Abbas appellum non fecerat, sententiam dare, Abbas & Monachi ab iniquis iudicibus ad Maiestatem regiam appellarunt; post ipsum itaque temporis non longi, cum idem Ricardus Regiam Curiam regio mādato adiret, Abbas Domnum Bretium, & me ad Regiam Curiam destinauit ad prosequendam appellationem, qui cum sæpe dictus Ricardus in Regia Curia conueniremus, Respondit litem ipsam iudicio Curiæ Comitis Petri Manupelli fuisse sopitam, & ipsum Comitem testem vocauit. Nos autem cum reclamaremus, contra mandat Dominus Rex Comiti Petro, vt appellum & clamorem Abbatis, & responsum Ricardi, ac sententiam si qua fuit, ei suis literis transmittat. Comes autem respondit, rescripsit, quoniam Abbas in Curia sua nullum appellum, vel clamorem de Castello fecerat. Mandat iterum Curia Domini Regis Comiti Petro, vt cum ipse Ricardus reuersus esset ad propria, quia sicut erat cōtra maiestatem regiam appellatus, si Abbas & Monachi vellent eum conuenire, idem Comes primùm regium mandatum, quod per venerabilem Abbatem Olibrium quondam acceperat, ita sequeretur, atque perficeret, vt iteratam querimoniam vlterius Curia non audiret, qui ad prosequendum regium mandatum, dum apud Manupellum Curiam celebraret, & nos de Castello iam dicto conueniremus, Ricardus ipse quidem dilationis amator, respondit, quoniam Dominus Rex istud Castellum ei suo dederat dono, ita quod de eo nemini respondere deberet, & huius

rei

rei Dominum Regem testem inuocabit. Curia verò Comitis testimonio Domini Regis factum istud reseruandum decreuit. Item de decimis terrarum tenimenti Valerij per Comitem Drogonem huic quondam Monasterio reseruatis Gertusulinus Comes Laureti, non considerato rationis ordine, Monasteriú istud destituit. Quicum plurima Apostolica & regia mandata, nec non & munera sæpius per Abbatem Oliburium suscepisset, noluit vnquam opus iniquitatis corrigere. Huius ergo Abbatis tempore diuino perfusus spiramine, vocato Abbate, & Monachorum quibusdam populum Laureti coram se congregatum obtestatus est per fidem, quã erãt Deo, & Regi, sibique obnoxij, vt cui decimæ illæ competerent, vel cui eas prædecessores eorum reddiderint, testarentur; tunc omnes sunt vna voce testati predecessores suos huic soli Monasterio decimas illas antiquitus reddidisse. Iussit ergo Comes deinde iuxta instrumẽtorum nostrorum obtentum huic Monasterio decimas illas reddendas; Transmundo vero de Sinitio iussit, vt vel ipse iuraret decimas sui tenimenti huic Monasterio de iure non spectare, vel domini Gentilis Decani Silueri Monachi ibidem astantium iuramentum reciperet, decimas sui tenimenti huic soli Monasterio de iure competere, eiq; prædecessores suos illius tenimenti possessores reddidisse. Transmundus verò Monachorum iuramentum elegit, tunc illis supra librum astantibus, & iurare volentibus; Transmundus eis iuramentum indulsit, & quasi iurassent, acquieuit, decimasque deinde huic Ecclesiæ reddere promisit. Item pro decimis de Pellonaco: Odorus de Collealto simile sacramentum exegit ab eodem domno Gentile, quod cum ille facere vellet, Odorus acquieuit, & deinde huic Monasterio reddi decimas fecit. Item Bartholomæus, & Guillelmus, & Ricardus de Casali germani fratres reddiderunt huic Monasterio Ecclesiam Sancti Ioannis de Carmiano, quam eorum pater Berardus de Casali hactenus huic Ecclesiæ dederat, ipsique postmodum ei iniustè abstulerunt, eamque octo denariorũ in Natali Domini huic Monasterio censualem fecerunt.

Nunc igitur ad scribendam calamitatem, quæ istud Monasterium repentè, ac inopinatè, grauiterque concussit, calamum nostrum vertamus. Post obitum namque Illustris Regis Siciliæ Guilielmi Secundi memoriæ celebrandæ, cum non haberet filium, qui ei hæreditario iure in regnum succederet, tota terra, quę fauorabili prius pace floruerat, fruticosa postmodum seditione inhorruit, & qui antea cõuerterant gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, abdicata post hæc arma reformant. Huius ergo dissidij tempore Ricardus, & Fredericus de Britulo, quoniam à fundatore huius Ecclesiæ secundum carnis propaginem prosapiam traxerant, licet secundum distinctos canonum gradus per longissimam

A restitim. ab eo penitus alieni, quasi proauito iure Monasterium istud sibi vendicare
volentes, & non attendentes tantam libertatem ab ipso cõstructionis exordio huic indultam Ecclesiæ, in auribus Comitis Raynaldi Aprutij, iniquæ persuasionis venena diffundunt suadentes ei terram huius Ecclesiæ ipsis hæreditario iure competere, trahentes ad argumenta fidei prædecessorum suorum iniqua opera, & asserentes se diu per Reges Siciliæ violentiam magnam perpessos. Ergo ad iniquæ suggestionis damna huius rei credulũ Comitem flectunt. Quare me Abbas transmittit veris propositionibus falsitatis argumenta refellere, & iudiciariæ disceptationis terminum petere. Sed, ò nos miseros! iudicẽ
B nostrum virus falsitatis irrepserat; lancem nostram malleus contriuerat aureus, ollam spei nostræ massa oppilauerat plumbi. Iudex denegat audientiam iudiciariæ disceptationis, iubet aduersarijs Carpinetum, & Faram assignari. statimq; dicta factis complentur; proh dolor! primo die ante vigilias Natiuitatis Domini dilecta libertatis luce priuamur, intrant furibundi Castella, eaque sub vnius horæ spatio occupant violenti, tunc sanguinem sanguini, & excessum excessui adijcientes in ipso crepusculo noctis Montesflorum quoddam Casale situm in monte inuadunt, deprædantur miseros illos homines, nihil tam in suppellectili, quam in omni animali præter solam vitã carnis sic eis; residuum diripiunt, lacerant,
C & omnia quasi bestiali more conscindunt, & in tantam crudelitatis rabiem exarserunt, vt etiam infantes exspoliarent in cunis. Plorat igitur hæc tota nostra mater Ecclesia filiorũ, suamque perniciem, nec est qui consoletur eam ex omnibus caris eius, aduersus quam tremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania: flet Monachorum Conuentus, totaq; familia domus, & ex alto pectoris longa trahens suspiria lachrymabiles mittit voces ad cælum, dies festi eius conuersi sunt in luctum, Sabbatha eius in opprobrium, festus dies Natiuitatis Dominicæ fit nobis horridus atque infestus; ec vera potum miscentes cũ lachrymis manducabamus panem doloris; tunc
D enim dormiente Christo, nauicula Petri exposita est ventis, & fluctibus, & in circuitu eius tempestas valida. Nam totus populus huic Monasterio fidelitatis, & homagij lege obnoxius, pristinæ velut immemor fidei vbera huius matris Ecclesiæ, quæ hactenus sugere consueuerat, exulcerare non veretur, turba etiam famulorum, atque domesticorũ fit nobis opposita. Nam cum fortuna statq; caditque fides. Sæuit igitur lippa fortuna, & quasi singulari congressu experiri conatur, quod ipsa valeat malignari, nos autem pati. Abbas ergo coram omnibus fratribus in Capitulo recognoscens Abbatiam Simoniacam se fuisse adeptum, & ei abrenuncians, ad Monasterium Sancti Clementis, de quo assumptus fuerat, redijt, me solo de fratribus ipsum

secuto,

securo, qui ab illis aduersarijs odio habebar inextinguibili, eorum furorem declinans, domestica septa reliqui, vt compendio propriæ libertatis, possem pro cõmuni laborare licentius. Idem verò Abbas me solo sibi adhærente de fratribus ad Comitem Raynaldum accessit, vndè nobis tanti turbinis fluxerat ventus, eique rationes huius Ecclesiæ secundum instrumentorum nostrorum obtentum, & antiquorum memoriam pleniùs exponentes, illum ad pœnitentiam malè facti tandem inclinauimus: O bone Iesu, parasti in conspectu nostro mensam aduersus eos qui tribulant nos. Communicato ergo quorundam fratrum consilio, conscientia securus, non via diuino conductu, non humano ad partes Lõbardiæ accessi ad quendam Henricum Testã Italiæ Legatum Mareschalcum Imperatoris, cui de præscripto Comite flebilem, ex parte totius Ecclesiæ nostræ querimoniam faciens, factũ in ordine per singulos exposui, eo quod ipse Comes post mortẽ prætaxati Regis Guilielmi, Imperatori iurauerat, qui in suo rescripto nos modicum Comitem arguens, mandat ei vt Reate ipsi locuturus accedat, promisit enim omnibus ablatis ibidem per Comitem facere nos restitui, reuersus enim, licet cum discrimine multo dictum Comitem vsque Reate sum postea comitatus, vbi præfatus Mareschalcus prædicto Comiti dat in mãdatis, vt Ecclesiam istam de omnibus ablatis in pristinum statum reformet, posthæc nimirum ad nostram petitionem Dominus Papa mandat eidem Comiti, quatenus Monasterium istud Castellis, & omnibus ablatis restituat, ipsumque deinde manuteneat, & defendat, quod cum ipse Comes differret perficere, iterum Dominus Papa rescribit formã prioris mandati secutus, addens, si non faceret, mandat Aprutino, & Pennen. Episcopis, & Abbati Sancti Clementis, vt illum commonitum, & corrigi nolẽtem excommunicationis sententia feriant. Tot igitur prætaxatus Comes mandatorum impulsu, & pedisseque voluntatis applausu communicato suorum Baronum consilio apud Sanctum Ioannem in Balneo, vbi erat in expeditione Regis Henrici cũ præmemorato Mareschalco quem Imperator ad conquirendum Regnũ miserat, nos Castellis, & omnibus ablatis restituit, suscipiens Monasterium cum omnibus suis sub tutela & protectione sua, constituens Gualterium de Camarda Comestem suum huius restitutionis executorem, qui veniens Carpinetum, & à supradictis R. & F. præpeditus, quia dolor est deserere, quæ delectant, præceptum Domini Comitis non potuit exequi. Iterum ergo reuersus ad Comitem, & ab eo in tenimento Ciuitatis Teatinæ litteras protectionis accipiens prænominatum reduxi Comestem, qui veniens fortioris robore mandati succinctus in Dominico die solemnis Pentecostes nos Castellis, & omnibus ablatis resti-

A tuit, expulsa supradictorum nostrorum aduersariorum familia, quæ à remotis & diuersis locis collecta vberem agrum pastura confluxerat. Multis igitur molestijs Ecclesia illa diutius fatigata post labores & discrimina spiritu iucunditatis exhilarata veteres oblita mœrores, visitauit vtique nos Omnipotens ex excelsis, tantas nostrum miseratus grauedines. Congratulantur ergo nobis vicini & cognati, quia magnificauit Dominus misericordiam suam nobiscum. Verum quia res postulat, & materiæ competit, vt de successione Regni breuiter aliquid perstringamus, quatenus huius Ecclesiæ innouata, & reformata libertas euidentius cognoscatur. Cum autẽ B famosissimus quondam Rex Rogerius duos filios genuisset; Rogerium videlicet primogenitum suum, postmodum Ducem Apuliæ; & Guilielmum post mortem patris, & primogeniti fratris Regem Siciliæ. Rogerius Apuliæ Dux reliquit superstitem vnigenitũ suum nomine Tancredum, Guilielmum verò alterum nomine suo Guilielmum reliquit filium, & hæredem coronæ successorem & Regni. Hic amitam suam Constantiam sororem sui Patris Henrici Romanorum Imperatori matrimonio copulauit. Postmodum verò mortuus sine hærede Sedem vacantem, & sceptrum dimisit inane. Post modicum igitur tempus prænominati Rogerius Ducis filius à populo electus, & plebe vngitur, & co- C ronatur in Regem; sed quia certamen præmia magna mouent, Henricus Romanorum Imperator ad conquirendum sibi Regnum quantum potuit laborauit, viriliter ergo & satis potenter Regnum illud inuadit, & capta Terra laboris obsedit Neapolim: inde post longam obsidionem exercitu eius pro maiori parte diuinitus interempto, spe frustratus, & mole grauissimæ infirmitatis depressus, de Regno semiuiuus abscessit. Post eius discessum prænominatus Rex Tancredus cum exercitu copioso vsque in Comitatum Pennen. perueniens Comitem Raynaldum Aprutij suo dominio subdidit. Cui apud Aternum cum iam dictus Boamundus huius Monasterij Abbas cum duobus ex fratribus D huius Monasterij, domno Britio, & me cæterorũ vltimo se præsentasset, idem Rex Monasterium illud cum suis possessionibus sub tutela sua, & protectione recepit muniens illud suæ protectionis litteris. Nunc itaque quæ de iam dicto Boamundo huius Monasterij Abbate dicenda supersunt, breuiori quã possumus calamo prosequamur; Hic siquidẽ Abbas cum esset suis Castellis monasterio restitutus, pœnitus confessionis, & abrenunciationis mutata voluntate, sua tantum auctoritate prælaturam resumpsit, indeque cœpit bona Monasterij dilapidare, & ipsius negotia ægrè tractare, ita quod ad tantam illud deduxit inopiam, quod fratres extra ipsius Monasterij claustrum cogebantur sua neces-

saria quærere, & de proprijs marsupijs contra ordinem, & Ecclesiæ consuetudinem sibi victualia ministrare, & quod nequius est ipsa Castella Carpinetū & Faram Ricardo & Friderico de Britulo lupis edacibus huius Ecclesiæ hostibus dolo fertur exposuisse, quam expositionem, seu, vt tunc ferebatur, dispositionem repente sequitur sceleratus effectus, iterum Apostolus suo corio denudatur, iterum suis Castellis priuatur, abraso clamatur Philistiim super se incursuri. Nos ergo cum sæpius iam dictum Abbatem monuissemus, & emēdari de dilapidatione, & alijs iniquitatibus nollet, domino Papæ Cœlestino Tertio causam detulimus, quam audiendam, & cognoscendam Domino Benedicto Subdiacono Sanctæ Romanæ Ecclesiæ idem Papa commisit, qui ad Monasterium veniens causam ipsā diutius cogitauit, & testibus super litem contestatam hinc indè receptis, & eorum dictis redactis in scriptis, vt se Domino Papæ repræsentarent terminum competentem vtrique parti præfixum. Vbi lis ipsa contestata & diutius cogitata, antequam legitimæ decisionis fortiretur effectum diuina præueniente sententia, quia idem Abbas xviij. Kal. Maij diem mortis clausit extremum, & apud Monasterium S. Laurētij foras muros Vrbis Romanæ sepulturam accepit. Prænominatorum verò huius Ecclesiæ hostium antiquorum, R. & F. de Britulo tanta crudelitas fuit, quod ipsa duo Castella huius Monasterij Carpinetum & Fara more barbarico, ita expoliauerunt, vt nihil penè residui miseris hominibus facerent. Et quia quidam Teutonicus nomine Bettoldus Imperatoris Legatus sororē Comitis Lauteti vxorem acceperat, totum Comitatum Pennen. & Aprutinum consumpsit, Castella diruit, Ecclesias expoliauit, homines miseros bestiali feritate truncauit, ita quod Teutonicorum humanitas in belluinam videretur mentem mutata, datur locus sæuiendi præmemoratis Ricardo, & Frederico, & scelera sua efficiendi. Ab his igitur digressionem modicam facientes de substituto Abbate aliquid interlocutoriè proferamus. Cū esset itaque Monasterium illud viduitate pastoris, & malitia temporis multa persecutione attritum, communicato fratres consilio pari voto, & communi deliberatione elegerunt quendam Monachum Casinensem Domnum Gualterium de Ciuitate Quaua, virum nobilem totum virtutibus & sapientia præditum, qui iuxta morem cathedratus in Sedem per Comitem Raynaldum Aprutij, præscriptos aduersarios Ricardum, & Fredericum de Britulo conuenit, eosque de iniusta Castellorum huius Monasterij occupatione, & furtiua inuasione per me contra illos allegantem impetijt, & Monasterio ea omnia, quibus expoliatum fuerat, iuxta decretorum, Sāctionum & legum ordinem petijt redintegrari. Sicut igitur ab aduersa parte cōtra restitutionem nihil obuium posset præte-

A di, tota Curia Comitis concordi sententia hoc Monasterium omnibus ablatis adiudicauit restitui, & in eo statu, in quo ante destitutionem fuerat, redintegrari, & tale iudiciū Dominus Comes fecit litteris annotari; tunc ergo ex parte, quia Castellis fuimus facilè restituti, ex parte verò minimè, quia pecunia fere mille bisantiorum fuit nobis redintegrata, taliter igitur hac quæstione sopita, noster electus Apostolico se conspectui præsentauit, vbi dum esset, Domnus Oddo Pennensis electus cum Domno Nicolao tunc Præposito Pennen. Ecclesiæ filio quondam Serronis. Et presbytero Alberto Notario Pennen. Canonico, & alijs pluribus ipsius Ciuitatis petijt à Domino Papa Cœlestino Tertio, vt nostrum electum sibi benedicendum relinqueB ret, dicens iure sui Episcopij hoc sibi competere, tunc Domino Papa cum Cardinalibus exindè communicante consilium, Domini Cardinales eius reliquerunt memoriæ, atque iudicio, quia ipse & temporis vetustate, & antiqua omnes præcedebat memoria; ipse verò Dominus Papa taliter exorsus est dicēs. Cum ex priuilegiorum obtentu, & longa temporum præscriptione Monasterium Sancti Bartholomæi ad Romanam Ecclesiam nullo medio spectare nouerimus memorantes per antiquorum traditionem & propriam visionem à centū annis & plur bus eius Abbates à Romanis Pontificibus benedictos iure igitur ipsi electo, si vobis placet, munus benedictionis impartiri debemus; in quam C sententiam omnes Cardinales pariter conuenerunt. Sequenti ergo die in Capella Lateranensis Palatij in præsentia prenominati Pēnen. electi, & præscriptorum sociorum Dominus Papa nostro Electo, munus benedictionis indulsit, rumque mitræ, virgæ, annulique propria manu insignijs decorauit. Sic noster Abbas mecum, & Domno Britio comitibus lætus repatriauit cum litteris dimissorijs, & Indulgentiæ, quas idem Papa nobis fieri fecerat; Verum in longum narrationem produximus, igitur abdicato calamo, & linguæ tacitutnitatē, & membris indulgeamus D quietem; ista tamen legentibus omnia supra digesta esse veri illima significantes, quæ nullius sunt ab lectione fallaciæ figmes tata. Et licet ea non pingat, vel leuiget nitor eloquij, & exquisitarum dictionum splendor non palliet; tamen simplicitas styli vera discreuit, & veritatis operimento vestiuit.

***

DE FUNDATIONE ET DOTATIONE

Eiusdem Monasterij Sancti Bartholomæi de Carpineto.

IN Dei nomine Amen. Anno ab Incarnatione Dominica DCCCCLXII. die 18. mensis Martij 15. Indict. Imperante gloriosissimo Imperatore Ottone, anno Imperij sui secundo præfatæ indict.

Nos Bernardus q. Liudumi filius Comes Comitatus Pennen. à flumine Tabe vsque ad flumen Piscariæ præsenti scripto declaramus, quod dum quodam infirmitate grauati in lecto nostro iaceremus, cogitauimus, qualiter in peccatis concepti sumus, & qualiter per dies singulos peccata commisimus, & qualiter in die Iudicij de nostris peccatis sumus Deo rationem reddituri, & qualiter iusti cum Domino gloriabuntur, & peccatores in illo Iudicio damnabuntur, quibus pensatis consilia quæsiuimus à religiosis viris, quomodo possumus peccata nostra redimere, & iram superni Iudicis fugere, à quibus perceptis consilijs, vidimus, nulla posse nos facere maiora opera charitatis, quam construere aliquod Monasterium, & rebus nostris dotare illud, vt Monachorum cœtus in eo valeant famulari Deo, & pro animabus antecessorũ nostrorum, & nostra Dominum Deum incessanter orare, & Christi pauperes ab eodem Monasterio possint recipere alimoniã tempore necessitatis. Post hæc autem incepimus cogitare intra nos, & locum aptum quærere, & Deo concedente inuenimus in nostro Comitatu locum satis habilem ad fundationem Monasterij excogitati, videlicet in contrata ad radices Montis Appennini, in loco, qui dicitur Collis de Licina posita in Insula, quæ est inter flumen Naute, & riuum de Vito, in quo loco construi fecimus in honorem Dei, & Beati Bartholomæi Apostoli Monasterium cognatũ, in quo adhibito solemni cœtu Monachorum, eorundem votis concurrentibus, ab ipso toto Collegio vir multæ Sanctitatis Domnus Benedictus canonicè est electus Abbas, & debito modo cõfirmatus, quibus Abbati & Monachorum Congregationi, tanquam fundator ipsius noui Monasterij infrascripta bona nostra stabilia, titulo liberalis donationis cessimus, videlicet per circuitum Monasterij tantum de terra, quod capit in semine modios trecentos pro faciendis campis, & vineis dicti Cœnobij, & Montem Somati, qui situs per directum super ipsum Monasterium. Damus etiam & cõcedimus titulo prædicto tibi Abbati Benedicto, & tibi Congregationi eiusdem Cœnobij recipientibus pro ipso Monasterio S. Bartholomæi Castellum nostrum Carpinetum, & Castrum nostrum, quod dicitur Farii, & locum, qui dicitur Varleczum, cum hominibus, iuribus, & pertinentijs singulis ipsorum Castrorum, quæ Castra omnia sunt, & sunt de ipso nostro Comitatu, & in ipsorum castrorum, terrarum, & locorum prædictorum possessionem ipsum Abbatem, & Collegium dicti Monasterij posuimus, & induximus, vt ipsi & successores eorum absq; nostra & cuiuslibet alterius calumnia possint prædicta omnia in perpetuum retinere, & possidere. Cedimus ipsi Monasterio Vicennum nostram, quæ dicitur Sanguinetum per mensuram modiorum centum, vt laborantes etiam fratribus, & famulis eiusdẽ sancti Cœnobij liberam licentiam construendi Molendina, & Balcatoria vbicunque voluerint per totum Comitatum nostrum, & vendendi, emendi, & pascua libere sumendi pro animalibus suis in omnibus locis totius nostri Comitatus. Et hanc nostram donationem, & concessionem stabilem & perpetuã volumus permanere iuxta illud quod Carolus Imperator in suo Capitulari sic constitui, vt si quis Longobardus recogitans casus humanæ fragilitatis pro salute animæ suæ de rebus suis voluerit aliquam donationem alicui pro loco facere, liberè possit, & absolutè, nullo contradicente, & etiam iuxta illud, quod Luitprandus Rex in suo Capitulari sic affixit. Si quilibet Lõgobardus ægrotauerit, quanquam in lectulo reiaceat, potestatem habeat, dum viuit, & rectè loqui potest, pro anima sua de rebus suis iudicare, & facere, iuxta votum suum, testamentum, & vt sibi placuerit de his, quæ possidet, dispensare. Volumus etiam, ac concedimus, & per præsens scriptum perpetualiter confirmamus, vt ipsum sanctum Monasterium ad honorem Omnipotentis Dei, & Beatæ Mariæ semper Virginis, ac Beatissimi Bartholomæi Apostoli, sic fundatum & dotatum cum omnibus rebus suis sit liberum, & nulli vnquã personæ subiectum, nec nobis, vel alicui de gene-

generatione nostra, ad præstandum, seu etiam faciendum aliquid teneantur publicè, vel priuatim aliquo modo, nisi tantummodo ad solam Orationem faciendam, & exhibendam piam eleemosynam miserabilibus personis, & pauperibus Domini nostri Iesu Christi pro anima nostra, & recolendæ memoriæ Liudã Patris nostri, & omnium prædecessorum nostrorum, & pro anima Gaidolfi Reuerendi & Venerabilis Episcopi germani nostri, & pro anima genitricis & vxoris nostræ, pro quibus bona sumus omni tempore facere obligati, & Dominus noster Iesus Christus cum venerit ad iudicandum viuos, & mortuos, & sæculum per ignem, in illo tremendo, & terribili iudicio, in quo boni, iusti, & electi pro suis bonis, & iustis operibus in præsenti sæculo dum vixerunt, curauerunt facere, recipiant gloriosa, & æterna præmia, & impij & peccatoribus pro suis iniquitatibus, & sceleribus, quæ in præsenti vita commiserunt, & dignam pœnitentiam non egerunt, iusta Dei sententia dabuntur incendiosa, & horrenda, atque infinita supplicia, per orationem ipsam Sanctorum Monachorum, & donationem præfatam sanctarum eleemosynarum, & alia supradicta bona, veniam & misericordiam per suam sanctam pietatem nobis tribuat de peccatis nostris, quæ in præsenti sæculo fecimus, & participes nos faciat suæ gloriosæ vocis, cũ dixerit; Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi, & elonget nos ab illa terribili, & tremenda voce cum dixerit: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius, & hæc bona omnia suprascripta, & notata, per nos liberaliter data & concessa per titulum donationis, ac etiã assignata ipsi sancto Monasterio solemni promissione promittimus per nos & omnes, & singulos hæredes nostros sub pœna quadringentarũ librarum argenti ipsi prænominato Monasterio ab omni persona, magna, & parua & quolibet loco, & contra omnia præscripta, seu etiam aliquod ipsorum in parte, vel in totum vnquam vllo tempore facere, vel ire, seu etiam attentare aliquo modo, & præscriptum nostræ prædictæ donationis, & concessionis, atque iudicationis desideramus, & volumus cum plena nostri animi deliberatione sub prædicta pœna, scilicet quatringentarum librarum argenti firmum, & stabile, atque irretragabile perpetualiter omni tempore permanere, & stare. Quod scriptum donationis, & concessionis, atque indicationis. Ego Benedictus eiusdem Domini Bernardi Curiæ Iudex atque Librarius de ipsius Domini Bernardi rogatu atque mandato propria manu scripsi, & iuxta solitum, & consuetudinem adnotaui. *Factum est Anno, mense, die, & Indictione prædictis in dicto Comitatu Pennensi. Amen.*

Signum manus Bernardi, qui hanc donationem pro redemptione animæ suæ fecit.
Signum Ioannis rogati testis.
Signum manus Leonis testis.
Signum manus Bosoni testis.
Signum Aczolini rogati ã supradicto.

Principium fundationis huius Sancti Monasterij.

IN Dei nomine. Ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi sunt anni nongenti sexaginta duo, dies mense Martio, Ind. decima quinta. Ideoque ego Bernardus filius quondam Liudum declaro enim, quia cum quadam die propter ægritudinem tacitus iacerem in lectulo meo, cogitare cœpi intra memetipsum, qualiter in peccatis conceptus sum, & natus, & qualiter ab infantia mea die, noctuque, & horis, atque momentis innumerabilia peccata commisi, & qualiter in illo terribili iudicio de omni facto meo, vel cogitatione Deo rationem redditurus sum, & qualiter iusti, & electi Dei cum Domino gloriabuntur, & impij peccatores in illa pauenda pœna cum Diabolo damnabuntur, & subito me respexit diuina pietas, & commotum est cor meum cum tremore, & æstnatione cordis cœpi enixè quærere consilia à Sacerdote, & Religioso viro, qualiter innumerabilia peccata mea redimere potuissem, vt iram æterni Iudicis euadere potuissem, & accepi consilium ab eis, excepto, si sæculo renunciare potuissem, nullum aliud melius inter eleemosynarum virtutem, quàm si de proprijs rebus, & substantijs meis Monasterium construxissem, & Monachorum cœtum famulatum Deo coadunassem, qui ibidem laudem Deo resultent, & vota persoluant, pro animabus nostris incessanter exorent, & cogitare cœpi intra memetipsum, vbi aptum locum inuenire potuissem, & subito Deo cõcedente inuenimus locum in ipsa insula, quæ est inter fluuium la Naura, & riuum de Viti, & fecimus ipsam Ecclesiam in honore Dei, & Gloriosi Apostoli Batholomæi, & congregauimus Monachos, & ordinauimus Abbatem Domnum Benedictum, & dedimus terram, in vno se tenentes in mensuram modiorum trecenti, & habet finis capo fine ipsi parti de ipsa pescla, de Somati, de vno lato fine riuo, de viti, & de alio lato fine fluuio la Naura, & da pede fine fluuio la Naure, & fine fluuio de Viti, & quomodo ipso fluuio la Naure, & ipso riuo de Vite insimul se coniungunt, & ipso fluuio, & ipso riuo cum aqua sua, & concedo in ipsa iam dicta Ecclesia de alia res mea in vocabulo dello Pesco in loco, vbi dicitur Battute terra mensura in vno se tenentem modiorum centum, & habet finis capo fine terra quæ mihi remansit da pede fine

fluuio

fluuio la Naura cum aqua sua, & cum locis molendinis vbicunque molina ædificare potueritis de vno lato fine riuo de Viri, & de alio lato fine ipsa pescla, & limite, & concedimus in ipsa iam dicta Ecclesia de alia res mea, quæ mihi suprascripto in hæreditatem obuenit in locum in ipse plage, quæ est super ipso Castello de Carpineto, & in ipse plage de ipso pesclo, qui est terra modiorum quadraginta, & habet fines capo sine limite de pede, sine via de vno lato fine via, quæ pergit ab ipso Castello de Carpineto, & quomodo pergit in ipsa forma de ipso molino, qui Louammo, & Ioannes præstitum tenet, & fine capo de ipsa forma, & de ipsa serra, & fine fluuio la Naura cum aqua sua, & cum locis molendinis, & cum molina, qui ibidem ædificare potueritis, de alio lato fine limite, & concedo de alia res mea in ipsa iam dicta Ecclesia terram per mensuram modiorum viginti in ipso vocabulo de molenario, & habet finis capo fine limite, & prete fictæ, qui ibidē stare videntur da pede, & de vno lato terra, quæ mihi remansit, & de alio lato fine via, & fine preræficta, & concedo de alia res mea, in ipsa iam dicta Ecclesia terram per mensuram modiorum centum viginti in ipso vocabulo de Sanguineto, & habet fines capo fine valle secca de pede, & de vno lato fine via, & fine fluuio la Naura, & de alio lato fine via, & terra, quæ mihi remansit, & concedo de alia res mea in ipsa iam dicta Ecclesia in loco qui nominatur lata pura vocabulo ad ipse colle terra per mensuram modiorum triginta, & octo in vno se tenente, & habet finis capo in fluuio la Nauta pede, & de animes latere limite, & in alio loco, qui nominatur pede de monte malo terra per mensuram, in vno se tenentem modiorum duodecim, & habet fines capo, & pede fine limite de vno lato fine via, alio lato fluuio la Naura, & concedo de alia res mea in ipsa iam dicta Ecclesia terra per mensuram in vno se tenentem modiorum viginti in locum, qui nominatur Ocretana, in ipso vocabulo de Neposano. Et habet finis capo fine terra quæ mihi remansit da pede fine limite, & de vno lato fine via, & de alio lato terra, quæ mihi remansit, & concedo de alia res mea in ipsa iam dicta Ecclesia in locum, qui nominatur ad ipse cortine de Sancto Petro, quæ est terra per mensuram in vno se tenentem modiorum triginta, & habet fines capo, & de vno lato terra, quæ mihi remansit, & pede fine riuo, & alio lato fine riuo, & terra de ipsa suprascripta Ecclesia Sancti Bartholomæi, & tradimus in ipsa Ecclesia in locum, qui nominatur Casali spesso, terrā per mensuram modiolo vno, vbi est vinea plantata, & habet fines capo fine via de pede, & fine via de ambos latere fine terra de singulis hominibus, & tradimus ipsa Ecclesia S. Bartholomæi cum ipse suprascriptæ rebus in manu Domini Benedicti Sacerdote, & Monachus, & inde eum Abbas constituimus, &

A concessimus à locis ipsius necessarius supplementum, Christique seruorum illuc degentium, seu vndecumque aduentantium perenne subsidium ipsa suprascripta mea hereditate, quæ mihi suprascripto Bernardo in hęreditatem, & ad meum conquisitum obuenit ipsa suprascripta res infra suprascriptæ fines, qui sunt tota insimul per mensuram modiorum sexcentum octuaginta, & vnum, & ex prædicti omnibus ipsi suprascripti rebus infrascriptæ fines cum ipsa Ecclesia S. Bartholomæi, & cum riuolis, pomis, & arboribus suis, & cum locis molendinis, vbi ædificare potueritis, & cum ornamenta de ipsa iam dicta Ecclesia, & cum omnia, & in omnibus, quantum ipsa suprascripta res infra se, vel super se habentes in integrum, & in omnibus sic concedo, dono, trado, atque confirmo tibi Domine Be-

B nedicte vir venerabilis Abbas, vel ad posterisque successoribus tuis perenniter permansurum, confirmamus in ea videlicet ratione, pro quo Domnus Lipradus Rex in suo Capitulare sic affixit. Si quilibet Longobardus ægrotauerit, quamqua in lectulo reiaceat, potestatem habeat, dum viuit, & rectè loqui potest, pro anima sua iudicare, vel dispensare, & quod iudicauerit pro anima sua, stabile debeat permanere. Similiter ipse in suo Capitulo sic adifixit, vt qui res suas in sanctis locis, vel in Xenodochijs iudicauerit pro anima sua, stabile debeat permanere: Et quia Domnus Carolus Imperator in suo capitulare sic constituit. Si quis Longobardus habet casus humanæ fragilitatis recogitans pro salute

C animæ suæ de rebus suis cartula donationis cuilibet facere voluerit, absolutè faciat de rebus suis quod velit, & voluerit, in ea videlicet ratione. Ego suprascripto Bernardus sic dono, & trado, atque concedo, seu iudico ipsa iam dicta Ecclesia cum ipse suprascriptæ rebus, qui suprascripto Domni Benedicti venerabilis Abbas, vel ad posterisque successoribus suis, & pro anima mea, & pro anima Gardolfi Episcopus Germano meo, & pro anima suprascripto Liudum Genitorem nostrū, & pro anima de Genitrice nostra, & pro anima de Coniuge meæ, & pro filioli mei, vt nobis Dominus Noster Iesus Christus venia retribuere dignetur, & ad sua sancta gratia reuocare dignetur, vt cum venerit die illa fu-

D turum iudicium mirandæ à Domino accipere mereamur, & cū electis vocem eius audire mereamur, quando Dominus dicturus erit, Venite benedicti Patris mei, percipite regnū, quod vobis paratū ab origine mundi. Propterea tradimus tibi Domne Benedicte Venerabilis Abbas, vel ad posterisque successoribus tuis, vt habeat, & teneat, atque possideat ipsa suprascripta Ecclesia cū ipse suprascriptę rebus ad iure, quiete, & non sit subiecta neque sub Episcopio, neque sub alio Monasterio, neque sub vlle persone, nisi solo Patris, & Filij, & Spiritus Sācti, cum omnia subiecta sunt, & nullum ibi domineutur, vel iudiceutur, neque

neque nos, neque generatione nostra. Et quando Abbas de ipso prædicto Monasterio de hoc sæculo migrauerit, licentiam habeat de ipsa Congregatione de ipso supra prædicto Monasterio Abbas inter se eligere, quale ille melius præuiderit, qui ibidem regula S. Benedicti melius teneat, & si inter eos orta fuerit propter Abbas eligere quale maiore pars elegerit, ille sit factus Abbas, & ponatur in Sede, qui eiusdem sacrum regimine teneat, & nos, vel nostra generatione ibi nullum aliud seruitium habeat, nisi sola oratione pro animabus nostris, & pro anima de Genitore, & Genitricis nostras, & pro anima de Coniuge mea, & quicunque de generatione nostra, aut qualibet persona ipsa iam dicta concessione, seu ordinatione quod pro anima nostra cõcessimus, atque ordinauimus, seu iudicauimus molestare, aut inquietare, vel distribuere præsumpserit, & Monachos de prædicto Monasterio quietè, ac pacificè esse non permiserit non habeat partem in prima Resurrectione, sed cum Iuda traditore, qui ruat Apostolico agmine segregatus est, sequestratua pars illius sit in stagnum ignis ardentis, & sulphuris, & hoc repromitto me Ego supradictos Bernardo, & obligo me, vel meis hæredibus tibi suprascripto Domni Benedicti Venerabilis Abbas, vel ad posterisque successoribus suis, vel Monachis, qui ibi nunc habitare videntur, & habitaturi sunt, ibi habitandum, vt ipsa suprascripta Ecclesia cum suprascriptæ rebus pro anima mea, & pro anima Gardolfi Episcopus germano meo, & pro anima Liu. um Genitorem nostros, & pro anima de Coniuge meç vobis iudicaui, atque concedi ab omnes homines auxiliare atque defendere debemus vobis, & à qualibet homines auxiliare, & defendere non potuerimus, aut noluerimus, aut si exindè aliquid retollere, vel minuere præsumpserimus, aut si ego suprascripto Bernardo, vel meis hæredibus contra te suprascripto Domnus Reuerendus Venerabilis Abbas, vel contra posterisque successoribus tuis, aut contraque successoribus, aut contra iam dicto Monasterio aliquam occasionem mittere quæsierimus, vt componam ego suprascripto Bernardo, vel meis hæredibus tibi suprascripto Domni Benedicti Abbas, vel ad posterisque successoribus tuis, pœna argentum libræ quatuor centum, & cartula illa donationis, seu concessionis, atque iudicationis, omnique tempore semper firma, & stabile permaneat; Quem verò hanc cartula donationis, seu concessionis, atque iudicationis rogatus à Domino Bernardo scripsit. Ego Benedicto Iudice, & Librario primo die illius mense Indictio suprascripta, actum in Pinne, feliciter.

† Signum manuum Bernardi, qui hanc cartulã pro redemptione anima mea fieri rogans manu mea subscripsit, & signum Crucis fecit.

† Signum manuum Adelberti testis rogatus à suprascripto.

† Ego Ioannes rogatus à suprascripto manu mea subscripsi.

† Signum manuum Leoni testis rogatus à suprascripto manu mea subscripsi.

Manum Bosoni rogatus à suprascripto manu mea subscripsi.

† Signum manuũ Aczolini rogatus à suprascripto manum mea subscripsit.

Donatio Pamponis Episcopi Pennensis.

PAmpo Ecclesiæ Ciuitatis Pennen. Episcopus, quę Ecclesia est ædificata in honorem S. Mariæ Genitricis Dei, & S. Maximi, ipso Almifico Præsule electo, atque omnium ordine Papæ per consensũ Domini Isembarti Præpositi, Ioannis Custodis, & aliorum Canonicorum, qui ordinati sunt in officio de Sãcto Episcopatu, & per consilium Benedicti Presbyteri de Cateniano, & Ioannis Abbatis, & aliorum donat Monasterio Ecclesiæ Sancti Bartholomæi, quod est ædificatum in Territorio Pennensi intra ipsa tenentia de Carpineto in Colle de Lecina iuxta fluuiũ de Naura, & riuum de Vite, & pro isto Monasterio Sanso Abbati eiusdem Monasterij rem iuris de dicto Sancto Episcopatu, videlicet Plebem S. Mariæ de Cateniano, & Castellum de Cateniano, Onetano, Locretano, Genestrula, Carpineto, Brittole, & Fara cum omnibus in quantum ad Episcopatum pertinet, & pertinere debet de dictis Castellis cum clausula, quod aliquid non alienetur sine licentia Episcopatus, cum onere tamen responsionis annui census Ecclesię Pennensi in festo Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ, seu per totam Octauam dictę festiuitatis denariorum duodecim pro reparatione Ecclesiæ Pennẽ, prout latius apperet in quodam Chirographo sub Anno Dom. 1070. 6. mens. Aprilis Indict. viij. Actum Pennæ feliciter, &c. subscriptiones, &c.

Ego Pampo Episcopus in hoc scripto vnà cum consensu Domini Isembardi Præpositi, & per consensum Ioannis nostræ Ecclesiæ Custodis, & omnium Canonicorum manum meam posui, & illud confirmaui.

Signum manus Ornini testis, &c.

Signum manus Boni testis, &c.

Signum manus Pastoris testis, &c.

Donatio Erberti Episcopi Pennensis.

DOminus Eribertus Episcopus S. Marię, & S. Maximi, quæ ædificata est intra

mura

mura de Ciuitate Pennensi cum consensu Canonicorum in officio de Sancto Episcopatu donat Monasterio S. Bartholomæi, quod est ædificatum in Territorio Pennensi intra ipsa tenentia de Carpineto in Colle de Lecina, iuxta flumen de Naura, & pro ipso Monasterio D. Sanso Abbati eiusdem Monasterij, rem & ius de Sancto Episcopatu prædicto, idest infra Territorium Pennen. videlicet ipsam Ecclesiam S. Bartholomæi, Ecclesiam S. Ioannis in Balneo cum quarta parte, quantum ad dictum Episcopum pertinet Viuorum, & mortuorum de la Pinna, & de Viculo, & de Castellione, quodque teneatur Abbas, & Monasterium annualiter dare, & persoluere Ecclesiæ Pennen. in mense Augusti in Assumptione Beatæ Mariæ, aut infra octauam denarios duodecim ad ipsum Altare S. Mariæ, & Sancti Maximi, quæ Ecclesia ædificata est infra ipsa mura ciuitatis Pennensis, prout latius apparet in chirographo sub Anno Domini 1109. Indict. p. mense Augusti.

Amicus filius ad ista conuenientia fui.
Americ. filius Pastoris ad ista conuenientia fui.
Ioannes Alberic. ad ista conuenientia fui.

Donatio Grimaldi Episcopi Pennensis, seu conuentio eiusdem cum Monasterio S. Bartholomæi.

IN Dei nomine Amen. Scriptum conuentionis quod fecit Dominus Grimaldus Episcopus Pennen. Ecclesiæ almificus Præsul electus atque ordinatus ab omni ordine Paschalis Papæ, & à cuncto populo generaliter ipse prædictus Episcopus sua bona voluntate, consentientibus sibi videlicet, Mauritio Archipresbytero, Berardo Archidiacono, Ioanne Præposito, Leone Mansionario, Petro Presbytero, Ronçe filio, Giso Presbytero Leonis filio, Henrico Diacono, Mauritio Diacono Gisonis filio, Rainaldo Tramatia, & cum omnibus Clericis conuocatis ab Episcopo, Ego prædictus Grimaldus Episcopus per ipsum scriptum conuenientiæ dono, trado, confirmo ipsi Monasterio S. Bartholomæi Apostoli constituto ad Collem de Lecina, & tibi Vener. Viro Domno Ioanni Abbati, vestrisque successoribus in ipso Monasterio residentibus quæ prædecessores mei, videlicet, Pampo Episcopus, & Eribertus Episcopus donauerant, tradiderant, & per scripta confirmauerant, hoc est de rebus proprietatis nostræ Pēneñ. Ecclesiæ, Episcopatus S. Mariæ, & S. Maximi, videlicet Castrum Cateniani, & Merani cum ipsa plebe S. Mariæ, & cum suis pertinentibus Ecclesijs, & Clericis, cum Chrismate, & Oleo, ornamentis Ecclesiasticis, terris, vineis, cultis, & incultis, quarta, & decima, eodem modo Castrum Locretani, & Genestrulæ, Carpineti, Terræ Britoli, de i in omnibus supradictis Castris, & de ipsa plebe S. Mariæ dederunt, & confirmauerunt ipsi prædecessores mei, videlicet, Pampo Episcopus, & Eribertus Episcopus ipsi supradicto Monasterio S. Bartholomæi quantum ad nostrum Episcopatum pertinet, vel pertinere debet, Insuper Ecclesiam S. Ioannis in Balneo, & Castrum Viculi Pinnæ, & Castellioni, quæ Dominus Eribertus Episcopus dedit in ipso supradicto Monasterio Sancto. Hæc omnia supradicta confirmo, & concedo, Ego supradictus Grimaldus Episcopus ad ipsum supradictum Monasterium S. Bartholomæi, & tibi Ioanni Abbati, vestrisque successoribus, & de istis tribus Castris, videlicet, de Castro Viculi, Pennæ, & Castellioni conuenientiam commutationis inter Ecclesiam Pennen. & Ecclesiam S. Bartholomæi fecimus, quod ego supradictus Grimaldus Episcopus recepi ab Abbate Castrū Viculi sine Ecclesia S. Nicolai, & sepulturis bonorum hominum voluntarie venientium, dedi tibi Abbati Castrū Fabricæ cum omnibus quæ ad nostram Ecclesiam pertinent, & pertinere debent, Insuper ipse Abbas dedit in beneficia, & in feudo Castrum Pennæ, & Castellionis, vt annualiter reddant tibi, & successoribus in festiuitate S. Bartholomæi atque in octaua denarios sex, & si ad dedicandā aliquā Ecclesiā ipsius Ecclesiæ inuitatus fuerim, sine querimonia libenter expleam, & si in aliqua causa necessitatis prouocatus fuero, adiutorium, & consilium impendam. Hoc scriptum conuenientiæ definitum est intus in Ciuitate Pennensi in Ecclesia S. Mariæ, & S. Maximi ante præsentiam Domini Episcopi, & Clericorū eius, & Gisonis Abbatis S. Clementis, & Gualterij filij Berardi, & Ioannis Ailredi, & alijs pluribus hominibus sedentibus, & astantibus. Et in censum debetis dare ad nostram Ecclesiam Episcopalem propter istud scriptum confirmare, & nostram Ecclesiam restaurare per omnes annualiter infra mensem Augusti in Assumptione B. Mariæ, aut infra ipsam octauam denaria vigintiquatuor ibidem portans ad ipsum Altare S. Mariæ, si hoc feceritis, & impleueritis, habeatis, & possideatis, & in vno anno, aut infra duos, vnum Bouem secundum qualitatē temporis, & talis fuit nostra conuenientia, & quicumque hoc scriptū conuenientiæ frangere, cassare, calumniare, minuere præsumpserit, sit anathematizatus, & excommunicatus, & in perpetua damnatione damnatus, & à trecentis viginti octo Sanctis Patribus sit maledictus, & cū Pharaone, & Herode, & Iuda traditore demissus sit in Infernum. Et insuper pro pœna sit compositurus Ecclesiæ S. Bartholomæi centum libras optimi auri, & hoc scriptum stabile roboratum semper permaneat.

Hæc conuenientia scripta est in anno 1123. Ind. xv. scripsi

Ego

Ego Mainard. Iud. de ipsa Ciuitate Calend. Sept.
Ego Grimaldus Episcopus in isto scripto manum misi, & confirmaui, & signum feci.
Signum manus Dom. Gisonis Abbatis S.Clementis in hoc instrumento testis. &c.
Signum man. Gualteri Berardi filij. &c.
Signum man. Aimerici filij Pastoris de Ciuitate Pennen. &c.
Signum man. Ioan. Aifridi. &c.
Signum man. Ioan. Marsicani, &c.

Priuilegium Paschalis Secundi ad confirmationem datum omnium bonorum Monasterij S.Bartholomei. ad Ioannem Abbatem.

PAschalis Episcopus seruus seruorum Dei. Dilecto filio Ioanni Abbati Monasterij S. Bartholomæi quod in Pennensi Parochia situm est, eiusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Ad hoc in Apostolicæ Sedis regimen Domino disponente promoti conspicimus, vt ipso præstante Religionē augere, & eius seruis tuitionem debeamus impendere. Tuis igitur dilecte in Domino fili Ioannes Abbas iustis petitionibus annuentes Beati Bartholomæi Monasterium, cui Deo auctore præsides, in tutelam, & protectonem Beati Petri suscipimus, & contra prauorum hominum nequitiam auctoritatis eius priuilegio communimus. Præsenti itaque decreto statuimus, vt quæcumque, bona, quascumque possessiones idem Monasterium in præsenti decima indictione, concessione Pontificū, liberalitate Principū oblatione fidelium vbilibet iustis modis possidet, vel in futurum auctore Domino poterit adipisci firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneat, in quibus hæc proprijs visa sunt nominibus exprimenda, Castellum Carpinetum, Castellum Fara, Ecclesiæ S. Vitalis, Sancti Tegrini, S. Nicolai de Viculo, Ecclesia S. Mariæ in Serane, Ecclesia S. Matiæ, S. Felicis in Latumano cum pertinentijs suis, Ecclesia S. Nicolai, & Mariæ, S. Iustæ de Costello Deretani, Ecclesiæ SS. Ioannis, & Pauli, S. Sepulchri, S. Angeli. Ecclesiæ S. Mariæ Brittulensis, S. Herarmi, S. Mariæ in Piscano, S. Ioannis in Balneo, S. Laurentij Vnciani, S. Mariæ in Plano, S. Mariæ in Cellulis, & S. Luciæ in ara antiqua. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat idem Monasteriū temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerarijs vexationibus fatigare, Sed omnia integra conseruentur eorum pro quorum sustentatione, ac gubernatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura. Sepulturas quoque eiusdem Monasterij omnino liberas esse decernimus, vt eorum qui illic sepeliri deliberauerint deuotioni, & extremæ voluntati, nisi fortè excommunicati sint nullus obsistat. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisue persona hanc nostræ constitutionis paginā sciens contra eā venire tētauerit, secundo tertioue commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis, honorisq; sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, & sanguine Dei, & Domini Redēptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat; cunctis autem eidem Monasterio iusta seruantibus sit pax Domini Nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructū bonæ actionis percipiāt, & apud districtum Iudicē præmia æternæ pacis inueniant, Amen, Amen, Amen.

Ego Paschalis Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Datum apud Transtyberim per manum Ioannis S.R.E. Diac. Cardinalis Bibliothecarij 4. Nonas Decemb. Ind. X. Incarnationis Dominicæ Anno MCXVI. Pontificatus autem Domini Paschalis Secundi Papæ anno XVIII.

Priuilegium Innocentij Secundi eidem Ioanni Abbati concessum.

INnocentius Episcopus seruus seruorū Dei. Dilecto filio Ioanni Abbati Sancti Bartholomæi quod in Pennensi Parochia situm est, eiusque Fratribus regulariter substituendis in perpetuum.

PIæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, vt & deuotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & vtilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter dilecte in Domino fili Ioannes Abbas tuis iustis postulationibus præbentes assensum, Monasterium Beati Bartholomæi cui auctoritate diuina præesse dignosceris sub Beati Petri tutela, & nostra protectione suscipimus, & contra prauorum hominum nequitias Apostolici priuilegij robore communimus. Statuentes vt quæcumque possessiones, quæcumque bona idem Cœnobium in præsentiarum iustè, & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis; videlicet

delicet Castellum Carpinetum, Castellum Fara cum pertinentijs suis, Ecclesiam quoque S. Vitalis, S. Michaelis, S. Ioannis, Sanctæ Mariæ, S. Peregrini, S. Nicolai de Vicolo, Ecclesiam S. Mariæ in Serenso, Ecclesias S. Mariæ, S. Felicis in Casuniano cum pertinentijs suis, Ecclesiam S. Christophori, S. Mariæ in Genestrulo, Ecclesiã S. Nicolai, S. Iusti de Castello Occetano, Ecclesiã S. Mariæ Britulensis, Ecclesiam S. Laurentij de Fabrica, S. Ioannis in Balneo, S. Laurentij vbi cani, Ecclesiam S. Mariæ in Plano, S. Mariæ in Cellellis cum pertinentijs suis, earum sanè Crisma, Oleum Sanctum, consecrationes Altarium, benedictiones Clericorum à Diœcesano suscipietis Episcopo, siquidē Catholicus fuerit, & gratiam atque cōmunionem Apostolicæ Sedis habuerit, eamque gratis, & sine prauitate vobis voluerit exhibere. Alioquin Catholicũ quemcumq; malueritis adeatis Antistitem, qui vobis postulata indulgeat. Obeunte vero te nunc eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia preponatur, nisi quem fratrum communi assensu, vel fratrum pars sanioris consilij secundum Dei timorem, & Beati Benedicti regulam prouiderit eligendum à Romano semper Pontifice consecrandum, Sepulturam quoque eiusdem loci omnino liberam esse decernimus, vt eos qui se illic sepeliri deliberauerint deuotioni, & extremæ voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat. Nulli ergò hominum nefas sit prędictum Cœnobium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel oblatas retinere, minuere, vel temerarijs vexationibus fatigare; sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum sustentatione, & gubernatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura. Si qua igitur imposterum &c. *vt supra.* Pacis inueniat. Amen, Amen, Amen.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus ss.

† *Ego Cornadus Sabinensis Episcopus ss.*

† *Ego Guido Tiburtinus Episcopus ss.*

† *Ego Gerardus Presb. Card. tit. S. Crucis in Hierusalem ss.*

† *Ego Lucas Presb. Card. tit. Sancti Ioannis, & Pauli ss.*

† *Ego Martius Presb. Card. tit. S. Stephani ss.*

† *Ego Anselmus Presb. Card. tit. S. Laurentij in Lucina ss.*

Datum Laterani per manum Aimerici S.R.E. Diac. Card. & Cancellarij viij. Kal. Aprilis Indict. 1. Incarnationis Dominicæ M.C.XXXVIII. Pontificatus vero Domini Innocentij PP. II. Anno VIIII.

Plurima alia Pontificum priuilegia etant exscripta in eodem codice, iisdem fere conceptis verbis, aliæque donationes, & instrumenta, quæ breuitatis gratia omissa sunt. Cæterum hoc S. Bartholomæi Cœnobium perpetuo vnitum fuit cũ Monasterio S. Mariæ de Casanoua Ord. Cisterciensis Pennensis Diœcesis, anno 1258. per Alexandrum Quartum.

HISTO-

HISTORIA

De fundatione Monasterij S. Clementis Insulæ Piscariæ, quod Ludouicus Secundus Imperator in Pinnensi Diœcesi condidit.

Ad fidem membranacei Codicis quondam Illustriß. Petri Columnæ eiusdem Monasterij perpetui Commendatarij.

LIBER PRIMVS.

Ante conditionem Monasterij Piscariensis inuenitur Ludouicus Imperator per diuersas Italiæ Prouincias acquisiisse possessiones plurimas, eo animo, & affectu, sicut postea claruit, vt cum aptum locum inuenirer; in quo Monasterium construeret, eas ibidem omnipotenti Deo largitori omnium bonorum offerret. Voluntatis enim eius erat, & voti, ædificare domum Domino Deo; & ideò ex quo cœpit Italiam frequentare, omni sollicitudine studebat prædia, & possessiones acquirere, donec ei superna prouisio aptissimum Monasticæ Religionis locum ostenderet. Prædia verò, & possessiones quas acquirebat, pretio vel alijs iustis modis eas acquirebat, vt iusto, ac legali ordine de ipsis Deum sibi faceret hæredem. Sanè qualiter idem gloriosus Imperator, de genere Karoli Magni & Pipini Regis Francorum, ex patre Lothario natus, mirabilibus bellis, necnò magnificis actibus in Romanum Imperium sublimatus effulsit, dicendum est, ad gloriam enim dignitatis, & honoris Monasterij Piscariensis pertinet, Ludouicum istum scire quis fuerit.

Ecclesia Romana cum multis aduersitatibus quateretur, & sicut in Ecclesiasticis Historijs, & Romanorum Pontificum gestis reperitur, & legitur ab Astulfo Longobardorũ Rege tota penè Italia vastaretur: Stephanus Papa qui, vt habetur in Chronicis, septingentesimo quinquagesimo secundo Dominicæ Incarnationis anno pontificari cœpit, vocauit Pipinum Francorum Regem Karoli filium, eiusque auxilio Astulfum expulit, Rauennam liberauit, & viginti ciuitates, quas idem Astulfus abstulerat, sub iure Beati Petri redegit; vnde à Romanis Patritius effici meruit. Quo defuncto, filius eius Karolus omnium generali consensu Francorum omnem [illegible] Regni gubernandam suscepit. Qui Karolus Pipini filius ab Adriano I. Papa vocatus ad defendendas res Ecclesiæ, obsedit Longobardos in Papia, Ibique relicto exercitu, in sancta Resurrectione ab Adriano Papa Romæ honorificè susceptus est. Post sanctam verò Resurrectionem reuersus Papiam, cepit Desiderium Regem, & Vxorem eius, & secum portauit in Franciã; & inde rediens Romam, constituit ibi synodum cum supradicto Papa in Patriarchio Lateranensi, in Ecclesia Sancti Saluatoris; quæ Synodus celebrata est à centum quinquaginta tribus Episcopis Religiosis, & Abbatibus, & restituit Beato Petro quæ Pater eius dederat, & Desiderius abstulerat; addens etiam Ducatum Spoletanum, & Beneuentanum. In cuius temporalibus Leo Papa Romanus ab ipsis Romanis cæcatus, cum eius lingua [illegible] ci Dominus, & linguam, & visum reddidit. Qui pergens ad eundem Karolum, secum adduxit, & facta vindicta de inimicis, ipsum Karolum Imperiali diademate coronauit.

Per idem igitur tempus Karolus Imperator Regni iura feliciter moderans Ludouicũ filium Cæsarem constituit, quia ipse solus superstes remansit, cui nomen, & Regni potentiam Augusti secum habere constituit. Regnauit autem gloriosus Rex Karolus annis quadraginta septem, post susceptum Romanum Imperium annis quatuordecim, qui intra ipsos concluduntur. Vixit autem annis septuaginta, & apud Aquasgrani febre correptus obijt quinto Kalendas Februarij anno ab Incarnatione Domini DCCCXIV. Cui successit filius eius supradictus in Regno Francorum, & Imperio Romanorum. Qui Lotharium primogenitum suum diademate coronatum Regem, & Augustum secum constituit. Defunctus est autem anno ab Incarnatione Domini DCCCXLI. anno vitæ suæ sexagesimo quarto. Præfuit quidē Aquitaniæ

taniæ

taniæ per annos triginta septem, Imperator autem viginti septem. Mortuo autem Ludouico Augusto, qui ob merita clementiæ Ludouicus Pius cognomen accepit, Lotharius eius filius Regni, & Imperij hæres effectus est. Lothario quoque imperante, primogenitus eius filius Ludouicus nomine regnauit Italiæ, quem Sergius Papa in Imperatorem Augustum coronauit. Iste siquidem Ludouicus fuit sanctus, & incomparabilis vir, & bellorum studijs eruditus; qui paterno more Italiam sæpissimè visitabat, & in his quæ Beato Petro erant necessaria, seque suosque, vt boni patris bonus filius præparabat. Hic cum audiret Calabros, & Apulos velle repugnare Romanis, exercitum copiosum aggregauit, Alpes transcendit, & ad Piscariam veniens insulam delectabilem, cui nomen est Casa Aurea, vndique aquis cinctam, inuenit.

Ludouicus igitur diuina inspiratione tactus cum supradictam insulam circumspexisset, & ex omni considerasset parte, ac vsibus seruorum Dei profuturam cognosceret: cuius esset, & sub cuius potestate deuotissimè requisiuit. Qui cum eam sub potestate cuiusdam Sisenandi Illustrissimi viri esse, & de iure Pinnensis Episcopij descendere comperisset, prius à dominio eiusdem Sisenandi absoluit: tribuens indè sibi decem libras argenti, & cum Episcopo Grimbaldo nomine, qui eo tempore Pinnensem regebat Ecclesiã, cambitionem fecit, totamque insulam sub iure regio retinens, quod magis valebat, & prope Episcopium Pinnense erat, pro eadem insula dedit, & testibus idoneis, & scripto ipsam donationem confirmauit. Grimbaldus verò Episcopus ne aliqua controuersia à successoribus suis indè oriretur ex parte sua, scriptum fecit, & testibus idoneis corroborauit, & Sisenandus similiter, sicut in Instrumentis libri sequentis describitur.

Quæ scripta in Ecclesia Beati Clementis vsque hodie conseruata, ipsam insulam cum suis pertinentijs habitatoribus loci quietam reddunt.

Ludouicus itaque, sicut supra diximus, diuina inspiratione præmonitus, cum videret insulam omnibus bonis refertam, & quasi verum paradisum omnibus optimis fructibus redundantem, ipsam Deo omnium conditori, postquam liberam habuit, consecrauit: & in ea Monasterium in honore Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis ædificari præcepit, credens sine dubio suæ pro hoc animæ redemptionem, imperijque sui continuatam protectionem, & aduersariorum suorum efficacem contritionem, diuinæ sibi respectu misericordiæ præparari. Erat autem in eadem insula quædam Ecclesiola in honore Beati Martyris Quirici ab antiquo ædificata, penes quam iussit Ecclesiam de qua loquimur ædificari, aptam videlicet Monasticis vsibus, & congruentem: quatenus coadunato illic sub regulari norma Religiosorum virorum cœtu, altissimo Deo laudes iugiter inibi votaque resultent.

Iactis igitur fundamentis, & collocata ibi non paucorum artificum multitudine, expensisque omnibus sufficienter præparatis, Imperator Ludouicus cum exercitu suo Beneuentum perrexit, ibique infidelem Theobertũ eiusque complices, qui à facie eius fugerant, prostrauit, eorumque bona facta solemni donatione Piscariensi Ecclesiæ, quam noviter ædificari præceperat, concessit, tribuit, confirmauit. Præparatis igitur his de quibus ad præsens sumus locuti, & armatis exercitibus suis, impatiens moræ tendit in Apuliam, & Tarentum obsidens, quæ proditorum nutrix, & eorũ qui contra patriam suam iurauerant latibulum fouens, insaniebat, tamdiù pugnauit ibi, donec quosdam ex eis Romanis subiceret, alios detruncaret, alios verò nudatos armis à finibus illis exire compelleret. Inde petens Brundusium, Calabros, ac Siculos eodem, & simili exitio deuastauit, Romanoque Imperio subiugauit. Vrbes possedit, Romamque reuersus Imperiali laurea pro triumpho à Domino Papa Adriano, & omni populo, & Senatu Romano in Capitolio est coronatus. Tantam ei gratiam Deus contulit, vt vniuersa terra ei se subditam imperio congauderet, & de reparatione nouæ pacis omnis tribus, & lingua omnipotenti Deo gratias redderet. Ille verò quamquam in sublimitate Imperiali se positum esse consideraret, non tamen humilitatem quam erga suum conditorem habere solitus erat, deseruit, sed humilior ex sublimitate, & subiectior fuit. Erat ei in animo assidua, & frequens cogitatio circa constructionem, quam in insula Piscariæ fieri præceperat, quatenus eam ad finem vsque felicem perduceret: & tales ibi collocaret, qui pro se, & pro statu Imperij Romani Deo supplicarent qui regulariter viuerent, quorum conuersatio in Cœlis esset, quorum preces, & pro viuis, & pro defunctis Deus clementer audiret. Cogitabat etiam clementissimus Imperator de Rectore, & conseruatore Ecclesiæ qui post eius discessum ante Deũ pro seruientibus inibi mitissimus appareret: qui hostes ipsius loci, & malefactores expelleret, benefactores verò ad maiora, & vtiliora sibi prouocaret, & mercedem suorum operum, indulgentiam peccatorum à Deo consequeretur, & eis præstaret. Hæc eo iugiter cogitante, iussit conuocari Archiepiscopos, Episcopos, & Nobiles Consiliarios suos: & habito cum eis consilio in hæc verba prior ipse prorupit: Viri bellatores, quos mater sapientiæ, & totius scientiæ inuentrix Gallia enutriuit, qui aduersarios Dei Saracenos fortissima dextera expulistis, quorum virtutem vltima sub sole terra cognouit, quod consiliũ mihi datis? Credo quia vos mecum cogitatis, quomodo noua Ecclesia, quam construere iussi, honoribus amplificetur, reliquijs Sãctorum Martyrum muniatur, & talem habeat

prote-

protectorem, qui pro Christo mortem suscepit, & stolam suam in sanguine lauerit agni. Et dum ad hæc singuli titubarent, nescientes quid responderent ei, accessit quidam veteranus Antistes studiosus valdè in sanctis Scripturis, & Sanctorum Martyrum plenariè gesta cognoscens, clara voce dixit Imperatori. Imperator Auguste, cui Deus tantam contulit gratiam, vt quæ ipse in cœlis prædestinat per te operetur in terris: consiliũ quod requiris, ab homine tibi non potest dari. Immò ipse Deus cuius nutu insulam elegisti, quæ reuera alter paradisus potest dici, ipse talem tibi elegit protectorem, qui in aquis vitam pro Christo tradiderit, si tua Celsitudo ad hunc perquirendum voluerit inclinari. Cui Imperator. De quo, Pater scientissime, loqueris? De Clemente respondit senex ille, qui successor extitit Petri Apostoli, qui huic Romanæ præsidens Ecclesiæ Apostolum totius Galliæ Dionysium delegauit, qui nouiter repertus, & ad hanc vrbem per quemdã philosophum nomine Constantinum delatus, tuæ à Deo prædestinatus est Custos Ecclesiæ: Vt qui in aquis pro Deo spiritum exhalauit, demersos in aquis Piscariensibus ne pereant liberare possit. Ad hæc Ludouicus tanquã à Deo visitatus, quæ senex dixerat mente concepit, & Sanctum Clementem ante suos oculos ponens omnes Cardinales præcepit conuocari. Et cum singulis habens colloquium, sciscitatus de Beato Clemente, quo erat, quomodo repertus fuerat, orans vt suarum precum forent apud Dominum exauditores, & apud Dominum Papam fidelissimi intercessores. Cui cum singuli super interrogatis vnam responderent sententiam, & in precatu regio suam fidelissimam promitterẽt opem: accersitis Primatibus suis, cũ Archiepiscopis & Principibus totius vrbis accessit ad Papam; Adrianus quidem Secundus Papa ille vocabatur, qui Beatum Clementem suscepit à Philosopho, & eundem Clementem postea dedit Regi Ludouico. Quem Dominum Adrianum tali voce Imperator alloquitur: Si rectum est filios hoc requirere, quod eorum patres promeruerunt, ego paternis hoc addo meritis quod meis addere meritis parentes minimè potuerunt. Parentes mei Romanis necessitatibus succurrere parati fuerunt, & sua Regna relinquentes semetipsos, & suos exercitus ad excidium propter vos posuerũt. Ego autem cum audirem rebelles nostros contra vos insurgere, non vocatus, sed spontanea mea voluntate veni, vestrosque inimicos cum Dei adiutorio sub pedibus vestris posui, totamque terram quæ à barbaris vastabatur quietam vobis restitui. Si quid promeruerunt parentes mei, si quid & ego ipse talibus in obsequijs quæro, supplico, rogo, obtestor; quatenus in præsentiarum reddatis mihi. Non quæro dilationem, volo in præsenti remunerationem, non aurum, non argentum, non castella, non ciuitates, sed illum qui propter Dominum in marinos demersus est gurgites. Vt mihi Deus clemens efficiatur, Clementem requiro, non alium nisi illum qui fuit secundus à Petro.

Ille in aquis demersus exstitit, ego verò illum in medio aquarum locare desidero, vt summersos in aquis iuuet precatu sanctissimo. Ne confundas quæso, Pater sanctissime, faciem meam. Reduc ad memoriam quæ sustinuerunt parentes mei, & in his quæ postulo efficacem præbens audientiam, da mihi quæ postulo, Clementem propter Dei clementiam, vt Clemens ipse postulet velocem indulgentiam. His Adrianus respondit, Imperator Auguste, quem tu postulas non est possibile me dare tibi; sed in voluntate est, tam Cleri, quam populi, quibus nolentibus aliquid pretiosum non possum præbere alicui. Verumtamen si eorum rogatus tibi fauerit, his quæ postulas mea voluntas deesse non poterit. Quibus Imperator auditis, conuersus ad Clerum & populum ait. Quid super his quæ postulo, Sanctissimi Patres & orbis domini, visum est vobis? Si maiora postularem in mea erat fiducia, quod facillimè impetrare deberẽ. Nunc verò minima postulo, quæ mihi non petenti à vobis offerri deberent vltrò. Ad hæc Cardinales. Non hoc inquiunt, Domine Imperator, debes postulare; immò tibi non postulatum accipere, & acceptum vbicumque volueris ponere. Tu es enim Orbis terrarum dominus, & Romanæ Ecclesiæ filius, & per te creuit & crescet Deo volente nostrum & Ecclesiæ decus. Accipe quod postulas, quia in hoc fauemus tibi, & totus populus. Audiens hæc Papa Adrianus, cuius erat ad perficiendam Imperatoris petitionem promptus animus, respondit Clero, & in responsione Cleri, respondit populo. Licet agnoscam Dominum Imperatorem Ludouicum maiora promeruisse, non tamen volui eius petitionibus assensum præbere, donec audirem ex vestro ore quid super his quæ postulabat iudicaretis. Quia ergo vobis placet quod postulata accipiat, ne confundere videar faciem eius quem honorare decreui, dono sibi & concedo corpus Beati Clementis & Præsulis, qui iussu Traiani Imperatoris in mare demersus fuit, & nobis volente Deo redditus. Insuper & addo reliquias Apostolorum Petri, & Pauli, vt in omnibus lætificetur mens Imperatoris, & habeat bonum animum erga filios pacis. His auditis, Imperator Augustus procidit ad genua Papæ, ipse & Procerum suorum cœtus, & lacrymis effusus exultat in his laudibus.

Gratias tibi reddo, Imperator cœlestis, cuius ego potentia teneo Regnum in terris. Tu Domine adimpleuisti desiderium meum, da mihi quod possim videre sanctum tuum, & in tali loco ponere vbi honorificetur nocte dieque per nomen vnigeniti Filij tui Domini nostri Iesu Christi, cum quo & cum Spiritu

sanctos visus & regnas in secula seculorum. Ac cum omnes dixissent Amen, iussu Beatissimi Papæ Adriani allatum est corpus Clementis Martyris Gloriosissimi, & traditum Ludouico Imperatori, qui frangens illico vas, in quo erat positum, traxit singulatim omnia ossa eius, & ne aliquid deesset diligenter aspiciens, inuoluit totum corpus in pretioso pallio. Deinde posuit in vasculo pretioso, quod ipse Rex secum habebat, factum de alabastro; ibique celebrantes excubias, & solemnes vigilias per aliquot dies. In quo tempore tractauit cum Petro Consule & Duce vrbis Romanæ de possessione & Capella Sancti Blasij intra eandem vrbem ædificata, & vila, quæ est in loco & fundo Tusciano, quam nouiter à præfato Petro Imperator emerat, datis inde sibi, cum esset Salerni, per Hermenulfum Comitem & Missum suum octingentis libris argenti, & de alijs multis rebus cum Domino Papa, & cum Cardinalibus & Senatoribus, & cum tota Romana plebe.

Perfectis igitur his quæ in Romana ciuitate decreuerat facere, leuauerunt corpus Sancti Martyris, & cum Hymnis & Canticis spiritualibus domino Apostolico præeunte exierunt ab vrbe, psallentes & gaudentes, & pro tanto thesauro sibi cœlitus collato gratias agentes omnium Conditori. Huius facti fama egressa est in vniuerso orbe Romano, & tanta conuenit hominum multitudo, vt arenæ maris posset æquari; laudantes & magnificantes virtutem Imperatoris Ludouici, videntes in eo gratiam esse Dei. Cum autem venissent ad Insulam Piscariæ, quæ validis aquis cingitur vndique, in ea parte qua erat pons regalis constitit omnis multitudo cum Imperatore. Et illis stantibus, Ludouicus ait: Sicut credimus, nos portamus ossa B. Clementis, quæ tumulare desideramus in loco quem cernitis; Verumtamen ad hoc agendum habemus opus auxilio nostri Redemptoris. Rogemus ergo eum qui omnia potest, vt demonstret nobis hodiè in vestra præsentia, si hic veraciter ille Clemens est qui in profundo maris præcipitatus inuenit templum marmoreum Angelicis manibus sibi præparatum: item præbens populo terræ in annuis festiuitatibus suis, vt videntes enarrent mirabilia Dei. Si hic est, de quo non diffidimus ostendat nobis Deus tali conditione, vt mulus iste qui portat eum incedat per medios fluctus sicco vestigio, & dirigatur non homine duce ad illum locum, in quo loco honorificè eum sepelire decreuimus, præstante Domino nostro Iesu Christo. His dictis mulus aquas ingreditur valdè profundissimas, quæ impetu vasto currentes marinas repræsentabant vndas, & super ipsas ambulans sicco vestigio longo tractu vno ferè stadio intrauit insulam, & ibi constitit vbi Dominus præordinauerat Sancti Martyris glebam. Quod videntes populi omnes, vna voce laudauerunt Omnipotentiam Dei, qui præsens est omni-

A bus inuocantibus se in veritate, qui tam mirificè declarauerat merita Sancti Martyris sui. Erant ibi quamplures diuersis infirmitatibus laborantes, qui audito aduentu Martyris gloriosi fecerunt se apportari de ciuitatibus & habitaculis suis, habentes in Deo fiduciam, qui per Sanctos suos operatur mirabilia magna nimis. Hi reuoluto corpore Sancti Clementis, cum eius ossa nuda teneret sacratissima manus Imperatoris, tantus odor egressus est de ossibus ipsis, vt visum esset illis qui aderant, quod essent in paradiso Dei. Ex quo odore vbi fuerunt tacti languentes quos supra diximus, & multi paralytici, illico sunt redditi sanitati. O quantus fluctus præ gaudio, & quantus clamor sublatus est in excelso; cum videret illos sanos quos moribun-

B dos attulerant, videre qui nihil antea videbant, audire qui surdi multo tempore fuerant. His exhilaratus Dominus Imperator, præcipit Clerum ornari vestibus sacris, & populum intendere orationibus sanctis; & ipse cum Archiepiscopis & Episcopis inuoluerunt membra Sancti Clementis, & Reliquias Apostolorum Petri & Pauli in medietate pallij, quia alia medietas reseruata est ad posteros in memoriam huius translationis, & recondi fecit eum in supradicto alabastro, & in ipso die translationis locari in altaris medio, anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo septuagesimo secundo, indictione quinta 6. Kal. Iunij, ad honorem & gloriam Domini

C nostri Iesu Christi.

Expletis igitur his quæ animo firmiter inhærebant Imperatoris, videlicet de compositione Monasterij, & de susceptione Sanctarum reliquiarum Clementis, & Apostolorum Petri & Pauli, cum ipse videret locum aptissimum Monasticæ Religioni, ibi posuit nobiles genere, probos moribus, sanctos conuersatione, quibus præfecit Abbatem Romanum nomine, virum honestum moribus, literali scientia eruditum, & quasi quoddam speculum bonitatis & innocentiæ, qui omnibus erat respicientibus ad se quasi murus inexpugnabilis, & contra omnia aduersa securus. Fecit etiam præceptum super Abbatis electione,

D vt non eligatur de extranea Congregatione. Sed quotiescunque qui præest Abbas obierit, habeant Fratres licentiam ex sua propria Congregatione eligendi Abbatem. Quod qui transgressus fuerit, sciat se non pastorem sed lupum ponere, & in extremo iudicio pœnam præparatam habere. Posthæc Ludouicus, habito cum suis consilio, iussit plures Episcopos conuocari, & in die congrua & competenti fecere Ecclesiam in honorem Sanctæ Trinitatis & Sancti Clementis, & aliorum Sanctorum solemniter dedicari. Tantaque multitudo populi fuit ibi, vt ab eadem insula, quæ satis lata & ampla est, vix posset capi. In cuius dedicatione maxima donaria fecit Ecclesiæ, videlicet ad maiorem suæ mercedis cumulum, ac loci ipsius necessarium supple-

mentum, Christique seruorum, ibique degentium, seu illuc vndecumque aduentantium, perenne subsidium consuluit in præfato Cœnobio, quodcumque habebat in proprio, & iuste, ac legaliter videbatur tenere intra fines Italiæ. De quibus fecit plura præcepta, quæ seruantur in Arciuis publicis ipsius Ecclesiæ ad notitiam posterorum profutura. Dedit ad honorem eiusdem Ecclesiæ in eius solempni dedicatione plurima vasa ex solido auro & argento fusilia, quæ multo tempore resplenduerunt in ea ad Christi seruitium dedicata: fuerāt etiā in eius dono diuersa pallia auro & gēmis radiantia, quibus parietes Ecclesię ornabātur, & fratres induebātur quoties magna festiuitas in Ecclesia celebrabatur. Et vt affectus illius quem erga Monasteriū hoc habebat supra omnia Monasteria, quæ à Regibus cæteris in Regno suo fuerant ædificata, manifestaretur, & cunctis innotesceret, dedit eidem Monasterio in perpetuum iure hæreditario Sceptrum regale, quod gestabat in dextera, vt illud Abbas portaret in solemnibus festis, in loco baculi pastoralis. Et in tantum dilexit Cœnobium, vt omnem causam ipsius tanquā peculiarissimæ domus suæ quoadusque vixit, pro amore superno exequi modis omnibus preordinauit. Post suum verò ex hac luce discessum illi eiusdem Ecclesiæ commisit tutelam, ad cuius honorificentiam suo studio eam constat extructam. Ludouicus igitur perfectis omnibus, quæ ad regimen præfati Monasterij, & ad decus totius Imperij pertinere videbantur, regressus est ad propria, ibique religiosè & piè viuens, & religiosius & magis piè moriens, animam Deo reddidit, Regnumque & Imperium suis hæredibus dereliquit. Cuius mortis indicio, sicut in quibusdam Chronicis reperitur, stella sicut facula ardere visa est post Septentrionem septimo die mensis Iunij. Et tunc idem diuæ memoriæ Imperator Ludouicus diem claudens extremum, defunctus est 13. die mensis Augusti. Romanus autem Abbas quem ab eo ordinatum fuisse memorauimus supra, audito obitu eius, tanto ardore memoriam eius fecit, tot lacrymas pro eo fudit, tot pauperes & nudos vestiuit & pauit, ac si eum ab inferis suis beneficijs crederet se posse reuocare. Et non solum in illis diebus quibus auditus fuit obitus eius, verum etiam vsque in sempiternum, memoria Ludouici Sanctissimi Regis, & victoriosissimi Imperatoris, in Monasterio Piscariensi non derelinquetur, dum lapis erit ibi super lapidem, & aliquis in eo viuens inuenietur. Romanus verò prudentissimus Abbas post obitum Ludouici Imperiali tenore Monasterium rexit, augmentauit bonis omnibus, & religione cumulauit, & peractis in regimine decem & octo annis felix migrauit ad Dominum.

Verum quia superius de dedicatione Ecclesiæ aliquantulum breuiter locuti sumus, huic placet inserere lectioni de consecratione altarium, & positione inibi sanctarum reliquiarum: vt noscant posteri continuam celebrare memoriam illorum, quorum sciāt semper sibi inesse præsentiam. Dedicata igitur Ecclesia, consecratum est altare maius in honore Sanctę & Indiuiduę Trinitatis & Beati Clementis, cuius corpus honorificè sepultum ibi requiescit. Et sunt ibi reliquiæ Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quas sanctæ recordationis Papa Adrianus dedit Ludouico Imperatori cum corpore Beati Clementis excellentissimi Papæ & Martyris gloriosi. Ad dexteram verò ipsius altaris medij consecratum est altare aliud in honore omnium Apostolorum, & conditæ inibi sunt reliquiæ Sancti Andreæ Apostoli, Sancti Clementis, Sanctorum Stephani & Laurentij, Chrysanthi & Dariæ, quadraginta Martyrū, Sanctæ Romulæ, Sanctorumq; Marij & Marthæ, & Sanctæ Nymphæ. Ad sinistram autem consecratum est altare in honore Beatissimi Benedicti Patris Monachorum, & Institutoris cælestis normæ, ibique positæ sunt reliquię Sancti Stephani Papæ, Sancti Xisti, Sancti Calixti, Hermetis, Chrysanthi & Dariæ, & Sanctorum Cyti & Iohannis. quatenus eorum patrocinijs conseruetur Ecclesia ista, in qua eorum per singulos dies celebratur memoria. In crypta verò quæ subtus altaribus istis est, tria altaris constructa & cōsecrata sunt: quorum medium est consecratum in honore Beatæ Mariæ genitricis Dei & Domini nostri Iesu Christi. dextrum verò in honore Sancti Blasij Martyris & Episcopi, sinistrum autem in honore Sanctissimi Nicolai. Hæ reliquiæ, quas modo memorauimus, & aliæ plures quas præsenti scripto tradere vitantes tædiū lectoris nolumus, conditæ habentur in Ecclesia, earumque memoria celebratur in ea ad laudem Domini nostri Iesu Christi, cui etiā vna maiestas eademque diuinitas cum Patre & Spiritu sancto per infinita sæculorum sæcula. Amen.

LIBER SECVNDVS.

Illis temporibus, quibus Ecclesia Christi sub Imperatore Ludouico florebat, Piscariense Cœnobium desiderabiliter per eundem clementissimum Augustum à fundamentis ædificatum sublimi & copioso rerum mobilium, & immobilium apparatu intra breue tempus surrexit, & in possessionibus de propè, seu de longè, largiter, & affluēter excreuit. Cum enim idem pijssimus Imperator diuinitus inspiratus circa ipsius Monasterij à se cōstructi dotationem valdè esset intentus atque sollicitus, copiosam auri & argenti substantiam ex suo fisco protulit, & ad emēdas possessiones Abbati Romano, quem ab eo suprà ordinatum memorauimus, diligenter commisit, & liberaliter assignauit. Cui nihilominus præcepit, vt specialiter omnem ipsam

pro-

propinquam, quæ ipsi Piscariensi Monasterio adiacet, & de monte qui dicitur Mortulasticæ, eundem locum toto visu potest æstimari. Limina vero quæ infra circuitum montium, qui de proximo considerantur, & intra meatus fluviorum concluduntur, continuatim & legaliter emeret. Quatenus omnis ipsa Pennensis, & Teatensis de circuitu Casauriensis insulæ finitima regio, prout eam ipsi cacumina montium proximorum ambiunt & concludunt, & termini fluviorum discernunt, atque circundant, esset sacro iure Beati Clementis continuata possessio, & eius Abbatiæ Piscariensi iusto & legali tenore pertinens foret addicta, ipsique regali Monasterio sine interruptione regaliter & perpetuè mancipata. Per hanc siquidem emptionem Monasterio pertinere cognoscitur omnis possessio, quæ circa Piscariensem insulam à parte Pinnensis territorij cernitur, in qua conspiciuntur Montes Sori, Brunisati, & Aquilia. Quæ possessio suis finibus, tribus videlicet fluminibus, Cigno, Piscaria, & Tritano circumcluditur & terminatur. Incipit enim à quodam castello nomine Furca, propè quod est quædam petra Cervaria nuncupata, vbi nascitur rivus, qui dicitur Cignus, quique suis meatibus fluens rendit in Piscariam. Citra quem fluvium quidquid intra flumen Piscariæ & fluvium Tritanum consistit, & per vallem Catopoli reperitur ad priores fines, siue Furcam, tam in habitaculis, quam in cæteris alijs rebus, videlicet terris, vineis, arboribus, campis cultis & incultis, siluis, salectis, planis & montuosis, molendinis ac piscationibus, & cum omnibus circum circa meatibus aquarum. Omnia tam ab eodem clementissimo Cæsare, quam ab Abbate Romano, & alijs antiquis Abbatibus acquisita & legaliter empta, de Beati Clementis iure fuisse & esse manifestis indicijs & rationibus comprobantur, sicut & antiqua traditio, opinio, & ipsius Monasterij chartulæ contestantur. Facta est autem similiter ex regali pecunia tam per Dominum Romanum, quam per alios antiquos Abbates à parte Teatensis territorij de finitima & circumiacenti Monasterij possessione continua & largior emptio, & legalis acquisitio, quæ his fluminibus & montium summitatibus dilatata, concluditur & terminatur, videlicet fluvio Lauino & fluvio nomine Legio de pede montis Magellæ, indeque consurgit in celsitudinem montis Tatini, & pertransiens per Vallensem Furcam, ascendit in montem qui dicitur Vasa, & quo modo per ipsius cacumen venit & descendit inter montes ad fluenta Piscariæ, vbi Piscaria Tritanas aquas inter fluentes recipit. Deinde designatur ista possessio ex alueo fluminis Piscariensis, donec supradictũ flumen Lauinum in eo fluens ingreditur. Infra quam possessionem quidã Monachus nomine & opere Karus, cum esset de genere Karoli & cõsanguineus ipsius Augusti Ludouici, sub ipso tempore fundationis Monasterij Piscariensis Deo deuotè in eodem loco se reddidit, & Monachus factus in illis est propter industriam suam ad possessiones montanas nouiter emptas gubernandas. Ibi quoddam oppidũ ædificauit, quod ex suo nomine Caramanicum est vocatum, per quod omnis ipsa pertinentia dicitur Vallis de Caramanico, quasi de Caro Monacho. Ipsa vero & quæcumque infra suprascriptos & consignatos prædictorum fluviorum & montium terminos consistunt in villis, casalibus, oppidis & cæteris rebus omnibus integrum similiter de Beati Clementis iure fuisse & esse nulli est dubium.

B Qualiter autem, & quo pretio, vel à quibus personis empta fuerint omnia supradicta, qui scire voluerit, vel Instrumentales chartas reuoluat, vel librum ex eisdem chartis adhuc Monasterio residuis, compositum diligenter relegat, & ibi ex maxima parte cognoscere poterit. Romanus autem excellentissimus Abbas à Regis liberalitate sufficienter accepta pecunia, cœpit eam ad Ecclesiæ profectus simul & operatus secundum imperiale votum fideliter & prudenter expendere, Monasterium de ipsa in omnibus bonis, & maximè in possessionibus longè latèque opulenter augmentare. Cum vero oportebat, cum multo religionis habitu procedens ad huiusmodi exteriora negotia consilio prouidus egrediebatur, & intra Monasterium contemplationis dulcedine fruens in sacri Ordinis obseruantia quietus atque tranquillus assiduè permanebat. In ipsius quoque insulæ amœnitate se iugiter exercebat, & tanquam in medio paradisi positus, eam delectabiliter excolebat. Est enim ipsa Casauriensis insula valdè delectabilis & amœna, fructuum & herbarum suauitate referta, fluminis insuper Piscariæ conclusa meatibus, itaut, sicut supra scriptum est, velut alter paradisus appareat. De cuius nominis & naturæ pulchritudine quidam sapiens versificans ait,

Ad patriæ laudes natura nomen obedit:
Auro tota nitens, aurea nomen habet.
Vt verum fatear, si quid pretiosius auro
Mundus habere potest hoc habet iste locus.
Omne genus grani vini genus omne videres,
Arboris omne genus sponte parare cibum.
Hic Domino viuit Sanctorum turba virorum
Hic Martyr Clemens gaudet honore suo.

Habet enim Piscariensis insula proprium nomen suum, videlicet Casam Auream. Nam in antiquis ex eadem insula conditis instrumentis inuenitur habuisse nomen Casauræ, ab aura ventorum, quæ potenter ibidem flare dignoscitur. In regalibus quoque priui-

legijs,

legijs, & sequętibus Monasterij chartulis describitur Casa aurea, pro eo nimirum quia de regali thesauro fuit eadem insula comparata, & ex ipso etiam eadem Sanctę Trinitatis Ecclesia in sua constructione sublimi ornatu dicata refulsit. Potest etiam dici aurea propter excellentiam pulchritudinis, & honoris eius, quia vineis, hortis, & fructiferis arboribus consita, & Piscariæ flumine circumclusa naturaliter, sicut dictum est, fertilis est & amœna. Vnde quidam sapiens versificans ait.

Aureus iste locus tanto splendescit honore
Vt res & nomen comprobat inde datum.
Nec tamen exaquo nomen respondet honori,
Nam minus ipsa re nomen honoris habet.
Tot natura loco bona, tam bene contulit isti,
Vt supplere nihil vel renouare queat.

Fluuius namque Piscariæ, qui Casauriensem insulam vndique cingit & circumuallat, sicut tradidit liber de mirabilibus mundi, & ipsa rei veritas ostendit, nascitur in imo carnum valuæ, in loco ad radices montis, qui dicitur Calmentruns, indèque progrediens & profluens, multisque iam aliorum fluuiorum aquis in se receptis, meatu per montana vel mœnia canalium Alpium Magellæ, scilicet inter montes duos Soti & Vrsæ decurrit. Postea verò egreditur in quandam planitiē, vbi competenter incipit diuidere Pinnense territorium à Teatensi, & tanquam terminus eorundem inter vtrumque fluens, suisque meatibus pulcherrimis & amœnis istarum duarum regionum fines vsque ad marę determinans distinguit. Antea verò quam ad ipsam Casauriensem insulam deueniat, in impetu & velocitate, magnoque sonitu à loco, qui ab antiquo dicitur Pons regalis, in locum concauum & immensæ profunditatis defluit, & in largam atque profundam inundationē sceleriter expandit. De cuius profunditate ac inundatione fit mirabilis aquarum diuisio. Et vna quidem pars à latere Pinnensis territorij tendit. Altera verò à parte Teatensis, & circa radices montis Mortulæ decurrit, donec insula vndique aquis cincta & circumuallata, ipsæ aquæ sibi reoccurrant. Quæ adinuicem reiunctæ in vnum inter Comitatum Pinnensem & Teatensem per suum alueum vsque ad mare discurrit, & sic in pōtum Adriaticum Orientale se insinuat. Currit verò prædictus Piscaria millia quadraginta quatuor, & sic se in prædicto ponto obcludit.

Vt autem melius atque melius cognoscatur à posteris, & à progenie in progeniem innotescat, quanta fuerit in principio sui Piscariensis Abbatia S. Clementis, quæ terra possessionis eius, quibus terminis atque confinijs concludatur, quo quantòue pretio fuerit acquisita: nomina quoque villarum seu casalium, & ex quibus villis, atque casalibus in ipso fundo castella postea fuerint ædificata, quæ namque in ipsis pertinentijs & tenimētis locorum Ecclesiarumq; vocabula, quemadmodum in instrumentali volumine reperiuntur, summatim & liquidò dignum duximus in hoc opere declarare. Est igitur, vt supra tetigimus in finibus Pinnensis Comitatus circa Monasterium & Casauriensem insulam Piscariæ tantum flumine intercurrēte, regio tribus ambita & conterminata fluminibus; quorum fluuiorum vnus nascitur in loco, vbi propter ceruos, qui de proximis syluis potatum ibidem venire solebant, dicitur Petra Ceruaria, nomine Cignus, qui suis meatibus in Piscariā defluens, quia eius aqua in quibusdam suis gurgitibus serpenticulos & anguillulas nutrit Cignus vocatur. Huius verò regionis possessio facit initium ab eodē loco, vbi Petra Ceruaria nuncupatur, & Cignus nascitur, & subit transitque per furcas Pinnenses: & descendens in Valle de Trite, in confinium Valuensis Comitatus protenditur vsque ad locum vbi Caputaquæ dicitur, indèque propter quod ex tribus Fōtibus, quod emanat flumen Tritanum vocatur, vel ob copiam truttarum piscium dicitur Trutanū. Possumus etiam dicere aquas Tritanas, quia trutta & anas in ea fœcundissimo fœtu congignunt. Itaque flumen istud per ipsam vallem de Trite decurrens prædictæ regionis extrema determinat, donec in Piscariam ingreditur. Piscaria nempe, vel quia iuxta sui magnitudinem piscium multitudine caret, vel propter pisces, quos valde saporosos & caros habet tale nomen accepit. Cuius cursus cū, postquam circa radices montis Soti & Monasterij Beati Clementis insulam pertransierit, vsque ad locum, in quo prædictum Cignum fluuium in se recepit, deuenerit, prædictam regionem designat atque concludit. Supradicti verò tres montes, qui infra regionem istam ab Occidentali plaga Monasterij conspiciuntur, vnus eorum quoniam in summitate sui est durus & asper, ab asperitate vocatur Mons Soti. Alter à Brungis & Prungis vocatur Brungata. Tertius verò mons vocatur Mons Aquilæ, idest Aquilæ, eo quod Aquila solet ibi nidificare. Est etiam à Septentrionali latere alius mons, in quo situs est quidam collis, qui dicitur Falconis: qui siue quod à quodā viro nomine Falcone olim fuit inhabitatus, siue à volatu ipsius volucris Falconis, totus ipse Mons dicitur Falconius.

Præterea fontes & riuos aquarū habet hæc regio, videlicet riuum de Pantano, qui de prædicto monte Soti defluit, riuus Ceculi, riuus Cādidi, in quo panni candidantur: quē etiam Adam Piscariensis Abbas, cum à Rocca sua reuerteretur, & inueniret pastores ouiū suarum ibidem vncinoa facientes, commutauit nomen eiusdem riui, & vocauit eum

Riuum

Riuum de Vncinis. Sunt & aliæ aquæ in eo defluentes, quæ tres riui appellantur. Riuus etiam qui dicitur Vomeris, riuus de Flecciне, qui in loco nomine Vadaluto Piscariam subintrat. Demum riuus qui vocatur Merdariolum, & deficit in alueum de Piscaria.

Ante principium ergo Monasterij Piscariensis infra terminos supradictæ regionis erant villæ, casalia, locorumque habitacula, quæ legitima venditione fuerunt empta, & in iurisdictionem, & proprietatem Beati Clementis de regali pecunia legaliter acquisita.

Hæc verò sunt nomina villarum, & casalium ipsorum, secundum quod astruunt instrumenta chartarum. Vicus Pinnensis, Pantanum, Ranglanum, Collis, Casalecclum, Teczanicum, Victorrita, Blunesa, Colmella, Stabuli, Pirolum, Loceriole, Opaculum, Heccine, Vadulatum, Curtis de Leriano, Petacsanum, Petelianum, Cedesse, Cerbsranum, Collis Falconius, Carcosani, Morus, Lecertus, Casulæ, Capitinianum, Osanum, Blesseanum, Madici, Niranum, Mortula, Atinarij, Retianum, Andrsilanum, Legonis num, Palearitiа, Casale de Maringe, Sancta Victoria, Sanctus Angelus, Mortianum, Fiola, Collis Superone, Banio, Collis de Cortina, Ruginosum, Carpentum, Sanctula, Collemanianum, Nouæ, Banianum.

In ipsis profectò pertinentijs villarum, casalium, ac habitaculorum, inueniuntur prædiorum, locorum, Ecclesiarumque vocabula; ex quibus duximus quædam ipsis suis exprimenda vocabulis. In pertinentia de Vico Pinnensi hæc inueniuntur locorum Ecclesiarumque vocabula. Ecclesia Sancti Calixti vocata Clusura; Casore, Lacus Rotundus, Lacus minor, Lacus maior, Pratum regale, vbi pons fuit constructus, qui pons regalis est dictus, Via caua, locus qui olim dictus est Auiam, vbi est nomine Sanctæ Mariæ Ecclesia dedicata, & vbi Sancti Ioannis nomine Capella est constituta. Gemmetum, Piro Corbulo, Gemerutl, Noscule, Lamacina, Romaniani, Casrrottuli, Cennegetum, Spinetum, Subtusgratts; Possessio nempè vici Pinnensis, sicut in vtraque parte voluminis Instrumentalis supputatur, reperitur esse ad mensuram triticei seminis terra modiorum septingentorum octoginta vnius. Pecunia verò inde à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, necnon ab Abbatibus à principio Monasterij data, vel locatione accepta, mille sexcentorum septuaginta duorum solidorum: & caballi duo; & boues septem sicut ex singulis chartis colligitur, & supputatur.

2 In pertinentia de Ragiano, Pontano, & Colle, inueniuntur locorum, Ecclesiarumque vocabula. In Pantano Ecclesia Sancti Pelini nominè dedicata. In Ragiano Ecclesia Sanctæ Mariæ, & alia Ecclesia Sancti Angeli nominibus dedicatæ. Casa de Antonio, Casa, Morus, Clusura, Fons de Cartina, Viniale, Tufagie, Porcianum, Pons remedij, Pastina, Ecclesia Sancti Siluestri in ipso Ragiano sita, locus vbi dicitur Mandra, & Garagetum; Locus vbi dicitur Fossa, & vbi dicitur Rucciolum, & vbi dicitur ad Riuum sub ripa, & ad Cliuum, & Fornella, Plagia, Longezes. Quercus Crossa. Piscina de aquauiua, Bolobro, Vallis de Flectomata, Trans riuum, Mons Soti, Ecclesia Sanctæ Trinitatis, & Crypta in ipso Monte Sancti Michaelis nominibus dedicatæ, Locus nomine Collis, & Ecclesia Sancti Petri in Pertinentia ipsius Collis in loco qui dicitur periculi ædificata, Pomariolum, possessio nempe ipsorum trium Casalium, Ragiani, Pantani, & Collis, est ad mensuram triticeie sminis terra modiorum mille quingentorum viginti septem. Pecunia verò inde à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, necnon & ab Abbatibus à principio Monasterij data, vel locatione accepta. solidorum mille quingentorum quadraginta vnius: conca vna argentea, caballi tres, boues octo, sicut ex singulis chartis colligitur, & supputatur.

3 In pertinentia de Casale Casalecclo, & de Villa Tezanico, inueniuntur locorum, Ecclesiarumque vocabula, Ecclesia Sancti Martini vocata, locus qui dicitur Collis, & subtus Colle Atrium Sancti Martini, Terra Pimataria, Via Saracinesca. Ecclesia Sancti Felicis nomine consecrata in eodem Tesanico, Locus vbi dicitur Foris de Altula, Clusura, Possessio nempe ipsorum duorum Casalium Casaleccli, & Tesanici, est ad mensuram triticei seminis terra modiorum sexcentorum quatuordecim. Pecunia verò inde à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, necnon ab Abbatibus à principio Monasterij data, vel locatione accepta, solidorum sexcentorum septuaginta vnius, sicut ex singulis chartis colligitur, & supputatur.

4 In pertinentia de Victorita, & Blunza, Colmella, Stabulis, & Perule, inueniuntur Ecclesiarum locorumque vocabula, Casa vetere, Orgule, Plano, supradicto Gemmeto, Noale, Manaresce, Vintioni, Cellario, Terra vbi dicitur Sancti Angeli. Locus vbi dicitur Sacorum. Capella in ipsius Victoritæ receptaculo constituta Sancti Nicolai nomino. Extra ipsam Villam, Ecclesia Sancti Antonini vocabulo consecrata. Ecclesia alia in Blunsa Sancti Nicolai vocabulo dedicata. Vinea maiore, Tufo, Vrciona; Possessio nempe ipsarum quinque villarũ, Victoritæ, Blunsæ, Colmellæ, Stabulis, & Perule, est ad mensuram triticei seminis terra modiorũ octingentorum viginti trium. Pecunia verò indè à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, necnon à principio Monasterij ab Abbatibus data, vel locatione accepta, solidorum septingentorum quinquaginta duorum, boues septem sicut ex singulis chartis colligitur, & supputatur.

5 In pertinentia Villarum, atque Casalium, videlicet, de Opaculo, Fleccine, Vadulato, & Petaezano, inueniuntur Ecclesiarũ locorumque vocabula Petrosula, Fonsallonis, Ecclesia S.Pancratij nomine constructa, Poium de Codaculis. Luciano, Vallis sub Forcella, Casalina, Fraduncluj, Ripa ansonis, Corni, Cortina, Maranello, Collecelli, Campus de Lentesco Viniali, Calcara, Ecclesia Sancti Martini vocabulo extructa. Possessio nempe ipsorum quatuor Casalium est ad mẽsuram triticei seminis terra modiorũ septingentorum decem & octo. Pecunia verò inde à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, necnon à principio Monasterij ab Abbatibus data, vel locatione accepta, solidorum octingentorum septuaginta quinque, sicut ex singulis Chartis colligitur, & supputatur.

6 In pertinentia Casalium de Peteliano, Cedisse, & Cerbarano, inueniuntur locorum Ecclesiarumque vocabula, videlicet Ecclesia Sancti Viti nomine constructa, Cori, Castelloueeclo, Coniulello. Fossatum de Fonte Sanina, Intertiuos, Petræ maiores, Ecclesia Sanctæ Iustæ nomine dedicata. Ecclesia Sancti Comitij nomine dedicata, Ecclesia Sanctæ Mariæ vocabulo Ciaciris, Ecclesia Sancti Petri nomine constructa, Summa, Vico, Ecclesia Sanctæ Mariæ honore dedicata, Sessiano, Furcella. Possessio nempe ipsarum trium Villarum est ad mensuram triticei seminis terra modiorum trecentorum octoginta nouem. Pecunia verò à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, necnon à principio Monasterij ab Abbatibus data, vel locatione accepta, solidorum trecentorum octoginta, sicut ex singulis chartis colligitur, & supputatur.

7 In pertinentia Villarum atque Casalium de Carusani, Moro *Lecto*, Casule, Capitiniano; Uzano, Blesiano, & Madici, inueniuntur locorum Ecclesiarumque vocabula, Mansiano, Porcareza, Sculcula, Perorci, Sancta Maria de Morello. Ecclesia Sancti Nicolai, & Sanctæ Iullæ nominibus dedicatæ. Ecclesia Sanctæ Luciæ nomine dedicata in Moro. Sancta Maria de Cerraniano. Sanctus Apollinaris, Sanctus Vincentius in Lecto. Fasenario Sanctæ Mariæ Ecclesia dedicata, Forcati, Paganeco, Pontiano. Cluso, Cancello, Macaiæ, Tresoliæ. Ecclesia Sancti *Leuterij* vocabulo, & Sanctæ Luciæ vocabulo, in Osano. Ecclesia Sanctæ Mariæ in ipso Blesiano. Ecclesia Sancti Petri in Madici. Possessio nempe supradictorum octo Casalium est ad mensuram triticei seminis terra modiorum trium millium. Pecunia verò à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, necnon à principio Monasterij ab Abbatibus data, vel locatione accepta solidorum sexcentorum, sicut ex singulis Chartis colligitur, & supputatur.

8 In pertinentia Casalium de Nerano, & Fabrica, Mortula, *Legoniano*, & Asinarijs, Retiano, & Andranano, inueniuntur locorũ Ecclesiarumque vocabula. Vocabulum de Sancto Sauino, & de Sancto Andrea, & de Sancto Antonino. Mecclabona, vocabulum de Sancto Petro ad Asinarios, Ruginosum, *Vocabulum* de Sancta Lucia, & Pontiano. Vocabulum de Sancto Petro Plaia Asole. Vocabulum de Sancto Damiano. Putella de puteo, Fossato cupo, Colle peluso; Possessio nempe prædictorum septem Casalium est ad mensuram triticei seminis terra modiorũ mille trecentorum viginti vnius. Pecunia verò à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, necnon à principio Monasterij ab Abbatibus data, vel locatione accepta, solidorum trium millium centum quadraginta nouem.

In pertinentia quoque Villarum, seu Casalium de Palearicia, Casale de Maringe, S. Victoria, & Sancto Angelo, Mortiano, Ruginoso, Carpeneto, Biano, Fiola, Campuli, & Superone, inueniuntur locorum Ecclesiarumque vocabula, *Pectiæ*, Plaiæ, Clusurulæ, Serrum cello, Imbricæ Castellum, vocabulum de Sancto Eleutherio. Clusura, Furcella de Rugenoso. Vocabulum de Sancto Simeone, & Sancto Angelo, Vallis de Arne. Vocabulum de Sancto Saluatore, Fons turturis, Collis de *Lentesco*, *Planum* de Fara, Caua de Sancto Ioanne, *Roiaro*, Cerretum, Vvaldari, Cortina. Vocabulum de Sancto Victorino. Pratum Lensarose. Vocabulum de Sancto *Leopardo*, Ecclesia Sancti Leuccij in Castello Campuli. Collis Munduli, Cellulæ, Collis Stabionis, Foncella, Ofelici, Plaia petrosa, via de Sancta Lucia, Macerinæ, Riuus de *Bussi*, Vorago de *Plaia* sicca, Neretulo, Caiadeladi, Casule, prata inter Rigora, Fonsodonis. Sancta Maria de Superone, Balentij, *Fossa* Guarnonis, Ceppeta, Valentino. Sãcta Agatha, Sanctus *Laurentius*, via Ostolesæ, Collemaio, *Lacus*; Possessio nempe prædictorum vndecim Casalium, seu Villarum est ad mensuram triticei seminis terra modiorũ mille centum viginti octo. *Pecunia* vero à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, necnon à principio Monasterij ab Abbatibus data, vel locatione accepta, solidorum trium millium septingentorum septuaginta, boues quatuor.

Ludouici II. Imperatoris Augusti Priuilegium fundationis, & dotationis Monasterij S. Clementi in Piscaria anno Domini DCCCLXXV.

☞ I*N nomine D.N. Iesu Christi Dei, &c.* Ludouicus diuina ordinante prouidentia

dentia Imperator Augustus cunctis summis sapientibus liquet, &c. magis cultibus diuinis instituimus eò amplius supernæ Maiestati, &c. Proinde vniuersorum Sanctæ æternæ Ecclesiæ, nostrorumque fidelium præsentium scilicet, ac futurorum agnoscat humanitas, quia Nos diuino afflati instinctu ad honorem, & reuerentiam tremendæ, ac indiuiduæ Trinitatis Sacrosanctum Templum in Insula, quæ Casa aurea vocitatur fundari, ac confirmari hilari mente præcipimus, &c. Et almificum Beatissimi Pontificis, & Martyris Clementis Corpus venerabiliter recondi fecimus, quod quidem Sacrosanctum templum, Monasterium Sancti Clementis in Piscaria in antea vocitari præcipimus. Ad &c. famulorum Dei Cœnobium perpetuis temporibus permanendum augustaliter, atque liberaliter instituimus, quatenus coadunato illic sub regulari norma Religiosorum virorum cœtu, Altissimo, &c. Laudes iugiter inibi, votaque resultent. Qua de causa ad maiorem nostræ mercedis cumulum, ac loci ipsius necessarium supplementum, Christique seruorum in ipso degentium, seù illic, vndecunque aduenientium perenne subsidium; Castella, & res infrascriptas cum possessionibus, & iuribus, Vassallis, Vassallorum redditibus, requisitionibus, molendinis, aquarum decursibus piscationibus, valcatorijs, siluis, rupibus, domibus, massaritijs aldionaritijs, arrenditijs, mercatis, nundinis factis, & ordinaris, & in antea in ipsis Castellis, & locis pro ipsorum Religiosorum virorum arbitrio construendis, & ordinandis iam dicto Venerabili summæ Trinitatis Cœnobio, quod Monasterium Sancti Clementis in Piscaria supra nuncupati præcepimus præsentialiter, solemniterq; largimur; Quæ Castella, & res inferius describuntur. Primo in Thete, Caramanicum, Piccaricum, Paternum, Bononianum, Mosilolum, Sallum, Roccum, &c. Cantalupum, Ranile, Petra Sancti Valentini cum ipso Castello: Accolæ superdi, Manupellum, Turri, Fullonicæ, Farambriliæ, Insulam, & Castellum ipsius insulę. In Pennæ, &c. Vliculam, Pesculum, Roccade Soti, Coruariam, Petram iniquam, &c. Alandum cum Casalibus suis, Casale Sancti Desiderij. In Ciuitate Sancti Angeli, Castellum Sancti Mori cum Portu. In Comitatu Aprutino; Castrum guardiæ, Castellum Vetulum Monascum, Castrum Sancti Georgij; In Marchia Castrum Lori, Castrum Caldarole, Castrum Vestimañ. Montem obcerannum, Rocellum, Bricciam, Sanctum Vincentium, Sanctum Angelum ad Fabaram cum omnibus Ecclesijs prædictorum Castellorum, & locorum. Et per huiusmodi nostri præcepti imperialem auctoritatem irrefragabiliter stabilimus vt habeant ea, & possideant, fruantur que iure quieto, ac pacifico ab hodierno die, ac deinceps, tàm qui præsentes sunt, quamque illi, qui venturi sunt famuli Christi, omnium nostrum, hæredumque, & successorũ nostrorum repetitione, molestatione, vel qualibet publica exauctoritate, seu &c. remota, ita quod nec prædicti viri Religiosi, nec ipsorum vassalli nobis in aliquo alio teneantur, nisi quod prænominati Sacri Cœnobij, &c. Religiosi tres quotidie pro Nobis missas, & omnibus nocturnis, &c. Centesimum vigesimum decantare non desinant Salmum, exceptis dumtaxat vespertinalibus, & matutinalibus hymnis, quæ in perpetuum pro nostræ remedio animæ repetere iugiter non cessabunt. Cunctis igitur tàm præsentibus, quàm, & futuris cognitum sit suprataxatum Cœnobium, habitatoresque ipsius cum vniuersis, &c. Castellis, rebus, & Vassallis ipsius sub nostri, &c. continua tuitione à Nobis iamdudum etiam recepimus. In tantum vt omne ipsius tanquam peculiarissimè domna, &c. pro amore superno quoadusque spiramus exequi modis omnibus decreuimus: post nostrum verò ex hac vita discessum illi soli eiusdem Venerabilis loci tutelam committimus, &c. cuius honorificentiam nostri studio constat exercitus. Quapropter cunctos qui Nobis in Imperium pro tempore successuri sunt Imperatores, Reges, Duces, ac Principes quoque Lo. &c. supradictorum, ac Iudices per ipsam Trinam, & Vnam Maiestatem distinctè obtestamur, & terribiliter abiuramus, vt prænominatum Sacratissimum colendæ Trinitatis &c. pium iuxta huius nostri præcepti tenorem ratum, ac stabilitum vt semel ordinauimus esse permittant, nullam violentiam, diminutionem, vel subtractionem, seù inuasionem, vel molestiam, neque etiã quamlibet functionem eidem Venerabili loco, rebus, seù vassallis eiusdem quocunque in tempore inferre præsumant, Et si fortè reclamauerint ad quęcunque eorum querela perueuerit pro Dei summi amore omnem illis iustitiam adimplere nõ differant. Si quis autem huiusmodi nostræ institutionis, & quod magis est diuinæ promulgationis sacrilegus contemptor, & temerarius violator extiterit, sciat se in tremendo iusti Iudicis examine causam Nobiscum dicturum, ac per hoc cum Iuda proditore ab Apostolico examine cum impijs, ac sacrilegis sequestratus sit in stagno ignis ardentis, & sulphuris; Et vt hæc nostræ liberalitatis, ac piæ largitionis, seù præfixæ institutionis nostræ pagina perpetuum obtinere valeat robur, cã nostræ manus ad notatione solemniter insigniuimus, nostręque Bullæ plumbeæ impressione subter confirmari iussimus. *Signum manus Domini Ludouici Serenissimi Imperatoris. Etulbertus Presbyter, & Not. scripsi, & subscripsi. Datum tertio Idus Octobris Indictione octaua, Actum Olonna Curia Imperiali anno Imperij D. Ludouici Sanctissimi Imperatoris vigesimo quinto, Deo propitio feliciter. Amen. Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXV. Indictione viij.*

LEO *Episcopus seruus seruorum Dei.* Dominico Venerabili Abbati Ecclesiæ Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, quæ est in Insula Piscaria, quæ etiam Casa Aurea vocatur, vbi Corpus Beati Clementis Papæ, & Martyris requiescit, euisque successoribus in perpetuum. Conuenit Apostolatui nostro digne petentibus beniuola compassione succurrere, & poscentium animia alacri deuotione impertiri suffragium, ex hoc enim lucri potissimum præmium à Conditore omnium Deo proculdubio promerebimur, dum pijs petitionibus annuentes, ea quæ distorta, vel iniuste sublata sunt nostro pio fuerint sine dubio moderamine restituta, atque directa. Quapropter tibi, Fratet carissime, quem magis bona Ecclesiæ tuæ in quantum possibilitas tua obtinet, augere, quàm minuere, vel destruere nouimus, caritatiua, vt oportet, dilectione in recta tua pulsatione aperimus ostium misericordiæ Apostolicæ, confirmantes, & corroborantes per Sanctum summæ nostræ Sedis priuilegium sine omni læsione, vel aliqua perturbatione obtinere Ecclesiam tuam omnia, quæ vsque modo possedit, vel modo possidet, vel possessura est in posterum. Vnde ex Apostolica Apostolorum Principis Petri, & nostra, cuius vicem gerimus, auctoritate præcipimus atque interdicimus, vt nullus sub nostri Apostolici regiminis iure degentium, scilicet, Imperator, Rex, Dux, Marchio, Archiepiscopus, Episcopus, Comes, vel Vicecomes, aut aliquis exactorum alicuius rei, tàm Laicorum, quam Ecclesiasticorũ, aut magna, aut parua cuiuscunque conditionis persona inuadere, distrahere, violare, aut perturbare præsumat præfatæ bona Ecclesiæ in cellis, & castellis, in villis, ac prædijs, vel possessionibus, & quæ vbique in pagis, vel territorijs quibuslibet præscripta legalia, vel per præcepta possidet regalia. Si quis autem contra huius nostræ præceptionis priuilegium . . . . præsumpserit, aut præsumentibus consenserit, aut fautor extiterit, & non potius obseruare in integrum studuerit, & nostram Apostolicam hanc præceptionem, interdictionem transgredi præsumpserit, sciat se auctoritate Beati Petri Apostolorum Principis, Cœlorum Regni Clauigeri; nostroque anathematis vinculo innodatum, & à Regno Dei alienatum, atque cum Diabolo, & eius atrocissimis pompis transgressorem; Sanctorũ Patrum canonica traditione deputatum. Quoniam scriptum est, terminos Patrum nostrorum nulla auctoritate inlicitę temeritatis transgredi præsumi; Et quia opportunitatis exigit ratio propter vos, & transgressores canonicæ correctionis debere fræno constringi. Illius insuper spirituali iaculo perdat animã, cuius temporali gladio Malchus amisit auriculam. Qui autem obseruator extiterit, ditetur dono Apostolicæ benedictionis, &c.

Beneualete.

Datum x. Kal. Iulij per manum Federici Diaconi, & Bibliothecarij, ac Cancellarij Sanctæ Apostolicæ Sedis, vice Domini Heremanni Coloniensis Archiepiscopi, & Archicancellarij, Anno D. Leonis IX. Papæ iij. Indictione iiij.

IN *nomine Domini nostri Iesu Christi.* Rogerius diuina fauente clementia Rex Siciliæ, Ducatus Apuleiæ, & Principatus Capuæ. Regum, Catholicorumque Principum nil constat gloriosius esse, quàm Deum vereri, loca sancta venerari, pauperibus Christi, qui sua spernentes, se Deo largiti sunt, alimenta vitæ necessaria prouidere, simulque conferre. Nec eo minus gloriosum, quod à bonis Principibus pro Dei amore laudabili deuotione factum est, pro eiusdem reuerentia sancto desiderio colere, confouere pro temporum varietate, & loco tueri, & conseruare. Quocirca Monasterium, quod Rex bonæ memoriæ Ludouicus in Insula, quæ Casa Aurea vocatur, ad honorem, & reuerentiam Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis construxit, & dotauit, in quo Corpus Beati Clementis Papæ, & Martyris venerabiliter recondi fecit: iam vetustate temporum, peruersorumque huiusmodi, qui nec Deum timuere, nec homines veriti sunt auida, & inexplebili rapacitate in quamdam seruitutem redactum: Nos diuino tamen admoniti pristina libertate donare decernimus: & ab omni infestatione, & molestijs quietũ, & liberum, sub nostræ manus regia protectione, successorumque nostrorum seruauimus. Ne de cætero quorumlibet temeritati in bona eius, seu possessiones quatenus liceat deseruire. Quorum quia importuna voracitas res præfati Monasterij in tantum imminuerat quod nec Fratrum . . .

. . . .

superant pauperum Christi indigentium misericordiam, honorem, gloriam summæ, & indiuiduæ Trinitatis eidem Monasterio subscripta Castella videlicet, Insulam, & Castellum ipsius Insulæ cum pertinentijs suis, molendinis, ac piscationibus, & meatibus aquarum: Castellionum: Vlliriola: Pesculum: Rocca de Soti: Cornatiam: Petrã iniquam: Bectoricam cum Ecclesijs, & pertinentijs suis: Ecclesiam Sanctæ Trinitatis de Rocca de Soti cum toto ipso monte, & rupibus, & syluis eius, & omnes alias Ecclesias de Terra Sanzonisca: Alannum cum Ecclesijs, & pertinentijs suis, Casale Sancti Desiderij cum Ecclesijs, & pertinentijs suis: Ecclesiam Sancti Martini de Musculo. In Ciuitate Sancti Angeli, Castellum Sancti Mori cum portu, & pertinentijs suis: Ecclesiam Sancti Cirici de Monte Siluano: Ecclesiam Sancti Saluatoris iuxta flumen de Nora, cum ipso Porto, & pertinentijs suis. Ecclesiam Sancti Geruasij cum pertinentijs suis: homines qui cognomine dicuntur Palummi cum familijs, & pertinentijs suis: Ecclesias Sancti Rustici de Saliano: Sancti Angeli de Monte Apriano: S. Flauiani

Sanctæ

Sanctæ Mariæ ad Capri, S. Mariæ de Colle, cum Cappella de Rocca, cum omnibus pertinentijs suis, Ecclesiam S. Nicolai ad Cornisam cum pertinentijs suis, in Comitatu Theatino, Castrum Bononianum cum Ecclesijs, & pertinentijs suis, Faram de Ambriliæ, Ecclesiam S. Mariæ de Pesele: Ecclesiam S. Mariæ de Casul, Ecclesiam S. Cesidij, Ecclesiam S. Trinitatis de Lapidaria, cum Ecclesia S. Nicolai de Cardia, & alijs Cappellis cum suis pertinentijs, Ecclesiam S. Victorini positam in Territorio Toccl. In Caramanico Ecclesiã S. Crucis, Ecclesiam S. Nicolai, Ecclesiam S. Eufemiæ cum Cellis & alijs pertinentijs, Ecclesiam S. Martini ad Gruetam, S. Ioannis Staniarij, S. Siluestri de Oligeto cũ pertinentijs suis. In Comitatu Aprutino, Castrum Guardiæ, Castellum veterum Monaciscum, In Ciuitate Sulmona, Oratorium, domum, & Palatium quondam Simonis, Casas Callia, & omnes possessiones infra, vel extra ipsam ciuitatem vestro Monasterio attributas, in perpetuum regia liberalitate duximus cõfirmanda, vt & nobis, & heredibus nostris animabusq; parentum, & prædecessorũ nostrorum omnium B Clementis Papę, & Martyris patrocinium impetremus. Ad cõfirmanda autem prædicta omnia chartam istã nostro Regio sigillo insigniri præcipimus: in qua etiam Regiæ dignitatis signũ ascribitur.

Data in Territorio ciuitatis Theatin. super flumen Piscaria per manus Roberti Cãcellarij, anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo quadragesimo mensis Augusti Indictione tertia. Anno verò Regni Rogerij Gloriosissimi Regni Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ decimo, Deo propitio. Amen.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Leonati Abbati Monasterij S. Clem. de Insula Piscaria, quæ Casa aurea vocatur, eiusq; fratribus tam præsentibus quã futuris regulari vita professis in perpetuum.

Religiosis votis annuere, & cum operis exhibitione complere officium nos inuitat suscepti Regiminis, & ordo videtur exigere rationis; Ea propter. Dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Monasteriũ, vbi corpus B. Clemẽtis Papæ, & Martyris requiescit, & in quo diuino estis mancipati obsequio ad exemplar Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum fel. me. Leonis, Calisti, & Adriani sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidẽ vt ordo monasticus, qui secundũ Dñm, & B. Benedicti Regulã in eodẽ Monasterio institutus esse dignoscitur perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Præterea possessiones, quæcunque quæcunq; bona idem Monasterium in præsentiarum iustè, & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, liberalitate Regum, vel Principum, oblatione fideliũ, seu alijs iustis modis, præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc proprijs duximus exprimen. vocabulis, in Comitatu Pendensi Castellum Inculæ cum tota ipsa Insula, Castillionem, Vbicolam, Peculiam Roccham de Sutri Coruariam, Petram iniquam Betorites Mandesorum, Casale Planũ, Coledunum cum pertinentijs suis, Castrum quod vocatur Casale S. Desiderij in Ciuitate S. Angeli, Castellum S. Mori cum portu, & suis pertinentijs, in Comitatu Theatino Castrũ Bolonianum cum pertinentijs suis, in Comitatu Aprutino Castrum Guardiæ, Castellum vetulum Monaciscum cum pertinentijs suis. In Comitatu Valuensi Casale quod dicitur S. Trinitatis cũ pertinentijs suis. In Marchia Castrum Lori cum pertinentijs suis, Ecclesiam S. Mariæ in Plesiano, Ecclesiam S. Marię ad Fasinariam, Ecclesiam S Quirici de monte Siluano cum pertinentijs suis. In supradicto Comitatu Theatino Ecclesiam S. Mariæ de Pesilo, Ecclesiam S. Angeli de Casule, Ecclesiam S. Cesidij, Monasterium S. Trinitatis de Lapidaria cum pertinentijs suis. In Caramanico Ecclesiam S Crucis, & S. Nicolai cũ pertinentijs suis, Ecclesiã S. Martini ad Grictam, Ecclesiam S. Ioannis Iscamari, Ecclesiã S. Siluestri apud Manupellum cum pertinentijs suis; Cellam S. Clementis in Lisina cum pertinentijs suis. Monasteriũ S. Mauri de Eminterno cum pertinentijs suis, Mõtem de Vrsa, Montem de Tarini, Montem Soti cum rupibus, & syluis eorum. Concedimus etiam vobis, vestrisque successoribus decimationem terrarum Ecclesiæ vestræ, & partem oblationum quæ pro mortuis offeruntur. Interdicimus insuper, vt nullus Episcopus ibi Synodum celebret, Chrisma, Oleum Sanctum, consecrationes altarium, seu Basilicarum, ordinationes Monachorum, seu Clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promouendi, à quocumque malueritis suscipiatis Episcopo. Obeunte vero te nunc eiusdem loci Abbate, vel tuorũ quolibet successorũ, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violẽtia præponatur, nisi quem: . . . de communi consensu vel fratrum pars consilij sanioris secundum Dominum, & B. Benedicti Regulam prouiderint eligendum. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum pro quorum gubernatione, sustentatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura, salua in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisq; persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentauerit secundo, tertioue commonita, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestate honorisque

norisque sui dignitate careat. Reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore & Sãguine Dei, & Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtę vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura praseruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtũ Iudicẽ præmia æternæ pacis inueniant. Amen, Amen, Amen.

Nos itaq; qui supra Nicolaus Petri Iudex instantia prædicti D. Abbatis prædictum priuilegiũ per manus mei prædicti Notarij Nicolai, & in præsentia testium subscriptorum auctoritate nostri officij autenticatum, & transcribi de verbo ad verbum nihil addito, vel mutato, & ipsius transumptum in præsens redigi fecimus publicum instrumentum. De quibus omnibus qualiter in nostri præsentia gesta, & acta sunt pro futuri temporis memoria & prædicti D. Abbatis, ac Monasterij, & omnium quorum interest, & interesse poterit cautela factum est hoc præsens publicum instrumentum de mandato prædicti Iudicis, signo meo solito signatum signis, & subscriptionibus prædictorum Iudicis, & testium legitimè roboratum. Quod scripsi ego qui supra Nicolaus Francisci de prædicto Castro Alandi publicus vbilibet per totum Regnum Siciliæ Regia, & Reginali auctoritate Notarius; & quia de prædictis omnibus rogatus interfui ipsum solito meo signo signaui, super quibus omnibus præfatus Cola Ciccatelli Camerarius pro Tribunali sedens, & Curiam regens suam auctoritatem interposuit, & decretum.

✠ *Ego Alexander Cathol. Ecclesiæ Episc.*

✝ *Ego Bernardus Port. & S. Rufinæ Episc.*

✝ *Ego Gualterius Albanus Episc.*

✝ *Ego Vgo Tusculanus Episc.*

✝ *Ego Corradus Maguntinæ Sedis Archiepisc. & Sabinen. Episc.*

✝ *Ego Vbaldus Presb. Card. tit. S. Crucis in Ierusalem.*

✝ *Ego Ioannes Presb. Card. SS. Ioannis & Pauli tit. Pammatij.*

✝ *Ego Henricus Presb. Card. SS. Nerei, & Achillei.*

✝ *Ego Guillelmus Presb. Card. tit. S. Petri ad Vincula.*

✝ *Ego Bosa Presb. Card. S. Pudentianæ tit. Pastoris.*

✝ *Ego Hyacinthus Diac. Card. S. Mariæ in Cosmedin.*

✝ *Ego Oddo Diac. Card. S. Nicolai in Carcere Tulliano.*

✝ *Ego Araltio Diac. Card. S. Theodori.*

✝ *Ego Manfredus Diac. Card. S. Georgij ad velum aureum.*

✝ *Ego Vgo Diac. Card. S. Eustachij iuxta templum Agrippæ.*

✝ *Ego Vitellius Diac. Card. SS. Sergij, & Bacchi.*

✝ *Ego Theodinus Diac. Card. S. Mariæ in Portico.*

✝ *Ego Petrus Diac. Card. S. Mariæ in Aquiro.*

Datum Laterani, per manum Ermanni Diac. Card. S. Angeli decimoquinto Kal. Aprilis Indict. decimaquinta, Incarnat. Dominicæ anno millesimo centesimo sexagesimo sexto Pontif. vero D. Alexandri Papæ Tertij anno sexto.

Cælestinus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Iohi Abbati Monasterij S. Clementis de Insula Piscariæ, quæ Casa aurea vocatur, eiusque fratribus tam præsentibus, quam futuris Regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosis votis annuere, & ea operis exhibitione complere officium nos inuitat suscepti regiminis, & ordo videtur exigere rationis. Eapropter dilecti in Domino filij nostris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium vbi corpus B. Clementis Papæ, & Mart. requiescit, quod solius B. Petri iuris existit, in quo diuino estis obsequio mancipati, ad exemplar prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum fel. mem. Leonis, Calixti, Adriani, ac Alexandri sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus, vt soli Romanæ Ecclesiæ subditum ab omnium Ecclesiarum, seu personarum iugo liberum habeatur. In primis siquidem statuentes, vt ordo Monasticus, qui secundum Deum, & B. Benedicti Regulam in eodẽ Monasterio institutus esse dignoscitur perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Manifesto igitur in perpetuum decreto statuimus, vt quascumque possessiones, quæcumq; bona idem Monasterium in præsenti legitimè possidet, firma vobisq; vestris successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis, in Comitatu Pinnensi Castrum Insulæ, Castellionem, Vinulam, Pesculum, Roccam de boti, Coruariam, Petraniquam, Bectoritum, Alanum, Farum, Casalepianum Colledunum cum omnibus Ecclesijs, & pertinẽtijs suis, Castrũ quod vocatur Casalè S. Desiderij. Cum Ecclesijs Sancti Petri de Panepenna, S. Martini de Muscuso, & S. Iustæ de Tagliano. In Ciuitate S. Angeli, Cellam S. Clementis, Castellum S. Mori cum portu, & suis pertinentijs Ecclesiam S. Cirici de Monte Siluano, Ecclesiam S. Saluatoris iuxta flumen de Nora, cum ipso portu, & pertinentijs suis, Ecclesiam S. Geruasij cum pertinentijs suis, Priores qui cognomine dicuntur Palummani cum familijs, & pertinentijs suis, Ecclesias S. Rustici de Saliano, S. Angeli in Monte Apriano, S. Flauiani, S. Mariæ ad Cap. S. Mariæ de Colle cum Cappella de Rocca, & omnibus pertinentijs suis,

Ec-

Ecclesiam S. Nicolai ad Cornisam cum pertinentijs suis; In Comitatu Theatino, Bonanisatū cum omnibus Ecclesijs & pertinentijs suis, Ecclesiam S. Mariæ de Pesula, Ecclesiam S. Angeli de Casula, Ecclesiam S. Cesidij, Monasterium S. Trinitatis de Lapidaria cū pertinentijs suis. In Carامanico Ecclesiā S. Crucis, Ecclesiam S. Nicolai cū cellis & alijs pertinentijs suis, Ecclesias S. Martini ad guttam S. Ioannis in Scaurari, S. Siluestri de Olgato, cum pertinentijs suis. In Comitatu Aprutino, Castrum Guardiæ, Castellum Vetulum Monachiscum, Castrum S. Georgij cum omnibus Ecclesijs, & pertinentijs suis. In Marchia, Castrum Lori, Castrum Caldarole, Castrum Vestimagi, Montem Obtetanum, Rotellū, Briceiam, S. Vincentium, S. Angelum ad Fauaram cum alijs Ecclesijs, & pertinentijs suis; in Comitatu Valuen. Casale quod dicitur S. Trinitatis cum cellis, & pertinentijs suis; in Ciuitate Sulmone, Oratorium, domum, & palatiumq; Simonis, Casas, Casilia, & omnes possessiones intra, vel extra ipsam Ciuitatem vestro Monasterio attributas, Ecclesiam Sancti Mauri de Amiterno cum pertinentijs suis, Montem de Tarino, cum rupibus, & siluis eorum; Cellam S. Clementis in Lisina cum pertinentijs suis. Concedimus etiam vobis vestrisq; successoribus, omnem decimationem prædictarum literarum Ecclesiæ vestræ, & partem oblationum, quę pro mortuis offeruntur. Interdicimus insuper, vt in supradictis locis nullus Episcopus audeat synodum celebrare, vel aliqua iura Episcopalia exercere, nisi à te, vel à successoribus tuis vocatus fuerit. Chrisma vero, Oleum sanctum, consecrationes altarium, seu Basilicarum, ordinationes Monachorum, seu Clericorum vestrorum, qui ad sacros Ordines fuerint promouendi à quocumque malueritis suscipiatis Episcopo. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, vt eorum deuotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat. Quæcumq; præterea in futurum concessione Pontificum, liberalitate Principum, oblatione fidelium, vel alijs iustis modis poteritis adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant. Obeunte verò te nunc eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilij sanioris secundum Dei timorem, & B. Benedicti Regulam duxerint eligendum, electus à Romano Pontifice consecretur. Paci quoq; & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine prouidere volentes authoritate Apostolica prohibemus ne quis infra ambitum domorum vestrarum furtum committere, ignem apponere, hominem capere, aut interficere audeat, seu vobis, vel rebus vestris, aut his, qui ad vos confugerint violentiam aliquam temeritate qua-

A libet inrogare. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfatum Monasterium temerè perturbare, vel eius possessiones auferre, ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt vsibus omnimodis perfutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire temptauerit, secūdo tertioue commonita nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis, honorisq; sui careat dignitate, reamq; se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore, ac San-

B guine Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat, cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonę actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Amen.

Ego Cælestinus Catholicæ Ecclesiæ Episc.

† *Ego Albinus Albanen. Epist.*

† *Ego Octauianus Ostien. & Velletren. Epist.*

† *Ego Ioannes Prænestin. Epist.*

† *Ego Pandulfus Basilicę XII. Apostolorū*

C *Presb. Card.*

† *Ego Petrus Presb. Card. tit. S. Cæciliæ.*

† *Ego Petrus Presbyt. Card. S. Petri ad Vincula tit. Eudoxiæ.*

† *Ego Iord. S. Pudentianę tit. Pastoris Presb. Card.*

† *Ego Ioannes tit. S. Clementis Card. Tuscan. Episc.*

† *Ego Ioannes Felix tit. S. Susannæ Presb. Card.*

† *Ego Roman. Presb. Card. tit. S. Anastas.*

† *Ego Guido Presb. Card. S. Mariæ Trās-tyberim tit. Calisti.*

† *Ego Ioannes tit. S. Stephani in Callo monte Presbyt. Card.*

† *Ego Cinthius tit. S. Laurentij in Lucina*

D *Presb. Card.*

† *Ego Gratian. SS. Cosmæ, & Damian Diac. Card.*

† *Ego Berard. S. Adriani Diac. Card.*

† *Ego Goffredus S. Mariæ in Vialata Diac. Card.*

† *Ego Grego. S. Marię in Porticu Diac. Card.*

† *Ego Ioannes S. Theodori Diac. Card.*

† *Ego Bernardus S. Marię Nouę Diacon. Card.*

† *Ego Gregorius Sanctę Marię in Aquiro Diac. Card.*

† *Ego Gregorius S. Georgij ad velum aureum Diac. Card.*

† *Ego Lotarius SS. Sergij, & Bacchi Diac. Card.*

† *Ego*

A † *Ego Nicolaus S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card.*
† *Ego Gregorius S. Angeli Diac. Card.*
Dat. *Romæ apud S. Petrum per manum Aegidij S. Nicolai in Carcere Tulliano Diac. Card. Id. Iunij Indict. nona, anno Incarnat. Dominicæ MCXCI. Pontificatus D. Cælestini Papæ Tertij anno primo.*

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei Dilecto filio Abbati S. Clementis de Piscaria salutem, & Apostolicam benedictionem.

Conueniens est, & honestum, vt cum visum fuerit opportunum, quod personis, & locis à Romana Ecclesia deferatur, & honoris præbeatur augumentum. Sedes Apostolica, quæ diligenter id consueuit attendere, hac insignia concedendo conferre, libenter pro personarum B meritis, & locorum honoris titulos ampliatur. Eapropter, fili Abbas, deuotionem tuam, & tui Monasterij diligentius attendentes, vsum Mitræ, & Anuli in Missa solemnium festiuitatum, & Conuentibus Synodalibus tibi, tuisque successoribus duximus perpetuò concedendum, vt tam tu, quàm Abbas, qui pro tempore fuerit, his insignibus decoretur. Dat. Lateran. 3. Kal. Iunij Pont. nostri anno secundo.

Clementis Quarti Pontificis Maximi. Priuilegium Exemptionis, & Confirmationis Territorij, bonorum, & Iurium Monasterij S. Clementis.

C *Clemens Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Abbati, & Conuentui Monasterij S. Clementis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis Ordinis S. Benedicti Theatin. Diœc. salutem & Apost. benedict.*

A Cum à Nobis petitur, quod iustum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates, & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus per priuilegia, vel alias indulgentias Monasterio vestro concessas, nec non libertatis, & exemptionis secularium exactionum à Regibus, & alijs Christifidelibus rationabiliter vobis indultas, Terras quoq; decimas, & alia bona vestra, sicut ea iustè, ac pa- B cificè obtinetis vobis, & per vos eidem Monasterio auctoritate Apostolica confirmamus; & præsentis scripti patrocinio communimus: Salua in prædictis decima declaratione Concilij generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. *Datum Viterbij sexto Idus Nouembris Pontificatus nostri anno tertio.*

C Hactenus priuilegia insigniora Piscariensis Monasterij ad calcem Historiæ conscripta; ibi & alia plura documenta, quæ breuitatis gratia omisimus, obseruauimus.

INDEX

NEAPOLITANORVM ARCHIEPISCOPORVM INDEX CHRONICVS.

EPISCOPI.

An.Chr.			pag.
45	1	S. Asprenus, siue Asprenas.	24
	2	Epathimitus.	33
	3	Maurus.	33
	4	Probus.	33
	5	Paulus.	34
160	6	S. Agrippinus.	34
180	7	S. Eustatius.	35
	8	S. Euphebius.	39
	9	Marcianus.	40
	10	Cosmas.	31
347	11	Calepodius.	41
	12	S. Fortunatus.	42
359	13	S. Maximus.	45
367	14	S. Seuerus.	46
412	15	Vrsus.	59
416	16	Ioannes I.	60
425	17	Timasius.	60
444	18	S. Nostrianus.	61
451	19	Felix.	63
467	20	Soter.	63
486	21	S. Victor.	65
498	22	Stephanus.	67
514	23	Redux.	68
518	24	S. Pomponius.	68
536	25	Ioannes II.	71
556	26	Vincentius, siue Viuentius.	71
580	27	Demetrius.	71
593	28	Fortunatus.	81
601	29	Pascasius.	82
616	30	Ioannes III.	83
635	31	Cæsarius.	83
638	32	Gratiosus.	84
645	33	Eusebius.	84
649	34	Leontius.	84
654	35	Adeodatus.	84
672	36	Agnellus I.	84
694	37	S. Iulianus.	84
702	38	S. Laurentius.	85
715	39	Sergius.	86
745	40	Cosmas.	87
747	41	Calnus.	88
760	42	Paulus.	89
764	43	Stephanus.	91
797	44	Paulus II.	96
818	45	Tiberius.	97
838	46	S. Ioannes Aquarolus.	10
849	47	S. Athanasius.	104
872	48	Athanasius Iunior.	114
895	49	Stephanus III.	121
937	50	Athanasius III.	123

ARCHIEPISCOPI

Neapolitani.

An.Chr.			pag.
968	1	Nicetas.	130
1000	2	N.	130
1094	3	Sergius.	132
	4	Gentilis.	133
1033	5	Ioannes.	133
1045	6	Victor.	133
1059	7	Sergius II.	136
1071	8	Ioannes II.	136
1082	9	L.	137
1094	10	Petrus.	138
1116	11	Gregorius.	140
1118	12	Marinus.	141
1177	13	Sergius III.	147
1192	14	Anselmus.	154
1216	15	Petrus.	158
1252	16	Bernardus Caracciolus.	166
1263	17	Delphinus.	169
1265	18	Ayglerius.	171
1285	19	Philippus Minutulus.	176
1302	20	Fr. Iacobus Viterbiensis.	178
1308	21	Humbertus de Monte Aureo.	179
1322	22	Matthæus Philamarinus.	181
1322	23	Bertoldus Vrsinus.	184
1326	24	Anibaldus de Ceccano Card.	186
1328	25	Ioannes III. Vrsinus.	186
1359	26	Bertrandus de Meysoncsio.	196
1363	27	Petrus de Gratia.	197
1365	28	Bernardus de Bousquetto Card.	198
1368	29	Bernardus, seu Bertrandus Rutenensis.	198
1380	30	Thomas Ammanatus.	201
1388	31	Guillelmus.	201
1399	32	Nicolaus de Paganis.	202
1378	33	Ludouicus Boczutus.	204
1384	34	Nicolaus Zanasius.	207
1389	35	Henricus Card. Minutulus.	208
1400	36	Iordanus Card. Vrsinus.	209
1407	37	Ioannes.	211
1415	38	Iacobus Rubeus.	217
1418	39	Nicolaus de Diano.	212
1438	40	Gaspar de Diano.	215
1451	41	Raynaldus Card. Piscicellus.	215
1458	42	Iacobus Theobaldeschus Card.	219
1458	43	Oliuerius Card. Carrafa.	219
1484	44	Alexander Carrafa.	223
1505	45	Bernardinus Carrafa.	225

ACERRANORVM

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

CVMANORVM

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

ISCLANENSIVM

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

NOLANORVM

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

PVTEOLANORVM

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

CAPVANORVM

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

Archiepiscoporum.

ÆSERNENSIVM Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

ATINENSIVM Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

CAIACENSIVM Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

An. Chr.			pag.
1294	23	Petrus.	573
1308	24	Ioannes III.	573
1311	25	Thomas de Paschasio.	573
1333	26	Ioannes IV. Mucula.	573
1360	27	Fr. Rogerius.	574
1368	28	Gregorius.	574
1372	29	Fr. Franciscus.	574
1382	30	Martinus.	575
1383	31	Matthæus.	575
1391	32	Ioannes V. de Gattulis.	575
1393	33	Franciscus II.	575
1404	34	Andreas III. Sirranus.	575
1422	35	Ioannes VI.	575
1445	36	Antonius de Henrico.	575
1472	37	Iulianus Mirtus.	576
1480	38	Iacobus de Lutijs.	576
1507	39	Oliuerius Card. Carrafa.	576
1507	40	Vincentius Massa.	576
1518	41	Galeatius Buttigarius.	577
1520	42	Bernardinus de Chiero.	578
1522	43	Vianesius de Albergatis.	578
1529	44	Ascanius Card. Parisanus.	578
1537	45	Fabina Mirtus.	579
1572	46	Octauius Mirtus.	580
1592	47	Horatius Aquauiua.	581
1617	48	Paulus Philamarinus.	582
1623	49	Fr. Benedictus de Sto.	584
1641	50	Sigismundus Taddeus.	584
1648	51	Franciscus Perronus.	585
1657	52	Ioseph Petagna.	585

CARILONENSIVM

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

An. Chr.			pag.
1071	1	Ioannes.	587
1100	2	S. Bernardus.	587
1113	3	Giroldus.	595
1221	4	N.	595
1233	5	N.	595
1250	6	P.	595
1252	7	Stephanus.	595
1280	8	Paulus.	595
1291	9	Robertus.	595
1323	10	Ioannes II.	595
1326	11	Fr. Petrus.	595
1330	12	Nicolaus.	595
1333	13	Bonagiunta.	596
1347	14	Bernardus Aggerius.	596
1359	15	Ioannes III.	596
1363	16	Fr. Richardus de Tedaldis.	596
1365	17	Marinus.	596
1365	18	Fr. Iulianus, vel Iubrinus.	596
1388	19	Ioannes IV.	596
1420	20	Iacobus de Guillelmo.	596

An. Chr.			pag.
1446	21	Carolus Sforzatius.	596
1481	22	Franciscus Grossulus.	597
1481	23	Stabilis Zarillus.	597
1486	24	Ioannes V.	597
1501	25	Petrus.	597
1510	26	Io. Antonius Orpheus.	597
1518	27	Io. Franciscus de Anna.	598
1521	28	Io. Ferdinandus de Anna.	598
1530	29	Ioannes VI. Canutus.	598
1535	30	Thadæus Populus.	598
1549	31	Bartholomæus Capranica.	598
1571	32	Sixtus Diutiolus de Arena.	598
1583	33	Nicolaus Antonius Vitellius.	599
1594	34	Ioannes VII. Vitellius.	599
1611	55	Archangelus de Rubeis.	599
1619	36	Alexander Bolchus.	599
1622	37	Antonius Bonfilius.	599
1624	38	Honuphrius Serfalinus.	599
1640	39	Hieronymus Cauafilice.	599

CALVENSIVM

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

An. Chr.			pag.
1094	1	N.	600
1141	2	Petrus.	601
1174	3	Tancredus.	601
1233	4	N.	601
1245	5	Odoardus.	601
1260	6	Palmerius.	601
1272	7	Gregorius.	601
1301	8	Henricus.	601
1324	9	Ioannes.	601
1325	10	Fr. Petrus.	601
1331	11	Taddeus.	601
1332	12	Ioannes II.	601
1343	13	Fr. Stephanus.	601
1345	14	Fr. Ioannes III.	601
1348	15	Fr. Petrus de Brina.	602
1362	16	Raynaldus.	602
	17	Antonius.	602
	18	Robertus.	602
1395	19	Ioannes IV.	602
1395	20	Bartholomæus.	602
1403	21	Stephanus Gobernus.	602
1413	22	Antonius Gallutius.	602
1415	23	Fr. Antonius del Fede.	602
1443	24	Angelus Maaziottus.	603
1466	25	Antonius.	603
1495	26	Angelus Marottus.	603
1504	27	Maurellus Iannottus.	603
1505	28	Matthæus Vrsinus.	603
1512	29	Gabriel de Vrsinis.	603
1519	30	Io. Antonius Galla.	603
1543	31	Fr. Bernardinus Laurentius Spada.	603

Mari-

CASERTANORVM

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

SVESSANORVM

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

THEA-

THEANORVM

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

VENAFRI

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

SVRRENTINORVM

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

Ioan-

Archiepiscoporum.

AQVENSIVM

siue Vico-Aquensium

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

LVBRENSIVM

siue Mattæ Lubrensis

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

STABIENSIVM

siue Castri-Maris

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

THEATINORVM

Episcoporum

Archiepiscoporumque

INDEX CHRONICVS.

Fr-

Archiepiscoporum.

ORTONENSIVM

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

ANSANENSIVM

siue Lancianensium

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

Archiepiscoporum

COMPSANORVM

Archiepiscoporum

INDEX CHRONICVS.

S. ANGELI de Lombardi.

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

BISACIENSIVM

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

Ga-

LAQVEDONENSIVM

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

MVRANORVM

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

SATRIANENSIVM

Episcoporum

INDEX CHRONICVS.

INDEX.

INDEX

NOMINVM

OMNIVM EPISCOPORVM SINGVLARVM CIVITAT.

Qui in hoc Sexto Tomo Italiæ Sacræ continentur

Ordine Alphabetico dispositus.

A

B

G

H

Hie-

Ioan-

L

Leo-

Nico-

Phi-

Ste-

INDEX

INDEX

COGNOMINVM

OMNIVM EPISCOPORVM SINGVLARVM CIVITAT.

Qui in hoc Sexto Tomo Italiæ Sacræ continentur

Ordine Alphabetico dispositus.

Mmm

C

D

E

F

Ferrus

Sal-

INDEX RERVM ET MATERIARVM

De quibus in hoc Sexto Tomo & opere fit mentio.

A

An-

Bonus

D

nienss

E

F

Fides

L

M

N

T

V

X

Z

AP-

APPENDIX

Ex additionibus, & correctionibus ad Sextum Tomum.

PAgina 36. linea prima Berhabitus, lege, Bernabitas,

Pag. 50. l. 22. debitor, dicito creditor.

Pag 68. l. 34. pro 414. scribe 504.

Pag. 90. l. vltima, *aly*, dicito alijs.

Pag. 104. l. p. pro, *Anastasius*, scribe Athanasius.

Pag. 158. l. 26 pro *P.* scribe T. & l. 26. similiter pro *P.* legito T. ac dele deinde illud verbum, *perperam*, ac dicito benè.

Pag. 175. l. 31. pro *Regni* 49. scribe, Regni 16.

Pa .192 l. 33. *oppressus*; lege aggressus.

Pag. 202. l. 35 *Marealli*, dicito Marescalli, & l. 36. dele *se*.

Pag. 204. l. 32. *Bezutus*, dic Boczutus.

Pag. 209. l. 33. *lotis*, lege satis.

Pag. 218 l. 50. *praepostera*, lege præpropera.

Pag. 220. l 27. *Comiti*, diciro Coruino.

Pag. 236. l. vltima *Clericis*, scribe Clericus.

Pag. 277. l. p. *Costa*, lege Cossa.

Pag. 278. l. 32. post illud verbum *Aprilis*, adde anno 1534. à Clemente VII.

Pag. 292. l. 18. *retitat*, dic recitat.

Pag. 312. l. 35. *focis*, lege focijs.

Pag. 330. l. 28. pro 1491. scribe 1391. & l. 30. pro 1495. dicito 1395.

Pag 348. l. 24. post illa verba, *confirmationem accepit*, adde punctum. Anno &c.

Pag. 388. l. 32. *Virgo*. lege Vgo.

Pag. 391. l. 6. *Romuldus*, dic Romualdus.

Pag. 346. l. 47. *adfuit*, scribe absfuit.

Pag. 443. l. 3 *Arierfisque*, lege Agriensisque.

Pag. 445. l. 13. pro 1578. scribe 1538.

Pag. 458. l. 17. *sacram*, lege sacrum.

Pag. 617. l. 55. *affuere*, dic adfuere.

Pag. 650. l. 42. *Prioratus*, scribe Prioratu.

Pag. 668. l. 2. pro *ab Vrbano VIII.* scribe, ab Innocentio X.

Pag. 672. l. 16. de Sassa, scribe Saussay.

Pag 690. l. 55. post illa verba, *inter quos*, adde, fuit.

Pag. 721. l. 11. pro 1328. dicito 1338.

Pag. 784. l. 13. *comius*, legito comior.

Pag 853. l. vltima *Papini*, dicito Pipini.

Pag. 904. l. 8. *Sacello*, dic Saceljano.

Pag. 910. l. 29. *annum*, scribe annuum.

Pag. 921. l. 9. post illa verba *Diaecesim lustraret*, adde, incidit in latrones.

Pag 923. l. 1. *Praepositum*, lege Præpositam, *eligendum*, eligendam

Pag. 17. post illud verbum *Vicarium*, adde C... lem, & l. 19. dele ad verbum ... *alcin*

Pag. 926 l. 52. pro anno 1365. scribe 1364.

Pag. 931. l. 38. dele illa verba, *huius tenoris*.

Pag. 934. l. 14. *Ascuuia*, lege Arenccia.

Pag. 937. l. 18. post illa verba, *tunc viduatis*. adde, prouidit, & ad hanc Teatinam transtulit &c.

Pag. 979. l. 21. *verendam*, scribe verendum, & venerandum.

Pag. 980. l. 56. *ingressoque*, dicito, ingentique.

Pag. 982. l. p. *Termulensem*, lege Fermulanensem.

Pag. 998. l 28. num. 3. vbi *R. Composan.* dele totum, quod de hoc Archiepiscopo initiali nomine R. vsque ad lineam 1. paginæ sequentis 999. cum postquam excusa est hoc Metropolis, mihi ex Archiuio eiusdem Compsanæ Ecclesiæ delata fuerint aliqua monumenta, inter quæ literæ illæ Calixti II. longè diuersæ ab illis, quas retulimus ex m. s. libro Ioannis Baptistæ Prignani de familijs Salernitanis, corruptas pluribus in locis, & vitiatas. Has proferemus sinceras ab originali penè vetustate exeso. Igitur sic scribe de Archiepiscopo illo signato littera R.

3. H. Compsanus Archiepiscopus initali nominis litera H. tantùm notus in Calisti II. Papæ diplomate ad cunctos fideles conscripto, qui in Ecclesia Compsana sepeliri se fecerint, tenor est talis.

Calistus Episcopus seruus seruorum Dei, omnibus fidelibus Ecclesiæ salutem & Apostolicam benedictionem. Quoniam Compsana Ecclesiæ desolationem antiquo tempore factam audiuimus, & ex parte cognouimus, & ad eam consecrandam rogati à dilecto filio nostro H. eiusdem Ecclesiæ Venerabili Archiepiscopo, nec non à ... B. Comitissa eiusdem terræ domina fuimus & ... esse nequiuimus; idcirco ... eiusdem B. ... dignitatem absolutionem omnium peccatorum Apostolorum Petri & Pauli ... nostra auctoritate sancimus omnibus Christianis qui confessi fuerint, & ibi sepeliri se fecerint. Datum Laterani III. Kal. April.

Fortè hoc sedente Archiepiscopo, ... quo ex eius successoribus Ionathas Compsæ Dominus, vnà cum vxore sua Stephana Compsæ Comitissa ... Riccialdo, & Gonfredo Clericis ... Sancti Andreæ Diœcesis Compsanæ multorum bonorum donationem fecerunt anno 1161. quam hic exscribimus ... exemplari tabularij Compsanæ Ecclesiæ

In

In nomine indiuiduæ Trinitatis Anno Incarnationis Domini millesimo, centesimo, sexagesimo primo mensis Februarij, Indict. Nona. Ego Ionata Dei gratia Compsiæ Comes, vnà cum dilecta mea vxore Stephania eiusdem gratia Compsiæ Comitissa, nostrisque dilectis filijs videlicet Riccardo, & Gonfredo, nulla necessitate coacti, sed spontanea voluntate videntes, quod pro temporalibus rebus, quas in hac fragili vita possidemus, quæ fugitiuæ, & labiles sunt, Deo sponte dare volumus ad vsum ministrorum Dei procul dubio in æternam remunerationis patriam sacro eloquio testante, qui dixit, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis; Idcirco pro redemptione animarum nostrarum, nostrorumque Parentum Ecclesiam S. Andreæ quæ sita est inter territorium ipsorum Ciuitatis, & Castri Petræ Paganæ cum omnibus habitantibus, & Terris per circuitum eiusdem Ecclesiæ, quas infra fines subscriptos inferius declarabimus, concedimus, & perpetualitèr damus Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Episcopatus Compsæ pro victu Clericorũ, qui in eadem Ecclesia Compsana die, noctuque deseruiunt ad laborandum, & seruiendum, tali conditione, quod nullus Archiepiscopus hanc nostram donationem de mensa Clericorum alienandi habeant potestatem. Insuper volumus, quòd homines, qui in dicto loco S. Andreæ nunc habitant, & habitare voluerint, ab omni onere seruitutis sint immunes, & à quolibet genere exactionum liberos, & exemptos, quos nos, & nostri liberi, & hæredes habere, vel querere deberemus ab eisdem; & si aliquod maleficium, siue malefacerent prædicti homines fecerint, seu offensam, non à nobis, vel Officialibus nostris, sed à Pastoribus, & Clericis Ecclesiæ Compsanæ compellantur quærentibus facere rationem, & de eorum culpis, & delictis iudicentur per eosdem, si Vineas, Ortos, Domos, aliaque ædificia infra præfatam Terram ædificare voluerint, potestatem faciendi secundum iussionem Pastoris, & voluntatem Clericorum Compsanæ Ecclesiæ firmitèr, & liberè habeant, & perpetuò possideant. Itaque à nemine nullam aliquam habeant contrarietatem. Pascuis verò, aquis, lignis, cum cæteris nostris hominibus Ciuitatis Campsæ, & Petræ Paganæ absque damno communitèr fruantur, & habeant, & vt prædicta nostra donatio pro redemptione animarum nostrarum, & parentum salubertimè fiat, aquam, quæ oritur intra fines subscriptos cum forma, cursu damus; & inuiolabilitèr concedimus, vt supra Ecclesiæ supradictæ liberè, & absolutè nulla nobis in prædicta aqua conditione reseruata; sed volumus, quod ipsa Ecclesia Compsana, Molendina facere, & ædificare in ea possit, & ad alios vsus eam trahere iuxta velle, & nullus alius in cursu eiusdem aquæ, & formæ molendina facere possit, nec de ea Terras adaquare, vel ad alias partes eam trahere siue voluntate Pastoris, & Clericorum Ecclesiæ Compsanæ. Hæc autem sunt fines terrarum Ecclesiæ prædictæ. Incipit in primis à parte Orientis in forma S. Andreæ vbi oritur aqua, vadit per caput vineæ de Piscaria, & pergit ad locum, qui dicitur la strazzara, & vadit ad arrum pannum, & deindè vadit ad lapidem de agro folio, & pergit recto tramite vsque ad locum, qui dicitur Tractorum, & descendendo descendit ad Vallonem Martini Vaccarij, & intrat in via, quæ vadit ad arsam, vbi est Molendinum Episcopatus Campsæ, & transit per Arsam ad viam, quæ vadit ad Sanctum Laurentium, & deindè vadit ad vallonem, qui descendit de aquauiua, vbi iunguntur duo riuoli, & postea ascendendo per ipsum Vallonem ascendit ad Terram vsque ad prædictam formam, vbi prius incæpimus, & vt hæc nostra donatio, & concessio robur obtineat, & perpetuam firmitatem præsens scriptum fieri fecimus per manus Gonfredi nostri Notarij, & sigillo nostro proprio sigillatum. *Hoc est signum propriæ manus Domini Comitis Ionathæ, & c. Hoc est signum Gualterij sollinilla Signum. Crucis Domini Riccardi filij Comitis. Signum Crucis Domini Gonfredi filij Comitis, &c.*

Pagina 999. l. 19. num. 4. post illa verba, S. *Herbertus*, adde, ad hanc insulam euocatus circa annum Domini 1169. quo consecrata fuit Ecclesia Cathedralis Muri ab Roberto Episcopo iussu Hereberti Archiepiscopi Compsani, & vetus habet monumentum relatum in serie Muranorum Episcoporum ad Robertum. Diù Herbertus Compsanam Ecclesiam rexit &c. vt ibi.

Pag. 1000. l. 7. & 10. pro 1138. scribe 1169.

Pag. eadem 1000. l. 35. dele illa verba, *priuilegium non vidi*, & loco eorum scribe, priuilegium ita scriptum fuit, quod hic inserimus ab exemplari Compsanæ Ecclesiæ.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabili fratri Pantaleoni Ecclesiæ Campsanæ Archiepiscopo, eiusdemque successoribus canonicè instituendis in perpetuum.

In eminenti Apostolicæ Sedis specula (disponente Domino) constituti fratres nostros Episcopos tam vicinos, quàm longè positos fraterna debemus charitate diligere, & Ecclesijs sibi à Domino concessis paterna sollicitudine prouidere. Ea propter venerabilis in Christo Panteleon Archiepiscope tuis iustis postulationibus clementèr annuimus, & præfatam Campsanam Ecclesiam, cui authore Deo preesse dignosceris ad exemplar fel. record. Alexandri, & Lucij Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificium sub Beati Petri, & nostra protectione suscepimus, & præsenti scripto priuilegio communimus. Statuentes, vt quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in-

præsen-

præsentiarum iustè, & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis causis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis. Abbatiam S. Laurentij de Tosana, Abbatiam Sanctæ Mariæ Magdalenæ cum omnibus pertinentijs suis, Ecclesiam S. Angeli in Murice, Ecclesiam S. Andreæ, & Sanctæ Mennæ, Ecclesiam S. Martini de Silere, Ecclesiam S. Mariæ de Silere, Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Olineto, & S. Nicolai de Fabrica, Ecclesiam S. Luciæ de capite Sileris, Ecclesiam S. Petri de Pinctiniano, Ecclesiam S. Saluatoris, Ecclesiam S. Angeli in Monte nigro, Ecclesiam S, Petri de Venatore, Ecclesiam S. Mariæ de Spelunca, Ecclesiam Sancti Ioannis inter duo flumina Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Terra Victimosa, & S. Mauri, Ecclesiam Sancti Spiritus, Ecclesiam S. Nicolai de Culiano, Ecclesiam S. Nicolai de Palatio, Ecclesiam S. Ioannis de Ceraso, Ecclesiam S. Nicolai de Cirioto cum omnibus earum pertinentijs, & Terra de Sarde, quæ est dimensa Cisternam, Citrulum, Castellum de Comitissa, Caletrum, Carpanum, Lormaro, & Turricellum, Castellion de Murra, Maurellum, Petram Paganam Castellum nouum, Male in ventre, Tugurium Biarum, Caput Sileris, Calabretum, Senerclium, Quagliettam, Oliuerum, Lauianum, Baltam, Guglianum, Palum, S. Nicandrum, Contursum, Pulcin. Aulettam, Salnitellam, & Veterum cum omnibus earum pertinentijs, Ecclesiam S. Mariæ de Pasano, Ecclesiam S. Agathæ, Sancti Gregorij; S. Nicolai de Erinio Calabretri, S. Mariam de Greusi, S. Angelum Castellionis, S. Petrum de Insula, S. Egidium Castellionis, S. Mariani de Sanctis; Sanctum Antolinum Petræ Pagnnæ, Ecclesiam S. Thomæ de Cugliano. Episcopatus quoque inferius annotatos Ecclesiæ tuæ Metropolitico iure subiectos, tuisque successoribus nihilominus confirmamus, videlicet S. Angeli de Lombardis, Bisatien. Laquedon. Montis viridis, Muranum, & Satrian. Pallium etiam scilicet Pontificalis officij plenitudinem fraternitati tuæ duximus concedendam, quo intra Ecclesiam tuam inter missarum solemnia subscriptis diebus vti debeas, videlicet in Natiuitate Domini, Festo S. Stephani Octaua Dominicæ Epiphaniæ, & Dominica in Ramis Palmarum, Cœna Domini, Sabbatho Sancto, Pascha, & duobus diebus sequentibus, Ascensione, Pentecosten, tribus solemnitatibus Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, Natalitio Beati Ioannis Baptistæ, Cōmemoratione omnium Sanctorum, solemnitatibus omnium Apostolorum, Dedicationibus Ecclesiarum, Consecrationibus Episcoporum, Ordinationibus Clericorum, Ecclesiæ tuæ principalibus Festiuitatibus, & Anniuersario tuæ consecrationis die. Prouideas igitur quomodo huius indumenti honorum, modestia actuum viuacitate seruetur, vt & morum tuorum ornamenta conueniant, & esse valeas plus bonis actibus, quàm huiusmodi ornamento, authore Deo, conspicuus. Et quæ Pastoralis curæ officium dilectionem proberis fratribus exhibere. Vt in humilitatis virtute fundatus non eleueris prosperis, nec frangaris aduersis. Ipsi etiā aduersarij propter mandatum Dominicum tuo circa te copulentur effectu. Et quantum interest, pacem habeto cum omnibus, & ad pacem studeto reducere discordantes, pijs voces operibus virtutis polleat, fulgeat in pectore tuo rationale iudicium cū superhumeralis actione coniunctum. Et ita in conspectu Dei procedas, & hominum, quatenus commisso tibi gregi Dominico virtutis præstes exemplū, vt videntes opera tua bona glorificent Patrem nostrum, qui in Cœlis est, & gaudeant talem Rectorem habere, per quem erudiantur ad fidem, & ad recta opera prouocentur. In omnibus etiam quę officio tuo cōueniunt ita te exhibeas circumspectum, qui ad gloriam sempiternam acquirere possis in Cœlis, ad hac authoritate Apostolica duximus inhibendum; ne quisquam post discessum tuum, vel tuorum quorumlibet successorum alicuius obtentu consuetudinis res sæculares, aut Ecclesiasticas capere; vel ausu temerario audeat retinere, sed futuro Prælato integrè conseruentur. Prohibentes etiam interdictos, vel excommunicatos tuos ad officium, seu communionem Ecclesiasticam sine conscientia, aut consensu tuo quisque admittat, seu contra sententiam tuam canonicè promulgatam aliquis venire præsumat, nisi vitæ periculum mortis immineat, vt cum præsentiam tuam habere nequiuerint per oporteat ligatum absolui. Statuimus insuper, vt cum Parochiani tui, quod loca religiosa elegerint, sepulturam & Ecclesiæ tuæ canonica quarta scilicet Testamentorum portio reseruetur., præsenti quoque pagina duximus statuendum, ne Monachi, aut Canonici, seu quilibet alij Clerici, vel Laici in Ecclesijs ad tuam Diœcesim pertinentibus sine tua authoritate, vel remouere audeant, vel instituere Cappellanos, nec Ecclesiam, vel Oratorium intra metas tuæ Parochiæ fabricare, nisi fortè Priuilegijs Romanorum Pontificum muniantur. Ecclesias insuper, vel Ecclesiastica beneficia nullus hæreditario iure possideat, quod si quis hoc facere fortè contenderit, censura canonica cōpescantur. Prohibemus præterea, ne quis Comitum, vel Baronū ad Comitatum Compsanum quomodolibet pertinentium contra Immunitatem Ecclesiæ tuæ Regia liberalitate collatam ante, vel successorum tuorum securitatis, vel loci exigat iuramentum, libertates etiam Immunitates Ecclesiæ tuæ pia consideratione indultas, & antiquas rationabiles consuetudines hactenùs conseruatas integras

tegras permanere sancimus. Decernimus ergo, vt nulli omninò hominum liceat prædictam Ecclesiam temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis pro futura salua Sedis Apostolicæ authoritate; si qua igitur in futurum Ecclesiastica, sæcularisque persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentauerit, & secundò, tertioue commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Redemptori Nostri IESV Christi aliena fiat, atque in extremo examini districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini Nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen.

† Ego Innocentius Cath. Ecclesiæ Episcopus.

† Ego Petrus Portuen. S. Rufinæ Episcopus.

† Ego Ioannes Episcopus Albanensis.

† Ego Guido Prænestinus Episcopus.

† Ego Pandolfus Basilicæ XII. Apostolorum Præsb. Card.

† Ego Petrus tit. S. Cecilia Præsb. Cardinalis.

† Ego Iordanus S. Puden. tit. Pastoris Præsb. Card.

† Ego Ioannes tit. S. Stephani in Celio monte Præsb. Card.

† Ego Gaffredus tit. S. Praxedis Præsb. Card.

† Ego Bernardus S. Petri ad Vincula Præsb. Card. tit. Eudoxia.

† Ego Gregorius S. Mariæ in Porticu Diac. Card.

† Ego Gregorius S. Georgij Diac. Card. ad velum aureum.

† Ego Petrus S. Mariæ in Via lata Diac. Card.

† Ego Gregorius S. Eustachij Cardinalis Diac.

† Ego Benedictus S. Mariæ in Dominica Diac. Card.

† Ego Matthæus Sancti Theodori Diac. Card.

† Ego Ioannes S. Rom. Eccl. Diac. Cardinalis.

Datum Lateran. per manum Blasij S.R.E. Subdiaconi, & Notarij 3. Id. Nouembris indict. 4. incarnationis Dominicæ anno 1200. Pontificatus vero Domini Innocentij Papæ Tertij anno Tertio.

Pag. eadem 1000. l. 36. dele illud verbum, *tamen*, & ita scribe à capite. In regestro Vaticano literam offendi ad ipsum scriptam &c.

Eadem pag. sub Andrea Archiepiscopo post lineam 44. repone literam Gregorij IX. de reductione Canonicorum Compsanæ Ecclesiæ in hunc modum: Hoc sedente Andrea Gregorius IX. de numero Canonicorum in hac Ecclesia ab eodem Archipræsule statuto confirmationem adhibuit in hæc verba. *Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei.* Dilectis filijs Capitulo Ecclesiæ Compsanæ Cathedralis sal. & Apost. bened. Cum à nobis petitur quod iustum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem affectus nostri ad debitum perducatur effectum. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod bonæ me. . . . Compsanus Archiepiscopus attendens diligenter, quod redditus. . . . adeò omnes tenues, & exiles, quod ex eis non poteratis commodè sustentari, nec pro defectu forsan necessariorum ad diuersa . . . . negotia debita Ecclesiæ vestræ obsequia subtrahi . . . . consensu vestro duxit, proinde statuendum, vt Canonici eiusdem Ecclesiæ si horis Canonicis in ea interfuerint . . . . . . bona ad hoc sufficere dinoscuntur, debeant singulis prandere diebus; in Cœna verò panem dumtaxat extra mensam eis ministrare . . . . Idem Archiepiscopus teneatur, prout in litteris inde confectis plenius dicitur contineri, Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc proinde factum est, & in alterius præiudicium non redundat, ratum habemus, & gratum, Illud authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti munimine roboramus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum se nouerit incursurum. *Datum apud . . . . XII. Kal. Maij, Pontificatus nostri Anno Secundo.*

Pag. 1011. post illa verba, *vbi de eo plura*, adde, Hic tamen exhibeo eiusdem Alphonsi reductionem Canonicorum Ecclesiæ Compsanæ, quam suo hoc decreto sanciuit anno 1565. in hæc verba.

Alphonsus miseratione diuina tit. S. Ceciliæ S. R. E. Presbyter Card. Gesualdus Archiepiscopus Compsanus, ac Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. Pij Diuina prouidentia Papæ Quarti, & Sedis Apostolicæ de latere Legatus ad perpetuam rei memoriam.

Vniuersis, & singulis præsentes quæque tẽpore lecturis, & audituris salutẽ sempiternam in eo, qui est omnium vera salus. Pastoralis muneris recordatio, quæ nobis, vt

par

par est assiduus animo obuersatur, nos sollicitos habuit, vt rationem aliquam iniremus, qua Cathedrali Ecclesiæ nostræ Compsanæ iis, quæ diuinum cultum concernunt, magis opportunum, & consultum videretur; Nam cum ab Archiepiscopali ipsa sede reliquis Ecclesiis, & vti subiecto gregi exempla sint petenda, illis in diuinis accuratius esse inseruiendum perspicimus; Verum cum in eiusdem Ecclesiæ visitatione nuper à nobis facta, illam magna premi fructuum, & prouentuum paupertate inuenerimus, & propterea Canonicos, & alios omnes aliqua in eadem Ecclesia dignitate fulgentes, præ magna fructuum & introituum tenuitate, se ipsos ita commodè alere, & Clericalis Ordinis dignitatem tueri, vt deceret, minimè posse: nam diurnis, & nocturnis horis insistentes, nec quicquam earum prætermittens, quæ eorum muneris sunt, vix in annum ducatos auri de Camera viginti lucrantur, quo fit vt diligentem operam in rebus diuinis nauare, & virtute aliqua prædictæ Ecclesiæ inseruire non multi faciant, & si ad residendum cogi velint, aut dignitatibus priuari, vix alij reperiantur doctrina, & moribus cogniti, qui in eorum locum substitui non refugiant. Nos Capituli, & Ecclesiæ nostræ prædictæ paupertate commoti, Diuini cultus augmentum ex eo maius prouenire existimantes, si vberioribus fructibus ad inseruiendum etiam probos, & doctos viros quosque Ciuitatis, & Diœcesis ad se in Canonicorum Collegium adsciscì studendum inuitemus, rationi congruum cum sit, virtutes premio alere, & animos ad labores spe mercedis propositæ erigere. Quamobrem Canonicorum numerum restringentes, & restrictam esse decernentes Sac. Trid. Concil. Decretis etiam insistentes, illum in posterum perpetuis futuris temporibus ad duodecim tantùm reducendum fore, & esse decreuimus. Et cum in præsentiarum Canonicatus aliquot illos, & alios quoscunque in futurum vacaturos, & pro vt quouis modo per obitum, priuationem, assecutionem, aut aliàs vacare contigerit quousque duodenarius tantùm numerus remaneat, supprimimus, & penitus suppressos volumus, & declaramus, illosque ex nunc, prout ex tunc eiusdem Ecclesiæ nostræ mensæ Capitulari cum omnibus iuribus perpetuò annectimus, & vnimus, ita vt nec plures, nec pauciores esse possint. Illorumque omnium sic suppressorum, & aliorum, vt casus feret, supprimendorum, & vniendorum fructus, redditus, prouentus, & obuentiones vndecunque prouenientes, & prouenturas inter duodecim Canonicos, vel alios Canonicali portione inter illos gaudentes quouis nomine, seu titulo censeantur, & iuxta formam, & tenorem Constitutionum, & Decretorum à nobis hùc vsque emanatorum, aut forsan emanandorum, vel in eadem Archiepiscopali Sede, & Ecclesia in hunc vsque diem receptorum antiqua consuetudine diuidendos esse, & diuidi debere, distributionum tantùm, & iurium dignitatibus, & officijs forsan diuersimodè competentium ratione habita decreuimus. Quæ omnia, & singula, vt firmiori validitate fulciantur, tam dicti Sac. Trid. Conc. Decretorum, quàm Ordinarij Visitatoris authoritate, & etiam vigore facultatum Legati de Latere sub Datum Romæ apud S. Petrum 14 Nouembris MDLXIIII. ad quarum vlteriorem insertionem non tenemur. Nec non quò efficaciori modo possumus facta, concessa, decreta, declarata, reducta, suppressa, & vnita esse volumus, & mandamus per præsentes, omni aliter interpretandi facultate sublata irritum esse, & inane decernentes quicquid à quoquam quouis quesito colore, causa, vel prætextu contingeret attentari, supplentes omnes, & quoscunque, si qui forsan interuenissent iuris, & facti defectus, qui per nos meliùs suppleri possunt, In quorum fidem illas manu nostra propria subscriptas per infrascriptum Secretarium fieri, nostrique soliti sigilli iussimus appensione muniri. Datum Celestri eiusdem nostræ Diœcesis sub Anno Domini millesimo, quingentesimo sexagesimo quinto, Indict. Octaua, Pontificatus eiusdem Sanctissimi D. N. Pij Anno sexto, mensis Iunij die vltima, Præsentibus Dominis Lelio Inuitiato, Hippolito Guirigo, & Rafaele de la Fonte Clericis, Alesand. Ferrarien. & Florent. respectiuè Diœc. testibus ad præmissa habitis, vocatis, & rogatis.

Alphonsus Card. Gesualdus Legatus.

Pagina eadem 1011. l. 25. *pro Patruelli*, dicito Auunculi.

Pag. 1021. l. 49. pro 1565. scribe 1585.

Pag. 1028. l. 29. pro 1392. lege 1396.

Pag. 1031. l. 44. dele illa verba Elogij Iacobi Canditi Episcopi Laquedonensis exscripta ab Hippolito Marraccio de Marianis Præsulibus, nempè *de statu sui aliquando dubius cum precibus, & lachrymis ad hanc matrem supplex refugisset de diuina circa se voluntate certus reddi meruit*. Et pagina 1032. l. 21. post illa verba, *libenter edocebat*, adde &c. deindè dele sequentia, nempè. *Cœlum petijt, & post mortem D. Iosuelio de Pollà Laquedonensis Ecclesiæ Canonice olim amicissimo suo cum B. Virgine apparuit*. cum ea prolata fuerint, nullo præcedente iuridico examine, adeoque gratis dicta censenda sunt, & ab hoc opere expungenda.

Pag. 1035. l. 57. adde a capite Palermus Episcopus Muranus inter consecrationi Ecclesiæ S. Mariæ Maioris de Diano anno 1274. à Guillelmo Episcopo Potentino celebrata. An idem sit, Episcopus iste Palermus idem cum superiori quem innominatum notauimus incertum mihi est, nec aliud de eo scire potuimus.

Pag. 1041. l. 32. *Ascanius*, scribe Ascanius.

Finis Laus Deo.

ADMONITIO AD LECTOREM.

LECTOR aduerte in elogiis Virorum Illustrium, quos hoc libro amplexus sum, nonnulla me obiter attingere, quæ sanctitatem ipsis videantur adscribe: perstringo uon numquam aliqua ab iis gesta, quæ cum vires humanas superent, miracula videri possunt: præsagia futurorum, arcanorum manifestationes, reuelationes, illustrationes, & si quæ sunt alia huiusmodi: beneficia item in miseros mortales eorum intercessione diuinitus collata; demum nonnullis sanctimoniæ, vel martyrij videor appellationem tribuere. Verum hæc omnia ita meis Lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi tamquam ab Apostolica Sede examinata, atque approbata, sed tamquam, quæ à sola suorum auctorum fide pondus obtineant, atque adeo non aliter quam humanam Historiam. Proinde Apostolicum S. Congregationis S.R. & vniuersalis Inquisitionis decretum anno 1625. editum, & anno 1635. confirmatum integre, atque inuiolate, iuxta declarationem eiusdem decrcti à S. mem. Vrbano Papa VIII. anno 1631. factam, seruari à me omnes intelligant, nec velle me, vel cultum, aut venerationes aliquas per has meas narrationes vlli arrogare, vel famam, vel opinionem sanctitatis, aut martyrij inducere, seu arguere, nec quicquam eius existimationi adiungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando vllius beatificationem, vel canonizationem, aut miraculi cõprobationem, sed omnia in eo statu à me relinqui, quem seclusa hac mea lucrubatione obtinerent, non obstante quocunque longissime temporis cursu. Hoc tam sancte profiteor, quam decet eum, qui Sanctæ Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit, & ab ea in omni sua scriptione, & actione dirigi.

Ferd. Vghellus Abbas, &c.

REGESTVM

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn

Omnes ſunt terniones, præter ✠, & Nnn, quæ ſunt quaterniones.

R O M Æ,
Ex Typographia Reuerendæ Cam. Apoſt. M. DC. LIX.

Superiorum permiſſu, & Priuilegio.